UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros Decretalium, Tomus ...

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in judicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

Tractatus In Librum Tertium Decretalium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-73045

Visual Library

TRACTATUS IN LIBRUM TERTIUM DECRETALIUM.

1 POstquam libro secundo actum est de Judiciis Ecclesiasticis, & his, quæ pertinent ad ordinem Judiciarium ritè observandum in causis potissimum civilibus; agitur *hoc libro de materia*, quæ in ejusmodi judicium devenire solet; cujusmodi sunt *vita, & mores Clericorum, beneficiorum distributiones, ac receptiones; perceptiones fructuum, alienationes rerum Ecclesiasticarum, &c.* quæ principaliter concernunt *Clericos & Religiosos*, eorum *obligationes, & jura*; licet etiam plurima servire possint Laicis, prout patebit per decursum. Constat hic liber 50. *titulis*, de quibus etiam agitur in *Sexto, Clementinis*, & *Extravagantibus*.

QVÆSTIO I.
IN TIT. I. DE VITA, ET HONESTATE CLERICORUM.

2 PEr *vitam*, & *honestatem* Clericorum *tria* potissimum significantur; *primò, morum probitas*, & rectæ rationi obediens conversatio. *Secundò, honestus* ac decens habitus: *tertiò, negotiorum statui convenientium debitum exercitium*, & contrariorum *fuga*. *Clericorum* enim ea debet esse vitæ *probitas*, & *honestas*, quæ non modò pusillos non offendat, sed, quod omnino necessarium est, omnes etiam ædificet, atque animarum salutem promoveat. Nam, ut ait Trid. *sess.* 22. *c.* 1. *de Reform.* nihil est, *quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assiduè instruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui in sortem Domini vocati, se divino ministerio dedicârunt. Cùm enim à rebus seculi, in altiorem sublati locum, conspiciantur, in eos, tanquam in speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur.*

ARTICULUS I.
Quid veniat nomine Clerici?

3 QUòd *Clericus* dicatur à Græca voce *cleros*, quæ sortem, & hæreditatem

tatem significat, quasi Clericus sit *de sorte, ac hæreditate Domini*, juxta c. *Cleros, dist.* 51. Si significatio *Clerici* accipiatur in tota sua latitudine, comprehendit *primò*, omnes *initiatos* ordinibus, vel etiam solâ primâ tonsurâ, in quacunque dignitate constitutos; ita Sylvester. V. *Clericus* 1. *n.* 1. *Secundò, Regulares* omnes, ut docet Barbosa de appellativis, V. *Religiosus n.* 15. Azor *p.* 2. *Institut. moral. l.* 2. *c.* 3. *q.* 2. *& alii.* Et ideo apud Sylvestrum *loc. cit. omnes, qui non sunt Laici, dicuntur Clerici*, juxta c. *Duo*, 12. *q.* 1. quod desumptum est ex D. Hieronymo, ad quendam suum Levitam, sic scribente: *duo sunt genera Christianorum; unum, quod nuncupatum divino officio, & deditum contemplationi, & orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit; ut sunt Clerici, & Deo devoti, videlicet, Converſi. Cleros enim Græcè, Latinè sors. Inde hujusmodi homines vocantur Clerici, id est, sorte electi. Omnes enim Deus in suos elegit. Hi namque sunt Reges, id est, se, & alios virtutibus regentes; & ita in Deo regnum habent. Et hoc designat corona in capite. Hanc coronam habent ab institutione Ecclesiæ in signum regni, quod in Christo exspectatur. Rasio verò capitis, est temporalium omnium depositio*: & paulo post subjungit: *Aliud verè genus est Christianorum, ut sunt Laici, dicti à Græca voce Laos, quæ significat populum.* Unde sicut *Clericus*, quasi unus de Clero, ut notat Pater Benedictus Peregra *in Elucidario Sacræ Theologiæ, & Juris utriusque, numero marginali per totum continuato* 289. ita *Laicus* dicitur quasi unus de populo, prout contra dividitur, & opponitur Clerico.

4 Dixi. 1. *sub nomine Clerici, sumpto in lata significatione* comprehendi, omnes non tantùm initiatos ordinibus, sed etiam solâ primâ tonsurâ (nam, *per primam tonsuram, clericalem ordinem*, hoc est, *statum* conferri dicitur c. *Cùm contingat*. 11. *de ætat. & qualitat*) sed etiam omnes *Regulares*; nam si nomen *Clerici* sumatur *in stricta significatione*, comprehendit solùm eos tonsuratos, aut in ordinibus constitutos, qui sunt inferiores habentibus dignitatem. Dixi. 2. *comprehendi etiam omnes Regulares*, seu Religiosos sub nomine Clerici, sumpto in lata significatione, consequenter etiam *Conversos*, seu *Fratres Laicos*, licet careant ordinibus, & tonsurâ; cùm, his non obstantibus, sint veri Religiosi, seu Regulares; & ideo non tantùm istos, sed etiam Religionum *Novitios*, sub lata Clerici appellatione venire (cùm sub nomine *Regularium* latè sumpto comprehendantur) docet Azor *cit.* Barbos. *cit. n.* 15. *& seq.* & gaudere privilegio fori, ut non possint conveniri coram Judice seculari, concesso Clericis; Fr. Emmanuel, *qq. Regul. tom.* 3. *q.* 51. *an.* 12. atque immunitate à gabellarum solutione; Sanchez *tom.* 2. *in Decalog. l.* 6. *c.* 10. *n.* 16. Nam *Novitii*, in Religionem admissi, sunt pars ejus communitatis, quæ verè Ecclesiastica est, consequenter tanquam personæ Ecclesiasticæ reputantur.

Ex dictis *colliges* 1. quòd, cùm dispo- 5
sitiones *odiosæ*, habeant strictam interpretationem; & latam, *favorabiles*, ut diximus *l.* 1. *tit.* 2. *de Constitut.* & habetur in c. *odia, de regul. juris in* 6. quoties aliquid disponitur *de Clericis, in materiâ favorabili*, nomine *Clericorum* venire Clericos etiam habentes dignitatem, adeoque *Cardinales*, c. 2. *de Cleric. non resident.* 2. *Episcopos*, quia in his est qualitas supra alios, quæ non reperitur in Clericis simplicibus, hoc est, non qualificatis v. g. ex dignitate &c. 3. *Regulares*; Feling *in c. non dubium, de sent. excom. n.* 1. 4. *Canonicos* etiam non Regulares, c. *cùm Tibi, de Verb. significat.* c. *per Exemptionem, de privil. in* 6. Nam verbum *Clericus*, juxta *n.* 4. in lata significatione, comprehendit omnes prædictos, ergo, ubi dispositio loquens *de Clericis* est favorabilis; comprehendet omnes, qui veniunt sub nomine *Clerici* in lata significatione.

Dices: in §. *Presbyteros, Authent.* 6
de Sanctiss. Episcopis, habetur: *Clericos, res, quolibet modo ad eorum dominium venientes, habere in sua potestate, ad similitudinem castrensium peculiorum, & donare secundum leges, & in his testari posse, licet sub parentum sint potestate*; quæ dispositio loquens *de Clericis*, favorabilis est; & tamen non procedit de Clericis *infra diaconatum*, ut tenet Decius L. *Senium, in nova edit. n.* 14. *C. qui testam. facere poss.* adeoque non evadunt

dunt quasi castrensia ex privilegio per eam authenticam concesso *Clericis*, qui sunt sub patria potestate.

7 Ante resolut. *not.* 1. *quadruplex* esse *peculium* filii familias, nempe *Castrense, quasi castrense, adventitium*, & *profectitium*. Dicitur *castrense*, quia in castris acquisitum; *quasi castrense*, quod ex publico aliquo officio aquiritur; sicque dicitur, quòd *quasi* in castris acquiratur: munera enim publica censentur *quasi* militaria. Et hoc similiter est filii familias quoad proprietatem, & usumfructum. *Adventitium* dicitur, quod neque ex bello, nec ex officio publico, nec ex bonis paternis, nec ejus occasione comparatur, sed aliunde, ut donatione, legato, successione materna, operâ propriâ, aut artificio &c. acquiritur. Dicitur autem *adventitium*, quasi aliunde, quàm ex paterna substantia proveniens. Et hoc est filii quoad proprietatem, sed, patris quoad usumfructum. Tandem *profectitium* est, quod pecuniis, aut rebus patris, aut patris occasione acquiritur: diciturque sic, *quasi* ex patris substantia profectum. Et hoc omnino pertinet ad patrem tam quoad proprietatem, quàm quoad usum fructum.

8 *Not.* 2. dispositioni hujus authenticæ non esse locum *in bonis adventitiis filiifamilias, quantumvis Clerici, ante Clericatum acquisitis*; adeoque non evadere quasi castrensia, sed eorum usumfructum adhuc manere penes Patrem. 1. quia *cit. Authentica* loquitur de solis bonis *acquisitis per Clericos*, ibi: *ad dominium eorum venientes*; præsertim, cùm ejus verba sic intelligenda sint, ut caveatur paternum præjudicium. 2. quia licet *assumpto Episcopatu cesset patria potestas*; non tamen cessat ususfructus patris, quem in bonis adventitiis filiusfamilias, ad Episcopatum assumpti, prius habuit, ut docet Sanchez *tom.* 2. *in Decal. l.* 7. *D.* 13. *n.* 39. Nam usus fructus, semel acquisitus, non cessat, cessante patriâ potestate, L. *ult. C. ad Tertull. & L.* 3. *C. de usufruct.* cum non pendeat ab ea, nisi *in fieri*, non *in conservari*; ergo nec cessabit per assumptum Clericatum; cùm eo nec solvatur patria potestas, juxta frequentissimam, & verisimam sententiam, ut ait Sanchez *cit. n.* 26.

9 *Not.* 3. dictæ authenticæ nec esse locum *in bonis profectitiis filii familias, quantumvis Clerici*, consequenter nec ista evadere *quasi castrensia* vi ejus, licet à filiofamilias, jam facto Clerico, acquisita sint; sic Abbas *in Rubric. de pecul. Cleric. n.* 2. Sylvester *V. peculium*, 1. *q.* 2. *& alii.* Nam illa *Authentica* non loquitur de omnibus *Clerici bonis*, sed solis illis, *quorum dominium acquirit*, ut patet ex illis verbis: *res ad eorum dominium venientes*; at dominium bonorum profectiorum non acquiritur filiis familias, sed patri *ex n.* 7. ergo.

Si dicas: ergo saltem locus erit dictæ 10
Authenticæ *in omnibus bonis adventitiis Clericorum*; nam horum dominium est penes ipsos, licèt, etiam effecti Clerici, sint filii familias. ℟. licet aliqui velint, ei non esse locum, nisi in bonis adventitiis, *post Clericatum acquisitis intuitu Clericatûs*; probabilius tamen esse, omnia prorsus bona, quæ in Laico essent bona adventitia, si post Clericatum acquirantur, esse quasi castrensia, consequenter, nec usumfructum ex iis, acquiri Patri. Sic Hostiens. *in Summa, de pecul. Clericor. n.* 3. Sylvester *V. Clericus* 4. *q.* 14. *n.* 10. & *V. Peculium.* 1. *q.* 2. Azor *tom.* 1. *l.* 12. *c.* 3. *q.* 9. *& alii.* Probatur ex cit. Authentica, *Presbyteros* 261. *res quolibet modo ad eorum dominium venientes*; cui magnum adjumentum præstat textus in c. *quia nos, de testam.* ibi: *licet Clerici de his, quæ paternæ successionis, aut cognationis intuitu, aut artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, aut Amicorum, liberè disponere valeant.* Confirmari potest ex L. *Si Sacrosanctæ.* 33. C. *de Episc. & Clericis*, ibi: *ea, quæcunque in Clericatûs gradu*; quod verbum, *quæcunque*, cùm indefinitum sit, ac universale, restringi non potest ad acquisita *solo Clericali titulo*; his præmissis.

℟. *ad object. in n.* 6. N. minorem, & 11
dico, privilegium in dispositione Authenticæ *Presbyteros* in his bonis, in quibus ei locus est, competere omnibus Clericis, etiam primæ tonsuræ. Sic Hostiens. *in cit. L. Sacrosanctæ*, V. *Diaconi*, & *complures alii*, quos citat & sequitur supra relatus Sanchez *n.* 33. *Ratio est.* 1. quia Authentica *Presbyteros*, loquens de hoc privilegio, expresè loquitur *de Clericis*, ibi: *quos omnes Clericos appellamus*: at nomine

mine *Clericorum* veniunt omnes etiam primâ solùm tonsurâ insigniti, *ex n.* 3. ergo. *Ratio est* 2. quia Authentica *Presbyteros*, non tantùm loquitur de Clericis *in sacris*, sed etiam inferioribus, *ibi*: Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, *Cantores*, & *Lectores* &c. Nam *Cantor*, seu quod idem est, *Psalmista*, (ut habetur c. *Psalmista, dist.* 23.) est *Clericus initiatus primâ tonsurâ* juxta gloss. *in c. cum contingat, de ætate & qualit. V. Abbati*; Decium, *in c. Eccles. S. Mariæ, de Constit. n.* 22. ergò.

12 *Instabis*: Lex *Sacrosanctæ* loquitur de solis constitutis in sacris; imò nec de omnibus, sed de solis Episcopis, Presbyteris, & Diaconis. R. dato, ibi sermonem esse solùm de istis; tamen per Authenticam *Presbyteros*, ea lex *Sacrosanctæ* ad omnes Clericos extenditur, ut notat glossa *in L. Sacrosanctæ. V. Diaconi.* Eum quia, ut jam præmissum est, loquitur etiam de *Cantore*, seu *Psalmista*, qui non est in sacris; tum quia etiam, postquam nominavit Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Cantores, & Lectores, subjungit: *quos omnes Clericos appellamus*, quasi diceret, privilegium inibi expressum his omnibus concedi, non, in quantum *Sacerdotes*, *Diaconi*, *Subdiaconi* sunt, sed in quantum *Clerici*; quæ ratio etiam solâ *tonsurâ primâ initiatis*, communis est. Et quamvis hoc privilegium jure civili concessum sit; cujus legibus, in quantum præcipiunt, vel prohibent, de se ac directè, non subsunt Ecclesiasticæ personæ, per dicta *l.* 1. *tit.* 2. *de Constitut.* quia tamen hoc ipsum probatius Canonicum, in c. *quia nos, de Testam. & alibi*, meritò dicendum est, idem procedere etiam de jure canonico.

13 *Colliges.* 2. in dispositione materiæ strictæ, & odiosæ, loquente de *Clericis*, non comprehendi *Cardinales*, *Episcopos*, *Clericos qualificatos*, *& Regulares*; Sic Abbas *in c.* 1. *Ne Clerici, vel Monachi, n.* 1. & *in c.* 1. *de Juram. calumn. n.* 9. Colligitur ex c. *Sedes*, 15. *de Rescript. ibi*: *Nos igitur volentes eorum malitiis obviare, decernimus: ut cùm in commissionibus nostris minores, & viliores personæ solummodo designentur, majores, & digniores sub generali clausula non intelligantur includi*; ubi Barbos. *in hunc locum n.* 5. *V. sub generali clausula* (ex Abbat. *in c. Bonæ, de postulat. Prælat. n.* 2. & Felino *in c. Non dubium, de sent. excom.*) *ubicunque*, inquit, *species habet aliquam qualitatem plus, quam genus, tunc in materia odiosa, appellatione generis non comprehenditur species.* Et ideo nec *Inquisitores* hæreticæ pravitatis ab Apostolica sede, seu alio, vel aliis quibuslibet deputati, de hujusmodi crimine inquirere contra Episcopos, aut ex ejus prætextu procedere contra eos possunt, ut dicitur c. *Inquisitores* 16. *de Hæretic.* quia, cum sint *Clerici qualificati*, in dispositione odiosa non veniunt sub generali clausula, vel locutione *Clericorum.* Cæterùm, si materia dispositionis sit indifferens, & latæ significationis, sub nomine *Clericorum* comprehenduntur Clerici seculares, & Regulares. Sic Cardinal. Tuschus *pract. conclus. tom.* 1. *lit. C. conclus.* 377. *an.* 2.

Collig. 3. interdicto *Clero*, non censeri interdictos *Religiosos*; quia sumus in materia odiosa; Sic Henriquez *in Summa l.* 13. *c.* 42. *§. junct. lit. E.* 14

Collig. 4. *privilegia*, quæ *Clericis* in jure, sive Canonico, sive civili, sive ad negotia, sive ad judicia spectent, concessa sunt, omnia etiam *Religiosis*, competere, sic, ut nomine *Clerici* latè sumpto, etiam *Novitii*, & *Moniales* veniant; Ita Joannes Streinius *in Summa Juris Canon. p.* 1. *tit.* 15. *§.* 14; & quamvis nomine *Laici*, seu *populi* non veniant *Clerici* in materia odiosa; veniunt tamen in materia favorabili; Sic Abbas *in c.* 1. *h. t. n.* 1. Et ideo *Regulares*, propter debitum civile, nec capi, nec incarcerari possunt à Judice Laico, nisi fortè animo fraudandi Creditores Monasterium ingressi essent; vel monasterium, sciens, vel volens aliquem ad professionem recepisse, quia sic & culpam, & debitum in se derivasset. c. *Odoardus* 3. *de solutionib.* quæ exceptio fundatur in eo, quòd nemini fraus sua patrocinari debeat; si autem talis propter inopiam solvere non posset, nec à Judice Ecclesiastico propterea puniendus foret, ut colligitur *ex cit. c. Odoard.* Sed de his plura *l.* 2. *tit.* 1. *de Judiciis.*

ARTI-

ARTICULUS II.

De morum probitate, ac conversatione, requisita in Clericis.

15 QUanta *morum probitas*, & *conversationis honestas*, in Clericis exigatur, constat *ex Trid. supra cit. in n.* 2. Huc cumprimis pertinet ea *morum, & actionum modestia*, quæ dignam severitatem, & Clericalis ingenii *censuram* decet. Hæc porrò peculiari ratione talis esse debet. 1. *quæ fugiat ebrietatem*, quæ mentis aciem hebetat, ejus inducit exilium, & libidinis est incentivum, *c.* 14. *h. t.* ubi præcipitur, ut aboleatur usus ad æquales haustus provocandi, & fœcundiores calices exhauriendi; & nisi post monitionem desistant, ab officio suspendantur. *Secundò*, ut à Clericis evitentur illi *sales, facetiæ, dicacitates*, & omnes verborum inanium pestes, quæ scurram potius, quàm Sacerdotem ostendunt, ut notat Zoësius *h. t. n.* 6. *Tertiò*, quæ vitium *incontinentiæ* sic aversetur, ut ne quidem sinistrâ suspicione maculetur. Nam summè dedecet Clericos ad impudica laxare, illa præcipuè, propter quæ venit ira Dei in filios diffidentiæ, *c.* 13. *h. t.* Hinc si quis hac de causâ suspensus, præsumpserit celebrare divina, non solùm Ecclesiasticis beneficiis spoliatur, verùm etiam pro duplici culpa perpetuò deponitur. Et ideo etiam *Prælati*, præsertim si *pecuniâ corrupti*, negligant corrigere Clericos *concubinarios*, aut *fornicarios*, graviter peccant & pariter privatione beneficii, ac depositione puniendi sunt, ut dicitur *cit. c.* 13. Maximè autem dedecet Clericos *avaritia*, c. *Cùm ab omni*, 10. *h. t.* ubi Judicibus Ecclesiasticis delegatis interdicitur, ut, *præter expensas victualium*, nihil accipiant à partibus. Cùm, ut dictum est *lib.* 5. *de Simonia*, omnis actus potestatis spiritualis, qui compensatur temporali aliquo, sit objectum simoniæ. Nam, ubi hæc vitiorum incentiva in Clericorum animas penetrant, non modò Dei cultus, & Religionis decor omnis exulat, sed gravissimis etiam scandalis laxatur frœnum, quibus pravis eorum exemplis inductæ oves in omnem vitæ licentiam inducuntur; de quo justè D. Gregorius *homil.* 17. *in Lucam, nullum, puto*, ait, *ab aliis majus præjudicium quàm à Sacerdotibus, tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit, quando ipsi peccavimus, qui compescere peccata debuimus &c.*

Pœnæ porrò, quæ in Clericos à vita & 16
honestate declinantes, non tantum jure divino, sed etiam Ecclesiastico statuuntur, copiosis omnino casibus in corpore juris canonici reperiuntur. Sic statim *in c.* 2. *h. t.* Clerici *Usurarii* excommunicantur; *Incontinentes*, si hac de causâ suspensi, nihilominus præsumpserint celebrare divina, & Ecclesiasticis beneficiis privantur, & perpetuò deponuntur, per c. *Ut Clericorum*, 13. *h. t.* de quo plura *n.* 19. Similiter *crapulosi*, vel *ebriosi* suspenduntur ab officio, vel beneficio, si moniti non desistant. Hæc *suspensio ab officio, vel beneficio, alternativè* lata, relinquitur arbitrio Superioris, vel Judicis, penes quem in pœnis alternativis est electio, quando ad ipsum verba diriguntur, vel etiam absolutè, ac impersonaliter proferuntur, ut notat *glossa fin. c. A. crapula*, 14. *h. t.* ubi cum Abbat. *hic n.* 1. & *gloss. V. A crapula*, advertendum, *crapulam* dici quoad *excessum ciborum*; & *ebrietatem* quoad *excessum potûs*. Plures ejusmodi pœnas in Clericos criminosos passim exhibet *liber* 5.

Præterea not. Cùm Clericis Ecclesiâ- 17
stici reditus sint assignati, ex quibus honestè se sustentare possint, tenêri eos in judiciis abstinere, ut *præter expensas victualium*, non accipiant *decimam*, vel aliam partem litis, non obstante contrariâ consuetudine secularium Judicum; neque cum litigantibus paciscantur pro salario receptis pignoribus, ut dicitur c. *cùm ab omni* 10. *h. t.* Et quamvis aliqui prætendant, ejusmodi exactiones postulari à Judicibus non *pro se*, sed pro *Assessoribus* Judicum; nihilominus reprobantur *c. cit.* quia *Judici nec justum quidem judicium vendere licet*, & *sententiæ Judicum venales* ab ipsis quoque legibus secularibus *reprobantur*.

Dixi. 1. *præter expensas victualium*, quod intellige de Judice delegato, habente beneficium, quando extra domicilium suum ad cognoscendam causam proficisci debet. Tali enim casu licitè procurationes, seu itineris expensas exigit, c. *cum ex officii* 16. *de Præscript.* junctâ *gloss. in*

cit. c. 13. *§. insuper, V. Moderatas*; & *gloss. in cit. c. cùm ab omni, V. præter expensas.* Nam beneficia, quæ habent tales delegati, non sunt illis data cum onere, *ut jus dicant litigantibus*, utpote non habentia annexam jurisdictionem ordinariam; secus est de *Judice Ordinario*, cui annexa est potestas ordinaria causas judiciarias vel per se, vel per delegatos definiendi. Nam talibus eo ipso regulariter de sufficientibus ad hoc reditibus Ecclesiasticis ex suis beneficiis pro visum est; excipe, nisi *domicilium egredi debeat* ad visitandam, vel consecrandam Ecclesiam, *c.* 6. 14. *& 25. de Censibus*; *item c.* 10. *de Simon.* Dixi 2. *si tales delegati habeant beneficium*, unde decentem habeant sustentationem; si enim hoc carerent, omnino illis licitum foret etiam exigere à partibus stipendium ex titulo sustentationis debitæ; nam jura superius allegata, non de his, sed illis loquuntur.

18 *Not.* 2. quod diximus de delegato Papæ, spectato jure communi, probabilius etiam dici de *delegato judicis Ecclesiastici inferioris*, v. g. Episcopi, non ad universitatem causarum, sed causam specialem. Nam talis stat loco & vice Judicis Ordinarii, Papâ inferioris; ergo sicut Judex ordinarius, Papâ inferior, ne quidem expensas victualium licitè exigit; sed debet vivere de suo exceptis duobus casibus, de quibus *num. præced.* sic nec ejus delegatus. Hinc si Judex ordinarius, Papâ inferior, ad causæ cognitionem assumit Assessorem, *Salarium* non à partibus, sed ab Ordinario delegante, ejus operâ utente, solvendum est. Nam propter hoc deleganti providetur de reditibus Ecclesiasticis, unde vivat decenter ad sustinenda onera annexæ jurisdictionis ordinariæ. Quando autem in *c. Statutum*, *§. Assessorem*, *de Rescript. in* 6. dicitur, Delegatum, si indiget Assessore, posse illi providere de *moderato salario à partibus persolvendo*, sermo est de delegato Papæ; non inferiorum.

19 *Not.* 3. quando in c. *Ut Clericorum* 13. *h. t.* dicitur, Clericos, præsertim in sacris constitutos, teneri *continenter, & caste vivere* ab omni libidinis vitio abstinentes, maximè illo, *propter quod venit ira Dei in filios diffidentiæ*, per hoc intelligi vitium carnis contra naturam, & *Sodomiæ*; ut dicitur in *c. Clerici*, 4. *De excessib. Prælat.* ubi dicitur: *quicunque illâ incontinentiâ, quæ contra naturam est (propter quam ira Dei venit in filios diffidentiæ, & quinque civitates igne consumpsit) deprehensi fuerint laborare, si Clerici fuerint, dejiciantur à Clero, vel ad agendam pœnitentiam in Monasteriis detrudantur; si Laici, excommunicationi subdantur, & à cœtu fidelium fiant penitus alieni.*

Not. 4. occasione illorum, *ne Judices Ecclesiastici, more Judicum secularium, in Judicaturis suis faciant exactiones super decima litis, vel parte aliqua pro diversa terrarum consuetudine, præter expensas victualium, recipiant pignora pro solvendo à partibus salario*, quæstionem fieri, *an per Judices seculares introduci possint consuetudo, vi cujus ipsis ac suis Assessoribus liceat à partibus pro labore aliquid loco salarii exigere, & accipere? Affirmativam* sequitur Pirhinus *h. t. n.* 9. citans Abbatem *in c. Cùm ab omni h. t. n.* 4. si, quod exigitur, sit moderatum. 20 Hoc verum omnino videtur, si tales Judices non habeant à Republ. vel Principe, à quo habent officium cum jurisdictione ordinaria, non habeant competentes reditus ad onera sui muneris ritè præstanda; *nemo* enim *cogitur suis stipendiis militare, aut gratis servire*; cùm ob id etiam Ecclesiasticis liceat procurationes exigere, ac recipere, ut colligitur *ex c. cum Apostolus* 6. *c. Sopitæ*, 14. *c. cùm nuper*, 25. *de Censib. & c. cùm sit*, 10. *de Simon.* Secus tamen est, si pro labore sui muneris provisi sint, sufficienti ac decenti stipendio; sic enim eundem laborem bis venderent; semel, accepto justo stipendio; semel recepto à partibus salario; consequenter pro eodem actu, ultra justum pretium, aliquid exigerent, quod jure naturali justitia vetat.

ARTICULUS III.

De habitu, & vestitu Clericorum.

NOn est dubium, omnes Clericos, qui 21 sunt in sacris, & Beneficiatos, etiamsi solùm in minoribus constitutos, teneri vestem ordini Clericali congruentem deferre, *c. Clerici* 15. *h. t. Clement. 2. eod. Trid. sess.* 14. *c.* 6. *de reform.* Hinc quæres, 1.

an

an Clerici possint deferre vestem ex quolibet colore? R. honestatem vestium Clericalium ponderandam esse ex usu, & communi consuetudine cujusque Regionis, *c. Si quis virorum*, 15. *dist.* 30. junctâ *gloss. V. veste, & gloss. in c. penult. V. Deauratis.* Nimirum, ut non sint communes cum iis, quibus in tali Regione Laici utuntur; ita Sanchez *l. 7. Moral. D.* 46. *n.* 6. Cœterùm licet certæ *formæ*, & *colores* vestium Clericis sint prohibiti, nimirum *rubeus*, & *viridis*, c. *penult. h. t. Clem.* 2. *eod.* (excipe rubeum *quoad Cardinales*, ut notat Piasecius *in praxi Episcoporum*, *p.* 2. *c.* 3. *a.* 2. *n.* 29.) nullus tamen in specie proprius, & certus habitus Clericis est præscriptus, modò non sit habitus indecens, hoc est, nullâ ratione à Laico distinguens, c. *penult. h. t.* ubi tamen expressè notatur quoad formam, *ut clausa deferant desuper indumenta, nimiâ brevitate, vel longitudine non notanda.* Hinc colliges, nulli Clerico licere uti publicè veste *virgatâ*, vel *partitâ*, hoc est, habente diversos colores intextos, vel artificiosè superinductos ipsi panno, idque sub multiplici pœna *in Clem.* 2. *h. t. & Trid. loc. cit.* ubi statuitur, ut *Clerici non deferentes habitum, à suis Ordinariis præscriptum, si correpti non emendent, etiam officio, & beneficio priventur*: *Regulares* autem, ex justa causa, ad fructum animarem majorem referendum, & scandalum vitandum, possunt habitum suæ Religionis exuere, ac alium honestum, ac Regulari vitæ congruentem assumere, *c. Deus II. h. t. junct. gloss. in casu, & in c. In nova*, 16. *q.* 7. Cœterùm utuntur habitu suæ Regulæ.

22 Quæres. 2. *an Clericis liceat uti annulis?* R. *negativè*, nisi sint Episcopi, vel in dignitate constituti, ut habetur c. *penult. h. t.* ibi: *sed nec annulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis.* Facultatem porrò utendi *annulis*, quando id ex dignitate competit, Carolus de Graffis *lib. de effectib. Clerical. effectu* 41. extendit ad Clericos, qui sunt *Doctores*; cùm per annulum investantur, & *Doctoratus* sit aliqua dignitas: quod etiam sentit Zoësius *h. t. n.* 9. modò non abutantur ad vanitatem. Verùm *dignitas canonicè* sonat aliquam præeminentiam cum jurisdictione, vel administratione, quam non habent promoti Doctores, nisi sint *Professores* in Academiis, ut notat Pirhing *h. t. n.* 18. Hinc etiam usus annuli interdictus est in Missâ *Protonotariis* non participantibus, & quibuscunque aliis *Doctoribus*; item *Canonicis* etiam Cathedralium Ecclesiarum, ut constat ex Pyrrho Corradi *in praxi dispens. Apost. c.* 6. *n.* 32.

Quæres 3. *an Clerici possint nutrire* 23
barbam, & comam? R. à Gregorio IX. *in c.* 4. *h. t.* Clericis, comam, seu capillos capitis nutrientibus, statutum esse *anathema.* Sed hoc accipiendum est de coma, quæ imitatur comam *mulierum.* Nam ad aures usque coma licitè, & decenter fertur; ita Zoësius *h. t. n.* 9. præsertim, cùm hac in re videamus passim in contrarium obtinere consuetudinem, quæ, ut ait Vallensis *cit.* valet, intellige, nisi accedat ad secularem vanitatem, quod etiam videtur obtinere in barba. Nam licet *c. Si Clericus* 5. *h. t.* statutum sit, ut *Clericus neque comam, neque barbam nutriat*; hodie tamen alia est consuetudo, Layman *l.* 5. *summæ, tr.* 9. *c.* 12. *à n.* 1. Si tamen in hoc excedunt, etiam inviti tonderi possunt à suis Archidiaconis, vel ab alio ex ejus mandato, *c. Clericus*, 7. *h. t. & c. Clerici* 22. *dist.* 23.

Quæres 4. *an Clerici, dum celebrant,* 24
licitè utantur pileolo, vel alio capitis integumento? R. de hac quæst. agi c. *Nullus Episcopus*, 57. *dist.* 1. *de consecrat.* ibi: *nullus Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ad solemnia Missarum præsumat, velato capite, altari Dei assistere*: *quoniam Apostulus prohibet, Viros velato capite orare in Ecclesia*; *& qui temerè præsumpserit, communione privetur*; ubi *gloss. V. præsumat, mitram tamen* ait, *& baculum debet habere Episcopus, cùm prædicat*, arg. *c. Disciplina, dist.* 45. quia tunc allegat causam Dei apud Populum. Hinc Barbosa *in Trid. sess.* 22. *c.* 8. *à n.* 28. & Pyrrhus Corradus *in praxi dispens. Apostol. l.* 3. *c.* 6. *à n.* 29. tradunt, quòd nullus Episcopus concedere possit licentiam, ut quis celebrare possit missam *cum barettino in capite*; sed hanc concessionem, uti & illam, quæ est *de usu pileoli* in celebratione missæ, Sedi Apostolicæ tantùm, reservatam esse, prout declaravit Sacra Congregatio apud Corradum *cit. n.* 30. *De integumento*

gumento autem *ex alienis capillis contexto*, nihil expressum est specificè; licet fortassis etiam veniat sub illo termino, *velato capite*. Cœterùm, seclusâ seculi vanitate, justâ, & necessariâ causâ exigente, usus hujus integumenti, modò coronam Clericis consuetam expressam supernè habeat, non videtur illicitus, saltem indulto & concessione Ordinarii; cùm externè potius referat tegumentum capitis à capillo naturali, quàm velamen aliquod extra hominem, extrinsecè adjunctum.

25 Quæres 5. *an Clericis liceat portare arma?* De hoc agitur *c. Clerici. 2. h. t.* ubi quæstio resolvitur *negativè*; & secus facientes debent excommunicari; nam *lachrymæ, & orationes sunt munimenta Sacerdotum*, ut dicitur *c. Convenior*, 33. *q.* 5. *§. quid ergo*; quod desumptum est ex D. Ambrosio *ad Marcellinam sororem, epist.* 33. Sed iste textus non habet vim canonis. Hinc, si justa causa subsit (puta, si faciant *iter* per loca periculosa, ut notat *gloss. hic V. Clerici*) imò ex recepta jam consuetudine Clerici, præsertim non Regulares, dum iter faciunt, *arma defensiva* deferre possunt; cùm justa sui defensio contra injustum aggressorem, sit juris naturalis. *Religiosi* autem, intra septa Monasterii, arma tenentes absque Prælati sui licentia, ipso facto sunt excommunicati *per Clem.* 1. *§. quia verò*, de statu Monachorum. Sed hæc *Clementina in cit. §.* loquitur expressè solùm *de Monachis*, quoad prohibitionem armorum, *distinguens eos à Canonicis Regularibus ibidem*, dum *his* & *illis* sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrendæ, prohibetur, ne, si non habent administrationem, petant Curias Principum animo nocendi suis Prælatis, & Monasteriis, ibi: *Monachi, aut Canonici Regulares*. Not. autem in constitutionibus odiosis, qualis est in hoc puncto *de armis*, nomine *armorum* comprehendi solùm *offendibilia*, ut *cum communi* notat Barbosa *de appell. V. Arma, n.* 2. Notandum præterea, Clericos portantes arma, præcipuè si sint proditoria, offensiva, vel aliter jure, aut statuto Magistratûs secularis prohibita, non posse licitè illis per Judices seculares spoliari; secus, per Ecclesiasticum. Nam Clerici non ligantur directè statutis Laicorum, præsertim coactivis, ut constat *ex dict. in Tit. de Constitutionibus*; & cum plurimis docet Barbosa *in c. 2. h. t. n.* 6. Et quamvis velint aliqui, quòd Judex Laicus Clericum, vel Monachum deprehensum in flagranti delicto, & captum, ut suo legitimo Judici tradatur, non teneatur, etiamsi possit, eum statim tradere, sed sine omni censura possit eum 20. horis detinere; hoc tamen in nullo jure fundatur, ut rectè docet Barbosa *cit. num.* 7. & apud eum Diana *p.* 1. *tr.* 2. *resol.* 10. *& alii.*

Quæres. 6. *an Clerici teneantur deferre habitum, & tonsuram?* Per *habitum* intelligimus vestes Clericales; & per *tonsuram*, quæ Clerica dicitur, coronam in capite; pro quo supponendum *tonsuram* esse *essentialem*, & potissimum in habitu Clericali, ut docet Sanchez *l.* 7. *Consil. moral. c.* 3. *d.* 49. *num.* 1. cùm sit primum eorum distinctivum à Laicis. Quæ verò pertinent ad *habitum*, seu *vestes Clericales*, præmissimus in superioribus, quo posito n. 1. Clericos, solùm in minoribus constitutos, ac non beneficiatos, non teneri sub ullo peccato deferre habitum, & tonsuram. Nam jura, quæ Clericis præcipiunt, deferre habitum, & tonsuram, expressè loquuntur solùm de Clericis, *vel beneficiatis*, vel *in Sacris*, ut colligitur *ex Trid. sess.* 14. *de Reform. c.* 6. Et ratio est, quia citra culpam possunt à Clericali statu ad Laicalem recedere: secùs tamen est, si velint *clericaliter vivere*, ac privilegiis Clericorum frui; quod verum est, licet tales Clerici sint *conjugati*; ita Sotus *in* 4. *dist.* 24. *q.* 2. *a.* 1. *& alii.* Nam quilibet, volens perfrui privilegiis alicujus statûs, quæ conveniunt ratione talis statûs, ex natura rei debet signis, saltem externis, ostendere, se esse de illo statu; peccatum tamen, quod committerent omittendo delationem habitus, & tonsuræ, tantùm este veniale, censet Sanchez *cit. n.* 5. quòd hæc omissio reputetur materia levis; cùm hi non sint perfectè in statu Clericali. 26

Not. autem, 1. *Clericis minorum ordinum*, etiam non beneficiatis, *non licere, publicè incedentibus in habitu Clericali, exercere actiones, statui Clericali interdictas, & repugnantes*, v. g. exercere judicium criminale; ideoque 27

pro-

propter indecentiam, quâ talem statum afficiunt. 2. *iisdem non licere deferre publicè habitum Clericalem cum tonsura*, si *bigami* fiant; id enim illis sub anathemate (hoc est, ut notat Glossa, sub excommunicatione ferenda) prohibitum est *c. Unico, de Bigamis, in* 6. & hoc, quod dicitur *de bigamis*, extendit D. Antoninus apud Sanchez *cit. n.* 8. ad eosdem Clericos, si sint *irregulares*.

28 Not. 2. *in respons. ad q.* 6. *in n.* 24. nos signatè locutos de Clericis minorum ordinum, *non beneficiatis*. Nam Clericos, quantumvis in minoribus constitutos, si simul habeant beneficium, & non deferant tonsuram, & habitum, peccare mortaliter, tenent Angelus 4. *V. Clericus, num.* 1. Tabiena, *eod.* 2. *q.* 6. Navarrus in Summa, *c.* 25. *n.* 110. *&* 18. *aliique complures*, idque propter pœnas gravissimas, secus agentibus statutas in Clement. *Quoniam, de vit. & honest. Cleric. Trid. sess.* 14. *de reform. c.* 6. *& Bullis Pii IV. & V.* ac novissimè in *motu proprio Sixti V.*

29 Hoc tamen limitandum est, ut non procedat, si beneficium sit *tenue*, ut rectè vult Sanchez *cit. n.* 18. quia *tenue* quasi pro nihilo reputatur. Sic cùm in jure dicitur, *beneficiarios obligari ad horas*, dictum recipit exceptionem, nisi beneficium sit tenue. Similiter prohibitio Pii V. ne *beneficiati* assistant *agitationi taurorum*, non intelligitur de habentibus tenue beneficium, ita Sanchez *cit. num.* 18. Alii eandem responsionem volunt procedere solùm in casu, quo beneficium requirit Clericale obsequium; ita Sotus *l.* 10. *de Just. q.* 5. *a.* 6. quod idem dicit Navarrus *in Summa Latin. c.* 21. *num.* 51. de *præstimoniis*, & *pensionibus*, ubi pensio constituta est à Papa titulo Clericali, id, quod semper præsumitur, nisi aliud exprimat.

30 Quæ diximus, *peccare mortaliter Clericos Minorum ordinum, habentes beficium non tenue, si non deferunt tonsuram, & habitum*, certius dicitur de quovis Clerico *in Sacris*, si dimissio habitus sit per tempus notabile, & ultra consuetum, atque seclusâ causâ justâ, vel necessitate; ita communior Doctorum cum Sanchez *cit. num.* 13. Et quamvis Cajetanus *in Summa V. Clericorum peccata*; & *V. Præcepti transgressio*, id neget, si hoc faciant absque contemptu, & contumacia; vel quando aliquo signo externo possunt dignosci, esse Clericos, ut vult Bannez 2. 2. *q.* 12. *a.* 1. *concluf.* 4. rectius tamen data resolutio absolutè intelligitur, eò, quòd prohibitio sit gravis, & directè cadat in actum prætermissi habitus, & tonsuræ. Nam Clericis relaxantibus comam, hoc est, habitum semel assumptum, sine justa causa, dimittentibus, ut notat *Gloss. in c. mox citandum, V. relaxaverit*, à Gregorio IX. imponitur anathema, seu excommunicatio ferenda in c. *si quis, dist.* 23. *& c.* 2. *h. t.* Secundò Clerici beneficiati, utentes publicè *virgatâ, vel partitâ veste*, per sex menses à perceptione fructuum beneficiorum, quæ obtinent, eo ipso sunt suspensi; si autem beneficati non sint, in Sacris tamen, sed infra Sacerdotium, per idem tempus eo ipso sunt inhabiles ad Ecclesiasticum beneficium obtinendum &c. Sic Clement. *Quoniam* 2. *h. t.*

Tridentinum autem *sess.* 14. *de reform. c.* 6. Clericos constitutos in Sacris, vel obtinentes beneficia *qualiacunque*, per Episcopum edicto publico monitos, non deferentes habitum Clericalem, illorum ordini, & dignitati (nimirum *Ecclesiasticæ*) congruentem, jubet coërceri per suspensionem ab ordinibus, officio, beneficio, fructibus, reditibus, & proventibus officiorum, & beneficiorum; & si semel correpti denuò in hoc deliquerint, etiam privatione officiorum, & beneficiorum. Responsio tamen Superiori numero tradita, limitari debet, ut non procedat, quando habitus non dimittitur ultra consuetum, ut notat Sylvester, *V. Clericus*, 2. §. 2. *Deinde* si dimittatur solùm ex necessitate v. g. tuendæ vitæ, honoris, bonorum; sic Bannez *cit. post* 4. *concluf. Tertiò* si dimittatur ex causa, de qua locuti sumus *n.* 21. *Quartò* si solùm ad breve tempus, v. g. dum in ludo decente agenda est aliqua persona, Sylvester *V. Apostasia, q.* 2. *Quintò*, si de bonis Ecclesiasticis, pensionibus, aut fructibus non habeant tantum, ut valor annuus excedat 60. aureorum summam auri de Camera, ut declaravit Sixtus V. *in Constit. Pastoralis, pridie Calend. Febr. anno* 1588. apud Barbos. *in cit. c.* 6. *sess.* 14. *Concil. Trid.* 31

Trid. num. 5. Sexto ut procedat, quando *Trid. cit.* innovat *Constitutionem Clement. Quoniam, & Sixti V.* in hac materia, quando Clericus, ob paupertatem, habitum ordini proprio congruentem, gestare non valet; vel ob infirmitatem nequit deferre tonsuram; vel si habitum duntaxat dimittat domi suæ, & in occulto, aut necessitate itineris, vel peregrinationis, de quibus Barbos. *cit. an.* 8.

ARTICULUS IV.

De negotiis, & exercitiis Clerico prohibitis.

32 DE his agitur *c.* 15. *h. t.* ubi Innocentius III. sic loquitur: *Clerici officia, vel commercia secularia non exerceant, maximè inhonesta. Mimis, ioculatoribus, & histrionibus non intendant. Et tabernas prorsus evitent, nisi fortè causâ necessitatis in itinere constituti. Ad aleas, & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint. Coronam, & tonsuram habeant congruentem. Et se in officiis Ecclesiasticis, & aliis bonis studiis exerceant diligenter.* Deinde in *c. fin. eod.* ubi Honorius III. rescribens Ambianensi Episcopo, ait: *ex literis Pontini Comitis intelleximus, quod quidam Clerici suæ terræ potius secularibus negotiationibus: quàm officiis divinis intendunt: & gaudere volentes privilegio Clericali nolunt statutis patriæ (quibus, quoties expedit, sicut Laici se tuentur) in negotiationum suarum quæstibus subjacere: Mandamus, quatenus, si tales, tertio à te commoniti, ab hujusmodi non resipuerint, sed prætermissis divinis officiis, negotiationibus instituerint supradictis, cum facto abjiciant privilegium Clericale, tu, quo minus, dum his se implicant de suis facultatibus, statutis, & consuetudinibus patriæ subjaceant, non defendas eosdem.*

33 Ex his Pontificum resolutionibus sequitur. 1. *Clericis prohibita esse exercitia, & negotia secularia*, sive exerceant per se, sive per alios, maximè inhonesta; & ea, quæ ab officiis Ecclesiasticis avocant, vel propriè solùm ad Laicos spectant, nec exerceri possunt, sine dedecore status Clericalis, quod tamen interdum apud nonnullos Clericos adeo invaluêrit, ut S. Greg. *homil. in Lucam, c.* 10. ingemiscat dicens: *ploremus Jeremiæ lachrymis! quomodo obscuratum est aurum, mutatus color est optimus, dispersi sunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum. Aurum quippe obscuratum est, quia Sacerdotum vita, quondam per virtutum gloriam clara, nunc per actiones infimas ostenditur reproba: lapides Sanctuarii dispersi sunt in capite omnium platearum; quia hi, qui per vitam, & orationem intus semper esse debuerant, per vitam reprobam foris vacant. Ecce jam pœne nulla est seculi actio, quam non Sacerdotes administrent.*

Hujusmodi turpes administrationes, 34
quas quandoque Clerici subeunt, sunt *officia tabernariorum*, seu *hospitum*, vel *macellariorum*; quæ sub pœna privationis Clericalis privilegii exercere prohibentur. Si autem tertio nominatim moniti, publicè illa exercere non desistant, vel resumant, omnino illud perdunt, si conjugati sint, quamdiu ei officio insistunt; si autem non conjugati, similiter; si tamen hi habitum, vel tonsuram deferunt, *tantùm quoad bona sua.* Item officia, vel exercitia *joculatorum, galiadorum*, aut *bufonum*, hoc est, *mimorum*, & *histrionum*, ut dicitur *c. fin. dist.* 4. junct. *ploss. V. dignitas*; & qui tale officium, vel ignominiosam artem per annum continuum publicè exercent, ipso jure omni privilegio Clericali privati sunt: Si mimori tempore, etiam post trinam sui Superioris monitionem, idem dicendum est, *c. unic. h. t. in* 6. Nam tales valde detrahunt Clericalis ordinis dignitati, & ipso jure sunt infames, *L.* 2. *§. ult. ff. de his, qui notantur infamiâ.*

Sequitur. 2. *inter negotia, Clericis* 35
prohibita, etiam esse negotiationem. Intelligitur autem nomine *Negotiatoris*, qui comparat rem, ut illam ipsam integram, ac immutatam dando, vel vendendo, lucretur, *c. Ejiciens, §. quicunque. dist.* 88. Et talis *negotiator*, seu *mercaturam exercens*, si tertiò monitus non deserat illam, perdit Clericale privilegium quoad bona sua ipso facto, per c. *fin. cit.*

Sequitur. 3. *inter exercitia Clericis* 36
prohibita esse lusum alearum, c. 15. *h. t.* quo intelligitur omnis *lusus*, qui magis fortunâ, quàm arte, & ingenio ludentium regitur; Pirhing. *eod. n.* 24. quod intelli-

lige,

lige, si *lusus* fiat *frequenter, publicè*, & *cum scandalo populi*; secùs, si sine scandalo, & privatim, idque ex bonis patrimonialibus, vel etiam reditibus sui beneficii, in quantitate modica, spectato statu suo, & redituum copiâ, causâ recreationis. Cœterùm nota, *lusum*, ubi *ars, & ingenium fortunæ prævalet*, non prohiberi Clericis; nec illum, qui consistit in *virtute corporis*; Sic Barbos. *in c. penult, h. t. n.* 7.

37 Præter hæc exercitiis hoc loco prohibitis annumeratur quoque *nimis, joculatoribus, & histrionibus intendere, c. non oportet*, 37. *dist.* 5. *de consecr. c. Presbyteri*, 19. *dist.* 37. *tabernas* (præterquam ob necessitatem in itinere) frequentare, *c.* 15. *h. t. Secundò in templis* exhibere, vel permittere ludos *theatrales*, & *scenicos*, si inhonesti sint, scurriles, & profani, *c.* 12. *h. t.* Et *lege Cæsarea, in Authent. de Sanctissimis Episcopis c. ult. collat.* 9. prohibitum est, ne quis in schemate, seu *habitu Monachi*, aut *Monialis*, vel alterius Personæ Ecclesiasticæ, *theatralia* exerceat, ludibrii causâ. Qui contra fecerit, corporalia supplicia sustineat, & exilio tradatur, *gloss. ibid. V. monstra larvarum*; quod etiam habet *gloss. ad c.* 12. *h. t. V. eod.* Sed de his plura *tit.* 50. *Ne Clerici, vel Monachi.*

QVÆSTIO II.

IN TIT. II. DE COHABITATIONE CLERICORUM, ET MULIERUM.

38 TOtus *hic titulus* potissimum eò tendit, ut *Clerici habitent seorsim à mulieribus*, non tantùm ut commodius evitent periculum incontinentiæ, cùm earum consuetudo ei frequenter exposita sit; sed & pravis Laicorum suspicionibus, & obtrectationibus hoc securius subducantur. *Excipiuntur* tamen. 1. *Mater, & Soror*, quòd naturale fœdus non admittat fœdi criminis suspicionem, *c.* 1. *h. t. Excipiuntur* 2. *mulieres, quas ætas, & vitæ probitas* ponit extra suspicionem, c. *interdixit*, 16. *dist.* 32. Si tamen suspicio criminis subsit; etiam illæ arcendæ sunt, quantumvis conjunctæ, *c.* 1. *h. t.* quod intelligendum etiam de *ancillis*, & *pedissequis* earum. Nam Ecclesia Ministros suos omni etiam suspicione liberos vult in materia puritatis. Et ideo *c.* 1. *h. t.* mandat, ut *fœminæ non ad altare præsumant accedere, nec Presbyteris celebrantibus ministrare, nec intra cancellas stare, vel sedere illis liceat.* A fortiori autem arcentur Clerici à *consortio concubinarum*; hoc est, mulierum, quas domi retinent libidinis causâ. Et qui tales habent, suspenduntur ab officiis, *c. Præter, dist.* 32. & quidem ita, ut, *si sint notorii*, eorum missæ non sint audiendæ, nec Sacramenta ab iis accipienda, non quòd ea polluantur flagitiosâ sacerdotum vitâ, *c. fin.* 15. *q.* 8. Sed ne peccantes foveantur in sordibus impudicitiæ, & dum contemni se vident, ad frugem pœnitentiæ, & meliorem vitam revertantur, *c. Vestra*, 7. *h. t.*

Clerici non abstinentes a vetita *mulierum cohabitatione*, præter dictam suspensionem ab officiis, *ex cit. c. Præter*; & prohibitionem, ne ab illis divina recipiantur, *in dict. c. fin. suspenduntur* etiam à *beneficiis*; & tandem, si moniti non corrigantur, *deponuntur*, *c.* 4. & 6. *h. t.* Et Clericus in Sacris, qui à suspectarum cum ipso mulierum colloquio, vel consortio, post trinam monitionem non abstinet, *excommunicandus* est; fœmina verò canonicè punienda, *c. si quisque*, 2. *h. t.* de qua pœna Canonica Barbosa *ibid. n.* 4. Nemo tamen cogitur abjurare concubinam, ne per carnis fragilitatem via perjuriis aperiatur, *c.* 3. *h. t.* Et quoniam utriusque sexûs puritati, sublatâ illecebrarum occasione, consulendæ, etiam Prisci Legislatores *discretas mulierum, ac Virorum mansiones* esse voluerunt, ut fuisse diversorum scriptorum testimoniis probat Gonzalez *in c.* 1. *h. t. n.* 10. à fortiori hoc tenendum est in Clericis; cùm eos purior vitæ Sanctimonia deceat, quos non à crimine 39

tantùm, sed à criminis etiam suspicione alienos esse oportet. Unde tot Ecclesiæ legibus ablegatas legimus extraneas fœminas à ministerio domestico Clericorum: atque ob majorem securitatem, & ut omnis prava suspicio tolleretur, statutum fuit, ut tam Episcopi, quàm Clerici secum testes rei domesticæ haberent, & coram eis tantùm possent alloqui fœminas, *c. Clericus* 20. *c. Clerici*, 32. *cum sequenti*, 81. *dist.* Concilium Brachar; 3. *can.* 4. Matiscon. *can.* 3. *ibi*: *Nulla mulier in cubiculo Episcopi, absque duobus Presbyteris, aut certè Diaconis, ingredi permittatur.* Alia congerit Antonius Augustinus *l.* 6. *tit.* 32.

Dices: Sacerdotes non tantùm inter-
40 nis *virtutibus ornati* esse debent; sed etiam *externò* earundem decore *gravitatem* ostendere, actionesque suas ita componere, ut aliis rectum præbeant *exemplum*: ergo illis prohiberi non debet *cohabitatio mulierum*, cùm istæ illorum sanctâ conversatione vitia fugere, & ad meliorem vitæ frugem converti possint. Nam *Sancta conversatio confundit inimicum, ædificat proximum, glorificat Deum*, ut ait D. Isidorus *l. Soliloq.* quo etiam respexit *c. Pervenit.* 2. *q.* 7. *& c. Inter, de Purgat. Canonic.* Deinde hoc exigit *necessitas ad obsequia domestica*, quæ à viris nec ita commodè, nec exactè fieri possunt. ℟. *N. conseq.* idque propter nimia pericula, quibus in hac materia obnoxium est humanum genus, ut experientiâ constat. Nec obstat *c. Pervenit*; ibi enim solùm agitur de Episcopo, qui Presbyterum quendam, post lapsum, in suis adhuc iniquitatibus volutatum, retinere dicebatur; cujus cohabitatio non habebat periculum inducendi Episcopum in lapsum; sed potius, ut ille ad frugem reduceretur; *c. Inter*, non favet præsenti casui; cùm solùm agat de familiaritate cum *hæreticis*. Necessitas autem obsequiorum, quæ communiter à mulieribus præstari solent, expediri possunt per tales, quas ætas & morum probitas extra suspicionem ponit, ut supra dictum est.

Præter hæc *not.* 1. cum quandoque contingat, quòd *Clericus habeat mulie-* 41
res propinquas, quas sustentare debet, *in cit. c.* 1. *h. t.* de illis præscribi, ut habeat *in vico*, aut *in villa* extra domum, longè à Presbyteri conversatione, & ei ibi subministret, quę necessaria sunt, intellige, si propter suspicionem domi eas retineri non deceat.

Not. 2. in *c. Sicut*, 4. *h. t.* prohiberi, ut Clerici *fornicarius* in suis domibus ha- 42
beant; per quas videntur intelligi mulieres, quæ sub fornicibus tabernas à fisco conducunt, ut ibi merces suas venales habeant, instar opificum, qui *fornicarii* dicuntur, de quibus Pereyra *in Elucidar. n.* 1510. quamvis rectius dicantur *concubinæ*, ut colligitur *ex c.* 5. *& 6. eod. Not.* 3. iisdem prohibitum esse habere mulieres *superinductas*, c. *Interdixi*, *dist.* 32. per quas ait Gonzalez *in c.* 1. *h. t. n.* 14. intelligi, non uxores, nec concubinas, sed tertii cujusdam generis, quas secum Clerici non sobolis suscipiendæ gratiâ, sed pietatis studio, aut prætextu, fovebant. *Denique* etiam *sorores adoptivas*, hoc est, fœminas, quas ad eludendum canonem Nicœnum (relatum *in dict. c. Interdixit*) Clerici secum retinebant sub nomine *sororum*, seu *Agapetarum*, de quibus Concilium Ancyran. *canon.* 16. *ibi*: *Virgines autem, quæ conveniunt cum aliquibus, tanquam sorores, habitare prohibemus*; quòd sub simulatis hisce nominibus lateat simulata Veneris nequitia.

QVÆSTIO III.
IN TIT. III. DE CLERICIS CONJUGATIS.

HOc titulo resolvitur, *an & qua ratione liceat Clericis Uxorem ducere, illique cohabitare? an tales Clerici conjugati teneantur deferre tonsuram, & habitum Clericalem? an sint capaces beneficiorum Ecclesiasticorum, vel, si prius habuerunt, retinendorum; vel noviter acquirendorum? an gaudeant privilegio Clericali? quo titulo Clericus in Sacris nequeat validè matrimonium inire?*

ARTI-

ARTICULUS I.

An Clerico licet Uxorem ducere?

43 DE hoc agitur in pluribus capitulis, *h.t.* Alexander III. *c.* 1. *h.t.* ita constituit: *Si qui Clericorum infra Subdiaconatum acceperint uxores, ipsos ad relinquenda beneficia Ecclesiastica, & retinendas uxores, districtione ecclesiasticâ compellatis. Sed, si in Subdiaconatu, & aliis Superioribus ordinibus uxorem accepisse noscuntur, eos uxores dimittere & pœnitentiam agere de commisso, per suspensionis & excommunicationis sententiam, compellere procuretis*; &c. *Sanè*, 2. *eod. ibi*: *Sanè de Clericis inferiorum ordinum, qui in conjugio constituti, diu ecclesiastica beneficia ex concessione prædecessorum suorum habuerunt*, à quibus sine magno discrimine, ac effusione sanguinis non possunt privari, duximus respondendum, ut, *quia ibi natio, & gens barbara, & multitudo in causâ est*, eos dissimulatione sustineas ecclesiastica beneficia, tam diu habita, possidere; provisurus attentius, *ne deinceps Clericis conjugatis ecclesiastica beneficia conferantur*; sed illorum aliqui *ad sacros ordines, vel Ecclesiarum administrationes non admittantur, nisi castitatem fortè voverent; & perpetuò servarent, qui unicam, & virginem habuerint uxorem.* Et in pluribus aliis.

44 Ex his, & aliis textibus hæc conclusio sequitur: *matrimonium à Clericis, infra subdiaconatum, constitutis, contractum valere; à Subdiaconis verò, & supra, nullum esse.* De Clericis minoribus apertè constat *ex cit. c. c.* 1. ubi, postquam acceperunt Uxores, jubentur compelli ad eas retinendas; &c *Joannes* 7. *eod.* dicitur, non compellendus ad deferendum habitum Clericalem Joannes, qui, postquam fuit Acolythus, Uxorem duxit; id, quod etiam habetur *c. Ex parte*, 9. *eod.* De Clericis verò *in sacris*, ex eo, quia *dict. c.* 1. sub pœna suspensionis, & excommunicationis ferendæ, jubentur Uxores dimittere, *c. Sanè*, 4. *eod. Sacerdotum nuptiæ dicuntur non nuptiæ, sed potius contubernia.*

45 Dices: Sive legem naturæ attendamus, sive legem scriptam, & gratiæ, nullum invenimus præceptum *de cœlibatu sacerdotum*, minus de *Diaconis & Subdiaconis*; ergo idem licitum etiam erit *Sacerdotibus* in lege gratiæ. Ant. probant contrarii, factis, de quibus latè agit Gonzalez *h.t. in c.* 1. *an.* 2. Sed quidquid sit, de quorundam opinione, qui volunt, *cœlibatum Sacerdotibus* injunctum esse à jure divino (de quo V. Card. Bellarminus, *tom.* 1. *controvers. lib.* 1. *de Clericis c.* 28.) certum tamen est, cœlibatum Sacerdotum esse de jure Ecclesiastico, ut constat ex illis canonibus, ubi, cùm agitur de hac continentiæ lege, vocatur *lex Ecclesiastica.* Hæc enim facit. 1. *c. Presbyteri, dist.* 27. *ibi*: *juxta Sacrorum canonum definitiones.* 2. *c.* 1. *h.t. ibi*: *Si qui Clericorum infra subdiaconatum &c.* 3. *c. quod te*, 3. *eod. c.* 4. *eod. & pluribus aliis locis.* Accedit Concilium Trident. *sess.* 24. *can. & c. cùm olim*, 6. *h.t. ibi*: Nos igitur attendentes, *quòd orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit, quin orientales in minoribus constituti ordinibus*, contrahant; *& in Superioribus utantur matrimonio jam contracto.* Ubi bene notandus textus, non dici, quòd in Ecclesia Græca Clericis in majoribus liceat *contrahere*; sed tantùm, quòd eis liceat *uti matrimonio prius, quàm venirent ad ordines majores, contracto.*

Ex quibus verbis deducitur. 1. *in lege* 46 *Ecclesiæ*, quâ ordinandi in Sacris, tenebantur edere votum continentiæ, cum Clericis Orientalis Ecclesiæ contrarium esse permissum, ut ordinati in Sacris matrimonio prius contracto uterentur. 2. *reliquos Ecclesiasticâ lege teneri* ad emittendum *continentiæ votum*, cùm in sacris ordinantur. 3. *votum continentiæ non esse de essentia* statûs Clericalis; cùm stet sine illo in Clericis Ecclesiæ Orientalis. 4. *obligationem continentiæ servandæ* à Clericis in Sacris; non esse juris divini; aliàs Pontifex oppositum nec Clericis Orientalibus potuisset permittere; licet primis Ecclesiæ temporibus fuerit æqualis lex, tam apud Latinos, quàm Græcos, ut Sacris Ordinibus initiati, non solùm matrimonio postea non copularentur, verùm etiam jam contracto non uterentur; imò à propriis uxoribus se abstinerent, cùm necessitas ministrorum, & fidelium inopia cogebat, etiam ex conjugatis Clericos assu-

mere: constat ex Origene *homil.* 23. *in Numer.* Eusebio *in Evangel. demonstr. c.* 8. *&* 9. Epiphanio, *hæresi* 69. Chrysost. *homil.* 2. *de patientia Job.* Cyrillo Hierosolym. *catech.* 12. Hieronymo *contra Vigil. in princip. & epist.* 50. *in fine*: Concilio Nicæno, *canonæ* 3.

ARTICULUS II.

An Clerici conjugati teneantur deferre habitum, & tonsuram?

47 DE hoc Episcopus Pictaviensis quæstionem movit apud Innocentium III. ad quam rescribit Pontifex, & refertur c. *Joannes* 7. *h. t.* quod sic habet: *Joannes nobis conquerendo monstravit, quòd tu eum, quanquam jam dudum uxorem legitimam duxerit, pro eo, quòd prius in acolythum fuerat ordinatus, compellere niteris, ut tonsuram deferat Clericalem, ex quo inter ipsum, & uxorem suam posset scandalum generari; cùm de consuetudine terræ tuæ Clerici uxorati non cogantur inviti portare tonsuram. Quoniam igitur idem, etiam tonsuratus, non potest privilegio Clericali gaudere, mandamus, quatenus ipsum super tonsuratione hujusmodi non molesties, dummodo nullum percipiat beneficium Ecclesiasticum, cujus ratione teneatur Clericalem deferre tonsuram; quia, cùm eum oporteat secularibus negotiis immiscere, tonsura ipsius, sæcularia exercentis, videretur profectò in ministerii nostri vituperium redundare.* Ex quo textu sequitur, cùm in Ecclesia Latina quæstio fieri possit solum de Clericis in minoribus (qui enim in sacris sunt, citra dispensationem conjugati esse nequeunt) Clericos conjugatos, qui sunt infra Subdiaconatum, non teneri ad deferendum habitum, & tonsuram Clericalem, nisi liceat illi habere beneficium Ecclesiasticum, de quo diximus *à num.* 21. *&* 26. & patet ex c. *Clericus*, 6. *h. t.* quod est desumptum ex *Concilio Triburiensi*, ubi statuitur: *si Clericus non in gradu seu Ordine sacro constitutus, nec Religionem professus, dimissâ Tonsurâ uxorem duxerit, eam retinere potest, imò & debet: iterum tamen tonderi debet, si Canonis, & fori Clericalis privilegio gaudere velit*; (Abb *hic n.* 4.) modò non sit bigamus, sed Virginem duxerit, & Ecclesiæ alicui serviat, juxta Concil. Trid. *sess.* 23. *c.* 6. *de reform.* Ex quo infert gloss. *fin. hic*, quòd Clericus conjugatus & beneficiatus, debeat portare coronam; quæ autem pertinent ad qualitatem, & decorem habitus Clericalis, diximus *à n.* 21.

ARTICULUS III.

An Clerici conjugati possint habere beneficia Ecclesiastica?

Ꝛ. CLericum conjugatum, jure Ecclesiastico, incapacem esse beneficiorum; ita cum communi Lesius *l.* 2. *Just. c.* 34. *de* 21. adeo, ut nec dispensatione Episcopi beneficium, etiam simplex, obtinere possit. Sanchez *cit. D.* 42. *n.* 18. excipe, nisi duxerit Virginem, & perpetuam continentiam voverit, c. *Sanè, h. t.* modò etiam uxor vel monasterium ingrediatur, vel saltem votum continentiæ perpetuæ edat, quin exposita maneat periculo incontinentiæ, c. *Conjugatus*, 5. *de Conversi. conjugat. junct. gl. V. ab uxore.* Nam Laicus non est capax beneficii, c. *Cùm adeo*, 17. *de rescript.* at Clericus conjugatus habetur in omnibus ut Laicus, exceptis casibus expressis, c. *unic. h. t. n.* 6. Ex quo sequitur. 1. Clericum, qui per verba de præsenti contrahit matrimonium, amittere beneficium, si quod habuit, extra prædictum casum; quia sic tacitè renuntiat præsumptione juris; & quidem ipso facto, juxta Barbosam *in c.* 1. *h. t. n.* 2. adeo, ut fructus, à die sic contracti matrimonii perceptos, teneatur restituere; nec possit in favorem tertii renuntiare; atque adeo beneficium ejus, tali casu statim, ipso jure vacare; ita Sanchez *l.* 7. *matrim. D.* 42. *à n.* 10. & hoc non in pœnam delicti, cùm nullum sit; sed ob incompatibilitatem cum statu matrimonii. Hinc, quando dicitur *c.* 1. *&* 3. ejusmodi Clericos conjugatos *privandos* esse beneficiis, intellige, *quoad possessionem*, cùm injustè detineant. Et quamvis ab initio fuerint habiles ad beneficium, & inhabilitate (v. g. irregularitate) superveniente, non perdant ipso jure; perdunt tamen tacitâ renuntiatione, quæ intervenit in hoc casu. Et hoc etiam procedit de pensionibus Ecclesiasticis, si quas ejusmodi Clericus habuit titulo Clericali (nisi sint reservatæ pro officio aliquo compatibili cum matrimonio, ut pulsare cam- 48

panas,

panas, organum &c.) & accessu, regressu, & quolibet alio jure ad beneficium Ecclesiasticum; per Clementinam, *Gratiæ, de rescriptis*; imò & transactione inter Titularem, & Pensionarium initâ post tale matrimonium, de quo Barbos. *cit. àn.* 6.

49 Si quæras, *an hoc procedat de matrimonio contracto per verba de præsenti, etiam non consummato?* R. affirmativè. Status enim conjugalis, etiam non consummatus, incompatibilis est cum Clericali, non quidem ex natura rei, sed juris Ecclesiastici præsumptione, ut constat *ex c.* 5. *h. t.* ubi Innocentius III. Archiepiscopo Norvicensi rescribens, *accepimus etiam*, inquit, *quod quidam Clerici tuæ diœcesis, qui matrimonium contaxerunt, Ecclesiastica beneficia detinere contendunt: in quorum conversatione cithara cum psalterio malè concordat. Cùm ergo vir cogitet, quomodo placere possit uxori, & ideo minus, quæ Dei sunt, valeat cogitare, cùm quasi divisus in duo plenam sui non habeat potestatem: ut ei, à quo stipendium recipit, plenius famuletur: mandamus, quatenus hujusmodi Clericos beneficiis Ecclesiasticis, quæ in tua diœcesi sunt adepti, prives appellatione remotâ; præsertim, cùm rerum Ecclesiasticarum substantia per tales soleat deperire; nisi forte tu talibus scienter contuleris Ecclesiastica beneficia: quibus eos non per te, sed per Superiorem decernimus spoliandos.* Et hoc ita verum est, ut tale beneficium non recuperet, licet uxor Religionem profiteatur, vel moriatur, ex *c. quam periculosum*, 7. *q.* 1.

50 Hoc extendunt aliqui etiam ad casum, *quo matrimonium fuisset nulliter contractum* vel ex defectu solennitatis, vel ob impedimentum occultum, & ab illo ignoratum; de quibus Barbosa *cit. àn.* 8. non tamen, si sit nullum ex defectu consensûs in ipso: Sed probabilius est, in hoc casu non privari *ipso jure*; privandum tamen esse per sententiam, nisi cum ipso dispensetur, *gl. fin. in c.* 1. *h. t.* Sanchez *l.* 3. *matr. D.* 43. Layman *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 14. quia sic non assumit statum incompatibilem. *Non enim præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, reg.* 52. *in* 6. Ex quo sequitur, ea quæ diximus de Clericis conjugatis, quoad inhabilitatem retinendi beneficia prius habita, si matrimonium contraxerunt, accipienda esse *de matrimonio contracto*, non mero facto, sed *jure, ac validè*. Hinc Clericus in Sacris de facto, seu invalidè contrahens matrimonium beneficiis prius obtentis non privatur *ipso jure*; quia cùm tale matrimonium sit omnino nullum, non assumpsit statum incompatibilem cum beneficio. Constitutio autem, in pœnam delicti, cum *ipso jure privans*, nulla datur; possunt tamen suspendi, & excommunicatione compelli ad agendam pœnitentiam, *c.* 1. *h. t.* Peractâ verò pœnitentiâ dispensat Episcopus, ut officii sui executionem habeant, *c. Sanè*, 4. *eod.* quod tamen intellige, si contraxerunt *cum unica*, & *Virgine*; secus enim fierent bigami verè, vel interpretativè, cum quibus non dispensat Episcopus *c. Nuper, & c. fin. de Bigamis*. Si autem duxerunt unicam & virginem, sunt bigami solùm similitudinariè, cum quibus dispensat Episcopus, ut diximus *l.* 1. *Tit.* 21.

Not. autem. 1. si Clerici in minoribus 51
constituti, propter contractum matrimonium, beneficiis priventur prius obtentis, debere illis restitui bona, quæ Ecclesiis, in quibus erant intitulati, contulerunt, *c.* 3. *h. t. ibi*: *Sanè si Ecclesiis, quibus attitulati fuerant, de possessionibus, aut aliis bonis suis aliqua contulisse noscantur, cùm ab earundem Ecclesiarum ministerio fuerint, & beneficio sequestrati, ad ipsos rectâ viâ dominium, ac proprietas liberè debet, & absq; ulla contradictione redire. Not.* 2. per matrimonium non extingui dispensationem ad beneficium, quo minus illegitimus dispensatus, soluto matrimonio, virtute illius, beneficium obtine possit. Sanchez *l.* 7. *de matr. D.* 42. *n.* 9. *Not.* 3. solùm Papam, non autem Episcopũ dispensare posse cum Clerico, qui constitutibus in minoribus, uxorem duxit, ut beneficium Ecclesiasticum obtineat, etiamsi duxerit unicam, eamq; virginem, & Ecclesiæ alicui deservire velit. Nam inferior in lege Superioris non dispensat, nisi in casu commisso; præsens autem talis non est. Nec rectè arguitur ad hunc ab aliis casibus, v. g. quòd Episcopus dispensare possit ad beneficium simplex cum homicida, & irregulari, *c. ad audientiam*, 12. *de homicid.* vel cum deposito ab ordine, & beneficio, *c. Salonitanæ, dist.* 63. Nam hi casus sunt expressi. 2. in materia exorbitante, qualis est materia dispensationis, non est locus à simili, vel majori, ut dixi *alibi*.

ARTI-

ARTICVLVS IV.

An Clericus conjugatus promoveri possit ad ordines?

52 DE hoc agitur in *c. Sanè*, 2. *h. t.* ubi Alexander III. scribens Herfordensi Episcopo, *provideas*, inquit, *attentius, ne Clericis conjugatis Ecclesiastica beneficia conferantur; vel ad Sacros ordines, aut administrationes Ecclesiasticas admittantur*; ubi Abbas *hic num.* 3. verbum *Sacros ordines* vult accipi generaliter, ut comprehendantur omnes ordines, etiam minores, ut colligitur ex *c. fin. de temporibus ordinat. in* 6. *ibi: Nullus Episcopus, etiam conjugato, nisi volenti religionem intrare, aut ad Sacros ordines promoveri, præsumat conferre tonsuram. Excipitur tamen.* 1. Conjugatus, qui voveret perpetuam castitatem, & unicam Virginem habuisset uxorem, ut dicitur in fine dict. *c. Sanè.* Si enim duxisset viduam, vel corruptam, titulo bigamiæ irregularis foret, ut diximus *l.* 1. *tit.* 21. *Excipitur.* 2. Si Conjugatus, emisso voto castitatis (idem præstante uxore) initietur minoribus, animo ascendendi ad ordines Sacros, ut colligitur *ex dict. c. Sanè. Excipitur.* 3. nisi Conjugatus, post legitimum divortium propter adulterium Uxoris ordinari vellet; quia tunc in ordine ad hanc statûs mutationem, & immunitatem ab usu conjugii evadit liber; Sanchez *l.* 7. *matr. D.* 47. *à n.* 16. Dixi: *idem præstante uxore*; cui addendum, si hæc in sæculo manere velit, ac eâ ætate sit, ut sit extra periculum incontinentiæ; alioquin enim, si foret juvenis, deberet Religionem intrare, ut dicitur c. *Conjugatus, 5. de Conversi. Conjugat.* quod in integra lectione relatum à Gonzalez sic loquitur: *Conjugatus ad monasterium converti desiderans, prohibetur suscipi, nisi uxor ejus convertatur; nam cùm unum utrorumque corpus, conjugii copulatione, sit factum, incongruum est, partem converti, & partem in sæculo remanere; nec recipitur apud Deum illius viri conversio, cujus sequitur conjugalis fœderis prostitutio. Cùm igitur cœtus Clericorum longè præemineat cœtui monachorum, ut ita aliquando bonus Monachus vix bonum Clericum faciat, nullus conjugatorum est ad ordines sacros promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus, ut fiat deinceps de carnali copula Spirituale conjugium.*

Si quæras, *an filius Sacerdotis Græci* 53
ex uxore genitus, licitè promoveatur inter Latinos? R. id constare ex rescripto Innocentii III. ad Archerontinum Episcopum in c. *Cum olim* 6. *h. t.* cùm enim Canonici Anglorienses Cantorem Tricaricensem sibi elegissent in Pastorem, & videretur electioni, cæteroquin legitimæ obstare, quòd dictus Cantor esset genitus ex Patre Græco, qui constitutus in minoribus, juxta ritum Græcorum Uxorem duxit, ac eum ex legitima uxore susceperit in Sacerdotio: respondit Pontifex: *Nos igitur attendentes, quod Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit, quoniam Orientales in minoribus ordinibus contrahunt, & in superioribus ututuntur matrimonio jam contracto: mandamus, quatenus nisi pro eo, quòd inter Latinos Græci hujusmodi conversantur, regionis consuetudo repugnet, si aliud Canonicum non resistat, ad confirmationem, & consecrationem ejusdem sine dubitatione procedas.*

ARTICULUS V.

An Clericus conjugatus gaudeat privilegio Clericali?

CLericale privilegium duplex est, *fori,* 54
& *canonis*; de illo egimus *l.* 1. *tit.* 2. *de Constitut. & l.* 2. *tit.* 2. *de foro competente*; de altero dicemus infra; quibus positis *quæstio est.* 1. *an Clericus conjugatus, solùm in minoribus constitutus, gaudeat privilegio Clericali?* R. negativè ex c. *Joannes,* 7. *h. t.* ubi Innocentius III. ad dictam quæstionem respondens ait: cùm *Clericus conjugatus, etiamsi tonsuram ferat, non possit privilegio Clericali gaudere, si beneficiatus non sit &c.* Ex quo textu sequitur. 1. privilegio Clericali de jure non gaudere Clericum conjugatum non beneficiatum. 2. Clericos conjugatos non posse compelli ad ferendam tonsuram, nisi velint privilegio Clericali gaudere, ut etiam colligitur *ex c.* 10. *& fin.* 3. si quis in minoribus constitutus, statum incompatibilem cum Clericali in re assumpsit, v.g. Laicalem, vel militarem, eo ipso censeri tacitè renuntiasse statui Clericali, nec recuperare beneficia priora, vel Clericorũ privilegia, licet habitum, & tonsuram reassumat, ut notat Barbos. *in dict. c. fin. n.* 3

Quæ-

55 *Quæstio est 2. an Clerici in minoribus constituti gaudeant Clericali privilegio in suis saltem bonis, si relicto habitu, & tonsura, ductâque Uxore, habitum Clericalem reassumant, ut declinent jurisdictionem secularem? vel si etiam ductâ uxore habitum nunquam deposuerunt?* R. ad hanc quæst. per Anglorum quondam Reginam Honorio III. propositam, Pontificem respondisse, ut habetur c. *Ex parte, 9. h. t. cùm reddenda sint, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo: æquanimiter duximus tolerandum, si à talibus justitias debitas, velut ab aliis uxoratis, exigas, & servitia consueta.*

56 Item statuitur *in c. Vnic. h. t. in* 6. ubi Bonifacius VIII. sic loquitur: *Clerici, qui cum unicis, & virginibus contraxerunt (si tonsuram & vestes deferant Clericales) privilegium retineant Canonis ab Innocentio Papa II. præcessore nostro editi in favorem totius ordinis Clericalis. Et cum (juxta Parisiense Concilium) nullus Clericis distringi, aut condemnari debeat à judice seculari: præsenti declaramus edicto, hujusmodi Clericos conjugatos pro commissis ab eis excessibus, vel delictis, trahi non posse criminaliter, aut civiliter ad judicium seculare: nec ab ipsis secularibus judicibus eos debere personaliter, vel etiam pecunialiter (ne per unam viam concedatur eisdem judicibus, quod per aliam denegatur) ullatenus condemnari. In cæteris autem vel nisi (ut præmittitur) tonsurâ, vel vestes ferant Clericales, etiam in præmissis eos gaudere nolumus privilegio Clericali.*

57 Hanc constitutionem Bonifacii confirmavit Tridentinum *sess. 23. de Reform. c. 6.* ubi dicitur: *Nullus primâ tonsurâ initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus, ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere. Is etiam fori privilegio non gaudiat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum, & tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versetur. In Clericis verò conjugatis servetur constitutio Bonifacii IX. quæ incipit*: Clerici, qui cum unicis; modò hi Clerici alicujus Ecclesiæ servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant, vel ministrent, & Clericali habitu, & tonsurâ utantur, nemini, quoad hoc privilegio, vel consuetudine etiam immemorabili, suffragante.

Ex his juribus allegatis, sequitur. 1. *Clericum primæ tonsuræ, vel in minoribus constitutum, etiam non conjugatum, gaudere privilegio fori,* si habeat beneficium, vel deferat habitum, & tonsuram, aut versetur in studiis de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines. Ubi *not.* 1. id procedere, etiamsi beneficium sit modicum; quia jam verificatur quòd habeat beneficium. Sic Garcia *p. 1. de benefic. c. 6. n. 37. & p. 2. c. 2. n. 3.* id, quod probabilius procedit, factâ solùm legitimâ beneficii collatione, licet nondum adeptâ possessione; cùm dispositio sit favorabilis; Sic Parisius *de Resign. Benefic. l. 7. q. 1. n. 47.* imò etiam, licet in re collatio non esset valida, si sit in pacifica possessione de facto; ita Carolus de Graffis, *de effectib. Clerical. effectu. 1. n. 187.* tunc possessione suâ, quoad talem effectum spoliari non debet. 58

Collig. 2. cùm in textu Trid. dicatur, Clericos primæ tonsuræ, vel solùm in minoribus constitutos, privilegio fori non gaudere, nisi habeant unam ex prædictis conditionibus, solùm sub disjunctione requisitis, rectè concludi, *eos gaudere privilegio fori, licet nec beneficium habeant, nec habitum, & tonsuram deferant,* modò in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versentur. Sic Gonzalez *ad 8. regul. Cancel. glos. 5. §. 5. n. 6.* quia disjunctiva sufficienter verificantur veritate partis unius disjuncti. 59

Sequitur. 2. Clericos conjugatos non gaudere privilegio Clericali, licet duxerint Virginem, & habitum, ac tonsuram deferant; nisi etiam adscripti sint, & ministrent, seu deserviant alicui Ecclesiæ; quia licet solæ duæ primæ conditiones exprimantur *in dict. c. Vnico,* ut constat *ex n.* 56. tertiam etiam superaddit Tridentinum confirmans illud *c. Unicum,* ut habetur *in textu supr. n.* 57. 60

Sequitur 3. Clericum conjugatum, sed verè bigamum, non gaudere privilegio Clericali, quantumvis habitum, & tonsuram 61

sūram deferat, vel etiam deserviat alicui Ecclesiæ. Nam in tali deficit illa conditio: *si duxit Virginem*, ad hoc necessaria, ut talis gaudeat privilegio Clericali, ut constat *ex textu à n. 56.* Dixi *verè bigamum*, quod non contingit, si duxit prius tantùm à se corruptam; nec, si duxit, sed non cognovit, prius ab alio corruptam; nec si duplex iniit matrimonium, sed alterum non consummavit; nec etiam, si duxit Virginem unicam, eamque postea vitiatam ab alio non cognovit. Nam cum hoc stat, quòd duxerit Virginem (scilicet non vitiatam ab alio) eamque unicam.

62 *Sequitur* 4. Clericum in minoribus, antequam contrahat bigamiam, gaudere privilegio fori quoad delictū in eo statu commissum, si primùm post illud factus sit bigamus. Nam in hoc spectatur semper status, in quo erat tempore delicti commissi; Sic Julius Clarus *in pract. crimin. §. fin. q. 36. n. 11.* Sanch. *l. 7. matr. D. 46. n. 4.*

63 *Sequitur* 5. Clericum, in minoribus constitutum, & conjugatum, amittere omnia privilegia Clericatûs non servatis conditionibus prædictis, sine omni prævia monitione, & sententia declaratoria Judicis; quia hæc privatio non est in pœnam delicti, sed ob defectum conditionis requisitæ, ut quis gaudeat ejusmodi privilegiis; ita Sanch. *l. 7. matr. D. 46. n. 19.* Et quamvis Clericus non conjugatus propter dimissionē habitus de jure antiquo *c. in audientia, de sent. ex com.* non amittat privilegiū Clericale, nisi post trinam monitionem; secus tamen est jure novo Trid. *sess. 23. c. 6. junct. declaratione S. Congreg. Concilii.*

64 Quæstio est, *an Clericus conjugatus, gaudens privilegio Clericali, vi hujus eximatur à jurisdictione Laica, non tantùm in criminalibus, sed etiam civilibus?* R. affirmativam censeri valde probabilem *ex c. unic. h. t. in 6.* ibi: *vel etiam pecuniariter nullatenus condemnari*; confirmari potest *ex c. 2. de foro compet.* ita Francus *in cit. c. unic. n. 4.* Cæterùm communior sententia est, quòd fori privilegio gaudeat non solùm in criminalibus, si agatur criminaliter ad vindictam publicam, sed etiam in civilibus, si de crimine civiliter ad pœnam parti læsæ applicandam; in merè civilibus autem, quòd non, ut patet *ex cit. c. unic. ibi: in cæteris autem eos gaudere nolumus privilegio Clericali*, scilicet in aliis non pœnalibus. *V. textum n. 56.* Hinc ejusmodi Clericus conjugatus pro debito conveniri potest per Judicem Laicum, imò capi, & detineri, ac tributis subjici. Sic Barbosa *in cit. c. unic. n. 10.* Sanchez *cit. l. 7. matr. D. 46. n. 16.*

Ad extremum nota, per privilegium ca- 65
nonis, de quo agitur *c. si quis Suadente, 17. q. 4.* intelligi privilegium, in statûs Clericalis, ac personarum ejus reverentiam, & immunitatem jure concessam, ut nimirum violentas manus injiciens in Clericum, excōmunicationem latæ sententiæ incurrat.

ARTICULUS VI.

Quo titulo Clerici in Sacris teneantur servare continentiam?

Quæstio est, *an obligatio, quâ tenen-* 66
tur Clerici Sacrorum ordinum ad continentiam servandam, sit ex mera constitutione Ecclesiæ, præcipientis continentiam illis? vel ex voto, quod Ecclesia annexuit ordini sacro? Quòd hæc obligatio sit ex Ecclesiæ constitutione, non jure naturali, vel divino positivo inducta, dicemus plurib. *lib. 4.* ubi de impedimento dirimente matrimonium ex solenni voto castitatis. Restat igitur solùm quæstio, *an ea obligatio sit ex Ecclesiæ præcepto directè præcipiente illis observantiam continentiæ* (qualiter præcipit audire missam diebus festivis) *vel immediatè ex voto castitatis tacitè emisso; & solùm mediatè ex Ecclesiæ constitutione, quatenus hæc præcipit, ut suscipiens Sacrum ordinem eo ipso promittat servare continentiam, seu, ut suscipiens Sacrum ordinem, velit eum recipere, quâ ratione id à talibus exigit Ecclesia.* Procedit autem quæstio ex se, & seclusâ ignorantiâ talis voti, aut voluntate contrariâ, de quibus casibus dicemus *infra à n. 75.*

Dictam obligationem esse *immediatè* 67
ab ipso præcepto; non autem voto, docuêre Sotus *in 4. dist. 37. q. unic. §. dico igitur, & plures alii*, quos refert Sanchez *l. 7. matr. D. 27. num. 9.* Quorum *ratio est.* 1. quia nullum extat præceptum, de voto castitatis emittendo à suscipientibus sacrum ordinem. 2. quia cùm *votum* sit lex privata, quam quisque suâ sponte sibimet imponit; eo ipso non est in Ecclesiæ potestate, voto aliquem obligare, quamvis lege suâ possit illi continentiam indi-

indicere. 3. suscipiens sacrum ordinem cum invincibili ignorantia voti annexi, vel expressâ voluntate non vovendi castitatem, nihilominus tenetur ad servandam castitatem; sed eo casu non tenetur ex voto, ut per se patet; ergo. 4. quià, licet, ut quis per contritionem perfectam justificetur extra Sacramentũ, tacitè saltem debeat velle observare omnem legem graviter obligantem; tamen ex tali voluntate nec tacitè *vovet* observantiam legum graviter obligantium; ergo licet, ut quis in susceptione Sacri ordinis tacitè saltem debeat velle observare, quidquid in ea susceptione observandum præcipit Ecclesia, tamen ex tali voluntate nec tacitè vovet observantiam castitatis.

68 *Altera sententia* probabilius docet dictam obligationem servandi continentiam, non consurgere *immediatè* ex constitutione Ecclesiæ, sed ex voto Ecclesiæ constitutione annexo susceptioni Sacrorum ordinum; ita sancta. *cit. n.* 10. & apud eum D. Thomas, Cajetanus, Waldensis, & plurimi alii. Ante probationem supponendũ, omnino verum esse, quòd Ecclesia decreverit, ut, promovendi ad ordinem *sacrum*, illud votum emittant. Mam. 1. De Gregorius, ut dicitur *c.* 1. *dist.* 28. id expressè præcepit, ibi: *nullum facere diaconum præsumant Episcopi, nisi, qui se victurum castè promiserit*; ubi glossa *V. promiserit*, dicit: *expressè*, vel *tacitè*; id quod etiam habetur in Synodo Anegran. *c.* 10. relatâ in *c. Diaconi, dist. eod.* ibi: *Diaconi quicunque si in ipsa ordinatione tacuerunt* (seu non sunt protestati, dicentes, se velle uxores habere, nec posse se continere) *& susceperunt manus impositionem, professi continentiam, si postea ad nuptias venerint, à ministerio cessare debebant*; idq; non ex alio capite, quàm quòd eo ipso continentiã ipso facto professi censeantur.

69 2. *Probatur* ex *c. Cum olim. 6. de Cleric. conjug.* Nam ibi expressè habetur: *nos attendentes, quòd Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit, quoniam Orientales in minoribus ordinibus contrahunt, & in superioribus utuntur matrimonio jam contracto*; qui textus clarè innuit, in Eccesia Latina, susceptioni Sacrorum ordinum Ecclesiæ constitutione annexum, seu præceptum esse votum continentiæ; licet contrarium permissum sit Ecclesiæ Orientali propter varias, & graves causas; & hoc quidem *solùm quoad usum matrimonii, ante susceptum sacrum ordinem contracti*; non autem, contrahendi post sacrum ordinem susceptum, ut liquet ex textu *in c. Cum olim*; ita Sanchez *cit. D.* 28. *n.* 5. ubi ponit discrimen inter Græcos, & Latinos, in Sacris constitutos, quòd illis licuerit post conjugium ad Sacros ordines ascendere, & uti matrimonio ante contracto, quod Latinis est interdictũ.

3. Quia obligatio, quam habent Clerici in Sacris ad servandam continentiam, expressè vocatur *votum in c. Vnico, de voto, in* 6. ibi: *Præsentis declarandum duximus Oraculo Sanctionis, illud solum votum debere dici solenne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solennizatum fuerit per susceptionem Sacri ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam, factam alicui de Religionibus, per Sedem Apostolicam approbatis.* Et *Extravag. Antiqua Joannis XXII. eod.* ubi dicitur, quòd *votum per susceptionem ordinis Sacri solennizatum non dirimat matrimonium prius contractum, etiamsi nondum esset per carnis copulam consummatum; secus, eo stante contractum.* Ex his enim textibus clarè sequitur, quòd Ecclesia tanquam certum supponat, in susceptione ordinis Sacri ex Ecclesiæ constitutione debere emitti votum continentiæ à Clericis Ecclesiæ Latinæ. 70

Confirmari potest dicta resolutio ex eo, quia in Concilio Toletano, 2. *c.* 1. ut habetur *c. de his, 5. dist.* 28. expressè præcipitur, ut Clerici minores *non admittantur ad Sacros ordines, nisi promissionem continentiæ suæ sponderint servaturos.* Textus sic habet: *de his, quos voluntas parentum à primis infantiæ annis Clericatus officio mancipavit, statuimus observandum, ut mox detonsi, vel ministerio Lectorum traditi, in domo Ecclesiæ sub episcopali præsentia à præposito sibi debeant erudiri. At ubi octavum decimum ætatis suæ compleverint annum, coram totius Cleri, plebisq; conspectu, voluntas eorum de expetendo conjugio ab Episcopo perscrutetur: quibus si gratia castitatis Deo inspirante placuerit, & promissionem castimoniæ suæ absq; conjugali necessitate sponderint servaturos; hi tanquam appetitores artissimæ viæ, levissimo Domini jugo subdan-* 71

dantur; ac primò Subdiaconatus ministerium habitâ probatione professionis suæ à vigesimo anno suscipiant. Quòd si inculpabiliter, ac inoffensivè vigesimum quintum annum ætatis suæ peregerint: ad diaconatus officium (si scienter implere posse ab Episcopo comprobantur) promoveri debent. Cavendum tamen est his, ne quando suæ sponsionis immemores, ad terrenas nuptias, aut ad furtivos concubitus ultra recurrant. Quod si fortè fecerint, ut Sacrilegii Rei ab Ecclesia habeantur extranei. Quibus autem voluntas propria interrogationis tempore desiderium nubendi persuaserit, concessam ab Apostolo licentiam auferre non possumus; ita ut cùm provectæ ætatis in conjugio positi, renuntiaturos se pari consensu operibus carnis sponderint, ad sacros ordines adspirent. Ubi adverte verba: *si promissionem continentiæ sponderint servaturos*; ergo *promittere* debebant servaturos se castimoniam prius, quàm ascenderent ad ordines sacros; item, cavendum, ne quando suæ sponsionis immemores ad terrenas nuptias ultra recurrant; ergo tenentur ex constitutione Ecclesiæ sponsionem facere de non contrahendis nuptiis; hæc autem sponsio, cùm Deo fiat de cœlibatu, cùm sit de statu perfectiori, votum est; ergo; quo posito.

72 *Probatur* data responsio: Quicunque efficaciter vult suscipere sacrum ordinem, juxta mentem Ecclesiæ, eo ipso, facto saltem, tacitè profitetur, seu promittit servare continentiam; ergo Clericus in Ecclesia latina ordinatus in Sacris, ex voto immediatè tenetur ad continentiam. *Ant. pat.* si enim nollet profiteri, vel promittere castimoniam; eo ipso non vellet *juxta mentem Ecclesiæ* suscipere sacrum ordinem; cùm mens, & voluntas Ecclesiæ illud ipsum præcipiat, nimirum profiteri, seu promittere continentiam. Conseq. etiam probatur, quia obligatio servandi continentiam ex voto, immediatè provenit à voto, non à præcepto vovendi, nisi in casu, de quo dicemus *à n.* 81.

73 Ad *rationes in contrarium*, & *ad* 1. N. antecedens ex dictis *à n.* 68. *ad* 2. R. verum esse, quòd votum sit lex privata, quam quisq; sibi sponte imponit; Ecclesiam tamen posse alicui præcipere, ut, si velit amplecti talem statum, sibi eam legem imponat; cùm enim relinquat absolutè ei liberum, suscipere, vel non suscipere illũ statũ, relinquit ei etiam absolutè liberum, sibimet imponendi, vel non imponendi eam legem privatam. Qui enim liberè amplectitur aliquem statum, ipso facto sibi imponit necessitatem, & obligationem eorũ omnium, quæ illi, etiam extrinsecè, statuto, vel consuetudine legitimâ annexa sunt, licet non pertineant ad substantiam talis status; ut est clausura, recitandi horas &c.

Ad 3. R. in hac quæstione, an voluntariè suscipiens ordinem sacrum, sed ignorans, annexam obligationem vovendi castimoniam, nihilominus teneatur ad continentiam? Patrem Sanchez *loco cit. n.* 11. dicere, quòd absq; controversia sit, ita initiatum teneri omnino continere, nec posse validè matrimonium inire, quòd Ecclesia potuerit justissimam de cœlibatu Clericorum legem indicere, atque eâ ligare quoscunq; in posterum promovendos, sive sciverint, sive ignoraverint prædictam legem; Sicut, quantumvis ignorent, tenentur officium recitare, & alias statutas leges observare; quamvis excusentur à culpa transgressionis, ut dicitur in materia de Legib. *l.* 1. *tit.* 2. *de Constit.* 74

Cœterùm quæstio major est, *an voluntariè suscipiens ordinem sacrum, sed ignorans ei susceptioni annexum votum continentiæ, nihilominus tacitè seu ipso facto voveat continentiam?* R. dupliciter fieri posse, quòd talis ignoret annexum votum; primò, quòd nec in particulari, nec in genere sciat illam annexionem. 2. quòd sciat saltem in genere, huic susceptioni annexa quædam onera, in quæ teneatur consentire, si sacrum ordinem velit suscipere eo modo, quo debet, ut licitè agat. Et si quidem hoc secundo modo suscipiat sacrum ordinem, teneri eum ad continentiam *ex voto immediatè*, præ aliis, approbat Sanchez *cit. n.* 11. *in fin.* pro eodem referens Cardinalem, *in dict. c. Cùm olim, h. t.* & Azor *l.* 13. *institut. moral. c.* 14. *q.* 10. sic enim non caret cognitione, quæ requiritur, ut volendo susceptionem sacri ordinis, velit etiam ex præcepto annexa ordinis susceptioni: sed inter ea est profiteri, seu promittere continentiam; ergo. 75

Difficultas est, *an scienter, & voluntariè suscipiens sacrum ordinem, sed penitus ignorans, annexionem voti, teneatur nihilominus ad continentiam ex voto imme-* 76

immediatè? vel solùm ex Ecclesiæ constitutione? ℟. quantum est ad forum externum, talem ignorantiam non præsumi probabilem, ut rectè notat Azor *cit. q.* 10. adeoque talem cogendum ad servandam continentiam tanquam debitam ex voto. Quoad forum autem conscientiæ in dicto casu respondent Vincentius, & Goffredus *in dict. c. cùm olim*, teneri ex sola constitutione Ecclesiæ, quorum opinionem ait esse verissimam Abbas *ibid. n.* 4. alii volunt idem in casu, quando ignorantia fuit invincibilis, & excusans; non autem secus; ita Sylvester V. *Matrimonium* 8. *q.* 12. *dicto* 2. alii demum volunt etiam in hoc casu teneri ex voto; qui consequenter supponere debent, etiam in dato casu tacitè votum emitti, eò quòd qui unum sciens, & prudens efficit, & vult, faciat, & velit subinde ei annexa, licet ea ignorârit, quam opinionem tenere videtur Sanchez *cit. n.* 11. licet ex ejus verbis meritò quis dubitet, an loquatur de penitus ignorante, sed quidquid de hoc sit.

77 Cæterùm si casus ponat, *penitus ignorari annexionem voti*, mihi videtur probabilius, eo casu in susceptione ordinis sacri nec tacitè emitti votum continentiæ; adeoque obligationem Continentiæ tunc non esse ex voto, sed Ecclesiæ constitutione immediatè. Nam, ut tacitè votum emittat volendo suscipere ordinem sacrum, debet aliquam saltem cognitionem, vel in particulari, vel in genere habere de obligatione vovendi castitatem, cui volens sacrum ordinem suscipere, velit se conformare, dum suscipit illũ ordinem: ergo si ponitur *penitus* hoc ignorare, volendo susceptionẽ ordinis, non vult annexum, penitus ignoratũ, quando istud nec formaliter, nec etiam antecedenter includit susceptio sacri ordinis.

78 Ad rationem numero præcedente allatam ℟. *cum dist.* qui unum sciens, & prudens vult, vult, & subinde facit ei annexa, si annexio nascatur ex objecto directè volito C. si solùm accedat ei extrinsecè, nego. Nam consentiens in objectum B. ex se non connexum cum termino A, non eo ipso per consensum in B. consentit in A. præsertim, si ponatur & annexio, aliunde nascens, & terminus aliunde añexus, penit⁹ ignorari.

79 *Neque dicas*: qui consentit in matrimonium, eo ipso saltem tacitè consentit in annexa matrimonio, & qui consentit in sponsalia, eo ipso consentit in impedimentum publicæ justitiæ; ergo similiter, ℟. eum, qui consentit in matrimonium, eo ipso saltem tacitè consentire in ei annexa annexione tenente se ex parte matrimonii, secundùm substantiam accepti; non autem annexione merè extrinseca substantiæ matrimonii, præsertim penitus ignoratâ. Deinde similiter negatur, consentientem in sponsalia quoad substantiam, consequenter consentire in impedimentum justitiæ publicæ, illis annexum solùm annexione extrinsecâ, nimirum ex dispositione Ecclesiæ, quæ omnino extrinseca est substantiæ sponsalium.

Instabis: ergo si quis consentiat in spon- 80
salia, penitus ignorans, annexum illis ex Ecclesiæ dispositione impedimentum publicæ justitiæ, non contrahet hoc impedimentum. ℟. *N. illatum.* Nam hoc impedimentum (quod est inhabilitas ad contrahendum matrimonium validè, non pœnalis) nullo modo pendet à nostra voluntate, vel expressa, vel tacita; sicut nec inhabilitas ad matrimonium, quæ nascitur ex susceptione ordinis, nascens immediatè ex Ecclesiæ præcepto servandi continentiam; secus est, si sermo sit de illa inhabilitate ex susceptione ordinis vi tacitè emissi voti. Nam inhabilitas illa ex voto non est omnino independens à nostra voluntate. Et ideo in hoc casu Clericus, qui voluntariè susceptũ ordinem sacrum, penitus ignorans, debere se profiteri, seu vovere continentiam, erit quidem inhabilis ad validè contrahendum matrimonium; sed immediatè ex Ecclesiæ præcepto; non autem ex voto. Ex quo patet responsio *ad* 3. *argument. in n.* 67.

In hujus confirmationem juvat, quod 81
docet Sanchez *loc. cit. n.* 12. ubi ad hanc quæstionem, *an voluntariè promotus ad Sacros ordines, qui in promotione habuit expressam intentionem minimè se ad continentiam obligandi, tunc teneatur ex voto?* respondet, loquendo de foro animæ, ubi verè adfuit animus non obligandi se ad continentiam, ex sola Ecclesiæ constitutione teneri sic promotum ad continentiam servandam, & abstinendũ à matrimonio. Nam licet ad cætera præceptà, & onerà Ordinibus annexa possit Ecclesia sponte ordinatos adstringere, velint, nolint; secus tamen est de voto. Id enim ejus naturæ prorsus repugnat, utpote, quæ est, *esse legem privatam, quam quisque sibimet imponit.* Sic ille.

Ad 4. *ibidem* ℟. *C. ant. N. conseq.* di- 82
sparitas clara est; quia nullibi præceptum

est, ut quis volens justificari per contritionem, voveat observantiam præceptorum graviter obligantium; sed tantùm ut habeat *firmum propositum*; aliàs taliter justificatus; deinde transgrediens aliquod grave præceptum, dupliciter peccaret, & contra illud præceptum, & contra votum; quod tamen non bene dicitur: at extat præceptum, ut volens licitè, ac ad mentem Ecclesiæ susçipere sacrum ordinem, *voveat* continentiam: ergo paritas non tenet.

83 Neque dicas, hanc quæstionem, an obligatio Clericorum ad continentiam servandam immediatè nascatur ex voto, vel immediatè ex solo Ecclesiæ præcepto, in praxi parum utilitatis habere in ordine ad rem moralem. R. enim negando dictum. Rationem dat Sanchez *cit. l. 7. matr. D. 27. n. 9.* Nam si obligatio illa est immediatè ex præcepto, valebit dispensatio etiam sine causâ dicta; secus, si immediatè *ex voto*.

Si dicas: ergò dispensatus sine causa in 84
tali voto, non contrahet validè. R. *negando illatum*; & dico in utroque casu dispensationis sine causâ concessæ validè contrahi matrimonium; in utroq; casu per ejusmodi dispensationem, sine causâ concessam, tollitur obex invalidans matrimoniũ à taliter dispensato contractum; & 1. *quidem*, si dicas, eam nasci ex præcepto Ecclesiastico immediatè; ut jam diximus; cùm lex Ecclesiastica *validè* tollatur dispensatione data etiam sine causa; *Secundò* etiam si dicas eam nasci immediatè ex voto; hoc enim vim invalidandi matrimonium post contractũ habet solùm ex solennitate, quæ est juris tantùm Ecclesiastici; hoc autem etiam tollitur dispensatione, quamtumvis sine causa. Et ideo taliter dispensatus *in solennitate* voti, validè contrahet matrimonium; sed eo contracto non licitè petet debitum, propter votum tali dispensatione non sublatum.

QVÆSTIO IV.

IN TIT. IV. DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS IN ECCLESIA, VEL PRÆBENDA.

85 HOc titulo agitur de obligatione Clericorum, obtinentium Ecclesias, seu beneficia, in ordine ad Residentiam, quatenus eâ, ut debent, præstitâ, vel non præstitâ illis concessum, aut interdictum est, beneficiorũ fructus annuos percipere. Supponendum autem *Residentiam* apud Latinos esse firmam quietem, & stationem: nam derivatur à verbo *Residere*, quod est quiescere, & firmiter stare: apud Sylvestr. *V. eod. n. 1.* importat ex vi nominis jugem, & penè continuam sessionem, quasi iterata sessio. Juxta Gofredum *in proposito* sic definitur: *est personalis officii solutio in proprio beneficio.* Hinc *residere in Ecclesia*, est personaliter in ea servire beneficio, & ejus curam habere. Quarè ex duobus dicitur Clericus *non residere*. 1. si non assistat personaliter. 2. si assistens personaliter, non deserviat beneficio. V. Less. *l. 2. c. 34. d. 29.* & Azor. *p. 2. l. 7. c. 3. & 4.* Ex hoc sequitur, residentiam aliam esse *merè materialem*, cùm quis quidem assistit, seu cum aliis est in loco Ecclesiæ, vel beneficii, sed non servit Ecclesiæ, seu non agit, quæ sui muneris sunt, & officii, propter quod habet beneficium; aliam *formalem*, cùm quis assistit, & servit; quod quidem fit *dupliciter*. 1. si personaliter assistat, & serviat, quo casu dicitur residere formaliter *verè*; 2. si autem ex legitima causa non assistat personaliter, nec serviat, & tamen juris dispositione, seu fictione habetur pro præsente in ordine ad juris effectûs residentiæ veræ concessos, dicitur residere *fictè*; Sic Barbosa *ad Rubric. hujus tituli, n. 9.*

ARTICULUS I.

Quæ beneficia obligent ad Residentiam?

NOn est dubium, plura esse beneficia, 86
quæ jure etiam naturali exigunt, ut beneficiatus vel per se, vel per alium resideat in loco beneficii, & ea peragat, quæ sunt officii, propter quod habet beneficiũ, quando inter actiones per officium importatas, vel omnes, vel aliquæ sunt, quæ fieri debent in loco beneficii. Et hæc obligatio nascitur ex contractu oneroso tum Ecclesiæ, ut beneficiato constituat jus percipiendi reditus annuos ex bonis pertinentibus ad ipsam; tum Beneficiato, ut vicissim præstet offi-

officium; ubi tamen nota obligationem residendi aliam esse solùm sub conditione, si velit percipere fructus beneficii; aliam verò simpliciter, & absolutè; quâ Beneficiatus per seipsum personaliter, & non per Substitutum, Ecclesiæ debet præstare servitiũ, ad quod ratione redituum suorum obligatur quibus positis.

87 Circa præsentem quæstionem plures sunt dispositiones juris. *Primò* enim *in c. Exgestis, 2. h.t.* refert Leo IV. Summus Pontifex, quòd in Synodo Romana Anastasius Presbyter Cardinalis tit. B. Marcelli, *ab omnibus Canonicè sit depositus*; eò quòd parœciam suam per annos quinque, contra Canonum institura deseruerit, & in alienis usque hodie demoretur. *Secundò* in *c. quia nonnulli, 3. eod. ex Concilio Lateran.* statutum habetur: ut, cùm Ecclesia, vel Ecclesiasticũ ministerium alicui cõmitti debet, *talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus per seipsam valeat exercere.* Quod si aliter actũ fuerit: & qui receperit, quod contra Sacros Canones accepit, amittat: & qui dederit, largiendi potestate privetur. *Tertiò* in *c. Relatum. 4. eod.* ubi Alexander III. Eboracensi Episcopo rescribens, decernit. 1. ut præsentatus ad Ecclesiam, nondum confirmatus, non instituatur, *si apparet, quòd nolit residere*; si autem jam sit confirmatus, & ex causa non justa non resideat, privetur appellatione remotâ, id, quod etiam procedit, licet beneficium sit modicæ æstimationis (v.g. 20. solidorum) ut dicitur *c. Conquerente, 6. h.t.* ubi rationem dat Pontifex, quòd sit *indecens, & non consentaneum rationi*, ut idem B, cùm alia Ecclesiastica beneficia sibi sufficientia habeat, & possideat, ab Ecclesia, *cui non deservit*, beneficia quærat.

88 His accedit decretum Concilii Trid. *sess. 2. de Reform. c. 2. ibi: statuit, & decrevit Sancta Synodus, omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & omnes alios Ecclesiarum Prælatos teneri per se ipsos, si legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum Sanctum Jesu Christi Evangelium: Si verò contigerit Episcopos, & alios prædictos legitimo detineri impedimento: juxta formam generalis Concilii viros idoneos assumere teneatur ad hujusmodi prædicationis officium salubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtæ subjaceat ultioni.*

89 Deinde loquens de aliis, à prædictis, subjungit: *Archipresbyteri quoque plebani, & quicunque Parochiales, vel aliàs curam animarum habentes Ecclesias, quocunque modo, obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitimè impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & Festis solennibus, plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cũ brevitate & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare; & virtutes, quas spectari oporteat: ut pœnam æternã evadere, & cœlestem gloriã consequi valeant.*

Et quoniam aliqui, titulo exemptionis, 90
dum ab Ordinariis ad præstandum Ecclesiis suis debitum ministerium, se subducere volebant, etiam de his ita statuit. 1. *id verò, si quis eorum præstare negligat. etiam si ab Episcopi jurisdictione quavis ratione exemptum se esse prætenderet: etiamsi Ecclesiæ quovis modo exemptæ dicerentur, aut alicui monasterio, etiam extra diœcesim existenti, forsan annexæ, vel unitæ, modò re ipsa in diœcesi sint, provida pastoralis Episcoporum sollicitudo non desit, ne illud impleatur.* Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis: *itaque ubi ab Episcopo moniti; trium mensium spatio, muneri suo defuerint, per censuras Ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur, ita, ut etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præstet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat.*

Secundò, si Parochiales Ecclesiæ reperi- 91
antur subjectæ monasteriis in nulla diœcesi existentibus, *si Abbates, & Regulares Prælati in prædictis negligentes fuerint*, à Metropolitanis, in quorum provin. ciis diœceses ipsæ sitæ sunt, *tanquam quoad hoc, Sedis Apostolicæ delegatis*, compellantur, neque hujus decreti executionẽ consuetudo, vel exemptio, aut appellatio, aut reclamatio, sive recursus impedire valeat, quousque desuper à competenti judice, qui summariè, & solâ facti veritate inspectâ procedat, cognitum, & decisum fuerit; his præmissis.

Quæres. 1. *An omnia beneficia vel ex* 92
natura rei, vel saltem dispositione, juris exigant residentiam formalem? R. negativè cum Zoësio *h.t. n. 3. ex Trid. sess. 6. c. 2. de reform.* ubi dicitur, *obtinentes beneficia residentiam personalem de jure, vel*

con-

consuetudine requirentia cogendos esse residere; nisi autem darentur *aliqua* residentiã non requirentia frustra fieret mentio illorum, *quæ residentiam requirunt*; ejusmodi beneficia sunt, quæ beneficiato non imponunt onus, nisi recitandi horas, vel similes obligationes, quibus satis fieri potest per actionem quoad substantiã executioni datam, etiam extra locũ beneficii.

93 Quæres. 2. *quæ beneficia in specie requirant residentiam formalem?* R. quòd omnia beneficia, quæ habent annexam dignitatem, vel curam animarum. *Probatur.* 1. ex *c. quia nonnulli*, cujus verba retulimus *n.* 87. quod loquitur de quovis beneficiato habente Ecclesiam cum Ecclesiastico ministerio. *Probatur.* 2. ex *c. Relatum*, pariter allato supra *n.* 87. *Tertiò* ex *c. Ex parte*, 8. *eod.* ubi sermo est de Decano Ecclesiæ; c. *qualiter* 9. *eod.* ubi agitur de Archiepiscopo, & *c. Ex gestis*, 2. *eod.* ubi de Cardinale non residente; id, quod etiam constat ex ipso *Tridentino*; *relato superius à num.* 88.

94 *Not. autem.* 1. dictam resolutionem procedere non tantùm de dignitatibus Ecclesiasticis strictè sumptis, sed etiam de Personatibus, de habentibus Administrationem, vel Officium Canonicum, vel præbendam in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, ut sunt Portionarii, vel Assisii &c. ut colligitur ex *c. quia nonnulli*, 3. *h. t. & c. cum ad hoc*, 16. *eodem*, quod capitulum loquitur de casu, quo Ecclesia ex Clericorũ absentia patitur defectum Ministrorũ. Nam tali casu Gregorius IX. statuit, *etiam privilegiatos super absentia* per subtractionẽ proventuũ redirẽ cogi posse.

95 His addi potest, quod statuit Tridentinum *sess.* 2. *de Reform. c.* 2. de quo *a n.* 88. & *sess.* 6. *c.* 1. ubi sic loquitur: *Si quis à Patriarchali, Primatiali, Metropolitana, seu Cathedrali Ecclesia sibi quocunque titulo, causa, nomine, seu jure commissa, quacunque ille dignitate, gradu, & præeminentiâ præfulgeat, legitimo impedimento, seu justis, & rationabilibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam diœcesim morando abfuerit, quartæ partis fructuum unius anni, fabricæ Ecclesiæ, pauperibus loci per superiorem Ecclesiasticum applicandorum, pœnam ipso jure incurrat. Quodsi per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum, similiter applicandam ab ipso, amittat. Crescente verò contumacia ut severiori sacrorum canonum censuræ subjiciatur, Metropolitanus, Suffraganeos Episcopos absentes; Metropolitanum verò absentem, Suffraganeum Episcopus antiquior, residens, pœna interdicti ingressûs Ecclesiæ eo ipso incurrenda, infra tres menses per literas, seu nuntium Romano Pontifici denuntiare teneatur: qui in ipsos absentes, prout cujusque major, aut minor contumacia exegerit, supremæ Sedis auctoritate animadvertere, & Ecclesiis ipsis de Pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire.*

Et *c.* 2. *eod. sess.* 6. *de Reform.* Episcopis 96
inferiores, *quævis beneficia Ecclesiastica, personalem residentiam*, de jure, sive consuetudine exigentia, in titulũ, sive commendam *obtinentes, ab eorum Ordinariis*, quemadmodum eis pro bono Ecclesiarum regimine, & divini cultus augmento, locorum, & personarum qualitate pensatâ, expediens videbitur, *opportunis juris remediis residere cogantur:* nullique privilegia, seu indulta perpetua *de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis, suffragentur.* Indulgentiis verò, & dispensationibus temporalibus, ex veris & rationabilibus causis *tantum* concessis, & corã Ordinario legitimè probandis, in suo robore permansuris; quibus casibus nihilominus officiũ Episcoporũ, *tanquam in hac parte à Sede Apostolica delegatorum*, providere, ut per deputationem idoneorũ Vicariorum, & congruæ portionis fructuũ assignationẽ, cura animarũ nullatenus negligatur: *nemini quoad hoc, privilegio, seu exemptione quacunque suffragante.*

Ne verò ea, quæ de residentia sanctè, & 97
utiliter jam antea sub fel. rec. Paulo III. sancita fuerunt, in sensûs, à Sacrosanctæ Synodi mente alienos, trahantur, ac si vigore illius decreti quinq; mensibus continuis abesse liceat: illis inhærende, declarat Sacrosancta Synodus, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclesiis quibuscunque, quocunque nomine, & titulo præfectos *etiamsi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint*, obligari *ad personalem in sua Ecclesia, vel diœcesi residentiam*, ubi injuncto sibi officio defungi teneatur, neque abesse posse nisi ex causis, & modis infra scriptis.

Denique *sess.* 24. *c.* 12. ait: *Prætereà ob-* 98
tinentibus in iisdem Cathedralibus, aut Collegiatis dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses, ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt.

Not.

99 *Not.* 2. Lessium *l.* 2. *de just. c.* 34. *d.* 33. *à n.* 185. Pirhing *h. t. n.* 6. & alios, annotare, postremum hoc decretum in multis Ecclesiis, præsertim Germaniæ, non esse usu receptum; quia alicubi *tantùm medio anno*; alibi *tribus tantùm mensibus* Canonici residere coguntur ad lucrandos fructus grossos, imò in quibusdam Ecclesiis Canonici, qui solùm *uno certo die in anno* residunt, & divinis interfunt, totius anni fructus lucrantur; & amplius addit: nec esse receptam prædictam Trid. constitutionem in plerisque Ecclesiis, ut Canonici *per se ipsos* psallant, & divina officia peragant, sed solùm per Vicarios; & hanc consuetudinem approbari à Lessio *cit.* volente, sufficere, ubi divinum officium cantu figurato peragi solet, cantum fieri à Vicariis, *si Canonici, tanquam majores Clerici reverenter iis interfint.*

100 Quæres 3. *an etiam quodlibet beneficium simplex exigat residentiam formalem?* affirmativam, quantum est de jure communi, sequitur Barbosa *in c.* 3. *h. t. n.* 3. licet sit modicæ æstimationis, per *c. Conquerente 6. eod.* quod retulimus *supr. n.* 87. quod tamen loquitur solùm de casu, si aliunde habeat alia beneficia, sibi sufficientia, Sed contrarium dicendum est *ex dict. n.* 92. Deinde licet hoc foret de jure communi; contrarium tamen habet consuetudo, ut communiter docent Authores; nisi Fundator id exegerit expressè in fundatione. In dubio tamen, an beneficia simplicia requirant residentiam formalem? censet *h. t. n.* 2. Zoësius, præsumendum affirmativè, sed jure solùm Ecclesiastico.

ARTICULUS II.

Quo jure Beneficiati ad residentiam obligentur?

101 TRidentinum *Sess.* 23. *de reform. c.* 1. sic loquitur: *Cùm præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, si gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: Sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio, & veritate pascant, & regant.* Ubi ex contextu satis clarè colligitur, Concilium (seclusâ justâ causâ absentiæ) loqui de *residentia personali.* Teneri autem per se, vel substitutum, etiam jure naturali, ex eo est, quia quæ suis ovibus debent ex officio, sine illa præstari, ut debent, non possunt; ita Zoësius *de Clericis non residentibus, n.* 2. Nam hoc fine recipiunt decimas, terrena metunt, ut spiritualia ministrent; cùm detur beneficium propter officium, *c. fin. de rescript. in 6.* Et ideo consuetudo sub annuo censu committendi aliis Ecclesias regendas, dicitur *enormis*, & improbatur *c.* 3. *ne Prælati vices suas &c.*

Ex dictis sequitur, Beneficiatos, etsi 102
non teneantur jure naturali; & divino *per seipsos* præstare officium, propter quod habent beneficium, *si aquè bene illud peragant per substitutum*; teneri tamen jure Ecclesiastico, seclusâ causâ excusante non modò assistente in loco beneficii, sed etiam per se ipsos officio fungi, ut patet ex verbis Concilii Tridentini, & juribus citatis: quia tamen in multis locis non est eadem consuetudo circa hæc ipsa ministeria beneficiorum, quæstio fieri potest, *an obligatio residentiæ formalis, seu assistendi, & serviendi per se ipsum contrariâ consuetudine abrogari possit?* Qua in re *R.* nullâ consuetudine abrogari posse obligationem residendi formaliter, quæ est juris naturalis, & divini; quia nulla consuetudo vim aliquam habere potest contra jus naturale vel divinum, per consuetudinem tamen immemorialem, ac ex legitima causa inductam, fieri posse, ut in iis sufficiat residentia ficta, scilicet per alium, qui *æquè bene* præstet debitum ministerium; Sic Abbas, Navar. & Laymen. apud Pirhing *hìc n.* 14. Ratio est ex dict. *l.* 1. *tit.* 4. *de Consuetud.* Nam jus humanum contrariâ consuetudine, legitimè præscripta, abrogari potest; ergo ubi obligatio assistendi, & serviendi per se ipsum nascitur ex jure solùm humano, contrariâ consuetudine abrogari potest; & induci, ut servitium præstetur solùm *per Vicarium*, dummodo per hoc Ecclesia non patiatur

defectum ministrorum, & cultus divinus non minuatur.

103 Et quamvis consuetudo in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, *serviendi per substitutum*, sublata sit à Trid. *sess.* 24. *de Reform. c.* 12. *ibi: Omnes verò divina per se, & non per Substitutos, compellantur obire officia*; hoc tamen Tridentini decretum non ubique usu receptum est, ut dixi *n.* 99. & non loquitur de *consuetudine immemoriali*, quæ cæteroquin ex communi usu exprimi solet, quando ei per contrariam constitutionem derogatur. Advertendum tamen, diuturnam consuetudinem, quâ sublata est obligatio residendi, posse tolli contrariâ consuetudine per 10. annos ex *gl. in c. fin. V. Consuetudo, de consuetud. in* 6. quia per hanc reditur ad jus commune, in dubio autem, an beneficium exigat personalem residentiam? præsumi affirmativam, *c. cùm dilectus*, 8. *de consuet. junct. Gl. V. Jure communi*; idque propter favorem juris communis. Nam in dubio secundùm jus commune interpretatio facienda est.

104 Si quæras, *an consuetudine induci possit, Beneficiatus nec per se, nec per Substitutum deservire teneatur?* affirmativam videtur sequi Pirhing *h. t. n.* 15. Si nimirum Ecclesia non destituatur suis Ministris ad divinum cultum necessariis, volens id colligi ex *c. Cùm omnes*, 6. *de Constitut.* & dictum illud: *Beneficium datur propter officium*, intelligendum esse cum distinctione, ut non procedat, si velit dari beneficium, propter *solum* officium, sed vel propter hoc, vel propter assumptum Clericalem Statum, quo assumptus est in sortem Domini; cùm hoc ipso deserviat Ecclesiæ universali.

105 Textus in *c. Cùm omnes*, sic habet: *Ad audientiam nostram pervenit, quòd Trecenses Canonici novum fecerunt in Trecensi Ecclesia constitutum, ut eis tam in præsentia, quàm in absentia reditus suos ex integro percepturi, qui in eadem Ecclesia post illam constitutionem fuerunt, vel de cætero fuerint instituti, reditus in absentia non percipiant, sed tunc solùm, cùm fuerint residentes: cùm secundùm Trecensis Ecclesiæ consuetudinem omnes in hoc consueverunt esse pares. Statuerunt etiam, ut (cùm singulis præbendis annexæ sint vineæ) ipsis suas, dum vixerint, possidentibus, vineæ decedentium ad Successores non transeant, sed proventus earum inter singulos dividantur.* Quo posito addit Pontifex: *Cum igitur, quod quisque juris in alterum statuit, ipse debeat uti eo, & sapientis dicat auctoritas: Patere legem, quam tu ipse tuleris: mandamus, quatenus antiquos Canonicos junioribus, & juniores in perceptione fructuum tam præbendarum, quàm vinearum coæquetis antiquis, secundùm priorem consuetudinem usque ad tempus prædictæ constitutionis servatam, vel secundùm rationabilem institutionem inposterum observandam.*

Ex hoc textu sequitur, irritam esse 106
consuetudinem alicujus Collegii, etiam à majori parte illorum, qui sunt de Collegio, inductam in privatum ipsorum commodum; cujus ratio est; quia cùm consuetudo legitima *pro lege* recipiatur, necesse est, quòd non minus directè ordinetur in *commune commodum*, quàm ipsa lex, ut diximus *l.* 1. *tit.* 2. *de Constit.* ergo ubi non ordinatur directè in eum finem, *pro lege* recipi non potest, & inanis est; ergo nisi causa, propter quam nec per substitutum deserviens, nihilominus reciperet fructus beneficii, sit commodum universalis Ecclesiæ, & commune bonum ejus, nullâ consuetudine induci potest; ut Beneficiatus sui beneficii fructus percipiat, esto nec per se, nec substitutum deserviat; ita sentire videtur Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 3. *q.* 2.

Ex hoc autem præcisè, quòd quis 107
assumptus sit in sortem Domini, seu quod idem est, *quod Clericus factus sit*, non videtur alicui posse constitui jus annui reditus ex bonis Ecclesiæ datis piâ fidelium contributione, ac fundatione, ut inde per divina ministeria Clericorum DEI cultus in Ecclesiis, & animabus celebretur, ac promoveatur, etiamsi talis Clericus nihil laboret, nisi aliud exigeret commune bonum divini cultus, prout evenit, ubi adest excusans causa ex illis, de quibus dicemus *à n.* 114. Unde talis consuetudo satis apertum periculum induceret, non implendi pias Fidelium voluntates, & minuendi divinum cultum ex eorum intentione debitum, quod utique valde damnosum foret Ecclesiis.

Præter dicta notandum, diuturnam 108
consuetudinem, quâ sublata est obligatio residendi *formaliter, verè*, posse tol-

li con-

li contrariâ consuetudine per 10. annos. Sic *Gl. in c. fin. V. Consuetudo*, de *Consuetud. in 6.* quia sic per istam reditur ad jus commune. Cæterum in dubio, an beneficium exigat residentiam formalem *veram* seu personalem præsumitur affirmativa, juxta *c. dilectus*, 3. *de Consuetud. junct. Gl. V. jure communi*; idque propter favorem juris communis, cum indubio fieri debeat interpretatio secundùm jus commune.

109 *Not.* 2. Consuetudinem sub annuo censu committendi aliis ejusmodi Ecclesias curatas, dici enormem, & improbari *c.* 3. Ne Prælati Vices suas. Et ideo ejusmodi beneficia curata *iis tantùm* conferri debere, qui personaliter residere possunt, & volunt, *c.* 4. *h. t.* excepto casu *c. Extirpandæ*, *§. qui verò*, de præbend. ubi dicitur, quòd habens Canonicatum, cui *accessoriè*, & *perpetuò* annexa sit *parochialis*, debeat residere in Canonicatu. Cùm enim beneficiati ex suis beneficiis percipiant annuos reditus in suæ personæ commodum, æquum omnino est, quòd iisdem debeant præstare suæ personæ ministerium, cujus causâ ipsi habent beneficium.

110 *Not.* 3. Quamvis Beneficiati ad residentiam formalem in suis Ecclesiis, secundùm dicta teneantur; concedi tamen illis, quòd quovis anno ad certum tempus, ex justa causa abesse possint. Nam *Episcopis* quot annis (vel continuè, vel discretè computando tempus) à suis Ecclesiis abesse licet *duobus*, *vel ad summum tribus mensibus*, dummodo id fiat ex æqua causa, & sine gravi detrimento gregis, ita *Trid. Sess.* 23. *c.* 1. ubi tamen monet, ne hæc absentia fiat *in adventu*, *quadragesima*, aut *tempore Nativitatis*, *Resurrectionis*, *Pentecostes*, & *Corporis Christi*, nisi cura diœcesis aliò vocaret.

111 *Not.* 4. *Parochis*, & aliis *Curatis* indulgeri pro absentia tempus *bimestre*, ultra verò non, nisi ex gravi causa per Episcopum prius cognita, & probata, & discedendi licentiâ, gratis concedendâ, obtentâ. In casu tamen, quo cum ejusmodi licentia discedunt, teneri loco sui Vicarium idoneum, ab Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquere. *Trid. loc. cit.*

112 *Not.* 5. Cùm in Tridentino non exprimatur, dubitari, an Parochi & Curati egeant Episcopi licentiâ etiam in casu solius absentiæ *per bimestre?* R. affirmativam teneri à Lessio, Garcia, & Piasecio apud Pirhing *hìc n.* 20. probabilius tamen negari à Navarro in Manuali *c.* 25. *n.* 51. quia ad tempus illius absentiæ jam habent licentiam *legalem*, seu concessam à lege; quamvis Layman *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 6. *n. ult.* dicat, securissimum esse, cujusque diœcesis statutum, vel consuetudinem sequi. Ut absentia Parochis concessa per bimestre sit ex justa causa, non requiritur, quòd sit causa gravis, sed sufficit, quòd sit causa honesta, v. g. honestæ recreationis, visitandi propinquos, peregrinationis. Sic Layman *cit.* Cæterùm tempus absentiæ an longum, an breve sit? æstimatur diversimodè respectu diversorum locorum, personarum & statutorum. Sic absentia trimestris respectu Episcoporum est tempus breve, longum respectu Parochorum; uti colligitur ex *Trid. cit.*

113 *Not.* 6. Canonicis, vel aliis habentibus dignitates, præbendas, aut portiones in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, jure Tridentini non licere abesse à suis Ecclesiis *ultra tres menses*, ut dicitur *sess.* 24. de *reform. c.* 12. quod tamen accipe, nisi alia sit consuetudo legitimè inducta, nec jure reprobata, secundum ea, quæ diximus superius.

ARTICULUS III.

De causis excusantibus ab obligatione residendi.

114 TRidentinum *sess.* 23. *de Reform. c.* 1. postquam ea, quæ retulimus *à n.* 96. de Residentia, statuit, de causis excusantibus ita loquitur: Cùm Christiana Charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent, & exigant, decernit eadem Sacrosancta Synodus; has legitimæ absentiæ causas, à Beatissimo Romano Pontifice, aut à Metropolitano, vel, eo absente, Suffraganeo, Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse approbandas, nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus, & Reipub. officium Episcopatibus adjunctum; cujus, quoniam causæ sunt notoriæ, & interdum repen-

repentinæ, nec eas quidem significari Metropolitano necesse erit; ad eundem tamen cum Concilio provinciali spectabit indicare de licentiis à se, vel Suffraganeo datis, & videre, nequis eo jure abutatur; &, ut pœnis canonicis errantes puniantur. Intereą meminerint discessuri, ita ovibus suis providendum, quantum fieri poterit, ut ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant.

115 Per *Christianam caritatem* intelligitur titulus auxilii necessarii de salute periclitantis animæ; per *urgentem necessitatem* incursiones hostium, aëris intemperies, aut pestis sæviens, corporis infirmitas non curabilis in loco Parochiæ, capitales inimicitiæ cum loci Domino. Per *debitam obedientiam*, mandatum Papæ, ut sit in ejus obsequio pro bono Ecclesiæ: per *evidentem utilitatem Ecclesiæ, vel Reipubl.* ut, cùm venire teneatur ad Synodum generalem, provincialem, vel diœcesanam; aut abesse debet, ut defendat jura Ecclesiæ suæ, vel diœcesis; vel cùm debet esse legatus, seu Orator Principis secularis, ut notat Barbosa in *cit. loc. Trid. n.* 10. ut fungatur munere Cameræ Præsidis, vel Supremi Cancellarii in Curia Regis, vel Principis secularis, si alii satis idonei non reperiantur; hoc enim pertinet ad utilitatem reipub. Christianæ; ita Pirhing de *Cler. non resid. n.* 39. quæ tamen accipe secundùm ea, quæ notabimus in seqq.

116 Quæstio igitur est. 1. an Beneficiatis, sine jactura fructuum, liceat à suis beneficiis abesse *studiorum causâ*? R. de hoc agi *c. fin.* de Magistris, ubi Honorius III. statuit, quòd docentes in Theologica facultate, *dum in scholis docuerint*; & *studentes in ipsa*, integrè per annos quinque percipiant de licentia Sedis Apostolicæ proventus præbendarum, & beneficiorum suorum, non obstante aliqua contraria consuetudine, vel statuto, cùm denario fraudari non debeant, in vinea Domini operantes. Ubi tamen nota, textum loqui de fructibus, seu proventibus *præbendarum*, & *beneficiorum*; non de *distributionibus quotidianis*; nam hæ non veniunt nomine fructuum ex beneficiis, ut dicemus infra; excipe nisi præter illas non haberent aliquid ex beneficio suo.

Circa istud privilegium *not.* 1. ad hanc 117
absentiam non requiri licentiam Episcopi, vel Prælati; cùm sit privilegium jure communi concessum tam studentibus, quàm docentibus. Sic *Gl. in cit. c. V. licentia.* Si tamen beneficiatus docens, vel studens sit *Curatus*, Episcopo insinuari debet, ut de idoneo Vicario provideat. Navarr. in Manual. *c.* 25. *n.* 125. quamvis Glossa in *c. Relatum* de Cleric. non *Resid.* 5. *Prælatorum*, censeat, requiri licentiam Episcopi, si beneficiatus, ratione aliorum studiorum, quam Theologiæ, aut Juris Canonici, abesse velit cum jure, etiam in absentia percipiendi reditus sui beneficii.

Not. 2. Episcopos & similes Prælatos, 118
cum obtinentibus beneficia Parochialia dispensare posse *ad septennium causâ studii literarum*, etiam *Grammaticæ*, aut *alterius facultatis*, c. *cum ex eo*, 34. *de Elect. in* 6. *junctâ Gl. V. Literarum*, & hoc, quòd aliàs sublatâ studiorum opportunitate in grande universalis Ecclesiæ (quæ ad sui regimen Viris literatis permaximè noscitur indigere) dispendium, & jacturam cederet; ex quo clarè apparet hìc attendi maximam Ecclesiæ utilitatem, cujus grandem jacturam subit, ubi destituitur Viris literatis. Et hæc facultas dispensandi etiam locum habet cum obtinentibus beneficia simplicia, cùm hoc sit minus priore. Abbas in *c. Tuæ h. t. n.* 6. & hæc facultas non sit odiosa.

Not. 3. Privilegium etiam absentibus *studiorum causâ* concessum, ut etiam in absentia percipiant fructus, intelligi de absentia *studiorum causâ cum effectu*, adeoque solùm si verè studeant, & hoc titulo absint. Hinc non sufficit, quòd sint *in loco studiorum*, si non frequentent, sed tempus ludicrè perdant, rebus aliis vacando, spatiando, ludendo. Minus sufficit, si subtitulo studiorum absint à beneficiis, & loco Scholæ vagentur per villas, castella, & alia loca, ubi non est competens ullum exercitium earum literarum, seu studiorum, quorum titulo, vel prætextu absunt; sic enim intercedit dolus, qui nemini patrocinari debet. Et ideo etiam Scholares qui non frequentant, vel non studeant, non gaudent privilegio Scholarium, de quo alibi, sic *Abb. in c.* 1. *de Judic. n.* 39. *c. generaliter.* 16. *q.* 1. quia cessante

cessante causâ finali, cessat beneficium, & indulgentia.

119 *Not.* 4. quosdam affirmare, requiri ad hoc privilegium, quo quis studiorum causâ absens lucratur fructus beneficii, quòd studeat in Universitate, seu loco studii *generalis* & *publici*, sed contrarium probabilius est spectato jure Canonico. Nam in *c. Tuæ 12. h. t.* solùm dicitur, quòd non gaudeant privilegio lucrandi fructus in absentia studiorum causâ, qui *in fraudem* se prætextu studiorum conferunt ad talia loca, *in quibus nullum, vel saltem non competens est exercitium studiorum*; cæterùm si studerent in loco, ubi studia vigent, licet non foret Academicus, privilegium tenet; quia *non Cathedra facit Magistrum, sed Magister Cathedram.* Sic Abbas *in cit. c. Tuæ n. 4.*

120 Quæstio altera est, an, & qualiter excuset obedientia? ut, si contingat, Beneficiatum evocari ad obsequium Papæ in Romana Curia? vel Episcopi, cujus ministerio deservire debeat? R. de primo casu extare *c. Cum dilectus 14. h. t.* ubi Honorius III. scribens ad Capitulum Metense, sic loquitur: cùm dilectus filius M. Otto, Canonicus Ecclesiæ vestræ, Scriptor noster, grata nobis jugiter impendat obsequia, & non minus, si sit absens, quàm præsens eidem Ecclesiæ utilis habeatur: mandamus, *quatenus non obstante constitutione, quæ contra absentes Canonicos inter vos dicitur manâsse, fructus præbendæ suæ assignetis eidem, in nostro servitio commoranti:* Cùm familiares nostri, qui circa nos se obsequiales exhibent universis, minori non debeant prærogativâ gaudere, quàm vestrûm singuli, quorum negotia per seipsos sæpius promoventur.

121 De secundo casu agitur in *c. ad audientiam. 15. eod.* ubi idem Honorius III. Episopo Meldensi scribit, ad audientiam suam venisse, quòd, cùm in Meldensi Ecclesiâ quædam sit constitutio, vallata juramento, & auctoritate Sedis Apostolicæ confirmata, *ut Canonici, qui non residunt in eadem, suarum priventur fructibus præbendarum, illis receptis, quos infirmitas excusaret,* sed in Apostolicæ Sedis servitio contingeret detineri: Decernimus, *ut duo ex Canonicis Ecclesiæ memoratæ, in tuo servitio existentes, suarum fructus integrè percipiant præbendarum: cum absentes dici non debeant, sed præsentes, qui tecum pro tuo, & ipsius Ecclesiæ servitio commorantur.*

Ex dictis canonibus deducitur, beneficiatum ex obedientia absentem à beneficio, haberi pro præsente in ordine ad percipiendos beneficii sui fructûs, quando talis absentia contingit Superioris voluntate pro Universalis Ecclesiæ bono, ac utilitate, vel saltem Episcopalis; quod tamen intelligendum venit non de omnibus, qui commorantur in Curia Romana, sed iis tantùm, qui *ex mandato Papæ* ibi morantur, & illi auxilium præstant in divinis officiis, vel Ecclesiæ negotiis, spectantibus commune bonum Ecclesiæ Romanæ, non autem præcisè bonum privatum servientium, ut sunt Notarii &c. Reditus enim Ecclesiastici, quos percipiunt beneficiati, ex intentione Fundatorum, directè ordinati sunt in bonum Ecclesiæ, ex cujus bonis percipiuntur, vel Ecclesiæ Matricis, aut Universalis adjuvandæ per ejus Ministros. 122

Deducitur 2. Canonicos, qui à proprio Episcopo in auxilium vel servitium evocantur, haberi pro præsentibus (præsentiâ nimirum dispositione juris fictâ) illisque integrè sui beneficii fructus deberi, ut constat ex *n.* 121. & confirmatur ex c. *De cætero* 17. ubi Alexander III. statuimus, inquit, *ne Canonicis, donec in servitio tuo fuerint, quicquam subtrahi debeat, vel auferri, quod de communitatis sibi beneficio debetur. Nisi fortè sint victualia, quæ non consueverunt absentibus exhiberi*; ex quo vides, *fructus beneficii*, & *quotidianas distributiones*, diversa esse, cùm expressè in hoc textu distinguantur. 123

Et ideo resolutio de fructibus præbendarum percipiendis etiam in tali absentia, accipienda est solùm de fructibus grossis præbendarum, qui scilicet ex communi massâ (quæ etiam vocatur Mensa Capitularis) ab Oeconomo singulis annis Canonicis distribuuntur: non autem victualibus, seu distributionibus quotidianis, quæ interdum in pecunia, interdum in esculentis, & poculentis consistunt, nec nisi præsentibus in Ecclesia dari solent, ut dicitur in *cit. c. de cætero.* Et notandum, per Tridentinum *sess. 23. de Reform. c. 1.* circa prædictos canones nihil limitatum, vel derogatum esse. 124

Rebuffus in Praxi tit. *Dispensatio de* 125

non residendo, *n.* 37. censet, quòd Episcopus non possit *ultra duos Canonicos* occupare in suo servitio, propter quod à suis beneficiis abesse debeant, & hoc ob Ecclesiæ bonum; & si plures velit, requiratur etiam consensus Capitali, quem tamen, si necessitas exigat; illi negare non debet: quod tamen semper intelligendum est, si idcirco cultus divinus, & necessarium Ecclesiæ Ministerium non impediatur, quod semper præ oculis habendum. Ut autem dicti Canonici physicè absentes, pro præsentibus habeantur, non sufficit, quòd versentur in obsequiis Episcopi *ob suum privatum commodum*, vel *ob privatum commodum, aut solatium ipsius Episcopi* (*v. g.* ut venationibus cum illo intersint) sed requiri, quòd eorum servitium cedat *in commodum Ecclesiæ Cathedralis*, ut clarè colligitur ex *c. ad audientiam*, ibi: cùm absentes dicendi non sint, sed præsentes, *qui in Episcopi, ejusque Ecclesiæ servitio commorantur.*

126 Porrò dictum privilegium, quòd Canonici morantes in obsequio sui Episcopi, in ordine ad fructus habeantur pro præsentibus, ex vi istorum canonum non extenditur ad Canonicos non Cathedrales, aut inferiores beneficiatos. 1. quia *c. ad audientiam*, expressè loquitur de Canonicis Cathedralibus, seu iis, qui *suo Episcopo* sunt à servitiis; 2. quia licet *c. de catero* loquatur solùm de *Canonicis*; quia tamen in eo casu sermo controversus erat, de Canonicis morantibus *in obsequio sui Episcopi*, scilicet Episcopi, qui præsidet Ecclesiæ, in qua ipsi sunt Canonici, sufficienter colligitur & ibi, decisionem esse de Canonicis Cathedralibus; Sic Laymann *l. 4. tr. 3. c. 6. n. 6.* præsertim, cùm inter Episcopum, & alios non Cathedrales non sit ea conjunctio, quæ est inter ipsum, & Canonicos in Cathedra ipsius.

127 Ex hoc autem dubitatur, an privilegium dictis Canonicis concessum conveniat etiam Parochis, vel aliis Curatis, in Ordinarii, seu Episcopi obsequiis commorantibus? Barbosa in *c. de catero*, *n.* 3. censet, illos sine gravi causa non posse ab Episcopo in suo, vel Ecclesiæ Cathedralis obsequio occupari; cùm privilegium expressè loquatur de Canonicis in Ecclesia, cui præest Episcopus: in casu tamen, quo haberi non potest Canonicus Cathedralis, idoneus ad serviendum Episcopo in negotiis gravibus suæ Diœcesis, vel Ecclesiæ Cathedralis, Canonicum, vel beneficiatum inferiorem ex necessitate substitutum in illud obsequium, & absentem, haberi pro præsente in ordine ad percipiendos fructus etiam in absentia, *c. cùm non deceat*, 30. *de elect. in* 6. ubi Bonifacius VIII. considerans, quandoque omnino necessariam esse, Beneficiatorum absentiam propter Ecclesiæ gravem utilitatem, sequentem decretalem edidit.

Cùm non deceat alicui suum offici- 128
um esse damnosum: Statuimus, ut ii, qui juxta constitutionem felicis recordationis Nicolai Papæ Tertii, prædecessoris nostri super hoc editam, ad Apostolicam Sedem venerint, eam circa imminentium electionum negotia instructuri (*cùm tales Ecclesiarum suarum prosequentes utilitatem, censeri debeant residentes*) fructus beneficiorum suorum, quæ obtinent in illis Ecclesiis, quarum negotia prosequuntur, & etiam aliorum, quos reciperent, vel possent recipere in ipsis Ecclesiis residendo integrè (*quotidianis distributionibus duntaxat exceptis*) recipient: ad Sedem propterea veniendo ad eandem, ibidemque hac de causa morando, & ad ipsas Ecclesias redeundo, *ac si personaliter in eisdem Ecclesiis residerent.* Non obstantibus quibuslibet consuetudinibus, vel statutis Ecclesiarum ipsarum contrariis, seu privilegiis quibuscunque, per quæ præmissorum effectus posset quomodolibet impediri.

Si autem moveatur quæstio, an 129
Canonici morantes in obsequio Archiepiscopi, vel Legati Papæ, aut Prælati Episcopo inferioris in casu suæ absentiæ gaudeant privilegio, quòd in tali casu habeantur pro præsentibus in ordine ad fructus suorum beneficiorum? R. Canonicos Archiepiscoporum, qui sunt de ipsius Ecclesia diœcesana, habere idem privilegium in casu proposito, quòd Canonici Cathedrales morantes in obsequio sui Episcopi. Nam & illi sunt Cathedrales relatè ad Archiepiscopum, si sunt Canonici in ejus Ecclesia diœcesana, seu Episcopali; Secus dicendum videtur de Canonicis Cathedralibus in Ecclesiis Suffraga-

fraganeorum ; cùm morantur in obsequio Archiepiscopi ; quia relatè ad hunc non habent eam conjunctionem, quam cum proprio Episcopo ; ubi tamen excipe casum necessitatis, de quo *n.* 127.

130 Et quamvis Pirhing *h. t. n.* 30. probabile censeat, quòd Canonici, quos in sua Provincia Legati Apostolicæ Sedis ; vel etiam Rectores inferiorum Ecclesiarum *v.g.* Collegiatarum, occupant in suo servitio, gaudeant eodem privilegio, quo Canonici Cathedrales, morantes in obsequio sui Episcopi : rectius tamen distinguendum videtur, ut etiam procedat de Prælatis Episcopo inferioribus exemptis, non autem non exemptis, nisi adsit necessitas, ut dictum est *n.* 127. Exempti enim habent in suos jurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem, & verè sunt Ordinarii eorum ; & cum suis Canonicis unum corpus efficiunt, id quod non habent non exempti ; nec etiam Legati Papæ respectu Canonicorum suæ Provinciæ ; ita Layman *cit. c.* 6. §. *Sed nunquid.*

131 *Not.* 5. dubitari, an, si Episcopus alicui suo Parocho demandet officium Visitatoris, Vicarii generalis, vel aliud officium, adsit sufficiens causa, ut abesse possit ultra duos menses à sua Ecclesia salvo jure fructuum? R. negativam doceri à Garcia, & Piasecio apud Pirhing *h. t. n.* 41. affirmativam tamen probabiliorem esse ; quia jure antiquo poterat Parochus abesse ex justa, & gravi causa etiam ad longum tempus ; ab hoc autem recedendum non est, nisi jure novo aliud constitutum sit. Nihil autem tale extat. Nam *Trid.* proximè *cit.* permittit Episcopo, ut suis Parochis dare possit licentiam absentiæ à suis Ecclesiis ex justa & gravi causa, etiam ultra duos menses.

132 Cœterùm, facultatem non residendi cum jure nihilominus percipiendi fructus beneficii concedere potest Summus Pontifex, quando obligatio est ex solo jure Ecclesiastico. Nam ejusdem est solvere, cujus est ligare. In his verò, in quibus obligatio residendi est juris divini, non potest dispensare, ut notat Pirhing *cit. n.* 42. quia foret dispensatio in jure Superioris ; quamvis, cùm adest justa, & gravis causa non residendi, possit declarare, legem divinam ad eum casum in talibus circumstantiis non extendi. Et hanc facultatem relaxandi legem obligantem ad personalem residentiam Parochos, etiam Episcopis concessam in certis casibus, ex hucusque dictis constat ; & confirmatur ex *c. Licet*, 14. *de Elect. in* 6. ibi : *super residentia verò*, ut præmittitur, *facienda, possit Ordinarius gratiam dispensationis ad tempus facere, prout causa rationabilis id exposcit.*

133 Nullum autem Beneficiatum teneri ad juramentum residentiæ jure communi, tenet Abbas in *c. Ex parte, de Cleric. non resid. n.* 4. quamvis quandoque id præstari debeat, ubi hoc exigit statutum, vel consuetudo alicujus Ecclesiæ. Si quis autem ex tali causa deberet ejusmodi juramentum præstare, hoc intelligi solùm juxta materiam subjectam, nimirum ut ad plus non obliget, quàm jus requirat ; hinc si absit in casibus jure permissis, non violat juramentum, ut dicitur in c. *Ex parte*, ibi respondemus, *quòd, si te non observando in fraudem, præposituræ tuæ jura fideliter prosequeris (cum ex hoc censeri debeas residens) perjurium non incurris.* Excipe nisi aliquid novi adjiciatur juramento, qualiter fit in multis Ecclesiis, ut Canonicus ne una quidem nocte abesse possit à loco residentiæ per primum annum integrum.

ARTICULUS IV.

De pœnis culpabiliter non residentium.

134 DE his agitur *c. fin. h. t.* ubi Gregorius IX. Ordinario rescribens, sic statuit : Clericos in Ecclesiis tuæ jurisdictionis beneficia, *quæ residentiam exigunt*, assecutos, si ad alterius Diœcesin absque licentia tua morandi causa transierint, liceat tibi, *si moniti non redierint, dictis beneficiis* (nisi excusationem rationalem ostenderint) *spoliare* ; & *c. Cum ad hoc* 16. *eod.* Patriarchæ Antiochiæ, Apostolicæ Sedis Legato, observans, *quod ad hoc sint Ecclesiastica beneficia deputata, ut Ecclesiæ debita servitia præstentur à suis Ministris* & Sedi Apostolicæ innotuerit, quòd Ecclesia Antiochena *multis ex servitoribus ejus absentibus* est ferè destituta Ministris. Unde mandamus, quatenus non obstantibus Apostolicis indulgentiis, & prædecessorum tuorum licentiâ, *absentes Canonicos, & assistios revoces ad residendum in Ecclesia suprædicta,*

dicta, &, si non venerint, tu de ipsorum beneficiis, dum absentes fuerint, ipsi Ecclesiæ facias congruè deservire, in utilitatem ejusdem, quod ex præfatis beneficiis superfuerit, convertendo. Idem dicitur *c. Ex parte*, 8. *eod. cum* 2. *seq.*

135 Ex quibus canonibus deducitur Beneficiatos *culpabiliter absentes*, si moniti non redeant, præterquam, quòd careant beneficiorum fructibus, ut supra dictum, licere suis beneficiis spoliare justo impedimento cessante. Unde prius citandi sunt, & monendi, ubi citatio personaliter facta, etiam una sufficiet; si autem absens citari non potest personaliter, ut si nesciatur, ubi sit? desideratur trina citatio per edictum, ut facilius ad absentis notitiam perveniat, & si intra sex menses non compareat, spoliari potest beneficio, *c. Ex tuæ*, 11. *eod.* ibi: in Ecclesiis eorum, qui se *fraudulenter* absentant, nec ad ipsos valet citatio pervenire, *trinæ citationis edictum* facias publicari; &, si nec sic curaverint obedire, & *ultra sex menses* suas deseruerint Ecclesias, juxta sanctiones Canonicas, eis debent meritò spoliari. Sic etiam *gloss. in c. fin. V. Canonibus*, Ut lite non contestat. *§. porro.*

136 *Not.* autem contra Beneficiatos contumaciter absentes à *Trid. Sess.* 24. *de Reform. c.* 12. præscribi hunc procedendi modum; ut obtinentibus in Ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cuiuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses, ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt: alioquin *primo anno privetur unusquisque dimidiâ parte fructuum*, quâ ratione etiam præbendæ, ac residentiæ fecit suos; quòd si iterum eadem fuerit usus negligentiâ, *privetur omnibus fructibus*, quos eodem anno lucratus fuerit: crescente verò contumaciâ, contra eos juxta sacrorum Canonum constitutiones procedatur. *Distributiones* verò, qui statis horis interfuerint, recipiant: reliqui, quavis collusione, aut remissione exclusâ, his careant, juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit: Consuetudinem, quod sancta Synodus in usum revocat: non obstantibus quibuscunque statutis, & consuetudinibus. Quamvis idem Concilium *Sess.* 23. *de Reform. c.* 1. dicat, privationem fructuum, propter absentiam non diuturnam, faciendam esse pro rata temporis.

Quoad hoc Decretum *not.* 1. cùm di- 137
citur absentes à suis beneficiis privandos esse fructibus, textum restringi à Zoësio *h. t. n.* 7. ad injustè omittentes residentiam, ad quam tenentur jure solùm Ecclesiastico; volente eos, qui habent beneficia curata (cùm teneantur residere jure naturali, & divino, secundùm dicta) privatos *ipso facto*, idque ex *Trid. Sess.* 23. *c.* 1. loquente de habentibus beneficia *curata*: nec procedere, nisi de absentia diuturna (ubi tempus expressum non est,) per quam Ecclesia patitur detrimentum. Hinc sicut absentia per tempus à jure concessum est extra culpam, sic etiam est extra pœnam.

Not. 2. Etsi certum tempus absentiæ 138
citra culpam & pœnam à jure concessum sit, ut diximus à *n.* 110. monere tamen *Trid. cit.* ne hoc fiat solemnioribus diebus, quibus præsentiâ Pastoris maximè refici, & gaudere solent oves; & ideo, si quis ultra tempus, à jure concessum, citra pœnam abesse vellet, requiri licentiam ab Episcopo, causâ cognitâ, & approbatâ, in scripto datam, ut loquitur Tridentinum. Unde quando causæ absentiæ sunt legitimæ, & approbatæ à Superiore, possunt Episcopi, & alii beneficiati, qui tenentur residere, fructus beneficiorum suorum percipere, & retinere. Sic *Less. de Just. l.* 2. *c.* 34. *d.* 29. *n.* 158. volens id verum esse, quamvis causæ non essent in scriptis approbatæ, prout aliàs exigit decretum Tridentini cit.

Not. 3. dubitari, an ob culpabilem 139
absentiam amitentes fructus pro rata temporis, eos restituere debeant, ante sententiam Judicis? affirmat Barbosa in Frid. *cit. n.* 18: quia decretum dicit: *aliâ etiam declaratione non secutâ*, tutâ conscientiâ sibi detinere non posse, sed teneri per Superiorem Ecclesiasticum, aut fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus loci erogare. Cæterùm distinguendum videtur. Nam cùm in hoc casu absentiæ culpabilis, receptis nihilominus fructibus, labore ac officio non præstito, lædatur contractus onerosus inter Beneficiatum, & Ecclesiam, quæ dat beneficium propter officium, & justitiâ læso jure obliget ad non retinen-

retinendum, injustè acceptum, sine dubio pro foro poli non erit expectanda Judicis sententia. Si autem officium per alium, absentis loco, peractum foret; & absens etiam per Ecclesiam legitimè citatus, contumaciter nihilominus abesset, fructusque reciperet, restitutio quidem pariter facienda esset ex Ecclesiæ constitutione, ut patet ex textu, nec opus foret sententiâ Judicis, condemnatoria ad pœnam; cùm jam lege definita sit, *pro rata temporis*, secùs declaratoriâ criminis, ut diximus *l. 1. tit. 2. de constitut.*

140 Et quoniam hoc Decretum de pœnis privationis fructuum loquitur non tantùm de Parochis, sed etiam aliis quibuscunque, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinent, sequitur 1. sub eo comprehendi etiam Ecclesiam Parochialem, quantumvis tenuem. 2. Rectorem Ecclesiæ, qui habet Vicarium ad nutum amovibilem; sic enim cura residet in deputante illum; 3. etiam illum, qui habet Vicarium perpetuum, in quem non transtulit totam curam; secus est, si obtinuit, ut in sua Ecclesia Vicarius perpetuus legitimè sit institutus; 4. eum, qui obtinet Ecclesiam purè baptismalem. 5. Etiam Capellanum, Coadjutorem Rectoris Parochialis, auctoritate Apostolicâ institutum. 6. Coadjutorem perpetuum. 7. Eum, qui habet beneficium habens curam jurisdictionalem. 8. Commendatarium curatum. 9. Habentem duas Ecclesias Parochiales, unitas invicem perpetuò, æquè principaliter, & pares: 10. Etiam cum, qui habet Ecclesiam Parochialem cum Canonicatu; debet enim in Ecclesia Parochiali residere, licet ei maneant fructus ex Canonicali præbenda, & solùm amittat distributiones; quod etiam verum est de habente Canonicatum, cui sit unita Parochialis ad vitam obtinentis tantùm saltem residendo per alium, ex *n.* 109. Ex dictis tandem colliges contra contumaciter absentes ex præscripto *Trid. Sess. 24. c. 12.* Sic agendum, ut primo anno priventur dimidiâ parte fructuum; secundo omnibus, & tandem crescente contumaciâ, agendum juxta Canones, ut dictum est supra.

QUÆSTIO V.

IN TIT. V. DE PRÆBENDIS, ET DIGNITATIBUS.

CUm magna pars hujus libri tertii agat de præbendis, & dignitatibus Ecclesiasticis, ac jure percipiendi reditus in convenientem officio, ac dignitati Clericali vivendi rationem, præstandasque exinde functiones sacri ministerii, congruè præmittitur hic titulus tractandis in sequentibus, ut in Ecclesia DEI decorè omnia, sanctèque, ac ordinatè peragantur; quibus positis.

ARTICULUS I.

De Rubrica hujus tituli.

141 CUm is, qui servit altari, vivere debeat de altari, *c. 14. h. t.* & *c. 16. eod.* Dignus est enim Operarius mercede suâ; factum est, ut Clericis altari, seu Ecclesiæ servientibus, de bonis Ecclesiasticis, propter officium, quod præstant, assignati sint certi fructus, seu proventus, cum jure illos exigendi. Quoniam autem in re omnes hi tituli exigendi prædictos reditus ex bonis Ecclesiæ fundantur in præbenda, vel beneficio, cui quis vicissim præstare debet officium, & ministerium; hæc autem non omnino eadem sint, ut constabit ex seqq. de præbendis, & dignitatibus in genere, priusquam descendamus ad alia, dicendum erit. Hinc.

Quæstio est. 1. quid veniat nomine 142
præbendæ? Pereyra in Elucidario *n.* 273. dicit inter *Canoniam*, & *præbendam* esse discrimen, quod Canonia, seu Canonicatus sit jus ipsum spirituale, exercendi Ecclesiasticum, & divinum officium, Canonicis incumbens; *Præbenda* verò jus ab hoc officio dependens ad percipiendos Ecclesiasticos reditus. Verùm sic defini-

tur *præbenda* solùm spiritualis ; unde loquendo de illa *generaliter*, rectè dicitur, jus percipiendi reditus annuos ex bonis Ecclesiæ propter officium, & ministerium, quod vicissim ei præstatur ; unde si officium sit spirituale, *præbenda* dicitur *spiritualis* ; si *temporale* (puta æditui, organistæ &c.) *Laicalis*, seu temporalis ; ex hoc sequitur, canoniam, & præbendam non esse idem ; quia Canonia, seu Canonicatus est jus habendi stallum, seu sedem in choro ad cantandum, & legendum, cum voce, seu suffragio in Capitulo, quod stat sine præbenda ; hinc potest aliquis esse Canonicus sine præbenda ; & præbendarius sine Canonicatu, ut pluribus ostendit Barbosa in Rubric. hujus tit.

143 Quamvis autem quandoque contingat, quòd quis habeant canoniam sine præbenda (& ideo Canonici sine præbenda dicuntur *honorarii*, seu Canonici *in herbis*, quia licet careant præbenda, sunt tamen in spe, & exspectatione proximè vacaturæ, sicut Canonici præbendati dicuntur Canonici *in floribus*, sic Desselius *h.t.q.* 2.) recepto tamen in Canonicum, non assignatâ, sed solùm promissâ præbendâ canonicali, cùm primum vacaverit, conferenda est, ex *c. Relatum. q.h.t.* ibi : quoniam igitur dignum est, ut postquam Magister J. in Ecclesia tua Canonicus est institutus, & à te habuit in promissis de conferenda sibi prima præbenda, cùm Ecclesia ipsa vacaret, ut debeat præbendæ integritate gaudere : mandamus, quatenus *si idem J. in Ecclesia tua est canonicè institutus, & in choro, & Capitulo, & aliis, quorum usus est communis, potestatem sicut Canonicus habet, ei præbendam, si qua nunc vacat, vel cùm ibi primò vacaverit, secundùm promissionem tuam concedas liberaliter, & assignes :* quia *non est congruum, ut præbenda careat, qui in Canonicum noscitur esse receptus.* Sic Alexander III. loc. cit.

144 De eodem agitur in *c. dilectus filius* 19. eod. ubi dicitur quendam T. Canonicum Liconiensem proposuisse, quòd Capitulum ejusdem Ecclesiæ ipsum recipere contemnebat ad præbendam, quam ipsi Episcopus in dicta Ecclesia assignaverat, & inter Episcopum illum, ac dictum Capitulum talis compositio intercesserit, quòd ipso ab eis recepto in Canonicum ; & concesso sibi stallo in choro, & participatione qualibet divinorum, idem *fructus præbendæ percipere non deberet, nisi loco proximo vacaturæ :* Cùm autem super hoc apud Alexandrum III. querela facta esset, respondit Pontifex : Cùm die tum T. in Canonicum recipi, canonicis non obviet institutis, & vacaturam expectare præbendam, Lateranensi Concilio non sit dubium obviare, nos facto ejusdem Legati illicito reprobato, quod est licitum approbantes : quia *videtur indignum, ut receptus in Canonicum præbendæ beneficio defraudetur :* mandamus, quatenus dictos Episcopum, & Canonicos, *ut ei præbendam (cùm se facultas obtulerit) non differant assignare*, appellatione postposita compellatis. Facientes eidem portiones quotidianas, quæ fiunt in Ecclesia memorata, sine diminutione qualibet assignari. Ex quo deducitur, quòd possit aliquis esse Canonicus sine præbenda ; & præbendarius sine Canonicatu, ut pluribus ostendit Barbosa *in Rubric. hujus tit.*

Quæstio altera est, quid hic veniat nomine *dignitatis?* R. *dignitatem* posse dupliciter intelligi ; 1. In genere, & sic significat gradum honoris, seu præeminentiæ, præscindendo à jurisdictione, vel officio 2. In specie, & sic significat præeminentiam in choro & Capitulo, cum jurisdictione fori externi ; sic Barbos. *cit. n.* 13. *ex Gloss. in Extravag. Execrabilis* sub Joanne XXII. V. *Dignitas*, & in hac significatione accipitur dignitas in *rubric. hujus tit.* Sub nomine *dignitatis* sic acceptæ (ut sumitur ex c. *Quamvis, de Verbor. signific.*) jure communi venit Abbas, Præpositus, Prior (intellige *Conventualis*, non *claustralis*) Decanus Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ ; Archidiaconus, Primicerius, Archipresbyter, Sacrista, Custos, Scholasticus & Capellanus Magnus, ut exponit Pyrrhus Corradus, *dispensat. Apostolic. l. 2. c. 6. n. 7.* Pereyra autem in *Elucid. n.* 293. ait, *dignitatis* in Ecclesia Cathedrali appellatione venire tantùm Archidiaconatum & Archipresbyteratum : hæ enim in jure communi habent dignitatem ex solo nomine : alii autem personatus, & officia non sonant in nomine dignitatis, nisi consuetudo sit in contrarium, & de præposito, thesaurario, Decano, Præceptore & 145

Sacri-

Sacrista, ex variis citatis refert Barbosa *Appell.* 72. à *n.* 3. Canonicatus non venit propriè dignitatis appellatione, sed largè, ut tenet Aloysius Ricius in praxi rerum fori *Eccles. resol.* 90. *n.* 1.

146 *Not.* autem inter ipsas dignitates esse inæqualitatem. Nam aliquæ sunt *minores*, aliquæ *majores* post dignitatem pontificalem, quales sunt illæ, quæ in Ecclesiis Cathedralibus post Episcopalem sunt majores, ut notat Barbosa *cit. n.* 2. volens hanc majoritatem 4. modis cognosci. 1. Ratione temporis; 2. Ratione prærogativæ ordinis. 3. Ratione prærogativæ ordinantis, seu constituentis: 4. Ratione majoris officii. Sed Corradus *cit. n.* 14. rectius docet, eam præcipuè considerari ex ordine & administratione, quamvis quandoque etiam attendatur consuetudo Provinciarum & Ecclesiarum. Nam vi hujus prima dignitas aliquando post Episcopalem est Archidiaconatus; aliquando Archipresbyteratus; quamvis jure communi ille isto sit *dignitas major*. Cœterùm Pereyra in *Elucidar. n.* 293. sic loquitur: Major dignitas ea intelligitur, quæ in Ecclesia Cathedrali post Pontificalem est major cæteris. *Principalis* ea dicitur, quæ est in Ecclesia Collegiali dignitas omnium maxima. Dignitatis appellatione in commissionibus causarum venit Vicarius Generalis Episcopi, item Collector & Subcollector, deinde Commendatarius perpetuus, tandem Cancellarius Academiæ Pontificis authoritate approbatæ. ut cum multis docet Barbosa *Tract. de Appellativis, Appell.* 72. *n.* 2. & alii.

Ex hoc colligitur, in hac voce *dignitas*, quoad ejus acceptionem sæpe variare consuetudinem locorum, & statuta. Hinc rectè notat Abbas *c. de multa*, de præbendis, illum propriè habere *dignitatem*, qui vocatur aliquo nomine, quod *in jure* dignitatem significat, esto jurisdictione careat; quo sensu etiam habentes officium, seu administrationem & Personatum (hoc est præeminentiam sine administratione, & jurisdictione fori externi) dignitatem habere dicuntur, sed sic dignitas non sumitur strictè.

147 Advertendum præterea, nomine *dignitatis* non venire *Episcopatum* in odiosis, secus in favorabilibus, ut notat Gloss. in *c.* 2. *h. t. in* 6. V. *Dignitatum*, & Barbos. in Appellativis, V. *Dignitas. n.* 1. Hinc illegitimus dispensatus ad omnes, & *quascunque* dignitates, etiam *majores*, non censetur dispensatus ad *Episcopatum*. Sayrus *de Censur. l.* 6. *c.* 11. *n.* 28. quia dispensatio, cùm vulneret jus commune, ab eoque recedat, est odiosa, & consequenter strictæ interpretationis, ut rectè docet Corradus *cit. l.* 1. *c.* 5. *n.* 1. ex *c.* 1. de filiis Presbyt. & c. *non potest*, de præbend. in 6. Excipe nisi dispensatio fiat *motu proprio*, propter utilitatem publicam, favorem religionis, vel animarum; Felinus in c. *Postulasti*, *de Rescript.* Corradus *l.* 1. *c.* 5. *n.* 31. Deinde, nisi dispensatio super principali aliàs non sortiretur effectum, in annexis inseparabiliter. Similiter dignitatis appellatione non venit Abbatia in odiosis, ut docet Ascanius Samburinus *tom.* 1. *D.* 1. *q.* 2. *n.* 7. nam Abbatiæ æquiparantur Episcopatibus juxta Menoch. *cons.* 59. *n.* 133. secùs in favorabilibus, ut cum multis tradit Valenzuela *cons.* 74. *n.* 63. Dignitatis appellatione in dispensationibus nec veniunt majores, nec principales. Ita Zor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 3. *q.* 8. ubi asserit, si Papa dispensset cum spurio, ut ad dignitates Ecclesiasticas admitti queat, non censeri dispensatum ad majores, & principales.

Ex his dignitas Ecclesiastica presè 148
sumpta (de qua sæpe fit mentio) potest definiri? quòd sit præeminentia habens administrationem rerum Ecclesiasticarum cum jurisdictione ordinaria in foro externo. Unde ut sic hæc tria *Dignitas*, *Personatus* & *Officium* differunt: nam *Dignitas* est administratio rerum Ecclesiasticarum cum jurisdictione: *Personatus* habet sine jurisdictione prærogativam v. g. in choro, & confessu locum honorabiliorem: *Officium* est administratio rerum Ecclesiasticarum sine jurisdictione. Dicitur etiam quis habere dignitatem nomine, & non re, si pro consuetudine patriæ, & Ecclesiæ censeatur dignitate præditus, quamvis omni administratione & jurisdictione careat. Hæc ex Sylvestro V. *Dignitas*, Molina *tom.* 3. *D.* 620. & Azorio *tom.* 2. *l.* 3. *c.* 13. *à q.* 3.

Cùm autem Religiosi Societatis JE- 149
SU, post solemnem professionem emittant inter alia, duo vota simplicia, alterum sub hac forma: Promitto nunquam me acturum, vel prætensurum, nec indirectè quidem *ut in aliquam prælationem*,

vel dignitatem in Societate eligar, vel promovear. Alterum sic: Promitto nunquam me procuraturum, prætensurumvè *extra Societatem, prælationem aliquam, vel dignitatem*: quæri potest, an illi duo termini *prælatio*, & *dignitas*, idem vel diversum significent? R. quod Sanchez *l.* 6. *Decal. c.* 18. *n.* 25. non distinguat in priori voto prælationem à dignitate, sed asserat ea duo nomina posita fuisse claritatis gratia: asserit deinde ex mente Generalis Claudii, nomine *dignitatis* ibi intelligi officia, quibus annexa est jurisdictio ordinaria, vel delegata, qualem habent Generalis, Provincialis, Præpositus, Rector, Visitator, Vice-Generalis, Vice-Provincialis, vice-Præpositus, vice-Rector. Quarè non franget votum, si quis procuret fieri Assistens coram Generali, Magister novitiorum, vel Theologiæ, Minister, Consultor, Admonitor, Concionator; secùs est in posteriori voto, ubi distinguit *Prælationem* à *Dignitate*, & asserit *nomine Prælationis* extra Societatem intelligi Episcopatum, Abbatiam, quæ habeat jurisdictionem quasi Episcopalem, Vicariatum Generalem Episcopi, & quodcunque munus habens jurisdictionem in foro externo in sibi subditos: *nomine dignitatis* venire Cardinalatum, & quamcunque aliam dignitatem in Ecclesia, & si prælatione careat. Officium parochi nec prælatio, nec dignitas est.

ARTICULUS. II.

Quid sit beneficium Ecclesiasticum?

150 *Beneficium* apud Latinos est munus in aliquem collatum, cùm de altero quis bene meretur: ac proinde est id, quod in alterius salutem, & utilitatem collocamus. Apud Legistas sumitur pro *privilegio*, *L. util. ff. de constit. fine.* idem pro officio serviendi, quod homo homini tribuit ex liberalitate, *in usibus feud.* de milite *Vas. c. Ubertus Beneficium Juris* est id, quod à jure conceditur, & indulgetur. *Beneficium epistolæ divi Adriani*, de quo fit mentio §. *Si plures*, instit. de fidejuss. est, si unus è multis fidejussoribus de toto debito conveniatur, rectè excipiet, pro rata parte duntaxat solvenda. Apud Canonistas, & Theologos, sumitur pro annuo proventu Sacerdotis, vel Clerici, quem percipit ex Ecclesiæ bonis, nimirum agris, prædiis, primitiis, decimis, & aliis rebus. In hac acceptione dicitur *Beneficium Ecclesiasticum*, & juxta Azor *tom.* 2. *l.* 3. *c.* 1. *q.* 1. & Lessium *l.* 2. *c.* 34. *n.* 1. ex variis sic definitur; est *jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, propter aliquod officium spirituale, authoritate Ecclesiæ constitutum.* Unde constat, tria posse in beneficio distingui. Primum est *officium*, seu obligatio, qua quis tenetur functionem spiritualem obire, ut facere sacrum, recitare horas Canonicas, administrare Sacramenta; Secundum est jus perpetuum percipiendi certos reditus ex bonis Ecclesiasticis: quod est propriè beneficium, & censetur spirituale, quia oritur ex officio spirituali, in quo fundatur: Tertium sunt ipsi fructus temporeles, qui debent percipi ex bonis Ecclesiasticis, nempe DEO dicatis.

Certùm *Beneficium Ecclesiasticum*, tan- 151
quam species continetur sub nomine *Præbendæ*, tanquam genere. Duplicem habet acceptionem. 1. *generaliter*, & sic supponit pro præbenda spirituali, præscindendo, an ea præbenda concessa sit *in perpetuum*, hoc est, ad dies vitæ illam habentis; sive solùm ad tempus, etiam auferibiliter ad nutum ejus, qui concessit. 2. *Specialiter*, prout explicat præbendam concessam *in titulum*, seu *in perpetuum*; & in hac acceptione recipit definitionem præcedente numero allatam. Hoc jus secundùm se, & formaliter non est aliquid spirituale, sed temporale, cùm sit ad percipienda temporalia; dicitur tamen spirituale, quia fundatur in aliquo spirituali, nimirum in obligatione præstandi ministerium spirituale, *v. g.* celebrandi, ministrandi sacramenta, prædicandi verbum DEI, dicendi horas Canonicas.

Illam porrò *perpetuitatem juris*, per 152
quod definitur beneficium specialiter, & propriè acceptum, volunt aliqui consistere in eo, quod *ex se, & fundatione sua* non vacet, ac desinat morte possessoris, licet illud habuerit revocabiliter ad nutum concedentis; sic Azor *p.* 2. *Instit. moral. l.* 3. *c.* 1. *q.* 2. Layman *l.* 4. *Summæ, c.* 1. Hoc quidem verum est *requiri* ad beneficium propriè dictum; Sed *non sufficere* ad beneficium prout communiter accipitur in jure; ac proinde insuper requiri, quòd

ri, quòd sit perpetuum *tum in se*, ut dictum est; *tum in beneficiato*; nimirum, ut ei sit conferibile vi suæ institutionis in perpetuum, per se loquendo retinendum, ac eo mortuo, vel legitimè amoto vacet; ratio hujus sumitur ex duplici capite. 1. ex *c. 2. dist.* 30. ubi dicitur, beneficium Ecclesiasticum non dari ad tempus, sed in titulum perpetuum. Nam in qua Ecclesia quilibet vinculatus est, in ea *perpetuò* (hoc est, *dum vivit*, ut exponit *Gloss. ibid.*) perseveret; deinde quia beneficia solùm revocabiliter, & ad tempus concessa, in odiosis (ubi scilicet nomen *beneficii* propriè ac strictè sumendum est) non veniunt sub nomine *beneficii*; simpliciter prolati; ita Zoësius *h. t. n.* 2. Pirhing. *eod. n.* 3.

153 Et ideo, quando in regulis Cancellariæ Apostolicæ agitur de *Reservatione Beneficiorum*, non intelliguntur reservata beneficia *manualia*, seu ad nutum revocabilia; quia reservatio est stricti juris, cùm sit odiosa; Sic Castropalag. *p. 2. tr. 2.* de benefic. *D. 1. p. 1. à n. 6.* Similiter, licet pro titulo mensæ ad suscipiendos sacros ordines juxta Trid. sufficiat *beneficium*, non sufficit tamen beneficium *manuale*; quia requiritur titulus, dans jus alimentorum *ad dies vitæ*. Quod ex eadem ratione procedit de Vicario Episcopi, vel Parochi; cùm hoc officium det jus solum revocabile; non autem perpetuum recipiendi reditus ex bonis Ecclesiæ propter ipsorum spirituale ministerium.

154 Præter hoc ad beneficium Ecclesiasticum propriè dictum requiritur, quòd illud sit *authoritate Ecclesiæ constitutum*. Nam solius Prælati Ecclesiastici est, officia in Ecclesiis constituere, & proventus ex bonis DEO dicatis ejusmodi officiis annectere. Nam beneficium Ecclesiasticum licitè obtineri non potest sine Canonica institutione, ut dicitur *Reg. 1. de reg juris, in 6.* Hinc legatum, relictum etiam in perpetuum pro celebrandis missis, sine authoritate, vel interventu Episcopi, est quidem pia devotio, aut legatum; sed non beneficium Ecclesiasticum; Less *l. 2. Inst. c. 34. n. 4.*

155 Ex præmissis sequitur 1. nullum beneficium *Ecclesiasticum* erigi posse sine authoritate Episcopi, ex *n.* 153. nec obtineri sine Canonica institutione, hoc est, facta secundùm præscriptum sacrorum Canonum, *Reg. 1. de Reg. jur. in 6.* adeoque nullum jus percipiendi reditus aliquos temporales propter officium spirituale *v. g.* celebrandi missas, esse beneficium strictè *Ecclesiasticum*, nisi constitutum alicui sit, & erectum cum authoritate Episcopi, & sit perpetuum etiam in Beneficiato, ex *n.* 152. adeoque *Capellanias* (ut vocant) in domibus, vel arcibus Dominorum, sine interventu Episcopi erectas, licet perpetuæ sint, non esse beneficia *Ecclesiastica*; quod etiam procedit de obligationibus celebrandi, alligatis certæ capellæ, loco, altari. &c. fundatis sine Episcopi consensu. Sequitur. 2. Beneficium Ecclesiasticum esse quid *spirituale*, non formaliter, sed causaliter, seu antecedenter, cùm, licet habeat annexum aliquid temporale, nimirum reditus, seu proventus, quos beneficiatus percipit, detur solùm propter *officium spirituale*. Sic Felinus in *c. Consulere*, de Simonia. Nam omne jus ad aliquid temporale, est jus spirituale non formaliter, sed causaliter, quando causa illud habendi, est aliquid spirituale, *v. g.* officium, seu ministerium præstandi spiritualia; hinc nullum beneficium Ecclesiasticum potest conferri Laico, cùm detur propter officium spirituale præstandum à persona clericali.

Ad extremum nota, in odiosis, qua- 156
lis est materia dispensationum nomine beneficii, non venire *dignitates*; cùm tali casu interpretatio fieri debeat, quanto minori damno juris communis fieri potest acceptio *beneficii*, quod fit ejus significationem restringendo ad beneficia simplicia, non autem duplicia, & qualificata, *c. ad aures*, 8. *de Rescript.* ubi Lucius III. ait, ad se pervenisse, quòd plerumque Decani, Archidiaconi, Præcentores, vel alii Ecclesiasticis præditi dignitatibus, *super minoribus beneficiis literas impetrantes, nomen supprimunt dignitatis suæ, & simplici nomine se appellant*, tanquam non habeant aliquem personatum; & ita statuit: *cùm non sit intentionis nostræ, ut personæ pluribus reditibus abundantes, per literas nostras pauperes Clericos super minoribus beneficiis inquietent: literas, in quibus actor suæ nomen dignitatis supprimit, vires nolumus obtinere. Et c. fin. h. t.* ubi, cùm

Pontifex mandasset alicui provideri in Ecclesia *civitatis*, vel *diœcesis* Lucan. & Prior S. Mariæ eidem providere vellet, ut esset Rector *Ecclesiæ S. Petri de Vico*, contranitentibus Clericis ejusdem Ecclesiæ, qui Rectorem eligere consueverunt: litem decisurus Pontifex rescripsit: cùm mandatum hujusmodi se ad talia non extendat, *nec ad rectoriam, vel dignitatem, nostram feratur intentio*, cùm pro simplici beneficio jussio nostra manat: Mandamus quatenus tam institutionem hujusmodi, quàm excommunicationis sententiam propter hoc latam, denuncies non tenere.

157 Ex hoc textu colliges 1. *literas*, & *mandata* super beneficiis obtinendis impetrata, esse *ambitiosa*; & hæc eoipso, quòd talia sint, esse restringenda. 2. mandatum alicui providendi *usque ad certam summam v. g.* 50. aureorum, non intelligi de provisione *in pensione* (ex quo colligitur nomine *beneficii* in odiosis *pensionem* non intelligi) sed *in beneficiis*; 3. sub nomine *Ecclesiarum civitatis, vel diœcesis* in ejusmodi mandatis non comprehendi *Ecclesiam Cathedralem*; Bene tamen si sit de providendo alicui in aliqua Ecclesiarum provincia. Dixi *in ejusmodi mandatis*, nimirum, impetratis super obtinendis beneficiis; quia hæc sunt odiosa, utpote ambitiosa; secus in favorabilibus; sic Gloss. ibid. V. *quamvis*. 4. quando mandatum est de alicui providendo *in aliqua Ecclesiarum Provincia*, Pontificem significare, quòd hoc casu, & mandato uberiorem impetrandi gratiam facere intendat, quàm alio carente illâ clausulâ.

ARTICULUS III.

Quotuplex sit beneficium Ecclesiasticum.

158 PRima divisio est in *Regulare*, ac *Seculare*, utrumque rursum subdividitur in *simplex*, & *qualificatum*, seu duplex; ex duplicibus alia sunt *majora*, alia *minora*. Et quoniam his, præter qualitates juris, etiam aliæ frequenter accedunt, ut sunt reservatio, affectio, litis intentatio, consignatio in custodiam, alia sunt *reservata*; alia *affecta*; alia *litigiosa*; alia *commendata*. Similiter ex aliis capitibus beneficia quædam dicuntur *manualia*, *incompatibilia*, *collativa*, *electiva*, *patronata*, *monocularia*, *Ecclesiæ non numeratæ*, *consistorialia*, *sacerdotalia*, *de mensa*. Quæ sub suis nominibus expressa sæpe habent speciales juris effectus, quibus præmissis.

§. 1.

De Beneficiis Secularibus, & Regularibus.

BEneficium *Regulare* dicitur, quòd vi 159
suæ institutionis, seu fundationis regi debet per Regulares, ut colligitur ex *c.* 2. *de Capellis Monach.* *Seculare* autem, quod vi suæ institutionis de consensu Ordinarii administrari debet per Clericos seculares, hoc est, non Regulares, nullam scilicet regulam Professos; *nisi mutaverit statum*, vel qualitatem; quod propterea superadditur, quia beneficium tam seculare, quàm regulare quandoque mutat hanc qualitatem, ut de seculari fiat regulare, ac vicissim; id quod colligitur ex c. *Cum de beneficio*, 5. *h. t. in* 6. ubi Bonifacius VIII. ait: cùm de beneficio Ecclesiastico consuetudo Clericis sæcularibus assignari, provideri mandatur, de illo debet intelligi, quod tanto tempore ab uno vel pluribus sæcularibus Clericis institutis in eo Rectoribus extitit continuè, ac pacificè gubernatum, ut præscriptio legitima sit completa, etiamsi ante vel post religiosi quandoquè ministraverint in eodem. Quando verò scribitur, ut provideatur de aliquo Prioratu alicui Clerico seculari, provideri non potest de Prioratu, qui per religiosos (juxta modum præmissum) est solitus gubernari. Nisi hoc in literis caveatur expressè.

Ex hoc colliges, quòd beneficium 160
Ecclesiasticum præscriptionem recipiat; secundò, quòd possessione continuâ per 40. annos mutetur status, seu qualitas beneficii, ut de seculari fiat Regulare, & econtra; sic Barbosa *n.* 5. Tertiò, quòd ex aliquorum sententia, ex beneficio Regulari fiat seculare 10. annorum præscriptione, excipiunt, nisi præscriptione 40. annorum de seculari factum sit regulare; tunc enim, ut rursum seculare fiat, præscriptio 40. annorum requiritur, ut docet Vivianus *cit. l.* 1. *c.* 1. *n.* 86. Quartò, quòd beneficia secularia non possint conferri

ferri Regularibus, quod de beneficio seculari simplici certum est ex c. *cùm de beneficio, de præbend. in 6. & c. Quod DEI timorem*, de statu Monachorum, ubi in favorem animarum excipitur solum beneficium curatum seculare, quod regularibus conferri possit. Neque in hoc Episcopi dispensare possunt, ut docet Castropal. de Benefic. *D. 1. p. 3. §. 1. n. 5.* Sed & illud jure novo sublatum esse, testatur Castropal. *cit. n. 10.* extra casum necessitatis; de hoc dicenda à *n. 181.*

161 Circa hoc postremum notandum, quamvis Clerici seculares jure antiquo fuerint incapaces beneficii Regularis adeo, ut nec Episcopus hac in parte dispensare potuerit, ut constat ex *c. cùm de beneficio*, cit. jure tamen novo Trid. *Sess. 14. c. 10.* de reform. secularibus Clericis conferri posse beneficium acceptando assumant habitum illius Religionis, & se obligent de professione emittenda. Ex quo fit, beneficium Regulare, administrationem non habens, dari posse his, qui habitum nondum suscepêre, modò illum suscipere, & professionem emittere teneatur; sic Barbos. *in cit. locum Trid. n. 10.* Secundò idem dicendum de Novitiis, qui actu ferunt Religionis habitum. Sic Pellizarius in Manual. *Tom. 1. tr. 2. c. 8. n. 9.* quibus positis.

162 Quæres 1. quæ sit præcipua conditio, seu qualitas beneficii *Regularis?* R. esse hanc, quòd vi suæ institutionis concedatur solis Regularibus, ut colligitur ex *c. cùm de beneficio*, de præb. in 6. quòd autem beneficium aliquod sit *Regulare*, seu conferri debeat solis Regularibus, non sufficit, quòd ejus collatio, vel præsentatio ad Religiosos spectet (vel quòd alicui Religioso Conventui sit unitum; sed requiritur quòd vel à Fundatore de consensu Episcopi fundatione constitutum sit, ut per solos Regulares administretur; vel quòd continuò per annos 40. per Regulares sit administratum; sic enim qualitas beneficii *regularis* præscriptione obtinetur, licet prius fuerit seculare, uti decisum est *cit. c. cùm de beneficio.*

163 Quæres 2. quid præsumi debeat in dubio, an beneficium sit regulare, vel seculare? R. quòd sit seculare. Nam hoc est Ecclesiæ favorabilius, cùm in ejus administratione liberius procedat, & imitetur Pontificatum, seu Cathedram, quæ est radix beneficiorum, sic Castropal. *p. 2. operis moral. tr. 13. D. 1. p. 2. n. 2.* excipe, nisi sint capellæ fundatæ in Monasterio, quia illæ præsumuntur regulares, nisi per seculares teneri sint solitæ, Rebuffus in praxi beneficiorum, in procem. *n. 6.* vel alteri faveat possessio, cæteris partibus.

Quæres 3. unde judicanda sit possessio, quando dubium est, an ea sit penes regulares vel seculares? R. quòd ex ultimo statu, in quo beneficium vacavit; si enim vacavit ultimò per obitum regularis, regulare censendum est, & possessio Regularibus adjudicanda; si per obitum secularis? secularibus. Nam per statum præcedentem beneficium est in possessione constitutum, adeoque sine clara ratione dimoveri ab illa non debet. Ratio hujus est, quòd hoc Ecclesiæ sit favorabile, cùm tali casu in ejus administratione liberius procedat, & imitetur Pontificatum, seu Cathedram, quæ est radix beneficiorum, sic Castropal. *p. 2. tr. 13. D. 1. p. 2. n. 2.* 164

Hæc tamen præsumptio non habet locum. 1. Si Capella sit fundata in Monasterio, quod ejusmodi missarum vel obligationum onera per suos Regulares præstanda recipere potest; quia tunc beneficium præsumitur Regulare, nisi pro illo seculares teneantur: sic Rebuffus in Praxi beneficiorum *n. 6. proœmii.* 2. Si stante tali dubio beneficium vacet per obitum Regularis. Nam in his inspicitur ultimus status rei; quo casu Regulares sine clara ratione in contrarium à sua possessione in dubio dimoveri non debent; cùm tunc sit melior conditio possidentis.

Præter hoc *not.* quòd quamvis in casu dubio beneficium non præsumatur *duplex*, seu *qualificatum*, sed *simplex*, quando illi qualitas est extrinseca, ut contingit in præsenti casu; secùs tamen esse, quando ea est beneficio propria, qualis est beneficium *esse perpetuum*, ut notat Card. Tusch. *lit. B. n. 63.* vel quando præsumptio in dubio est in favorem Ecclesiæ.

Præter ea, quæ præmisimus, quæres 4. an beneficium regulare unius religionis conferri possit Religioso alterius Religionis? R. quòd non ex *Trid. cit. ibi: Religiosis tantùm illius ordinis conferantur*; sic Rebuff. *in praxi benefic. de dispens. cum Regularib. à n. 2.* & Frater Emanuel *qq. Regul.* 165

tom.

tom. 1. *q.* 34. *a.* 8. Sanchez *cit. c.* 29. *n.* 23. hoc enim graviter interdicitur c. *cum singula, de præbend. in* 6. ibi: *prohibemus insuper, ne Prioratus, vel Ecclesiæ, aut administrationes, seu officia unius monasterii, consulta per ejusdem Monachos gubernari, committantur deinceps, absque Sedis Apostolicæ authoritate, alterius Monasterii Monachis si unum ab altero non dependet*; & ideo Pontifex non est solitus concedere Regularibus gratiam assequendi beneficium alterius Ordinis, nisi *transferendo* illum ad Monasterium, ad cujus collationem beneficium assequitur; ita Sanchez *cit. n.* 30. nec duobus Religiosis diversorum Ordinum esse integrum beneficia sua regularia permutare, etiam de licentia suorum Prælatorum, quia neuter est beneficii alterius capax; ita Sanchez *cit. n.* 31.

166 Quæres 5. an beneficium regulare, habens administrationem, dari possit solùm his, qui professi sunt? affirmativam sequitur Barbosa *in cit. locum Trid. n.* 11. Et hoc ita verum esse vult Fagnanus in c. *cùm causam, de elect. n.* 23. ut nec consuetudine contrarium induci possit, eo quòd talis consuetudo sit irrationabilis, & contra bonos mores, c. *nemo*, & c. *Presbyteros*, 16. *q.* 1. & hæc inhabilitas nec potest præscribi, cùm sit contra legem divinam, & naturalem, ut docet Fagnanus *cit.* & Ancharanus.

Ex hoc deducitur juxta horum resolutionem, non professum assumi non posse ad Abbatiam, Prioratum, vel administrationem Ecclesiæ Regularis, idque sive per viam electionis, sive collationis; Sic Fagnan. c. *cùm causam de elect. n.* 11. probans variis Decretis Canonum ibi videndis; & *n.* 13. addens, requiri expressam professionem, nec sufficere tacitam, c. *nullus*, de Regularibus, ubi sermo est de Abbate; & Clement. *ne in agro*, §. *Sanè* de statu Monach. ubi idem dicitur de Prioratu, & administr. Excipit tamen Episcopos seculares, qui licet professi non sint, præfici possunt Regimini Ecclesiæ Regularis. Sic Fagnan. *cit. n.* 17. idque propter excellentiam, & utilitatem dignitatis Episcopalis.

In subsidium verò (ut si deficiant Regulares, aut necessitas urgeat, puta, quia idonei non reperiuntur) beneficia regularia secularibus, & econtra conferri posse, probatur per c. *inter quatuor. de Religios. domib.* sic Reginald *in praxi fori pœnit. l.* 30. *tr.* 3. *n.* 158. Tunc autem dicuntur dari *in subsidium*, si in uno Monasterio non sit persona habilis, vel capax, petatur ex alio ejusdem Ordinis; si nec hoc fieri queat, supponatur Regularis diversi Ordinis; & denique, si nec hoc fieri possit, secularis. Sic Abbas, quem refert & sequitur Azor *p.* 2. *l.* 3. *c.* 26. *q.* 5. & colligitur ex c. *Relatum*, ne Clerici, vel Monachi.

Circa præmissam opinionem notandum, 167 textum *Concilii Trident. Sess.* 14. *de Reform. c.* 10. sic habere: *regularia beneficia, in titulum Regularibus professis provideri consueta*, cum per obitum, aut resignationem, vel aliàs illa in titulum obtinentis vacare contigerit, *religiosis tantùm illius Ordinis, veliis, qui habitum omnino susciperè, & professionem emittere* teneantur, & non aliis, ne vestem lino, lanâque contextam induant, *conferantur*. Ex quo colliges, quæ dicta sunt *n.* 166. intelligenda de beneficiis regularibus in titulum professis provideri solitis. Nam de his expressè loquitur Tridentinum.

Not. 2. cùm in *c. Nemo*, 16. *q.* 1. di- 168
citur: *Nemo potest & Ecclesiasticis obsequiis deservire, & in monastica regula ordinariè persistere: ut ipse monasterii districtionem teneat, qui quotidie in monasterio Ecclesiastico cogitur permanere!* & in *c. Presbyteros*, 38. ead. c. & q. *Presbyteros, Diaconos, cæterosque, cujuslibet ordinis, Clericos, qui Ecclesiis quoquo modo militant, Abbates per monasteria esse non permittas: sed aut admissâ Clericatûs militiâ, monasticis non provehantur ordinibus; aut, si in Abbatis loco permanere decreverint, Clericatus nullatenus permittantur habere militiam, datâ ibidem ratione, quia congruum est, si, cùm unum ex his, præ sui magnitudine, diligenter quis non possit explere, ad utrumque judicetur idoneus:* in neutro tamen, exprimi, contrarium esse *contra legem divinam, & naturalem*; & ideo rectè præscriptioni in contrarium subjecta esse.

Not. 3. non tantum Religiosum uni- 169
us Religionis, esse incapacem *beneficii regularis* alterius religionis; sed nec beneficiorum regularium *alterius Monasterii*, etiam ejusdem ordinis; ita Sanchez *l.* 7. *moral. c.* 29. *n.* 29. Castropalaus *tom.* 2. *tr.* 13. *D. unica, p.* 3. §. 1. *n.* 4. & alii. Prima

pars

Pars constat ex Trid. relato supr. *n.* 167. Secunda verò, ex *c. cùm singula*, §. *prohibemus*, de præbend. in 6. ibi. *Prohibemus insuper, ne Prioratus, vel Ecclesiæ, aut administrationes, seu officia unius monasterii, consueta, per eosdem Monachos gubernari, committantur deinceps, absque auctoritate Sedis ejusdem, alterius monasterii Monachis gubernanda; nec hactenus commissa, dimittantur eisdem:* Sed per eos, ad quos pertinent, liberè ordinentur. *Cùm illis non liceat habere locum in diversis monasteriis, quorum unum ab alio non dependet; nec aliorum monasteriorum (nisi Canonicè transferantur ad ipsa) Prioratus, Ecclesias, administrationes vel officia gubernare.* Qui verò contra prohibitionem præsentem *prædicta* de cætero *alienis Monachis* commiserint, vel dimiserint jam commissa: *eâ vice, ordinandi de ipsis, sint potestate privati; & de eis per diœcesanos (si exempta non fuerint) alioquin, per Sedem Apostolicam, ordinentur. Illi autem, qui ea susciperè, vel susceptа præsumserint detinere, reddantur ineligibiles, ipso jure.*

170 Ex hoc textu sequitur 1. si beneficium regulare sit solitum administrari per Religiosos alicujus Conventûs, non posse Religiosis, *tametsi ejusdem Ordinis sint*, conferri, si unus Conventus non sit dependens ab altero; sic etiam Castropalaus cit. ubi rationem dat, quia Religiosi illius Conventûs, non possunt *jure habito ad beneficium* privari: ac sic, stante solùm hac ratione, à Regularibus illius Conventûs possent liberè eligi; quod videtur contra textum in dicto §. *prohibemus*, ubi *cùm illis non liceat habere locum in diversis monasteriis, quorum unum ab alio non dependet*, 2. Religiosum unius monasterii, non posse, etiam *ejusdem* Ordinis, sed *diversi* monasterii Prioratum, Ecclesiam, Administrationem, vel Officium gubernare, nisi Canonicè ad illud translatus sit, constat ex claro textu in §. *prohibemus*, *supr. n.* 169. Tertio, Religiosum, qui (contra prohibitionem in eo §. contractam) ejusmodi gubernationem suscipere, aut susceptam retinere, præsumserit, *ipso jure ineligibilem reddi*; eos verò, qui ei committunt, vel commissum non revocant, *eâ vice* jure ordinandi de ipsis, esse privatos, & ordinandi potestatem devolvi ad Superiorem. Et ideo *nec Moniali* unius monasterii, sine dispensatione Pontificia, committi potest, *officium* vel *administratio*, alterius monasterii, etiam ejusdem Ordinis, sub pœnis ante relatis, sed de his plura in seqq. à *n.* 182.

Not. 4. Beneficium *seculare*, manere seculare, licet ejus collatio, vel præsentatio spectet ad Regulares; tum quia hæc non est præcipua qualitas, unde beneficium verè sit *regulare*, vel seculare, ex dict. *n.* 162. tum quia utrumque jus à Regularibus præscribi potest contra beneficia secularia, ut rectè notat Sanchez *l. 7. moral. c. 20. n.* 13. Quarè nec ex eo, quòd aliquod beneficium *unitum sit* alteri beneficio regulari, rectè arguitur, illud *esse regulare*, ut dicemus infra; qualiter contingeret; si utriusque unio foret æque principalis; de quo infra; sic Zerola in *praxi Episcop. p. 2. V. Beneficium, dub.* 12. & alii. 171

Not. 5. ex dictis hactenus concludi, beneficium dici *regulare* duplici titulo; nimirum vel institutione, vel legitimâ præscriptione, ut notavimus *supr. n.* 159. Constat enim ex c. *cùm de beneficio. 5. h. t. in 6. relato supr. n. eod.* Ubi notandum, quando ibid. dicitur, *non obstare illi præscriptioni*, quâ legitimè finitâ, beneficium mutat qualitatem (*de regulari transeundo in seculare, vel econtra*) quòd in *cit. c. 5.* dicatur: *Etiamsi Religiosi antè, vel pòst, quandoque ministraverint*; debere intelligi, *ante inchoatam præscriptionem*; nam, si post inceptam præscriptionem contra beneficium regulare, quandoque rursùm in eod. ministrent Religiosi, præscriptio interrumpitur, & non erit legitima; quia textus dicti. c. petit tempus *continuum*, ut ibid. notat Glossa V. *Continuè*; 2. quia continuam ministrationem *pacificè*; quod non verificatur, postquam in eod. beneficio regulari, contra quod seculares Clerici præscriptionem inceperunt, denuò ministrarunt Regulares. 172

Si opponas, quòd textus dicat, *nec præscriptioni obesse*, etiamsi *post illam* quandoq; in illis beneficiis ministraverint; ergo non interrumpitur præscriptio, per ministrationem Regularium in beneficio regulari, subsecutam, post inceptam à Secularibus præscriptionem. R. illa verba: *etiamsi post quandoque ministraverint*, intelligi, *post præscriptionem completam*, si 173

non denuò ministrarunt per tot annos, qui ad novam præscriptionem, contra priorem, requiruntur. Dum enim dixit textus, *vel pòst* intelligitur, dum tamen administratio illa post completam proscriptionem non duravit alio quadragenario tempore; administratio quippe præcedentis temporis extinguitur præscriptione illâ quadragenariâ sequenti: administratio autem prædictam præscriptionem subsequens, non aufert jus ex ea præscriptione acquisitum, nisi tanti temporis sit, quantum satis est ad novam aliam præscriptionem inducendam; Sic Gloss. ibid. V. *post*: & ibi Francus *n.* 6. Felin. *c. in nostra Coroll.* 40. *n.* 41. Paulò post princ. de rescriptis.

174 Ex hoc *Not.* 6. ut beneficium, *naturam mutet* præscriptione, ac fiat de seculari regulare, vel econtra, plures conditiones de jure exigi; primò, ut beneficium illud, *per tempus jure præscriptum*, fuerit administratum à Regularibus, si fuit seculare; vel econtra de quo V. *n.* 159. & 175. Deinde, ut illi Administratores beneficii fuerint in eo instituti, de quo *n.* 178. & quidem tanquam Rectores; & non meri Vicarii, de quo V. ibid. Tertiò, ut administratio fiat à Regulari, tanquam *beneficii regularis*, de quo V. *n.* 179. Quartò, ut conferens beneficium, procedat ex intentione beneficio imprimendi statum illum, quem exprimit ut dicemus in seq. Quintò ut Possessor procedat bonâ fide, hoc est, ut Regularis, Ecclesiam, in qua ministrat, nesciat esse secularem; vel secularis, esse regularem, quia possessor malæ fidei nullo tempore præscribit, c. *Vigilanti*, de præscript. c. *Possessor*, *de reg. juris in* 6. ita Sanchez *cit. l.* 7. *c.* 29. *àn.* 16. quibus positis:

175 Quæres 1. quantum tempus jure præscriptum sit, ut præscriptione beneficium mutet statum? hoc est, ut de regulari transeat in seculare, vel econtra? R. ut beneficium *de seculari fiat regulare*, propterea, quòd administratum sit per Regulares, sufficere tempus 40. annorum, ita communis. Nam præscriptio, etiam contra Ecclesiam, censetur legitima, quantum est ratione temporis, si sit *quadragenaria*, constat ex c. de *quarta* 4. *de præscript.* ibi: *Clericus, ab impetitione Episcopi, quadragenali præscriptione temporis, se tueri possе videtur*; & c. *ad aures* 6. *eod.* ubi Alexander III. postquam dixisset: *jure divino, & humano, meliorem esse conditionem possidentis*, litem contra Ecclesiam, ab alia conventam in causa decimarum, pro Possessore resolvit, causam reddens: *quia quadragenalis præscriptio omnem prorsus actionem excludit.* Et ideo etiam, Ecclesia, licet aliàs *curata*, sufficienter probatur *non curata*, si spatio quadragenario, tanquam *non curata*, collata fuit; sic Glossa in c. *cùm de beneficio*, *de præbend. in* 6. V. *juxta modum*, & Azor *p.* 2. *institut. moral. l.* 3. *c.* 26. *q.* 3. Gonzalez *ad* 8. *reg. Cancellar. Glossâ* 7. *n.* 8.

Dixi, *ut beneficium seculare, transeat* 176 *in regulare*, requiri possessionem administrationis *quadragenariæ*, quæstio est, an idem tempus necessarium sit, *ut beneficium regulare transeat in seculare?* sufficere in hoc casu *decennium*, est aliquorum sententia, ut retulimus *supr. num.* 160. cum annexa inibi exceptione, & sic etiam resolutum esse à majori parte Auditorum Rotæ (prout habetur in decisionibus ejus, tit de præbendis, in antiquis, *decis.* 31. *n.* 1. & in novis, *decis.* 2. *n.* 1.) refert Sanchez *cit. n.* 17. Sed magis fundata videtur sententia, quæ, *ut regulare beneficium fiat seculare*, requirit *idem tempus*, quod jure exigitur, ut seculare transeat in regulare; ratio mihi esse ex eo, quia textus in c. *cum de beneficio* (relato superius 159.) loquitur *eodem prorsus modo* de præscriptione in utroque eventu, petens præscriptionem legitimam; imò prius locutus est de beneficio seculari, dicens exigi, *ut seculare sit, fuisse administratum per seculares tempore sufficienti ad legitimè præscribendum*, & postea descendens ad explicandum *quando sit regulare*, sic ait: Prioratus, qui per Religiosos *juxta modum præmissum est solitus gubernari*; ergo si in priori parte intellexit textus de præscriptione decennali, in posteriori quoque de eadem intellexit, vel in utraque de quadragenaria. Quippe id sonant ea verba, *juxta modum præmissum*, ita tenent Gloss. in c. *cùm de beneficio*, V: *Legitima*, Gonzalez *cit. gloss.* 7. *n.* 36. Azor *cit.* Felin. & complures alii.

Not. autem, dum dicitur, *præscribi* 177 *beneficium*, non esse intelligendum de beneficii *titulo* (nam iste non acquiritur *præscriptione* ut supr. dictum est; sed solùm

Canoni-

Canonicâ institutione) sed *de statu*, nimirum, ut de seculari evadat regulare, vel econtra; sic Felinus *c. in nostra*, de Rescript. *n.* 44. *Not.* 2. in quæstione, an, ut præscribatur *status* beneficii, requiratur in præscribente *titulus*? responderi cum distinctione, videlicet, non exigi titulum, cùm præscribitur, seu inducitur beneficii status *secularis*; quia hæc præscriptio conformatur juri communi, quo attento quodlibet beneficium præsumitur *seculare*, ut diximus *n.* 163. secus, si præscribitur status *regularis*, & agatur de præjudicio diœcesani; ita Dominicus in *c. cùm de beneficio*, *n.* 10. Francus, n. 9. & alii.

178 Dixi, *n.* 174. adhoc, ut præscriptioni *status* beneficii locus sit, requiri, quòd ejus possessor in illo *sit institutus*; nam hoc exigi in casu dictæ præscriptionis, apertè colligitur ex cit. c. *cùm de beneficio*, ibi: quod *tanto tempore*, ab uno, vel pluribus secularibus Clericis, *institutis in eo Rectoribus*, extitit continuè, ac pacificè gubernatum, ut præscriptio legitima sit completa; sic Gloss. ibid. V. *institutis*, & plures alii, ubi nota *institutionem* hìc accipi largè, prout etiam convenit collationi, vel alteri modo Ecclesiæ providendi, ut notat, Rebuffus in Concordat. tit. *de Collationib. §. volumus. V. regularia* Hinc nullum beneficium regulare transit in seculare, licet secularis Clericus in eo ministraverit, *etiam per* 40. *& plures annos*, si hoc fecit solùm, *ut Vicarius*, vel Clericus conductitius; quia sic non verificatur, quòd in tanto tempore ministraverit, *in eo institutus Rector*, quod tamen exigitur, ut constat ex allato textu, ex quo patet etiam ad 2. conditionem à nobis ad effectum dictæ præscriptionis requisitum in *n.* 174.

179 Quæres 2. qualiter ad hujusmodi præscriptionem requiratur, quòd beneficium *v.g. seculare*, contra quod præscribendus est *status regularis*, sit administratum *à Regularibus, ut regulare*? vel tanquam à Regularibus? R. ad hoc opus esse, quòd, si beneficium prætenditur *regulare factum præscriptione*, possessor ejus fuerit institutus in illo beneficio *tanquam regulari*, si prætentitur *seculare*, quòd possessor ejus fuerit institutus in illo *tanquam seculari*; ita Sanchez cit. *n.* 22. & Castropalaus *tom.* 2. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 3. §. 4. *n.* 5. ratio videtur esse ex eo, quòd aliàs possessor non procederet bonâ fide, si sciens beneficium, esse *regulare*, in illo, *tanquam seculari*, vellet institui; aut econtra: & ideo prædicti Authores exigunt etiam, quòd instituens, *tanquam regulare conferat*, ut, quod seculare fuit, transeat in regulare; & econtra; si enim non fieret intentione mutandi statum beneficii per alterius institutionem in illo; jure tituli, sed nudæ administrationis, Vicariæ, vel Commendæ, non mutaret naturam; sic Rebuffus cit. *§. quartò requiritur*, Azor *p.* 2. *l.* 3. *c.* 16. *q.* 3. & alii. Ex hoc fit, quòd beneficium seculare non evadat regulare, si administretur à Regularibus tanquam seculare, & instar secularium Clericorum, qualiter fieret, si beneficio seculari præficeretur Regularis, non jure tituli, sed, ut dixi, Vicariæ, vel Commendæ; vel ex dispensatione, aut in subsidium, de quo superius. Et ideo in conferente requiritur animus, mutandi statum talis beneficii, ut rectè notat Sanchez cit. *n.* 25. quibus præmissis.

Quæres 3. an procedat universaliter, 180
quòd secularibus non possint conferri beneficia Regularia? R. quòd non, nam. 1. spectato jure Novo CC. Trid. Secularibus conferri possunt beneficia regularia, *quæ administrationem non habent*; sed cum hac limitatione, ut *simul* assumant illius religionis habitum, ac se obligent ad emittendam professionem; de quo jam diximus *n.* 161. dixi *simul*, nimirum, dum acceptant beneficium; nam sub hac obligatione Trit. *Sess.* 14. *de Reform. c.* 10. beneficium regulare secularibus concedit, ut notat Sanchez cit. *l.* 7. *c.* 4. *n.* 24. Unde ulterius sequitur, etiam Novitio, jure novo, conferri posse beneficium regulare, carens administratione. Nam juxta Tridentinum *Sess.* 14. *de Reformat. cap.* 10. potest dari beneficium regulare *nondum professis*, imò his, qui habitum nondum susceperè, modò habitum susciperè, & professionem emittere teneantur; Sic dicitur ibi: *regularia beneficia, in titulum, regularibus professis, provideri consueta, cùm per obitum, aut resignationem, vel aliàs, illa in titulum obtinentes, vacare contigerit, religiosis tantum illius Ordinis, vel iis, qui habitum omnino susciperè, profes-*

professionem emittere teneantur, & non aliis, ne vestem *lino, lanâque contextam induant, conferantur*, & ita Congregatio Cardinalium declaravit, Clericis secularibus posse conferri dicta beneficia regularia per ordinarios Collatores, *inconsulto Papa*, dummodo habitum suscipere, & professionem emittere omnino teneantur: quam declarationem refert Gonzalez *in regulam* 8. *Cancell. gloss.* 8. *n.* 78.

181 *Not.* tamen: quando dicitur, etiam in Clerico seculari, cui beneficium regulare, administratione carens, confertur, exigi assumptionem habitûs, *& obligationem*, exactâ probatione, faciendi professionem, posse dubitari, an sufficeret obligatio *aliunde contracta*, v.g. ex voto, quod talis emiserat, ingrediendi Religionem, ac eam provitendi? vel orienda *ex nova conventione cum conferente illi beneficium?* R. eum Sanchez cit. non intelligi de obligatione, qua quis ratione *solius voti* teneatur Religione ingredi, aut in ea perseverare (nam hæc obligatio *voti*, solum Deum respicit) sed *de obligatione, quæ respiciat etiam forum externum ex facta conventione*; qualiter beneficia curata non Sacerdoti concessa important obligationem, intra annum accipiendi Sacerdotium, per *c. Licet Canon*, de Elect. in 6.

182 Quæres 4. an Regularibus conferri possint beneficia *secularia*? de hoc aliquid diximus *n.* 160. pro cujus expositione *not.* 1. quæstionem procedere de beneficiis *secularibus*; nam, an, & qualiter Religiosus *unius ordinis* capax sit beneficiorum etiam regularium *alterius ordinis*; vel ejusdem quidam ordinis, at *non ejusdem Conventus*, sed diversi, diximus à *n.* 165. & 169. Ubi nota, posse in hoc casu moveri quæstionem, an, si contingat fundari novũ Monasterium Virorum, vel mulierum, ac ex uno Monasterio transmitti duos vel tres Regulares ad illud novum, unus vel una eorum jure capax sit, ut per electionem habeat, *administrationem, officium, vel Superioritatem illius novi Monasterii, sine dispensatione?* R. posse 1. suppositâ translatione illius canonicè factâ; constat hoc ex *dict. n.* 169. *in §. prohibemus*, ibi: (*nisi canonicè transferantur ad illa*) posse. 2. Si novum sit dependens ab altero, constat ex eod. §. ibi: *quorum unum ab alio non dependet.*

Difficultas est, an, si, quis ad novum Monasterium inchoandum cum 2. 3. vel pluribus Sociis venit, ac eidem legitimè Præfectus, tandemque defunctus est, unus, vel una ex illis Sociis eligi possit ad illam præfecturam, vel gubernationem dicti Monasterii jam perfectè constituti cum observantia regulari? R. si talis retinet jus prioris Monasterii, à quo novum illud independens est, non esse canonicè eligibilem, &, si factam nihilominus electionem recipiat, ac retineat, ipso jure reddi ineligibilem, ac eligentes pro illa vice privari potestate eligendi, sicut & hos, qui talem electionem ordinant. Ratio 1. partis est ex *c. cùm singula, de præbend. in 6. §. prohibemus*, relato *supr. n.* 169. ibi: illis *non liceat habere locum in diversis Monasteriis*, quod tamen fieret, si retineret jus prioris Monasterii, & simul haberet jus gubernationis novi à priore independentis, nam retento jure priori hoc ipso deficit ratio translationis canonicæ, cùm hæc extinguat jura in priori Ecclesia, vel Monasterio, *à quo*, antè habita: ratio reliquorum est ex *eod. §. prohibemus*, relato *n.* 169. 183

Dices in *§. prohibemus* solùm dici, eum esse ineligibilem, cui retento jure veteris Monasterii, seu cui non canonicè translato, commissa est gubernatio alterius Monasterii ab illo independentis; ergo hæc pœnalis dispositio extendi non debet ad eligentes, & ordinantes electionem, sicut nec ad conferentes, vel confirmantes. R. Cum Sanchez *cit. l.* 7. *c.* 29. *n.* 29. Rebuffo *ibid.* relato, nomine *electionis* in eo textu comprehendi quemcunque modum *collationis* illius beneficii. Quare, quamvis regulariter, nomine *electionis*, non veniat *collatio*: fallit nisi sit eadem ratio, ut contingit in hoc casu, mentio autem *electionis* facta est, quia frequentius fiebant *electiones* in Monasteriis, c. *Monachi in fin. de statu Monachorum.* Nec poterit in hoc Legatus Pontificis dispensare absque speciali commissione, ut bene ait Rebuffus *ibid. n.* 2. quia textus ille dicit, *absque Sedis Apostolicæ Licentia.* Deinde textus expresse loquitur non tantùm *de electis*, sed etiam, qui talem gubernationem *illis committunt* vel *ordinant*; & sic commissa non revocant; quod sanè pertinet ad eligentes, confirmantes, confe- 184

ren-

rentes, nec commissa revocantes; quod propriè est Ordinariorum.

185 Redeundo jam ad Quæstionem propositam *Not.* 2. *Regulares, etiam Novitios, posse assumi ad Episcopatus*, constat 1. ex c. *unico* 18. *q.* 1. ibi: *statutum est, & rationabiliter, secundùm Sanctos Patres à Synodo confirmatum, ut Monachus, quem canonica electio à jugo regulæ monasticæ professionis absolvit, & sacra Ordinatio de Monacho Episcopum facit*, item c. *si Abbatem.* 36. *de Elect. in* 6. ibi: si Abbatem, Ecclesiæ Romanæ immediatè subjectum, *in vestrum Episcopum elegistis, reprehendi exinde nullâ ratione potestis.* Idem habetur in c. *quorundam*, c. si *Religiosus*, c. *nullus religionis*, *eod. in* 6. *& Clem.* 1. *eod. in fin.* Quoniam autem per hæc jura conceditur, quòd Religiosus extra suum Ordinem assumi possit *ad dignitatem Episcopalem*, & nomine *Dignitatis Episcopalis* communiter comprehenditur *quælibet Prælatura, curam animarum habens*, plures volunt, dictam concessionem extendi, ut Regularis etiam *ad eas, absque ulla dispensatione*, eligi possit, sic Joan. Andr. in c. si *Religiosus*, Francus, Imola, & alii cum Sanchez *cit. l.* 7. *c.* 29. *n.* 33. qui tamen excipit Regulares *Mendicantes*, ut hi, absque dispensatione Pontificis, non possint assumi ad Prælaturas curatas extra suum Ordinem, Cathedralibus inferiores.

186 Contrarium tamen, *quoad Prælaturas curatas* universaliter docet Castropalaus *tom.* 2. *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 3. §. 1. *n.* 7. nimirum, nullum Religiosum, absque Pontificis dispensatione, posse admoveri ejusdem Prælaturis Episcopatu inferioribus; rationem dat, quia in Episcopatu est specialis ratio, tum propter ejus dignitatem in gradu perfectionis, ob quam dicitur Episcopus religiosior Monacho, ut tradit *Gloss. cap. nullus religiosus* de elect. in 6. & colligitur ex c. *ex multa*, de voto; Tum quia Episcopatus à beneficio regulari, & seculari abstrahit; eaque de causa in Clement. 1. de electione dicitur: *per hoc autem non intendimus prohibere, quin Religiosus in Episcopum secularis, vel cujuslibet regularis Ecclesia licitè possit eligi:* ergo tacitè insinuatur, respectu Prælatiæ secularis, *quæ Episcopatus non sit*, prohibitionem integram manere; & ita defendit Suarez *tom.* 4. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 19. *fine n.* 27. Et hoc, *quoad Mendicantes* certum est per Extravag. *Dispendiis*, de postulatione Prelat.

Not. 3. Regulares, jure antiquo, absque ulla dispensatione, fuisse capaces beneficii *curati secularis*, ita Sanchez. cit. *n.* 35. dicens, esse sententiam frequentissimam. Probatur ex c. *Quod DEI timorem* 5. de statu Monachorum, ibi: licet autem in Lateranensi Concilio de Monachis caveatur, ne singuli per villas, & oppida, *per quascunque parœciales ponantur Ecclesias &c. quia tamen istud de Canonicis Regularibus specialiter non cavetur, quia, etsi à Monachorum consortio non putentur seiuncti, regulæ tamen inserviunt laxiori, & per antiquos Canones etiam Monachi possunt ad Ecclesiarum paroecialium regimen, in Presbyteros ordinari, & quo debent prædicationis officium (quod privilegiatum est) exercere.* 187

Ex hoc textu sequitur. 1. *Canonicos Regulares*, jure antiquo, fuisse simpliciter capaces *beneficii curati secularis*, imò & Monachos, *causâ prædicationis* 2. Ad hoc non requiri *licentiam Episcopi*, ut tradit Sanchez cit. *n.* 35. Probat hoc textus c. *in Parochia* 61. quæst. 1. ubi Monachus, ad beneficium parochiale præsentatus, *admitti mandatur ab Episcopo, nullâ factâ dispensationis mentione*, & in cap. *quod DEI timorem*, de statu Monachorum dicitur: *posse Monachos ad Ecclesiarum parochialium regimen in Presbyteros ordinari*: si autem dispensatione Episcopi indigerent, nequaquam de illis diceretur *posse* in Presbyteros ordinari, quia non dicitur *fieri posse*, quod extraordinario remedio, quale est dispensatio, indiget, ut rectè dixit Innocent. in c. *Pastoralis*, *n.* 1. vers. *renuntiatum*, de causa possess. & propriet. 188

Nec obstat, dici à contrariis, quòd jus, *prohibens beneficia secularia conferri Regularibus*, nihil excipiat, *nisi Episcopatum*, nam contrarium constat ex c. *quod DEI timorem*, ibi enim excipiuntur etiam *secularia curata*, licet omnino procedat in beneficiis secularibus, quæ *simplicia* sunt, nam hæc nunquam conferri possunt Regulari, ex c. *cum de beneficio*, de præbend. in 6. nec ulla quoad hæc invenitur exceptio, sicut *quoad curata*, in c. 189

quod DEI timorem, ubi, cùm solùm excipiantur *curata*, tacitè negantur *simplicia*, ita communis cum Suarez *tom.* 4. *de Relig. l.* 3. *c.* 19. *n.* 26. Azor. *p.* 1. *l.* 12. *c.* 19. *q.* 3. & aliis. Nec etiam obstat Bulla Pauli IV. quâ omnes Regulares privavit beneficiis secularibus, per ipsos acquisitis, nam ea ipsa deinde per Pium IV. reducta est ad jus commune antiquum, teste Sanchez cit. *n.* 35. Quando autem dicimus, *necessariam non esse dispensationem Episcopi*, intellige, *ut vivat extra claustrum, & disponat de fructibus beneficii*, secus est, si collatio, institutio, vel confirmatio ad eum pertineat, tum enim consensus ejus necessarius est, quem importat talis actus.

190 Licet autem in casu, quo Religiosus assumitur ad beneficium seculare curatum, non requiratur licentia Episcopi, prout dictum est, *requiritur tamen licentia proprii Superioris*, per c. *si Religiosus* 27. de election in 6. ibi. *si Religiosus* (cujus arbitrium non ex sua, cùm velle, vel nolle non habeat: Sed ex illius, quem vice DEI supra caput suum posuit, & cujus imperiosè subjecit, voluntate dependet) electioni de se ad prælationem aliquam extra suum Monasterium, vel suam Ecclesiam celebratæ, *sui Superioris, qui dari ipsam valeat, non petitâ licentiâ, & obtentâ, præsumpserit consentire: consensus sic præstitus non teneat, & in pœnam præsumptionis illius, electio eadem, ipso facto, viribus vacuetur omnino.*

191 Si petas, an adhoc requiratur licentia Superioris *simul cum Conventu*? R. quòd non, ex dict. c. 27. §. *quia verò*, ibi: *quia verò, utrum Religiosis*, consentiendi electionibus de se factis, & ad Prælationes, ad quas electi fuerint, transeundi, *à suis Superioribus, sive fratrum consilio, licentia dari possit?* cùm jura super hoc sint varia, *dubitatur interdum. Nos*, ad hujusmodi dubitationem tollendam, &, ut Ordinationes Ecclesiarum, ac Monasteriorum, in quibus tales electi extiterint, celeriùs & faciliùs valeant expediri: *Decernimus, ut iidem Superiores (suis irrequisitis Conventibus) electis hujusmodi consentiendi, & transeundi, liberam dare valeant facultatem.* Sed circa hoc ipsum plures occurrunt dubitationes. 1. An sufficiat licentia *generalis* per Superiorem data Regulari? ut consentiat suæ electioni, *quandocunque* electus fuerit, 2. An specialis? 3. An cujuscunque Superioris? 4. An dispensatio Episcopi? 5. An Regularis indigeat licentiâ sui Superioris, ut consentiat electioni ad summum Pontificatum de se factæ? 6. An opus habeat novâ licentiâ, ubi jam semel beneficium curatum cum Superioris licentiâ recepit: si novum offeratur? 7. Quid faciendum, si Prælatus nolit petitam licentiam ad acceptandum concedere?

Ad 1. R. negativè ex Clem. ultima, 192
de Elect. ibi: cùm concessa Religioso à Superiore suo licentia, *ut electioni, vel provisioni (si quam de ipso contigerit fieri) suum dare possit assensum*, ambitionis vitio viam paret, *nullius eam existere volumus firmitatis, not.* autem verbum *provisio* supponere *pro quocunque provisionis modo*, per electionem, præsentationem, postulationem &c. Sic Gloss. ibid. V. *Provisioni.* Ad 2. respondet negativè Sanchez *cit. c.* 29. *n.* 60. quòd etiam hic subesset eadem ambitionis ratio, propter quam in *dict. Clement. ult.* reprobatur licentia *generalis*, hinc probabilius est, requiri licentiam consentiendi *tali electioni, quæ de ipso est facta in tali Ecclesia, sic Gloss. in cit. Clement. V. nullius*, quamvis aliqui censeant, sufficere licentiam ad eam dignitatem sub conditione, *si jam esset electus ad illam.*

Ad 3. ex pluribus Doctorum opinio- 193
nibus placet illa, quæ docet, sufficere licentiam Superioris immediati illius Conventus, de quo est Religiosus sic electus, nisi aliud habeant constitutiones proprii Ordinis, nam sic verificaretur sufficienter, quòd non consentiat provisioni de se factæ *sine sui Superioris petita, & obtentâ licentiâ*, prout exigitur in c. *si Religiosus*, de quo *n.* 190. dixi, *nisi aliud habeant Constitutiones Ordinis*; Sic in Societate JEsu nequit Generalis electioni, de se factæ in Episcopatum, consentire absque licentia Societatis, quam ipsa minimè præstabit, sicut nec Generalis, quando aliquis ex particularibus eligitur, nisi compellat præceptum Pontificis, ut habetur 9. *parte constitut. cap.* 4. §. 5. 6. *fin.* Quod tamen intelligendum est, *quantum ad eos Episcopatus, quibus honor, & opes annectuntur:* quippe ad acceptandos, his destitutos,

stitutos, & quibus non honor, sed onus, non opes, sed paupertas maxima inest (quales sunt Patriarchatus, & Episcopatus Æthiopiæ, & similes) posset Præpositus Generalis Societatis licentiam concedere, ubi, acceptare, referret multum ad DEI obsequium: De his enim verificatur illud Pauli 1. *ad Tim.* 3. *qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, quem locum explicans D. Greg. 1. *parte Pastoralis c.* 8. sic ait? *Tunc laudabile fuit. Episcopatum quarere, quando per hunc, dubium non erat, quempiam ad supplicia graviora pervenire; & cùm, qui plebibus præerat, primus ad Martyrium ducebatur, quod similiter in prædictis Episcopatibus contingit*, ità in his ipsis terminis Thomas Sanchez *l.* 7. *decal. c.* 29. *n.* 67.

194 Ad 4. ℟. Distinguendum, an sermo sit de dispensatione Episcopi necessaria, ut Regularis promoveatur ad beneficium, ad quod de constitutionibus proprii Ordinis, aut lege Superioris prohibitus est; vel secus? in 1. casu non requiri, constat ex eo, quia in illis nihil potest Episcopus; in 2. ℟. non requiri, si tale beneficium subest Superiori talis Religiosi pleno jure, privativè ad Episcopum, secus, si ad eum spectet collatio, institutio, vel alius modus providendi, *ex dict. n.* 188. Et si sermo sit de beneficiis curatis, quibus annexa non est *Dignitas* (cùm jure antiquo etiam *Mendicantes* ea potuerint obtinere ut tanquam probabilius tenet Sanchez *cit. n.* 37. *in med. §. Cæterùm*) etiam istis sufficeret licentia Superioris immediati, ut dictum est, quod de Franciscanis specificè affirmat Manuel *qq. regul. tom.* 2. *q.* 55. *A.* 2.

195 Ad 5. ℟. complures, apud Sanchez cit. *n.* 58. sequi affirmativam, sed contrarium dicendum est cum Sylvestro V. *Votum* 3. *q.* 4. Rosella, *eod.* 2. & aliis, quos refert, & sequitur Sanchez ibid. 1. quia electioni Pontificis, *à duabus partibus Cardinalium, sola hæresis* opponi potest, ut notat Sanchez cit. *n.* 58. ex *c. Licet.* 6. de Elect. adeoque nulla exceptio alicujus defectûs alterius, cujus oppositum in aliis electionibus jure humano requiritur, ut constat ex illis verbis in textu: *ille absque ulla exceptione ab Universali Ecclesia Romana Pontifex habeatur, qui à duabus partibus Cardinalium* (nam hi sunt electores, ut ibi dicitur) *electus fuerit, & receptus*; sed consensus electi datus *dependenter à licentia sui Superioris*, in ejusmodi provisionibus Regularium, est requisitus *jure solùm humano*; ergo talis defectûs exceptio, in dato casu, non potest opponi; sed ex dispositione juris pro eo casu, est omnino sublatus.

Ad 6. plures censent, quòd Religio- 196
sus semel legitimè electus, seu effectus Prælatus, aut Parochus, non amplius indigeat licentiâ Superioris Monasterii ad hoc, ut ad aliam Prælaturam, vel Parochiam promoveatur, eò quòd supposito 1. casu, sit ab ejus obedientia absolutus; ita Sanchez cit. *n.* 64. ubi loquens etiam *de licentia Episcopi*, pro hoc casu, ait: *nec exigitur licentia Episcopi*, nisi in solis casibus, in quibus ea esset necessaria ad Clerici secularis promotionem; quia, nullo alio speciali subjectionis modo, Episcopo subditur, quàm alii seculares beneficiati, sic etiam Imola Clem. 1. de Elect. *n.* 41. quod tamen videtur accipiendum de Prælaturis, & beneficiis curatis, omnino independentibus à Superiore talis Religiosi, nec aliud exigentibus Ordinis Constitutionibus.

Ad 7. ℟. Superiorem, qui non justâ 197
causâ ductus negat subdito regulari licentiam consentiendi, suæ electioni, cogi posse per suum Superiorem ad dandam prædictam licentiam. Arg. c. *Nullus*, de Jure Patronat. intelligitur autem per illum Superiorem, qui compellere inferiorem possit, *quilibet Superior* talis Superioris, *injustè* licentiam negantis; tum quia Superior illius Prælati, ejus negligentiam supplere potest, tum quia in tali casu dictæ negligentiæ in Superiore inferiori, jurisdictio devolvitur ad ipsum illius Superiorem immediatum per c. *Quamquam*, de Elect. in 6. & c. *Romana*, de suppl. neglig. Prælat. in 6. Si autem quæras, quando censeatur Superior *injustè* negare illam licentiam? Castropalaus cit. *tom.* 2. *tr.* 3. *D.* 1. *p.* 3. *§.* 1. *n.* 20. censet, quòd tunc, si deneget, licet adhoc concurrat *necessitas, & utilitas Ecclesiæ*, quin sufficiat *sola* utilitas; Sanchez autem citatus *n.* 68. Lessius *l.* 2. de Just. *c.* 41. *dub.* 12. *n.* 97. & alii, censent, sufficere *solam utilitatem Ecclesiæ*, ut

ut Superior *obligetur* licentiam concedere sic, ut, negando, irroget injuriam, consequenter, ut verum sit, quod *injustè* neget.

198 Mihi videtur distinguendum, & dicendum, ut opinio, *negans sufficere solam Ecclesiæ utilitatem*, procedat in casu, quo Regularis, per electionem vocatus ad Ecclesiam secularem, etiam *valde utilis* esset suæ Religioni. Nam tali casu Superior ejus, negans illi licentiam consentiendi electioni, de se factæ, *non obligaretur*, utilitati Ecclesiæ secularis providere, *posthabitâ utilitate suæ Religionis*, vel cum ejus jactura; & ideo, requiri tunc etiam *necessitatem*, præter Castropal. cit. tenent etiam Gloss. in *c. Quàm sit* 18. *q.* 4. *V. ad ordinandum*; Ancharanus *c.* 51. *religiosus*, de Elect. in 6. *n.* 4. & alii: ubi verò talis electus non esset valde utilis, & sine aliquo suæ Religionis detrimento abesse posset, videtur omnino tunc sufficere solam utilitatem, ut ad licentiam concedendam superior etiam obligetur, quo datâ licentia consulat Ecclesiæ etiam secculari per licentiam datam suo subdito regulari, in electionem consentiendi sic, ut etiam in casu hujus solius utilitatis, negando illam, *injustè* illam negare diceretur, nec enim justè negat id, quod bono animarum valde utile est, si concedendo ipse nihil, vel modicum pati debeat, & constitutiones propriæ Religionis non obstent.

199 Dices: ut regularis præficiatur Ecclesiæ secculari, curatæ, sola necessitas sufficit, ergo in nullo casu sufficit *sola utilitas*, *ant. prob. ex c. Priscis, dist.* 55. ubi Gelasius Papa dicit, de Monasterialibus disciplinis *eatenus* ad aliquos esse instituendos, *cùm in Ecclesiis cunctis sunt privatæ Ministris, vel sufficientibus usque adeò despolitæ servitiis, ut plebibus, ad se pertinentibus, divina munera supplere non valeant*, patet etiam conseq. quia hodie nulla talis urget necessitas, cum habeantur sufficienter Clerici seculares, qui talibus Ecclesiis præfici possint. Sed R. mihi omnino videri, non esse præficiendos Ecclesiis secularibus Religiosos, *seclusâ necessitate*, vel *utilitate animarum*, & *divini cultûs*, præsertim eos, qui vi suæ professionis vocantur ad vitam solitariam, DEumque laudandum Psalmis in Choro, & sanctis gemitibus in Cella, quando per seculares Clericos bene provideri potest talibus Ecclesiis, & curæ animarum sine bono Pastore valde periclitantium, an autem hodie, ubique, id fieri possit, aut etiam fiat? relinquimus aliorum considerationi, certè D. Gregorius *homil. in c.* 10. *Lucæ*, meritò ingemiscens, quòd plures animarum instituti Pastores, magis temporalium cupiditati, quàm animarum bono studeant, eos sic alloquitur: *Pensemus, cujus damnationis sit, sine labore hìc percipere mercedem laboris. Ecce ex oblatione fidelium vivimus; sed nunquid pro animabus fidelium laboramus? illa in nostrum stipendium sumimus, quæ, pro redimendis peccatis suis, fideles obtulerunt, nec tamen, contra peccata eadem, vel orationis studio, vel prædicationis, ut dignum est, insudamus.*

200 Negandum igitur est antecedens in dicta objectione, *quantum est hodie.* Nam licet olim opus esset, cum utilitate concurrere necessitatem, hodie tamen satis est necessitas, aut utilitas, ut constat ex c. *pro utilitate*, 16. *q.* 1. ut allegat Sanchez *c.* 29. *n.* 39. videtur tamen rectiùs citari c. *cùm pro utilitate*, quod est 34. in ea causa, & quæst. ibi: *cùm pro utilitate Ecclesiæ aliquos Monachorum Episcopus probaverit in Clericatus officio promovendos, cum Abbatis voluntate debent ordinari:* illa verò, quæ in jure Monasterii de facultatibus offeruntur, *nullâ diœcesanâ lege ab Episcopis contingantur.* Ad *prob. conseq.* respondet Sanchez cit. dato, quòd tales reperiantur (nimirum Clerici non Regulares qui serviant Ecclesiarum *necessitati*) sufficere tamen nunc, *si Ecclesiæ utile sit, Regulares ei præfici*, quod verum esse vult *n.* 40. si talis Regularis ad alia Parochorum ministeria aptus sit, quamvis *ad prædicandum* ineptus, nil obstare, quo minus licitè possit ei Ecclesiæ curatæ præfici ob rationem dictam. Nec obstat c. *quod DEI timorem*, quia intelligitur id esse *Privilegium Prædicationis*, id est, animarum curæ, & doctrinæ, cui Parochi incumbunt, etsi non concionentur. Et ita in propriis terminis tenet Lambertinus de Jure Patronatus, *lib.*

lib. 2. p. 1. quæst. 7. art. 19. n. 22. quod etiam apertè sentiunt Abbas *cap. non est, n.* 9. de voto, Angles in Summa, V. *Dispensatio, n.* 3. Ubi disjunctivè dicunt, si non est aptus *Officio prædicandi*, vel *curæ*, ita Sanchez *loc. cit. l. 7. c. 29. n.* 40.

201 Ex hactenus dictis colligitur, *spectato jure antiquo*, Religiosos, *etiam Monachos*, protuisse præfui Parochiis, ab animarum curæ, si hoc Ecclesiæ necessitas, vel utilitas exigebat, ut constat ex dict. annum: postea verò ab Innocentio III. fuisse immutatum *quoad Monachos*, non autem *quoad Canonicos Regulares*, ut habetur in c. *quòd DEI timorem.* 5. de statu Monachorum, hodierno autem jure, nec Monachos, nec Canonicos Regulares, nec ullos alios Religiosos, vel in perpetuum, vel ad tempus, sine dispensatione Pontificis, posse assumi ad Parochias, vel Ecclesias curatas *seculares* (nisi Monasteriis sint unitæ) & hoc ex Decreto Gregorii XIII. super quo emanavit Declaratio à Congr. Tridentini, quam refert Sanchez *cit, c.* 29. *n.* 71. & Castropalaus *cit. p.* 3. *§.* 1. *n.* 10. Cum aliis, hujus Declarationis hæc sunt verba: *Sanctissimus Dominus noster Gregorius XIII. noluit licere Canonicis regularibus, etiam de licentia sui Generalis, absque permissu Summi Pontificis, assumere curam animarum, etiam ad tempus, multoque minus beneficium curatum ad tempus*; videtur tamen limitandum, ut notat Castropalaus *cit. n.* 11. ut non procedat in casu *necessitatis*, quando scilicet non inveniuntur Clerici seculares idonei, tunc enim præfici potest regularis: sicut econtrà, cùm non inveniuntur regulares idonei pro beneficio regulari, præfici possunt seculares; quia *necessitas* caret lege, cap. *Si quis fortè. de furtis.* Convenientibus enim est beneficium gubernari per Clericos alienæ professionis, quàm omni gubernatione destitui, vel iniquè gubernari, intelligè *tantùm ad tempus*, durante scilicet tali defectu aliorum quamvis aliàs ut notat Mandosius *in Praxi signaturæ gratiæ, tit. de obtinendis dispensat. Monachorum pro beneficiis* affirmet, hodie non dispensari cum Monacho ad beneficium curatum (seculare) obtinendum.

§. 2.

De beneficiis simplicibus, & duplicibus.

ALtera divisio beneficii Ecclesiastici 202
est simplex, & non simplex, seu duplex. *Simplex* dicitur, quod non est aliquâ juris qualitate affectum; *non simplex*, quod, præter rationem beneficii, habet aliquam specialem, & solemnem juris qualitatem. Inter has juris qualitates numeratur. 1. *dignitas*, accepta specialiter, prout distinguitur ab Officio, & Personatu; sic enim sumi solet pro beneficio Ecclesiastico, habente jurisdictionem in foro externo, ut colligitur ex c. *de Multa*, de Præbend. & c. 1. de Consuetud. in 6. Deinde *Officium*, quod sumitur pro administratione rerum Ecclesiasticarum sine jurisdictione; 3. *Personatus*, seu eminentiam quædam, quâ quis, sine jurisdictione fori externi, præcedit alios in loco, in choro, in processionibus, in dandis suffragiis, in subscriptione, &c. 4. *Cura animarum*, de qua dicemus in seqq. Hinc beneficium Ecclesiasticum, solùm institutum ad preces DEO fundendas, aliasque divinas functiones obeundas (ut sunt Canonicatus, præstimonia &c.) carens Dignitate, Officio, Personatu, vel animarum curâ, *simplex* dicitur, ut notat Pereyra in Elucidario *n.* 1284. *v. n. hic n.* 148. advertendum autem, ut monuimus *n.* 145. hoc verbum *dignitas*, quandoq; sumi latè, in quantum supponit pro gradu honoris, seu præeminentiæ, præscindendo à jurisdictione, vel administratione annexa, adque adeo *dignitatem*, in hac acceptione, dici etiam de Officio, & Personatu, secùs, si accipiatur prefsè, prout hic exposuimus, & diximus *n.* 145.

Notandum præterea, cùm beneficium Ecclesiasticum, propriè dictum, & prout in jure Ecclesiastico de illo communiter sermo est, debeat non tantùm institutione sua, sed etiam in subjecto, cujus confertur, esse *perpetuum*, ex *n.* 152. & importet jus percipiendi reditus annuos ex bonis Ecclesiæ, propter officium spirituale, ex *n.* 151. dignitatem, Officium, vel Personatum, quæ his conditionibus carent, non esse beneficia Ecclesiastica propriè, seu strictè sumpta, ut rectè notat Castropalaus *tom.* 2. *tr.* 13. 203

D. 1. *p.* 4. *n.* 3. qui *n.* seq. docet, Rectoratum, & Præposituras Regularium, non esse *beneficia*, tametsi jurisdictionem habeant. Nam Generalis, inquit, Provincialis, Prior, Rector, Guardianus dignitatem habent, quæ est *officium*, sed non quæ *beneficium* sit; cùm non sit jus perpetuum percipiendi fructus, sed solùm sit jus, & regulariter temporale, gubernandi, & regendi collegas, & res Ecclesiasticas administrandi.

204 Ex hoc infert, dictos Superiores posse eligi in Judices Conservatores Apostolicos, juxta textum in cap. 1. 2. & vet. de officio Judicis delegati, in 6. Item posse illis delegari causas à Pontifice Romano juxta textum in cap. *statutum*, de Rescript. in 6. & notavit Azor 2. *p.* instit. moral. *lib.* 3. *c.* 13. *q.* 7. Qui verò, non proprio nomine, & officio domum gubernant, sed alieno, ut sunt Sub-Priores, Vicarii, Vice-Rectores, Vice-Ministri, vel Vice-Præpositi, dignitatem non habent, cui hæc munera, & officia committi possint. Sic Azor suprà.

205 Not. præterea 2. etsi non censeatur, propriè loquendo, *beneficiatus*, cui beneficium non confertur in titulum, hoc est, ad dies vitæ suæ, nec sic habens jus percipiendi reditus, seu fructus, ut diximus n. præced. sufficere tamen, jus *in herba*, seu Spe. Nam, cùm contingat, quòd quis habeat Canoniam, etiam in titulum, hoc est, ad dies vitæ, consequenter perpetuam, sine præbenda *in flore*, seu jure fructum de præsenti, ut notavimus *n.* 143. habet tamen in Spe, seu exspectatione præbendæ proximè vacaturæ; quia *non est congruum, ut præbendâ careat, qui in Canonicum noscitur esse receptus*; *c. Relatum.* 9. *h. t.*

206 *Not.* 3. inter ipsas dignitates esse quandam inæqualitatem, cùm aliquæ sint *minores*; aliæ, *majores* post dignitatem Pontificalem in tali Ecclesia, de quibus egimus à n. 146. Et quoniam nomen *dignitas*, quandoque presse, quandoque laxè, accipitur, & inter ipsas dignitates, etiam strictè sumptas, est quædam inæqualitas, sæpe dubitari potest, an, cùm in dispositione juris canonici mentio fit *dignitatis* simpliciter, ac indefinitè, intelligenda veniat, ut procedat de qualibet dignitate sub eo nomine comprehensa? sive dispositio sit favorabilis, sive odiosa? jam ad hoc respōsum à nobis est à n. 147.

Not. 4. esse distinguendum inter dignitatem *muneris*, & dignitatem *beneficii*, nam Episcopus habet dignitatem *beneficii*, ejus Vicarius, seu Officialis; item Rector, Prior Conventualis, Guardianus &c. Habet dignitatem *muneris*, non *beneficii*, ut diximus à *n.* 203. Ratio autem de dicto Vicario est; nam ejusmodi Vicarius vi sui Vicariatûs, seu Officialatûs habet jurisdictionem; cùm Clericis jus dicat, & res Ecclesiasticas cum jurisdictione administret, ut diximus *lib.* 1. *tit* 28. de Offic. Vicar. ergo habet *dignitatem muneris*; quia tamen hoc munus in eo perpetuum non est, cum extingui possit ab Episcopo, ac eo amotò vel mortuo non vacet, Episcopo valente illud munus vel alteri conferre, vel nulli; ejus dignitas, non est dignitas *beneficii*, ut constat ex n. 203. 207

Not. 5. propriam qualitatem beneficii *curati*, substantialem, seu essentialem esse, quòd quis habeat potestatem ministrandi Sacramenta *proprio nomine, ac ex institutione, & obligatione beneficii accepti*; ut colligitur ex c. *Extirpandæ* 30. *h. t.* §. *qui verò*, ibi: *qui verò paroecialem habet Ecclesiam, non per Vicarium, sed per seipsum illi deserviat in ordine, quem ipsius Ecclesiæ cura requirit, nisi fortè dignitati, vel præbendæ paroecialis Ecclesia* sit annexa, & ita tradit Azor *p.* 2. *instit. moral. l.* 3. *c.* 12. *q.* 3. Gonzalez ad 8. *Reg. Cancell. Gloss.* 6. *à n.* 34. *& alii.* Ex quo deducit Castropalaus *cit. n.* 6. Gonzalez *n.* 65. aliisque ex eo, quòd Episcopus alicui committat Sacramentorum administrationem in aliqua Ecclesia, non in titulum, & ad dies vitæ, sed provisorio tantùm modo, vel in Commendam, non rectè deduci talem esse Parochum, seu Rectorem illius Ecclesiæ *curatum*, quia non est institutus, ut nomine, seu jure suo, administret Sacramenta. 208

Not. 6. Ut quis beneficium *simplex collativum*, seu liberum recipiat collatione legitimâ, in recipiente sufficere *idoneitatem Collatori notam*, sic Gloss. in c. *Monasterium* 16. *q. ult. c. quoniam*, de Jure Patron. V. *qui majoribus.* Quare non requiritur examen prævium per Concursum, 209

sum, vel Examinatores Synodales, idque non tantùm jure antiquo, sed etiam novo Trid. ut docet Gonzalez *ad* 8. *Reg. Cancellariæ Gloss.* 6. *à n.* 242. Hinc examinatus & legitimè approbatus ad Sacros Ordines, examinari non debet, ut ei *simplex beneficium* (intellige *liberum*) conferatur c. *accepimus*, *de stat. & qualit.* ibi: *ad beneficium debes idoneos reputare, quos ad Ordines suscepisti*, excipe, nisi nova causa superveniat, v. g. longa absentia, propter quam illius idoneitas Collatori ignota foret; excipe 2. beneficia *qualificata*, in quibus ratione alicujus qualitatis annexæ (ut si exigeretur specialis industria personæ, consilii, &c.) majori notitiâ opus foret, excipe 3. Canonicatus Doctorales & Magistrales. Hi enim, esto sint beneficia simplicia, non conferuntur sine prævio rigoroso examine, ut constat ex Bulla Sixti IV. & motu proprio Leonis X. de quibus V. Castropalaus *cit. tr.* 13. *D.* 3. *p.* 3. *n.* 1. nec sine Concursu. Idem die, ubi hoc requirunt speciales Constitutiones aliquarum Ecclesiarum.

210 Dices in *Trident. Sess.* 7. *de Reform. c.* 23. dicitur, nullum esse admittendum ad Ecclesiastica beneficia, *nisi prius fuerit à locorum Ordinariis examinatus, & idoneus repertus.* Idem habetur *Sess.* 25. *de Reform. c.* 9. ergo etiam ad simplicis beneficii collationem prævie necessarium est examen. R. Decretum in *dict. Sess.* 7. *c.* 23. non loqui de beneficiis *collativis*, sed *Patronatis*; nos autem in num. præced. solùm agere de beneficiis *collativis*, de quibus V. dicenda *in seqq.* Eadem responsio adhibenda est Decreto Sessionis 25. c. 9. ibi: *si ad inferiores institutio pertineat, præsentati à Patronis, ab Episcopo* juxta alia statuta ab hac sancta Synodo, *examinentur*, alioquin institutio, ab inferioribus facta, irrita sit, & inanis, ubi nota in hoc casu præsentationem, Episcopo faciendam, exigi, *quod effectum examinis duntaxat*, an scilicet præsentatus, in ætate, literis, ac aliis ad ejusmodi beneficium requisitis habeat sufficientiam idoneitatis, licet alterius diœcesis esset, sic Barbos. *in dict. c.* 9. CC. *Trid. n.* 75.

211 *Not.* 7. Quando in *Trid. Sess.* 7. *de Reform. c.* 13. dicitur: *In beneficiis simplicibus* de Jure Patronatus, prævie necessarium esse examen instituendorum, Concilium loqui de beneficiis, quæ sunt Juris Patronatûs *Ecclesiastici*, & cùm Sess. ibid. *Sess.* 25. *c.* 9. *generaliter* loquitur *de beneficiis*, aitque præsentatos à Patronis, si idonei non sint, repellendos, *non præcipere*, ut repellantur, sed solùm dicere, *liceat* repellere; & quamvis in beneficiis, ubi præsentatio, nominatio, vel electio spectat ad personas Ecclesiasticas, præsentatus, electus, vel nominatus, esto sit *notoriè idoneus*, examinari *debeat* ab Episcopo, quando præsentatio, electio vel nominatio pertinet ad Inferiores Episcopo, ut vult Barbos. in Declarationibus *Concil. Trid. ad cit. c.* 13. quia de his solùm beneficiis agit textus *Trident. cit. Sess.* 7. *c.* 13. & *Sess.* 25. *c.* 9. videtur tamen alii *debet* temperandum, ut procedat de debito *convenientiæ*, non *necessitatis*, examen enim illud unicè ordinatur, ut instituens habeat debitam notitiam de idoneitate *instituendi*, quod sufficienter habetur, si, etiam prætermisso examine sit *notoriè* idoneus, & illi hæc notorietas *constet.*

Not. 8. præter constitutionem ido- 212
neitatis in instituendo, in omnibus beneficiis, quæ sunt juris Patronatus sive Laici, sive Ecclesiastici, requiri etiam citationem, & vocationem omnium Patronorum, ut ex illarum præsentatione, & nominatione institutio fiet. c. *quoniam*, de elect. in 6. & quamvis textus solùm loquatur *de electione*; tamen ob eandem rationem, ob quam in electione fieri debet vocatio Patronorum, *ut ex ipsorum voluntate institutio fiat*, constitutionem etiam extendi ad nominationem, & præsentationem; tradunt DD. communiter & Garcia *p.* 9. de benefic. *c.* 4. *n.* 1. Sufficit autem Patronos citari, & vocari *generaliter* per Edictum; Sic Castropalaus *tr.* 3. *D.* 3. *p.* 4. *n.* 8. dicens, id constare ex praxi, & communi usu. Si autem dicas, in c. *fin.* de elect. in 6. dici, citationem esse *nominatim* faciendam, ubi apparet coëlectus, vel oppositor. R. illud non loqui de citatione *Patronorum*; sed ejus; qui competit cum electo, præsentato, vel nominato, adeoque intelligi solum de citatione *electorum*, vel *præsentatorum*; non autem eligentium, vel præsentantium.

Not. 9. durante termino, Patronis 213
concesso ad præsentandum, non esse facien-

ciendam institutionem in beneficiis, quæ sunt de jure Patronatus, etiam simplicibus. 1. Quia durante illo termino potest forte alius Patronus comparere, cujus juri non est derogandum; 2. Quia Patroni Laici, durante illo termino, possunt variare. Similiter, durante termino ad appellandum, vel pendente appellatione contra collationem simplicis beneficiis factam in judicio contradictorio, non posse procedi validè ad ejus possessionem, nec fieri collationem, institutionem, vel confirmationem. Nam appellatio est præcipua defensio, litigantib⁹ à jure concessa, adeoque impediri non potest c. à *Collatione*, junct. c. *non solùm*, de appell. in 6. c. 2. ut lite pendente, in 6. Sed hoc intellige de appellatione judiciali, seu quæ conceditur à jure. Hinc si in collatione vel institutione non fuit processum judicialiter, locus non est appellationi, quia appellatio extrajudicialis non suspendit executionem, nec excusat attentata. c. *cum inter*, de electione c. *constitutis* de appellat. sic Lancellotus de attentat. *p.* 2. *c.* 12. *lim.* 3.

214 *Not.* 10. Beneficium, carens qualitatibus juris, de quibus *n.* 202. censeri debere *simplex*, licet exigat residentiam personalem, si detur in titulum; sic Pyrrhus Corradus in praxi dispens. Apostol. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 32. nam obligatio, etiam personaliter residendi, non reddit beneficium *duplex* excit. *n.* 202. in dubio autem, an beneficium sit *simplex*, vel *qualificatum*? præsumi *simplex*; & eum, qui dicit esse *curatum*, teneri ad hoc probandum; quia qualitas, quæ non est rei propria, non præsumitur, sic Vivianus *l.* 1, *c.* 1. *n.* 73.

215 *Not.* 11. Beneficia simplicia (idem est de curatis) quædam dici, conferri *in titulum*; quædam *in commendam*, in titulum conferri dicuntur, quæ alicui dantur in perpetuum, hoc est, ad dies vitæ beneficiati, ut tradit Vivianus *cit. n.* 140. & constat ex c. *Sanctorum* 2. *dist.* 70. quod desumptum est ex CC. sub Urbano II. habito Placentiæ, ibi: *Sanctorum Canonum statutis consonâ sanctione decernimus, ut sine titulo facta ordinatio irrita habeatur*, & in qua Ecclesia quilibet *titulatus* est, in ea *perpetuò* perseveret. Omnino autem *in duabus* aliquem titulari non liceat, sed unusquisque, in qua *titulatus* est, in ea *tantùm* Canonicus habeatur: *in commendam* beneficium alicui dupliciter potest obvenire; nimirum vel *ad tempus*, vel *in perpetuum*; Commenda temporalis regulariter fit in utilitatem Ecclesiæ commendatæ, dum illi de Rectore provideatur: *perpetuò* verò, in utilitatem Commendatarii. Cœterùm beneficium alicui *commendare*, est illud *quasi deponere apud eum, ut hoc vel ad* tempus, vel in perpetuum regat, gubernet, ac custodiat, sic Castropalaus *cit. tr.* 13. *D.* 1. *p.* 8. *n.* 1. quibus positis.

Quæres 1. an ad hoc, ut quis ob- 216
tineat beneficium simplex, debeat esse constitutus in 14. anno *completo*. R. à Congregatione Episcoporum, & Regularium, ut refert Barbosa in Collectaneis Bullarii, V. *beneficium*, 3. decisum esse, quòd sufficiat annus decimus quartus *inceptus*. Sed de hoc *V. lib.* 1. *tit.* 14. de ætate, qualitate, & ordine, præficiendorum Ecclesiis.

Quæres, 2. an obtinens in aliqua diœcesi beneficium simplex, possit ab Episcopo loci ordinari? Congr. Concil. Trid. apud Barbos. cit. respondit affirmativè; sed intellige, si habeat in titulum; cœterùm de titulo beneficii, sufficiente ad recipiendos ordines, V. dicta *l.* 1. *tit.* 11. *à n.* 2153.

Quæres, 3. an beneficia simplicia 217
converti possint ab Ordinario in Curata? R. negativè ex eadem Congregatione Concil. apud Garciam de benefic. *p.* 11. *c.* 5. *n.* 3. qui *p.* 12. *c.* 2. *n.* 87. ex eadem Congregatione notat, beneficia simplicia, sive Oratoria, Ecclesiis parochialibus unita, non posse ab Ordinario separari, licet illis separatis Parochiales non egeant.

Quæres, 4. an habenti unum bene- 218
ficium simplex, sed non sufficiens ad ejus sustentationem, Ordinarius conferre possit aliud, absque dispensatione Papæ? R. posse; non tamen plura similia usque ad sufficientem sustentationem; Sic Congr. Concil. teste Garcia *p.* 11. de benefic. *c.* 5. *n.* 310. Quare habenti duo beneficia simplicia, licet non sufficientia ad sustentationem, non licet retinere tertium beneficium simplex absque provisione Sedis Apostolicæ; Sic sacra Congregatio

gregatio Conc. in causa Agnanina 13. apr. 1628. apud Barbos. cit. qui hoc extendit, licet illud tertium sit de jure Patronatus & confirmari potest ex dict. *c. Sanctorum.* 2. dist. 70. ibi. *Licet enim, Episcopi dispositione, unus diversis præesse possit Ecclesiis, Canonicus tamen prabendarius, nisi unius Ecclesiæ, in qua conscriptus est, esse non debet.*

219 Quæres 5. an Episcopus, habenti beneficium simplex (idem est de curato) præbens beneficiato congruam sustentationem, dare insuper possit aliud? R. negativè; & si dederit, vacare primum, quod priùs habebat; Si fuit titulare, licet difforme, secundo recepto, si autem beneficiatus ambo retinere tentaverit, accepta pacificâ possessione, vacare utrumque; ita resolvit sacra Congregatio Concil. teste Garica de benefic. *cit. c. 5. n.* 30. Sed de hoc V. in seqq.

220 Cœterùm, esto quis habeat sufficientem sustentationem *in pensionibus Ecclesiasticis*, beneficium tamen illi conferre potest Ordinarius; sic Armendarius tit. 7. de beneficiis incompatibilibus *n.* 37. Similiter secundum beneficium conferre potest Ordinarius obtinenti jam aliud sufficiens, juxta suum valorem, ad honestam possidentis sustentationem, si eo tempore, quo secundum confertur, non sufficiat, v. g. propter onus pensionis tali beneficio impositum, dummodo provisus, post collationem sibi factam, non consenserit pensioni: Armendar. *cit. n.* 37. *dub.* 3. Denique, primum beneficium simplex, ob assecutionem secundi sufficientis ipso jure vacat, secundum verò ita demum vacat, si *sciens* utrumque retinere præsumpserit; ita S. Congregatio in causa Salmantina 31. Maji 1607. apud Barbos. *cit. in fine.* Sed de his infra.

221 Quæres 6. an beneficiatus habens beneficium duntaxat simplex, obligetur ad horas Canonicas? R. affirmativam esse communem inter Doctores in c. 1. *de Celibr. Missarum*, ibi: *Presbyter manè matutinali Officio expleto*, pensum servitutis suæ, videlicet *primam, tertiam, sextam, nonam, vesperamque* persolvat, ita tamen, ut horis competentibus, juxta possibilitatem, aut à se, aut à Scholaribus publicè compleantur; sed intellige, si habeat aliquos ex eo fructus; secùs est, si nullos inde fructus perciperet; sic Garcia de beneficiis *p.* 3. *c.* 1. *n.* 41. si autem beneficium initio, & tempore fundationis ferebat reditûs, sed temporum calamitate, ac injuriis perierunt? respondet Garcia *n.* 44. idem tunc dicendum, quod de habente beneficium non ferente ullos fructus. Ratio horum est, quia, cùm beneficium seu jus temporalium redituum detur propter officium, tanquam justam sustentationem; ubi hoc jus cessat, nequit exigi officium.

222 Quæres 7. an ad horas Canonicas teneatur, qui beneficium quidem accepit in titulum, sed nondum habet ejus possessionem? Respondet negativè Corradus *cit. l.* 4. *c.* 2. *n.* 51. quia in jure non censetur quis habere beneficium, nisi *perfectè* habeat, quod non stat sine pacifica ejus possessione, vel saltem, si per eum non stat, possessionem non obtinuisse. *arg. c. Licet Episcopis*, de præbend. in 6. Si autem possidet beneficium cum titulo, absque fructibus, cum certa tamen spe illos percipiendi, tenetur ad horas Canonicas. Sic enim habet beneficium completum, non frustrando, suâ mercede pro labore.

223 Quæres 8. an quælibet dignitas sit beneficium? Ante resolutionem nota, ut supra diximus, nomen dignitatis esse latissimum, eoque comprehendi non rarò etiam Personatum, & Officium, ut colligitur ex c. cùm *accessissent*, de Constitutionibus. Cœterùm, esto etiam sumatur specialiter pro quadam proeminentia cum jurisdictione fori externi, non eo ipso est beneficium, cùm possit esse dignitas solius *muneris*, ex *n.* 702. *non beneficii* 2. esto dignitas specialiter accepta sit annexa beneficio, si tamen habenti non detur in titulum, non erit strictè, ac propriè beneficium Ecclesiasticum; sic Castropalaus *tom.* 2. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 4. *n.* 4. quia sic caret perpetuitate beneficio propriâ ex *n.* 49. Secùs, si de se sit perpetuum, & in titulum beneficiato sit collatum, quo casu veniet nomine beneficii, non simplicis; sed duplicis, seu qualificati.

224 Hinc etiam notandum, Cancellariatum Academiæ, Authoritate Pontificis approbatæ, esse dignitatem officii, seu muneris, cui causæ Pontificiæ dele-

gari possint; non esse tamen dignitatem beneficii, 1. quia sæpe solùm est manualis, & temporaneus, 2. quia non est jus spirituale percipiendi reditus ex institutione canonica, sic Azor *p.* 1. *l.* 3. *c.* 13. *q.* 9. De reliquis dignitatibus & beneficiis duplicibus, seu qualificatis, cùm sint speciales tituli de illis, *libro I. Decretal.* ibid. actum est, etsi etiam hìc in seqq. complura dicenda sint.

§. 3.

De beneficiis manualibus & non manualibus, seu perpetuis.

225 IN hac divisione beneficii, hoc nomen *beneficium* latè sumitur, nam si accipiatur propriè, ut diximus superius, beneficium supponit solùm pro eo, quod est in se, ac in habente perpetuum. Cœterùm, beneficium *Manuale* vocatur, quod pro voluntate conferentis tolli potest, etiam ex aliis causis, quàm jure permissis; & ideo etiam dicitur *ad nutum amovibile*, quod autem, semel collatum, tolli non potest, nisi ex causis jure permissis, est *non manuale*, & hæc est præcipua qualitas beneficii non manualis, his præmissis.

226 Quæstio est 1. An beneficium manuale sic sit ad nutum concedentis revocabile, ut revocatio, etiam sine ulla causa, præter nudum revocantis arbitrium, facta, non modò sit valida, sed etiam licita? Ad 1. ℟. talem revocationem esse validam, licet facta sit absque ulla alia causa legitima, quam solius arbitrii conferentis, si beneficium pleno jure subsit revocanti: ratio est 1. quia talis beneficiatus possidere nequit illud beneficium, nisi pro tempore, pro quo illi concessum est, est autem concessum solùm ad tempus, quo non revocatur, adeoque pro tempore limitato, dum scilicet concedens revocet. Dixi: si *pleno jure* subsit revocanti, quia potest contingere, quòd beneficium *manuale* sit, & aliquis ei præficiatur *in titulum* à Prælato regulari, quin Conventui pleno jure subsit, sed potius Episcopo quoad approbationem & confirmationem electionis circa ipsum factæ. Tali enim casu solùm ex consensu Episcopi removeri posset; sic Azor *tom.* 5. *l.* 12. *c.* 22. *q.* 10. Sanchez *l.* 7. *in decal. c.* 29. *n.* 118. Suarez *cit. l.* 3. *c.* 19. *n.* 23. quos cit. & sequitur Castropalaus *tom.* 2. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 5. *n.* 6. quia licet Regulares, etiam ab Episcopis, de consensu suorum Prælatorum præficiantur Ecclesiis curatis, & maneant adhuc Obedientiarii, secùs tamen est quoad revocationem, si eis *ut curatis cum intitulatione* præfecti sint.

Ad 2. ℟. revocationem, sine ulla 227
alia legitima causa, quam puræ libertatis in revocante, factam, esse illicitam, primò quia mutatio Rectorum est Ecclesiis damnosa, ergo illicita est sine rationabili causa, 2. quia sic operans non haberet suæ actionis finem honestum. Causa porrò rationabilis, teste Suarez *cit.* quâ sufficienter honestetur revocatio, est non tantùm culpa beneficiati, sed quæcunque utilitas, vel commoditas Ecclesiæ, vel Religionis, si beneficiatus sit Regularis, cùm ea revocatio non sit actus justitiæ, sed solùm prudentis regiminis, & ideo, quamdiu non constat, revocationem esse malitiosè factam, non debet revocatio à revocantis Superiore cassari, sed potius sustineri. Suarez *cit. n.* 20. Si autem quæras, unde possit constare, quòd revocatio *malitiosè* facta sit? ℟. ex his & similibus, 1. Si pendente accusatione, vel inquisitione contra beneficiatum fieret remotio; 2. Si fieret contra consuetudinem receptam, ne intra tale tempus beneficiatus absque culpa removeatur. 3. Si ad instantiam beneficiati fieret inquisitio contra Prælatum, si enim præsumeretur vindictæ animo facere remotionem.

Dices contra primam responsionem 228
in 226. quando in *c. ad Monasterium*, de statu Monach. Abbati datur facultas removendi Religiosum à beneficio, dicitur id esse faciendum, *cùm oportuerit*, sed removere absque causa *non oportet*; ergo 2. qui removet absque causa, removet malitiosè, consequenter absque favore juris, adeoque invalidè, 3. quia sic spoliatus potest implorare officium Judicis Superioris, qui Decretum remotionis potest irritare. Verum alius est usus *validus* revocationis, alius *licitus*, ille non pendet ex causa, sed ex voluntate revocantis; secùs, usus licitus. Quare ad 1. dico solùm sequi, quòd illicitè revocet, cùm revocat sine causa, seu *cùm non oportet.*

tet. Ad 2. ℟. quòd quidem agat malitiosè malitiâ prohibitâ; sed non, annulatâ per jus. Ad. 3. ℟. aliud esse, quòd spoliatus possit *implorare Officium Judicis*, vel Superioris, ut revocationem malitiosè factam cassèt; aliud, quòd possit *adversus spoliantem agere actione spolii*, primum conceditur, secundum negatur; quia actio spolii, adversus spoliantem, solùm datur, quando injustitia, & injuria committitur in spolio, qui autem alicui aufert rem illi datam, quamdiu danti placuerit, ex placito illam revocando, nullam ei facit injustitiam, vel injuriam, ergo.

Quæstio est 2. an, si Prælatus, cui
229 pleno jure subest beneficium manuale, promisit beneficiato, se non revocaturum, & tamen contra promissum revocat, validè revocet? ℟. quòd sic, quia sicut promissio non revocandi testamentum; sic non revocandi beneficium naturâ suâ revocabile est contra naturam testamenti, & talis beneficii, adeoque nulla, ita Sanchez *l. 7. in decal. c. 29. n. 125.* Sed hoc intelige, de promissione non revocandi, *etiamsi esset justa, & legitima causa*; non autem de promissione non revocandi, *nisi ex legitima causa*. Hæc enim promissio tenet; secus, illa, quia natura talis beneficii est, esse revocabilem ex justa causa. Si petas, an seltem agat illicitè in dato casu? ℟. juxta observationem datam, quòd agendo contra primam promissionem non peccaret, quia illa promissio est nulla, secus, agendo contra secundam, quia illa est valida, & licita. Idem dicendum est, si datam promissionem juramento firmasti. Nam illâ non obstante revocatio esset valida; quia juramentum non mutat naturam beneficii manualis.

230 Instari tamen adhuc potest quærendo, quid dicendum sit in casu, quò talis beneficii collatio confirmata esset à Pontifice? ℟. si confirmata est simpliciter, & in forma communi, conferentem adhuc posse validè revocare; quia talis confirmatio est solùm quædam approbatio collationis factæ, quin sit alteratio beneficii quoad suam naturam; aut tribuat plus juris, quàm collatione datum sit: Secùs est, si confirmata est *ex certa scientia in titulum perpetuum*, quia sic intendit Pontifex beneficium non tam, ut quidam volunt; quàm manu alitatem suspendere, quamvis hoc aliàs in dubio non præsumatur, imò tales literæ de falso suspectæ sint, si confirmatio etiam ex certe scientia Regulari tribuat jus pro tali beneficio, ut illud habeat nomine suo, nisi certum sit Pontificem scienter id fecisse, cùm autem contingere possit, quòd Pontifex alicui provideat de beneficio manuali, vel ex jure proprio, vel ex jure devoluto, propter negligentiam conferentis, in hoc secundo casu Pontifex non aliter confert, quàm debuisset is, à quo devolutum est, consequenter validè revocatur etiam sine causa ab eo, qui aliàs conferre potuisset.

Denique Pontifex confert jure, & 231
nomine proprio, tanquam omnium beneficiorum Distributor, dubium est, an, suppositâ illius collatione alicui factâ per Pontificem, Ordinarius conferens possit revocare? negant aliqui, sed probabilius affirmatur cum Sanchez *l. 7. c. 29. n. 135.* nisi Pontifex in collatione *exprimat*, se conferre *in titulum perpetuum* ex certa scientia, ut dictum est n. priori, in tali autem casu, quo Pontifex alicui confert beneficium manuale ex certa scientia in titulum perpetuum, non mutat naturam beneficii absolutè sed solùm ad dies vitæ beneficiati suspendit revocationem. Et ideo beneficium tale, ut primum vacaverit, manuale redditur, ut prius; teste Rebuffo in *Praxi benefic. de pacifica possessione.*

Not. Præterea, beneficium manua- 232
le non censeri revocatum per mortem concedentis, nisi additum fuisset: *ad beneplacitum concedentis*, ratio est, quia mors non revocat voluntatem præexistentem. c. *si delegatus de offic. deleg. in 6.* & Abb. in c. *fin. de precariis n. 6. beneplacitum* autem finitur morte. Unde, in hoc casu, beneficium non vacat revocatione, sed temporis impletione, pro quo concessum fuit. c. *si gratiosè, de rescript. in 6.* cùm autem ferè omnia beneficia secularia, perpetua sint, in dubio præsumuntur perpetua regularia verò, temporalia, seu manualia, quia fere omnia naturam habent manualium; hinc fit, quòd, si alicui conferatur beneficium seculare, vel secundùm naturam suam, vel *ut Curato* videatur hoc

ipso

ipso concedi *in titulum* consequenter ex dictis, ad dies vitæ, dixi, *fere omnia.* Nihil enim obstat, posse nihilominus & beneficia secularia, esse manualia, & regularia, perpetua, nimirum ex fundatione, privilegio Papæ, vel præscriptione, ita Vivianus in *Praxi Juris Patron. l.* 1. *c.* 1. *qui n.* 130. docet, quòd omnia beneficia mundi, sint Papæ obedientialia & manualia, & in beneficiis manualibus non sit locus reservationi, & de beneficio manuali faciendam esse mentionem in impetratione, secundi beneficii.

233 *Notandum* 2. beneficia Parochialia secularia, vel rarò, vel nunquam esse beneficia manualia, quia Parochorum mutatio solet esse noxia Ecclesiis. Hinc *Trid. Sess.* 24. *de Reform. Decret.* 18. ait: *Semel Rector deputatus, non poterit ad nutum removeri à Patronis, etiam quòd allegarent, esse in possessione ita faciendi, sed perpetuò illius Ecclesiæ remanebit.* Et ideo etiam Rota, ut testatur Gonzalez *cit. Gl.* 5. §. 6. *n.* 61. *ad quæst.* an Laicus, fundans Ecclesiam, constituere possit Parochum *ad nutum amovibilem?* respondit negativè. Hinc Ecclesia Parochialis, unita Monasterio, ut per Clericum secularem regatur, tametsi Clericus à Monasterio præsentetur, non est beneficium manuale, sed Vicaria perpetua. Nam illa Vicaria est beneficium seculare; adeoque naturam ejus tenere debet, ita Gonzalez ad *reg.* 8. *Cancell. gl.* 5. §. 6. *n.* 52. Hæc tamen videntur intelligenda, si non sit unita *accessoriè*, sed æque principaliter, cujus ratio constabit infra, ubi de beneficiorum unione.

234 Quæstio est 3. an consuetudine, vel præscriptione beneficium *manuale* transire possit in perpetuum vel econtrà? Negant Abbas, Decius, Rebuff. & Sanchez apud Castropalaum *tom.* 2. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 5. *n.* 21. Sed ipse cum aliis affirmat sub conditione, & ait; negativam esse veram, quoties consuetudo non est contraria manualitati, si autem sit contraria, veram esse affirmativam. Esset autem contraria, si conferens, revocare tentans, à revocatione impediretur, adde, si nec jure contra impedientem ageret. Notandum autem ad *manualitatem* beneficii non pertinere *carentiam revocationis*, cùm hæc, potenti revocare, sit libera; sed *potestatem revocandi*, quâ stante in conferente, beneficium semper manet manuale; hinc ex eo præcisè, quòd concedens non revocaverit, non inducitur consuetudo destruens manualitatem, & inducens perpetuitatem beneficii, secùs est, si revocare volens impediretur, nihil contradicens; ex hoc enim omnino nasci posset consuetudo manualitati contraria.

Quæstio est 4. an beneficia *manualia* 235
possit resignari in favorem alterius, vel permutari? R. posse, dummodo manualitas exprimatur, ne aliàs resignatio, vel permutatio sit subreptitia; ita Vivianus in *Praxi Juris Patronat. l.* 13. *c.* 10. *n.* 32. ratio hujus desumi potest ex *lib.* 1. *tit.* 9. *de Renuntiat. à n.* 2071.

Quæstio est 5. an beneficium *ma-* 236
nuale præstet legitimum titulum, qui exigitur pro ordinandis in sacris? R. remissivè ex *lib.* 1. *tit.* 11. *de temporib. ordinat. à n.* 2151. *Titulus* enim, qui exigitur, debet ab ordinando ad illum, præstare perpetuam vitæ sustentationem, prout non tantùm dicitur jure antiquo, de quo loco cit. sed etiam novo Concilii Tridentini *Sess.* 21. *de Reform. c.* 1. sed hoc non præstat beneficium manuale, seu ad nutum revocabile, ergò.

Cùm hæc scripsissem, quæsitum 237
fuit à non nemine, qui pro Sacris Ordinibus afferebat titulum alimentorum perpetuum, sibi constitutum à quodam Principe Laico, sed non acceptatum ab Ordinario, an posset ordinari ad titulum, quem sciebat acceptandum, sed non obtinendum, nisi pacto inito cum eum daturo, *quòd nunquam ab illo quicquam exiget*, & in casu necessitatis velit uti primo, non rejecto propterea, quòd insufficiens esset; sed quòd copia Sacerdotum exinde non accommodabilium augeretur, valde multis ab eo Principe jam tali titulo provisis. Videbatur dicendum, ipsum non posse ad illum licitè ordinari.

Ratio sumitur ex *c. per tuas* 36. de 238
Simonia, ibi: per tuas nobis literas intimâsti, *quòd, cùm Delator præsentiam vellet in Subdiaconum ordinari, & certum titulum non haberet, quendam Presbyterum*

rum exoravit, ut ipsum ad Ecclesiæ suæ titulum præsentaret: quod, cùm ille facere recusaret, ipse illi firmiter repromisit, quòd nunquam, si presentaret eundem, in Ecclesia sua aliquam peteret portionem: & sic ad presentationem ipsius extitit ordinatus, nec, ut asserit, in hoc te egisse illicitum aliquid, intellexit. Unde, cùm postmodum vellet in Diaconum promoveri, Episcopo commonente, ne quis, interveniente promissione aliquâ ordinatus, accederet idem recordatus promissionis istius, à susceptione Ordinis Diaconatûs cessavit, hoc ordinanti humiliter confitens, & postulans edoceri, *utrum ex compromissione hujusmodi Reus esset? & an liceret eidem in suscepto Subdiaconatus ordine ministraret & ad Ordines ascendere ulteriores?* unde fraternitas tua dixit inquit Pontifex, Apostolicæ Sedis Oraculum requirendum. Nos igitur, inquisitioni tuæ, taliter respondemus: *quòd nisi cum eo fuerit misericorditer dispensatum, nec ad Ordines superiores ascendere, nec in suscepto debet Ordine secundùm rigorem canonicum ministrare.*

239 Nam ex hoc textu clarè sequi videtur, taliter ordinatum irregularem effici, ibi (*nec ad ordines majores ascendere*) nec in susceptо Ordine debere ministrare, quòd suspensus sit propter simoniacam Ordinationem, non quia absque titulo, seu cùm titulo falsò ordinatus sit (nam ex eo suspensionem non incurrebat, ut tradit Gonzalez ad dict. c. *per tuas n.* 2.) sed propter *pactum* initum cum ipso Presbytero, *non petendi portionem aliquam fructuum in ipsa Ecclesia*, ut similiter in *c. fin. h. t.* eadem suspensio incurritur ab eo, qui pacto convento promisit, se non petiturum necessaria ab Episcopo ordinante, qui illi de necessariis providere cogebatur. Nam, cùm iste remiserit quid temporale, videlicet partem fructuum, seu sustentationem sibi debitam, ut spirituale, id est Sacrum Ordinem, assequeretur, ideo Simoniam commisit, nam *remittere*, idem est ac *dare:* probant in terminis textus in *c. alia* 8. *q.* 3. *c. veniens*, & 2. de testibus. Faciunt textus in *L. si mulier* 10. ff. de condict. caus. dat. *L. quin etiam*, ff. de calumn. Docent Ugolinus de Simonia *tabul.* 4. *n.* 3. Quaranta in Summa Bull. Verbo *Ordo*, Gibalinus de Simon. c. 16. consect. 5.

Ex eodem *c. per tuas*, deducunt Suarez *tom.* 1. *de relig. lib.* 4. de Simon. *c.* 38. *n.* 5. Azor *lib.* 12. *instit. moral.* 3. *part. cap.* 15. *q.* 1. hanc suspensionem etiam incurrere eum, *qui extraneo, sibi constituenti patrimonium ad suscipiendos sacros Ordines, promittit, se nihil unquam petiturum:* Sed contrarium, imò in hoc pacto restituendi patrimonium, aut non petendi ab eo, qui illud ad Ordines suscipiendos constituerat, nullam committi Simoniam, nec per consequens suspensionem incurrere, docuerunt Navarrus ad titul. de temporibus ordin. consil. 17. Toletus *lib.* 1. summæ, *c.* 48. *n.* 6. Castropalaus *tract.* 17. *oper. moral. D.* 3. *n.* 2. Garcia 2. *part. de benefic. c.* 5. *n.* 165. Diana *part.* 2. *tract.* 2. *resol.* 5. *Barb. de potest.* Episcopi *alleg.* 20. *n.* 29. quia ista constitutio patrimonii non est aliquid *Spirituale*, nec *vera præsentatio* ad Sacros Ordines, ut quæ in hoc textu præcessit; unde non potuit committi Simonia, & per consequens nec incurri suspensio, de qua in hoc textu. 240

Videtur tamen probabilius, quòd, licet pactum non esset simoniacum, nihilominus illicita foret ad ejusmodi titulum receptio Ordinum, & induceret illam suspensionem, de qua *c. pertuas.* Certum enim est, quòd ordinatus in casu hujus capituli incurrerit suspensionem, ut liquet ex textu in *n.* 238. non ex eo, quòd *ad Præsentationem* Parochi assignato titulo in sua Ecclesia ordinatus sit, nam juxta morem antiquum Parochus poterat Coadictorem præsentare, parte sui beneficii assignatâ, ut tradit Gonzalez in *c. Extirpandæ*, de præbend. ergo ex eo, *quòd præcesserit pactum, nihil exigendi ab eo*, qui talem illi titulum constituit; Sed hoc ipsum etiam contingit in altero casu. Et ratio est, quia licet & constitutio patrimonii, seu tituli alimentorum, & eorum cessio sint quid merè temporale, ambo tamen assumuntur, ut medium ad consequendam Ordinationem in Sacris, quæ est utique aliquid spirituale; nam ordinandus ad hunc finem, & titulum recipit, ac ejus cessionem facit, ergo. 241

Quæstio est 6. an beneficium in se perpetuum, sed alicui concessum revocabiliter ad nutum, in tali beneficiato 242

censeatur *beneficium* communiter acceptum (juxta *n.* 152.) dicendum sit *manuale*, vel non manuale? ℟. cùm in communiore, ac propria acceptione *beneficii*, hujus appellatione veniat solùm intelligendum, quod & *in se* perpetuum est, & *in beneficiato* perpetuatur, ut dictum est *n.* 152. & tradit Sanchez *l.* 7. Decolog. *c.* 29. *n.* 106. & habetur in *c. Sanctorum*, dist. 70. *c. si gratiosè* de Rescript, in 6. & ob id, quæ hoc non habent, non cadant sub regulam Cancellariæ de reservatione, sed nec sufficiant pro titulo mensæ ad Ordines recipiendos, ut diximus, hinc fit, nec pensionem Ecclesiasticam (quia cum Pensionario extinguitur) nec Vicariam Episcopi, vel Parochi (quia nec de se perpetua est, nec confertur institutione) nec illud demum beneficium Ecclesiasticum communiter acceptum; qui in beneficiato tali non perpetuatur.

§. 4.

De beneficiis collativis, electivis, & patronatis.

243 BEneficium *collativum* est, quod absolutâ, & liberâ voluntate Superioris confertur, & ideo etiam vocari solet beneficium *liberum*, circa quod notandum. 1. Si qui sic eligerent, ut illorum electio simul esset *collatio*, tale beneficium potius dici *collativum* juxta Garciam *p.* 1. *de benefic. c.* 6. *n.* 14. & in dubio nunquam præsumi electivum, vel mixtum quia illud est qualitas beneficii non propria, sed extrinseca, & provisioni Episcoporum liberæ derogat.

244 *Not.* 2. Per collationem beneficii, nondum acceptatam, Collatario dari jus *ad beneficium*, seu jus ad rem, ex c. *si tibi absenti* 17. *de præbend. in* 6. Nam factâ semel collatione, Collator de jure retrocedere non potest, sed exspectare debet acceptationem Collatarii infra terminum ad consentiendum præfixum; sic enim cit. c. loquitur Bonifacius VIII. *Si tibi absenti, per tuum Episcopum conferatur beneficium, licet per collationem hujusmodi (donec eam ratam habueris) jus in ipso beneficio (ut tuum dici valeat) non acquiras: Ipse tamen Episcopus vel quicunque alius, de ipso beneficio* (nisi consentire recuses) *in personam alterius ordinare nequibit. Quod, si fecerit, ejus ordinatio facta de beneficio non libero, viribus non subsistet.* Sed si Episcopus (notificata tibi collatione) ad consentiendum *terminum competentem* assignet, *nisi consenseris*, poterit eo lapso beneficium liberè (cui viderit expedire) conferre. Antequam tamen ipsum contulerit, tuum poteris (non obstante, quod lapsus sit terminus) præstare consensum, & ex tunc ipso non poterit aliter ordinari.

Ex hoc textu sequitur præterea, per 245
collationem absolutè factam, & acceptatam, in beneficio acquiri jus *in re*, seu reale, sic, ut Collatarius illud *suum esse*, dicere jure possit, etiam ante adeptam possessionem, cùm textus id neget solùm, *antequam Collatarius collationem ratam habeat*; sic Rebuffus *in Regul. de non tollendo jure quæsito, gloss.* 6. *n.* 38. Sequitur in Spiritualibus, ex solo titulo (ut collatione beneficii acceptatâ) etiam ante traditionem, dominium transferri, sic Barbos. *in cit. c.* 17. *n.* 38. & quoniam Collatarius, post collationem beneficii acceptatam, habet jus *in re*, cum titulo beneficii, propriâ authoritate poterit vacantem ejus possessionem apprehendere, sine alio Superioris, vel Judicis Decreto, quia, non tam suâ, quam conferentis auctoritate, hoc facit; *nisi investitura ad alium*, sive ex consuetudine, vel secundùm Canones spectet.

Dices: Collatio beneficii censetur 246
donatio, c. *Consultationibus.* 4. De donationibus, ibi: *donationes verò, vel Concessiones Ecclesiarum* &c. Sed donatio, absenti facta, ante acceptationem, non sortitur effectum, & revocari potest, ex L. *absenti.* §. *si quis ff. de donationibus*, & L. *Qui absenti, ff. de acquirend.* possessione; ergo etiam collatio beneficii. ℟. cum distinctione: Collatio beneficii est donatio *ex parte donatarii*, seu Collatarii, C. est *simpliciter* donatio, tam ex parte Collatarii, quàm Conferentis, N. *ma. dist. min.* Sed donatio *simpliciter*,

ante

rùm, cujuscunque ſtatus ille ſit, quod verum puto, ſi electus in Epiſcopum adhuc maneat ſubſtantialiter Religioſus, *nonò*, hanc praxim eligendi Religioſos Mendicantes ſervandam eſſe, cùm eliguntur ad Prælaturas *extra propriam religionem*, pat. ex c. *quorundam*, ibi: *ad aliquam, extra adminiſtrationem ſui Ordinis Prælaturam*, quæ clauſula non habetur, quando in textu ſermo eſt de electione *non Mendicantium*, ſed ſolùm dicitur: *ad prælationes quaslibet de ſe factis*, & ideo forma eligendi præſcripta in c. *quorundam* pro electione *non Mendicantium*, ſervanda eſt, ſive ad Prælaturas *extra*, ſive *intra* ſuum ordinem facienda ſit; cùm hæ plus dignitatis, & communiter opes mundanas annexas habeant, quibus carent Prælaturæ *Mendicantium*, ita Sanchez *cit. n.* 29. probabile tamen eſt, poſſe, ac debere intelligi de electione ad Prælaturas ſolùm *extra Ordinem*. Nam licet dicatur: *ad Prælationes quaslibet de factis*, intelligitur tamen de his, de quibus ſermo eſt in prooëmio dictæ conſtitutionis: at ibi ſermo eſt de illis Prælaturis, quarum acquiſitione contingeret, illos immemores ſuæ profeſſionis, prætendere honores, divitias, & delicias, quæ per religionis ingreſſum ſpreverunt. Deinde textus loquitur de Prælaturis, exigentibus in electo, ante conſenſum licentiam ſui Superioris regularis, hæc autem ad Prælaturas proprii Ordinis non requiritur; Sic Caſtropalaus *cit. n.* 7. Nec obſtat, quòd in *c. quorundam*, quando agitur de electione non Mendicantium, dicatur: *vocationibus à minori parte numeri*; ex quo aliqui arguunt, ergo ſufficit eos vocari à parte dimidia, ſeu mediétate electorum; ergo non requiritur major eorum pars. Nam &. cum Caſtropal. *cit. n.* 2. illius verbis hoc ipſo tacitè inſinuari, quod fieri debeat *à majori parte*, juxta *c. quia propter*, quòd non eſſet electio *Canonica*: Cæterùm advertendum, dictum Capitulum non extendi ad electionem beneficium curatorum, jurisdictione carentium; Sanchez *cit. n.* 56. quia ſolùm loquitur *de Prælaturis*; Parochi autem non ſunt Prælati, cùm inter hos, & Parochos diſtinguat ipſum jus in Clem. *dudum* V. *ab olim*, de ſepultur: *decimò* cùm c. *quorundam* ſolùm agat de electione *Mendicantium*, videri à contrario ſenſu, Mendicantes poſſe eligi, ſive poſtulari ad aliquam dignitatem *extra ſuum Ordinem*, ſi electio, poſtulatio, proviſio fiat in concordia; ſed hodie etiam hoc prohibitum eſt per Extrav. Joan. 22. quæ incipit, *Calumniis*, (quam tamen in corpore Juris Canonici non reperio) teſtatur Francus *n.* 2. *Undecimò*, electionem tunc cenſeri factam *in diſcordia*, juxta *Gloſſ. in dict. c. quorundam*, ſive duæ, ſive plures celebratæ ſint electiones, ſive una tantùm, *quando facta eſt aliis contradicentibus*. Præter hæc obſervandum, in beneficiis *electivis tantùm*, neceſſariam eſſe confirmationem electo, faciendam à ſuperiore, qui, ſi electus idoneus eſt, eum ſine injuria electi, & eligentium rejicere non poteſt, ſed confirmare tenetur, quamvis in quibuſdam locis (ut notat Suarez *tom.* 4. *de Relig. l.* 2. *c.* 5.) uſu receptum ſit, ut Prælati Eccleſiaſtici, & Regulares, à Capitulo electi, quamprimùm electionem acceptant, omne jus conſequantur, nullâ Superioris exſpectatâ confirmatione. Cœterùm, quando Eccleſia pluribus ſubjecta eſt, ad proximum Superiorem confirmatio ſpectat; Abbates igitur, & Præpoſiti, non exempti, ab Epiſcopo confirmandi ſunt, electus intra tres Menſes, quorum initium ſit â die acceptationis, ſeu conſenſus, confirmationem petere debet, aliàs electio irrita cenſebitur. Sed de his V. *l.* 1. *tit.* 6.

Beneficium *Patronatum* dicitur, 254
quod eſt de Jure Patronatûs, hoc eſt, quod à Superiore legitimo confertur, non ex libitu, ſed nominante, præſentante, vel deſignante Patrono. Sicut autem electus, *confirmari*, ſic præſentatus, *inſtitui* debet, ut ille in beneficio *electivo*, iſte, *in patronato*, jus obtineat. Aliqui beneficium patronatum, vocant *mixtum*; quod conferatur Patrono *præſentante*, vel nominante, & fiat Superioris *inſtitutione*, ſeu, quod ab Ordinario provideatur non liberè, ſed ad præſentationem Patroni, vel alterius exiſtentis in quaſi poſſeſſione juris præſentandi. Beneficium patronatum aliud eſt de Jure Patronatus *Eccleſiaſtici*, aliud de Jure Patronatûs *Laici*, aliud de Jure Patronatûs *mixti*. Jus Patronatus Eccleſiaſticum eſt, quod competit alicui Collegio

Ecclesiastico, Capitulo, vel Clerico, ratione Ecclesiæ, aut quia beneficium tale fundatum, vel dotatum est de bonis Ecclesiæ, aut quia illi Ecclesiæ à Laico donatur; ita Vivianus de *Jure Patron. l.* 1. *c.* 1. *n.* 144. Jus Patronatûs laicale est, quod competit Laico, ex fundatione, constructione, seu dotatione Ecclesiæ cum consensu diœcesani: Jus Patronatûs mixtum est, quod ex Patronis Ecclesiasticis & Laicis coalescit; sic Castropalaus *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 2. *n.* 2. ex quo colliges, ad dijudicandum, *quale* sit Jus Patronatûs? non esse considerandum, *quis possideat?* sed, *quo titulo?* sed de his ex professo agimus infra *tit* 38. de Jure Patronatûs.

§. 5.

De Præstimoniis, Præceptoriis, Assisiis, seu Mansionariis & Portionariis.

255 QUamvis *Præstimonium*, absolutè loquendo, sit portio ex beneficiorum proventibus detracta in perpetuum (quo distinguitur à pensionibus; nam hæ sunt vitalitiæ, seu concessæ ad tempus) ex fine tamen, in quem ordinatur, distinctionem subit. Nam Præstimonium aliud institutum est tanquam merces, & procœmium, ut conferatur studentibus, aut militantibus pro defensione Ecclesiæ, absque alio spirituali onere: aliud, ut detur Clericis, cum onere recitandi officium divinum; sic Pereyra in Elucidario *n.* 1288. Si Præstimonium sumatur pro subsidio vitæ, dari solito de proventibus Ecclesiæ Clericis, aut Canonicis in Ecclesiis Cathedralibus, habentibus dignitatem, *nisi detur in titulum*, beneficium non est, secùs, si detur in titulum. Nam sic inter beneficia numeratur teste Azor *p.* 2. *l.* 3. *c.* 14. *cit. q.* 1. §. *verumtamen* in c. *quoniam de conces.* præbendæ in 6. ubi addit, habentes Præstimonium, seu tale subsidium vitæ, eo titulo teneri ad horas, & sic Præstimonium numeratur inter beneficia simplicia, cùm de se nullam habeat, qualitatem juris, de qua n. 259. & habentes ejusmodi præstimonia, quæ verè sint beneficia, ab onere & obligatione residendi, sunt immunes, ac liberi 1. quia sic usu & consuetudine est receptum, ut docet Abbas apud Azor *cit. q.* 3. Deinde, quia verùm non est, omni beneficio, jure communi, esse impositum onus residendi. Nam c. *fin.* de Clericis non residentibus, & alibi passim, dici solet, beneficia *quædam* esse, quæ residentiam exigant; *quædam*, *quæ non*, deinde esto, foret de jure communi, consuetudo tamen est contraria, sic Azor *c.* 9. *q.* 2.

Cùm autem Concilium Tridenti- 256
num *Sess.* 23. *de reform. c.* 17. universaliter decreverit, ne *duo* beneficia, etiam simplicia uni Clerico conferantur, quando unum eorum ad vitam sufficit commodè sustentandam, sequitur. 1. quantum est vi Tridentini, duo, aut plura beneficia *præstimonialia*, aut unum cum alio dissimili simul obtineri, etiam Episcopi authoritate, & indulgentiâ non posse in eadem Ecclesia. 2. nec in diversis Ecclesiis, si unum sufficiat ad vitam honestè sustentandam. Cœterùm ad titulum præstimonii, quod dari solet *in titulum* Clericis, posse quem ad Sacros Ordines promoveri, docet cum aliis Barbos. in Trid. *Sess.* 22. *c.* 2. *n.* 13. & *Sess.* 23. *de reform. c.* 8. *n.* 26. sic enim illi provisum est de sustentatione ad dies vitæ.

Præceptoria est Officium Præceptoris 256
in Ordine religioso, pro quo notandum, in quibusdam Religiosorum Ordinibus (præsertim ad militandum, vel excipiendos hospitio peregrinos, vel curandos ægrotos, aut sustentandos egenos institutis) *administratores* domorum, prædiorum, annuorum redituum, vel quorumlibet bonorum, ad ipsum religiosum Ordinem pertinentium, *Præceptores* vocari, qui sint votis obstricti, & regulam sui Ordinis professi, & istorum administrationem seu Officium, *Præceptoriam* dici, de qua, si quæras, an ejusmodi præceptoria sit beneficium Ecclesiasticum? affirmat Azor *cit. p.* 2. *l.* 3. *c.* 26. *q.* 9. cùm reditus jure suæ institutionis Canonicæ, propter suum officium, percipiant, de quibus arbitratu suo in honestos usus disponere possint, imò certam pensionem fructuum, juxta præscriptum regulæ, impendant: & quidem, si talis præceptoria conferatur in titulum, erit beneficium, non *manuale*; si solùm ad

tempus,

ante acceptationem non sortitur effectum & revocari potest, C. donatio tantùm *ex parte Donatarii*, seu Collatarii, *N. min. & conseq.* Ratio communiter assignatur; quia magnum est discrimen inter Collationem, sive *Donationem beneficii*, & inter alias donationes. Collatio enim beneficii, etsi cedat in lucrum, & commodum beneficiarii, *ejusque respectu* sit donatio; non est tamen *ex parte Conferentis* propriè talis; quia Episcopus confert beneficia vacantia ex necessitate, & officio, cùm illa sibi retinere non possit, & conferendo functus sit officio suo. *Arg. c.* 18. *de Jure Patr.* Secùs est in donatione propriè dictâ, quæ procedit ex verâ & liberâ voluntate donantis, qui posset sibi retinere, quod donat; ideoque meritò ante acceptationem revocare potest, imò & post ex causa ingratitudinis, juxta *c. ult. de donat.* & ideo Pontifex etiam beneficium, quod aliàs est liberæ Collationis, vocat *non liberum* ut patet ex textu in *n.* 244. non quòd non sit ei liberum libertate excludente dependentiam ab electione, vel præsentatione; sed quòd non sit ei liberum, alicui conferre, vel non conferre, sed sibi retinere.

247 Sequitur 3. quòd Collatarius intra terminum præfixum, debeat consensum dare; aliàs collatori eo ipso, post lapsum termini, liberum manere, alteri conferre beneficium, sic tamen, ut, etiam post elapsum terminum, consensum præstare valeat, si Collator nondum alteri contulit, ut Collator alteri conferre non possit; quia, etiam tali tunc consensu præstito, Collatarius acquisivit jus *in beneficio*, seu *in re*, ut dicere, *suum esse*, possit, per c. *si tibi*, de præbend. in 6. relato *n.* 244. potest autem hæc acceptatio fieri per Procuratorem, modò is speciale mandatum habeat ad acceptandum beneficium, saltem in genere, & indeterminatè, ut, *cùm aliquid vacaverit*; si autem habeat mandatum generale, & acceptet, acceptatio pariter valebit, modò tu intra tempus præfixum ejus acceptationem ratam habeas; quia etiam in his, quæ speciale mandatum exigunt, ratihabitio locum habet *c. fin.* de jure jurand. in 6. §. *idem fiet*, ibi: *idem fiet, si (te expresè mandante, vel etiam ex post facto sciente, ac ratum habende, seu non revocante) positiones, aut responsiones hujusmodi contrarias tuo nomine tuus fecerit Procurator.*

Præter hæc not. quòd is, qui scien- 248
ter præbendam, quam conferre non poterat, contulit ignoranti, & bonam fidem habenti, tali præbendâ evictâ teneatque ei providere, cùm primum potest, de alio beneficio vacante, & quidem sic, ut si illud alteri, & non ipsi conferat, collatio sit nulla; prob. ex *c. inter cætera* 17. *h. t.* nam, *cùm H. & G. desiderarent permutationem Præbendarum suarum*, & illas in manus Papæ, ut apparet, resignâssent, isque jussisset præbendam Laudunensem dicto H. Assignari; interveniens verò Episcopus Laudunensis de eadem præbenda investiviſſet M. P. mandat Pontifex, ne, *donec idem M. P. præbendale beneficium in illa fuerit Ecclesia assecutus*, ulli alii præbendam ibi assignet; ut quia præbendam ei, *quam jure non potuit*, assignavit, eam quam de jure potest, assignet, ne priùs præbendam fraudulenter ei videatur assignâsse.

Idem habetur. 7. *q.* 1. *c. Præsentium* 249
3. ubi, cùm quidam Episcopus Presbyterum, qui propter ægritudinis causam, per duorum mensium spatium suæ Ecclesiæ defuit, alium in eadem Ecclesia ordinâsset, Gregorius ad Maximianum, Episcopum Syracusanum ita scribit: hortamur Fraternitatem tuam, ut causam ejus solicitè perquiras, districteque discutias, & si manifestæ ægritudinis, sicut dicitur, causâ, Ecclesiæ suæ eum defuisse repereris, *nullum ei ex ordinatione alterius Presbyteri permittas præjudicium generari: sed in locum suum sine aliqua eum fac dubietate restitui.* Illud autem Charitatem tuam specialiter admonemus, ut si vera fuerit hujus suggestio, atque in suum fuerit ordinem restitutus, *de Presbytero, qui in loco ejus ordinatus est, subtiliter, districtèque debeas esse solvitus*; &, si quidem *sine datione aliqua* ad eundem ordinem pervenerit, ut in simoniacam hæresin non potuisset incidere *in alia quacunque vacante Ecclesia eum volumus ordinari.* Sin autem in eo quippiam (quod avertat Dominus) fuerit tale repertum,

Pertum, ipso etiam Presbyteratus privetur ordine, quem non causa replendæ necessitatis Ecclesiæ, sed sola comprobatur ambitione suscepisse.

250 Beneficium *electivum* est, quod datur per electionem eorum qui habent jus eligendi ad Ecclesiam vacantem, à legitimo Superiore confirmatam; de beneficiis electivis ex professo egimus *lib.* 1. *Decret. tit.* 6. *de Electione, & electi potestate.* Illud hìc notandum, quòd, cùm non tantùm in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, sed etiam in Monasteriis, & Collegiis Regularium, vacante prefecturâ, vel Superioratu, illis *per electionem* provideri debet, non possit ad ejusmodi præfecturam, vel Superioratum, aut Officium seu administrationem promoveri *per electionem* Religiosus alterius Ordinis, ut diximus, *n.* 165. nec etiam Religiosus ejusdem Ordinis, sed in alio professus, nisi illud ab isto sit dependens, vel ad hoc sit Canonicè translatus, ut dictum est *n.* 165. ne scilicet locum habeat in diversis locis, à se invicem non dependentibus, possit tamen *postulari*; cùm impedimentum, obstans ejus *eligibilitati*, sit juris humani, ut *loc. cit.* ostendimus.

251 Observandum autem ex *c. Quorundam*, de Elect. in 6. à Bonifacio VIII. constitutum esse, quòd nulli Religioso, quorumlibet mendicantium ordinum, ex electione, postulatione, provisione, sive vocatione ad aliquam, extra administrationem sui Ordinis, Prælaturam, in discordia de se facta, jus acquiratur, nec eorum aliquis tali provisioni, quoquo modo, valeat consentire, etsi Superioris suis accesserit licentia; Religiosi quoque alii, cujuscunque conditionis, neque ipsi provisionibus, aut vocationibus, à parte minori Capituli, vel Collegii, ad prælationes quaslibet, de se factis (quæ, utpote adversantes *c. Quia propter* nullam tribuunt vim) audeant consentire, etsi licentia suorum intervenerit Prælatorum.

252 Circa hoc. *c. Not.* 1. in illo sermonem esse de electione *passiva*, non activa, ut pat. ibi: *electioni de se facta*, & infra, *electionibus de se factis.* Deindè, textum loqui non solùm de electione, sed etiam de præsentatione. Hæc enim sub nomine *vocationis*, aut *provisionis* comprehenditur, cùm æque ad vitandas lites, & ambitionem prohibitionis militet in illa, *tertiò*, electionem in discordia factam, non convalescere, esto postea (tractu temporis) accedat eligentium concordia (excipe electionem Pontificis *c. licet de Elect. in* 6. ac electionem Monialis, *c. indemnitatibus eod.*) quia, quòd in principio nulliter gestum est, tractu temporis non convalescit, nisi in casibus jure exceptis, *quartò*, textum non loqui de beneficio *simplici*, cùm expressè loquatur de administratione, & Prælatura; Sanchez *cit. l.* 7. *c.* 29. *n.* 51. *quinto*, si Mendicans transeat ad ordinem non Mendicantium, & *tunc* eligitur, eum non indigere omnium, sed tantùm majoris partis eligentium consensu, quia sic non eligitur, nisi *non Mendicans*; Contrarium dicendum foret, si non Mendicans transiret ad ordinem Mendicantium; *Sexto*, electionem *à pluribus* dupliciter fieri posse. 1. jure *Collegii, Communitatis*, vel *jure singulari*: si jure Collegii eligitur, electio facienda est à majori parte Collegii, si autem fiat, jure singulari, etiam 4. faciunt majorem partem, ut si ex decem, quatuor eligunt *Petrum, tres Paulum*, tres *Jacobum*; sic Castropalaus *cit. §.* 2. *n.* 2. *Septimo*, quando dictum est, requiri consensum *omnium eligentium*, intelligi etiam de consensu eligentium excomunicatorum, & jure inhabilium ad eligendum, modò sint capaces *defacto*, licet non *de jure*; sic decisum est in Clement. *quod circa* de Elect. non intelligitur tamen de his, qui sunt incapaces ex eo, quòd non sint in sacris, vel professi, aut careant ætate requisita, nec etiam de absentibus non vocandis, vel vocatis, & nolentibus, aut suffragio renuntiantibus: quia hi, non jurisfictione, sed facto sunt inhabiles ad eligendum.

Not. 8. esto probabile sit, Religio- 253
sum, semel legitimè electum, non indigere amplius ea forma (quæ præscribitur in *c. Quorundam*) adhoc ut in aliam Prælaturam eligatur, in praxi tamen secundam electionem faciendam esse, uti facta est prima, ita Sanchez *l.* 7. *c.* 29. *n.* 48. quia illa forma præscribitur servandam in electione *Religiosi ad Prælaturam*,

tempus, *manuale*, sed *regulare*, quia solis Regularibus ea administratio convenit, de quibus aliquid insinuatur *c. cùm Deputati* 1. de judiciis, ubi Innocentius III. ad Magistrum, & Fratres militiæ Templi, in Italia constitutos, rescribens, ait: Accepimus, quòd quidam, tam seculares, quam Ecclesiastici Judices, illos, quos habetis in domibus vestris *Præceptores*, in causis ad prosequendam suam justitiam non admittunt, tanquam licitum non sit eis super litigiosis negotiis curam gerere, qui pacificis decreverunt studiis inhærere, illud allegantes in repulsione eorum, *quod eorum ipsis generatio non est nota*; qui undecunque venerint gratia divina vocati, dum laudabiliter exequantur officium sui Ordinis ex superabundanti requiritur suæ notio nationis, quibus positis, respondit: *ne quis* igitur, *in prosecutione causarum, Præceptores eosdem, ab agendo, vel respondendo, occasione hujus repellat, auctoritate præsentium inhibemus.* Ex quo colligitur, Regulares de consensu sui Superioris in causis civilibus suorum Monasteriorum, vel Collegiorum, habere legitimam personam standi in judicio, *nomine communi*, de quo ex professo egimus *l. 2. tit.* 1. de Judiciis, ubi etiam ostendimus, id posse, *etiam nomine suo*, in rebus suis, Scholasticos nostræ Societatis.

258 *Assisii*, seu *Mansionarii*, ut notat Azor *cit. c.* 9. *q.* 1. vocari solebant quidam beneficiarii, qui in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis non quidem erant Canonici, servire tamen debebant in choro & precibus horariis, vel etiam Altaris Ministerio, aut Sacris celebrandis, ob id obtinentes portiones integras, aut dimidias. In Hispaniis etiam *Portionarii* vocari solent; alibi *Canonici de Mensa*, aut Canonici *instituti*. Ejusmodi *Assisii* dicuntur habere beneficium in tali Ecclesia, ut not. Azor cit. & tenentur ad residentiam. Nam esto consuetudine inductum sit, ut simplices Beneficiarii, qui non sunt Canonici, aut Portionarii, possint ab Ecclesia abesse, modò per alios Ecclesiæ deserviant; ut notavimus *n.* 262. & docet Azor cit. quia tamen hi sunt *Portionarii*, istis consuetudo non favet, & pat. ex c. *ad hoc* cit. ubi Greg. 9. mandat, Archiocheno Patriarchæ, ut revocet ad residendum Canonicos, & *Assisios*.

Præter hæc not. esse quædam beneficia, quæ *portiones* vocantur (& illa obtinentes, *Portionarii*) earum nomine intelligendo; illos proventus Ecclesiasticos, qui ad vitam sustentandam in Ecclesiis, Cathedralibus, vel Collegiatis dantur certis Clericis, qui non sunt ejus Ecclesiæ Canonici, nec cum illis admittuntur ad communes tractatus; cum Canonicis tamen in Choro divinas laudes cantare, ratione sui muneris, & Officii, debent: ejusmodi *portiones* sunt beneficia simplicia: sunt *beneficia Ecclesiastica*, quia sunt jus percipiendi reditus Ecclesiasticos propter spirituale Officium ex institutione Canonica; sunt *simplicia*, quia ex institutione sua carent cura animarum, jurisdictione externa, præeminentia, & administratione, quibus positis. 259

Quæres 1. an Clerici, habentes ejusmodi portiones, in suis Ecclesiis commorari, aut residere de jure cogantur? Respondet Azor *cit. c.* 10. *q.* 3. ante Tridentinum usu receptum fuisse, ut, licet abessent, per alios deservirent: Cæterùm hodie in Trid. *Sess.* 24. *de reform. c.* 12. statutum est, ut in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, *habentes portiones*, vigore nullius statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses, per annum, à suis Ecclesiis abesse possint, salvis tamen Ecclesiarum constitutionibus, quæ minorem absentiam concedunt, & paulo post subjungit: *omnes divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia.* 260

Quæres 2. an quis possit habere simul duas, aut plures portiones? R. in Trid. *Sess.* 24. *de reform. c.* 17. decerni, quòd Episcopus possit Clerico unum beneficium habendi, quod ad ejus vitam honestè sustentandam non sufficiat, aliud simplex conferre, *dummodo utrumque non requirat residentiam personalem.* Ex hoc sequitur 1. quòd Episcopus nec in eadem, nec in diversis Ecclesiis, possit alicui *duas portiones* conferre, *portio* enim, ut dictum est, requirit residentiam personalem, sequitur 2. habenti portionem insufficientem honestæ sustentationi posse conferri aliud dissimile beneficium simplex, quod jure, consuetudine, vel privilegio 261

vilegio non exigit residentiam personalem. Limitat tamen Azor *cit. q. 4. dummodo utrumque non habeat in eadem Ecclesia.*

262 Præter hæc *Not.* 1. Clericos *Portionarios*, olim, dictos esse *Congiarios*, à congiario, seu congio, quod erat munus Imperatoris, dari solitum populo ad victum. Hinc etiam certa victûs ratio in Ecclesiis dari solita Clericis, *congiarium* vocabatur, & accipientes *Congiarii.*

Not. 2. *portionem*, de qua in præsens agimus, aliam esse *integram*, aliam *dimidiam.* Portio integra est dimidius proventus annui proventûs, qui singulis Canonicis obvenit, dimidia verò est quarta pars annui, proventus Canonico dari soliti, sic Azor *p. 2. Inst. moral. l. 3. c. 1. q. 5. fine.*

§. 6.

De Patrimonio.

263 AGimus hìc de *patrimonio*, quia quandoque (nimirum ad effectum recipiendi Ordines justo titulo) supplere potest *titulum beneficii. Patrimonium*, in rigore latini sermonis (teste Pereyra in Elucidario n. 743.) dicitur, quod nobis à parentibus relictum est, vel à majoribus obvenit. Tullius *pro domo sua*, ibi: *Liberis autem nostris, satis amplum patrimonium paterni nominis, ac nostræ memoriæ relinquemus.* Frequenter tamen pro quibuscunque facultatibus, & bonis accipitur, & pro quocunque lucro, ad quod potest quis honestis rationibus anhelare. L. *Jura §. 1. ff. de muner. & hon.* Unde *in bonis esse*, ac, *esse in patrimonio*, idem valet *L. 1. ff. de Usuf. earum rer.* In jure, *patrimonium sacrum* accipitur pro eo, quod est Ecclesiæ, vel Imperatoris *L. 1. C. de indiction. lib.* 10. *juxta Gloss.* Cœterùm *Patrimonii appellatione*, strictè, venit res Patris, seu hæreditas, quæ à Patre obvenit Filio. L. *cogi ff. ad Trebell. generaliter* verò continentur omnes res, & bona, quæ obvenerunt alicui undecunque, sic Rebuffus ad L. *Rei appellatio*, *pag.* 45. ex quibus patet, *bona patrimonialia*, idem esse, ac *Patrimonium.*

264 Sed *Not.* quando dicitur, *Patrimonium* sufficere pro titulo ad recipiendos Ordines, patrimonium accipi *generaliter.* Nam habens tantùm de bonis, unde vivat, & honestè sustentetur, licet habeat ex mera donatione, habet sufficientem titulum, ut ad sacros Ordines promoveri possit. C. *Tuis de præbend. c. Episcopus*, *eod.* ubi tamen adverte, in *Trid. Sess. 21. de Reform. c. 2.* dici, talem ordinari non posse *ad patrimonium*, nisi Episcopus judicaverit, eum esse assumendum pro necessitate, vel utilitate suarum Ecclesiarum, id, quod etiam declaravit S. Congregatio Cardinal. pro dubiis Trident. apud Azor *cit. c. 4. q. 1.* quibus positis-

Quæstio est 1. an patrimonium, ra- 265
tione cujus aliquis est ad sacros Ordines electus, sit beneficium Ecclesiasticum? R. negativè, quia non *vacat* obitu talis Clerici, sed transit ad hæredes; nec ab Episcopi authoritate in beneficium transivit; & si quod habuit, retinet onus pendendi decimas. Abb. in c. *Tuis* de præbend. in 6. Advertendum autem, *patrimonium*, cujus titulo quis est in Sacris ordinatus, non posse alienari absque consensu Episcopi (idem est de aliis bonis, quorum causa quis ordinatus est) *donec* beneficium Ecclesiasticum habeat, & aliunde obtineat, unde commodè vivere possit; sic communiter DD. in cit. *Tuis*, & constat ex Trid. *Sess. 21. c. 2.* Si autem nactus sit beneficium, tutâ conscientiâ potest patrimonium alienare, sic Azor *cit. c. 4. q. 3.* si dicas: ergo etiam is, qui v. g. habet titulum mensæ ab aliquo, & ad illum ordinatus, obtinuit beneficium in titulum, licitè potest sine consensu Episcopi, illi titulo mensæ renuntiare. R. posse, quia decretri Tridentini, alienationem prohibens, solùm loquitur: *donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens obtineat*, vel aliunde habeat sufficientem sustentationem.

Quæstio est 2. an sit necessarium ex- 266
primere, *haberi patrimonium sufficiens*, si quis Papæ supplicet pro conferendo beneficio? R. debere exprimi, si velit impetrare per rescriptum *justitiæ*, non, *gratiæ.* Sic Azor *cit. q. 4.* Rescriptum, seu *literæ justitiæ* vocantur, quibus conceditur Clerico beneficium *intuitu indigentiæ*, & ideo dicuntur dari in forma communi: quando autem Pontifex dat *liberaliter*, & non intuitu paupertatis, seu indigentiæ dicuntur *literæ gratiæ*, & dantur in forma

ma speciali; Abb. c. *postulati*, de rescriptis.

Quæstio est 3. an Clericus habens sufficiens patrimonium ad vitam honestè sustentandam, possit nihilominus beneficium petere, & accipere licitè? R. posse, quia nemo est fraudandus mercede suâ. Beneficium autem est laboris & officii spiritualis merces, sic Innoc. Host. & Abb. in cit. c. *postulati.*

267 Præter hæc not. 1. quando diximus *ad titulum* pro sacris Ordinibus sufficere *patrimonium*, intelligi de illo, quod quis habet cum *jure in re*, non autem, *jure solùm ad rem*, sic Azor *cit. q.* 6. Hinc electus ad beneficium sed nondum confirmatus, ad ejus titulum ordinari non potest. Nec obstat L. *qui actionem*, ff. de reg. juris, ubi dicitur: *qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur*; quia lex illa loquitur de recuperatione, per *rei vindicationem*, seu actionem realem, quæ supponit jus *in re.*

268 *Not.* 2. per *patrimonium* hic non intelligi *bona mobilia*, nisi talia sint, quæ statim converti possint instabiles, & sufficientes reditus annuos. Hinc ordinatus in sacris, quia dixit se habere sufficiens patrimonium, cùm tamen non haberet, nisi mobilia, non excusatur à pœnis juris, nisi talia sint, quæ saltem convertat in reditus annuos, ut dictum est, sic Azor *cit. q.* 7. quando autem movetur quæstio, *an patrimonium, ad quod ordinari desiderat, sit sufficiens*, nimirum ad vitam ordinandi? id esse decidendum arbitrio Judicis, qui vel est Episcopus, vel Judex apud quem jurati testes dant de sufficientia testimonium, notarii fide subscriptum. Sed de hoc, vide novam constitutionem Innocentii XI. de qua latè actum est *lib.* 1. *tit.* 11.

Not. 3. Patrimonium esse sufficientem titulum ad Sacros Ordines, modò sufficiat ad ordinandi honestam sustentationem, licet adhuc non sit divisum à cummuni massâ hæreditaria ipsi communi cum aliis fratribus, sit Azor *cit. q.* 9.

Not. 4. per statuta, quæ fiunt *de Beneficiatis*, non comprehendi Clericos, habentes solùm titulum patrimonii, vel quid simile, quod beneficium non est, intellige saltem *in odiosis*, ut eruditè observat Azor loc. cit. demum, ad multas anxietates cavendas, evitandas, Beneficiatos non esse cogendos ad sustinenda onera, quæ in fundatione, vel institutione, aut statutis non reperiuntur, vel *ad quæ* ex antiquissima consuetudine non tenentur, sic Barbosa in *Sess.* 7. *c.* 5. *Trid. de reform. n.* 8.

§. 7.

De Commendis.

QUid sit beneficium *in commendam* alicui dari, vel conferri? diximus *n.* 274. ubi etiam præmisimus, *commendam*, aliam esse *perpetuam*, aliam, *temporalem*, & hanc non esse beneficium Ecclesiasticum ex *n. cit.* illamque fieri, in utilitatem Commendatarii, istam regulariter, in commodum Ecclesiæ commendatæ, quibus positis. 269

Quæres 1. quo jure, ac potestate gaudeat *Commendatarius perpetuus?* R. quòd juribus gaudeat iisdem, quibus gauderet proprius Beneficiatus, sic Garcia *p.* 4. de beneficiis *c.* 4. *n.* 48. Unde fructus beneficii commendati, seu, (ut notat Rebuff. cit. de Commendis *n.* 1.) *in custodiam dati*, facit suos, & liberè de illis disponere potest libertate, quam jure habent alii beneficiati. Garcia *cit. n.* 20. Similiter sicut, quilibet alius Beneficiatus sic talis Commendatarius, potest locare fructus, & possessiones Ecclesiæ commendatæ, ut not. Rebuff. *cit. n.* 40. ex modis acquirendi beneficium, etiam unum esse, *cùm Ecclesia commendatur alicui*, ut eam non *tituli*, sed *commendationis* jure administret, ut notat Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 31.

Quæres 2. An Ecclesia Parochialis ab Episcopo commendari possit? R. posse, id exigente necessitate, vel evidenti utilitate Ecclesiæ, sed tantùm ad 6. Menses, per c. *Nemo* 15. *de Elect. in* 6. ubi Gregorius X. *nemo*, inquit, *deinceps parœcialem Ecclesiam, alicui, non constituto in ætate legitima, & Sacerdotio, commendare præsumat: nec tali etiam, nisi unam: & evidenti necessitate, vel utilitate ipsius Ecclesiæ suadente.* Hujusmodi autem commendam (ut præmittitur) ritè factam, declaramus, *ultra semestris temporis spatium non durare.* Statuentes, *quicquid* 270

secus de commendis Ecclesiarum paræcialium actum fuerit, esse irritum ipso jure; hoc tamen limitandum videtur, ut id, quod dictum est, non possit Episcopus, *nisi talem Ecclesiam commendet, eo quod ipse Rector ejus Ecclesiæ sit*; vel *Rector illius sit mente captus, aut absens non relicto Vicario*; quia tunc commendari potest, quamdiu durat carentia, vel absentia, etiam finito semestri, idem die de Coll. Canonicorum, sede vacante, si post semestre nondum creatus sit Antistes. Extra hos casus, ut notat Azor *q.* 3. non potest finito semestri ulterius commendari. c. *Commissa* 35. *de Elect. in* 6. quod tamen videtur intelligendum, *nisi duret eadem necessitas, vel utilitas*; nam eo casu posse illud ad aliud semestre commendari, tradit Azor *p.* 2. *l.* 5. *c.* 29. *q.* 7. Barbos. *in dict. c. Nemo n.* 9.

271 Ex allato textu deducitur, Parochialem Ecclesiam non posse authoritate Episcopi commendari Clerico, nisi habenti legitimam ætatem, scilicet agenti annum 25. *Gl. in c. Nemo de Elect. in* 6. nec nisi ad Sacerdotium promoto *Gl. in loc. cit.* nec nisi *uni, unam* Ecclesiam Parochialem, nec, nisi cogatur illius evidenti necessitate vel utilitate, ut dicitur in *cit. c. Nemo.* Quamvis autem Ecclesia commendata dicatur *quasi depositа* apud alterum, non sequitur tamen omni ex parte naturam, & conditionem *depositi.* Nam *Commendatarius* & Ecclesiæ commendatæ reditibus potest impensas facere &c. ut diximus n. 269. non autem *Depositarius*, ex re deposita.

272 Præter hæc *Not.* 1. Si quis cupit impetrare Ecclesiam *commendatam, tanquam vacantem*, debere in Supplicatione mentionem facere *commendationis*, aliàs concessio erit subreptitia, & nulla, ita Francus in *cit. c. Nemo:* postquam autem Episcopus alicui commendavit Ecclesiam ad 6. Menses, sine Clausula: *Donec ipse voluero*, non potest eam, *nutu suo*, ante semestre tempus revocare, ut volunt aliqui, quia jure statuti sunt 6. Menses c. *dudum de elect. in* 6. Rebuff. in Praxi *p.* 1. *tit. de Commend. n.* 58. secùs, si addidit præfatam clausulam; quamvis aliqui probabilius teste Azor *q.* 6. putent, quòd possit revocare simpliciter, esto clausulam illam non addiderit, quia tempus ibi oppositum est, *ne ultra*, non verò, ut revocatio fieri non possit *prius:* Commendatarium autem perpetuum nec ipse Papa, sine justa causa revocat. Hoc ipso autem, quòd Pontifex aliquam Ecclesiam commendaverit, *etiam ad tempus*, censetur *affecta*, hoc est, ipsius juri, & potestate subjecta, ut eam nullus inferior, etiam elapso illo tempore, conferre possit, Azor *cit. q.* 7.

Not. 2. Commendatarium perpetu- 273
um, coram Pontifice, non autem Ordinario, posse Eccelesiam commendatam deponere *in favorem alterius*, sic Joannes Monachus in *c. Nemo*, de elect. in 6. quia quasi jus, & titulum habet in ea, secùs, temporalis. Is enim potest coram Ordinario quidem *Absolutè*, *& simpliciter* cedere, sed *non in favorem tertii*, quia in ea jus non habet, nec titulum. *Not.* 3. habentem Ecclesiam jure tituli, auctoritate Papæ, non autem Ordinarii, posse eam habere jure Commendationis; sic Azor *q.* 10. *Not.* 4. habentem jus conferendi beneficium, *jure communi*, habere etiam auctoritatem illud temporaliter commendandi, secus, si jure *speciali* puta privilegio, consuetudine, præscriptione. *Not.* 5. si Papa alicui commendet Ecclesiam *simpliciter*, quin scilicet exprimat tempus certum, vel perpetuum, videri commendasse in perpetuum, nam si secus, debuisset exprimi certum tempus.

Not. 6. Eum, qui habet Ecclesiam 274
sibi ad sex Menses commendatam ab Episcopo, ante lapsum termini posse à Papa impetrare ejusdem prorogationem etiam in perpetuum, si exprimat, *esse commendatam solùm ad tempus*; sic Rebuff. *cit. n.* 31. *Not.* 7. Ecclesias Parochiales, & curatas, commendari quidem posse ab Episcopo ad 6. Menses, beneficia tamen simplicia non solere commendari, & Abbatias, Prioratus, ac Præposituras, sicut & beneficia regularia, commendari à *solo* Papa; sic Azor *cit.* quamvis Castropalaus *tr.* 13. *de benefic. D.* 1. *p.* 8. *n.* 5. doceat, beneficia simplicia, etiam ultra semestre, posse commendari ab Episcopo, exigente utilitate Ecclesiæ, si de proprio Beneficiato non providetur. *Not.* 8. quòd habens Ecclesiam Parochialem *jure tituli*, spectato *jure communi* possit *aliam* obti-

nere

nere, *jure commendationis*. Nam jure communi duæ Ecclesiæ possunt simul obtineri, una, *collata, altera* commendata, c. *qui plures* 21. *q.* 1. ibi: *qui plures Ecclesias retinet, unam quidem titulatam*, aliam verò, *sub commendationes retinere debet*; sic ibid. Leo VI.

275 Dixi, *spectato jure communi*. Nam jure novo CC. *Trident. Sess.* 7. *c.* 2. *&* 4. *non potest* Castropalaus *tr.* 13. *de benefic. D.* 1. *p.* 8. *n.* 6. hoc tamen intellige, de commenda *perpetua*. Nam commendæ temporali non obstat Tridentinum ut notat Castropalaus *cit. n.* 7. Porrò, dictum *c.* 2. sic loquitur: *Nemo, quâcunque etiam dignitate, gradu, aut præeminentiâ, præfulgens, plures Metropolitanas, seu Cathedrales Ecclesias, in titulum, sive commendam, aut alio quovis nomine, contra Sacrorum Canonum institutа, recipere, & simul retinere præsumat*: cùm *valde felix sit ille censendus, cui unam Ecclesiam bene, ac fructuosè, &, cum animarum sibi commissarum salute, regere contigerit*. Qui autem plures Ecclesias *contra præsentis Decreti tenorem* nunc detinent, *unâ*, quam maluerint, *retentâ*; reliquas infra sex Menses, (si ad liberam Sedis Apostolicæ dispositionem pertineant, aliàs infra annum) dimittere teneantur: alioquin Ecclesiæ ipsæ, *ultimò obtentâ duntaxat exceptâ*, eo ipso *vacare* censeantur; & deinde *c.* 4. quicunque de cætero *plura curata*, aut aliàs incompatibilia beneficia Ecclesiastica, sive perviam unionis ad vitam, *seu commendæ perpetuæ*, aut alio quocunque nomine, & titulo, contra formam Sacrorum Canonum, & præsertim constitutionis Innocentii III. (quæ incipit, *De multa*) recipere, ac simul retinere præsumpserit, beneficiis ipsis, juxta ipsius constitutionis dispositionem, ipso jure, *etiam præsentis Canonis vigore*, privatus existat.

276 *Not.* 9. Olim Ecclesias cœpisse commendari *ad tempus*, donec idoneus ejus Rector crearetur; deinde autem, ex variis causis, Pontifices cœpisse beneficia etiam regularia, quandoque etiam in *perpetuum* commendare, de quibus Azor *cit. q.* 20. in quæstione autem, *quid circa fructus Ecclesiæ commendatæ possit Commendatarius temporalis?* R. quòd de illis nihil disponere possit, nisi ex parte, quæ in sui suorumque sustentationem designatur, ut ait *Gl. in c. Nemo de elect. in* 6.

Quæres 3. cùm dixerimus, Episco- 277
pum beneficia Parochialia commendare posse *ad semestre*, à quo die computari debeat hoc semestre? R. posse computari, non à die *vacantis*, sed ab ultimo die *semestris* Episcopo concessi ad providendum; quia *commendare* est quidam quasi modus providendi, & cujusdam quasi tituli Collatio. Si autem quæras, an si Pontifex alicui *seculari* Clerico commendet beneficium regulare, *commendatus* teneatur religionem profiteri? sicut ex *dict.* debet *titularis*? R. negativè, sic Garcia *cit. c.* 5. *n.* 28. quia de hoc casu, quando commendatio fit à Summo Pontifice, nihil constitutum est in eo jure, quod agit de casu priori.

Quæres 4. An etiam hodie, ac post 278
Tridentinum, commendæ *temporales* sint in usu? R. *ex Trident. Sess.* 24. *de Reform. c.* 18. beneficia curata, & Parochialia non amplius *ad tempus* commendari, sed in illis, dum de Rectore provideatur, Vicarios constitui, sic Garcia *de benefic. p.* 4. *c.* 5. *n.* 15. Verba Tridentini sunt: cùm Ecclesiæ Parochialis Ecclesiæ *vocatio* per obitum, vel resignationem, etiam in Curia, seu aliter, *quomodocunque contigerit*, etiamsi ipsa Parochialis Ecclesia *reservata*, vel *affecta* fuerit generaliter, vel specialiter, etiam vigore indulti, seu privilegii in favorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, seu Abbatum, vel Capitulorum, *debeat Episcopus statim, habitâ notitiâ vacationis Ecclesiæ*, si opus fuerit, idoneum *in ea Vicarium*, cum congrua, ejus arbitrio fructuum portionis assignatione, *constituere*, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, *donec ei de Rectore provideatur*. Unde nunc solùm commendæ *perpetuæ* in usu sunt, quas facit *solus* Pontifex; non autem Legatus de latere, vel ullus alius, sic Castropalaus *cit. n.* 9. In quæstione autem, an beneficium perpetuò commendatum *vacet obitu Commendatarii*? sunt plures, qui affirment, sed negativam probabiliorem judicat Castropalaus *cit n.* 11. volens illud non morte *Commendatarii* vacare, cùm illi commissum sit solùm, ut custodiat, sicut erat ante, sed vacare *à tempore obitus ejus, qui habuit in titulum*.

§. 8.

De Beneficiis Ecclesiæ Collegiatæ, numeratæ, Sacerdotalibus, & non Sacerdotalibus.

279 Beneficium Ecclesiæ *Collegiatæ* dicitur, quod est de Ecclesiâ, in qua tres, vel plures Clerici sic ordinantur auctoritate Superioris, ut efficiant unum Corpus, seu Collegium cum Sigillo, & Camerario, seu Syndico; sic enim definitur Ecclesia Collegiata per Tholosanum *l.* 1. juris Canonici *tit.* 27. *n.* 5. Quando autem non faciunt unum Collegium, seu Corpus, sed beneficia sunt omnino distincta, & separata quoad reditus, servitia, & Rectores, Ecclesia est *non Collegiata*, & beneficia dicuntur *Ecclesiæ non Collegiatæ.*

280 Beneficium Ecclesiæ *numeratæ* vocatur, beneficium illius Ecclesiæ, in qua est *certus, ac determinatus numerus Canonicorum*; Ubi verò non est certus numerus, sed augescit, vel decrescit juxta accrescentiam, vel decrescentiam fructuum, Ecclesia dicitur *non numerata*, de talibus beneficiis agitur in *c. Ex parte* 10. de Concessione Præbendæ, ubi dicitur: in Ecclesiis *non numeratis* vacationem præbendarum, seu Canonicatuum, possibilem non esse; nec ibi devolutionem ad Superiorem ex negligentia semestri in non providendo Ecclesiæ de Ministris. Et ideo etiam Vivianus, in Praxi juris Patron. *l.* 1. *c.* 1. *n.* 118. docet, tanquam probabilius, quod beneficia Ecclesiæ *non numeratæ* nunquam vacent; sed statim, ac Titularis exspirat, cessent, ac esse desinat, ex c. *Dilecto* 25. de Præb. ibi *licet in Ecclesia, in qua certus non est numerus præbendarum, nulla etiam vacante, in Canonicum quis possit assumi, &c.* posse tamen permutari, vel resignari in favorem alterius, sed factâ mentione, quod sint in Ecclesia *non numerata.*

Ex hoc colliges beneficium Ecclesiæ *non numeratæ* propter negligentiam eorum, qui ei intra 6. menses providere debeant, non devolvi ad Superiorem ipso jure; quia tale beneficium nunquam vacare censetur. *c. ex parte*, de Conces. Præbend. neque tali casu dari locum supplendæ negligentiæ Canonicorum gl. ibid.

Beneficium *Sacerdotale* describitur, 281
in cujus fundatione dicitur, quòd conferri debeat *Sacerdoti*, qui *per se ipsum* celebret v. g. tot Missas per hebdomadam, vel quòd ad illud præsentetur, qui sit actualiter Sacerdos; vel denique, quando in ipsa fundatione vocatur *Sacerdotale*, hoc est, requirens Sacerdotium in Beneficiato, sic Vivianus *cit. n.* 98. Ex quo sequitur, ejusmodi beneficia non posse conferri Clerico non Sacerdoti, quæ autem in Clerico non prærequirunt Ordinem Sacerdotalem, vocantur *non Sacerdotalia.*

Hujus generis sunt beneficia, quæ non habent illam *Sacerdotii* expressionem, vel in quorum fundatione solùm dicitur, quòd conferri debeant *Capellano, qui per Septimanam celebret tot Missas.* Nam hæc verba non respiciunt *ipsum Sacerdotium*, vel *actum celebrationis*, sed tantùm onus, *& obligationem ut celebratio fiat.* Quare beneficia *non Sacerdotalia* conferri possunt Clerico non Sacerdoti, modò per Substitutum celebret, quia sic satisfacit oneri imposito. Per *onus* enim celebrandi Missas, non intelligitur electa industria personæ, nisi sit Capellania, vel præbenda Ecclesiæ Cathedralis, cujus reditus constant in distributionibus quotidianis. Barbos. in c. *Significatum* II. *de Præbend. n.* 4. V. Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 8. quibus positis.

Prima dubitatio est, an, quando in 282
fundatione beneficii constitutum est, ut conferatur *Capellano Sacerdoti*, vel simpliciter *Sacerdoti*, quin addatur, *Sacerdoti* actu, vel, *qui per se ipsum celebret*, in tali tamen Beneficiato requiratur, quòd sit *actu* Sacerdos? R. quòd Gonzalez, Quaranta, & alii apud Castropalaum *cit. p.* 6. *n.* 11. dicant sufficere, quòd Capellanus instituendus in beneficio, pro quo Fundator exigit *Capellanum Sacerdotem, qui Missas celebret*, sit tempore institutionis Sacerdos *habitu* (nimirum in dispositione proxima, ut fieri possit Sacerdos) qualiter hoc sufficit ad beneficium Parochiale, licet habeat annexum Sacerdotium, sed contrarium dicendum videtur; quia sic *tempore institutionis* non habet, quod Fundator exigit, cùm in dato casu Sacerdotium sit qualitas ad institutionem *præsupposita*, & annexa *antecedenter*, in beneficio autem Parochiali, solùm *consequenter*, sic Castropalaus *cit.*

n. 12.

n. 12. Barbos. *p.* 2. de potestate Episcopi, *allegat.* 24. *à n.* 37. *& in c. Significatum, de præbend. n.* 5. ubi ait cum pluribus aliis, *quando in fundatione præbendæ dicitur, ut assignetur Sacerdoti, in actu provisionis debet esse Sacerdos*, & ratio est, *quia Sacerdos in habitu, est*, qui habet proximam aptitudinem, ut fiat Sacerdos, at talis *non est* Sacerdos, sed tantùm *proximè potest esse* Sacerdos, ergo. Et hoc etiam probabilius procedit in provisionibus Apostolicis, quando beneficium requirit Beneficiatum Sacerdotem *ex dispositione Fundatoris.* Huic enim non præsumitur derogare Pontifex, nisi exprimat; secùs est, si *ex statuto* Ecclesiarum, vel Cathedr. vel Collegiatarum, ut rectè notat not. Castropalaus *n.* 14.

283 Et quamvis hoc postremum aliqui limitent, ut non procedat, in provisionibus Apostolicis, habentibus clausulam: *non obstantibus statutis*, volentes, eo casu instituì posse in beneficio Sacerdotali Clericum, qui sola aptitudine Sacerdos sit; ita Gonzalez ad *reg.* 8. *Cancell. gl.* 5. *n.* 106. tamen, ut hæc limitatio vera sit, intelligi debet de Capellaniis, *ex statuto* Ecclesiarum requirentibus in providendo Sacerdotium actu; non autem *ex statuto seu ordinatione Laicorum.* Nam nomine *statuti* non intelligitur *dispositio facta à fundatore*; & testatorum voluntati non præsumitur Papa derogare velle, nisi exprimat; & hoc verum est sive sit Laicus, sive Ecclesiasticus *Fundator*; sic Castropalaus *cit. n.* 14. qui citat, & sequitur in hoc Felinum in c. *nonulli*, de præscript. *n.* 23. *& seq.*

284 Altera dubitatio est, quid dicendum, quando Fundator alicujus Capellaniæ sic Constituit: *instituatur in ea Capellanus, qui Missas celebret.* Varia variorum est opinio: aliqui volunt, non valere institutionem, nisi instituendus sit *actu* Sacerdos; aliis volunt sufficere, quòd sit Sacerdos *aptitudine*: Alii dicunt primam opinionem esse veram, si Capellania sit fundata *à Laico*; & secundam, si *ab Ecclesiastico.* Harum opinionum Authores videri possunt apud Castropalaum *cit. à n.* 15. Cœterùm ex his opinionibus probabilior videtur ea, quæ docet, eo casu Capellaniam, *vi fundationis*, non esse Sacerdotalem *actu*, vel *habitu*, seu aptitudine proximâ, sed conferri posse cuilibet constituto in ætate 14. annorum; sic Barbosa, Gonzalez, Garcia, & alii, quos cit. & sequitur Castropalaus, cit. *n.* 18. Nam, vi datæ fundationis, aliud non habetur, quàm Capellanum esse obligatum ad celebrandum; ergo sufficit, si sit aptus, ut huic obligationi satisfaciat; sed ad hoc potest aptus esse, quin ipse sit Sacerdos actu, vel aptitudine proxima; cùm ad hoc sufficiat, quod per alium celebrari curet; quia qui per alium facit, per se ipsum facere censetur, ubi non requiritur industria personæ, sed tantùm opus, ut dicitur regula: *qui per alium*, de reg. jur. in 6. Confirmatur ex eo, quia contra eum, qui legem dicere potuit & non expressit, apertius, est interpretatio facienda, sed Fundator, si vellet, ut Capellanus *per se ipsum*, & non per substitutum oneribus Capellaniæ satisfaceret, id explicare posset, ergo, dum non explicuit, contra illum interpretatio facienda est, sic Azor *tom.* 2. *l.* 2. *c.* 8. *q.* 5.

Not. tamen hanc opinionem limitari 1. ab aliquibus, ut non procedat in casu, ubi consuetudine, legitimè præscripta, contrarium habetur; Sed hoc intellige de consuetudine inducta *animo obligandi*; non autem, per usum merè liberum: limitari 2. à Barbosa *p.* 2. de potestate Episcopi. *Allegat.* 24. *n.* 44. ut non procedat in Capellaniis Ecclesiarum Cathedralium, quarum reditus consistunt in distributionibus quotidianis, & solis interessentibus conceduntur. Nam hæ requirunt residentiam, & earum obligationi satisfieri non potest per Substitutum. Unde si habeant annexum onus Missarum, sunt Capellaniæ Sacerdotales, quæ Sacerdotem, *saltem aptitudine* requirunt. 285

Tertia dubitatio est, an supposito, 286
quòd aliquod beneficium, seu Capellania sit Sacerdotalis actu, vel habitu; possit Episcopus de consensu Patroni, hæredis vel Successoris Fundatoris, supra dictam qualitatem alterare, conferendo illam dispensativè habenti annos 14. consequenter Clerico, qui nec actu, nec aptitudine proximâ sit Sacerdos? R. posse, si Fundator vivat, & consentiat, modò adsit causa Ecclesiæ utilis, idque non

tantùm semel, sed etiam in perpetuum; sic Garcia, & alii apud Castropalaum *cit. p. 6. n.* 20. si petas, quid dicendum, quando non vivit amplius Fundator? potestne de consensu eorum, qui ei successerunt? affirmativam sequitur (apud Castropalaum *cit. n.* 21.) Abbas, Imola, Felin. Navarrus, Rebuffus & alii, quorum ratio est, quia voluntas Fundatoris præsumi debet subjecta dispositioni Ordinarii ex Successorum consensu; cùm id exigat recta gubernatio. Sed, ꝛc. si voluntas Fundatoris commodè impleri potest, Episcopum nec semel, aut pro unâ solùm vice, posse dispensare, aut ejus qualitatem mutare; ita Decius in c. *cùm accessissent de constitut. n.* 54. Garcia *p. 7. c.* 1. *à n.* 107. id comprobans pluribus decisionibus Rotæ Romanæ; ratio est, quia in *Trid. Sess.* 25. *de Reform. c.* 5. expressè prohibetur, ne qualitates, seu onera, in beneficiorum fundationibus requisita, seu imposita, *in eorum collatione, vel quacunque alia dispositione, mutentur, vel derogentur.* Deinde hæc potestas esset in certum Ecclesiarum detrimentum. Nam fideles ex eo potissimùm, incitantur ad ejusmodi pias fundationes, quòd sciant, suas dispositiones integrè, & inviolabiliter observari, unde multùm arcerentur, si forent oppositum. Et hæc utilitas præponderat, cuilibet alteri speciali in casu particulari.

287 Quarta dubitatio est, an, & quando Sacerdos, vi sui beneficii, vel Capellaniæ obligatus quotidie celebrare teneatur per alium supplere? quando propter infirmitatem ipse celebrare non potest. Ad hoc respondet Barbosa in *c. Significatum* 11. *de præbend. n.* 8. non teneri, quando infirmitas est tantùm aliquot dierum, v.g. octo, vel decem; hoc ad dies quindecim extendit Diana apud eund. *p.* 2. *tr. de celebr. miss. resol.* 27. imò ad unum, vel duos menses, Petrus Navarra *l.* 2. *de restitut. c.* 2. *n.* 21. Naldus in summa. V. *Missa, n.* 11. Sed hæc extensio videtur nimis magni præjudicii; *nisi aliter deductum sit in pactum*; quia prudenter præsumi non potest, in obligationibus justitiæ (qualis est in ejusmodi Capellaniis) Conductores, velle nihilominus præstare mercedem laboris, tanto tempore, etiam sine Conducti culpa prætermissi, unde privetur intento fructu Spirituali animæ suæ, vel aliorum, quorum bonum in ea fundatione intendit.

Et quamvis, Capellanum conductum, ut *quotidie* celebret, non teneri celebrare *quovis die*, sed satisfacere, quanto frequentius potest salva honestate, doceat Barbosa in *c. Significatum* 11. de præbendis *n.* 9. & apud eum Diana cit. resol. 28. probabilius tamen est contrarium nempe teneri *quotidie*, nisi excuset rationabilis causa; deducitur ex *c. Significatum* 11. h. t. Cùm enim Præpositus, & Capitulum Insulanum Alexandro III. significassent, quòd cuidam Sacerdoti præbendam unam in Ecclesia ipsorum, communi voluntate, dederint, ita quòd *Missam de Sancta Maria* nisi corporis infirmitate gravatus sit) debeat *quotidie* celebrare, & Ecclesiam ipsorum non nisi communi tam Præpositi, quàm Capituli assensu possit dimittere, vel cuiquam præbendæ illius anniversarium delegare, & hanc institutionem ab eodem confirmari petiissent; respondit Pontifex: *hanc institutionem eatenus confirmamus, ut prædictus Sacerdos, nisi infirmitate corporis fuerit impeditus, assiduè debeat obsequium suum impendere Ecclesiæ memoratæ, & , quando* (rectius, quantò) *frequentius potest (salvâ honestate suâ, & debitâ devotione) Missarum solemnia celebrare: nec sibi liceat hoc illi subtrahere sive causâ voluptatis, sive ad aliam Ecclesiam transferendo.* 288

Ex hoc enim textu deducitur. 289 quòd Prælatus, & Capitulum possint Præbendæ vacanti, onus, *aliàs licitum, & honestum*, imponere, ad quod Præbendarius teneatur, puta, ut ille, dum infirmus non fuerit, *quotidie* celebret Missam de sancta Maria, salva honestate sua, & debita devotione: ubi nota dubitari, qualiter præbenda dari possit in eum finem, *ut quotidie celebret*, ut valida sit? quidam enim censebant, in hoc casu non vendi Sacramentum, sed *operam & laborem* impendendum in administratione, ut per Gloss. in præsenti, cui simi-

similis in *cap. ult.* 24. *q.* 2. & in cap. *Suam de Simon.* ubi Panormitanus, idem probat Joannes Major *in* 4. *dist.* 25. *q.* 1. *Col.* 3. alii, ex quorum numero sunt Cajetanus 2. 2. *q.* 100. *a.* 3. & Sotus intelligunt dari hìc præbendam *pro obligatione*, sacra faciendi quotidie, aliud enim est *actio*, aliud, *obligatio* ad actionem; sed rectius dicitur, dari præbendam *in stipendium* sustentationis, juxta doctrinam D. Pauli 1. ad Cor. c. 9. quò etiam facit c. *Clerici* 1. *q.* 2.

Deducitur 2. posse tali Clerico imponi onus, seu obligationem (in ejusmodi beneficio, vel præbenda, *de novo creata*,) ne possit illam dimittere, *sine consensu Episcopi, & Capituli*, sive causâ voluptatis, sive ad aliam Ecclesiam se transferendo; ut patet ex postremis dicti *c.* 11. verbis, ibi *sive causâ voluptatis &c.*

290 Deducitur 3. etsi in textu dicatur, ejusmodi præbendarium (ut *quotidie* celebret *in tali Ecclesia* missam *de Sancta Maria*) constitutum, nisi corporis infirmitate gravatus sit, *ex pacto* constituentium *taliter esse constitutum*; hanc tamen institutionem non esse *quoad omnia* à Pontifice confirmatam, ut patet ex verbis: *eatenus confirmamus*, ut prædictus Sacerdos, nisi corporis infirmitate fuerit impeditus, *assiduè debeat obsequium suum impendere Ecclesiæ suæ*; & *quanto frequentius* potest *(salvâ honestate suâ, & debitâ devotione)* Missarum solemnia celebrare, ubi nota rectius legi, ut habent alia exemplaria non *quando*, sed *quantò frequentius*. Ex quibus verbis.

291 Deducitur 4. inter instituentes, & institutum præcessisse pactum, de celebratione *quotidianâ*; & hoc esse confirmatum à Pontifice non in terminis, sed ut (ii *quotidie celebrare*) accipiatur pro *assiduè impendere obsequium illud Ecclesiæ*, hoc est, *frequenter*, non utcunque, sed *quantò frequentius* potest, nisi obstet *infirmitas*, *honestas*, *aut propria devotio*, quibus verbis Pontifex non improbat illud pactum, nec infirmat; sed, potius explicat, qualiter nimirum intelligi debeat, ii *quotidie celebrare*, quando alicui præbenda confertur, sub tali onere; nimirum intelligendum esse, ut celebret, *quò sæpius potest*, quovis nimirum die, quo licet, & potest die, non impediente infirmitate, honestate, vel propriâ devotione; hoc enim denotant verba, *quantò frequentius potest*; ii *frequentius* non sumendo comparativè ad plures dies *celebrationis* cum paucioribus *non celebrationis*; sed comparativè ad impedimenta, ut scilicet celebratio non omittatur ullo die, nisi dato uno ex dictis impedimentis.

Pro hoc *not.* 1. casum *infirmitatis* in 292
hac conventione *expressè deductum esse in pactum*, ut non obstante obligatione quotidie celebrandi, non intelligatur pro casu infirmitatis; ex quo non rectè arguitur à simili, ut etiam procedat in casu, quo id non est deductum in pactum, hinc licet in priori casu ejusmodi Capellanus non teneatur suis sumptibus providere de alio, qui, dum ipse decumbit, celebret; secus tamen est in posteriori, saltem, ubi morbus esset diuturnus propter dicta. *n.* 287.

Not. 2. quando Pontifex confir- 293
mavit institutionem illius Præpositi & Capituli Insulani, cum onere *quotidie* celebrandi Missam *de Sancta Maria*, nisi etiam impediat *honestas*, *vel propria devotio*, hanc exceptionem posse intelligi, dupliciter; Primò, ut *honestas*, vel *propria devotio* (quando casus occurrit) talem Capellanum eximat *ab ipso actu celebrandi*, vel tantùm ab actu dicendi *talem Missam*, & probabilius videri, procedere solùm de secundo, quando per infirmitatem non impeditur à celebratione; licet *honestè*, ac decenter tunc non possit dicere Missam *de Sancta Maria*, vel quia Rubricæ id pro tali die non permittunt; vel quando aliqua solemnitas, aut causa rationabilis aliud exigit. Nam per ea verba (*salvâ honestate*) id ipsum Pontifex videtur voluisse indicare.

Quando autem excipit etiam *propri-* 294
am Capellani devotionem, non eximit eum propterea ab actu *quotidie celebrandi*, cùm expressè petat, *ut assiduè deserviat Ecclesiæ suæ, quandò frequentius potest* (nec enim propria *devotio* suadere posse videtur, ut omittatur Sacrificium à Sacerdote, ubi ex pacto tenetur, nisi fortè contingat, aliquo

quo die prohiberi per conscientiam peccato gravatam, ubi concessarii copia non est: Sed tantùm, ab actu quotidie celebrandi Missam *de Sancta Maria*, de qua conventum est. Contingere enim potest, quòd ejusmodi Capellanus quandoque, causâ *suæ devotionis*, quam habet erga certum aliquem Sanctum, vel erga animas fidelium defunctorum, præsertim in ara privilegiata, celebrare cuperet Missam *de Requiem*, vel *de tali Sancto*, cujus festiva Solemnitas in alia Ecclesia peragitur; in dicto igitur casu devotionis propriæ, videtur insinuare Pontifex, satisfieri obligationi ex pacto celebrandi quotidie *de Sancta Maria*, esto tunc dicat Sacrum *de festo*, vel *Requiem*.

295 *Not.* 3. cùm quandoque beneficia habeant annexum non tantùm onus celebrandi *quotidie*; sed etiam onus *quotidie applicandi Missam ad certem intentionem Fundatorum*, dubitari, an ejusmodi Capellanus, hac obligatione gravatus, intelligatur sic obstrictus, ut ne semel, per totum annum, Missam applicare possit pro alio fine? v.g. sibi pro felici morte, vel satisfactione suorum peccatorum; aut pro animabus defunctorum Parentum, &c. R. negativè, quia nec Fundatores præsumi prudenter possunt, talem obligationem expressam infundatione, sic restringere, nec suscipientes illam in eandem consentire, ut nunquam fructu sui Sacrificii gaudere possint, pro solatio, ac salute animæ suæ. Hinc tales Capellani, ex vi talis obligationis, non videtur obstringi, ut illam intentionem observent etiam in festo fidelium defunctorum, aut in casu, quo parens, mater, frater, aut ejusmodi propinquus obiisset; nam similes casus non censentur, in obligatione beneficii, quotidie *dicendi Missam, ad intentionem expressam* in fundatione, comprehendi.

§. 9.

De Beneficiis Magistralibus, Monocularibus, Consistorialibus, de Mensa & Patrimonialibus.

296 BEneficium *Magistrale*, seu *Doctorale* est, quod per Concursum conferri debet uni Magistro vel Doctori, aut saltem Licentiato in Theologia vel in Jure Can. aut Civili, de quo Gonzalez *ad* 8. *Reg. Cancellariæ Gl.* 9. §. 2. per totum. De talibus beneficiis, seu præbendis pro tenendis Magistris, qui *Sacram Theologiam* Personis Ecclesiasticis, præsertim in Ecclesiis Cathedralibus, tradant, plura saluberrimè constituta sunt in CC. *Trid. Sess.* 5. *de Reform. c.* 1. *ne* videlicet, ut loquitur Concilium, *cœlestis ille thesaurus, quem Spiritus Sanctus summâ liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat, summè tamen necessarius iis, qui Ecclesias regunt, & solvendis non modò causis Ecclesiasticis, sed etiam conscientiæ casibus, ut Judices, vel animarum Pastores præsunt.* Quid enim rectè resolvet in foro Ecclesiæ, vel interno, vel externo, aut nihil, aut parum gnarus Theologiæ Sacræ? Nam, etsi sciat praxim fori? quid statuet in applicandis legibus, aut Sacrorum Canonum institutis, qui nec fundamenta legum, nec Sacrorum Canonum novit, vix rectè noscibilia à *non Theologo*. Quæ porrò circa præbendas ejusmodi Magistrales statuta sint, videri possunt citato loco Tridentini, & Barbos. ibid.

Beneficium *Monoculare* dicitur, quod 297
vel est unicum in aliqua Ecclesia, vel cùm is, qui ei præest, non habet, quod ad plura præsentet: quando autem in una Ecclesia sunt plura beneficia, vel quando quis habet collationem plurium, aut collationem unius, aut vel concollationem alterius, aut præsentationem ad aliud, tum ea beneficia, & singula eorum dicuntur *non Monocularia*, sic Vivianus *cit. l.* 1. *c.* 1. *n.* 120. Beneficia porrò Monocularia venire sub reservatione 8. regulæ Cancellariæ, docet Gonzalez ad eandem, *Gloss.* 9. §. 4. *n.* 1. & 14. Sed Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 32. *q.* 2. probabilius censet beneficia *monocula*, nisi hoc exprimatur, non venire sub clausula generali reservativa; quia non creditur voluisse Papa spoliare omnino Ordinarium jure conferendi, ne eum unico veluti lumine, quo gaudet, orbare videatur; Sic Pareyra in Elucidario. n. 1287.

Cùm

298 Cùm autem quædam beneficia non expediantur per supplicationem; sed, quæ per Schedulam à Papa in suo Consistorio coram Cardinalibus proponit, de iisque ibid. intervenientibus Cardinalibus providet, ea vocantur beneficia *Consistorialia*. Talia sunt certi Episcopatus, Abbatiæ, aliæque dignitates tam seculares, quàm Regulares: sic Gomez in regula, *de infirm. resignant. q.* 14. *& in reg. de Annali. à q* 18. unde beneficia *Consistorialia* omnia sunt reservata Papæ; Gonzalez *cit. gloss.* 9. *§.* 1. *à n.* 38. Quæ verò expediuntur extra Consistorium Papæ, per stylum communem, vocantur *non Consistorialia*.

299 Beneficia *de Mensa* dicuntur, quæ perpetuò incorporata sunt Mensæ Episcopali, Capitulari, vel Abbatiali; per incorporationem factam *Mensæ*, intelligendo, factam *in eorum sustentationem*. Hæc beneficia *de Mensa* nunquam vacant, utpote constituta in sustentationem Prælaturæ, quæ nunquam moritur; sed Possessore defuncto, translato, vel amoto, juris dispositione Successori reservari debent; hinc Prælato mortuo consolidantur. *In Mensa*, hoc est, manent penes *Mensam*, juxta Gonzalez *cit. gloss.* 5. *§.* 6. *à n.* 63. & ideo in illis non datur negligentia in provisione; cùm beneficia, *nunquam vacantia*, provideri non soleant. *gloss. in Clem.* 1. *de suppl.* negligentia Prælatorum V. de *Mensa*; qua de causa beneficia *de Mensa* impetrari non possunt, utpote nunquam vacantia.

300 Demum *Patrimoniale* beneficium est, quod vi fundationis, de consensu Ordinarii, conferri debet natis, incolis, vel originariis ex tali familia, patria, civitate, Parochia. &c. Idem est, si hoc fieri debeat, vel vi statuti, vel constitutionis Synodalis, à Papa, vel Ordinario confirmatæ, vel etiam vi consuetudinis immemorialis. Tale beneficium, seu Ecclesia *Patrimonialis*, idem est, ac *Receptiva*, non habens certum numerum Beneficiatorum; *Trid. sess.* 24. *de reform. c.* 18. Et pro tali beneficio Episcopus solùm examinat Provisum, ante immissionem in possessionem; sic Vivianus *cit. l.* 1. *c.* 1. *à num.* 103.

§. 10.

De beneficiis litigiosis, uniformibus, nominatis, & sub eodem tecto.

BEneficium *litigiosum*, seu *non pacificum* dicitur, super quo pendet lis, 301
ut eâ pendente Ordinarius circa illud nihil disponere possit. *Clem.* 1. *§. si autem* Ut lite pendente. Hæc autem litis pendentia suspendit Ordinarii potestatem solùm usque ad declarationem super litis eventu; sic Barbosa *ibidem n.* 5. Fit autem litigiosum. 1. per citationem partis legitimè intimatam illi, cum tali expressione, quòd ex ea potuerit instrui, super quo conveniatur. *Clem.* 2. *eodem.* 2. si per partem stetit, quò minus citatio ad ipsum perveniret. *cit. Clem.* 2. & Barbosa *ibidem n.* 7; 3. per citationem à competente Judice decretam, si per citandum stat, quòd ei citatio non intimetur. Not. autem, ut per citationem inducatur litis pendentia, requiri, quòd ea citatio emanaverit à Judice competente; nec istam pendentiam induci per citationem *nullam*, & *invalidam*, nisi tamen pars citata comparuerit, vel ad eam causam Procuratorem constituerit; Barbosa *in cit. Clem.* 2. *n.* 6. nec induci per litem injustam, & calumniosam; ne detur occasio calumniandi; sic Vivianus *cit. n.* 161. nec, si unus litigantium cedat, vel decedat; nec posse ab Ordinario alium subrogari, ne lites multiplicentur, & superstiti fiat injuria; quo casu Papa hunc subrogat in locum defuncti juxta 18. regulam Cancellariæ, de subrogandis collitigantibus; & ideo Papa liberè providere potest de beneficio juris patronatus, etiam Laicorum, quando beneficium est litigiosum, juxta Gonzalez *cit. gloss.* 6. *à n.* 142. Ex hoc colliges beneficium *non litigiosum*, seu *pacificum* esse, *de* vel *super* quo nulla lis pendet. Quando beneficium est litigiosum, potest Beneficiatus, qui in eo habet jus quæsitum, alteri collitiganti, pro bono pacis aliquid temporale dare, ut liti cedat. sic Barbosa in c. *Nisi essent.* 21. *de præbend. n.* 7.

Beneficia *uniformia* sunt, quæ habent 302
idem nomen, & instituta sunt ad eundem finem, officium, & munus, eodem prorsus tempore explendum; sic Piasecius in Praxi Episcop. *p.* 2. *c.* 5. *à* 3. *num.* 73. v.g. duo

Canonicatus, duæ Parochiæ: quæ verò diversum (ut Canonicatus, & Parochia) *differnia.* Quæ ultra nomen beneficii, *speciale nomen* habent (v.g. *Decanatus, Parochiæ &c.*) dicuntur *nominata*; quæ secus innominata denique *sub eodem tecto* dicuntur non solùm illa, quæ sunt in eadem Ecclesia principali, sed etiam in Capella, Cæmiterio, vel ambitu contiguo Ecclesiæ; non item ea, quæ sunt ita in Capella, vel Cæmiterio contiguo Ecclesiæ principali, sed extra septa illius; sic Garcia de beneficiis *p.* 11. *c.* 5. *n.* 259. Horum terminorum explicationem propterea hic referre, ac apponere volui, quia sæpius in dicendis occurret illorum mentio, ut legentibus constet eorum significatio.

§. 11.

De beneficiis incompatibilibus.

303 BEneficium *Compatibile* dicitur, quod simul cum alio beneficio retineri liberè, ac licitè potest; hinc illud, quod de jure cum alio licitè retineri non potest, *incompatibile* vocatur. Et ideo (ut not. Vivianus *cit. à n.* 164.) *incompatibilitas* beneficiorum, *est concursus, (seu pluralitas) beneficiorum in una persona, à jure reprobatus.* Ex his quædam sunt *simpliciter* incompatibilia, quorum scilicet natura est, ut ipso jure primum, seu quod prius habetur, vacet, adepto secundo; quando autem, adepto secundo, primum non vacat ipso jure, sed tantùm illicitè retinetur absque dispensatione, & ideo unum eorum à Superiore tolli potest, dicuntur incompatibilia *secundum quid.*

304 Not. autem. 1. ex duplici capite nasci *incompatibilitatem* beneficiorum; primò, quando ex jure communi consuetudine, statuto, vel fundatione, requirunt personalem residentiam continuam, & administrationem in distinctis locis; secundò, quando unum eorum sufficit ad congruam, & decentem sustentationem Beneficiati. Ratio porrò prohibendi pluralitatem beneficiorum in eadem persona sine dispensatione, sumitur ex c. *Quia in tantùm. 6. h. t.* ubi Alexander III. ita loquitur: quia in tantùm quorundam processit *ambitio*, ut non duas, vel tres; sed plures Ecclesias perhibeantur habere, cùm *nec duabus possint debitam provisionem impendere*: per Fratres, & Coëpiscopos nostros hoc emẽdari præcipimus, & *de multitudine præbendarum, Canonibus inimica*, quæ *dissolutionis materiam*, & *evagationis* inducit, *certumque* continet *periculum animarum*, eorum, qui Ecclesiis deservire valeant, indigentiam volumus sublevari. Similiter in jure veteri cautum erat, ut constat ex c. *Sanctorum dist.* 70. & causa 21. *q.* 1. per totum. Causas porrò hujus prohibitionis, *ex dict. c.* 5. enumerat Panormitanus *ibid. n.* 2. ex quibus. 1. est, propter delictum ambitionis; 2. propter impotentiam, aut difficultatem pluribus serviendi; 3. quia inducit materiam dissolutionis tam in moribus, quàm in vestibus; 4. quia causa vagandi licentiam, si Ecclesiæ sint in dissitis locis. 5. quia continet periculum animarum, nisi adsit legitima causa; qua deficiente nec dispensatio quidem relevat.

Deinde in c. *ad hæc*, 13. *h. t.* expressè 305
dicitur, *omni rationi contrarium, ut unus Clericus, in una, vel diversis Ecclesiis, plures dignitates, vel personatus obtineat*; cùm singula officia in Ecclesiis assiduitatem exigant personarum. Secundò, in c. *Præterea*, 14. *eodem*, de G. qui in tua, & Tolosana Ecclesia est Archidiaconus constitutus, & *in utraque Ecclesia regulariter professus*: Mandamus, inquit Pontifex, *quatenus eundem, altero, quem maluerit, Archidiaconatu, facias esse contentum.* Tertiò, in c. *cùm non.* 15. *eodem*, ibi: *cùm non ignores, quòd una Ecclesia unius debeat esse Sacerdotis*; nos attendentes, non esse conveniens, *ut idem Presbyter locum habeat in duabus Ecclesiis*: mandamus, quatenus ipsum *beneficio, quod habet, facias manere contentum*; quod, si fortè Archipresbyter, & Clerici alterius Ecclesiæ, in eum consenserint, eis nunc dissentientibus, cum ipsorum scandalo non debet locum in ipsa Ecclesia quærere, vel habere.

Quartò, in c. *de multa*, 28. *eodem* sta- 306
tuitur. 1. quòd habens *personatum*, vel *beneficium curatum*, si secundò tale recepit, vacet primum; si retinere contenderit, etiam secundo privabitur. Deinde, quòd is, ad quem spectat beneficii curati collatio, licitè conferat *statim*, cùm institutus aliud recepit: &, si intra sex menses non conferat, devolvatur

ad

ad alium collatio, & aliter puniatur. Tertiò, quòd in *sublimibus*, & *literatis* personis, *circa pluralitatem beneficiorum incomparabilium, solus Papa dispensat.*

307 Præter allegata jura, in c. *Super eo*, 6. *h. t. in* 6. dicitur: *habere Personatum cum cura, & præbendam, cui annexa est parœcialis Ecclesiæ, non esse contra Concilium generale.* In c. *si tibi* 26. *eod. tit.* & libro: *per adeptionem secundi beneficii curati (cujus fructus alter ex causa percipit) non vacare primum.* In c. *Eum, qui*, 18. *eod. tit.* & libro statuitur, *eum, qui beneficium curatum, cui animarum cura imminet, vi occupat*, seu *se scienter injustè intrudit in eo ipso jure fore privatum beneficio, quod cum cura simili primitus obtinebat.* In c. *Licet* 28. *eodem secundo beneficio curato effectualiter adepto, primum consimile (ejus possessore irrequisito) conferri posse*; non autem ejus possessionem dari. In c. *cum singula*, 32. *eod. Religioso habente Prioratum, vel Ecclesiam curatam (si recipit secundum, sine licentia Papæ) ipso jure vacare primum; quod si statim non dimiserit, effici ineligibilem, & privari utroque.* Eadem est pœna in iis, qui habebant ante hanc constitutionem, nisi intra mensem alterum elegerint, & alterum dimiserint.

308 In Clementinis constitutum est. 1. quòd, si rescribat Pontifex, & dignitatem habenti, de alia provideri mandet, dispensando, ut simul utramque retineat; *de animarum curâ* autem, quæ illis vel alteri earum imminet, *non faciat mentionem*: gratiam ejusmodi esse subreptitiam, & nullius momenti, etsi literis sit insertum *quòd cura animarum nullatenus negligatur.* Si porrò mandet alicui provideri *de dignitate*, ad cujuscunque, vel quorumcunque dispositionem, *in certa Ecclesia pertinentem*, quam infra mensem duxerit acceptandam: inhibendo simul, ne interim ad collationem, vel electionem procedatur: de dignitate *electivâ* non posse impetranti providere, cùm in concessione gratiæ (ad quam *non augendam*, sed *exequendam* inhibitio sequens refertur) nulla *electionis* facta sit mentio; sic habetur in Clement. *si dignitatem*, 1. *h. t.* Secundò, quòd, si dignitates plures obtinens, *aliam similem*, vel *beneficium curatum*, sine legitima dispensatione accipiat, post habitam possessionem pacificam *posterioris*, sive *vetimi* beneficii, *dignitates priores ipso jure vacent*: sicut, *si dignitatem unicam obtinenti*, alia *similis* conferretur, ejus pacificâ possessione habitâ, *prima de jure vacaret*; sic habetur Clement. *si plures* 3. *eod.* Tertiò, quòd, si quis juxta formam mandati Apostolici Canonicatum, & Præbendam adeptus, in eadem Ecclesia dignitatem, quàm duxerit acceptandam, expectet: Archidiaconatum inibi post vacantem, etsi certa sit ei præbenda annexa, poterit acceptare: Sed *prior* præbenda eo ipso vacabit, quòd sevendam cum Archidiaconatu pacificè sit assecutus; ita Clement. *si juxta*, 6. *eod.*

Circa eandem pluralitatem beneficiorum plura statuit Joannes XXII. ut habetur 309
in ejus Extravag. *Execrabilis h. t.* ubi circa illos, qui tempore illius constitutionis editæ, plures Dignitates, aut beneficia, etiam ex dispensatione obtinebant, statuit seqq. 1. quòd obtinentes *tunc ex dispensatione legitima* plures Dignitates, Personatus, Officia, Prioratus, aut beneficia, quæ sine dispensatione obtinere non poterant; *unum tantum ex his*, quibus cura imminent animarum, cum Dignitate, Personatu, Officio, vel beneficio curato, prætextu dispensationis possint obtinere. 2. quòd unum aliquod teneantur *intra mensem* eligere, à tempore notæ hujus constitutionis; 3. quòd cætera beneficia, sive cum cura, sive sine cura, quæ ex dispensatione obtinebant, ex tunc vacent, & coram Ordinario sub testimonio publico, intra idem tempus dimittenda sint.

Quartò, quòd prædicti, alioquin tam 310
his, quàm aliis beneficiis, quæ virtute hujus moderationis retinere poterant, simul ipso jure sint privati, & prorsus inhabiles ad alia beneficia obtinenda; 5. quòd per hoc illis, qui plura beneficia ex dispensatione, juxta hanc moderationem, obtinent, vel aliqua expectant, & cùm vacaverint, recipere, ac tum obtentis, retinere possunt, non velit derogatum: quin, si vacabunt, ea intra mensem eligant, & dimissis aliis, in formâ præscriptâ recipiant, atque reti-

neant, pœnas similes incursuri, si contra faciant 6. quòd qui plura talia beneficia simul, sine dispensatione retinent, omnia sic detenta, illo duntaxat retento, quod receperunt postremò (dummodo collatio fuerit Canonica) intra mensem itidem coram Ordinario, sub testimonio publico dimittant, alioqui etiam illo ipso beneficio, ipso jure privati, & inhabiles ad quæcunque alia futuri sint.

311 Post hæc, quoad eandem beneficiorum pluralitatem statuit, quid deinceps tenendum, ut habetur in dict. Extravag. §. *Qui verò deinceps*, circa quem casum constituit seqq. 1. ut, qui deinceps receperint dignitatem, vel Personatum, sive Officium, aut aliud beneficium curatum, si antè simile obtinebant illud (quo ipso jure, si possessionem secundi habuerint, vel per ipsos steterit, quò minus habeant, privati sunt) coram Ordinario dimittere debeant, pari modo sub iisdem pœnis: 2. Quòd omnia, & singula beneficia ejusmodi vacatura, ut præmittitur, vel dimissa, Pontifex sibi, & Sedis Apostolicæ dispositioni reservet.

312 Sub hæc, declarat. 1. per *Ordinarios*, in his casibus, intelligi *Episcopos*, in quorum Diœcesibus sunt beneficia sic dimittenda, aut ipsi dimittentes, & Capitula Ecclesiarum Cathedralium Sede vacante: qui de beneficiis tam dimissis, quàm perditis, Papam certificare studeant, quam primum commodè poterunt; 2. declarat illa duntaxat beneficia Ecclesiastica, *qualitercunque nuncupata, animarum curam habere, quæ Parochias habent, in quibus animarum cura, non per Vicarios perpetuos*, sed *per beneficiorum Rectores, aut Ministros ipsos*, vel *illorum temporales Vicarios exercetur*; item, *quorum Ministris, ratione beneficiorum hujusmodi, competit visitare, inquirere, censuras ferre, & ab his absolvere.*

313 Ex juribus hactenus allatis facilè colligitur, quantum Ecclesia, & summi Pontifices cupiant, ac præcipiant, ne beneficiorum pluralitas in eadem persona, sine dispensatione, ullo modo sustineatur tum propter causas, quæ in quolibet c. ex allatis assignantur; tum etiam eas, quas retulimus *n.* 304. Quia tamen experientiâ constat, hodie à pluribus, & suscipi, & retineri plura ex his, quæ in citatis juribus interdicta videntur, tuentes se vel consuetudine & praxi jam receptâ, vel in sufficientiâ fructuum ad decentem sustentationem, nascentium ex uno duntaxat beneficio: ideo notandum universaliter *ut habente unum beneficium Ecclesiasticum, non posse licitè, imò quandoque nec validè recipi alterum, nisi cum eo in pluralitate beneficiorum dispensetur.* Hinc, ex quo cum aliquo dispensatum est legitimè in beneficiorum pluralitate, per consequens censetur dispensatus in omnibus accessoriis, & necessariò connexis; *Gloss. c. Quia in tantum*, V. *plures.* Quare dispensatus ad plura beneficia, quæ residentiam exigunt. eo ipso censetur dispensatus in linea *non residendi in utroque*; sed tantum in altero; ità communis cum Sanchez *l.* 8. *Matr. D.* 1. *n.* 19.

Priusquam autem descendamus ad par- 314
ticulares in hac materia quæstiones, *not.* 1. *c. ad hæc*, de quo *n.* 305. non extendi ad casum, quo quis *in eadem Ecclesia* haberet dignitatem simul cum Canonicatu; cùm loquatur solùm de *pluribus dignitatibus, vel Personatibus*; Sed nec in Concil. Trident. *sess.* 24. *c.* 17. prohiberi hoc, quod diximus; cùm ibi solùm dicatur, *ne quis in duabus Ecclesiis conscribatur*, contra aliquos Canones; deinde ut *singulis singula conferantur beneficia*; *& quòd, si non sufficit*, liceat *addere aliud simplex sufficiens*, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat. Ex qua conditione hoc ipsum intelligitur de diversis Ecclesiis, in quibus simul residere nemo potest; in eadem autem Ecclesia potest quis satisfacere pluribus beneficiis per eandem residentiam, modò non sint ex alio capite incompatibilia.

Not. 2. quando in c. *Præterea*, de quo 315
n. 305. Guilielmo, qui in diversis Ecclesiis duas dignitates, seu Archidiaconatus obtinebat, contra id (quod jure communi permissum est, ut constat ex dictis juribus *à n.* 305.) Pontifex indulsit, ut ex illis, *quem mallet*, unum retineret, altero dimisso; id factum ex speciali gratia Papæ; jure enim communi, hæc optio non permittitur. Nam habenti dignitatem, vel Personatum non licet recipere simile, ex *num.* 305.

Not. 3. beneficium *Curatum* illud dici 316
communiter, cui singulariter, & principaliter præficitur Clericus ad curam fori pœniten-

nitentialis, necessariò exercendam per se; vel per temporalem Vicarium juxta Rebuff. *de nominat. q.* 16. *à n.* 7. Flamin. *de resign. l.* 2. *q.* 1. *an.* 107. & videtur insinuari Extravag. *Execrabilis*, de qua *n.* 312.

317 Not. 4. beneficium, quod habet curam jurisdictionalem etiam fori exterioris (ut Vicariatus, Officialatus, Decanatus) etsi curam habeat, ideoque *curatum* dici possit, communiter tamen nomine *beneficii curati* non intelligi, nec sufficere ad inducendam incompatibilitatem beneficiorum, de qua in præsenti, ut tenent Stephan. Gratian. *discept. for. c.* 133. *à n.* 29. juxta dicenda *infr. ad c. Super eo.* 6. *h. t. in* 6. nec etiam illud, quod non est *actu* curatum, sed tantùm *habitu*; ut, si populus peste, fame, bello sit sublatus, & esse desierit; & si Ecclesia remanserit; ad quam si quis promotus fuerit, non tenetur intra annum Sacerdotium suscipere, nisi populus redierit, aut redeat, ut tradit Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 8. *q.* 9.

318 Not. 5. illi, quod c. *de multa*, relato *n.* 306. dicitur (quando quis habens beneficium *curatum*, recipit aliud *tale*, in pœnam esse ipso jure illo privatum,) opponi primò c. *Quia nonnulli* 3. de Cleric. non resident. ubi talis non privatur *primo*; sed *secundo*; deinde c. *Præterea*, ubi permittitur optio eligendi unum ex duobus: Sed R. capitulum *præterea* procedere de gratia *speciali*, ut notavimus *n.* 315. & capitulum *de multa*, de jure communi; & per hoc tanquam posteriori, aliis contrariis derogatum esse.

319 Sed quæres, an juxta decretum Tridentini *sess.* 7. *c.* 4. receptio secundi beneficii inducat *ipso jure* vacationem primi non solùm in beneficiis *curatis*, sed etiam *aliis* incompatibilius? ut sunt ea, quæ requirunt residentiam personalem in eorum quolibet? affirmativam sequitur Garcia, & alii apud Barbos. in Trid. *cit. n.* 2. Ratio videtur posse desumi ex Tridentino *sess.* 7. *c.* 4. ubi dicitur: quicunque *de cætero* plura curata, *aut alias incompatibilia beneficia Ecclesiastica*, sive per viam unionis ad vitam, seu commendæ perpetuæ, aut alio quocunque nomine, & titulo, contra formam Sacrorum Canonum, & præsertim constitutionis Innocentii III. quæ incipit, *De multa*, recipere, ac simul retinere *præsumpserit*, beneficiis ipsis, juxta ipsius constitutionis Innocentianæ dispositionem, *ipso jure*, *etiam præsentis Canonis vigore*, *privatus existat*; de quo Barbosa ibidem *n.* 2. incompatibilitatis hoc decretum, inquit, procedit in illis, qui *post Tridentinum* recipiunt *duos Canonicatus*. Nam, quod de incompatibilibus beneficiis dicitur in hoc decreto, intelligendum est *de omnibus beneficiis*, residentiam requirentibus, quæ aliquis post publicationem Concilii receperit, veluti *duos Canonicatus*, vel *Canonicatum cum Parochiali*.

R. affirmativam mihi videri probabiliorem negante, quam sequitur Navarrus, Sayrus cum P. Wagnereck in c. *de multa* §. *Nota* 3. quia, licet eam non inducat, in quantum innovat, & se refert ad c. *de multa* (hoc enim expressè loquitur solùm de beneficiis *curatis*) inducit tamen, vi eorum verborum (quicunque de cætero *plura curata*, aut *aliàs incompatibilia*) contra formam Sacrorum Canonum, & præsertim constitutionis Innocentianæ recipere, ac retinere præsumpserit, *beneficiis ipsis* ipso jure privetur.

Ex his enim verbis constat, Tridentinum, etiam *præsentis Canonis vigore* loqui etiam de beneficiis *non modò curatis*, *sed etiam non curatis*, & quidem indefinitè, quin decretum restringat ad beneficia solùm *qualificata*, etiam non curata. Et quamvis aliqui negent, particulam *præsertim* esse implicativam, seu inclusivam, de quibus antè loquebatur textus; si quis tamen rectè consideret ipsum decretum, particula *præsertim*, solùm denotat, easdem pœnas privationis ipso jure inductas intelligi *non tantùm*, *de beneficiis*, *aliàs incompatibilius* juxta Sacros Canones; *sed præsertim*, seu præcipuè, *etiam de illis*, de quibus agit Innocentius in c. *de multa*, non modò quoad *substantiam*, sed etiam *modum*, nimirum, ut secundo recepto, ipso jure vacet *primum*; &, si nihilominus utrumque retinere præsumpserint, ipso jure careat *utroque*.

Not. 6. quando dicitur, beneficium 320
primum vacare, ubi quis recepit aliud, *receptionem* debere accipi. 1. si habito primo, *ex quo percipit fructus*, recipiat *secundum*; ratio sumitur ex c. *Super eo*, de quo *n.* 307. Deinde accipiendum,

de *receptione* non solùm, in quantum importat beneficii *collationem* & *acceptationem*; sed etiam, *possessionem pacificam*, eamque *non sterilem*, sed *frugiferam*, seu cum perceptione fructuum, saltem ex majori parte. Cùm enim versemur in dispositione pœnali, *receptio* sumenda est strictè, nimirum cum effectu; ita Flaminius *de Resign. benefic. l. 3. q. 1. a n.* 129. quod etiam constat ex c. *licet* 28. *h. t. in* 6.

321 Not. 7. si quis habens beneficium curatum, recipiat itidem *secundum*, *etiam curatum*, eum, qui huic primum contulit, statim posse illud alteri conferre, per c. *de Multa*, ibi: *is quoque, ad quem prioris spectat donatio* (seu collatio) *illud post receptionem alterius liberè conferat, cui meritò viderit conferendum*; cum factâ receptione secundi, primum ipso jure vacet. *ex n.* 318.

Not. 8. si ejusmodi *Collator*, dictum beneficium *ultra sex menses* conferre distulerit, collationem ejus devolui ad Superiorem; & ductum Collatorem puniri, sic, ut tantùm in utilitatem Ecclesiæ, cujus est illud beneficium, de suo teneatur persolvere, quantum à tempore vacationis dicti beneficii constiterit, esse perceptum; ita Clarus textus c. *de Multa*.

322 Not. 9. quæ diximus ex c. *de multa* quoad *receptionem secundi beneficii curati*, etiam procedere de receptione *secundæ Dignitatis, vel Personatus, licet non habeat annexam curam animarum*; constat ex textu, ibi: *hoc idem de Personatibus esse decernimus observandum*, attendentes, ut nullus *in eadem Ecclesia plures Dignitates, aut Personatus* habere præsumat, etiamsi, &c.

Not. 10. cùm Pontifici supplicatur pro dispensatione in pluralitate beneficiorum, cæteroquin incompatibilium, qualitatem *Nobilitatis* recipi à Pontifice, tanquam sufficientem causam concedendi dispensandi; quod à fortiori procedit si conjuncta sit cum doctrina; quamvis etiam *sola doctrina* sufficiat, sine Nobilitate; const. ex c. *de multa*, ibi: *circa sublimes tamen, & literatas personas*, quæ majoribus sunt beneficiis honorandæ, cùm ratio postulaverit, *per Sedem Apostolicam poterit dispensari*, ut notavimus *n.* 306.

323 Not. 11. quòd, si quis habens beneficium curatum sine dispensatione recipiat *secundum* (idem est de Dignitatibus, & Personatibus, ex dict.) & utrumque retinere contenderit, non tantùm ipso jure omittat *primum*, ut alteri conferri possit; sed etiam spoliandus sit *secundo*, non tantùm vi c. *de multa*, ibi: *etiam alio spolietur*; sed etiam vi Tridentini, licet *secundum* non sit beneficium qualificatum, incompatibile tamen cum primo; constat hæc secunda pars de Tridentino, ex *n.* 319.

Not. 12. per c. *de multa*, providentiæ, seu constitutioni factæ in CC. Lateranensi, *ut nullus diversas dignitates Ecclesiasticas, vel plures Ecclesias Parochiales reciperet contra Sacrorum Canonum instituta* sub pœna *aceeptum* omittendi, non esse derogatum, nisi in hoc, quòd nunc ipso jure omittatur *primum*, seu prius habitum; adeoque pœnam à Lateranensi decretam in eum, qui habenti dignitatem, vel Ecclesiam Parochialem confert alteram, *qua largiens* (scienter) *secundam, largiendi potestate privetur*, adhuc perstare.

Not. 13. quando in c. *Super eo* (de quo *n.* 307.) dicitur, non esse contra Concilium generale (de quo priori numero) habere Personatum cum curâ; vel præbendam cum Parochia, intelligendum, quando illi cura, vel Parochialis Ecclesia annexa est; sic Rebuffus in praxi beneficiorum, tit. *Forma, & declaratio novæ* provision. V. *cum annexis*; nam habens dignitatem, vel etiam Canonicatum, cui annexa est Parochia, in hac non tenetur; & in illo, potest residere per c. *Extirpandæ*, §. *qui vero. h. t.* Ex quo vides, constitutioni *de multa*, hic non esse locum; per *gloss. in c. Super eo*, quo fit, quòd ratione unionis ab uno possint obtineri plura beneficia, cæteroquin incompatibilia; sic Flamin. *cit. l. 3. q. 1. n.* 119. Gonzalez *ad* 8. *regul. Cancell. gloss.* 5. §. 2. *n.* 21. *V.* tamen decretum Tridentini, de quo *à n.* 319. 324

Not. 14. quando in c. *si tibi.* 26. *h. t. in* 6. dicitur, *primum* beneficium curatum non vacare ex receptione *secundi*, quando fructus primi alius ex causa percipit, communiter deduci à Doctoribus, quod *beneficium* non dicatur *obtinere*, qui ex eo fructus percipere nequit, quamdiu scilicet percipit alius; quo fit, requiri, quòd habeat cum effectu, nimirum fructuum

ctuum perceptione, (sic *gloss. V. vacare*) saltem majoris partis.

325 Not. 15. ut vacatio *primi* beneficii, per *secundi* receptionem inducatur, non sufficere receptionem cum possessione, nisi hæc sit *pacifica* tam *de facto*, quàm *de jure*; adeoque absque controversia juris, & facti; tam *judicialis*, quàm *extrajudicialis*; sic Mascardus *de probat. conclus.* 183. Flamin. *l.* 3. *q.* 1. *n.* 129. Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 16. *q.* 9. & alii, quia dispositio hæc, inducens eam vocationem, est pœnalis, consequenter interpretationis strictæ.

326 Not. 16. quamvis in casu, quo *primum* beneficium ipso jure vacat per adeptionem *secundi*, illud ab Ordinario possit alteri conferri, etiam non vocato priore Possessore; huic tamen secundo non posse dari corporalem possessionem illius beneficii, *non vocato priori curato*, ut dicitur in c. *Licet Episcopus* de quo egimus *n.* 307. quia illi adhuc posset competere jus retinendi, ne privetur possessione inauditus; sic Gonzalez *cit. gloss.* 15. §. 1. *à n.* 39. Sanchez in Dialog. *l.* 2. *c.* 26. *n.* 12. Nullus enim sine citatione, & actu judiciali à sua possessione amovendus est; sic Flaminus. *l.* 11. *q.* 10. *à n.* 10. & alii. Si dicas, quòd plurium beneficiorum incompatibilium *retentioni resistit* jus commune, ut constat ex dict. & in tali casu *assistit Episcopo*, ad quem spectat collatio beneficiorum vacantium; ergo non tantùm conferri, sed etiam in possessionem tradi poterit alteri, non vocato priore Possessore beneficiis vacantis per adeptionem primi. Ant. 1. pars constat *ex dict. c. de multa*; secunda verò ex c. *frequentius* 3. *de Institut.* nam beneficiorum vacantium institutio de jure pertinet ad Episcopum, ac jus Officialium ejus; consequenter & investitura, seu possessionis traditio sine respectu ad eos, qui prius habuerunt. R. illam *resistentiam*, & *assistentiam* juris, non esse *circa idem*, seu in iisdem terminis. Nam beneficato, habenti unum beneficium resistit quoad *adeptionem*, & *retentionem* primi; Episcopo autem, ut beneficium exinde vacans *liberè conferat*, non tamen, *ut eum non vocatum possessione dejiciat.* alteri eandem conferendo.

327 Not. 17. inter constitutionem c. *de multa*, & eam, quam retulimus *n.* 309. in Extravag. *Execrabilis*, plura esse, in quibus posterior severus procedit illâ. Nam. 1. vi illius c. solùm, non licet recipere secundum beneficium qualificatum simile priori, v. g. habito uno curato, aliud simile curatum; unde vi ejus non erat prohibitum, habitâ *dignitate*, recipere aliud curatum *sine dignitate*, nisi alio titulo foret incompatibile: per dict. autem Extravag. neque hoc *tunc* permissum esse, nisi intuitu dispensationis habitæ super pluribus beneficiis retinendis; etsi *deinceps*, & *in futurum*, illud non prohibeat, nec dispensationis mentionem faciat. Secundo, capitulum *de multa* solùm inducit privationem *primi* beneficii post adeptionem *secundi*, similis priori; &, si *utrumque* retineat, etiam secundi: Extravagans autem ista, illi pœnæ superaddit alteram, *ut talis reddatur inhabilis ad quæcunque similia habenda.* Tertiò, per istam Extravag. omnia beneficia, per transgressionem dictæ constitutionis vacatura, vel dimissa, *reservantur* Pontificii; de quo nihil dicitur in c. *de multa*; & quamvis, ut volunt aliqui, hæc reservatio jam sit *antiquata*; contrarium tamen habetur ex 1. Regula Cancellariæ (quam singuli Pontifices, de novo creati, innovant) per quam reservantur omnia beneficia, quæ per constitutionem, seu Extravag. *Execrabilis*, *vacant*, aut *vacare* contigerit.

Ex dict. sequitur. 1. duos Episcopatus, 328
duas Abbatias, duas Parochias, duas Vicarias perpetuas, & reliqua beneficia curata esse simpliciter incompatibilia; cùm exigant residentiam formalem veram c. *de multa.* 28. *h. t.* & ubi quis illud secundum cum primo retinere contenderit, etiam secundo spoliandum esse, ut ibidem dicitur in textu, & hæc pœna innovata est per Trid. *sess.* 7. *de reform. c.* 4. ubi sermo est *de omnibus beneficiis incompatibilibus*, id quod etiam tenet Barbosa in c. *de multa, à n.* 7.

Sequitur 2. duas Dignitates, vel duos Personatus in eadem, vel diversis Ecclesiis, esse incompatibiles de jure c. *Ad hæc* 13. *h. t.* non tamen simpliciter, ut colligitur ex c. *præterea.* 14. *eod.* ubi dicitur, quòd habens duas Dignitates, unâ retentâ, alteram dimittere compellatur; non autem, *quòd alterâ ipso jure privatus sit.* Sed hoc ibi dicitur secundùm primum tempus

ante

ante Concilium Lateran. sub Alexandro III. ut not. Barbosa *in c. præterea. 14. h.t.* Nam postea sub Innoc. III. (ut constat ex c. *de multa* 28. *h.t.*) statutum est, ut si habens beneficium curatum, Personatum, vel dignitatem pacificâ possessione, recipiat secundum simile, ipso jure vacet primum; quare ista sunt simpliciter incompatibilia.

329 Sequitur 3. quæ diximus de incompatibilitate *in beneficiis curatis*, intelligi. 1. de illis, *non solo habitu, sed actu, curatis.* Quare beneficium curatum *solùm habitu*, est simpliciter compatibile cum alio Curato in habitu, & actu; vel etiam cum Canonicatu, personalem residentiam exigente; sic Barbosa in c. *de multa n. 5.* Secundò, si unum ab altero non dependeat; secùs, si unum alteri sit unitum c. 54. *Dudum*, de Elect. ibi: *nisi una penderet ex altera*; tertiò si utrumque sit *in titulum*; nam si habeat unum, *in titulum*; alterum, *in commendam*, volunt hunc casum ibi non comprehendi; sed hanc limitationem, quam etiam tenet Pirhing hic *n.* 130. (spectato decreto Tridentini *sess. 7. de reform. c. 4.*) aliqui non admittunt, esto vera sit de rigore juris, ut videri potest apud Barbosam *in cit. de multa n. 6. & 7.*

Sequitur 4. habentem plures dignitates sine dispensatione, esse ineligibilem ad beneficium c. *Cùm jam Dudum. 8. h. t.* etsi nihilominus eligatur, *censeri intrusum*, hoc est, ingressum absque jure. Nam *intrusus* ille dicitur, qui sine authoritate ejus, cujus est beneficium, se in illud intromittit, vel absque jure, vel absque Canonico titulo, vel per vim, & propriam authoritatem; Azor. *p. 2. l. 7. c. ult. q. 10.* & hoc ipsum statuitur in talem, si post intrusionem, ante confirmationem, in eo beneficio ministret, vel post cassatam etiam confirmationem.

330 Sequitur 5. duos Canonicatus, vel beneficia uniformia, sub eodem tecto, esse simpliciter incompatibilia. Cùm enim habeant idem officium, & onus; ac ad eundem finem eo tempore instituta sint, non potest unus utrique satisfacere; Piasecius in praxi Episcoporum *p. 2. c. 5. à 3. n. 73.*

Sequitur 6. duo beneficia uniformia, sed non sub eodem tecto, seu in diversis Ecclesiis, si non sint qualificata, esse incompatibilia solùm secundùm quid. Ratio est, quia sic unum non impedit simpliciter alterum c. de *multa §. hoc idem*, modo non exigant ambo personalem residentiam.

Sequitur 7. duo beneficia, etiam simplicia, esse simpliciter incompatibilia, quando ambo exigunt personalem residentiam; quia sic non potest utrique satisfacere. Unde, quamvis de rigore juris possit quis sine dispensatione obtinere duo beneficia etiam curata, unum per se, alterum accessoriè. c. *Super eo de præbend. in 6. junctâ gl. fin.* hoc tamen non extenditur ad duos Canonicatus sub eodem tecto, unum *per se*, alterum *accessoriè*, propter *Clem. ult. h.t.* contrariâ consuetudine non obstante *c. 1.* de Consuetudine *in 6.* 331

Sequitur 8. quòd quis de rigore juris communis sine dispensatione licitè retineat Archidiaconatum, qui simul habet curam animarum, cum alio beneficio Parochiali accessoriè unito; sic Pirhing. *h.t. n. 133. dixi de rigore juris communis*, propter dicta *n. 319.* ex Tridentino. Duo autem beneficia ratione residentiæ compatibilia, quorum neutrum seorsim sufficit ad decentem Beneficiati, sustentationem, posse simul obtineri, apertè colligitur ex Trid. *sess. 24. de reform. c. 17.*

Sequitur 9. ubi est consuetudo, licitè retineri duas Capellanias in eadem Ecclesia cum onere Sacrorum diversis temporibus, & in diversis Altaribus celebrandorum, quando neutra seorsim sufficit ad decentem sustentationem; quia sic nullam habent incompatibilitatem, & forent difformia; cùm habeant distincta onera: hinc nota, Parochum alicujus Ecclesiæ, posse, præter suum beneficium curatum, retinere licitè talem Capellaniam in eadem Ecclesia, modò neutrum seorsim sufficiat sustentationi decenti; Navarrus *l. 3. Consil. 16. n. 1.* & quamvis beneficia plura etiam incompatibilia possint ratione unionis obtineri, *c. Super eo. 6. de præbend. in 6.* (Unde in his c. *de multa* non habet locum, per Barbosam *ibidem n. 7.*) videtur tamen aliud hodie jure Trid. de quo *n. 319.* 332

Sequitur 10. beneficia, etiam simplicia, quorum primum sufficit congruæ sustentationi, esse imcompatibilia, sed *secundùm quid*; sic Abbas in c. *Cùm jam dudum.* &c. *Extirpandæ*, de præbend. item c. *Conquerente. de Cleric. non residente.* 333

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dent. Trid. *sess.* 24. *de reform. c.* 17. ibi: *Vnum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem, si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, licet nihilominus aliud beneficium simplex sufficiens, dummodo personalem residentiam non requirat, eidem conferri*: & hoc decretum obtinet in omnibus personis, etiam Cardinalibus, & in omnibus beneficiis tam secularibus quàm Regularibus quibuscunque, etiam commendatis, cujuscunque tituli, aut qualitatis, ut constat ex ipsismet verbis decreti; intellige, si requirant personalem residentiam, vel unum sine altero sufficiat: & quamvis aliqui apud Barbosam *cit. n.* 3. existiment, prædictam dispositionem Concilii non habere locum in beneficiis, quæ sunt de jure Patronatus, contrarium tamen multò probabilius est, ut liquet ex illis CC. verbis: *in quibuscunque beneficiis, cujuscunque tituli, aut qualitatis*, excipe, nisi cautum sit in ipsa fundatione, *ut simul cum aliis retinere possit.*

334 Sequitur 11. nullâ consuetudine, etiam immemoriali, vel juratâ induci posse, ut quis sine Papæ dispensatione, licitè obtineat, duo vel plura beneficia simpliciter incompatibilia c. 1. de consuetudine in 6. hoc intellige, quando exigunt jure divino residentiam personalem, si enim tantùm jure humano, & neutrum sufficiat ad congruam, ex justa causâ induci potest consuetudo contraria, ut sine dispensatione liceat obtinere duo simplicia V. Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 11. *q.* 6.

Textus dicti c. 1. Clarus est; sic enim loquitur Bonifacius VIII. *Consuetudinem*, quam in vestra Ecclesia servatam asseritis tanto tempore, *quod in contrarium memoria non existit*, videlicet, quòd *ipsius Ecclesiæ Canonici duos Personatus*, aut *duas dignitates*, vel *Præposituras*, seu *administrationes*, aut *duo officia*, vel *eorum alterum cum reliquo simul & præbendam possint in ea licitè, absque dispensatione Sedis Apostolicæ, obtinere, corruptelam* (cùm sacris sit inimica Canonibus, & de ambitionis radice processerit) *meritò reputantes: eam Auctoritate Apostolica reprobamus*, eosque ad ipsius observantiam, etiamsi *juramento firmata* extiterit (cùm juramentum iniquitatis vinculum non existat) decernimus non teneri: Statuentes, *ut, cùm unum officium vix digne valeat aliquis adimplere) nulli liceat de cætero, nisi unicum Personatum, vel dignitatem, aut Præposituram, sive administrationem, vel officium perpetuum, quocunque nomine censeantur, cum præbenda insimul*, absq; dispensatione dictæ Sedis *in eadem Ecclesia obtinere: vel jam obtenta tenere; quod si à quoquā secus præsumptum fuerit, sit omnino.*

Ex hoc colliges, validam esse alicujus 335
Ecclesiæ consuetudinem, aut statum (sicuti Episcopi dispensationem,) ut unus in Ecclesia eadem, cum canonicali præbenda, dignitatem, Personatum, aut officium obtineat, v. g. ut idem sit Præpositus, & Canonicus; ita Gail hic Ver. *nisi unicum*: & deducitur ex c. *Eam & 7. de Rescript.* ubi Archidiaconus erat etiam Canonicus, & ex hoc c. per sensum contrarium: Cùm enim Papa dicat, *duas dignitates, vel officia*, à Canonico in eadem Ecclesia obtineri non posse, absque Papali dispensatione; satis indicat, unam dignitatem, vel unum officium, cum Canonicali præbenda, absque Papæ dispensatione haberi posse; videlicet vigore consuetudinis, aut statuti, vel dispensationis Episcopalis, prout etiam tradidit. *Gl. in Clem. ult. in fine.* post Innoc. dicens: quòd in duabus Canoniis ejusdem Ecclesiæ non possit Episcopus dispensare, licet dispensare possit in Canonia, Personatu, vel Officio habendo unum eorum simul cum præbenda, juxta dicta.

Colliges 2. quòd in eadem Ecclesia, absque Papali dispensatione, non possit quis esse *triplex* vel etiam duplex in beneficiis *uniformibus*, v. g. habere duos Canonicatus in eadem Ecclesia, & ne quidem per modum connexionis, uti DD. notant, ex c. *literas 9. de præbend. sic gloss. fin. in dict. c. 1. de consuetudine in 6.* & ideo Sacri Canones magis abhorrent à duobus beneficiis *uniformibus* in eadem Ecclesia, quàm *à duobus curatis* in Ecclesiis diversis, uti colligitur ex c. *super eo 6. de præb. in 6.*

Præter dicta, queres. 1. an liceat obtinere, 336
ac retinere simul duas Capellanias *in eadē Ecclesia*, sed *in diversis Altaribus*? Casus esse potest, si in uno Altari constituta sit Capellania cum onere duorū sacrorū per septimanam; in alio altera, cum onere triū sacrorū quod hebdomadis in eadē Ecclesia,

distinctis temporibus. N. probabiliter affirmari cum Pirhing *cit. n.* 138. ubi talis consuetudo recepta est; modò neutra sufficiat ad sustentationem, quia sic nihil est, quod faciat incompatibilitatem, & cum habeant diversa onera, censentur beneficia *difformia*, de quibus *à n.* 302. Ex hoc deducitur, quòd etiam Rector, seu Parochus alicujus Ecclesiæ, præter suum beneficium Parochiale, seu curatum, simul retinere potest talem Capellaniam in eadem Ecclesie existentem; Sic Navarrus *l.* 3. *Consil.* 16. *n.* 1. *Consil.* 22. *n.* 2. addens, quòd, *vi consuetudinis immemoralis*, possint quis etiam duas tales Capellanias in eadem Ecclesia retinere, una cum dignitate, vel officio modò dignitas, vel officium insufficiens sit ad honestam sustentationem.

337 Si autem quæras, 2. an liceat retinere simul plura beneficia simplicia, non exigentia residentiam personalem? licet unum eorum sufficiat ad honestam sustentationem? affirmativam sequuntur Innocentius, & Rebuff. apud Pirhing. *n.* 139. sed negativa est verior spectato jure communi. Nam habentes plura beneficia, non necessaria ad vitæ sustentationem, sibi usurpant; & appropriant stipendia plurium, occupant locum Clericorum pauperum instituendorum in illis beneficiis &c. sic Abbas in c. *cum jam dudum n.* 8. & in c. *extirpandæ*, §. *qui verò, de præbend.* & probari potest ex c. *conquerente, de Cleric. non resid. ac Trid. sess.* 24. *de ref. c.* 17.

§. 12.

De vacatione prioris beneficii per adeptionem secundi.

338 Ante resolutionem notandum, quatuor fuisse tempora prius, quàm foret Concilium Tridentinum in quibus de beneficiorum pluralitate, concurrentia in eadem persona, actum est. Primum tempus erat ante CC. Lateranense sub Alexandro III. Secundum, tempus CC. Lateran. sub eodem Alexandro III. Tertium, tempus CC. Lateran. sub Innocentio III. Quartum tempus Constitutionis Extravag. Joannis 22. incipientis: *Execrabilis.* In primo tempore, *obtinens plura beneficia incompatibilia*, non perdebat ipso jure primum, adeptione secundi, nec ipso facto privabatur primo, si præsumere retinere secundū, sed in hoc casu dabatur ei optio, unum retinendi, quod mallet, altero dimisso, ut constat ex c. *referente* 7. *de præbend.* & consentit c. *præterea* 14. *eod.* hæc constitutio, seu dispositio loquitur generaliter de Ecclesiis. Unde Pirhing *de præbend. n.* 146. docet, illam adhuc hodie locum habere posse in Ecclesiis, seu beneficiis non curatis v. g. duobus Canonicatibus, vel uno curato, & altero simplici, residentiam requirente, consequenter, cùm utrumque retineri non possit, liberum manere beneficiato, unum, quod maluerit, retinere, dimisso altero, quia quoad hoc illi dispositioni per jura posteriora nihil est derogatum, quod videtur etiam procedere in casu, quo quis *simul*, ut non successivè, provisus est unâ dignitate, & una Parochiâ.

In secundo tempore nullus poterat re- 339
cipere diversas dignitates Ecclesiasticas, nec plures Ecclesias Parochiales; secùs per sententiam, seu officium Judicis privandus erat secundâ dignitate, vel Parochiâ; & conferens, potestate conferendi pro illâ vice privabatur, ex c. *quia nonnulli de Cleric. non resid.* Et nota, quòd hæc constitutio sit posterior illà, quæ habetur in c. *referente*: in tertio tempore statutum fuit, ut, si obtinens aliquod beneficium Curatum, recipiat alterum etiam Curatum actu, *prius optento*, ipso jure sit privatus, & si hoc secundum cum priore retinere contendat, etiam secundo privetur, ut dicitur c. *de multa* 26. *de præbend.* intelligè, si utrumque retineat usque ad litis contestationem; ita Pirhing *n.* 150. §. *not.* 3. Deinde in eodem c. additur, quòd de curatis beneficiis dictum est, similiter observandum esse de Personatibus, & dignitatibus, *maximè* in eadem Ecclesia, etiam si curam animarum non haberent, quamvis circa personas sublimes (intellige *illustres*, aut *nobiles*) & *literatas*, quæ majoribus officiis sunt honorandæ, ex justa causa per Papam dispensari possit.

Not. autem hic specificè agi de pluribus 340
beneficiis Curatis, Personatibus, & dignitatibus; unde jure communi habens curatum, & recipiens aliud non curatum, non amittit *ipso jure* primum, licet secundum cum illo foret incompatibile, quia, in c. *de multa*, non est sermo *generalis* de quibuscunque incompatibilibus, licet

jure

jure novo Trid. *sess. 7. de reform. c.* 4. hæc constitutio extensa sit *generaliter* ad quæcunque beneficia incompatibilia, sic, ut nulla incompatibilia sine dispensatione Papæ simul habeantur, quamvis, *quoad hoc, quod adeptione secundi vacet ipso jure* primum, dictam constitutionem c. *de multa*, non extenderit generaliter, ut docet Pirhing *de præbend. n.* 149. cum Navarro *l.* 3. *Consil.* 17. *eod.* contra Garciam *p.* 11. *c.* 5. *àn.* 83. Sed in hoc V. dicta. Cœterùm ipsi volunt, suæ doctrinæ non obstare decretum Tridentini *sess.* 24. *de reform. c.* 17. statuens, ut hi, qui in præsenti plures Parochiales Ecclesias, vel unam Cathedralem, & alteram Parochialem obtinent, unà tantùm retentâ teneantur alteram intra sex menses dimittere; quia hoc decretum loquitur solùm de pluribus beneficiis incompatibilibus, *obtentis ante Trid.* non autem, obtentis, vel obtinendis post illud, de quibus loquitur decretum *sess.* 7. *c.* 4.

341 In quarto tempore, vi Constitutionis Extravag. Joann. 22. quæ incipit *Execrabilis. de præbend.* statutum est. 1. ut, qui *tunc* (nimirum eo tempore, quo hæc constitutio publicata est) obtinebant plures dignitates, Personatus, officia, Prioratus, aut beneficia, quæ aliàs sine dispensatione obtineri non poterant, unum tantùm ex Ecclesiis, vel beneficiis hujusmodi, quibus cura imminet animarum, cum dignitate, Personatu, officio, vel beneficio sine cura, quod habere maluerint, licitè possint retinere, sic tamen, ut ex illis unum cum cura, alterum sine cura, teneantur eligere intra mensem, computandum à tempore notitiæ hujus Constitutionis, reliqua verò non electa, quæ obtinebant ex dispensatione, & aliter de jure licitè obtineri non poterant, *ex tunc* (lapso scilicet mense) vacare censeantur coram Ordinario, & ipsi in effectu dimittere teneantur, confecto adhoc Authentico instrumento, nec ad ea redire, aut eorum administrationi, sine nova collatione ab eo, qui poterat, facienda, se immiscere præsumant, alioquin tam his (scilicet non dimissis) quàm aliis (nimirum uno curato, & altero non curato) ipso jure sint privati, & ad similia beneficia obtinenda *prorsus inhabiles* fiant.

342 Statutum est 2. ut à prædictis excipiantur Cardinales Ecclesiæ Romanæ, ac Regum Filii, propter *sublimitatem*, & *Claritatem generis*; 3. ut illi, qui juxta præsentem Constitutionem duo beneficia ex præhabitis sibi reservant, & ad alia similia beneficia, Authoritate Apostolicâ, gratiam exspectativam habent, possint, cum vacaverint, intra mensem, ea eligere & dimissis aliis in forma superius præscripta recipere, ac licitè retinere, alioquin, si secùs egerint, pœnas similes incursuri, prout habetur *in cit.* Extravag. *Execrabilis* §. *per hoc autem*, hic.

Quartò, ut, qui plura hujusmodi be- 343
neficia, sine legitimâ dispensatione retinere possunt, eo tantùm retento, quod ultimo receperunt, si ex Canonica collatione jus iisdem competat, intra mensem, verbo, & facto, coram Ordinario reliqua dimittant alioquin etiam ultimo acquisito, ipso jure, sint privati, & ad quæcunque beneficia Ecclesiastica obtinenda penitus inhabiles censeantur; Quintò, ut quicunque deinceps, dignitatem, Personatum, officium, vel aliud beneficium, curam animarum annexam habens, receperint, si antea simile obtinebant, illud (quo ipso jure post habitam possessionem secundi pacificam, vel si per eos steterit, quò minus haberent, sunt privati) *sine mora* in manibus Ordinariorum pari modo dimittere teneantur; aliàs & tunc sint etiam secundo, ipso jure, privati; & non tantùm ad suscipiendos Sacros Ordines, sed etiam ad obtinendum quodcunque beneficium Ecclesiasticum inhabiles.

Statutum est 6. ut omnia, & singula be- 344
neficia vacatura, vel dimissa, Sedis Apostolicæ dispositioni sint reservata, ita, ut si quis quâvis Authoritate, vel quocunque modo disponere attentet, id irritum sit; Septimò explicat, per *Ordinarios* hic intelligi *Episcopos* (vel Sede vacante, Capitula) in quorum diœcesi sunt beneficia sic dimittenda, vel dimittentes; & statuit, ut de beneficiis tam dimissis, quàm perditis, Papam moneant, ut primùm comodè poterunt, ut de illis disponat: Octavò denique dicit, per *beneficia curata*, quorum unũ retinere potest cum alio sine cura, hic intelligi ea tantùm, quæ Parochias habent, in quibus animarũ cura, *non per Vicarios perpetuos*, sed per *Rectores*, aut Ministros beneficiorum, vel per *Vicarios illorum* tem-

temporales exercetur; & quorum Ministris ratione hujusmodi beneficiorum jus competit, visitandi, inquirendi, censuras ferendi, & ab illis absolvendi; aliis tamen juribus, quæ de cura animarum loquuntur, quoad cætera, in suo robore permanentibus. Hactenus Extravagans *Execrabilis*. Et hæc de diversis quatuor temporibus quoad pluralitatem beneficiorum.

345 Not. autem. 1. beneficium *curatum* dupliciter intelligi. 1. pro eo, quod habet curam animarum annexam. 2. largè etiam pro eo, quod habet annexam jurisdictionem fori contentiosi; & utrumque comprehendi in prædictis ex priori numero. Not. 2. hanc constitutionem, in quantùm pœnalis est, non habere locum in eo, qui legitimè dispensatus obtinet plura beneficia, esto ea non canonicè acceperit; quia loquitur de obtinentibus plura beneficia *sine dispensatione*. Not. 3. prædictam constitutionem, ex recepta jam consuetudine, non observari, quoad illud punctum, ut adeptus secundum beneficium, resignet prius habitum, *verbaliter*, *sub authentico instrumento* coram Ordinario; sed, sufficere, si realiter, & cum effectu primùm, ejusque pensionem dimittat (Zerola in praxi Episcoporum V. *Beneficia*; ad 3.) sed absolutè, non in favorem tertii, vel causâ permutationis, aut reservatâ pensione, vel fructibus; quia, cùm primum vacet ipso jure, dimissio illa solùm spectat ad factum. Not. 4. quando diximus in n. priori, beneficia dimissa, reservari Papæ, hoc non intelligi de prioribus, quæ per adeptionem posteriorum vacant, ut dicitur c. *de multa*; sed solùm de posterioribus, quæ propter illicitam retentionem prioris beneficii vacant vi Extravag. *Execrabilis*, ut dicitur *n. cit.* his præmissis.

346 Quæstio est; quæ conditiones requirantur, ut primum beneficium vacet adeptione secundi incompatibilis? R. ut prius beneficium curatum, Dignitas, Personatus, vel etiam Officium (non, nudum ministerium, sed administrationem habens) vacet per adeptionem alterius similis, non sufficere, hoc *ipsi esse collatum, & acceptatum*; sed requiri etiam *pacificam ejus possessionem*, vel saltem per eum stare, quò minus habeat. Ut diximus *n.* 325. ubi etiam exposuimus, quando quis censeatur habere possessionem pacificam.

R. 2. ut inducatur vacatio primi bene- 347
ficii per adeptionem secundi incompatibilis, requiri 2. quòd utrumque sit collatum *in perpetuum*, sive in titulum, sive in commendam, ut dicitur in Tridentino *sess. 7. c. 4.* ibi: sive per viam unionis *ad vitam*, seu commendæ *perpetuæ*. Advertendum autem, esse plures casus, quibus primum beneficium curatum, Dignitas, aut Personatus non vacat etiam per pacificam adeptionem alterius similis primò, si facta sit dispensatio, retinendi utrumque, esto fortassis causâ dispensandi non fuerit sufficiens; vel fuerit subreptitia; quia sic esset nulla, consequenter impotens inducere effectum vacationis primi, adeptione secundi. Secundò si quis reciperet beneficium secundum in calore iracundiæ citra debitam deliberationem; Tertio, si reciperet secundum factis prius expensis in primum ex bonis patrimonialibus: tertiò si Superior Beneficiati nollet ratam habere collationem secundi.

Ex dict. colliges. 1. beneficia promoti 348
ad Episcopatum vacare, ubi confirmatus fuerit consecratus, & obtinuit pacificam possessionem Episcopatus c. *cùm in cunctis. §. cum verò, de Elect. juncta gloss.* V. *Tempore* & V. *ad quem spectat*; quod verum est de omnibus, etiam simplicibus, imò & pensionibus; excipe nisi non perciperet fructus Episcopatus; 2. nisi sit merè titularis. 3. nisi sit pauper, vel debitis gravatus. Notandum autem, esto per adeptionem Episcopatus vacent priora beneficia, per adeptionem tamen dignitatis, v. g. Abbatiæ, non vacare Episcopatum, sic Abbas in c. cùm in cunctis, *cit. n.* 4. quia in odiosis nomine generali *dignitatis*, aut *Personatus* non venit Episcopatus, ut dictum est superius.

Colliges 2. per adeptionem Cardinalatus non vacare priora ejus beneficia, nisi simul fiat Episcopus, sic Abbas *in c. 53. de Elect. n. 3.* & Layman *ibidem.* si petas, an ei de novo conferri possint ejusmodi beneficia? R. posse, si non exigant personalem residentiam, nam secus, eget dispensatione Papæ, ita Layman *cit.*

Colliges 3. beneficium simplex non vacare adeptione secundi similis, esto ambo residentiam exigant personalem, si caret fructibus ejus, in quo non residet, Abbas in c. *fin. de Cleric. non resid. n.* 4. quòd à fortiori

tiori procedit, si ambo sint compatibilia ratione residentiæ, si autem non sint compatibilia, non vacat quidem ipso jure, sed alterum, quod maluerit, dimittere debet, vi juris antiqui, ex dictis superius.

Colliges. 4. recipientem tertium, vel quartum beneficium *qualificatum*, ipso jure amittere recepta, secluſa dispensatione, per Clement. *si plures, de præbend. juncta gloss.* V. *obtinens* & V. *dignitates.* Nec obstat, quòd non præstet impedimentum, quod de jure non sortitur effectum juxta regulam juris 52. de Reg. juris in 6. at collatio tertii beneficii incompatibilis de jure non habeat effectum, seu non valeat: Respondetur enim priora non vacare in hoc casu ex valida collatione posterioris, sed ne sit melioris conditionis, qui acceptat *illicitam* collationem tertii, quàm qui acceptat *licitam, arg. c. Eum qui de præbend. in 6.*

349 Quod attinet pluralitatem beneficiorum Regularium (quorum nomine hic intellige non tantùm Abbatiam, Præposituram, Prioratum, &c. sed etiam Canonicatum Regularem, & Monachatum) ex dictis constat, *à n. 165.* Monachis, & aliis etiam Regularibus interdictum esse, sine Authoritate Sedis Apostolicæ, præesse pluribus Prioratibus c. *cùm singula* 32. *de præbend. in 6.* quod verum est, etiam *de non curatis. gl. in cit.* V. *Prioratibus & Coll. ex Clem. unic. de supplend. negl. Prælat. in fine*, & extenditur hæc constitutio, ut procedat, licet illa beneficia sint in diversis Monasteriis ut dicitur c. *cum singula* §. *prohibemus.* Hinc nulla Superiorissa Monialium duobus Monasteriis præesse potest, & si quæ præesset, intra sex menses, uno tantùm retento, cætera resignet: Trid. cit. ubi etiam declarat notanter, id procedere in Monasteriis Canonicorum Regularium, sublatâ etiam immemoriali consuetudine; secùs, omnia vacant, jure. Sed de his V. dicta *à n. 165.*

350 Et ideo, qui Religioso habenti Prioratum, vel Ecclesiam curatam, aut administrationem in uno Monasterio, contulerit, contra dictam prohibitionem, aliud beneficium alterius Monasterii, vel collatum reliquerit, eâ vice potestate ordinandi, seu committendi, in pœnam, est privatus, & ea in Monasterio non exempto ad Ordinarium, in exempto, ad Papam (vel Legatum de latere, si sit in provincia) devolvitur, & Monachus aut Monialis contra hanc constitutionem, Prioratus, Ecclesias, Administrationes, vel Officia alieni Monasterii susci pere, aut susceptа retinere præsumens, ipso jure ineligibilis redditur, ita c. *cum singula* §. *prohibemus, de quo n.* 165.

Not. autem prædictam dispositionem de Monachis, extendi etiam ad Clericos, seu Canonicos Regulares, quod neque ipsi possint esse professi, vel habere beneficia, & officia *in diversis beneficiis*, Ecclesiis, vel Monasteriis, etiam ejusdem Ordinis. Rationem dat Navarrus *in Comment. 3. de Regularibus n.* 41. ubi tradit hanc regulam, quòd ea, *quæ juri communi statuuntur de Monachis*, quamvis alioquin odiosa sint, vel pœnalia, *etiam de Canonicis Regularibus, aliisque Religiosis statuta censcantur, si in iisdem eadem ratio locum habeat*, qualiter contingit in præsenti, quia Canonici Regulares æquè, ac Monachi, professionem edunt *ad stabilem locum*, & in Monasteriis suis jus Collegii, & cujusdam beneficii obtinent.

§. 13.

Quis possit dispensare in pluralitate beneficiorum.

DE summo Pontifice non est dubium, potissima quæstio est, de aliis Papa inferioribus. Quæstio igitur est, quid in hoc possit Episcopus? R. quòd Episcopus *spectato jure communi* dispensare possit primò, ut quis simul obtineat duo beneficia simplicia v. g. duos Canonicatus, vel duas Capellanias in diversis Ecclesiis; Fagnanus in c. *cum jam dudum. de præbend. n.* 47. Secundò, duo beneficia simplicia, sed difformia, etiam in eadem Ecclesia, sic Azor *p. 2. l. 6. c.* 12. *q.* 6. 351

Verùm, post Tridentinum, mox citandum, non potest dispensare, ut quis habeat duo beneficia simplicia v. g. duos Canonicatus, in diversis Ecclesiis, & ideo dixi *de jure communi*, intellige, si primum sit sufficiens ad decentem sustentationem, secùs est, si primum sit insufficiens. Tunc enim Episcopus potest dispensare, ut retento primo, recipiat aliud in diversa Ecclesia ex se sufficiens, modò residentiam non exigat, ita Trid. *sess. 24. de refor. c.* 17.

Si roges quid dicendum, si sint *in eadem Ecclesia, & sub eodem tecto*? R. vel sunt uniformia, & similia, vel difformia? si primum? Episcopus dispensare non potest; si secundum? distinguendum est. Nam vel primum est sufficiens? & similiter Episcopus dispensare non potest, ut dictum est num. priori; vel est insufficiens? & hoc casu dispensare potest Episcopus, modò utrumque personalem residentiam non requirat; nam secùs obstaret Trid. cit. & opus foret dispensatione Apostolicâ, sic Fagnanus in c. *literas, de conces. præbend. n.* 39.

352 In quæstione autem, an Episcopus dispensare possit, ut quis *plura, quàm duo beneficia*, simul obtineat, saltem in casu, quo Ambo non sufficiunt ad congruam sustentationem? R. eum hoc potuisse ante Tridentinum, ut docet Abbas in c. *de multa, de præbend. n.* 19. loquendo *de simplicibus*; nunc autem, non posse, juxta declarationem S. Congregationis Concilii, ut not. Pirhing *cit. n.* 187. nec obstat c. *quia in tantùm, de præbend.* quia illud loquitur tantùm de illis, qui ex *ambitione*, vel *avaritia*, plura beneficia receperunt. Hinc proximè citatus Author *n.* 188. expressè addit, si unum, vel duo beneficia simplicia dissimilia, vel etiam similia, in diversis Ecclesiis obtenta, verè non sufficiant ad honestam sustentationem, nullâ opus esse dispensatione etiam Episcopi, ut quis illa, vel etiam plura retineat; quia jus, & consuetudo id permittit.

353 Not. præterea. 1. quòd Legatus à latere, in provincia sibi demandata, ex iisdem causis, & in iisdem beneficiis, dispensare possit, quoad pluralitatem, *in*, & *ex quibus* potest Episcopus in Ecclesia sibi subjecta; non autem Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Sede vacante; nec Episcopi Vicarius generalis, sine commissione speciali, de quibus V. *l.* 1. *tit.* 28. *de Offic. Vicar.* imò nec Reges, & Principes, quibus ex Ecclesiæ concessione interdum permittitur conferre beneficia, duo, vel plura dare possent sine speciali authoritate Papæ; sic Azor *l.* 6. *c.* 12. *q.* 9. Unde quando *in c.* 2. *dist.* 70. uni licet, ex Episcopi dispensatione, præesse diversis Ecclesiis, R. jus illud antiquum esse correctum in Concilio Lateranensi, cujus decretum habetur c. *de multa de præbend.* & Trid. de quo in præcedentibus.

Quæstio altera est quæ causæ requiran- 354
tur, & censeantur *justæ*, pro dispensatione in pluralitate beneficiorum incompatibilium? R. communiter referri tres *arg. c. Tali. 1. q.* 7. ubi textus, loquens de certis personis Ecclesiasticis Ordinibus non applicandis, subjungit hanc exceptionem: *nisi fortè eos aut maxima Ecclesiæ utilitas, vel necessitas postulet; vel evidens meritorum prærogativa commendet.* Ex quo sequitur, ob Ecclesiæ necessitatem (ut, si desint idonei Ministri) posse quandoque uni conferri plura beneficia, etiam supra necessariam vitæ sustentationem; Sequitur 2. propter utilitatem Ecclesiæ, posse etiam uni conferri plura beneficia, v. g. plures Episcopatus; ut si unus putetur magis profuturus Ecclesiæ, quàm alii plures, puta authoritate, potentiâ, prudentiâ, doctrinâ, vel etiam viribus, ad Ecclesiam defendendam. Ex hac causa filiis Principum conferuntur Episcopatus plures, etiam ante ætatem. Sequitur 3. idem dicendum ob prærogativam meritorum, ut notatur in c. *de multa*, sæpe cit. & Extravag. *Execrabilis*. Unde not. personas *literatas* in c. *de multa*, æquiparari *sublimibus*, sive *Nobilibus*, nam *scientia nobilitat hominem*, ut ait *gloss. ibid.* V. *sublimes*; quod maximè procedit, si habeant Doctoratum in Universitate approbatâ, *merito doctrinæ, non pecuniæ*. Nam, *eorum scientiâ totus illuminatur orbis*, ut ait Fridericus Imperator in authentica *habitâ*, C. ne filius pro Patre.

Quæstio 3. est circa rectam intelligen- 355
tiam rescriptorum, ejusmodi dispensationum, in pluralitate beneficiorum. Nam circa illa plures frequenter dubitationes occurrere possunt quoad valorem, ac executionem ipsorum, etiam ex defectu commissio in supplicationibus Oratorum. Nam, qui in petitione dispensationis ad plura beneficia omittit mentionem facere de illo, quod jam habet, etsi modicum sit, ei dispensatio non prodest c. *non potest* 21. *de præbend. in* 6. ibi: *non potest dispensatio, super pluralitate beneficiorum concessa, impetranti prodesse, qui aliquod, quantumcunque modicum beneficium subticuit in eadem*; quia sic est

sub-

subreptitia, idem dicendum, si omittatur *beneficii qualitas*, v. g. quod sit *curatum*; ut pluribus exposui *lib. 1. decretal. in tit. de rescript.* Hinc:

356 Dubium primum est, an dispensatio facta, ut quis possit habere *duo* beneficia *curata*, intelligi debet de *duobus*, quæ proximè, post dictum indultum, ipsi canonicè collata fuerint? ℟. quòd sic; quarè, si unum ex obtentis dimiserit, tertium recipere non potest c. *non potest §. illud autem de præbend. in 6.* ibi: illud autem Apostolicæ Sedis indultum, ut quis duo beneficia curam animarum habentia (si aliàs canonicè conferantur eidem) possit recipere, ac simul licitè retinere: *intelligitur de duobus primis beneficiis, quæ cum cura, post dictum indultum, obtinere contingit eundem.* Cùm verò tibi c. non obstante, quòd aliud beneficium obtinere noscaris) à Sede prædicta de aliquo beneficio provideri contingit: *per hoc tecum (ut primum beneficium cum secundo retinere valeas) non intelligitur dispensatum. Hoc enim solùm prædicta operatur expressio, quòd facta tibi gratia nequeat subreptitia judicari.*

357 Dubium secundum est, an, si dispensatio habeat hanc Clausulam: *dummodo in beneficio, in quo non residet, per Vicarium faciat deservire*, dispensatio fiat irrita, si profisus eam non servet? ℟. quòd non, quia illa adjectio non est *conditio*, sed, *modus*, qui etiam non impletus non suspendit dispositionem, quamvis puniri possit, etiam privatione beneficii, ut dicitur c. *relatum, de Cleric. non resid. junct. gloss. V. retinere*; de quo V. dicta *l. 4. tit. 5. de condition. oppos.*

358 Dubium tertium est, an, si alicui de beneficio provideatur addictâ Clausulâ: *non obstante, quòd jam antea aliud beneficium habeat*: censeatur hoc ipso dispensatus ad pluralitatem beneficiorum? ℟. tradi communiter, quòd non, sensus enim illius clausulæ est, quòd impetratio secundi beneficii non censeatur subreptitia, sed valeat, si provisus petat, & impetret dispensationem pluralitatis beneficiorum, ut statuitur c. *non potest §. cùm verò, de præbend. in 6. de quo supra*: *quamvis* Francus in c. *cit. n. 1.* doceat, illam clausulam etiam hoc operari, quòd provisus, beneficium prius habitum, ad vitandam pluralitatem, sine licentia Ordinarii, sub quo est primum beneficium, possit dimittere primum, & acceptare secundum.

Præter dicta notandum, quando petitur dispensatio pro impetrando beneficio, *habente dignitatem*, in petitione esse explicandam illam qualitatem, *Clem. 1. de sequestrat.* possessionum, & fructuum; ubi Papa loquens *de beneficio*, expressè subjungit, *etiam dignitates*, id quod confirmatur ex c. *fin. §. cùm igitur, de præbend.* ibi: *cùm igitur mandatum hujusmodi se ad talia non extendat*, nec ad Rectoratum, *vel dignitatem, nostra feratur intentio, cùm pro simplici beneficio jussio nostra maneat*; ergo mandatum, ut alicui provideatur *de beneficio*, non intelligitur de beneficio *qualificato*, nisi *qualitas* in supplicatione sit expressa, not. autem, quod in casu dubio beneficium non præsumatur duplex, sed simplex, quia qualitas beneficio extrinseca non præsumitur, nisi probetur. Card. Tusch. lit. B. *Concl. 63. num. 4.* Econtra verò in casu dubii, beneficium præsumendum est *perpetuum*; non, temporale, quia perpetuitas est qualitas beneficii propria ex *n. 151.* 359

Notand. 2. appellatione *beneficii*, non venire dignitatem in odiosis, & dispensationibus; per c. *ad aures*, de Rescript. c. *fin. de præbendis*, & c. *Quamvis*, *eod. in 6.* id, quod etiam tradit Pyrrhus Corradus in Praxi dispensat. Apostolic. *l. 1. c. 5. n. 1.* idem dicendum est, si concedatur, *mandatum* ad beneficia *curata & quæcunque alia.* Nam in hac Clausula non includitur *dignitas*, esto annexa sit alicui beneficio curato; Innoc. in c. *cùm concessissent, de constitut.* Nam hæc Clausula: *& quæcunque alia*, extenditur solùm ad similia, ut pluribus offendi *l. 1. decret. de rescriptis.* Hinc fit, mandato *ad beneficia curata*, non comprehendi *dignitatem curatam*, Clementina, *Ne in agro. §. cæterùm*, de statu Monachorum, non quidem ideo, quia non est *beneficium*; sed, quia est beneficium *qualificatum*, & importat plus, quàm *beneficium curatum* præcisè. Sic etiam in Legato lanæ, non venit *lana tincta*, L. *si cui lana ff. de legibus*: & 360

dona-

donatione *marmoris*, non venit marmor *qualificatum* v.g. statua, vel figura ex marmore facta L. *quæsitum §. illud. ff. de legibus* 3.

361 Not. 3. per dispensationem ad dignitates *majores*, non intelligi dispensationem factam ad *Episcopatum*, idque propter excellentiam, & præeminentiam dignitatis, quæ est culmen dignitatum in tali Ecclesia, & qualitas speciali notâ digna; sic Abbas in c. *dilectus de conceff. præbend. num.* 24. quamvis contrarium teneat Henriquez *in Sum. l.* 13. *c.* 57. *§.* 3. dicens, dispensatum ad beneficium *curatum*, non egere novâ dispensatione *ad Episcopatum*; hinc vult, homicidam, legitimè dispensatum *ad omnes Ordines Sacros, & illorum usum*, videri factum habilem ad beneficium curatum, etiam Pontificale, posseque consecrari in Episcopum; &, sic respondisse Salmanticenses Theologos, Jurisperitos, & Datarium Papæ super hoc consultum. Verùm Pyrrhus Corradus *in praxi dispens. Apostolic. l.* 2. *c.* 6. *num.* 9. cum Garcia, hæc omnia pro falsis habet, nec admittit Datarium Papæ id dixisse; volens, in ejusmodi dispensationibus *ad majores dignitates*, intellige *majores post Pontificalem*; ita ille ex Rebuffo, & aliis.

362 Not. 4. cùm quis dispensatur *ad dignitates, etiam majores*, censeri etiam dispensatum *ad minores*, absque alia earum expressione. Nam licet simus in materia exorbitanti, & odiosa; quia tamen ly *major* est comparativum, ex sui natura supponens positivum, nimirum *minores* dignitates (ut dicitur *l.* 1. *ff. de verb. signific.*) & addatur *etiam majores*, quo videtur innui, Oratorem dispensari *præter majores*, etiam *ad alias* dignitates, quas illæ supponunt; rectè concluditur, dispensatum ad dignitates majores, censeri dispensatum etiam ad minores.

363 Dices: *argumentum a majori, ad minus*, non valere in dispensationibus, & dispositionibus odiosis; cùm omnis recessus à jure, qui fit per dispensationem, sit odiosus, & restringendus, *c.* 1. *de filiis* Presbyt. *in* 6. *c. non potest de præb. in* 6. Et ideo, si mandatur, alicui provideri *de majori* præbenda, non potest provideri *de minori*; & dispensatus ad *dignitates*, vel beneficia *curata*, non censetur dispensatus ad beneficia *simplicia*, sic Innoc. in c. *cùm dilectus* 3. *de præbend.* & Felinus in c. *veniens*, de accusationibus: ergo semel dispensatus ad dignitates *majores*, non censetur dispensatus *ad minores*.

R. certum esse, quòd argumentum à majori ad minus frequenter valeat, etiam in jure, ut constat ex *reg.* 35, *de reg. juris in* 6. ibi: *plus, semper in se continet, quod est minus, & reg.* 53. ibi: *cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus*: item L. *in suis ff. de liberis, & posthum. L. nec in ea ff. de adulter.* certum est secundo argumentum à majori ad minus in multis casibus non valere. Constat ex c. *cui non de Sacerdotali de præbend. in* 6. ubi is, cui præbenda majoris valoris provideri mandatur, præbendam minoris valoris non potest accipere, & plurimis aliis. 364

Communis tamen doctrina est, argumentum à majori ad minus regulariter non valere *in dispensationibus & privilegiis*, iisque, quibus à jure communi recedditur; sic Barbosa in tract. locorum communium argumentorum juris, *Loco.* 67. *n.* 6. Nam odiosa, sunt strictæ interpretationis, ut diximus. Unde in dispositionibus odiosis, tantum, & non plus juris tribuitur, quantum exprimitur. Dixi *regulariter*; nam ea doctrina limitari debet. 1. ut non procedat, quando illud minus est aliquo modo, annexum majori tanquam illius pars. Nam licet dispensatio non extendatur ad annexa *separabiliter*, extenditur tamen *ad necessariò consecutiva, & accessoria, per gloss.* communiter receptam in c. *quia in tantum* V. *plures Ecclesias, de præbend.* ne scilicet reddatur inanis, & carens effectu, cum sublato termino connexionis, tollatur consequenter connexio. Hinc sequitur. 1. dispensatum ad duo beneficia incompatibilia, censeri etiam dispensatum super illorum residentia, licet non exprimatur; *gloss. in c. si quis in Clero* V. *Solemnibus.* 7. *q.* 1. Hostiensis in c. *cùm in cunctis, de Elect.* Et in ejusmodi dispensationibus subintelligitur Clausula, *quòd dispensatus deserviat per substitutum*, seu *Vicarium*, Corradus *loc. cit. l.* 1. *c.* 5. *n.* 19. Sequitur 2. quòd talis dispensatio comprehendat annexa inseparabiliter, & per necessariam consequentiam, ne reddatur inanis, & nullũ operetur effectũ; Felinus in c. *postulâsti de rescript. n.* 10. 365

Sequi-

366 Sequitur 3. dispensatum *ad Presbyteratum*, censeri etiam dispensatum *ad minores ordines*. Quamvis enim dispensatio sit stricti juris, extenditur tamen ad species inclusas, & necessariò annexas, vel consequentes, vel antecedentes; sic Abbas in c. *cùm ex eo, de Elect. in* 6. ubi ait, quòd Clericus, *non Sacerdos*, nec in dispositione proximâ, dispensatus *ad Ecclesiam Parochialem*, videatur etiam dispensatus, ut non teneatur infra annum promoveri, quia, si infra id tempus non promoveretur, illa vacaret, & sic talis dispensatio nihil prodesset c. *licet canon, de Elect.* Sequitur 4. quòd in necessariam consequentiam venit, à principali trahi etiam contra suam naturam; sic dispensatus (postquam illi provisum est de beneficio curato, vel Canonicatu, aut dignitate in Ecclesia Cathedrali) ut percipiat fructus in absentia, per necessariam consequentiam videtur dispensatus, ab emittenda professione fidei in manibus Episcopi, vel Vicarii, & Capituli, esto in Trident. *sess.* 24. *c.* 2. *de reform.* exigatur, ut ejusmodi provisi, antequam fructus percipiant, emittant professionem fidei. Nam jus Correctorium, licet exorbitans, si loquatur de casu expresso, trahitur ad casum, qui venit ad necessariam consequentiam c. *miramur*, de servis non ordinand, sic Garcia de beneficiis. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 77.

367 Advertendum autem, quòd dispensatio nunquam trahatur ad consecutiva ejus, super quo dispensatur, quando ipsa dispensatio imprimit effectum validum super actu, in quo dispensatur, absque eo, quòd extenditur ad ejus consecutivum, ut tradit Abbas in c. *cùm in cunctis. §. cùm verò de Elect.* ex hoc sequitur dispensatum ad suscipiendos ordines, non eo ipso esse dispensatum ad beneficium simplex, quia effectus dispensationis haberi potest in actu principali, sine dispensatione super beneficio: Ordinis enim susceptio stare potest sine beneficio, Abbas in c. *pro illorum de præbend.*

368 Limitari debet 2. ut non procedat, *in facultate* alicui concessa ad dispensandum non expressis nominibus dispensandorum, sed in favorem ejus, cui datur talis facultas, quia hæc non est odiosa, sed favorabilis, adeoque latè interpretanda: Felinus in c. *final* de Simon: Secùs tamen est ubi expressa sunt nomina dispensandorum, quia *ipsa dispensatio* naturâ suâ est odiosa, consequenter juxta illam est interpretanda: sic Corradus *cit. l.* 1. *c.* 5. *n.* 27. Hinc sequitur. 1. si cui detur facultas dispensandi cum adulterino, *vel* incestuoso, non posse dispensari cum eo, qui patitur *utrumque* defectum, sic Butrius c. *at si Clerici §. de adulteriis*, de Judic, quia dispensatio in *simplici*, vel *alterutro* duorum, non extenditur ad *mistum*, seu *utrumque conjunctim.*

Limitari debet 3. ut non procedat, si 369
dispensatio in majori, non extensa ad minus, careret effectu in actu principali. Semper enim sumenda est interpretatio, ut actus magis valeat, quàm pereat. Felinus in c. 1. de rescript. L. *quoties ff. de reb. dub.* id, quod pluribus ostensum est *lib.* 1. *decret. de Constitut.* Limitari debet 4. quòd non procedat, si Papa dispenset *motu proprio*, propter utilitatem publicam, favorem Religionis, aut animarum. Felinus c. *postulâsti, de rescript.* sic si Papa, *motu proprio* dispenset, ob utilitatem publicam cum Episcopo, ut non teneatur ordinari intra tempus consecrationi accipiendæ præscriptum, dispensatio extenditur, ut possit retinere priora beneficia; sic Felinus cit. Ex hoc colligitur, quòd dispensatio, quando fundatur super communi utilitate, vel favore Religionis, aut animarum, sit favorabilis, non odiosa; sic Corradus *cit. l.* 1. *c.* 5. *n.* 31. quia bonum commune, quod tali casu quæritur, non adversatur juri, sed conformatur.

Limitari debet 5. ut non procedat, quod 370
dictum est *num.* 365. quando dispensatio conceditur ad validanda præterita v. g. si quis fecit testamentum de fructibus suorum beneficiorum ante dispensationem, ut de illis validè testari possit, secutâ enim tali dispensatione, vi hujus, testamentum factum validatur; ita Castropalaus L. *filiæ meæ §. si sic. ff. de condit. & demonstr.* & L. *militibus C. de testament. milit.* Ex hoc patet solutio ad objectionem in *n.* 363. esto enim in odiosis *regulariter* non valeat argumentum à majori ad minus, valet tamen in casibus exceptis, præsertim in connexis, ut dictum est à *num.* 365. è quorum numero est casus noster, ut patet ex dictis.

§. 14.
De reliquis beneficiorum divisionibus.

371 CUm jam in præmissis notaverimus, quando agimus de beneficiorum divisionibus, nomen *beneficii* à nobis sumi latè, ut expositum est *n.* 151. notandũ ulterius ad præmissas beneficiorum divisiones, revocari primo etiam beneficia *patrimonialia*, secũdò, beneficia *affecta, reservata, devoluta*; item *Vicarias, beneficia, quæ requirunt residentiam*, aut conferri debent *prævio concursu, &c. &c.* De beneficiis patrimonialibus diximus aliquid *n.* 300. sunt enim, illa, quæ conferenda sunt sive liberè, sive ad præsentationem, vel nominationem Patronorum iis, qui degunt in tali Provincia, vel Patria, Parochia, Civitate, vel Castro; quippe fundata vel à Parentibus, vel Majoribus eorum sub hoc modo, seu onere, vi suæ institutionis. V. dicta â *num.* 363.

372 Beneficium, cui Papa manum suam apponit, hoc est, cui ipse *facto aliquo* providet, *affectum* dicitur, & de his maximè agitur in Extravag. *Ad Romani. §. Romani. de præbend.* inter communes. Hæc affectio, seu manus appositio fit primò reservatione beneficii; Secundò, quovis actu reali, seu facto Papæ circa aliquod beneficium v. g. quando illud concedit in Commendam etiam temporalem, ut dixi à *n.* 269. vel cùm jure prævention*is mandat* alicui provideri de aliquo beneficio.

Finis autem, propter quem Pontifex beneficia afficit, seu manum suam apponit, solùm est, ad effectum conferendi tale beneficium, *seu ut illa conferat*; Garcia *p.* 2. *de benefic. c.* 1. *n.* 150. quare, si alio fine manum apponit, non obinde beneficium manet affectum, seu pro tunc Pontifici reservatum; sic Garcia cit. Et ideo, quando illa provisio, ad cujus finem Pontifex beneficio manum apposuit, effectum sortita est, cessat *affectio* beneficii, sic Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 34. *q.* 5. hinc, *affectio* est solùm pro tempore limitato, nimirum pro illa subsequenti provisione, Castropalaus *p.* 2. *D.* 2. *p.* 15. *n.* 4. Ex hoc colligitur, beneficium non manere affectum ex eo, quòd Pontifex *mandet* beneficium *resignari* in favorem, vel habeat onus pensionis; nec ex eo, quòd Pontifex illud curet provideri ex falsa relatione v. g. quòd sit ei reservatum, vel liberũ cùm tamen non sit, sic Castropalaus cit.

Effectus hujus *affectionis* est, quòd, quando alicui beneficio Papa, juxta dicta, manum suam apponit, nullus Papâ inferior circa talis beneficii provisionem se intromittere potest; differt autem à *reservatione*, quòd hæc fiat *actu verbali*, illa etiam *reali*, & facilius tollatur reservatio, quàm affectio, ut notat Vivianus *cit. l.* 1. *c.* 1. *n.* 136. Ex quo vides, beneficia *affecta*, non esse propriè *reservata*. Reservatio enim est perpetua affectio, solùm ad tempus subsequentis provisionis, qua posita cessat affectio; sic Castropalaus *de benefic. tr.* 13. *D.* 2. *p.* 15. *n.* 4.

Quæstio ulterior est in hac materia, an 373
beneficium *per reservationem* evadat *affectum*? Affirmativam tenent Authores communiter, volentes, beneficium posse dupliciter *affectum* reddi: primò, per reservationem Papæ, secundò, per appositionem manus, quæ contingit per signaturam supplicationis, per mandatum *de providendo*, ut dictum est, vel etiam per actualem, & gratiosam alicujus beneficii collationem, imò Garcia *p.* 5. *de benefic. c.* 1. *n.* 138. docet, per solùm reservationis decretum, sive per solam constitutionem, irritantem secùs attenta, etsi Papa ipso actu de beneficio vacante nihil disponat, beneficium manere *affectum*.

Altera quæstio est, an beneficium *per affectionem* evadat *reservatum*? R. negativè. 1. quia affectio *factis*, reservatio, *verbis* constituitur. 2. quia, *affectio* est solùm temporanea, *reservatio* perpetua. 3. quia affectio est solùm *ad effectum providendi* seu conferendi beneficium, reservatio fit etiam *ob alios fines* v. g. ut beneficium resignetur in favorem tertii.

Reservatio beneficii nihil aliud est, 374
quàm beneficii vacaturi ad se avocatio, hinc, quando Pontifex provisionem beneficii, cùm vacaverit, ad se avocat, adimendo Collatoribus aliis facultatem de illo providendi, beneficium dicitur *Papæ reservatum*. Reservatio alia est *generalis*, quâ reservãtur provisio plurium beneficiorum sub una ratione communi. v. g. beneficia *Ecclesiæ Cathedralis* beneficia *vacantia apud Sedem*, vel *certis mensibus*: Alia est *specialis*, quâ reservantur certa solùm beneficia, vel pro certis tantum personis. Rursus alia est reservatio *in corpore*

juris

juris clausa, nimirum *in 6. libris decret.* & Clementis contenta: Alia, quæ habetur *extra corpus juris*, nimirum in aliis constitutionibus Extravag. in decretis & in reg. Cancellariæ; sic Azor *p. 2. l. 6. cap. 34. q. 4.*

375 Quæstio est, quot dentur reservationes *in corpore juris*? R. à nonnullis Doctoribus numerari quinque; *primam* in Extravag. *Ex debito de elect.* & in Extravag. *ad Regimen. de præbend. secundam*, quæ habetur in Extravag. *Execrabilis de præbend. tertiam*, quæ est de beneficiis devolutis ob negligentiam Prælatorum; *quartam*, quæ habetur *c. 1. & 2.* ut lite pendente, de beneficio litigatoris: *quintam*, quæ est de beneficiis exemptis, & Papæ subjectis *per. 7. q. 1. c. mutationes*; item *per c. licet, c. inter corporalia, de translat.* Episcopi, *& Clem. in plerisque de elect.* his annumerant aliam, quæ est de beneficiis *affectis*, per Extravag. *Romani, de præbend.* inter communes.

Verùm alii reservationes factas per Extravagantes reputant *extra* corpus juris; sic Azor *p. 2. l. 6. c. 34. q. 4.* Garcia *de benefic. p. 5. c. 1. num. 142.* & alii deinde reservatio in Extravag. *ex debito*, & *ad Regimen*, fuit solùm temporaria ad vitam Pontificis, ut not. Castropalaus *tr. 13. D. 2. p. 15. n. 3.* reservatio in Extravag. *Execrabilis*, est potius privatio, quàm reservatio; cùm sit in pœnam delicti; beneficia verò *devoluta*, non jure reservationis, sed devolutionis providentur; beneficii *litigiosi* provisio, *non reservatur*; sed solùm *suspenditur* ad tempus litis; *exempta*, competunt Papæ *jure Ordinatio*, non, *reservationis*; affecta verò non rectè dicuntur reservata ex *n. 373.* hinc Azor, Garcia cit. & alii, colligunt, dari tantùm unam reservationem in corpore juris clausam, nimirum illam, quæ habetur *c. 2. & c. præsenti, de præbend. in 6.* Sed de his ex professo dicemus in seqq.

376 Quæstio autem est, an beneficiorum reservatio sit favorabilis, vel odiosa? esse *favorabilem*, docet Gonzalez; sed rectius *odiosam* dicit Castropalaus *cit. p. 2. D. 2. p. 15. num. 5.* Nam illa restringit concessionem favorabilem Ordinariis, ut ipsi conferant beneficia suæ diœcesis: Lex enim, cujus materiam, obligatis illam observare, odium & rigorem continet, absolutè odiosa est, non favorabilis; sic ille in fine.

Beneficium *devolutum* est, cujus conferendi potestas ab Ordinario Collatore (quòd intra tempus à jure præscriptum, nulli contulerit, cùm debuisset) ad Superiorem devolvitur. Beneficia enim conferenda sunt ab eo (ad quem spectat provisio, intra sex menses, c. *nulla 2. §. cùm autem, de præbend.* Nam *dilatio est Ecclesiis damnosa, & animabus pernitiosa c. quàm sit 6. de elect. in 6.* Et hæc constitutio procedit non tantùm in collationibus, sed etiam electionibus in beneficiis Regularibus c. *dilectus 12. de præbend.* imò etiam in hospitalibus, conferri solitis in titulum; non autem, in Prælaturis principalibus Ecclesiarum Cathedralium, & Regularium. Nam hæ ultra tres menses vacare non debent, propter majus periculum; c. *ne pro defectu. 41. de Elect.* Sed de ejusmodi beneficiis ex professo agemus suo loco inferius. 377

Vicariatus, seu *Vicaria* est beneficium, in quo alicui invicem alterius, cui substituitur, constitutum est jus percipiendi reditus Ecclesiasticos propter Officium Spirituale, vel in perpetuum, vel ad tempus. 378 *Vicaria* enim alia est perpetua; alia temporalis, & ideo, in utroque jure, exstat titulus *de Officio Vicarii.* Vicarius *perpetuus* dicitur, qui Authoritate Episcopi, & Canonica institutione delectus, alicui sufficitur in Ecclesia parochiali, cum certa ex annexis Ecclesiæ proventibus portione, tanquam laboris, & operæ mercede, ut dicitur c. *Extirpandæ, de præbend. §. qui verò* & in c. *ad hæc, de Offic. Vicar.* Vicarius autem *temporalis*, qui alicujus Authoritate in alterius locum sufficitur ad tempus, ac ad nutum ejus, qui ipsum substituit, revocari potest; plura *de his* V. *in seqq.* tum etiam *lib. 1. tit. 28. de Offic. Vicarii*: de beneficiis porrò, quæ *requirunt residentiam* in Beneficiato, diximus *tit. 4. a num. 303.* de his, quæ conferri debent *per concursum*, dicemus infra.

ARTICVLVS IV.

De necessaria sustentatione, Clericis debità, vel competente.

379 CUm jure, etiam antiquò, cautum fuerit, ne ullus promoveretur ad Ordines, nisi haberet titulum necessariæ sustentationis vel ex beneficio, vel saltem ex patrimonio (loquendo de secularibus Clericis) ut pluribus exposuimus *l.* 1. *tit.* 11. quia non decet eos, qui divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis Clericalis dedecore, mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, c. *Diaconi* 23. §. *Nunc autem, dist.* 93. Abbas hìc *n.* 1. *not.* 2. tum quia justum est, ut qui obligantur ad serviendum Altari, seu Ecclesiæ, ex proventibus Ecclesiæ alantur, juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 9. *qui Altari deserviunt, cum Altari participant*: necessarium omnino est, ut illis, qui destinantur Altaris ministerio, de sustentatione, decente statum Clericalem, provideatur. Hæc provisio in Ecclesia non semper eodem modo facta est. Nam in primitiva Ecclesia fideles, bonorum suorum, quæ divendebant, pretium ad Apostolos deferebant, ut illud per Diaconos distribueretur singulis Clericorum communitatibus; cùm eo tempore necdum Ecclesiæ, vel eorum Ministri, bona immobilia possederint.

Post hoc, cùm visum sit expedientius, ipsæ quoque Ecclesiæ bona immobilia cœperunt possidere, non autem ipsi Clerici; his deinde, distributis in certas Communitates, vel Collegia sub certis titulis, seu denominationibus, ex proventibus illorum bonorum dati sunt sumptus, ex quibus alerentur non habentes proprium, sed viventes in communi.

Post tempus aliquod Clericis permissum est, ut viverent extra Communitatem, & haberent bona propria, seu patrimonialia, unde sustentationem acciperent, quin illis ab Ecclesia, esto illi servirent, præbenda constitueretur; de quo videri possunt in causa 12. *q.* 1. plures Canones, præsertim *à* 18. *& seqq.* Tandem, ut modò cernimus, Clerici non regulares, non modò permissi sunt extra Communitates vivere, ab bona patrimonialia retinere; sed etiam certæ præbendæ, ex bonis Ecclesiarum, quibus deserviunt, assignatæ illis sunt, ut ex fructibus eorum decentem habeant sustentationem; an autem, & qualiter fiant Domini eorum fructuum, quos in stipendium obligationis præstandi spirituale ministerium accipiunt; an fructus decenti sustentationi redundantes, in usus profanos expendere valeant sine restitutionis onere? latè diximus in Tract. Theolog. de Jure, & Justitia.

Prætermisis porrò quæstionibus, *de* 380 *titulo sustentationis*, sine quo Clericus secularis, *saltem in sacris*, ordinari non potest; cùm de hoc fusè jam egerimus *lib.* 2. *tit.* 11. in præsenti dicemus ea solùm, qualiter ejusmodi Clericis debeatur præbenda in titulum sustentationis congruæ? dixi, *saltem in sacris*, nam non desunt Doctores, qui volebant, jure saltem antiquo, *ex c.* 1. *dist.* 70. *& c.* 2. *eâdem, junctâ gloss.* V. *Neminem* & V. *absolutè*, nec *in minoribus* ordinandum esse non Regularem, sine titulo sustentationis: hodie tamen is exigitur solùm, ut quis ordinetur *in sacris*, ut colligitur ex c. *Episcopus* 4. *h. t.* & c. *cùm secundùm.* 16. *eodem*, consentiente Trid. *sess.* 26. *de Reform. c.* 21.

§. 1.

An, & qualiter præbenda debeatur Canonicis?

NOn est dubium, Clerico, qui *tenetur* 381 deservire alicui Ecclesiæ, obligatione spontè assumptâ, deberi etiam ex bonis ejus sustentationem vitæ honestam, & congruam, seu decentem; dignus est enim Operarius mercede suâ; & qui Altari servit, ex Altari vivere debet, postulante id æquitate naturali, ut diximus ex Apostolo; nemo enim tenetur Ecclesiæ ministerium præstare omnino gratis. Porrò per sustentationem vitæ honestam, congruam, & decentem, intelligitur cum primis, ut habeat eos proventus, unde se, suamque familiam sibi necessariam, decenter alat.

Nomine *sustentationis* Petrus Navarra *de restitut. lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 15. intelligit, non solùm victum, sed etiam vestitum tam proprium, quàm suæ familiæ. Henriquez *lib.* 9. *sum. cap.* 22. *n.* 1. extendit ad victum, & vestitum *cognatorum*, quos alere tenetur Sacerdos. *Alimentorum*, nomine (ut notat Pereyra in Elucidario *n.* 389.)

389.) veniunt (prætervictum) lectus & culcitra, ex Menochio *de præs. lib. 4. præs. 157. n. 27.* veniunt calceamenta per Rolan. *cons. 22. n. 5.* Veniunt medicinæ, Tiraq. *de nobil. cap. 31. n. 395.* veniunt ligna pro coquendis cibis, & calefaciendi gratiâ, Simon de Petris *de interp. ultim. volunt. lib. 4. dub. 11. n. 41.* venit equus, si alimentarii dignitas id postulet; Corduba de Lara in L. *si quis ex liberis §. non tantùm n. 26. ff. de lib. agnosc.* Veniunt servitores, & pro ipsis præstanda salaria, si Alimentarius sit talis status id exigentis; Menoch. *de præs. lib. 4. præs. 157. n. 28. & 29.* An veniant expensæ studii, & ad disciplinam spectantes? Vide Rolan. *cons. 22. n. 8. vol. 1.* & Tusch. *pract. concl. tom. 1. lit. a. cons. 282.* appellatione autem *victûs* veniunt, quæ esui, & potui, cultuique corporis sunt necessaria, ut vestimenta: item reliqua omnia, quibus vivendi, curandique corporis gratiâ utimur; ita *ex L. 43. ff. de verb. signific.* Rebuff. *à pag. 234.* & Menoch. *de præs. lib. 4. præs. 157. num. 15.*

382 Prædictis annumerantur libri necessarii pro officio; ea, quæ ad hospitalitatem exercendam erga consanguineos, & amicos, præsertim pauperes, ac peregrinos necessaria sunt, ut tradit Molina *tr. 3. de Instit. D. 147. n. 9.* imò etiam, quæ ad præstandas donationes remuneratorias beneficiorum, quin interdum etiam liberales, & non prodigas, requiruntur: ac denique ad honestas animi, ac corporis relaxationes, spectatâ personæ, & officii dignitate, & reditûum copiâ ac quantitate, Mol. c. *l. n. 9. & 10.* Layman *l. 4. tr. 2. c. 3. num. 2.*

383 Nomine autem *familiæ*, veniunt famuli, & ancillæ, parentes, fratres, & sorores egentes pro statu: item filii suscepti ex legitimo matrimonio, ante beneficiû obtentum, si quod Beneficiarius habeat: imò & Spurii; quia & iis ex æquitate Canonica alimenta debentur; sic Azor *lib. 6. c. 10. q. 8. & 9.* Quoniam verò inter ipsos Clericos est magna sæpe inæqualitas personarũ, *ratione dignitatis, statûs, literaturæ*, ac *scientiæ*, vel *nobilitatis*, vel *ratione qualitatis*, & *conditionis* ipsorum beneficiorum (v. g. an sit dignitas, Personatus, Officium, vel curatum, aut simplex?) vel *ratione Ecclesiæ* (an Cathedralis, vel Collegiatæ tantùm) vel *ratione proventuum* ex bonis, quæ pertinent ad tale beneficium: sustentatio, in ordine ad quantitatem fructuum recipiendorum, ex illis mensuranda est, *ut congrua sit, atque decens.* Hinc plus requirit ad sustentationem, suo statui convenientem Præpositus, vel Decanus, Cathedralis, quàm simplex Canonicus; plus item Episcopus, quàm Decanus, vel Præpositus: plus quoque Episcopus, si etiam Cardinalis sit, vel illustri, aut Regio stemmate ortus, vel Princeps Romani Imperii, quam alius Episcopus; sic Layman cit. Molina, & alii communiter; quibus positis.

In ordine ad quæstionem initio §. pro- 384
positam, facit 1. c. *Relatum 9. h. t.* ubi habetur: quòd Archiepiscopus Cantuarien-
sis M. Jacobum in sua Ecclesia canonicè in
Canonicum instituerit, cum potestate, in
Choro, Capitulo, & aliis (sicut est usus
communis, & Canonicus habet) eique
præbendam promiserit, si quæ nunc vacat,
vel ibi primò vacaverit, nec tamen contu-
lisset quo audito: *mandavit Pontifex, ut secundùm promissionem ei præbendam concedat liberaliter, & assignet*, redditâ
ratione: *quia non est congruum, ut præ-
bendâ careat; quia in Canonicum est
receptus.*

Deinde, in c. *dilectus 19. h. t.* Cùm Tho- 385
mas receptus in Canonicum Liconiensem,
authoritate Apostolicæ Sedis Legati trans-
egisset, se non percepturum fructus præ-
bendæ, nisi proximè vacaturæ: Pontifex
re intellectâ *factum Legati* reprobans,
mandat, ei præbendam, *cùm se facultas
obtulerit, & portionem quotidianam* (intellige distributionem) *sine diminutio-
ne quâlibet assignari.*

Tertiò, in c. *dilectus 27. eodem*, dicitur,
quòd, si Papa mandet Capitulo, ut aliquem
in Canonicum recipiant, & præbendam (si
quæ vacat) conferat, *si de mandato scien-
tes, alii conferunt*, cogantur primum re-
cipere, & de reditibus Ecclesiæ loco bene-
ficii providere, donec præbendam habeat.

Quartò, in c. *si Clericus 11. eodem in 6.* 386
habetur, quòd, si Clericus, cui mandabatur
provideri de præbenda primò vacante, ne-
gligit petere præbendam sibi debitam: ex-
tincta est gratia. Si autem sibi collatus fue-
rit Canonicatus: tunc habebit præbendam,
cum nullus est ibi expectans authoritate
Apostolicâ.

Quintò, in c. *si postquam.* 13. *eod. in* 6. dicitur, quòd, si gratiam mihi factam à Papa de Canonicatu, & præbenda, Bononienses Canonici hoc ignorantes præbendam conferant post vacantem: non teneat collatio.

Sextò, in c. *Cùm in Ecclesia* 25. *eod. in* 6. habetur, quòd non debeatur exspectanti præbenda, quæ per Episcopi præbendarii mortem vacat.

387 Circa textus jam productos not. 1. c. *Relatum*, & c. *cùm dilectus*, de quibus *n.* 385. sibi non adversari. Nam licet c. *Relatum* videatur dicere, in Canonicum recepto deberi præbendam *ex promissione*; alterum autem videatur reprobare *talem promissionem*; decisio tamen in c. *Relatum* non fundatur præcisè *in facta promissione*, sed potius *in collata Canonia*, ut patet ex causali, quam ibidem affert Pontifex, ibi: *quia non est conveniens, ut, qui in Canonicum est receptus, præbenda careat*, in titulum videlicet sustentationis decentis.

388 Deinde, *promissio*, quæ reprobatur in c. *cùm dilectus* 19. non est facta *in consequentiam receptionis in Canonicum*; sed potius *principaliter ante ipsam*; fuit enim facta in ipsamet compositione, quam ibi constat intercessisse ante dictam receptionem, & ita facta fuit non à lege (hæc enim eam non facit, nisi intercedente prius receptione, ut constat ex eodemmet *cap. dilectus*, ibi, *ut receptus in Canonicum*, &c.). sed ab homine; unde nil mirum, si *ut talis* obviare censeatur Concil. Lateranensi ut idem textus inquit, quem ita post Imoll. bene intelligit Decius hic *n.* 4. & 5. at promissio in c. *Relatum* 9. facta est *in consequentiam receptionis in Canonicum*; ergo in hoc non agitur de promissione reprobata in *c.* 19.

389 Not. 2. posse Canoniam stare sine præbenda, & vicissim, ut diximus *n.* 142. adeoque præbendam non esse de substantia Canoniæ, ut colligitur ex c. *cum M. Ferrariensis.* 9. *de Constitut.* ibi *dictos quinque Canonicos receperunt, nullis præbendis assignatis eisdem.* Conveniens tamen omnino est, ne Canonicus receptus cum omni onere, quod alii habent, non diu relinquatur sine præbenda, ne cogatur ferre onus sine commodo; & constat ex c. *super eo.* 8. *de concess. præbend.* ubi Pontifex rescribens Canonico Tridentino, cùm constet, inquit, te in Canonicum Tridentinæ Ecclesiæ fuisse receptum, sententialiter decernimus, ut tibi, *quàm citò se facultas obtulerit*, præbendale beneficium in Tridentina Ecclesia conferatur: *cùm, ex quo receptus es in Canonicum, non debeas carere præbenda.* Ex hoc enim sequitur, recepto in Canonicum cum omni potestate, quàm alii habent, ex vitalis Canonicæ deberi præbendam, quod tamen accipe secundum dicenda in seqq.

Not. 3. posse quem absolutè recipi in Canonicum, sic, ut receptio valeat, promissionem tamen præbendæ, etsi receptioni superaddatur, non valituram, nec illam, ex hujus adjectione vitiari, ratio primæ partis est ex c. *dilectus* 19. *h. t.* ratio secundæ partis est, quia receptio in Canonicum, & promissio præbendæ, sunt actus distincti, & separabiles; adeoque *utile* (nimirum *receptio*, quæ stare potest sine altero, ut dictum est) *per inutile* (videlicet *præbendæ promissionem*) *non debet vitiari.*

Not. 4. dupliciter fieri posse, quòd quis 390
recipiatur in Canonicum, primò soltùm *ut Supernumerarius*, secundò *inter numerum*, si quis receptus sit primo modo in Ecclesia, habente certum numerum præbendarum, jure Canoniæ illi debetur proximè vacatura, si nimirum Senior ex illo numero decedat; quo fiet, ut extincto Canonicatu Supernumerario, evadat Canonicus intra numerum talis Ecclesiæ; hic enim habet locum, quod dicitur in c. *Relatum*, de quo supra *n.* 384. c. *dilectus filius*, de quo *n.* 385. *& super eo*, de quo *n.* 389. quod tamen intellige. 1. *nisi alius pariter exspectet, prius receptus.* 2. si in alia Ecclesia non obtineat præbendam; sic Innocentius in c. *fin. de Clericis non resident. n.* 3. tertiò, nisi in tali Ecclesia sit certus numerus *præbendarum*, non autem *Canonicorum*, nam eo casu succedet in proximè vacantem, non ultimò receptus, sed antiquior exspectans.

Not. 5. quòd, si Papa mandet Capitulo, 391
ut conferat alicui præbendam, quæ vacat, & Canonici alteri scienter conferant illam, collatio teneat, sed teneātur acceptare præsentatum Papæ in Canonicum, & providere de redditibus, donec præbendam assequatur; Constat ex c. *dilectus* 27. *h. t.* de quo *n.* 385. nisi negligat petere; quia sic gratia extincta est, per c. *si Clericus*, de quo supr. *n.* 386. Ex quo etiam habetur, quòd

quis

quis constitui possit Canonicus, sine præbenda, vetra numerum Canonicorum, si certus eorum numerus non sit *confirmatus* à Papa, sic Azor *p. Inst. mor. l. 3. c. 11. q. 3.*

Not. 6. jus Stalli, seu Sedis in Choro, & jure suffragii in Capitulo, nasci ex vi Canoniæ, ad quam quis *simpliciter* est receptus ultra numerum alioquin determinatum in ea Ecclesia, etiam sine præbenda, secùs, *si adjiciatur* receptioni, quòd solùm sit *supernumerarius*, nam *hoc secluso*, jam per voluntariam receptionem ipsi violarunt certum numerum habentium jus Canoniæ, intellige tamen, nisi aliud habeat rationabilis consuetudo talis Ecclesiæ.

§. 2.

De sustentatione assignanda Parochis, aliisque Curatis.

392 DE hoc agitur in c. *Extirpandæ* 30. *h. t.* ubi Pontifex justissimè conqueritur contra nonnullos, *qui Rectoribus Ecclesiarum, de horum proventibus, minimam partem tribuunt, sibi verò, & quandoque sine ulla cura, cæteros reservant.* Extirpandæ, inquit, consuetudinis vitium in quibusdam partibus inolevit, quòd scil. parœcialium Ecclesiarum Patroni, & aliæ quædam personæ, proventus ipsarum sibi penitus vindicantes, Presbyteris, earum servitiis deputatis, *relinquunt adeo exiguam portionem, quòd ex ea nequeant congruè sustentari*, nam (ut pro certò didicimus) in quibusdam Regionibus parœciales Presbyteri, pro sua sustentatione, non obtinent, nisi quartam quartæ, id est, sextam decimam decimarum. *Unde fit, ut in ejusmodi regionibus* pene nullus inveniatur Sacerdos parœcialis, qui ullam vel modicam habeat peritiam literarum. *Cùm* igitur, *os bovis ligari non debeat triturantis*, sed *qui Altari servit, de Altari vivere debeat*: statuimus, ut (*consuetudine qualibet* Episcopi, vel Patroni, seu cujuslibet alterius non obstante) *portio Presbyteris ipsis sufficiens assignetur.*

Hinc etiam Tridentinum *sess. 25. de reform. c. 9.* de Patronis, & administratoribus Ecclesiarum, & beneficiorum, graviter præcipit, ne tales, *cujuscunque Ordinis, & dignitatis, etiam si Communitates, Universitates, Collegia quæcunque, Clericorum, vel Laicorum existant*, in perceptione fructuum, proventuum, obventionum, *quorumcunque beneficiorum*, etiamsi verè de jure patronatus ipsorum ex fundatione, & dotatione essent, *nullatenùs, nullâve causa, vel occasione se ingerant*, sed illos, liberè Rectori, seu Beneficiato, *non obstante etiam quacunque consuetudine*, distribuendos dimittant. Et ratio hujus petitur ex ipso fine, ac dispositione fidelium, qui bona sua Ecclesiis donârunt; hi enim non alia ducebantur intentione, ac fine, quàm, ut Ministri Ecclesiastici exinde decenter alerentur, ut per conservationem Ecclesiarum, & Spiritualia ipsorum ministeria Christianus populus doctrinâ fidei, & SS. Sacramentorũ usu, ad vitam homine Christiano dignam inductus, fideliter conservẽtur, ac in divino cultu promoveantur.

Ea porrò, quæ dicto c. *Extirpandæ* 393 constituta sunt de Parochio, in mox sequenti §. *qui verò*, intelligenda etiam veniunt de Vicario perpetuo; sic enim loquitur textus: *qui verò parœcialem habet Ecclesiam, non per Vicarium, sed per se ipsum illi deserviat, in ordine, quem ipsius Ecclesiæ cura requirit, nisi forte dignitati vel præbendæ parœcialis Ecclesia sit annexa*: in quo casu concedimus, ut qui talem habet præbendam, vel dignitatem (cùm oporteat eum in majori Ecclesia deservire) *in ipsa Ecclesia parœciali idoneum, & perpetuum habeat Vicarium, Canonicè institutum, qui* (ut prædictum est) *congruentem habeat de ipsius Ecclesiæ proventibus portionem: alioquin illa se sciat authoritate hujus decreti privatum, liberè alii conferenda*, qui velit, & possit, quod dictum est, adimplere. Illud autem penitus interdicimus, *ne quis in fraudem de proventibus Ecclesiæ, quæ curam habere debet proprii Sacerdotis pensionem alii pro beneficio conferre præsumat.*

Ex his juribus deducitur. 1. Illos, qui ha- 394 bent Parochias *incorporatas*, & Parocho, vel Vicario, quem ibidem tenent, pro sua sustentatione adeo exiguam portionem relinquunt, ut non nisi quartam quartæ, seu decimam sextam partem percipiat, in causa esse, quòd in ejusmodi Provinciis, vel Regionibus penè nullus Parochus, vel Vicarius reperiatur, qui ullam vel modicam habeat scientiam literarum; quod quam damnosum sit divino Cultui, ac animarum saluti, nemo non videt. Ex hoc enim fit, quòd Clerici, qui verè literati sunt, justè

renu-

renuant in ejusmodi Regione servire, & frequenter assumantur prorsus inidonei, modo stipendio sint modico, ac minus decente contenti. Sequitur 2. consuetudinem, quâ tales tam exiguas portiones assignant Parochis, vel Vicariis suis, esse jure reprobatam, & subjacere pœnæ canonicæ, de qua dicemus infra. - - - - - -

Hinc Rector Ecclesiæ, non obstante consuetudine Episcopi, vel Patroni, aut aliorum, quibus incorporatæ sunt Parochiæ, debet de reditibus Ecclesiæ, cui præficitur, sufficientem habere portionem; nec Episcopus potest uni conferre beneficium, & sibi, vel nepoti reservare pensionem, quâ, Parochus, vel Vicarius gravatus, careret sustentatione sufficienti ac decenti, expositâ superius à *n.* 381. sic Reginaldus in praxi fori pœnitent. *l.* 30. *à n.* 247. & colligitur ex §. *qui verò*, in fine.

395 Deducitur 3. quòd habens Ecclesiam Parochialem, non annexam dignitati, vel præbendæ in Ecclesia digniori, debeat illi deservire *per se ipsum*, & *non per Vicarium*, consequenter, teneatur *personaliter residere*, residentiâ *formali*, ut apertè constat, ex §. *qui verò*, *in n.* 393. si autem sic annexa sit, Canonicatui v.g. in Ecclesia Cathedrali, ipse residere debebit in Ecclesia Canoniæ, & per idoneum Vicarium perpetuum deservire Parochiæ, ita textus in §. *qui verò*. dixi: *residentiâ formali*, & non merè *materiali*, nimirum, manendo quidem in loco, sed nihil, vel propè nihil functionum suarum *per se*, sed per Supernumerarium Capellanum peragendo, cùm textus apertè dicat, *non per Vicarium, sed per seipsum administrare debet*, quo clarè innuitur, non esse locum regulæ, *quod quis per alium facit, per seipsum facere censetur*, apertè enim dicitur, *non per alium*, qui vices agat (hoc enim sonat, *non per Vicarium*) *sed per seipsum.*

396 Quæstio ulterior est, an Prælati Regulares, vel Monasteria, possint reditus Ecclesiarum, Capellarum, vel beneficiorum ipsis unitorum dividere, ac minuere, quo Clericis, ipsarum vices agentibus, ex usu recepto, & antiquo assignatæ portiones minuantur? R. negativè, si id agant *absque consensu Ordinarii ipsorum*, sumitur ex c. *Avaritiæ*. 10. *h.t.* nam cùm intellexisset Pontifex, quosdam Canonicos, portiones, sive antiquos reditus in suis Ecclesiis minorâsse, mandat, quatenus, *si hoc sine consensu Archiepiscopi*, facere, vel Parochias dividere præsumpserint, illas ad integritatem pristinam revocent.

Huc etiam facit Clement. *unic.* §. *eodem* 397
quoque de supplend. neglig. Prælat. ubi, quod dictum est c. *Avaritiæ*, idem extenditur etiam ad Prælatos Regulares *exemptos*, & statuitur, ut Episcopi non permittant, sed prohibeant (*authoritate Apostolicâ si Prælati sint exempti*) ne dicti Prælati beneficia quæcunque regularia, aut sæcularia, quorum Collatio ad eos spectat, suis Mensis applicent, aut *novas pensiones* ipsis imponant, *aut veteres augeant*, vel *ita auctas accipiant.* Sed circa hoc advertendum, dupliciter posse Parochias *uniri*, vel *incorporari* alicui alteri Ecclesiæ, Monasterio, vel Collegio. 1. ut Monasterium v.g. percipiat omnes earum reditus, demptâ solâ portione, quæ in congruam sustentationem assignari debet Clerico, vices ejus gerenti in administratione Parochiæ. 2. ut non omnes reditus earum, sed certam solùm quotam exinde percipiat Monasterium, reliqui omnes cedant Parochis, vel Vicariis, aut Capellanis, in iisdem ministrantibus, porrò in utroque casu procedit, quod in dict. c. *Avaritiæ*, & Clement. *unicâ* constitutum est, ut dicemus in seqq.

Quia tamen contingere potest, quòd e- 398
veniat justa causa, quòd Prælati Monasteriorum, quibus Ecclesiæ, vel solùm quoad temporalia, vel quoad hæc, & Spiritualia simul incorporatæ sunt, portionem Vicariis, ab antiquo assignatas, minuere velint, quo casu non prohibeatur id facere, *de consensu Episcopi*, *justâ causâ subsistente*, id, quod *de non exemptis*, sed subjectis Episcopo, dubitari non potest; hæc enim (*mutare statum Ecclesiæ*, *unam Parochiam in duas dividere*, *portiones* vel reditus *Rectoribus*, seu *vices eorum gerentibus*, *ab antiquo debitos*, *auferre*, *vel minuere*) spectant ad officium Ordinarii, quando Ecclesiæ non sunt exemptæ, sic Abbas in c. *Avaritæ. n.* 2.

Quando autem Ecclesiæ sunt *exemptæ*, 399
licet tunc non requiratur consensus Episcopi, *tanquam Ordinarii* (aliàs non essent *exemptæ*, contra suppositum) requiritur tamen consensus ejus, *tanquam Delegati Papæ* in hoc casu, ex Clement. *unica*, §. *eadem quoq; de supplend. neglig. Prælat.* ubi, postquam Clemens V. statuisset, ut Ordinarii, si Prælati beneficia, quæ ad ipsorum dispo-

dispositionem spectant, cùm vacant, tempore debito non conferunt, *in exemptis Authoritate Apostolicâ* eorum negligentiam suppleant, subjungit: *eadem quoque Authoritate Diœcesani suffulti nullo modo permittant, quòd iidem Prælati*, Prioratus, Ecclesias, Administrationes, aut beneficia hujusmodi, *applicent mensis suis*: pensionésve novas eis imponant, *aut veteres augeant*, sive, quod *ipsis* de novo impositæ, sive auctæ solvantur.

400 Quæstio altera est, an quando Monachi, vel alii Regulares, Vicarios in Ecclesiis *incorporatis* suo Monasterio, vel Collegio, ex obligatione præsentant Episcopo, instituendos Episcopus teneatur eos instituere, si idonei sint? ℟. teneri, si præsentatio fiat juxta c. *de Monachis*. 12. *h. t.* ubi mandat Pontifex, *ne Episcopus, ad præsentationem Monachorum, ullum Vicarium Parochialis Ecclesiæ recipiat, nisi tantum ei de proventibus Ecclesiæ fuerit*, coram Episcopo, *assignatum, unde jura Episcopalia possit persolvere, & congruam sustentationem habere.*

Cum autem quandoq; contingat, ejusmodi Vicariis pro portione sustentationis assignari eos proventus, de quibus meritò dubitari possit, an revera sufficientes sint? an minus? quæstio est, cujus in hoc casu sit de sufficientia determinare? id, quod etiam intelligendum, pro casu, quo dubitatur, num primum beneficium ad decentem sustentationem beneficiati sufficiat? an non? quando quæritur, an in supplementũ congruæ possit illi secundum, retento licitè primò, conferri? ℟. pertinere ad Episcopum, colligitur. 1. ex dict. c. *de Monachis*, ibi: *eam providentiam habeas* (loquitur ad Ordinarium) *quoad præsentationem Monachorum, ut nullum recipias, &c. in n.* 400. Colligitur 2. ex Clem. *Vt constitutio.* Ide Jure Patronat. ibi: *diœcesanis sub obtestatione divini judicii districtius inhibentes, ne præsentatum aliquem* per *quamcunque personam Ecclesiasticam, jus* præsentandi, ad Ecclesiam aliquam habentem, *admittant, nisi, intra certum terminum, competentem, per Diœcesanos ipsos* præsentantibus præfigendum, *ipsi præsentato fuerit coram eis* (ut præscribitur) *congrua de proventibus Ecclesiæ portio assignata.*

401 Quæstio 3. est, quis supplere debeat defectum, quando reditus Parochiales non sufficiunt ad sustentationem congruam Parochi, vel Vicarii? ℟. quòd is, qui Parochiales decimas percipit, vel alter, qui eas in feudum accepit. Nam proventus Parochiales non possunt à Prælato Ecclesiastico, sive per unionem, sive per donationem, aut infeudationem aliter transferri, nisi ut Parocho salva maneat sua competens portio, & necessaria sustentatio; cùm reditus Parochiales à jure ipso principaliter deputati sint ad Ministrorum sustentationem, sicut & ad fabricæ Ecclesiæ conservationem; sic Gonzalez *l.* 1. *qq. pract. q.* 17. *n.* 12.

Not. tamen huic defectui, si prædicto modo non posset, posse succurri juxta 3. de Ecclesiis ædificandis, uniendo illi aliud beneficium, vel ex ejus reditibus detrahendo portionem aliquam: aut, si nec hoc posset, contributione Parochiorum juxta Trid. *sess.* 23. *c.* 13.

Quæstio 4. est, an *reditus incerti*, possint licitè computari *in portionem sustentationis congruæ, Parochis, aut Vicariis debitæ*, in Ecclesiis, quibus deserviunt? Ante resolutionem not. per *reditus incertos* intelligi *oblationes*, quæ sponte fiant, item ea, *quæ dantur nomine Stolæ*, pro Sacramentorũ administratione, ac funeralibus. ℟. negativè, quia debitum sustentationis non potest pendere ab eventu libero, vel contingente etiam spectatis causis naturalibus (sic enim provisio necessitatis quotidianæ (quam importat vitæ sustentatio) foret planè incerta, nec per se sufficiens; cujus tamen contarium, tanquam jure debitum, ejusmodi Ministris, jure definitum est, & eorum computatio morali certitudine induceret sub specioso nomine *non sufficientis*, cœteroquin *sustentationis congruæ*) liberam occasionem avaritiæ, accupiditatis extorquendi pecunias à Parochianis, exactionibus sanè non decentibus Pastores animarum, occasione funerum, administrationis Sacramentorum, benedictionum, & similiũ functionum, prout locis non paucis, experientiâ omnino indubiâ, nimis certum est, cùm magnâ inobservantiâ Stolæ per suos Antistites diœcesanos præscriptæ, ipsis ejusmodi hominibus populo statuentibus *taxam*, certè non laudabilem, minus practicandam ab eo, quem Deus constituit dispensatorem bonorum spiritualium. Resolutionem, propositæ quæstioni datam, tenet Rebuffus in tract. de congrua portione, *n.* 83. & 86. & plures alii,

402

alii, quos etiam Rotâ sic decidente, refert, & sequitur Barbosa in dict. c. *de Monachis.* 12. *h.t.* ân. 7. ubi sic loquitur.

Illud in hac materia, de sustentatione congrua, *advertendum duxi, fructus incertos*, seu *pedem Altaris*, sic enim dicti fructus incerti compellantur) *in congruam non computari*, & postquam ibidem pro eadem sententia retulit Rebuffum, Manticam, duplicem Rotæ decisionem ex Farinacio, Belletium, &c. subjungit: etenim *venter non debet pendere ab incerto, cum non patiatur dilationem, Cass. ad. decis. unic. n.* 1. de mutuis petit: Surdus *decis.* 323. *n.* 9. An autem, & quando congrua Rectori augeri debeat? non erit abs re in præsentarium investigare sub distinctione sequenti, aut congrua est *tenuis*, Rector tamen *potest vivere*, & sustentare onera Ecclesiæ? & tunc debet esse illâ contentus, & imputare sibi, quòd *tenue* beneficium acceptavit, sic *gloss. verb. necessitatem in c.* 1. 20. *q.* 2. Rebuff. de congrua *n.* 29. Mantica *cit. decis.* 22. *n.* 1. aut verò congrua est ita *tenuis*, ut Rector *non possit vivere*, & sustinere onera Ecclesiæ? & tunc, saltem per viam restitutionis in integrum, succurritur Rectori adversus assignationem congruæ; &, isto casu Rector acceptando non dicitur sibi præjudicasse, cùm non agatur de præjudicio suæ personæ tantùm, sed Ordinis Clericalis; Rota *cit. decis.* 449. *n.* 5. Hæc Barbosa *loc. cit.*

403 Præter hactenus dicta, not. 1. quando diximus, Regulares, etiam exemptos, posse ab Episcopis compelli, ut Clerico, quem ipsi præsentant instituendum in Ecclesiis, suo Monasterio incorporatis, assignent *coram ipso* sustentationem *congruam*, nec portionem ab antiquo debitam *minuant*, vel *mutent, sine consensu Episcopi*, debere intelligi, *si tamen Ecclesia, & populus subjectus sit Ordinario*, non autem, *si jure plenissimo* spectent ad Regulares, sic Barbosa *in c.* 1. *h.t. in* 6. *n.* 2. Deinde, de his, quæ ad sustentationem Ministrorũ Ecclesiæ, vel hujus fabricam, ex præbendis deputata sunt, nihil ab Episcopo converti posse in suos usus per c. *Ratio.* 3. *h.t.* ibi: *Ratio nulla permittit, ut quod pro communi utilitate datum esse cognoscitur, propriis cujusquam usibus applicetur.*

Et quamvis Barbosa *n.* 3. ex hoc textu V. *pro communi utilitate*, contra sententiã, quæ resolvit, *Clericos beneficiarios teneri ad restitutionem illorum fructuum, quos voluptuosè consumunt, non facientes servitium, vel facientes non debito modo*, (quia ista sunt Ecclesiis oblata, ut pro ipsis offerentibus oretur, & inde pauperes alantur) teneat contrarium, dicens, beneficiatum *vanè, ac malè consumentem* fructus beneficii, *non teneri ad restitutionem*, quamvis peccet, & quidem mortaliter, *non contra justitiam*, sed contra charitatem, seu misericordiam, si in notabili quantitate id faceret, & excessus esset magnus, videtur tamen distinguendum, inter proventus, quos habet beneficiatus ex suo beneficio, præsertim, si habeat redundantes sustentationi congruæ.

Primò enim, si loquamur de fructibus, quos facit *suos*, implendo debitè officium suum, omnino dicendum, eum peccare, si eos *vanè* prodigat, non tamen teneri ad restitutionem, si nihil ex his, qui reduntant in causas profanas expendat, sed tantùm ex illis, quos licitè potuisset impendere sustentationi suæ debitæ, nam hæc numeratur in his, quæ spectant communem utilitatem: dixi, *quos facit suos implendo debitum officium*, nam si secùs, non videtur admittenda opinio Barbosæ; sic enim fructus illos percipit, ut mercedem, *ex contractu oneroso*, qui obligat ex structa justitia, quæ omnino læditur, *si conductus non præstat laborem*, pro quo conductus est, qualiter nec conductus mercedem facit suam, labore non præstito, unde non est dubium, *teneri ad restitutionem.*

Si autem termo sit de fructibus *reduntantibus* ultra sustentationem congruam, esto probabile sit, quòd etiam eos facit *suos*; id tamen solùm procedit cum onere, ut eos expendat, non vanè, ac in res profanas, sed in causas pias, ut concedunt omnes, si tamen eos expendat *vanè* communi quoq; Doctorum consensione peccat, ut rectè notavit Barbosa; & quamvis sit sub opinione Doctorum, *an tunc peccet contra justitiam, & obligetur ad restitutionem?* multis nunc id negantibus; probabilior tamen est sententia affirmantium, quam ferè omnes antiqui tenent, & ut probabiliorem etiam amplexi sumus in Tract. Theol. de jure & justitia, *q.* 7. de dominio Clericorum, à *n.* 339.

ARTICULUS V.

De modis acquirendi beneficium Ecclesiasticum.

LOquendo generaliter, id contingere 404
potest duobus modis, *legitimè* scilicet ac justè, & *illegitimè*, seu non justè. *Justè* acquiritur institutione canonicâ, sumptâ gene-

generaliter, nimirum pro omni canonica beneficii provisione, ut exposuimus alibi, quæ contingit beneficii liberâ collatione, vel præsentati institutione, vel electi confirmatione; aut postulationis admissione, vel translatione legitimâ, vel etiam renuntiatione in favorem alterius, per Superiorem legitimum receptâ, ex quo sequitur beneficium *illegitimè*, seu non justè acquiri sine canonicâ institutione, *per reg. 1. de reg. jur. in 6.*

§. 1.

An beneficia Ecclesiastica jure consanguinitatis acquiri possint?

405 ℟. BEneficium Ecclesiasticum, vel bona Ecclesiastica, non acquiri legitimè, ac justè, jure consanguinitatis, ex testamento, vel ab intestato, prima pars est ex c. *ut nullus. 1. h. t.* ibi: *ut nullius de Clero, sive populo, Ecclesiastica bona, jure consanguinitatis sibi requirat habenda.* Altera pars est, quia beneficium sine canonica constitutione, seu provisione non potest obtineri *per. 1. reg. de reg. jur. in 6.* sed acquisitio beneficii ex successione jure sanguinis, ex testamento, vel ab intestato, non est ex canonica institutione, sicut nec acquisitio ejus ex præscriptione, intrusione &c. per dicta in; *cit. regula. 1. ergo.*

Dices: beneficia *patrimonialia*, cùm vacant, acquiruntur jure consanguinitatis, ut dictum est à *num.* 300. ℟. beneficia patrimonialia non acquiri *mero jure consanguinitatis*; sed dependenter ab institutione, seu provisione canonicâ, si enim sint propriè *collativa*, non obtinentur sine libera collatione, si *electiva*, sine electi, vel postulati confirmatione, vel admissione: si *patronata*, sine institutione præsentati.

406 Quæstio ulterior est, an valeat pactum beneficiati cum altero, *de succedendo* in beneficio post mortem? 2. An vivente beneficiato, & jam in extremis constituto, institui possit tractatus de Successore? 3. an dari Coadjutor cum jure succedendi? 4. an saltem præsentari, vel nominari Successor, Antecessoris desperatâ vitâ? 5. an valeat institutio alicujus in beneficio sub conditione, ut alius succedat, si is, qui de præsenti habet, moriatur, resignet, vel alio transferatur?

Ad 1. ℟. quòd non ex dicendis *tit. 7.* Pactum enim de succedendo etiam jure civili reprobatur L. *ult. C. de pact.* ibi: *nobis omnes hujusmodi pactiones odiosæ esse videntur, & plenæ tristissimi, & periculosi eventus.* Quare enim quodam vivente & ignorante de rebus ejus quidam paciscentes conveniunt? *Secundùm veteres itaque regulas sancimus, omnimodo hujusmodi pacta, quæ contra bonos mores inita sunt, repelli, & nihil ex his pactionibus observari.*

Ad. 2. ℟. constat ex dictis si enim non excludat canonicam institutionem, non obest. Ad 3. constabit à *ex tit. 6. de Clericis ægrot. ad 4.* ℟. quòd non, *ex dicend. in tit. 7. de conces. præbend.* nam talis præsentatio æquivalet promissioni beneficii *non vacantis*, quæ nulla est.

Ad. 5. ℟. quòd non, constat ex c. *Accepimus. 5. de pactis*, ubi Alexander Pontifex ad Archiepiscopum Eboracensem scribens, *accipimus*, inquit, *quòd quædam sint Ecclesiæ Clericis tali tenore concessæ, quod, post eorum obitum, alii nominatim succedant; verùm, quoniam hoc iniquum est, & Sacris Canonibus inimicum*, & ideo non debet aliquatenus tolerari: *mandamus, quatenus hujusmodi successiones, tam detestabiles, & iniquas, appellatione cessante, prohibeas, & omnino frivolas & inanes esse decernas.*

§. 2.

De jure, quod acquirit provisus in beneficio.

QUaliter, & quando provisus in bene- 407
ficio per viam electionis, vel postulationis, acquirat jus in beneficio, ad quod legitimè electus, aut postulatus est? diximus *lib. 1. tit. 5. de postulat. Prælat. &* 6. de Electione; quæstio supereſt, de acquirente illud per liberam collationem, seu quando provisus est in beneficio propriè collativo, de quo diximus *num.* 243. In ordine ad hoc quæstio. 1. est, an Collatarius in beneficio sibi collato, acquirat jus aliquod in eo ex præcisa collatione, etiam ante acceptationem? 2. suppositâ collatione; 3. si non acceptavit intra terminum pro acceptando præscriptum? 4. si primum acceptet post lapsum termini?

℟. istarum quæstionum resolutionem 408
pendere ex c. *si tibi absenti. 17. h. t. in 6.*

ubi ex definitione Bonifacii VIII. dicitur: si tibi absenti per tuum Episcopum conferatur beneficium: *licet per collationem hujusmodi (donec eam ratam habueris) jus in ipso beneficio, ut tuum dici valeat, non acquiras*: ipse tamen Episcopus, vel quicunque alius, de ipso beneficio (*nisi consentire recuses*) in personam alterius ordinare nequibit. Quod, si fecerit, ejus ordinatio facta de beneficio non libero, viribus non subsistet. *Sed si Episcopus* (notificatâ tibi collatione) *ad consentiendum terminum competentem assignet, nisi consenseris, poterit eo lapso beneficium liberè* (cui viderit expedire) *conferre*. Antequam tamen ipsum contulerit: tuum poteris (*non obstante, quòd lapsus sit terminus*) præstare consensum, & ex tunc in ipso non poterit aliter ordinari.

409 Ex hoc enim deducitur. 1. jus *in beneficium* absenti collatum non acquiri, donec acceptet, constat ex textu ibi: *donec eam ratam habueris*, & quamvis Barbosa *in dict. c. 17. n. 6.* cum Gonzalez, & aliis censeat, quòd collatio absenti facta det jus non *in re*, sed *ad rem* etiam ante acceptationem, fortasis ex eo, quòd Collator suppositâ semel collatione, etiam nondum acceptatâ, variare non possit, & nulliter alteri conferat, antequam prior Collatarius dissentiat intra terminum præfixum, videtur tamen ex hoc jus *ad rem* non probari, ut notavimus *lib. 4. decretal.* in hoc casu; cùm & ipse Barbosa *n. 8.* dicat, ideo in hoc casu non esse locum pœnitentiæ, *quia Episcopus confert ex necessitate*, cùm sibi retinere non possit, & jam functus est officio suo, secus asserens in donatione, & aliis actibus, qui ex mera voluntate fiunt, ergo non probatur *jure aliquo existente in Collatario*, ex quo patet *ad quæst. 1. & 2.*

410 Deducitur 2. per collationem acceptatam acquiri jus *in re* in beneficio collato, etiam ante adeptam possessionem, per Rebuffum in praxi super reg. de non tollendo jure quæsito, *gloss. 6. n. 38.* Flaminium *de resign. benefic. l. 2. q. 16. num. 2. &c.* eò quòd in spiritualibus ex solo titulo, absque traditione, plenum jus transfertur, ut per Tiraquel. *de jure primogen. q. 17. in 11. n. 5. & opin. 12. n. 2. D.* Barbosa *p. 2. rubr. ff. solut. matrim. n. 83.*

Deducitur 3. si Collatarius intra termi- 411
num à Collatore præfixum non acceptavit beneficium collatum, cùm nullum jus ex præcisâ collatione adquisiverit; & dispositio legis, ne Collator alteri intra dictum terminum conferat, cessaverit, liberè illud conferre posse alteri; ex quo patet ad 3. ac demum etiam ad 4. prout notatur in textu ad finem in *n.* 408. ubi resolvitur affirmativè.

Not. præterea, quòd licet in aliis rebus, 412
solus consensus non sufficiat, ad acquirendum dominium earum, sed insuper requiratur traditio, & apprehensio rei. L. *traditionibus*, 20. *C. de pact.* tamen *in provisionibus beneficiorum*, per solam collationem, & subsequentem acceptationem (quæ etiam inter absentes fieri potest) seu per consensum expressum voluntatis, acquiri jus in re, & quasi dominium beneficii, ante ejus apprehensionem, nam facilius in istis juribus Spiritualibus acquiritur jus in re, quàm in rebus corporalibus, ut tradit Anchar. *in hoc c. not. 1.* Layman *l. 3. tr. 1. c. 5. n. 8.*

Not. 2. hoc, quod præcedente n. dixi- 413
mus, debere intelligi. 1. si beneficium collatum *vacet*, sic, ut nullus alius actu *possideat*; nam nec violentum possessorem, sine sententia Judicis, authoritate propriâ licet spoliare possessione suâ, etiam injustâ; 2. si Collator ipse habeat jus mittendi in possessionem, non autem, si alius, cùm isti præjudicari non possit.

Not. 3. acceptationem beneficii, ab 414
senti collati, posse fieri non tantùm per ipsum Collatarium, sed etiam ab alio ejus nomine ad hoc habentem mandatum speciale, saltem in genere, ut suo mandantis nomine acceptet *beneficium vacans*, si quod absenti conferretur. Si quis autem ejus nomine interim acceptasset beneficium absenti, & adhuc ignoranti collatum; & is deinde hoc intra tempus pro acceptatione præfixum ratum habuit, censetur beneficium illi acquisitum ex tempore illius acceptationis, nam in dato casu nihil defuit, nisi consensus Collatarii, hic autem, durante tempore, quo acceptari potest, suppleri valet per ratihabitionem, sic Layman in c. *Nonnulli. §. sunt & alii, de Rescript. n. 5.*

§. 3. *De*

§. 3.

De modis quibusdam particularibus acquirendi beneficium.

415 QUæstio. 1. est, an beneficium acquiri possit, *dato conferenti vicissim aliquo temporali*? 2. an collatione *extorta* à Collatore per metum? 3. an per *rescriptum subreptione impetratum*? 4. an collatione *clandestinâ*? 5. an *antequam vacet*? 6. an admissâ *impositione pensionis*, vel similis oneris? 7. an solum *ad tempus*? 8. an ad acquirendum sufficiat collatio *alternativa*? 9. an collatio *sine scriptura*? 10. an collatione *conditionata*? vel *sub modo*?

Ad. 1. ℟. non posse, interventu alicujus rei temporalis, quod etiam virtualiter habeat rationem compensationis, de quo latè egimus *lib. 5. tit.* 3. de Simonia, præsertim in beneficiis à *n.* 473. ex quo sequitur, beneficia debere conferri gratis. Ad. 2. ℟. negativè, si metus sit gravis, ac injustè incussus, sic, qui per metum amittendi patrimonium renuntiavit beneficio, illud repetere potest, ut dicitur c. *Abbas.* 2. de his, quæ vi, ex quo habetur beneficia debere *conferri*, consequenter *acquiri liberè*, libertate excludente injusto metu extortam collationem. Ad 3. ℟. negativè, si sermo sit de rescripto *Papali*, vel Legati Pontificii, ut colligitur ex c. *Cum adeo*, 17. *de Rescript. de quibus* V. *lib.* 1. *tit.* 3. dixi *Papali*: nam collationes beneficiorum, quæ fiunt *à Locorum Ordinariis* præsumuntur fieri ab illis, bene informatis super qualitatibus beneficiorum provisorum, id, quod expressè habetur in Clement. *Etsi.* 2. *de Offic. Ordin.* ibi: *etsi ab Apostolicæ Sedis Legato, de beneficio facta collatio, beneficium aliud obtinenti, non valeat, nisi de illo, quod obtinet facta fuerit mentio specialis: in aliis tamen quibuslibet collationem beneficiorum habentibus, hoc nolumus observari.*

416 Ex hoc enim deducitur. 1. beneficii collationem, factam ab inferiore Collatore quolibet citra Legatum Apostolicum, valere non factâ mentione de beneficio, quod prius habeat is, cui fit, & ideo in provisione facta *ab Ordinario* non est opus impetranti, facere mentionem de obtentis, sic Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 10. *q.* 4. & constat ex textu, ibi: *in aliis tamen.* Nam Episcopi, & Ordinarii intelliguntur providere *Ecclesiis motu proprio*, cùm ad hoc teneantur; sed Papa, & Legati provident personis, & non Ecclesiis, sic Felin. c. *ad aures n.* 15. Menoch. *de arbitrar. casu* 201. *à n.* 154.

Ad. 4. ℟. collationem, & receptionem 417
beneficii, factam clam, & occultè non esse quidem irritam, quandoq; tamen esse sub suspicione, &, ut, cùm probanda fuerit, hoc ritè fiat, exigi scripturam, vel testes, aliud est de electione clandestina ad Ecclesias Cathedrales, vel Conventuales non publicata, propter c. *Quia propter* 42. *de Elect.* ad 5. ℟. negativè *ex dicend. tit* 8. *de concess. præbend.* Ad. 6. ℟. negativè *ex dict. lib.* 5. *à n.* 473. Ad. 7. ℟. quòd non, loquendo de beneficio propriè dicto, cùm de illius naturâ sit, *esse perpetuum etiam in Beneficiato ex n.* 151. & ita tradit Pyrrhus Corradus *dispens. Apostol. l.* 6. *c.* 2. *n.* 21. Ad. 8. ℟. negativè, si collatio dicat, *huic, vel illi*, sic enim voluntas conferentis, ex qua vim habet collatio, redditur incerta, *arg. c. de elect. in* 6. *junct. gloss.* V. *incerta*; Ad. 9. ℟. sufficere *ad obtinendum jus in beneficis*; non autem, ubi opus fuerit *probatione*, nisi adsint testes legitimi; quod tamen accipe de collatione facta ab inferiore, si enim fiat à Papa, vel ejus Legato, ad valorem opus est literis Apostolicis per Extravag. *Injunctæ* de Elect. inter communes.

Ad. 10. distinguendum est inter condi- 418
tiones appositas. Nam collatio facta sub conditione, quæ tacitè inest, si non exprimatur; vel si exprimatur, sed non aliter, quàm insit, non est suspensiva (ut diximus *l.* 4. *tit. de condit. appos.*) consequenter non vitiat consensum Collatoris, quod etiam dicendum de conditione de præsenti, vel præterito, de qua possit notitia haberi; sic enim nec suspendit voluntatem conferentis, nec etiam incertam reddit; quod etiam procedit, si conditio talis sit omnino extrinseca, & impertinens ad beneficiū, licet oppositū sentiat Pirhing *h. t. n.* 64. propter voluntatis *incertitudinē*, ex tali conditione; at, hoc non sequitur, ubi conditio, etiam suspensiva, facilè deprehendi potest.

Loquendo autem de *modali collatione* 419
beneficii, nimirum collationi adjecto modo, seu certo onere vel simili, distinguendum est, & affirmandum *de modo*, qui tacitè inest, v. g. *ut deservias Ecclesiæ in Officio, quod ei ex institutione sua, vel fundatione incumbit, vel, ut intra annum*

fias Sacerdos, si beneficium curatum conferatur non Sacerdoti: Secùs est de modo repugnante substantiæ collationis, de quo V. *dict. l. 4. tit. 5.* de condit appos, vel de modo conferenti, præsentanti, aut instituenti pensionem aliquam, aut temporale aliquid in compensationem in beneficio collato constituendi, vel admittendi, ut constituatur, &c. hæc enim verè continent simoniam, secundum dicta *lib. 5. tit. 3.* de Simonia, de quibus V. etiam dicenda *tit. 12. infrà.*

420 Præter dicta, quæstio est, qualiter procedendum sit in collationibus beneficiorum, quorum provisio pertinet *ad Capitulum*, prout est in Ecclesiis Cathedralibus Collegiatis, & similibus? Non egimus hic de collatione Prælaturæ, quæ fit electione, vel postulatione, cùm de his jam actum sit *lib. 1. tit. 5. & 6.* sed solùm de collatione aliorum beneficiorum, sive curatorum, sive simplicium, &c. & de hoc agitur in c. *Cum in Ecclesiis. 33. h. t. in 6.* ubi dicitur: *cum in Ecclesiis Canonicorum receptio, aut præbendarum, vel beneficiorum collatio imminet facienda, absentes Canonicos (si commodè fieri valeat) esse vocandos; nisi consuetudo habeat, eos ad talia non vocari; alioquin, quod in eorum absentia fieri contigerit, eis instantibus irritari debebit.*

Ex quo c. deducitur, quando collatio beneficiorum, vel receptio in Canonicum spectat *ad Capitulum*, ad ejusmodi actum *vocari debere quemlibet Capitularem*, si est in loco, unde commodè vocari possit (nisi aliud consuetudo habeat talis Ecclesiæ) secùs *contemptum* agere posse ad rescindendam provisionem, factam se absente, & non vocato, cum debuisset, quod verum est, licet ejusmodi provisio facta esset à majori parte Capitularium præsentium. Nam, esto provisio pendeat à toto Capitulo, qua tali, & non à singulis: pendet tamen à singulis *consensus* in talem provisionem.

ARTICULUS VI.

De potestate conferendi beneficia.

421 DE hac materia, in quantum concernit potestatem Summi Pontificis, agitur in c. *Licet. 2. h. t. in 6.* uti dicitur: quòd *Ecclesiarum, Personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere, ita, quòd non solùm ipsa, cum vacant, potest de jure conferre, verum etiam jus in ipsis tribuere vacaturis*: collationem tamen Ecclesiarum, Personatuum, dignitatum, & beneficiorum *apud Sedem Apostolicam vacantium*, specialius cæteris antiqua consuetudo Romanis Pontificibus *reservavit*, ubi occasione verborum *plenaria dispositio*, complures apud Barbosam in dict. c. *Licet an. 2.* tradunt, Papam esse *Dominum beneficiorum* ita, ut *ad libitum* de illis disponere possit, atque adeo, posse Pontificem in Beneficiatis, quidquid voluerit, privare, mutare, & extinguere: quamvis ab *eod. n. 7.* citetur in contrarium D. Thomas 2. 2. *q.* 100. *Art. 1. & q. 63. a. 2.* cum aliis, volentibus, Summo Pontifici commissam eorum dispensationem, à Christo, prout expedire judicaverit ad divinum cultum in terris, Ecclesiæ bonum commune, ac salutem animarum; & hoc ob expressam B. Pauli Auctoritatem 1. *ad Cor. c. 4.* ibi *Sic nos existimet homo, &c. & 1. ad Cor. cap. 9.* ibi: *dispensatio mihi credita est, & 2. ad Cor. cap. 6. & cap. ult.* ibi, *Secundùm potestatem mihi traditam*, & facit illud *Lucæ 12.* ibi. *Quis putas est fidelis Dispensator?*

Not. autem, tribus potissimum modis à 422
Summo Pontifice conferre posse, ac solere beneficia Ecclesiastica, ut docet Rebuffus in Praxi *tit. de devolut. n. 46.* Laymam *l. 4. Theolog. moral. tr. 2. c. 10. an. 2.* & alii; nimirum jure *præventionis, concursus,* & *devolutionis.* Licet enim etiam Ordinarii Locorum, & complures, alii, etiam inferiores, habeant concessam à Papa potestatem conferendi beneficia, per hoc tamen non esse ademptam Pontifici potestatem disponendi circa eadem, sed remanere etiam penes illum, & quidem majorem, ac potiorem, ut constabit ex seqq. quibus positis de primis duobus dicemus in seq. de tertio autem *tit. 8. de concess. præbendæ.*

§. 1.

De jure præventionis.

CUm ex *n.* 421. constet, in Summo 423
Pontifice amplissimam esse authoritatem, ac potestatem disponendi de beneficiis Ecclesiasticis, meritò ei etiam attribuitur potestas ea conferendi *jure præventionis*, quod contingit, quando certæ personæ mandat provideri de beneficio vacante,

vel

vel proximè vacaturo, præveniendo illum, qui aliàs habet ordinariam potestatem providendi in tali Ecclesia. Unde quæstio est, si contingat, quòd Pontifex alicui mandet provideri de aliquo beneficio in certa Ecclesia, & illud ipsum etiam Ordinarius conferat alteri, quàm Papæ Mandatarius, quæ in his provisionibus alteri præferri debeat?

De hoc agitur in c. *Dudum* 14. *h.t. in* 6. ubi rescribit Pontifex etsi Legato suo alicui ad certas partes concedat facultatem, resignationem, ab obtinentibus beneficia, recipiendi, ea denique Authoritate Apostolicâ personis idoneis conferendi: *remanere tamen penes Papam majorem potestatem, ejusque si eandem potestatem, prius conferendo aliquod beneficium, quàm Legatus, conferat, præoccupet, potiorem debere esse conditionem*; neque opus esse, ut Papa in literis suis mentionem faciat potestatis Legato concessæ; foret enim absurdum, si amplissima ejus potestas impediretur, & in speciali, in omnibus provisionibus Papalibus intra fines talis legationis facienda esset mentio potestatis Legato factæ.

424 Et ibidem subjungit: denique *si decretum Apostolicum pro aliquo emanârit*, antequam Legatus beneficium, sibi resignatum, alteri conferret, *eo ipso manus Legati esse ligatas*, ejusque potestatem, quantum ad præsentem speciem revocari, sive restringi. Quare Pontifex mandat Guilielmum Presbyterum, cui Episcopus Prænestinus dictæ Sedis Legatus, vigore potestatis sibi concessæ, Canonicatum, & Præbendam in Eccesia Leronens, contulit, postquam Pontifex eandem præbendam cum Canonicatu, prius Nicolao cuidam, nullâ mētione factâ potestatis Legato concessæ, in præsenti vacantem, aut proximè vacaturā, Legato nescíente jam ante contulerat, aut conferri mandarat, per censuram Ecclesiasticam compelli, ut Collatione Episcopi, utpote invalidâ, non obstante, dicto Nicolao, præfatum Canonicatum cum præbenda dimittat, & cum super ea deinceps nullatenus inquietet. Ex qua Pontificia decisione deducitur pro dictis ea fundamentalis ratio, quod, si in eadem re concurrant duo, quorum unus est majoris, & alter minoris potestatis, potior censeatur, & prævaleat causa, sive potestas majoris, si præsertim sit absolutè suprema, qualis est Pontificis.

Confirmari possunt dicta ex c. *Si à Sede* 425
13. *h.t. in* 6. ubi dicitur, *quod, si à Papa, vel Legato ipsius, & ab Ordinario, alteri eodem die idem beneficium conferatur, nec appareat, quæ collatio fuerit prior, potior erit conditio possidentis. Si verò neuter possidet, is, cui Papa, vel Legatus contulit, propter conferentis pleniorem dignitatem erit præferendus*, hoc tamen accipe, si cœtera sint paria & inæqualitas solùm ex parte conferentiū, nam, si conferens *inferior* in suis literis apposuit *diem*, & *horam* factæ collationis, *Superior* autem omisit, prævalet collatio Inferioris, cùm etiam expressionem horæ tempus determinet; quæ in altero relinquitur in dubio; sic Barbosa in dict. c. *Si a Sede num.* 7.

Multa sunt, quæ ex his juribus sequun- 426
tur. 1. collationem beneficii, factam à Pontifice, *jure præventionis*, prævalere collationi posteriori factæ ab Ordinario, etiam ignorante præventionem Papæ; per textum c. *Dudum*, juncta gloss. V. *Canonicatum.* 2. id procedere, quando facultas Ordinarii est generalis; & provisio Papæ est specialis, prout fuit in casu c. *Dudum*; 3. in ejusmodi collatione Papali, non requiri mentionem de generali potestate facta Legato, vel Ordinario; 4. provisionem Papæ de beneficio *proximè vacaturo*, non esse super beneficio *incerto*; est enim certa *de collatione beneficii*, licet incertitudo sit *de vacaturo.* 5. potestatem conferendi beneficia Ordinariis, aliisque Prælatis concessam esse *cumulativè*; non autem, *privativè* ad casum, quo prævenit Summus Pontifex: ex dict. c. *Dudum.*

Limitari tamen debet ea regula, de qua 427
n. 424. nisi ex parte provisi ab Ordinario, concurreret possessio. Nam tunc ratione possessionis prævalet jus Ordinarii, ut expressè habetur, c. *si à Sede.* 31. *de præbend. in* 6. & tradunt omnes. Quod adeo verum est, ut etiamsi provisus ab Ordinario possessionem non acceperit eo die, quo fuit provisus, adhuc præferendus esset provisio Pontificis, quia possessio facit præsumere anteriorem fuisse provisum, & colligitur ex dict. c. *Si à Sede* cùm generaliter dicat, *possessorem* esse præferendum, cùm de anterioritate provisionis non constat.

Deinde,

Deinde, nisi ex parte provisi ab Ordinario concurreret non solùm assignatio *diei*, sed *etiam horæ*, cujus assignationem non haberet provisus à Pontifice. Nam ob illam determinationem præsumitur provisio Ordinarii anterior; quia est certior probatio illâ, quæ hac determinatione caret, ut diximus *n.* 425. & tenet Barbosa *p.* 3. *de potest. Episcopi allegat.* 57. *n.* 5.

§. 2.

De jure Concursûs.

428 *Concursus* fit, si, præter Pontificem, etiam alii, Collatores Papâ inferiores, sub eodem dato conferant idem beneficium v. g. Kalendis Jun. *Papa* Cajo; *Legatus à latere*, Titio; & *Episcopus*, Sempronio. In tali casu, cùm dubitatur, cui istorum trium collatio prius facta sit? si nullus adhuc possideat, propter majorem conferentis prærogativam præfertur collatio Papæ, reliquis; & collatio Legati, collationi Episcopi. c. *si à Sede*, 31. *de præbend. in* 6. si vero unus eorum prius accepisset possessionem justam, ille præferendus esset c. *in pari, de Reg. juris in* 6. Not. autem, quòd hoc jus *concursûs* etiam locum habeat in Episcopo respectu sui Vicarii Generalis, qui beneficium vacans ex speciali concessione Episcopi, contulit alteri. Pirhing *de præbend. n.* 80. §. *notandum* 3. Not. 2. eos, qui Authoritate Apostolicâ in Canonicos recepti sunt sub exspectatione præbendæ proximè vacaturæ, debere in assecutione illius præferri his, qui Authoritate Legatorum, vel aliorum quorumcunque prius recepti sunt in Canonicos ejusdem Ecclesiæ. c. 12. *de præbend. in* 6.

429 Ex hoc sequitur, illam regulam, 54. *in* 6. *qui prior tempore, potior jure*, procedere in his, quorum *par* est *causa*, sive jus æquale, non autem, si *impar*, quia *gratiæ non æstimantur ex tempore, sed ex causis, & personis. gl. in cit.* c. V. *antea*. Hinc, quando plures concurrunt ex diversis titulis, prærogativa tituli (nimirum collatio vel concessio à digniore persona) præfertur prærogativæ temporis, hoc est ei, qui à minore, seu minus digno promotus est. Sed hoc intellige, quando agitur de jure *ad rem*, non de jure *in re*, ut colligitur ex c. *si à Sede. de præbend. in* 6. *& gloss.* magna in c. *hi qui. not.* 1. Unde quando diximus, collationem Papæ in concursu præferri etiam collationi factæ à Legato à latere, intelligitur, quando hìc procedit ex potestate Ordinaria, non autem, quando ex speciali mandato, nam tali mandato provisus, censeri debet provisus Authoritate Apostolicâ, non Legati, si ageret de damno vitando; secùs, si de lucro solùm non capiendo, de quo V. Pirhing. *h. t. à n.* 81.

Quæstio fieri potest, qualiter constare 430
possit, quòd Ordinarius prævenerit in prima collatione? Gonzalez *ad* 8. *regul.* Cancellariæ §. 3. *in præm. à n.* 147. censet, necessariò constare debere per instrumentũ, seu scripturam, factam coram Notario, & testibus se subscribentibus in eodem instrumento, neque sufficere literas Ordinarii suo sigillo munitas; neque item factas coram Secretario, si Secretarius *Notarius* non esset, neque, si testes essent domestici, quia facilè poterat Ordinarius fingere, *ante datam* cum suo Secretario, & testibus domesticis. Ne ergo hæc fraus committatur, requiritur (inquit Gonzalez) ut Ordinarii provisio contra Apostolicam provisionem probetur per Notarium, qui est persona publica, & testes omni exceptione majores.

Cœterùm, etsi verissimum sit, provisio- 431
nem Ordinarii, contra provisorem Apostolicum, seu Legatum non probari sufficienter literis ab Ordinario sigillatis, ut post alios tradit Mascardus *conclus.* 991. *à n.* 13. Garcia 8. *p. de benefic. c.* 4. *n.* 11. esto adesset Secretarii Episcopi subscriptio, si Notarius non esset: at credo, si Notarii subscriptio adesset, referens testes præsentes stetisse, sufficienter provisionem Ordinarii probari contra quemlibet impetrantem, tametsi testes in instrumento non se subscripserint; quia receptissima praxis est, instrumentum publicum non expostulare, ad sui fidem, testium subscriptionem, ut aliis relatis comprobat Covar. *pract. c.* 20. *n.* 4. sic Castropala[9] *tom.* 2. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 13. *n.* 6.

§. 3.

Quid in provisionibus beneficiorum possint alii, Summo Pontifice inferiores?

ANte resolut. not. *Ordinarium* bene- 432
ficiorum *Collatorem* dici, qui ea confert *jure suo proprio*, tametsi aliàs careat jurisdictione, ut colligitur ex c. *Ordinarii.* 3. *de Offic. Ordinar. in* 6. ibi: Ordinarii locorum, subditos suos plures dignitates, vel Ecclesias, quibus animarum

cura

cura imminet, obtinentes, seu Personatum, aut dignitatem cum alio beneficio, cui cura similis est annexa, districtè compellant dispensationes, quarum vigore hujusmodi Ecclesias, Personatus, seu dignitates, Canonicè tenere se asserunt, intra tempus, pro facti qualitate, ipsorum ordinariorum moderandum arbitrio, exhibere. *c. si soli. 6. de conceſſ. præbend. in 6. ibi. si soli Ordinario pro te beneficiando, &c. & Gloſſ. V. Ordinarium* in Clement. 1. Ut lite pendente.

433 *Not.* 2. Collatores *Ordinarios* quædam beneficia conferre posse, potestate fundata *in jure communi*; quædam autem potestate fundata *in consuetudine*, vel *præscriptione.* Hinc quæstio est de Episcopis, an & quæ jure suo proprio, atque adeo tanquam Collatores Ordinarii, conferre possint? de hac quæstione agitur in jure communi pluribus locis. 1. c. *Conquerente* 16. de offic. Ordinarii ibi: decrevimus, *ut in Ecclesiis, seu Capellis tuæ diœceſſis*, ad Monasterium ipsum spectantibus, *habeas Canonicam obedientiam, subjectionem*, & *reverentiam*, *institutionem, & deſtitutionem*, *correctionem*, *& reformationem*, *ac censuras Ecclesiasticas*, *jurisdictionem quoque causarum omnium ad forum Ecclesiasticum de jure spectantium*, pœnitentias & Sacramentorum omnium, quæ ab Episcopo sunt recipienda, collationem, Synodum, & Synodatici, seu Cathedratici nomine duos solidos, quartam decimationem, & mortuariorum, visitationem quoque annuam, 2. in c. *Authoritate.* 3. de Instit. dicitur ubi *institutionem beneficiorum* spectare ad Episcopos, vel eorum officiales, c. cùm *ex injuncto.* 12. de hæret. ubi habetur, si necessitas postularet, ut Sacerdos tanquam inutilis & indignus à cura Gregis debeat removeri, *agendum est ordinatè apud Episcopum, ad cujus officium tam institutio, quàm deſtitutio Sacerdotum noscitur pertinere.*

434 Ex his communiter deducunt Authores, *spectato jure communi*, institutionem, & collationem dignitatum, Canonicatuum, Parochiarum, & aliorum beneficiorum in tota diœcesi ad Episcopum pertinere. Confirmari hoc potest. 1. ex 10. q. 1. c. *Regenda.* 4. ubi, Leo IV. ad Episcopos Britanniæ scribens, *Regenda*, inquit, *est unaquæque Parochia sub provisione, ac tuitione Episcopi per Sacerdotes, vel cæteros Clericos, quos ipse cum DEI timore providerit, cui jure pertinere videtur, & circumire, ut sibi necessarium visum fuerit Ecclesiasticâ utilitate cogente*; item 16. q. 17. c. *omnes* 10. ibi: *omnes Basilicæ*, quæ per diversa loca constructæ sunt, vel quotidie construuntur, *placuit secundùm priorum Canonum regulam, ut in ejus Episcopi potestate consistant, in cujus territorio positæ sunt*; ac eâdem causâ & quæstione c. *nullus* 11. ibi: nullus animarum curam, vel præbendas Ecclesiæ, *sine judicio, vel consensu Episcopi alicui tribuat:* imò, sicut Sanctis Canonibus constitutum est, animarum cura, & pecuniarum Ecclesiasticarum dispensatio in Episcopi judicio, & potestate permaneat. Si quis verò contra hoc facere, aut potestatem, quæ ad Episcopum pertinet, sibi vindicare præsumpserit, *ab Ecclesiæ liminibus arceatur*, ita Calixtus Papa. Quilibet igitur Episcopus fundatam in jure habet intentionem super institutione, & destitutione in providendis beneficiis suæ diœcesis, ita, ut si quis id sibi jure speciali competere velit, probare teneatur, nisi aliunde notorium sit.

Quod dictum est de Episcopis in ma- 435
teria potestatis providendi beneficiis suæ diœcesis, etiam intelligendum venit de aliis Prælatis Ecclesiasticis, sive Regularibus, sive Secularibus, *jurisdictionem quasi Episcopalem obtinentibus*, hoc est pleno jure exemptis ab Episcopo, etiam quoad populum, de quibus V. Azor. *p. 2. l. 6. c. 25.* Layman *l. 4. tr. 2. c. 10. n. 4.* & alii. Nam tota potestas Episcoporum, secundùm quod porrigitur, ad providendum beneficiis, fundatur in jurisdictione Episcopali; Ergo idem possunt habentes illi similem jurisdictionem; sic Abbas in c. *Lateranensi* 31. *h. t. n. 4.*

Circa prædicta *not.* etsi diximus col- 436
lationem beneficiorum suæ diœcesis (nisi constet, vel probetur aliud) pertinere ad Episcopum; hoc tamen non semper accipiendum *privative*, nimirum exclusis aliis. In multis enim provisionibus Episcopus id facere debet cum *consilio*, quandoque etiam cum *consensu* Capituli, quædam enim sunt, quorum provisio spectat ad Episcopum *privativè*, cùm aliis, ad Episcopum, & Capitulum *cumulativè*,

lativè, in quibusdam ad Capitulum solum: in aliis ad Prælatos alios, idque vel jure fundationis, vel statuto, consuetudine, præscriptione, Privilegio. Hinc.

437 *Not.* 2. si dignitas, Canonicatus, & præbendæ Canonicales fundatæ vel erectæ sint ex communibus bonis, & sint *electivæ*, jure communi jus conferendi esse cumulativè penes Episcopum & Capitulum; & hoc præsumi, quando carent Patrono; si autem sint *Patronatæ*, Episcopi est præsentatum instituere; sic Abbas in c. *cùm Ecclesia*, de Elect. *n.* 8. Observandum autem in casu, quo collatio beneficiorum *simul* spectat ad Episcopum, & Capitulum, Capitulum habere unam vocem *Capitularem*, & Episcopum alteram dimidiam sic, ut vox Episcopi tantum valeat, quantum vox totius Capituli, vel majoris partis.

Et quia collatio beneficii est actus jurisdictionis *voluntariæ*, fieri potest ab Episcopo, etiam cùm est extra diœcesim, vel territorium suum, sicut etiam admittere illorum resignationes; Piasecius in praxi Episcoporum *p.* 2. *c.* 5. *à* 3. *n.* 87. non autem, quando est in Curia Romana, ut docet praxis, & tenet Covarr. *l.* 3. *resolut. c.* 20. *n.* 9. Quamvis autem olim Episcopus confirmatus, ante consecrationem, & acceptam possessionem, potuerit conferre beneficia, ut tradit Azor *tit. c.* 25. *q.* 10. & 11. nisi alius adhuc fuisset in possessione: hodie autem promoti apud Sedem Apostolicam id non possunt, nisi post literas Apostolicas, eorum promotionem, confirmationem &c. continentes, expeditas, & ostensas Capitulo, per Extrav. 1. de Elect. inter communes.

Ex hoc deducitur, in casu, quo potestas providendi beneficiis cumulativè est penes Episcopum, & Capitulum, non valere provisionem discordante Capitulo, vel majori ejus parte ab Episcopo, licet aliqui pauciores sentiant cum Episcopo. Tali enim casu valor provisionis pendet *cumulativè* ab Episcopo, & Capitulo, consequenter adesse debet & consensus Episcopi, & consensus *Capitularis*, id, quod non contingit in discordia inter Episcopum, & Capitulum.

438 *Not.* 3. Eum, qui in possessione juris conferendi beneficia, id posse *durante solùm bonâ fide*, licet penes eum non sit proprietas. Nam possessor bonæ fidei fructus rei sic possessæ facit suos, ut pluribus ostendi in *Tract. Theol. de jure, & justit. q.* 4. *à n.* 194. Collatio autem, electio, præsentatio, &c. sunt fructus juris providendi per collationem, electionem, præsentationem, &c. ergo. Et quoniam collatione liberâ, acceptatâ, vel electione confirmatâ, & præsentatione, per institutionem approbatâ, jus *in* beneficio, seu *reale* acquiritur, esto deinde per alium proprietas obtineatur cum possessione, nihilominus provisio tenet, ut provisus removeri non possit, si facta sit ab eo, qui fuit in possessione juris providendi durante bonâ fide. Proprietas enim, esto clarè de illa constet, non absorbet causam possessionis relatè ad priora, quæ à possessore bonæ fidei acta, vel percepta sunt, sed relatè solùm ad futura.

Dixi *durante bonâ fide.* Nam si quis *malâ fide* possideat rem alienam, cui v. g. Jus Patronatus annexum est, & beneficio patronato vacante præsentet aliquem ad tale beneficium, præsentatio, imò & institutio talis præsentati, nulla est, ac irrita, sic enim perinde se habet, ac præsentatio *facta à non Patrono.* Certum autem est, Possessorem esse in mala fide, etiam si authoritate Judicis in possessione manu teneatur, quando & possidenti, & Judici *constat*, possessionem rei, ac jus insistendi, obtentum esse per falsam causam v. g. si allegavit, falsò, se super talire habere sibi à marito jus constitutum pro dote, & constet maritum fuisse merum Usufructuarium; vel habere sibi obligatam jure paraphernalium suorum, quæ viro attulit, ipso Judice sciente, quod nihil omnino habuerit, quod afferre potuisset, & maritus ultra dies vitæ (utpote merus Usufructarius) ea bona, quæ sciebat non sua, gravare non potuerit, alteri in illis constituendo securitatem.

Not. 4. Actus jurisdictionis spiritua- 439
lis, cujusmodi sunt provisiones beneficiorum Ecclesiasticorum (quo etiam reducitur institutio, & destitutio) seclusâ concessione, & gratiâ Ecclesiæ, nulli Laicorum competere posse, cujus ratio est ex c. *decernimus.* 2. *de Judic.* ubi dicitur, à Laicis

Laicis Ecclesiastica negotia (*maximè spiritualia*) tractari non debere, provisio autem beneficiorum est specialiter inter negotia Ecclesiastica, imò actus jurisdictionis spiritualis, ergo. Unde, quando ex speciali quandoque privilegio id Regibus & Principibus conceditur, potius intelligitur de *præsentatione* & *nominatione*, de quo maximè videri potest c. *Generali* 13. *h. t. in* 6. ubi plura damnantur in iis, quæ sibi Laici usurpant prætextu Guardiæ sive Custodiæ, *advocationis* sive defensionis Ecclesiarum.

440 *Not.* 5. Ad quæstionem, quid possint Episcopi & Prælati Papâ inferiores, in ordine ad constituendas *pensiones* in alieno beneficio, beneficiorum *uniones*, & aliorum illis onerum impositiones, resolvendum in seqq. Nec enim illorum arbitrio subest, novis Ecclesias exactionibus, aut oneribus ex libitu gravare, augendo taxam subsidii charitativi, cathedratici, quartæ funeralis &c. &c.

ARTICULUS VII.

De habilitate Recipientium beneficia Ecclesiastica.

441 UT quis *canonicè* recipiat beneficium Ecclesiasticum, plures conditiones necessariæ sunt, ex parte subjecti recipientis, nam in quantum comparatur ad dantem, omnino necessarium est, ut recipiat legitimè *à valente dare*, ut expositum est. Ubi enim nihil legitimè dari, nihil etiam dantem, vel recipientem à culpa. Prima igitur conditio in habilitate passiva, recipientis beneficium, est, quòd sit natus *ex legitimo thoro*, vel, si secùs, sit legitimatus vel à Papa; vel ab alio habente potestatem ad id Ecclesiasticam. c. *Innotuit* 10. *de Elect, c. fin. de fil. Presbyt. c.* 1. *eod. in* 6. V. Castropalaus *tr.* 13. *D.* 4. *à p.* 1. De quo egimus *lib. I. tit.* 17. Secunda est, quòd habeat *legitimam, & convenientem ætatem*, c. *super* 35. *de præb.* quæ autem sit ea ætas? exponitur *lib.* 1. *Decret.* De ætate & qualit. Ord. præfic. Tertia est, ut sit Clericus c. *cùm contingat. eod.* & quidem *in re*, non autem errore, aut solâ hominum existimatione. An autem debeat esse *Sacerdos actu*, vel sufficiat esse talem aptitudine, dictum est à n. 281. Quarta est, ut non habeat censuram Ecclesiasticam, nec sit personaliter interdictus; item ne sit criminosus, infamis infamia juris aut facti, de quibus *loc. cit.*

Movent aliqui quæstionem, an, & 442
quæ *intentio* requiratur in recipiente beneficium Ecclesiasticum? R. in recipiente beneficium simplex, vel etiam curatum, sufficere intentionem conditionatam *permanendi* in statu clericali, ut sacros Ordines suo tempore recipiendi, nimirum, nisi nova justa causa mutandi propositum supervenerit, ita Sanchez *l.* 7. *matr. D.* 43. *n.* 12. & alii. Intellige modò simul præstet onera, ad quæ jure beneficii tenetur, nullibi enim præscripta est intentio *absoluta* manendi in statu Clericali, licet quis obtineat aliquod beneficium, cùm Clericis, si nondum in sacris sint constituti, & habentes beneficia, liceat transire ad vitam Laicorum, imò & nuptias, modò dimittant beneficia prius obtenta. Si autem quæras, an qui beneficium non curatum, cui est annexa obligatio sacri Ordinis suscipiendi, accepit animo fruendi fructibus tantùm ad tempus, sed non recipiendi sacrum Ordinem intra tempus præscriptum, obligetur ad fructuum restitutionem? R. talem quidem peccare, cùm suscipiat obligationem animo illam non implendi, probabilius tamen non teneri ad restitutionem, quia hæc pœna iis tantùm, qui habent beneficia curata, jure positivo statuta est, ita Sanchez *cit. n.* 13. cum aliis, intellige, si satisfecit officio, propter quod est beneficium.

Hinc nullum omnino peccatum committeret Clericus, recipiens beneficium simplex, non habens obligationem suscipiendi sacrum Ordinem, nec exigens, ut Beneficiatus *per se ipsum* administret, si officium, quod exigitur, adimpleat, dum beneficium retinet, licet intendat nec sacrum Ordinem suscipere, nec in Clericatu permanere, ita Sanchez *n.* 17. quia talis contra nullam obligationem peccat 1. *non omittendo susceptionem Ordinis sacri*, quia, ut ponit casus, ex titulo illius beneficii nulla est ejus obligatio: *non carendo intentione perpetuò Clericandi*, vel etiam habendo intentionem contrariam; quia beneficium Ecclesiasticum id non exigit in quolibet Beneficiato, ut diximus num. præced. *non* denique *propter*

neglectum officium, quia contrarium supponitur in casu.

443 Quæstio altera est, an valeat consuetudo, vel statum non admittendi ad beneficia, vel Canonicatus alicujus Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, nisi illustres sanguine? R. de hoc agi in c. *Venerabilis* 37. *h. t.* Nam cùm Episcopus Portuensis fungens officio Legati Apostolici, præbendam in Ecclesia Argentinensi, cujus collatio erat ad Sedem Apostolicam devoluta, Clerico J. contulisset, eamque collationem à Pontifice confirmari peteret, Procurator autem Capituli Argentinensis allegaret consuetudinem antiquam, inviolabiliter observatam, juxta quam *nullum, nisi Nobilem, aut liberum. & ab utroque parente illustrem*, honestæ conversationis, ac eminentis scientiæ, in consortium suum admiserint, *Pontifex attendens, quod non generis, sed virtutum nobilitas, vitæque honestas gratum DEO faciant, & idoneum servitorem*, & quod ad culmina dignitatum, nedum ad præbandas *viri eminentis scientiæ* valeant reperiri, *exceptiones hujusmodi non duxit admittendas*, & Delegatis suis mandat, quatenus, si constiterit præbendam vacâsse, quando ipsam dicto G. contulit Episcopus memoratus, ipsum ad eam recipi faciant.

444 Ex hac decisione deducitur, invalidum esse statutum, vel consuetudinem, quâ *soli Nobiles*, exclusis ignobilibus, recipiantur in quibusdam Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, sic Rebuffus in *Tract. de Nominat. q.* 15. *n.* 3. Panormit. *in dict. c.* 37. *n.* 4. & complures alii. 1. Quia tale statutum, vel consuetudo contrariatur substantiæ institutionis talium præbendarum, & Canonicatuum, in quibus non generis, sed virtutum nobilitas attendi debet, ut nimirum iis gaudeant, non alii, nisi qui sint *idonei Ministri DEI*, quod sanè *nobilitas sine virtute* nullatenus præstat. 2. Quia tale statutum includit *acceptionem personarum*, ex causa prorsus impertinente ad finem, propter quem directè institutæ sunt ejusmodi præbendæ, qui est, *habere DEI Ministros fideles, sedulos, exemplares, divino cultui deditos*; 3. Quia Pontifex in dicto c. ejusmodi consuetudinem reprobat tanquam frivolam.

445 Dices: non posse reprobari consuetudinem & statuta Ecclesiarum, quæ ab immemoriali tempore, nullum nisi Nobilem admiserunt, præsertim, quando sic in ipsa fundatione constitutum fuit. R. Diuturnitate temporis non purgari, sed ingravescere vitium, præsertim pertinaciâ vix emendabilium sine graviori malo propter multitudinem peccantium, ut diximus supr. ex c. cùm non ignores 15. de præbend. Deinde vix ulla *fundatio* produci authenticè potest, quæ petat *solos Nobiles*, in quibus exigatur severius probatio Nobilitatis, quàm honestæ vitæ, & observantiæ mandatorum DEI, nam talis fundatio rationabilis non esset, & directè contra finem talium fundationum.

Nec obstat, quòd olim permissum fuerit Fundatoribus, ut ex illustri familia descendentibus eorum liberis, aut propinquis ejusmodi præbendæ conferrentur; nam ad hoc sapienter respondet Wagnereck in Exegesi ad dictum c. *Venerabilis*, §. *consuetudo autem*, approbans eam consuetudinem ex seqq. causis 1. quod ipsi Fundatores pro temporum illorum pietate ita liberos, nepotes, cognatos educarent in DEI timore, ut sponte conciperent desiderium vitæ religiosæ, & Spiritum perfectionis Christianæ, utque parentes gratularentur sibi, si possent illos divino servitio mancipare, ad hoc allicientes eosdem his ipsis fundationibus. Secundò, quia Nobilitas, antiquitus non contenta sanguine, sed inhians virtuti, properabat ad servitutem DEI in Monasteriis & Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, quæ tum pleræque erant Regulares, subeundam. Olim enim *sanctum esse*, erat *Nobilitatis consuetudo*, ut ostendunt tot Sancti, ex quibus plurimi splendore sanguinis, sed maximè virtutis, illustres erant; an autem non hodie posteritas à nobilitate *interna* degenerans, prætextu nobilitatis *externæ*, Ecclesias sibi *soli*, causâ planè dispari à mente Fundatorum, arroget? aliorum judicium esto.

Qualiter porrò Regulares beneficia 446
sæcularia, vel econtra Seculares regularia recipere valeant? præmisimus à n. 159. ubi etiam qualiter beneficium mutare possit *statum*, seu qualitatem, ut nimirum de regulari transeat in sæculare, vel econtra? vel quælibet beneficia conferri regularibus, esto regularia sint: &c. Similiter, quæ hoc loco quæri possunt de plura-

litate

litate beneficiorum in eodem subjecto? quid in hoc possit consuetudo? quæ beneficia incompatibilia sint? qualiter valet unum adeptâ possessione alterius? quis dispensset in pluralitate beneficiorum? &c. dicta sunt à n. jam citato, nimirum 159.

ARTICULUS VIII.

De literis beneficialibus.

447 CUm olim ex Episcopis nonnulli abusi notabiliter essent potestate providendi beneficiis, ea *conferendo indignis*, repellendo perquam idoneus Ecclesiarum ministerio, & vocando homines ex titulo sanguinis, affectionis &c. magno Ecclesiarum dispendio, &c. &c. Summi Pontifices plurium beneficiorum provisionem sibi reservarunt, vel locorum Ordinariis præceperunt, ac mandarunt pro suprema sua potestate (quam habent in Ecclesia) per diplomata, seu literas, ut beneficia vacantia, vel vacatura in ipsorum Ecclesiis, conferantur Clericis ab ipsis Summis Pontificibus nominatis. Hæ literæ, in ejusmodi materia, vocantur *gratiæ exspectativæ*, seu *mandatum Apostolicum*, quo intelligitur *omne rescriptum quo Summus Pontifex jubet beneficium alicui conferri*, sic Staphileus tract. de gratiis exspectativis, ipsarum novem, aut decem formulas numerans, de quibus Azor *p. 2. lib. 6. c. 32. q. 5.* quibus præmissis.

§. 1.

Quotuplex sit Mandatum Apostolicum.

448 CUm tam in hac, quàm seqq. quæstionibus frequens occurrat mentio de variis Ecclesiis, & literis, seu mandatis, & aliis modis mandandi, pro eorum intelligentia brevem eorum terminorum notitiam esse præmittendam duximus, ex P. Benedicto Pereyra in Elucidario sermonis Theologici, ac juridici, *lib. 2. Elucidat. 79. Sect. 4.* de beneficiis. Quare *not. 1.* inter Ecclesias esse differentiam in dignitate, & juribus, ex eo nascentibus, quòd una sit *Matrix* relatè ad alias; una *Metropolitana*, *Collegiata*, *Conventualis*, *Curata*, *baptismalis*, *&c. &c. Ecclesia Matrix*, juxta *Gloss. in Clem. 5. de sent. ex com.* illa propriè vocatur, quæ est major baptismalis, aliarum quodammodò Mater; ideo enim *Matrix* dicitur, quia in ea per baptismum renascimur. Unde c. *audientiam* 1. de ædif. Eccles. dicitur *ea, quæ habet alias Ecclesias sibi subjectas:* in c. *venerabilis* de verb. signif. sumitur pro Ecclesia Cathedrali. Et quidem Matrix Ecclesia est, quæ in loco baptismalis, primaria, & principalis est, ita Azor *tom. 2. l. 3. c. 12. q. 13.* & *lib. 9. c. 3. in fine. Ecclesia Viduata* in jure dicitur illa, quæ vacat morte Pastoris. Sic sumitur in c. *ne pro defectu* de Elect. Ubi æquiparantur Ecclesia Cathedralis, & Regularis, statuiturque ut ultra tres menses prælato non vacet. Notat verò ad hunc locum Sylvester V. *Electio 2. n. 3.* vocem *viduata* in stricta significatione capi pro Ecclesia, *destituta sponso*, qualis est sola destituta Episcopo: Nam solus Episcopus vocatur *Sponsus*, at in citato loco sumi minus strictè, utpote in materia favorabili. *Baptismalis* est, in qua est fons aquæ sacratæ ad baptismum, etsi aliquando Parochialis non sit: *Collegiata*, vocatur illa, in qua est Collegium Clericorum, & neque Cathedralis, neque Regularis est. *Collegiatam esse*, deprehendetur est institutione, & si ex hac non constet, talis censebitur, si habeat arcam communem, ac possit constituere Actorem, sive Syndicum, per quem juret, lites moveat, & tractet. *Conventualis* est, quæ habet Conventum Clericorum, estque indifferens ad secularem & regularem, proindeque latius patet quàm Collegiata; *Cathedralis* dicitur à Cathedra & est in qua Episcopus præsidet; *Metropolitana* est, quæ habet Archi-Episcopum; sicut *Primatialis*, quæ Primatem, & *Patriarchalis*, quæ Patriarcham.

Not. 2. Ex his, quæ Clerici percipiunt de proventibus bonorum Ecclesiæ, vel fundationum, aut occasione muneris, seu officii sui Ecclesiastici, varias quoque illarum perceptionum esse denominationes. Quædam enim vocantur reditus beneficii, aliæ, pensiones, portiones, obventiones, distributiones quotidianæ, præstimonia, &c. Quid porrò sint *præstimonia*? constat ex n. 255. quid *portiones?* à n. 262. quid portio integra, vel dimidia? ibid. à n. 262. quid *Ecclesiæ commendata?* à n. 269. 449

Pensio apud Lessium *lib. 2. cap. 34.* 450

n. 201. sic definitur: est *jus percipiendi fructus ex alieno beneficio.* Dicitur (*ex alieno*) quia nemo dicitur ex suo beneficio habere pensionem, sicut nec usumfructum ex bonis propriis; apud Azorium *p.* 2. *lib.* 8. *c.* 5. *q.* 1. sic definitur: *est certa portio, ex aliquo beneficio Ecclesiastico, justa de causa ad tempus detracta, & separata.* Per particulam (*ad tempus*) distinguitur à portione, quam habent Portionarii, de quibus egimus proximè n. 262. Nam hujusmodi portio est perpetua, &, cùm aliunde sit propter Officium spirituale, nec habeat curam animarum, nec jurisdictionem, nec dignitatem, est verè beneficium simplex. *Pensio* triplex est, temporalis, spiritualis & media. *Temporalis*, alio nomine *Laica* est, quæ datur propter aliquod ministerium temporale, v. g. Viro illustri, ut Ecclesiam defendat, Oeconomo, ut negotia Ecclesiæ agat, vel cuilibet ob operam Ecclesiæ navatam, vel navandam. *Spiritualis* est, quæ fundatur in titulo merè spirituali, & datur v. g. Concionatori, vel Adjutori Episcopi, aut Parochi. *Media* est, quæ fundatur in solo statu spirituali, non tamen in Officio spirituali præstando, & datur v. g. Clerico pauperi, vel Parocho seni, ut se sustentet, item, quæ datur causa resignationis, vel litis componendæ: tam spiritualis, quàm media pensio, *Ecclesiastica* dicitur. *Pensionarius*, ut sumitur ex Lessio *de benef. n.* 208. est ille, cui solvitur pensio, sicut Donatarius ille, cui sit donatio.

451 *Distributiones quotidianæ*, de quibus fit mentio c. *licet*, de præbend. & vocantur *Manualia beneficia* c. *olim* de verb. signif. item *victualia* c. *de cætero*, de Cleric. non resident. Sunt portiones, quæ debentur quotidie Clericis beneficiariis, eo quòd statis horis intersint Officiis divinis. Unde nomen habent ex eo, quòd pro certarum horarum varietate in singulos quotidie distribuantur, ita, ut qui *Missæ* interest certam sibi fructuum portionem vendicet, qui *matutinis*, aliam certam, & sic de reliquis. *Distributionum* appellatione absolutè veniunt *anniversaria defunctorum*, ut tenet Monet. tract. de distrib. *p.* 1. *q.* 3. *n.* 12. Secùs distributionum *quotidianarum* appellatione, ut docet Tuschus *tom.* 2. *lit. D. Concl.* 511. *n.* 2. quidquid in oppositum dicant multi apud Barbosam *appel.* 75. *n.* 2. Quotuplices sint hujusmodi distributiones, latè explicat Azor *p.* 2. *l.* 7. *q.* 3. *Obventiones*, & *reditus* pro eodem videtur sumpsisse Ulpian. *L.* 1. *ff.* de exercit. quamvis Accursius §. *exercitorem*, distinguat, asserens, *reditus* certiores esse; *obventiones*, plerumque contingere.

Obventiones juxta Rebuff. in L. *frugem.* 452
verſ. *obvenientes etiam*, ff. de verb. signif. dicuntur fructus ex re venientes, cujuscunque sint emolumenti. Cæterùm hic *obventionem* appellatione continentur oblationes, & personales decimæ, quæ dantur diebus, quibus accedunt Beneficiati ad Ecclesiam, & ex mortuariis, & similibus; ita *Gloss. c. ad audientiam* 2. verb. *obventiones*, de Eccles. ædific. ubi Abb. *n.* 15. *Obventionum beneficii*, seu præbendæ appellatione non veniunt distributiones quotidianæ, ita sic Gigascons. 144. *n.* 18. & Moneta *tr. de distrib. p.* 1. *q.* 7. *n.* 11. Denique *redituum beneficii* appellatione non veniunt propriè distributiones quotidianæ juxta Monet *cit. p.* 1. *q.* 8. *n.* 7. quamvis hic *q.* 7. *n.* 5. & 6. fateatur, eas dici posse reditus Ecclesiæ, seu Ecclesiasticos. Addit *p.* 2. *q.* 14. *n.* 22. *redituum*, & *valoris* beneficii appellatione, neque mortuaria, neque anniversaria contineri.

Not. 3. circa ipsa quoque beneficia 453
venire diversas appellationes provisionum, dispositionum, vel aliorum accidentium in his intervenientium, &c. Unde quæstio est, quid in beneficiis denotet exspectativa, alternativa, subrogatio, conjunctio, devolutio, intrusio, retrotractio, pacifica possessio, residentia, revalidatio tituli, & his similia? Quid porò sit *residentia?* constat à *n.* 85. quid *possessio pacifica? à n.* 320. & 325. quid *exspectativa? à n.* 463. *Alternatio* est, vices successio juxta latinos, à Juristis usurpatur pro disjunctione, cùm dicitur, *illud, aut illud* L. 7. §. *quod autem.* ff. de injur. Hinc *alternativa* est conjunctio *alternativè* significans, scilicet, quando significat, alterum de conjunctis esse. In beneficiis alternativa, dicitur potestas à Summo Pontifice Episcopis ita communicata, ut Episcopi alternis mensibus unà cum ipso Summo Pontifice jus habeant conferendi beneficia vacantia. Papæ

enim

enim sunt menses sex, *Januarius*, *Martius*, *Majus*, *Julius*, *September*, *November*, Episcoporum alii sex, *Februarius*, *Aprilis*, *Junius*, *Augustus*, *Octobr*, *December*; Unde Azor *cit. c.* 34. *q.* 11.

454 *Subrogatio* apud Juristas L. *proponebatur* ff. de judiciis est, quâ quis in locum alterius sufficitur. Apud Canonistas c. 1. ut lite pendente in 6. *Subrogationis rescriptum est* quo Pontifex mandat aliquem in locum alterius de certo beneficio litigantis substitui. Subrogatio hæc fit duobus modis. Aut enim Pontifex præcipit Ordinario, ut aliquem subroget in omne jus, & locum alterius vita functi, aut causâ extinguendi lites citius ipse subrogat, quia vel alter litigantium vita cessit, vel matrimonium iniit, vel Religionem professus est, vel se suo jure abdicavit, vel ob crimen beneficio dejectus est.

455 *Conjunctio*, seu unio in beneficiis, ut habetur c. *sicut unitur*, *de excess. Prælat.* datur, cùm duæ Ecclesiæ, vel beneficia legitimâ Superioris authoritate connectuntur in perpetuum, vel ad tempus, ob Ecclesiarum necessitatem, vel utilitatem, Hoc fit tripliciter, 1. quando ita confunduntur, ut in unum, & in idem corpus coalescant, 2. quando manent separatæ, ita tamen ut Ecclesia inferior, principali subjiciatur: 3. quando manent separatæ & neutra alteri subjicitur, sed utrique unus Minister præficitur. Est autem discrimen inter *conferre* & *conjungere*, quia beneficium non confertur, *nisi vacans*, at conjungitur etiam, *cùm non vacat*, de hoc dicemus in seqq.

456 *Devolutio* juxta Rebuff. *in praxi benef.* tunc datur, quando beneficium, intra certum temporis spatium, jure definitum, non conceditur, & propterea ad aliquem jus conferendi transfertur, seu devolvitur: & sic *jus devolutum* dicitur. Cùm enim sæpe contingat, ut, qui habent jus creandi Ecclesiæ Ministros, se negligenter gerant, Pontifices certum tempus præfixerunt, intra quod, si Ecclesiæ vacanti consultum non fuerit statim, id jus, *tanquam caducum*, ad Superiores Prælatos devolvatur.

Intrusio derivatur à verbo *intrudere*,
457 quod significat quasi vi quandam *intro trudere*: & juxta Lessium *lib.* 2. *c.* 34. *n.* 123. & 124. datur, cùm quis, sciens, absque Canonico titulo beneficium accipit, aut retinet: vel, cùm quis accipit, aut retinet beneficium, sciens nullum jus, saltem perfectum, sibi in eo competere. Hoc autem multipliciter accidit 1. cùm quis non Superioris, sed suâ, vel parentum Authoritate occupat beneficium. Tunc autem ipso facto privatur omni jure, quod per electionem habebat. 2. Cùm is, contra quem est lata sententia depositionis, à qua non est appellatum, retinet, beneficii possessionem. 3. Cùm quis est confirmatus, sed illâ confirmatione cassatâ per Superiorem, retinet administrationem: vel cùm præsentatus ingerit se administratione ante institutionem. Tunc tamen solùm videtur privandus per sententiam; 4. Cùm quis accipit titulum, & possessionem, à non habente potestatem. 5. Cùm quis accipit beneficium, quo alter injustè, & præter ordinem juris, est privatus. 6. Cùm quis vi occupat possessionem beneficii. Hic perdit omne jus, quod per electionem, præsentationem, & collationem beneficii, habebat. Si autem veram collationem habeat, potius dicitur *violentus*, quàm *intrusus*. 7. Cùm quis sine Canonico titulo, v. g. in excommunicatione, *scienter* accipit collationem, & possessionem. 8. Cùm quis electioni per abusum Laicorum de se factæ consentit. Et tunc fit inhabilis ad idem, & reliqua omnia beneficia. Hic tamen (ut notat Lessius *cit.*) non dicitur propriè intrusus, quia nondum beneficium occupat.

Retrotractio alicujus inhabilitatis, aut pœnæ, datur, quando inhabilitas, aut pœna, quæ in eventum futurum suspensa erat, eo dato, ad initium recurrit. Quomodo locum habeat in beneficiis per Simoniam obtentis, explicat Lessius *lib.* 2. *c.* 35. *dub.* 27. *n.* 153. de hac retrotractione egimus in libr. 4. ubi egimus de dispensatione Summi Pontificis, in radice matrimonii, quibus positis.

Not. 4. Quòd, quamvis aliqui (ut 458
videri potest apud Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 32. *à q.* 5.) novem, vel decem formulas numerent, quæ obtinent in gratiis exspectativis, seu literis, & mandatis de alicui providendo in beneficio, tres tamen communiter species literarum Apostolicarum in hac materia assignentur, nimirum *monitoriæ*, *præceptoriæ*, ac *executoriæ*. Inter has ipsas lite-

literas, seu mandata Papalia in materia beneficiorum de providendo, quædam sunt, quæ, quia dignum & justum est, ut Clericis pauperibus de beneficio provideatur, vocatur *rescripta justitiæ*, ac expediuntur in *forma pauperum*; non, quòd ex justitia debeantur; sed quod justum, ac conveniens sit, pauperes juvari: quædam *gratiæ*, quæ, secluso paupertatis titulo, & hæc communiter expediuntur in *forma gratiosa*, supponuntque Clericum dignum gratiâ; nam, si expediantur in forma *dignum*, petunt *esse dignum inveniri* post diligens examen: aliæ quandoque habent clausulam: *Si alteri*, *si neutri*, *si nulli*, vel, *si rationi congruit*; pro quorum intelligentia.

459 *Not.* 5. Rescriptum *si alteri*, esse, quando super aliquod beneficium litigas cum altero, & mentione litis factâ impetras à Pontifice, ut tibi beneficium conferatur: tale Rescriptum, (quia clausulam & conditionem habet, *si alteri jus in benificio quæsitum non fuerit*) vocatur Rescriptum, *si alteri*, Rescriptum *si neutri*, est, cùm duo sunt litigantes, & tertius impetrat à Pontifice, ut sibi beneficium conferatur eâ conditione, *si neutri litiganti* jus quæsitum fuerit. Rescriptum verò *si nulli* est, cùm plures litigant, tu verò impetras à Pontifice beneficium, *si nulli eorum jus in beneficio competat*. Rescriptum si *rationi congruit*, sic dictum, quòd illa verba sint *illius initium*, & contingit, cùm supponitur Prædecessorem gratiam concessisse, per scripturam tantùm ab ipso signatam, vel saltem per verbum *fiat*, neque illam gratiam extinctam non tamen per literas expeditam esse, Successor verò, cognoscens testium probatione hanc gratiam esse factam, literas expedit hoc tenore: *Rationi congruit & convenit honestati, ut ea, quæ de Romani Pontificis gratia* sic Rebuffus *prax. benefic. part. II. tit.* de gratia, *rationi congruit*. Azor. 2. *part. lib.* 7. *c.* 31. *q.* 7.

460 *Not.* 6. Quòd Rescriptum (*si alteri*, *si neutri*, *si nulli*) supponat litem super beneficio, & factam litis mentionem in libello, seu supplicatione Oratoris, ut validè impetretur, nec effectum operetur, aut sortiri possit quousque lis finita fuerit, & declaratum jus in beneficio, vel ad beneficium non competere *alteri*, *neutri*, vel *nulli*. Nam durante hoc jure sive *in* beneficio, sive *ad* beneficium rescripta, impetrantibus non prosunt. Quia Pontifex non intendit juri quæsito derogare, & beneficia cum aliorum damno providere, juxta *reg. Cancell.* 16. *de non tollendo jus alteri quæsitum*, sic Rebuff. *in praxi benefic. q.* 1. *tit. de rescriptis*, *si neutri* &c. *n.* 20. Ut autem obtineatur Rescriptum *rationi congruit*, in libello exprimenda sunt omnia, quæ in prima concessione necessariò erant exprimenda, cùm sit Rescriptum, quod Authoritatem præbet Concessioni primæ, nondum perfectè, ut notat Azor *p.* 1. *l.* 7. *c.* 31. *q.* 11.

Not. 7. præter prædictas rescripto- 461
rum species, alia esse, quæ dicuntur *nova provisio*; alia, quæ *simplex*: alia denique, *perinde valere*. Rescriptum, quod dicitur *nova provisio*, contingit, cùm Pontifex provisionem ab inferiore factam confirmat, propterea, quòd provisus aliqualiter ambigat, an prima provisio effectum habeat? ignoret tamen nullitatis provisionem, & hoc ipsum in libello exprimit; *simplex*, provisio est, quæ nullam aliam validam provisionem supponit, solumque relatione factâ beneficii vacantis conceditur: Sic Rebuff. & Azor. supr. Demum rescriptum *perinde valere* est, quando vi, seu virtute ejus, concedit Pontifex, ut rescriptum prius à se concessum, quod ex aliquo capite nullum fuit, vires obtinet, & perinde valeat, ac si à principio validè expeditum fuisset, nullusque in illius impetratione defectus commissus.

Not. 8. virtute rescripti *novæ provi-* 462
sionis legitimè impetrati haberi hunc effectum, ut, si successu temporis prima inferioris provisio nulla esse declaretur, non obinde nova provisio à Pontifice facta pereat, quia est æque principalis, ac prima quoad subsistentiam, esto quoad concessionem accessoria esse videatur, ubi tamen adverte, hoc non facilè concedi, nisi tribus casibus, 1. in electione Monialium, 2. in unione beneficiorum, 3. in provisione, seu unione præceptoriarum S. Joannes Hierosolymit. & allarum Sacrarum militiarum, de quo V. Rebuffum in praxi beneficit. *p.* 1. *de nova provisione à n.* 1. Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 31. *q.* 7. ad obtinendum autem rescriptum *perinde valere*,

valere, opus est exprimi omnia, propter quæ prius rescripsum non valuit; uti & illud, si novum aliud impedimentum accessit, puta, si, *conscius prioris nullitatis*, fructus beneficii percepit, & consumpsit; sic Azor cit. *q.* 5. his præmissis.

§. 2.

Quæ beneficiorum conditiones exprimendæ sint pro mandatis Apostolicis obtinendis?

463 HOc pertinet ad Oratores, qui Papæ pro beneficiis obtinendis supplicant; de his porrò multa jam diximus *lib.* 1. *tit.* 3. de Rescriptis: est autem hujus quæstionis notitia perneccssaria, non tantùm ipsis Oratoribus, ne rescripta, quæ obtinent, obreptione, vel subreptione vitientur; Sed etiam mandatorum ejusmodi Executoribus, qui ut munere suo rectè fungantur, explorare tenentur, num in supplicatione tenentur, num in supplicatione Oratorum ea expressa sint, de jure debent. Sunt autem aliqua, quæ se tenent ex parte impetrantis; quædam ex parte beneficii: alia, ex parte juris alteri competentis in beneficio, pro quo supplicatur. Quia verò habilitas subjecti præsupponitur, & de illa jam dictum est. Unde supra, eâ hic prætermissâ.

464 Quæres 1. an impetrans rescriptum Apostolicum pro beneficio, debeat in supplicatione exprimere, quòd jam habeat aliquod beneficium? 2. an saltem pensionem Ecclesiasticam? 3. an dignitatem habitam? 4. an beneficii qualitatem? 5. an quòd pluries sit dispensatus? 6. an, quòd in tali beneficio habeat pensionem laicam, vel præstimonium? 7. an quod habeat patrimonium? 8. an quòd beneficium sit Curatum? patronatum? electivum? Collativum? Cathedrale? 9. an petens residentiam? 10. an seculare, vel regulare? monoculum? affectum, reservatum? &c. &c.

465 Ad 1. R. Beneficiorum, si quæ Orator jam habeat, mentionem esse de necessitate faciendam; si ad instantiam Oratoris emanet mandatum providendi, constat ex *dict. l.* 1. *tit.* 3. quòd verum est, licet tale beneficium sit modicum, ut constat ex c. *penult.* de Rescript. & c. *si motu* 23. h. t. in 6. excipe, nisi Pontifex *motu proprio* mandet alicui provideri de beneficio; tunc enim non exigitur expressio, quòd jam prius Orator habeat aliud beneficium; ut apertè habetur in cit. *c. si motu.* Ratio autem primi est, ut ambitionis via præcludatur, & ne aliis, vel Ecclesiæ sequatur præjudicium, si plura beneficia uni conferantur.

Si dicas, in c. *cùm teneamur.* 6. h. t. 466
solùm dicitur, mandatum non esse exegendum, si omissa sit mentio; quòd Orator jam habeat beneficium *sufficiens congruæ sustentationi*, & in c. *Is, cui* 19. eod. in 6. præcipitur, ut fiat mentio, *ad vitam*, ergo, ubi beneficium *non sufficit ad vitam congruè sustentandam*, non requiritur ejus mentio. R. N. conseq. solùm enim sequitur in illis textibus hoc non præcipi; non autem in aliis. Unde non est locus argumento per sensum contrarium, cùm pro mentione facienda etiam modici beneficii extent alia jura apertè contraria, ut ostensum est, præter quam, quòd nec in illis juribus negetur facienda mentio beneficii non sufficientis ad vitam.

Responsio data *n.* 465. procedit et- 467
iam 1. in casu, quo quis beneficio spoliatus esset; per hoc enim non amisit titulum; sicut nec, si renuntiasset, sed renuntiatione nondum admissâ, nam c. *si proponente* 42. de Rescript. exigens mentionem beneficii habiti, loquitur indefinitè de quolibet beneficio habito *in titulum* ibi: si proponente aliquo, nondum se beneficium Ecclesiasticum assecutum, super provisione ipsius (*licet minus competens obtinentis*) rescriptum Apostolicum *de hoc mentionem non faciens*, impetretur, *illud veluti fraudulentè obtentum dicimus non valere.* Procedit 2. ut etiam fiat mentio *juris*, quod quis habet ad beneficium, v. g. per præsentationem, vel electionem nondum acceptatum, ut colligitur ex c. *ad audientiam* 31. de Rescript. ubi cassantur literæ impetratæ ab habentibus alias super provisione, præcipientes eis annuas pensiones, seu alia beneficia, ab eorum impetitione desistant, renuntiantes beneficio literarum, *si de hoc in impetratione aliarum non fiat mentio*, id, quod etiam habetur c. *in nostra* 32. eod.

Ad 2. affirmativè respondet Meno- 468

chius de Arbitrar. *l.* 2. *casu* 201. *n.* 51. quia succedit loco beneficii, sed negativè dicendum, si propriè beneficium non sit, cùm obligationes ultra verborum proprietatem extendi non debeant, sic Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 12. *q.* 14. & alii. Ad 3. &. affirmativè *de dignitate beneficii*, ut expresè dicitur c. *ad Aures* 8. de Rescript. & quidem non in genere; Sed expresso *dignitatis* nomine, ut tradunt Doctores communiter in dict. c. *In nostra*, & licet in c. *ad aures*, solùm sermo sit de casu, quo habens *dignitatem* petit impetrare beneficia *minora*; idem tamen esse dicendum, si *ad majora*, constat ex juribus *supr. cit.* si quis etiam impetrare velit majora.

469 Ad 4. &. affirmativè, quòd aliàs deficiat consensus rescribentis. Nam mandata Apostolica de providendo intelliguntur solùm de beneficio *simplicia*, nisi aliud exprimatur. Ratio hujus est 1. ex c. *Cùm in illis* 16. *de præbend. in* 6. ibi: Cùm in illis, quibus beneficia, curam animarum habentia, committuntur, *major, quàm in iis, qui ad alia promoventur, idoneitas requiratur: intentionis nostræ nequaquam exiſtit*, ut, cùm aliquibus de Ecclesiis, Personatibus, dignitatibus, vel aliis beneficiis *quibuscunque* (*de animarum curamentione non habita*) provideri mandamus ipsis, *de iis, quibus hujusmodi cura imminet, possit aut debeat provideri.*

470 Nam ex hoc textu apertè colligitur. 1. Quòd, si qualitas beneficii *curati* ab Oratore in supplicatione taceatur, impetratio sit ipso jure nulla, ut patet ex textu, ibi: *non est intentionis nostræ*, sic enim deficit consensus, à quo substantialiter pendet impetratio, ita Nicolaus Garcia *de benefic. p.* 1. *c.* 6. *n.* 49.

Colliges 2. quòd mandatum providendi alicui de dignitate, Personatu, vel aliis beneficiis Ecclesiasticis, *non factâmentione Curæ*, non comprehendat beneficia *curata*, idque propter defectum intentionis in mandante (ut constat ex præced.) sine quo non tenet provisio. Et quamvis Barbosa *in dict. c. Cùm in illis n.* 3. referat, aliquos censere, *de cura beneficio annexa* non esse faciendam mentionem; ratio tamen, qua nititur Papæ decisio, *quòd major idoneitas exigatur in his*, qui providentur, ubi beneficium est *curatum*, necessariò etiam concludit in casu *curæ annexæ*, per ejusmodi beneficiatum exercendæ.

Præter hæc *not.* 1. quòd in mandato 471
providendi non includatur *modus electionis*, si expressi sint alii modi providendi, prout habetur in *dict. c. cùm in illis.* §. *illis verò*, illis verò, pro quibus scribimus, ut provideatur eisdem de Personatibus, vel dignitatibus, etiamsi curam habeant animarum, ad collationem, provisionem, præsentationem, vel dispositionem spectantibus quorumcunque, provideri nequibit de Prælaturis, Personatibus, vel dignitatibus, *ad quos, seu quas per electionem ii*, qui eis habent præfici, assumuntur.

Not. 2. Quòd beneficiales literæ *unum* 472
modum providendi exprimentes, non concludant alios, per dict. c. *cùm in illis.* §. *Cùm autem* ibi: Cùm autem inter *collationem, præsentationem*, & *institutionem* differentia magna esse noscatur: si cui de beneficio *ad alicujus collationem spectante* provideri mandetur, *de alio, quod ad ejus præsentationem, vel institutionem pertinet, provideri non poterit*; nec etiam è converso: *expresso enim uno casuum prædictorum, mandatum super hoc factum* (*quod debet de sui natura restringi*) *ad alios extendi non debet.*

Not. 3. Quòd mandatum simpliciter 473
providendi, *duos* includens, non adstringat *alterum solùm*, & vicissim, etsi directum sit *ad unum*, non afficiat *duos*, per *cit c.* §. *si verò*, ibi: si verò de beneficio *ad aliquorum collationem, & præsentationem spectante* (non adjecto *communiter*, vel *divisim*) provisio injungitur facienda in beneficio, *quod ad collationem*, vel *præsentationem alterius ipsorum tantùm pertinet, adimpleri non potest.* Sicuti, si de beneficio spectante ad collationem unius provisio injuncta fuisset, impleri non posset in beneficio, cujus collatio ad eum *simul cum alio* pertineret.

Ex his juribus deducitur, quando 474
Pontifex mandat alicui provideri de beneficio *collativo*, seu per collationem, in mandato illo non comprehendi beneficium *electivum*, seu quod provideri debet per electionem, ratio est ex *n.* 471. Ex quo habetur, quando beneficium, pro quo impetrando supplicatur, est *electivum*, hujus qualitatis mentionem esse faciendam

faciendam, secus irritam fore impetrationem, defectu intentionis in Mandante, sic Garcia cit. *p.* 1. *c.* 6. *n.* 47. & alii communiter.

475 Deducitur 2. non valere impetrationem beneficii, quod spectat ad alicujus *præsentationem*, & *institutionem*, si mandatum dicat Oratori providendum per beneficii *collationem*. Nam isti modi providendi diversi sunt, & unus non includit alterum, ut constat ex textu in *n.* 472. Hinc in impetratione beneficii *patronati*, hæc qualitas exprimenda est, ne irrita cœteroquin sit impetratio defectu intentionis in Mandante. Nam nomine *collationis* non venit *institutio*, *vel confirmatio*, id, quod etiam tradit Gonzalez ad 8. *regul. Cancell. Gloss.* 16. *n.* 10.

476 Deducitur 3. mandatum providendi de beneficio, cujus provisio pertinet *ad plures*, non extendi ad collationem, beneficii, cujus collatio est *tantùm alterius*, nec quando mandatque provideri de beneficio, cujus collatio pertinet *ad unum*, comprehendi beneficium, cujus collatio pertinet *ad plures*, per textum in *n.* 473.

Cùm autem in *§. si verò* dicatur, si de beneficio spectante ad collationem unius provisio injuncta fuisset, *impleri non posse in beneficio*, cujus collatio ad unum simul cum alio pertineret, in casu autem quo pertineret ad collationem aliquorum, & non fit mentio in mandato, *communiter*, vel *divisim*, similiter impleri non posse mandatum, quando collatio pertinet ad collationem alterius tantùm, movetur quæstio, an hoc procedat, quando mandatum habet mentionem *divisim*, sic, ut quando collatio pertinet *ad hunc vel illum divisim*, seu sub disjunctione, quilibet eorum censeatur mandato gravatus? pro hac quæstione V. Barbosa in dict. *c. cùm in illis n.* 18. ubi videtur tenere affirmativam, quia tunc censetur Papa gravare utrumque in solidum sic, ut nisi unus duorum provideat, exequatur alter, etsi neuter vellet, teneatur uterque.

477 Ad 5. Bz. Affirmativè, sed solùm tunc, quando dispensationes subsequentes *connexæ sunt* cum præcedentibus, ac ad eundem finem ordinatæ, ut alibi diximus. Ad 6. Bz. mentionem *patrimonii*, tunc solum requiri, quando quis *ejus titulo est ordinatus*, & impetrare vult beneficium *titulo paupertatis*; nam hic titulus cessat existente illo; id, quod etiam tenendum in habente pensionem laicam, seu præstimonium ad dies vitæ, nam & hoc casu cessat titulus paupertatis; quare, si hæc tantùm temporalia sint, eorum mentio non exigitur, ex quo etiam constat ad 7. & ad 8. Et quoniam etiam supplicatio pro beneficio Ecclesiæ *Cathedralis*, arguit ambitionem supplicantis, omissa ejus mentio pariter vitiat impetrationem per Menochium ex c. *Quamvis* 4. *de præbend. in* 6.

Nam de his sic loquitur Bonifacius VIII. *quamvis plenissima sit aliàs in beneficiis interpretatio facienda*, literæ tamen super obtinendis beneficiis impetratæ, debent (*cùm sint ambitiosæ*) restringi. Et ideo si alicui usque *ad certam summam* provideri mandamus, ei non *in pensione*, sed *in beneficiis Ecclesiasticis* tantùm, volumus provideri: nisi de petitione in nostris literis mentio habeatur expressa. Quanquam sub nomine *Ecclesiarum civitatis* comprehendatur *aliàs* Ecclesia *Cathedralis*: cùm tamen alicui de beneficio mandamus in *aliqua Ecclesiarum civitatis vel diœcesis* provideri, *ad Cathedralem Ecclesiam* (quam propter ipsius honorem sub hac generalitate nolumus hoc casu includi) *se mandatum hujusmodi non extendit*. Secùs autem, cùm mandamus in aliqua Ecclesiarum *Provinciæ* provideri, tunc enim & Metropolitana & cœteræ Cathedrales Ecclesiæ includuntur sub tali mandato, cùm uberiorem hoc casu, quàm alio, impetranti gratiam facere videamur.

Multa complectitur hæc Pontificia re- 478
sponsio, ad rem autem præsentem facit, quòd expressè in ea dicatur in mandato de providendo alicui in aliqua Ecclesiarum *diœcesis*, vel *civitatis* non contineatur *beneficium Ecclesiæ Cathedralis*, secùs in mandato providendi in aliqua Ecclesiarum *Provinciæ*, id, quod apertè habet textus præced. num.

Habetur præterea *mandatum providendi*, seu literas pro beneficiis obtinendis impetratas, esse interpretationis strictæ ex relato textu ibi! *debent* (*cùm sint ambitiosæ*) *restringi*; quod etiam constat ex c. *cùm in illis*. §. *cùm autem*, de quo *n.*

472. ibi: *quod debet de sui natura restringi*; quamvis aliàs in beneficiis (extra casum talis mandati) plenissima sit interpretatio facienda.

Habetur 2. quando mandatur alicui provideri *usque ad certam Summam*, provisionem esse faciendam *in beneficio*, non *impensione*, per clarum in *n.* 477. id, quod etiam dicit glossa ibid. V. *in pensione*. Ratio sumitur ex præced. num. quia in literis de providendo fieri debet restricta interpretatio; at hoc non fieret, si expressio *certæ quantitatis* sumeretur pro *pensione*; sic enim gravaretur *alienum beneficium*, quod non contingit dando illi beneficium duntaxat in valore tantæ quantitatis expressæ.

479 Ad 9. R. affirmativè, quia cùm ex consuetudine jam recepta beneficium simplex liberum sit à Residentia, ut tradit Castropalaus *tom.* 2. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 31. *n.* 14. consensus rescribentis ad Supplicationem pro beneficio non expressâ qualitate *residentiæ*, non ferretur in beneficium importans *onus residentiæ*; consequenter impetratio beneficii, postulantis residentiam, foret nulla, si hæc qualitas expressa non foret.

480 Ad. 10. R. affirmativè, si Orator sit *secularis*, & beneficium *regulare*; vel *Regularis*, & beneficium *seculare*, ratio est, quod talis Orator laboret inhabilitate ex parte subjecti, ut constat ex dict. à n. 159. quam nec clausula *motus proprii* tollit, si expressa non sit; id, quod etiam procedit, si taceatur vitium *intrusionis*; vel qualitas beneficii *affecti* &c. quia in qualitatem non expositam non consentit rescribens, utpote incognitam, quod maximè procedit etiam de beneficiis *unitis*, vel *monoculis*, quia pontifex non intendit derogare juri alterius, ubi non exprimit.

481 Præter dicta not. ulterius, vitiari rescriptum beneficiale, falsâ expressione *modi vacationis*, dicendo v. g. vacare *per obitum* Titii, cùm tamen vacet solùm *per renuntiationem*; quia Pontifex non censetur velle beneficium conferre nisi sub narratâ conditione *modi vacationis*, ut colligitur ex c. *Susceptum* 6. *de Rescript. in* 6. ibi: Susceptum ab Apostolica Sede mandatum, ut ab aliquo beneficii (quod obtinet) resignatione receptâ, ipsum alteri conferas & assignes: adimplere non potes, si ille, *antequam resignet*, *rebus eximatur humanis*. Cùm non *per resignationem* vacaverit, sed *per mortem*. Nisi de intentione mandantis aliud appareret expressè: si duo super eodem beneficio literas impetrent: primo eorum *per illius obitum*, qui tenebat: secundò verò *per cessionem*, ejusdem ipsum proponente vacare: secundus (cùm beneficium ipsum *cessione*, *non morte*, vacaverit) debet primo in ipsius assecutione præferri.

§. 3.

De reliquis ad mandata Apostolica pertinentibus?

QUæstio prima est, quæ sit vis manda- 482
ti Apostolici? R. de hoc jam esse actum *lib.* 5. *tit.* 3. difficultas est, quo tempore sortiantur effectum mandata Apostolica? an tempore concessionis? an expeditionis literarum? an præsentationis ipsarum? & quoniam, ad operandum in aliquo subjecto effectum, requiritur ejus habilitas; difficultas est, quo tempore sufficiat, *recipientem*, *habilem esse*, *capacemque effectus*, à mandato Apostolico in ipsum derivando? quo posito:

R: Quando mandatum Apostolicum, 483
quod continet *gratiam factam* ab ipso Principe, concessum est, vel subscriptione supplicationis v. g. per verbum *fiat*, vel etiam vivâ voce, ipsum *quoad substantiam*. spectato jure naturali, & communi Canonico jam esse perfectum, seu validum; cum pendeat à sola voluntate mandantis. Nam, ut Princeps alicui constituat jus, facultatem, privilegium, quantum est ex parte concedentis, nullâ opus est scripturâ, vel literarum expeditione, ut aliàs tradidimus *l.* 5. *tit. de privileg.* dixi *quoad substantiam*, & virtutem *operatricem gratiæ*; nam *ad vim probativam* factæ grâtiæ, *in* vel *extra* judicium in foro externo regulariter opus est scripturâ; dixi 2. *de jure communi Canonico*; nam aliud est spectato stylo, & praxi Curiæ Romanæ.

Rationem reddit Pirhing *h. t. n.* 275. 484
quia secundùm stylum, & praxin Curiæ Romanæ, omnes provisiones, & gratiæ *beneficiales*, quæ fiunt à Sede Apostolica, per Collationem, vel per Confirmationem,

nem, vel per Unionem, aut Dispensationem super retinendis beneficiis, vel alio modo requirunt, ut Literæ sint *expeditæ*, nec ante sunt validæ, adeo, ut qui absque literis Apostolicis possessionem apprehenderit cujuscunque beneficii, aut Prælaturæ, pro intruso habendus sit, nec faciat fructus suos, & inhabilis reddatur ad beneficia obtinenda, prout videre est apud Azor *p.* 1. *Instit. lib.* 5. *c.* 2. *q.* 5. Paris. *l.* 6. *de resign. benef. q.* 4. *n.* 36. Dicuntur autem Bullæ, seu Literæ *expeditæ*, quando sunt plumbatæ, sive quando illis appensum est Sigillum plumbeum Papæ.

485 Hæc doctrina videtur omnino procedere, quando stylus, & praxis dictæ Curiæ stabilis est, & approbata specialiter à Pontifice, quia tali casu in ejusmodi rescriptis beneficialibus gratiæ jam *factæ* Pontifex etiam annuendo petitioni præsumitur, se conformare stylo à se condito, vel approbato; consequenter non velle gratiam esse factam ante Literarum expeditionem: dixi, si ea praxis *stabilis sit, & approbata specialiter à Pontifice*; si enim inducta est à Curialibus solùm, cùm ipsi non sint conditores legum, non obtinebit, ut pluribus de stylo Curiæ *l.* 1. *tit.* 2. expositum est.

486 Ex hoc deducitur, gratiam in beneficialibus, alicui *factam* à Pontifice, etiam subscriptâ supplicatione pro impetrando beneficio per verbum *fiat*, vel etiam vivâ voce, non prius prodesse impetranti, quàm sit *expedita*, stando in prædicto stylo Curiæ ex ratione præced. num. assignata; secùs est, in gratiis *non beneficialibus*, v. g. in dispensationibus extra causas beneficiales. Nam istæ prosunt impetranti in foro conscientiæ, ut primùm perfectæ sunt, ut diximus *n.* 484. & tenet Sanchez *lib.* 8. *Motr. D.* 29. *à n.* 21. indefinitè.

487 Dies: hoc esse contra Regulam 53. Cancellariæ quæ apud Rebuff. in Praxi benefic. est 56. dicit, quòd dispensationes Apostolicæ *non suffragentur cuiquam*, antequam super illis *confectæ* sint Literæ Apostolicæ. R. ly *non suffragentur*, non esse idem, ac *non valeant*. Namsi delegatus à Sacra Pœnitentiaria, ut pro solo foro conscientiæ dispensaret in impedimento matrimonii cum Titio, & Caja, commissionem debitè fuisset executus, etiamsi deinde literas Pœnitentiariæ non laniaret, sed contra prohibitionem, dispensatis daret, validè dispensati essent in foro conscientiæ, esto in illis literis dicatur, *quòd eis nihil suffragentur*, quia solùm intelligitur *pro foro externo*; at sic etiam intelligitur illa regula 53. ergo.

Hinc deducitur 3. dispensationes à 488
Pontifice *factas* prodesse impetrandi *etjam* pro foro externo, ut primum desuper literæ Apostolicæ *confectæ* licet non dum *expeditæ*, aut missæ sint, extra causas *beneficiales*; nam istæ ex stylo exigunt *expeditionem*; illis sufficit, *confectas* esse, ut suffragentur pro foro fori; in foro autem poli, esse perfectas, ut constat ex dict. *n.* 486. ex P. Sanchez ibidem cit.

Deducitur. 4. Postquam literæ di- 489
spensationum super gratia facta sunt *expeditæ*, illas prodesse impetrandi etiam pro foro externo non tantum à die expeditionis, sed etiam à die concessionis factæ, cùm hæc jam tunc perfecta fuerit, ac expeditio literarum, extra gratias beneficiales, in aliis non exigatur, nisi ad summum titulo faciendæ probationis, cùm opus fuerit; quod verum est, licet Pontifex, gratiâ factâ, mortus fuerit, ac literarum expeditio à Successore fiat, in forma *rationi congruit*, de qua diximus *n.* 459. ita Sanchez *l.* 8. *Matr. D.* 29. *n.* 9. & complures alii ibid.

Deducitur 5. literas, jurisdictionem 490
concedentes (consequenter *gratiæ faciendæ*, vel causâ ministrandi justitiam) non prodesse, nisi ante initium judicii expeditæ, ac Commissario intimatæ sint. Constat 1. ex reg. Cancell. de non judicando juxta formam supplicationis, 2. quia jurisdictionis exercitium non acquiritur ante literarum præsentationem, ut diximus *l.* 1. *de Offic. & potest.* delegati, & ita tenet Molina *de Primogenitur. l.* 2. *c.* 7. *à n.* 56.

Jam verò ad quæstionem (*quo tem- 491
pore verificari debeant causæ dispensationis?* seu, quòd preces veritate nitantur?) notand. quadruplex esse tempus, de quo dubitari potest, an causæ in precibus narratæ debeant esse veræ. Primum est, quando impetrans misit Romam. Secundum est, quando Pontifex, vel Pœnitentiarius literas concedit, committens Ordinario vel Confessori, ut dispenset. Tertium, quando Ordinarius, vel Confessor

dispensat: Quartum, quando dispensatione utendum est, quibus positis:

492 Quæstio 1. est, an valeat dispensatio, quando causa fuit falsa tempore, quo missum est Romam, licet vera sit, quando Pontifex, vel Pœnitentiarius dispensationem committit, & consequenter gratia non est *facta*, sed *facienda*? Non valere, sed subreptitiam esse, censent aliqui, quia cùm causa allegata sit dolosè, ac animo Pontificis decipiendi, nec dolus suffragari alicui debeat: videtur contra ejus mentem impetrata, utpote, qui nullatenus concederet, doli conscius. Deinde cum in c. *Quia circa*, *de Consang.* subreptitia dicatur dispensatio, si *tunc* causæ veræ non sint, licet *prius* veræ fuerint; similiter dicendum, si prius falsæ, licet postea veræ. *Ant. pat. ex dict. c.* ubi dicitur, falsam fuisse causam allegatam ad dispensationem matrimonialem, nimirum, *prolem habitam.* Et redditur ratio his verbis: *Cùm tamen ante dispensationem, viam fuerit universæ carnis ingressa unica filia, quam habebat.*

Sed probabilius est, ex eo c. dispensationem non vitiari, quia tempus antecedens dispensationem, vel ejus commissionem non est in consideratione, ut tradit ipse Sanchez cit. *n.* 2. dicens, clausulam illam, in dispensationibus appositam, *si preces veritate nitantur*, ad id tempus referri, quo Pontifex, vel Pœnitentiarius dispensationem concedit; quia veritatem precum postulat, ne dispensatio à rectitudine deficiens sit dissipatio. Ad quod nihil refert, an causa tempore præcedenti fuerit vera, nec ne? sed an tunc vera sit; quod non fieret, si preces falsæ forent, dum gratia facta est, vel tunc ubi est facienda. Verum quidem est, quòd, si Pontifex sciviſſet, dum dispensationem commisit, non commisſiſſet, sed hoc non obstat, quia taciturnitas veri, vel falsi expressio solum extrinseci, nec conferentis ad dispensationis substantiam, illam non vitiat, quamvis Princeps veritate cognitâ non dispensaret, ut tradit Sanchez *l.* 8. *Matr. D.* 21. *n.* 18. At talis est veritas causæ pro tempore præterito: eo vel maximè, quòd Pontifex denegaret in pœnam doli, quam dolosus subire non tenetur, antequam sibi infligatur. Ad textum ex c. *Quia circa*, constabit ex seqq.

Quæstio altera est, an requiratur, 493
quòd causa vera sit tunc, *quando gratia fit?* videtur non dubitandum de affirmativa, si sermo sit de gratia *facta*, quæ scilicet habet jam absolutum consensum concedentis, & solùm indiget literarum confectione, ac expeditione secundùm dicta. Neutra enim actio est *concessio gratiæ*, sed quælibet supponit eam *jam factam*; quamquam ad ejus notitiam juridicam faciendam, literæ desuper confici, ac expediri debeant; quod pertinet ad meram executionem gratiæ jam factæ: difficultas est, quando *gratia* non *est facta*, sed *facienda per alium*, cui ad hoc Pontifex, seu Princeps specialiter committit facultatem, an in hoc casu requiratur, quòd causa (nimirum motiva *sine quo non*) vera sit *tunc*, quando Pontifex *concedit commissionem*, seu annuit commissioni? (quæ etiam aliqua gratia est non *facta dispensationis*, sed solùm *facta commissionis*) *an sufficiat, quòd tunc vera sit, quando Delegatus, seu Commissarius facit gratiam*, v. g. dispensationis, exercendo nimirum actum potestatis sibi commissæ?

In hac quæstione Sanchez *cit. n.* 4. videtur tenere, non sufficere causam esse veram, quando Commissarius ex potestate delegata procedit; sed requiri, veram esse tunc, quando Pontifex, vel Pœnitentiarius commissionem concedit, seu tempore factæ commissionis, rationem sumit ex c. *quia circa*, de quo n. 492. cujus causa redditur, his verbis: *Cùm tamen ante dispensationem, viam fuerat universæ carnis ingressa unica filia, quam habebat*; ergo non sufficit tempore præcedenti causam fuisse veram.

Probat 2. ex c. *Si eo tempore de Re-* 494
script. in 6. ubi deciditur, eum, cui provideri mandatur de beneficio *curato*, non posse id consequi *si tempore Datæ* non sit legitimæ ætatis, quamvis *tempore Collationis* eam ætatem nactus sit. Et reddit hanc rationem textus! *Cùm tempore Datæ non esset idoneus.* Ubi Gloss. V. *cum tempore*, allegans alios textus concordantes, ait, tempus *Datæ* inspiciendum.

Probat 3. Quia Pontifex ipse, vel 495
Pœnitentiarius est, qui re vera dispensationem concedit, & solam executio-

cutionem Ordinario vel Confessori remittit, præmisso veritatis precum examine. Ne ergo illi sint iniqui dissipatores, oportet tunc veram esse causam. Deinde, quia sensus ejus clausulæ (*Si preces veritate nitantur*) is videtur esse: *Si preces mihi propositæ veræ sunt*, ac non dicuntur *verè propositæ*, si vel tempore præcedenti vel subsequenti verificentur, si, quando Papæ vel Pœnitentiario proponuntur, *non sunt veræ*. Eandem sententiam sequitur Vincentius *de Justis, in Praxi dispens. Matr. l. 1. c. 6. n. 299.* cum Merolla, Pontio, Bonacinâ, Dianâ, Reginaldo, & aliis ibidem relatis.

496 Pro intelligentia supponendum, casum in c. *quia circa*, hunc fuisse: Titius, postquam vidit, impedimentum consanguinitatis inter se, & Uxorem intercedere, petivit à Pontifice dispensari, ut cum Uxore possit remanere: & pro dispensatione obtinenda allegavit causam, *quòd jam susceperint prolem*, adeoque sine scandalo non possint separari. Cœlestinus III. ubi cognovit, prolem illam unicam, quam habebant ante dispensationem obtentam, fuisse jam mortuam, dixit: *causam allegatam esse falsam*; ad cavendum tamen scandalum, posse simul permitti.

Ex hoc casu videtur colligi, quòd ad impetrandam dispensationem dictus Vir non allegaverit pro causa, *utcunque* prolem susceptam inter eos, sed *susceptam, & adhuc extantem*; nam ex eo, quòd ante obtentam dispensationem mortua fuerit, non evadit falsum, *prolem esse susceptam*, bene tamen, *esse adhuc extantem.*

Secundò, quod in textu non exprimatur, nec colligi possit, an per ipsum Pontificem gratia dispensationis propter eam causam *facta* sit, an solùm *facienda* fuerit per delegatum, seu Commissarium? sive autem hoc, sive illo modo facta sit, cùm solùm dicatur, causam allegatam fuisse falsam *ante obtentam dispensationem*, non autem *ante factam potestatis commissionem*; ex hoc c. non probatur, requiri, quòd causa vera sit, *dum fit commissio à Pontifice, vel Pœnitentiario*, sed tantùm, quòd vera sit, ante *dispensationem obtentam*; quod verificatur, *esto vera non sit, ante factam commissionem*, modò vera sit, *dum Commissarius dispensat*, in dato autem casu vera non fuit ante obtentam dispensationem etiam à delegato, seu Commissario factam, ergo rectè dicitur falsa, quin sequatur vi textus, requiri, *quòd non sit falsa ante commissionem seu delegationem.*

Ad 2. prob. ex c. *si eo tempore*, *not.* 497 in hoc c. istum casum esse propositum: Sempronius, cùm vicesimum quartum ætatis annum nec dum haberet, ideoque propter ætatis defectum ad beneficium *curatum* inhabilis esset (c. *cùm in cunctis 7.* de electione) à Pontifice impetravit mandatum de providendo ipsi beneficium *cum cura, vel sine cura animarum.* Cùm autem Sempronius annum ætatis 24. assecutus esset vacavit in Ecclesia beneficium *curatum*: dubitabatur, an Authoritate Literarum Apostolicarum, ipsi conferendum esset? Respond. Papa, conferri non posse: *quia in gratiis beneficialibus inspiciendum est tempus datæ literarum.* Cùm itaque eo tempore Sempronius inhabilis fuerit ad beneficium *curatum*, habilis verò, ad *non curatum*, vigore ejus rescripti consequi potest beneficium *sine cura*, non autem, *cum cura.*

Variæ sunt responsiones ad intentum objectionis ex hoc c. petitæ. Quidam dicunt distinguendum inter mandata de providendo, an exprimant *qualitatem* beneficii, pro quo datur mandatum? an solùm loquantur in genere ac *indefinitè*, non exprimendo qualitatem? & textum volunt intelligi de primo, non autem de secundo casu, existimantes in secundo casu (quando scilicet gratia *simpliciter* concipitur, nec qualitas beneficii conferendi exprimitur) cum, cui mandatum est provideri, posse consequi illud beneficium, *ad quod tempore vacationis legitimam habet ætatem, licet tempore datæ literarum in ea constitutus non fuerit*, ea videlicet ex causa, quia, ut supponimus, mandatum ita & ex post facto solùm agitur de ipsius executione, sanè in iis, quæ executionem rescripti respiciunt, *non datæ tempus, sed præsentationis, & provisionis inspicitur*, sic Barbosa in c. *si eo tempore. 9. h. t. n. 6.* 498

Alii dicunt, ex hoc textu non pro- 499 bari, *indefinite* requiri causam esse veram, vel Oratorem esse habilem, *tempore datæ*, atque adeo, cùm fit concessio gratiæ

tiæ in supplicatione petitæ, sed tantùm in casu speciali, quando mandatur alicui provideri de beneficio *qualificato*, atque adeo solùm ante, vel tunc, in rescriptis *beneficialibus*, quia textus expresè *de his* loquitur, reddens causam, cur provideri non possit de *beneficio curato* v.g. licet tempore executionis habeat ætatem debitam, si non habuit tempore impetrationis, *quia in beneficialibus* tempus *datæ*, quoad habilitatem inspicitur; non ergo, ex vi hujus cap. recte arguitur ad rescripta *non beneficialia*, ut etiam in illis tempus *datæ* attendendum sit.

Et ideo etiam Pyrrhus Corradus *l.* 7. praxis dispensat. Apostol. *c.* 2. post *n.* 37. §. *Quod autem* (pro se citans quoque Garciam *de benefic. p.* 6. *c.* 2. *à n.* 283.) tradit, in dispensationibus matrimonialibus, quæ dantur *in forma commissaria*, & committuntur Ordinario, ut cognitâ veritate precum dispenset, sufficere, *si narrata verificentur tempore executionis, licet tempore datæ non fuerint veræ*, nullo enim jure ostendi potest, per clausulam (*si ita est, si preces veritate niti compereris*) delegato præcipi, ut inquirat, num *preces* veræ fuerint *tempore datæ*, vel tempore *consensûs in commissionem*, extra mandata *beneficialia* de providendo alicui in beneficio qualificato.

500 Ad 3. *prob. in n.* 495. ℟. 1. *N.* antecedens Delegatus enim non est *merus Executor*, sed operatur ex jurisdictione sibi commissa. Deinde ℟. 2. *cum dist. ant.* Pontifex ipse, vel Pœnitentiarius est, qui dispensat *mediatè*; C. *immediatè N. ant.* quia reverâ Oratores non sunt dispensati, etiam confecto, & expedito *commissionis* decreto, nisi sequatur actio delegati non merè executoria, sed vi jurisdictionis commissæ. dist. conseq. ne ergo illi sint iniqui dispensatores, oportet tunc veram esse causam, quando Delegatus operatur in virtute jurisdictionis sibi commissæ C. quando fit sola delegatio. *N. conseq.*

501 Ad id, quod additur, ℟. cum distinctione ma: sensus ejus clausulæ (*si præces veritate nitantur*) is videtur esse, *si præces mihi proposita vere sunt, vel jam*, ubi mihi proponuntur, & supplicatur, *vel quando gratiam petitam recipiunt* C. si *præces mihi propositæ* veræ sunt *nunc*, dum proponuntur N. ma. dist. min. æquivocatione laborantem: at non dicuntur *verè propositæ*, si tempore antecedenti, vel subsequenti, verificentur, &, quando Papæ sunt propositæ, non sunt verè, sumendo ly *verè propositæ* pro eo, quod est, eas esse veras *tunc*, quando propositæ sunt C. sumento ly *verè propositæ* pro eo, quòd est causas, quæ tempore executionis veræ sunt, *esse tunc reipsa expositas.* N. min. & conseq. nam, quòd *tunc* debeant esse veræ, *quando* proponuntur, nullo textu juris probatur *extra mandata providendi in beneficiis*

Dices cum Vincentio de Justis *l.* 1. 502
c. 6. *n.* 299. Pontifex, auditis precibus Oratorum, & certam de illis notitiam non habens (ibi *certam de præmissis notitiam non habentes*) committit Ordinario dispensationem, eique mandat, ut, si *præces veritate niti repererit*, dispenset. Unde tempus *peditæ* dispensationis à Pontifice, & *executæ* ab Ordinario, *unicum tempus* reputatur, & consequenter ad hoc, ut valida sit dispensatio, necesse est, ut *utroque tempore* preces veræ sint, aliàs non poterit Delegatus ad executionem dispensationis procedere, ex hoc c. citatus Author censet, respectu harum dispensationum, quæ per ipsum Pontificem absolutè non fiunt, sed committuntur Ordinario exequendæ, preces non solùm debere veras esse ipso tempore supplicationis & impetrationis, sed debere etiam ita subsistere, & veras esse tempore executionis ab Ordinario faciendæ, ita etiam Sanchez *l.* 8. *D.* 30. *n.* 2.

Ex quo infert n. 300. nullam & subre- 503
ptitiam esse dispensationem eo casu, quo allegaretur Pontifici falsa causa pro dispensatione obtinenda, quamvis casus eveniret, ut eadem causa tempore executionis ordinarii vera esset; v. g. petitur dispensatio, allegato pro causa *defectu dotis Oratricis*, quæ causa tunc non est vera, sed ante quam Ordinarius exequatur, fuit diminutum patrimonium adeo, ut defectus ipsius dotis verus sit eo tempore, unde, licet hoc tempore vera sit causa, id est per accidens, non propterea potest validare gratiam subreptitiè extortam; cùm per Oratores non steterit, quin fraudulenter, & dolosè, & animo, Pontificem decipiendi, dispensationem extorserint, & propterea eorum malitia, & dolus non

debet

debet eis patrocinari; cùm, his intervenientibus, nunquam præsumatur, Papam velle dispensationem, & gratiam concedere, ne aperiatur via fraudibus; L. *in fundo* 38. *vers. Neque malitiis*, *ff. de rei vendicat. cap. Ex tenore* 16. *de Rescript.* Sed Pyrrhus Corradus in praxi dispensationum Apostolicarum (qui in Collegium Officialium eorundem in ipsa Cancellaria Apostolica à Summo Pontifice cooptatus & Rescriptorum S. Pœnitentiariæ muneri deputatus fuit) *l. 7. c. 2. n.* 32. expresè docet contrarium, ut notavimus supra, & n. 27. ad istam quæstionem (*an mulier censeatur legitimè dispensata*,) quæ degens in longinquis partibus obtinuit dispensationem *titulo dotis incompetentis* (ignara tunc *quòd esset instituta hæres*, vel *Legatrix*) *caritura sit effectu dispensationis*? si postea acceptavit Legatum? respondet, *omni dubitatione submotâ*, *respondendum negativè*; & tamen tunc nec tempore impetrationis, nec tempore executionis vera fuit; nec bona fides mulieris verificare potest, quòd esset incompetentis dotis.

504 Ad rationem Vincentii R. negando tempus concessionis, ac executionis, censeri *unicum* tempus, nam contrarium constat ex Corrado cit. & aliis hoc negantibus; id enim nullo jure probat Vincentius, & ipse n. 302. fatetur, valituram dispensationem ob causam, quæ tempore impetrationis vera fuit, licet tempore intermedio fuerit falsa; si tempore executionis sit denuò vera; certum autem est, *eodem ac unico tempore* non posse causam esse veram & falsam; ergo sicut tempus impetrationis, & medium usque ad executionem, sic tempus impetrationis, ac executionis, non sunt *unicum* tempus.

Ad ejus illationem relatam n. 503. R. negando talem dispensationem fore subreptitiam; authoritatibus, quas allegat, opponi possunt, quas ipse refert n. 298. quæ docent *sufficere*, si causa vera sit tempore impetrationis, vel datæ literarum; inter illos porrò sunt Gutierez, Mascardus, Caputaquensis, & plures decisiones Rotæ. Deinde, cùm in Commissionibus delegato mandetur inquisitio super veritate narratorum, verificatio refertur ad tempus, quo coram Delegato probanda sunt.

505 Neque obstat, quod dicitur, *dolosè* impetrari talem dispensationem, quando causæ, dum Pontifici proponuntur, veræ non sunt. Nam 1. id fallit, si Oratores procedant bonâ fide, secuti sententiam, quæ tradit, sufficere verificationem tempore executionis. Deinde licet Pontifex fortè non annuisset, si sciviſset causas tunc non esse veras; id tamen non obstare constat ex ipso P. Sanchez à nobis relato supr. Denique, licet interveniſſet dolus; hic tamen non inducit *ipso facto* pœnam *nullitatis*; sed solùm *ferendam*, si Pontifex sciviſſet. Nam esto Pontifex in pœnam doli negaret dispensationem, si sciret illum; dolosus tamen subire illam non tenetur, *antequam sibi infligatur*, ita Sanchez *cit. l. 8. D.* 30. *n. 2. in fin.*

Pro confirmatione notandum, in 506
c. 13. *cui.* 29. h. t. in 6. juxta *Gloss. fin.* statui, quod, si Pontifex simpliciter, & absolutè mandet alicui provideri de præbenda, *proximè vacatura*, non possit illi conferri præbenda *Sacerdotalis*, quæ *postea* vacat, si tunc necdum sit in ea ætate, cum qua ei possit Sacerdotium conferri, sed debeat exspectare aliam (nimirum non Sacerdotalem, vel etiam Sacerdotalem) si, cùm ista vacat, sit in ætate requisita ad suscipiendum Sacerdotium.

Ex hoc infert Pirhing. h. t. n. 276. eum, qui tempore impetrationis, seu *datæ* literarum, non erat habilis ad obtinendam Sacerdotalem præbendam, propter defectum ætatis, possit nihilominus aliam præbendam Sacerdotalem, vi ejusdem mandati obtinere, *si tempore vacationis ipsius*, ad legitimam ætatem pervenerit, adeoque inspiciendum esse, hoc casu, si mandatum detur de beneficio vacaturo conferendo, *non tempus datæ*, seu *impetrationis*, sed *vacationis*, seu collationis beneficii, *quo fit executio ejusdem mandati*, *quoad habilitatem personæ*, Gl. hic V. *Nondum*, & Francus *n.* 8. Azor *p. 2. l. 6. c.* 33. *q.* 10. Hac porrò sententiâ stante sequitur, *etiam in beneficialibus* non semper requiri tempore impetrationis habilitatem subjecti, cæteroquin requisitam ut mandatum provisionis beneficialis suum operetur effectum; sed quandoque sufficere, si adsit tempore posteriori, ut dictum est.

Ne autem id, quod ex dict. *c.* 13. *cui*, 507
desumitur, opponatur illi, quod in *c.*

si eo tempore constitutum est, censent aliqui observandum, quosdam esse inhabilitates, seu defectus, qui de jure communi, vel secundùm stylum Curiæ, *universim* impediunt impetrationem Literarum Apostolicarum, tàm ad beneficia obtinenda, quàm ad lites, ut si v. g. impetrans sit *excommunicatus*, juxta *c.* 1. *de Rescript. in* 6. aliàs verò esse inhabilitates, seu defectus, qui non requirunt, nec irritam reddunt impetrationem Literarum, sed solùm respiciunt collationem beneficii, & in defectu alicujus conditionis, quæ ante provisionem potest, ac debet impleri, consistunt: ejusmodi est, defectus ætatis requisitæ, vel dimissio prioris beneficii sufficientis, quæ prærequiritur, ut alicui possit provideri de alio beneficio; quibus prænotatis:

Censet Pirhing. cit. quòd in prioribus inspiciendum sit, & attendendum tempus, quo literæ *datæ*, & *impetratæ* sunt; nam suppositâ tali inhabilitate, rescriptum non valet: aliud verò dicendum esse de posterioribus, in habilitatibus inspiciendum est tempus *vacationis* beneficii vel Collationis, & executionis mandati, dummodo in literis Apostolicis nulla sit subreptio, alioquin si subreptitiè fuerint impetratæ, non tempus vacationis, vel Collationis: sed tempus *datæ*, seu impetrationis attendendum erit, ut docet Abb. in c. *dilectus* 27. *n.* 7. *h.t.* Hinc deducit, cur defectus ætatis tempore impetrationis obstiterit in casu c. *si eo tempore*, non autem noceat in casu, c. *si cui*, ex eo esse, quòd impetratio in illo, non in isto, fuerit *subreptitia*, propterea, quòd ibi fuerit supplicatum pro beneficio expressâ qualitate *curati*, *determinatè*, ubi sine dubio subreptio committitur non expressò defectu ætatis: hìc autem tantùm pro beneficio nullâ expressâ *qualitate*, ubi non exigebatur expressio de defectu *ætatis ad Sacerdotium*. Cæterùm facilior conciliatio utriusque Capituli habetur per ea, quæ dicta sunt à n. 498.

508 Præter hæc, aliqui hoc loco circà mandata Apostolica, in materia provisionis de beneficiis, plures movent quæstiones, à nobis jam traditas *lib.* 1. *tit.* 3. *de Rescript.* Prima est de impetratione talium mandatorum; 2. De illorum effectu. 3. De illorum usu, seu executione; 4. De illorum revocatione seu cessatione; 5. Quis præferendus in casu, quo plures impetrarunt diversa rescripta de providendo in eadem Ecclesia? Ad has igitur secundum dicta *loc. cit.* respondendo breviter dicendum, *facultatem* conferendi beneficia, concessam alicui à Pontifice, strictè accipiendam, nimirum non ultra quam expressum sit, ut deducitur ex c. 13. *cui.* 19. *h.t. in* 6.

Nam in eo statuitur, 1. quòd habens potestatem sibi concessam idoneæ personæ providendi de beneficio, vi hujus potestatis providere non possit *jam habenti beneficium sufficiens*, nisi aliud exprimatur, vel primum dimittat; 2. Si autem sufficiens non sit, non possit nisi *de beneficio simplici*, ut constat ex textu aperto ibi: *is, cui conceditur, ut Authoritate Apostolicâ possit uni personæ idoneæ in sua, vel alia Ecclesia providere alicui, aliud beneficium sufficiens obtinenti, providere non potest, nisi primò ille beneficium, quod obtinet, omnino dimittat, vel, nisi in concessione hujusmodi sit expressum, quòd aliàs beneficiatæ valeat providere personæ. Tunc enim providere poterit unicum duntaxat beneficium obtinenti: dum tamen illi cura non immineat animarum.*

Statuit 2. quòd, si concessa sit potestas conferendi beneficium, *alia jam habendi*, potestas se non extendat ad *pluralitatem nisi duorum sine cura*, ut constat ex eod. c. ibi: si verò concessum fuerit, ut providere illi valeat, qui alia beneficia noscitur obtinere: *hujusmodi pluralitas debet solùm ad duo beneficia sine cura restringi. Provisio quoque, facta contra præmissa, eo ipso viribus non subsistat.* Unde potestas conferendi beneficia, non extenditur ad actum *dispensandi* in aliquo v. g. super beneficiorum pluralitate, aut defectu ætatis &c. cum hæc diversa sit ab illa.

Nec obstat, quòd *facultas* alicui gra- 509
tiosè concessa, directè respicias favorem ejus, conceditur, atque adeo sit simpliciter favorabilis, & interpretationis latæ, etiam quoad ipsum actum dispensandi, seu relaxandi, jus commune; cùm talis potentia ordinetur ad talem actum; multi tamen limitant, ut intelligatur latæ interpretationis vel *concedentem*, vel *quando non*

est in

est in grave præjudicium tertii, quamvis valde probabile videatur, admittendam esse dictam regulam communem, prout inprimis est in *c. is cui* 19. *h. t. in* 6. deinde in *c. quamvis* 4. eod. in 6. ubi dicitur, quòd potestas concessa conferendi beneficia Ecclesiis talis *diœcesis*, vel *civitatis* non extendatur ad ipsam *Cathedralem*, licet sub nomine Ecclesiarum *Provinciæ* veniant etiam Cathedrales, & ipsa quoque Metropolitana.

510 Ex hoc deducitur, si concedatur alicui potestas conferendi beneficia talis *diœcesis* (Labacensis v. g.) aut *Civitatis* (quæ hic supponit pro loco Residentiæ Episcopalis) non concedi facultatem conferendi Ecclesiam *Cathedralem*, aut beneficia talis Civitatis, quia hæc non veniunt nomine *diœcesis*, aut *Civitatis*, in hac materia; secùs, sub nomine *Privinciæ*; id, quod potius ex stylo Curiæ, quàm ex natura rei accipiendum est, non enim facilè discrimen dabitur, cur in hac materia nomine *diœcesis*, & *Civitatis* non veniat Ecclesia *Cathedralis*, cùm tamen nomine *Provinciæ* veniat etiam *Metropolitana*.

Quando autem dicitur, rescripta beneficia esse strictæ interpretationis, intelligendum est, quando dantur ad *instantiam partis*, secùs, quando *motu proprio*, ut colligitur ex c. *si motu* 23. h. t. in 6. si enim procedunt ex mera Principis libertate, quo casu interpretationem habent latissimam juxta dicta *l.* 1. *tit.* 3. de Rescript. & colligitur ex c. *si pluribus*. 24. h. t. in 6. ubi dicitur, quòd collatio facta *motu proprio Papæ*, pluribus beneficiis in eadem Ecclesia vacantibus simul, intelligatur facta *de pinguiori*: sed si beneficia sunt æqualia, ad eum spectat electio, cui gratia est concessa: Collatio verò facta *ad petitionem alterius*, ad *minus* beneficium restringatur: si sint æqualia, eligit, *qui aliàs conferebat*: quo negligente, alius eligit etiam contra. Ubi not. collationem beneficiorum, quam facit Pontifex, non esse in *præjudiciam* Ordinarii Collatoris; cùm penes Papam sit eadem imò major potestas in beneficiorum provisionibus, quæ in inferioribus.

511 *Not.* Præterea, mandatum de providendo alicui *in beneficio Ecclesiastico*, (nisi aliud exprimatur) solùm intelligi de beneficio *simplici*, idque ex defectu, non significationis, sed intentionis in Papa concedente, ut dicitur c. *fin. h. t.* ibi: *cùm igitur mandatum hujusmodi se ad talia non extendat, nec ad Rectoriam, vel ad dignitatem nostra feratur intentio, cùm pro simplici beneficio jussio nostra manet:* mandamus: quatenus tam institutionem hujusmodi, quàm excommunicationis sententiam, propter hoc latam, denunties non temere. Ex quo deducitur, mandatum alicui providendi *in Ecclesia* ex intentione mandantis diversum esse à mandato providendi *de Ecclesia*, illud enim (nisi aliud exprimat) est solùm de beneficio *simplici*, istud, de curato, vel enim aliàs qualificato, ut patet ex Rubric. hujus c.

Not. 2. In mandato Apostolico, ut 512
Episcopus Clerico provideat competens beneficium *in aliqua Ecclesiarum suarum*, venire etiam *Canonicatus ultra numerum Canonicorum* in Ecclesiis Cathedralibus licet Capitulum habeat privilegium, ne ultra eum numerum teneatur aliquem recipere, *se ipsum tali privilegio prius contra venit*, ex c. *pro illorum* 22. *h. t.* cujus ratio redditur in textu, ibi: quia verò, quòd per dictum Archi-Episcopum de memorato Magistro Authoritate nostra providè factum est, firmitatem volumus obtinere, *mandamus, quatenus, si vobis constiterit prædictos Canonicos indulgentiam, quam habent de certo Canonicorum numero, non servâsse, & aliquem ultra constitutum numerum in Canonicum authoritate propriâ recepisse* (*cùm nobis legem imponere non debeant, quam ipsi negligunt observare*) latam in ipsos excommunicationis sententiam à prædicto Archi-Episcopo tamdiu denuntietis sublato appellationis obstaculo, servandam, *donec sæpe dictum Magistrum recipiant in Canonicum*, & ea, quæ ad Canonicatum pertinent, cum Stallo Chori, & loco Capituli, ei studeant assignare.

Not. 3. in mandato providendi *de* 513
dignitatibus, vel *aliis beneficiis* non comprehendi *curata*, non expressâ *curâ*; ex c. *cùm in illis.* 16. h. t. in 6. & si alii modi provisionis exprimantur, non extendi ad modum providendi per electionem, ut habetur ibid. §. *illis verò pro quibus scribimus, ut provideatur eisdem de Personatibus, vel dignitatibus*, etiamsi curam habeant animarum, *ad collationem, provi-*

sionem, præsentationem, vel dispositionem spectantibus quorumcunque, provideri nequibit de Prælaturis, Personatibus, vel dignitatibus, *ad quos, seu quas per electionem ii, qui eis habent præfici, assumuntur.*

514 *Not.* 4. Mandatum, ut provideatur alicui de beneficio spectante ad præsentationem *quorumcunque*, non extendi ad beneficium Patronatum, cujus præsentatio pertinet ad Patronum *Laicum*, nam sub illo termino generali (*quorumcunque*) non venit præsentatio pertinens ad Laicum, non defectu significationis in termino generali; Sed intentiones in illum usurpante, ut notat Glossa. in *Clem.* 2. *h. t. V. Apostolicis*; & Francus ibid. n. 4.

515 *Not.* 5. Mandatum providendi alicui *de aliqua dignitate in aliqua certa Ecclesia*, non habere effectum, si in ea Ecclesia tantùm una sit dignitas principalis, nam sic *provisus* non esset *in*, sed de *Ecclesia* providendus, contra mandati tenorem, cùm aliud sit providere *in*, aliud providere *de* Ecclesia, præsertim, cùm nitatur falso, in ea Ecclesia, esse *plures dignitates*, quod notatur per ly *aliqua*, hoc est, una ex illis.

516 *Not.* 6. In mandato providendi de beneficio, pertinente ad collationem *Capituli*, non comprehendi *jus singularis Canonici*, quo id confert *suo*, vel *suæ dignitatis*, *Personatus*, *vel officii*, non Capituli *nomine*, nisi habeat Clausulam, de beneficio pertinente ad collectionem Capitali *Communiter*, vel *divisim*, ut colligitur ex c. *fin.* h.t. in 6. ibi: mandatum Apostolicum tibi directum, ut T. Clerico de beneficiis spectante ad collationem Narbonen: Capituli provideres, beneficia ejusdem Capituli, sive dentur *in communi* per ipsum, sive per Canonicos ejusdem Ecclesiæ singulares, *vice*, *ac Authoritate Capituli*, aut ex *jure ipsius de consuetudine*, vel *statuto*, meritò comprehendit: Ad beneficia tamen ratione *dignitatum*, *Personatuum*, *vel officiorum*, quæ non nulli ex eisdem Canonicis obtinent in ipsa Ecclesia, *ad eorundem collationem spectantia*, *mandatum hujusmodi minimè se extendit*, idem esse censemus, si *ratione præbendarum suarum ad ipsos Canonicos collatio dictorum beneficiorum singulariter pertinere noscatur*: Nisi contineatur forsitan in mandato, quòd eidem Clerico provideas de beneficio ad Collationem Narbon. Capituli pertinente *communiter*, vel *divisim*, tunc enim de beneficiis, quæ ad ipsorum collationem pertinent, ratione hujusmodi præbendarum, poteris providere.

Not. 7. Triplici modo Collationem 517
beneficii pertinere posse ad Canonicos alicujus Ecclesiæ; primò, ut Collatio fiat *communiter*, seu *capitulariter*, nimirum de consensu majoris partis; 2. Ut unus particularis conferat, sed *vice*, *ac autoritate Capituli*. 3. Si conferat *jure annexo suæ dignitati*, *Personatui* vel *officio*, & tunc Collatio fiet jure personæ singularis, quando igitur mandatur provisio beneficii, cujus collatio pertinet ad Capitulum, comprehenditur quidem primus & secundus modus prvidendi, non tamen tertius: secùs est, si mandet provisionem beneficii, cujus collatio pertinet ad Capitulum *communiter* vel *divisim*; tunc enim comprehenditur etiam tertius modus providendi, ex textu in n. præced.

Not. 8. In mandato providendi alicui 518
de *integra præbenda* proximè vacaturâ, non comprehendi mandatum providendi alicui de præbenda *solùm dimidiâ* proximè vacaturâ; patet ex c. *Cui de non* 27. *h. t. in* 6. ibi: cui de *non sacerdotali* præbenda provideri mandatur: sibi, etiam volenti, *sacerdotalis*, authoritate mandati hujusmodi, conferri nequibit: Similiter si in Ecclesia, in qua *integræ* ac *dimidæ* præbendæ habentur, mandatur *integra* conferri præbenda: quamquam ille, pro quo scriptum extitit, *dimidiâ* velit esse contentus, ei *de ipsa non poteris providere*, idem, cùm injungitur provideri alicui de præbenda *certi valoris*, ut in præbenda *minoris valoris*, etiam illo volente, mandatum non possit adimpleri. *Non enim hujusmodi mandata* (quorum fines diligenter servari oportet) *debent ad casus alios, quàm expressos, extendi.*

Ex hoc deduces, in hoc casu non esse locum regulæ 110. *ff. de regul.* juris, ubi dicitur: *in eo, quod plus est, semper inest & minus*; nec *reg.* 36. *eod. in* 6. ibi: *plus semper in se continet, quod est minus*; nec denique *reg.* 53. *eod. cui licet, quod est plus; licet utique, quod est minus.* Rationem reddunt aliqui, quia dictæ regulæ intelligendæ sunt, quando *minus* continetur sub eo, quod est *majus*, tanquam

pars

pars sub toto; non autem quando *minus* constituit diversam speciem ab eo, quod est majus. Hoc quidem rectè dicitur, at unde habeatur, quòd *dimidia* præbenda non contineatur sub *integra*, tanquam pars sub toto, & constituat *diversam speciem à toto*, non assignant. Videtur igitur dicendum, eas regulas procedere, ubi juris dispositio in contrarium non obviat; at in hoc casu est talis dispositio juris, ut præbenda *dimidia* non veniat in mandatis sub nomine *integræ*.

519 *Not* 9. si Episcopus in Ecclesia sua Cathedrali simul obtineat præbendam Canonicalem, licet Canonicus non sit; eam non venire sub mandato alicui providendi in ea Ecclesia de præbenda Canonicali, proximè vacatura alteri non debita, licet illa proximè vacet, per c. *Cùm in Ecclesia*, 25. h. t. in 6. ibi: *per præfatum mandatum non intelligitur derogari, ut futurus Episcopus præbendâ careat.*

Not. 10. Xenodochia, hospitalia, & similia loca, licet habeant Ecclesias, vel Capellas etiam cum fundatione reditum, & aliis juribus spiritualibus (v. g. decimarum, cœmeterii &c.) non venire sub mandatis providendi Clerico, nisi ex primantur, per Clement. 2. h. t. cùm deputatæ non sint pro Clericis, ut eis in titulum conferantur.

Not. 11. In mandato providendi de beneficio pertinente ad collationem *Episcopi*, *etiam exempti*, vel eo Superioris, non venire beneficium, quod ex negligentia Episcopi *devolutum est ad Capitulum*, secùs, si devolutum sit ad Episcopum, ex negligentia Capituli, vel aliorum, per Clementin. *si de beneficio*. 5. h. t.

520 Præter hæc, quæstio est, quando mandata Apostolica de providendo fortiantur effectum? 2. quo tempore verificari debeant præces? 3. quando habilitas subjecti 4. quis præferri debeat ex pluribus habentibus diversa mandata de providendo sibi in eadem Ecclesia? 5. quale beneficium conferendum ex mandato providendi alicui de hoc, vel illo? R. remissivè, nam ad 1. constat à n. 508. ad 2. à n. & 3. à n. 491. Ad 4. ex *lib.* 1. *tit.* 3. ad 5. R. ex c. *Mandato*. 10. h. t. in 6. ubi Bonifacius VIII. sic loquitur: *mandato nostro*, sub ea forma tibi directo, ut alicui provideas de beneficio *ad collationem tuam, vel alterius* pertinente, de beneficio, *quod primo vacabit* (sive ad tuam, sive ad illius collationem pertinuerit) ei, pro quo scribitur, *providere debebis*: Si verò plura beneficia ad tuam & illius collationem forsan spectantia simul vacent, tunc scripturæ ordinem servare habebis, ut illi solùm provideas de illo beneficio, quod ad te noscitur pertinere.

Not. 12. ex mandatis Apostolicis circa beneficiorum collationes, quædam 521
esse *provisionalia*, quædam, *executoria*; & illa esse de beneficiis proximè vacaturis, vel de vacantibus, & hæc, vel ipse Papa confert, & *in forma gratiosa*, sic tamen, ut alicui mandetur executio, nimirum inducendo illum in ejus possessionem; vel *in forma dignum*, quo alicui committitur beneficii vacantis collatio, si dignum repererit, & is, cui directè collationem ejus commisit, intra tempus præscriptum non conferat.

Quoniam autem frequenter in hac materia mentio fit de *data* rescripti, vel mandati præsertim, ubi plures concurrunt super eodem beneficio mandatis à Sede Apostolica absentis, ea, quæ ad *datam*, ac ejus notitiam pertinent, videri possunt *l.* 1. *tit.* 3. *àn.* 1394. Cœterùm, qualiter rescripta vitientur obreptione: vel subreptione: dictum est ibidem à n. 1407. ubi etiam à n. 1474. de interpretatione rescripti, & à n. 1491. de variis rescriptorum clausulis, à n. 1558. de executione, usu, & abusu rescriptum eorumque pœnis, à n. 1584. de illorum derogatione & revocatione.

ARTICULUS IX.

De beneficiis reservatis in genere.

IN præmissis n. 374. diximus, reservatio- 522
nem beneficii nihil aliud esse, quàm, cùm ejus provisionem Pontifex ad se avocat, adimendo Collatoribus aliis facultatem de illo providendi; & hanc reservationem aliam esse *generalem*; aliam *specialem*; aliam, *clausam in corpore juris*; aliam, *extra illud*: reservationes porrò clausas in corpore juris à nonnullis dividi in quinque classes; aliis negantibus reservationes contentas in Extravagantibus pertinere ad clausas in corpore juris, quibus positis.

Quæstio est, an idem sit, beneficium 523

vacare apud *Sedem Apostolicam*, & *vacare in Curia Romana?* quæ quæstio propter mentionem de hoc in seqq. præmittenda est. In hac quæstione divisi sunt Doctores. Nam aliqui volunt, (ut rectè notat Castropalaus *p.* 1. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 16.) quòd *Sedes Apostolica* ibi esse censeatur, ubi Pontifex, & Curia, seu Cancellaria Apostolica residet, hoc est, permanentem habitationem habet, alii econtra volunt, tunc beneficia propriè *vacare apud Sedem Apostolicam* & *in Curia*, quando eorum reservatio clauditur in corpore juris, & eorum vacatio contingit in Curia Romana per obitum Beneficiati; ubi autem per Extravagantes inducitur eorum reservatio, ac eorum vacatio contingit extra Curiam in partibus, dici tantùm *latè*, *ac minus propriè vacare in Curia*; sic P. Ludovicus Engel *l.* 3. *decret. tit.* 5. *n.* 9. *quin.* 11. dictum Innocentii in c. *Ego*, de Jurejurando: *quòd ubi Papa est, ibi Roma, & Curia sit*, juxta Covarr. intelligit, si Papa ibi sit cum suis Auditoriis, seu Cancellaria, & Tribunalibus, ac Officialibus suis, quos ad regimen Ecclesiæ adhibet, quibus positis:

524 *Not.* 1. *Sedem Apostolicam* censeri esse ibi, ubi Pontifex residet, & assistit, Ecclesiam gubernaturus; 2. *Curiam Romanam* ac *Sedem Apostolicam*, hìc pro eodem sumi, ut vult Castropalaus *p.* 1. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 16. Nomine autem *Curialium*, venire familiares, servientes Pontifici, & Cardinalibus, ut sunt Judices, Notarii, Advocati, & Solicitatores Curiæ Romanæ, per quos scilicet literarum Apostolicarum, & aliarum causarum audientia, & expeditio contingit. Hinc colliges, propriè loquendo juxta c. *Licet* & c. *præsenti*, *de præbend. in* 6. beneficium tunc solum vacare *apud Sedem Apostolicam*, si vacet in loco, ubi residet (hoc est, *permanentem* habitationem habet) Pontifex, & Curia, seu Cancellaria Apostolica, adeoque, non ibi, ubi Pontifex *transeunter* est, *cum*, vel *sine* Curia. Nam *Sedes Apostolica* ibi esse censetur, ubi Cancellaria exiistit, & Pontifex residet, seu domicilium habet; quod non fit, ubi transeunter est, sic Castropalaus *cit. n.* 4. adeoque *per prædictos Canones* solùm beneficium vacans *Romæ*, ubi Cancellaria exiistit, & Pontifex domicilium habet, reservatum esse.

Dixi *per prædictos Canones*. Nam postea Paulus III. & Clemens VIII, ut videri potest, ut videri potest, apud Castropalaum cit. hanc reservationem extendit, ut beneficium vacans ibi Pontifex est etiam solum *transeunter*, censeatur vacans apud *Sedem Apostolicam* eodem modo, ac si cum Pontifex existeret Romæ, vacaret, quia eorum, qui suam Sanctitatem sequerentur, & eorum qui in Urbe remanerent, *una tantùm Romana Curia*, & *non duæ* exiistunt; atque adeo, ibi, ubi Papa exiistit, censeri Curiam *in Capite*; alibi verò Curiam, *in Corpore*.

Not. 2. Beneficium *vacare* nihil aliud 525
esse, quàm destitui possessore. Hinc quando contingit beneficium aliquod destitui possessore *in eo loco*, ubi Pontifex cum sua Curia residet, vacare dicitur apud Sedem Apostolicam. Et hoc sensu *beneficium vacare apud Sedem Apostolicam* nunc, Intelligi debet in c. *Licet*, & c. *Præsenti* de præbend. in 6. Ex quo colliges, *juxta citatos Canones* beneficium non vacare, esto Beneficiatus ibi moriatur, atque adeo Beneficium possessore destituatur, ubi Pontifex est, *cum*, vel *sine* Curia, solùm *transeunter*, sic Castropalaus cit. n. 4. dixi *juxta citatos Canones*. Secus tamen est post decretum Pauli III. & Clem. VIII. ut dictum est num. præced. atque adeo juxta illos Canones noviter extensos.

Not. 3. in c. *Licet* 2. de præbend. in 526
6. reservari *Ecclesias*, *dignitates*, *Personatus*, *& beneficia vacantia apud Sedem Apostolicam*, quin exprimat: *modum vocandi*; cùm tamen beneficia Ecclesiastica variis modis *vacare* contingat, ut morte, renuntiatione, translatione, vel depositione Beneficiati. Et ideo Bonifacius VIII. dictam constitutionem in c. *Licet*, per novam constitutionem, quæ habetur c. *Præsenti* de Præbend. in 6. in pluribus declaravit: ut dicemus in seqq. his præmissis.

ARTICULUS. X.

De reservationibus clausis in corpore juris.

PRima reservatio extat in c. *Licet* 2. 527
de præbendis in 6. quam fecit Clemens III. vel, ut alii volunt IV. ubi sic loqui-

loquitur: licet *Ecclesiarum, Personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere,* ita, quòd non solùm ipsa, *cùm vacant*, potest, de jure conferre; verum etiam jus *in ipsis* tribuere *vacaturis*: Collationem tamen Ecclesiarum, Personatuum, dignitatum, & beneficiorum, *apud Sedem Apostolicam vacantium*, specialius cæteris, antiqua consuetudo Romanis Pontificibus servavit: Nos itaque laudabilem reputantes hujusmodi consuetudinem, & eam Authoritate Apostolicâ approbantes, ac nihilominus volentes, & ipsam inviolabiliter observari: *Eadem Authoritate statuimus, ut Ecclesias, dignitates, Personatus, & beneficia: quæ apud Sedem ipsam deinceps vacare contigerit, aliquis, præter Romanum Pontificem, quacunque super hoc sit Authoritate munitus, sive jure Ordinariæ potestatis ipsorum electio, provisio, seu collatio ad eum pertineat, sive literas, super aliquorum provisione generales, vel etiam speciales* sub quacunque forma verborum, *receperit* (nisi ei sit super conferendis eisdem *in Curia Romana vacantibus* specialis, & expressa ab ipso Pontifice summo Authoritas attributa) *conferre alicui, seu aliquibus non præsumat. Nos enim, si secus actum, seu attentatum fuerit, decernimus irritum, & inane.*

528 Altera est Bonifacii VIII. in c. *præsenti* 34. eod. in 6. ibi: *Præsenti declaramus edicto, statutum* felicis recordationis Clementis Papæ, Prædecessoris nostri, *de beneficiis, apud Sedem Apostolicam vacantibus, per alium, quàm per Romanum Pontificem minimè conferendis, locum habere in beneficiis,* quæ Legati, aut Nuntius Sedis ejusdem, vel quivis alii, ad Romanam Curiam *venientes*, vel etiam *recedentes* ab ipsa, obtinere noscuntur, *si eos in locis vicinis ipsi Curiæ mori contingat*, quemadmodum si in loco, ubi eadem Curia resideret, morerentur.

Idem etsi aliquis *Curialis* (etiam Ecclesiâ Romanâ vacante) peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, seu aliâ quavis causâ ad locum *Curiæ vicinum* secedens, in hujusmodi loco vicino *decedat*, dummodo ibi (etiam si erat ad ipsam Curiam reversurus) ejus domicilium, seu domus propria non existat.

Loca verò *intelligantur vicina eidem Curiæ* in præmissis, quæ remota ultra duas dictas legales (quas hoc casu sic specialiter volumus computari) à loco, ubi moratur ipsa Curia non existunt.

Sanè, si quis in loco degit ubi Curia, suæ originis domum habens, diem claudat extremum in ea: ipsius beneficia sub prædicto non aliter includantur statuto, quàm, si Curialis esset antea, & ibidem occasione Curiæ moraretur. Porrò cùm Curiam de loco ad locum transferri contingit, si Curiales in itinere, dum Curiam sequuntur eandem, vel in loco, unde recedit ipsa Curia, forsitan remanentes infirmi, rebus inibi eximantur humanis, præmissum statutum (quantumcunque locus, ubi decedunt ab ipsa Curia sit remotus) ad illorum beneficia se extendit.

His reservationibus accesserunt sub- 529
inde aliquot constitutiones, eas limitantes. Primo enim Gregorius X. in Generali Concilio Lugdun. Constitutionem, in c. *Licet* contentam, sic moderatus est in c. *statutum.* 3. h.t. ut ii, ad quos eorundem beneficiorum, & dignitatum spectat collatio (*statuto non obstante prædicto*) demum *post mensem à die, quo vacarint, numerandum*, ea conferre valeant tantummodo *per se ipsos*, vel ipsis agentibus in loco remoto *per suos Vicarios Generales, in eorum diœcesibus existentes*, quibus id *Canonicè* sit commissum.

Ad istorum jurium explicationem *not.* 1. illa beneficia dici Papæ reservata, quorum collationem sibi soli vendicat, ut diximus n. supra, 2. nullas beneficiorum reservationes reperiri in toto decreto Gratiani, ut notat Azor *p.* 2. *l.* 6. *l.* 36. *q.* 2. *Not.* 3. quod Concilium Basileense *Sess.* 13. reservationes, post ætatem Gratiani inductas, abolere tentaverit; sed nullo jure, cum, paucis exceptis, fuerit reprobatum, 4. non esse idem, beneficium esse *affectum*, & esse *reservatum*; quamvis enim beneficium per reservationem evadat *affectum*; non tamen econtra per affectionem evadit *reservatum*, ut diximus n. 373.

Not. 5. etsi plures Doctores allegati apud 530
Garciam, Curiam Romanam esse dicant, ubi est Papa: alii verò dicant, ibi etiam esse Curiam, ubi est causarum, & literarum Apo-

Apostolicarum audientia; sive, ubi tractantur, & audiuntur causæ, licet ibi non sit Papa, uti colligunt ex Clementina 2. §. *Sanè*, de elect. Ubi habetur, quod, si in certo loco causarum, & Literarum Apostolicarum audientiâ remanente Papa alibi moretur, non ibi, sed ubi prædicta fuerit audientia, electio celebranda sit: strictè tamen loquendo, sicut Curia Regis est locus, ubi Rex est cum suis Consiliariis, & aliis, qui ejus lateri assistunt, ut ei consulant in Regimine totius regni, teste Covarruvia, *pract. qq. c.* 4. *n.* 10. ita Curia Romana seu Apostolica est ibi, ubi est Papa, cum Cancellaria, & tribunalibus, seu Officialibus suis, quos ad regimen Ecclesiæ adhibet, ac proinde tunc Curiam Apostolicam propriè transferri, non tantùm, quando Papa aliò discedit, sed quando unà cum Papa, aliò transfertur Cancellaria, cum Tribunalibus & Consiliariis suis, tunc enim, juxta communem modum loquendi, & concipiendi, transferri Curia dicitur, ut tradit Garcia *c. l. n.* 391. *& seq.* Ubi ait, quòd, quando Papa aliò tantùm proficiscitur, non dicatur transferri Curia, sicut quando Clemens VIII. Româ abiit Ferrariam, ad Colloquium habendum cum Carolo V. & Francisco Rege Galliarum.

531 Sed probabilius videtur, *quoad effectum reservationis beneficiorum vacantium apud Sedem Apostolicam, sive in Curia*, de qua in c. 2. & cit. c. *præsenti*, *h. t. in* 6. reservata censeri, tam beneficia vacantia, ubi est Cancellaria, & audientia causarum, & Literarum Apostolicarum, licet ibi non sit Papa; quàm vacantia in loco, ubi est Papa, quamvis ibi non sit Cancellaria, & dicta audientia, nam revera vacant apud Sedem Apostolicam, quia ubi est Papa, ibi est Sedes Apostolica, secundùm Gl. in Clement. *Execrabilis Jo.* 22. V. *Romanæ Ecclesiæ h. t.* Nam, ut declaravit Paulus III. in sua constitutione 36. si contingat Papam aliò proficisci, relictâ Romæ Cancellariâ, & Tribunalibus, ac Officialibus, tum locus, ubi est Papa, unam eandemque Curiam constituit cum loco, ubi remansit Cancellaria, & utrobique censetur esse Curia: ibi, *in suo Capite*, hìc, *in suo Corpore:* adeoque beneficia illorum, qui sive in loco, ubi Papa est, sive ubi remansit Cancellaria, vel in loco intra duas dietas inde distantè moriuntur, reservata sunt Papæ per supra dictos Canones n. 395. nisi constet illam Pauli III. constitutionem non esse usu firmatam; quibus positis:

Quæres 5. quæ beneficia reserventur 532
per c. *Licet n.* 2. *de præbend. in* 6. &. quòd *Ecclesiæ, dignitates, Personatus, & beneficia, quæ vacare contigerit apud Sedem Apostolicam*, hæc reservatio facta est per Clement. 4. Verùm hæc constitutio limitata est deinde per c. *præsenti*. de quo 528. ut procedat solùm de beneficiis vacantibus apud Sedem Apostolicam, *duntaxat per obitum Beneficiati*, non autem, alium modum vocandi, ut patet ex textu, ibi: *si eos mori contigerit.* 2. Ut illud decretum intelligatur de *omnibus* Beneficiatis (etiam Legatorum, vel Nuntiorum) qui ad Romanam Curiam veniunt, vel ab ea recedunt, si eos *mori* contigerit, vel in loco Romanæ Curiæ, vel in loco vicino, quod etiam extenditur ad Curiales in simili vicino loco morientes, ex quacunque causa illa concesserint, modò ibi domum propriam non habeant; si autem haberent domum ibi, ubi Curia residet, & ibi moriantur, eorum beneficium sub reservationem c. *Licet* non veniat, nisi antea Curialis fuerit, & ibi occasione Curiæ moriatur: si verò Curia de loco in locum transferatur, sub dicta reservatione contineantur, beneficia Curialium vacantia morte Curialis, sive Curiam sequatur, sive in loco, ubi aliàs Curia residet, decedat, constat ex dict. c. *præsenti. §. idem est, in n.* 528.

Præter hæc *not.* 1. sub dicta reser- 533
vatione beneficiorum vacantium apud Curiam non venire beneficia, quæ sunt *de jure Patronatus Laicorum*; his enim nunquam censetur derogare Pontifex, nisi derogatio fiat verbis expressis, sic Gloss. in cit. *Licet.* Ne scilicet à piis fundationibus absterreantur. Et ideo Alexander VII. in Reg. 42. de derogatione juris Patronatûs duo statuit 1. ut super impetrando beneficio, *de jure Patronatus Laicorum*, non expediantur literæ concessionis, nisi ponatur expressè, *illud tamdiu vacasse, ut fuerit ad Sedem Apostolicam devolutum, vel ad id Patronorum consensus accedat.* 2. Si contingeret Juri Patronatus derogari per Papam, *fiat ejus*

mentio

mentio dispositivè, specificè, ac determinatè, secus non censeatur ei quomodolibet derogatum; sed intellige, si Laici jus Patronatus habeant, *ex fundatione, vel dotatione, aut ædificatione*; secùs, si alio titulo v. g. privilegio, præscriptione &c. Sic Garcia *p. 5. c. 1. à n. 551. Not. 2.* sub dicta reservatione nec contineri beneficia regularia 1. quia de his non loquitur textus c. *Licet*; & sub nomine *beneficii* in odiosis non comprehenduntur, nisi exprimantur; sic Gonzalez ad 1. Reg. Cancellariæ *gl. 9. n. 11. Not. 3.* nec beneficia illorum, qui originem, sive domicilium, imò domum ibi conductam habent, ubi est Sedes Apostolica, vel Curia, ut habetur c. *præsenti* de præbend. in 6. juncta Gloss. V. *moraretur.*

534 *Not. 4.* sub illa reservatione non venire beneficia *Urbis.* Nam horum provisio non convenit Papæ juræ *reservationis*, sed *Ordinario.* Reservatio enim supponit, quod alius à Papa jure ordinario, beneficio, quod reservatur, providere possit. 5. nec beneficia *nunquam vacantia*, qualia sunt beneficia *de mensa* per *n.* 206. beneficia *alteri unita* per *n.* 299. beneficia *Ecclesiæ non numeratæ* per *n.* 280. 6. nec beneficia *manualia*, tum quia, cùm non sint perpetua in Beneficiato, non sunt strictè beneficia, tum quia per revocationem eluderetur reservatio, cùm hæc non mutet naturam beneficii *manualis. Not. 7.* nec venire *Episcopatum* 1. quia constitutio c. *Licet*, non loquitur specificè *de Episcopatu*, & sub nomine *dignitas* in dispositione odiosa (qualis est reservatio à n. 374.) non venit *Episcopatus* per *n.* 4. sic gloss. in cit. c. *Licet* V. *dignitatum.* Unde, si dicatur, Episcopatum ibi comprehendi sub verbo *Ecclesiarum*, quod denotat Ecclesias *Cathedrales*, sic dictas, quòd illis præsit Episcopus tanquam caput. R. ea, quæ speciali notâ digna sunt, nisi specialiter notentur, neglecta intelligi ut not. gloss. cit. Præsertim in odiosis, sed sic est Episcopatus per *n.* 4.

Not. 8. juxta Joannem Monachum, & Archidiaconum per, *16. q. 7. c. si quis deinceps*, nec venire sub ea reservatione *Abbatias*, & *Prioratus*, per quos principaliter reguntur Monasteria, quales sunt Conventuales, non Claustrales. Verum additio ad c. *Licet* habet, hoc non esse receptum à Curia. Not. 9. in illa reservatione non venire *præsentationem*, quæ competit Patrono Laico, ex *n.* 533. quia ibi nulla fit mentio *præsentationis*, sed tantùm *collationis*, *electionis*, & *provisionis*, præsentatio autem strictè non est *provisio.*

Dices: per c. *licet*, cuilibet, *quâcunque* authoritate polleat providendi beneficio, si hoc vacet apud Sedem Apostolicam, adimitur potestas ei providendi, nisi habeat facultatem etiam pro casu, *quo vacet apud Sedem Apostolicam*, illud conferendi; sed Patroni, etiam Laici, *aliquâ* saltem authoritate, beneficio patronato provideant per præsentationem, ergo pro casu, quo beneficium patronatum vacat apud Sedem Apostolicam, Patrono adimitur præsentatio. R. majorem esse veram de provisione *expressa in textu*, non autem secùs *præsentatio* autem, licet sit etiam aliqua *provisio*, non est tamen *expressa* in textu, sicut expressa est *collatio*, *electio.* Et quia *præsentatio* Patroni Ecclesiastici habetur in jure instar *electionis*, & vim ejus habet, ut *not. Innoc. apud Gl. in cit. c. Licet* V. *Collatio*, provisio autem Ecclesiæ vacantis per *electionem* in *cit. c. Licet*, reservetur, ab hoc non eximuntur beneficia, quæ sunt de Jure Patronatus *Clericorum.* Sed intellige, si illud habeant ratione suarum Ecclesiarum, quibus prosunt, vel etiam ex fundatione de bonis respectu Ecclesiæ acquisitis; non autem patrimonialibus. 535

Not. 10. Ex declaratione Bonifacii VIII. in c. *præsenti*, *§. loca verò*, illum locum hìc censeri *vicinum Curiæ*, qui à loco, ubi moratur ipsa Curia, *ultra duas diætas legales remotas non est.* V. hìc *n.* 518. *diætæ legales* significant iter 2. dierum, computatis 20. milliaribus Italicis, quæ juxta *Gloss. in c. præsenti.* V. *Legales* faciunt simul 4. vel summum 5. milliaria Germanica. 536

Not. 11. Constitutionem contentam in c. *Licet*, præter moderationem, quam accepit à Bonifacio VIII. restrictam esse postea ab eod. etiam in c *si Apostolica* 35. *de præbend. in* 6. ut non comprehendat Ecclesias *Parochiales* vacantes apud Sedem, *vacante Sede Apostolicâ.* 2. Ut non comprehendat beneficia vacantia

apud Sedem vivente Papâ, *si de ipsis per eum ante ipsius obitum non fuerit ordinatum*, intellige, nisi alia ratione forent reservata; Barbosa *ibid. n.* 4. sic enim loquitur in dict. c. Bonifacius VIII. *si Apostolicâ Sede vacante, aliquas paræciales Ecclesias vacare de cætero contigerit apud ipsam: statuimus, ut de eis (ne ipsarum vacatio diutina periculum valeat animabus afferre) per eos, ad quos pertinet, possit liberè ordinari; constitutione felicis recordationis Glementis Papæ, Prædecessoris nostri* (de beneficiis apud Sedem ipsam vacantibus, per alium, quàm per Romanum Pontificem minimè conferendis,) *vel aliâ quavis contrariâ super hoc editâ non obstante. Idem volumus & de illis, quæ ibidem, ipso Romano Pontifice vivente vacabunt, si de ipsis per eum ante ipsius obitum non fuerit ordinatum.*

537 *Not.* 11. Etiam à Gregorio X. in CC. generali, ut habetur c. *statutum* 3. *eod. in* 6. limitatam esse constitutionem Clementis in dict. c. *Licet*, ut licet beneficia & dignitates vacent in Curia Romana, eo statuto non obstante, Ordinarii eorum Collatores, *per se ipsos* (vel, si iter agant in remotis, *per suos Vicarios generales, in eorum diœcesibus existentes*, quibus id *canonicè est commissum*) *de illis providere possint*, si contingat ipsis non esse à Papa provisum *post Mensem*, à die vacationis numerandum.

538 Volunt aliqui, huic constitutioni Gregorii esse derogatum per Extravag. 1. inter communes, incipientem: *Piæ solicitudinis*, ubi statuitur, quòd beneficia vacantia apud Sedem, *etiam post lapsum Mensis* sint Papæ reservata: sed de hac reservatione, quoad vim suam, dubitant Zerola in praxi Episc. V. *Beneficium.* §. 3. *d.* 4. *& p.* 2. V. *Reservatio.* §. 7. Nicolaus Garcia *p.* 2. *de Benefic. c.* 1. *n.* 99. Deinde Barbosa *in c. cit. c. statutum n.* 2. cum Ænea de Falconibus, probabiliter negat, illam derogationem ex hac ratione; quia, si Bonifacius VIII. voluisset derogatum juri in c. *statutum*, non inseruisset illud libro sexto decretalium; cùm idem dicat in procœmio hujus libri sub finem, *nullas alias, præter illas, quæ inseruntur, aut specialiter reservantur in eo, decretales, aut constitutiones à quibuscunque nostris Prædecessoribus, Romanis Pontificibus, post editionem dicti voluminis promulgatas, recepturi ulterius, aut pro decretalibus habituri.* Confirmat ex eo, quòd dicta Extravagans 1. sit ejus Bonifacii de anno primo sui Pontificatus, & longè postea fuerit compilatus hic liber sextus, videlicet anno quarto, nonis Martii, & ideo, cùm in hoc libro non reperiatur inserta dicta Extravagans, signum est quòd ipse Bonifacius, ex aliqua causa motus, voluit textum hunc observari, qui est in c. *Statutum.*

Ex dictis igitur, sequitur 1. si Papa be- 539
neficia vacantia in Curia Romana infra Mensem à die vacationis non conferat, posse illa conferri à Collatoribus ordinariis; sic Gonzalez ad 8. *reg. Cancell.* §. 5. *à n.* 148. Deinde, dicta beneficia in eo casu non posse conferri à Capitulo; cùm expressè, in c. *statutum*, potestas illa restringatur ad Collationem Ordinariorum *per se ipsos*, vel, ubi sunt in remotis, ad eorum *Vicarios generales* ad hoc canonicè constitutos. V. n. 537.

Sequitur 2. quamvis per illa verba (*statuto non obstante*) in literis Papæ contenta, non tollantur statuta edita à Pontifice, vel confirmata, ut vult Barbosa *in cit. c. statutum n.* 4. in hoc tamen casu per verba (*statuto non obstante prædicto*) sublatum esse *statutum Pontificium*, quoad casum in eo contentum, ut colligitur apertè ex verbo: statuto *prædicto*, quo se refert ad statutum in c. *licet*, à Clemente factum.

Sequitur 3. per c. *statutum* non sic abrogari constitutionem c. *licet*, ut, si Papa beneficia vacantia in Curia, ante lapsum mensis, non contulit, deinde conferre non possit, re adhuc integrâ, sed tantùm, quòd tunc manus Ordinarii non amplius maneant ligatæ per reservationem factam in c. *Licet*, quoad beneficia per obitum Beneficiati vacantia apud Sedem, vel Curiam Romanam, sic Gonzalez *cit. à n.* 143. Garcia *de benefic.* 1. *p.* 5. *c.* 1. *à n.* 97.

Sequitur 4. jurisdictionem *voluntariam*, 540
quæ competit jure ordinario; ac eam, quæ *jure speciali*, in hoc differre, quòd ista extra territorium exerceri non possit, ut notat Covarruvias *t.* 3. *Variarum. c.* 20. *à n.* 9. & colligitur ex c. *statutum*, ibi; *vel* (*ipsis agentibus in remotis*) *per suos Vicarios generales, in eorum diœcesibus existentes, quibus id canonicè sit commissum*; secus est, si jure ordinario; nam Episcopus, etiam extra diœcesim existens, conferre potest beneficia in sua diœcesi vacantia; sic Covarru-

varruvias *cit. n.* 8. & Zerola in praxi Epiſc. V. *Beneficia.* §. *ad nonum*; quamvis alteri, quàm ſuo Vicario committere nequeat poteſtatem, ea beneficia conferendi, ut *not. gloſſ. V. Canonicè*, & tradit Covarr. *n.* 6.

541 Præter hæc not. circa reſtrictionem Capituli *licet*, de qua ſupr. n. 537. contentam in c. *ſtatutum*, & c. *ſi Apoſtolica*, ulterius controverſiam moveri à pluribus, an per illam Extravag. *Piæ ſolicitudinis*, de præbendis, inter communes, revocata ſit? Nam non eſſe revocatam docet Gonzalez *de Menſibus*, & *alternativis*. §. 5. *proœmii n.* 128. Barboſa *p.* 3. *allegat.* 57. *n.* 24. & in Extravag. *Piæ*, & eſſe revocatam tenet cum aliis Caſtropalaus *cit.* tum per Extravag. *Piæ*, de præbendis inter communes; tum per Extravag. *ad Regimen*, eod. etiam inter communes; tum per 1. Regulam Cancellariæ; tum denique, quia conſuetudine, ac ſtylo Curiæ, ſic firmatum eſt, ut beneficia vacantia in Curia, etiam poſt lapſum Menſis non permittantur ab Ordinariis conferri.

542 Quòd per dictas Extravagantes, vel etiam conſuetudinem, aut ſtylum Curiæ, nihil derogatum ſit diſpoſitioni in c. *ſi Apoſtolica*, concedit Caſtropalaus cit. & loquitur ſolùm *de cit. c. ſtatutum*, cui vult per prædicta derogatum. Certum pariter eſt, Capitulo *ſtatutum* non obſtare Extrav. *ad Regimen*, cùm ejus Autor (Benedictus 12.) voluerit eam eſſe ſolùm *temporaneam*, & *ad dies vitæ ſuæ*, ut patet ex textu. Deinde, cùm jura ſibi contraria potius concilianda, quàm corrigenda ſint, ſi conciliatis ſine abſurdo fieri poſſit, & Extravagans *Piæ* intelligi poſſit de beneficiis vacantibus apud Sedem, *ſi vivente Pontifice provideantur intra Menſem*, c. autem *ſtatutum* de iiſdem, *à Papa vivente non proviſis intra Menſem*, ſine omni abſurdo vitatur correctio jurium, & habetur eorum Conciliatio, ergo.

543 Quod allegat Caſtropalaus de conſuetudine & ſtylo Curiæ contrario, non procedit vi juris ſcripti in Extravag. *Piæ*, licet ejuſmodi conſuetudo eam declaret; & ex hoc c. meo judicio rectè probatur, quòd c. *ſtatutum* ſit per Extravag. *Piæ* revocatum, ſi revera ſit ea conſuetudo, & Curiæ ſtylus; at cum diſpoſitio in c. *ſi Apoſtolica*, ſit poſteriorExtravagante *Piæ de præbend.* inter communes; non hæc illi, ſed potius illa iſti derogat in his, in quibus contrariatur ei Extravaganti Garcia *p.* 5. *c.* 1. *à n.* 102. Extravagans autem, quæ incipit: Etſi *in temporalium. de præbend.* inter communes, erat temporalis, & cum ſuo Conditore exſpiravit; ſic Barboſ. *in cit. c. ſi Apoſtolica n.* 2. adeoque nec iſta præjudicat diſpoſitioni in hoc c. Quæ verò allegantur à Caſtropalao ex 1. reg. Cancell patebunt ex ſeqq.

ARTICULUS XI.

De reſervationibus extra Corpus Juris.

CUm etiam extra Corpus Juris plures reſervationes extent. 1. in Extravagantibus, de quibus aliqua mentio facta eſt à n. 522. deinde in aliis Pontificum poſteriorum conſtitutionibus. 3. In regulis Cancellariæ Apoſtolicæ; 4. In Concordatis Germaniæ: 5. In primis precibus Imperatorum; de ſingulis dicendum venit.

§. 1.

De reſervationibus contentis in Extravagantibus.

PRima eſt in Extravag. *Execrabilis*, *de præbend. ex conſtitut.* Joannis XXII. & 544
continet materiam de pluralitate beneficiorum, de qua jam egimus à n. 341. & conſtitutionem hujus Extravagantis n. 375. diximus, potius eſſe *privationem* (cùm ſit in pœnam delicti;) quàm *reſervationem*. Altera eſt in Extravag. *ad Regimen*, eod. inter communes, & hæc fuit ſolùm temporaria, ad vitam conſtituentis, ut notavimus n. 375.

Reſervantur autem per dictam Extravagantem, 1. beneficia quæcunque vacantia per depoſitionem, privationem, translationem, muneris ſuſceptionem, electionis vel poſtulationis caſſationem, vel admiſſam renuntiationem Authoritate Papæ Romæ, vel alibi factam; 2. reſervantur omnia beneficia vacantia per obitum Cardinalium, Legatorum, ſeu Nuntiorum, vel aliorum Officialium Sedis Apoſtolicæ, 3. reſervantur, & repetuntur ea, de quibus actum eſt c. *præſenti*, de præbend. in 6. 4. reſervantur omnia beneficia ſecularia, & regularia, prius obtenta, & poſſeſſa eorum, qui Authoritate Papæ promoventur ad majores Dignitates, Monaſteriorum Regimina, Dignitates, Perſonatus, Officia, Canonicatus, alia-

aliaque beneficia incompatibilia, adeptâ promotionis pacificâ possessione; adeoque omnia prius obtenta, & vacantia per promotionem, vel, si jam prius consecratus sit, & aliò transferatur, post spatium 3. Mensium. c. *Cum in cunctis.* §. *Cùm verò.* de electione.

Not. autem, quod Extravagans expressè loquatur de beneficiis vacantibus *per promotionem ad dignitates majores* v. g. Episcopatum, *factam Authoritate Papæ, immediatè*, pat. ex ejus verbis ibi: *per nos, seu Authoritate nostrâ promoti*; quæ clarius reddit constitutio Concordatorum Germaniæ de qua infra, cui, ut dictum est, illa Extravagans est inserta, sub his terminis: *Per nos, seu Authoritate nostrarum literarum immediatè collatorum*, ergo promotorum *non immediatè* à Pontifice beneficia, propter promotionem vacantia, non intelliguntur Papæ reservata perExtravag. *ad Regimen.*

§. 2.

De reservationibus in aliis Pontificum Bullis.

545 EX his primò sunt reservationes factæ à Pio V. qui in sua Constitutione *ex Apostolatus officio*, & alterâ, *Romanum Pontificem*, sibi reservat beneficia recepta in simoniacam confidentiam, deinde per constitutionem, in *conferendis*, Parochias non collatas *per concursum* juxta *Concil. Trid. Sess. 24. de Reform. c.* 18. 3. Per constitutionem *Sanctissimus in Christo*, omnia beneficia vacantia, *Episcopali Sede vacante.*

Secunda est Alexandri VI. qui per constitutionem *in Eminentia* reservat eorum beneficia vacantia, qui offendunt *litigantes in Curia Romana*, eorumque Judices, Advocatos, Testes, Procuratores, Notarios, &c. Tertia est Gregorii XIII. in constitutione: *Humano vix judicio*, qua reservantur beneficia *resignata*, quorum resignatio non est publicata juxta formam in ea constitutione præscriptam, quibus positis.

546 Quæstio est, an Bullæ Pontificum, quæ disponunt aliquid contrarium Concordatis Germaniæ, hoc ipso istis derogent, licet de his Concordatis nullam faciant mentionem? affirmativam sequitur Branden super Concordatis Germaniæ *q.* 10. *n.* 8. Verùm, cùm nulla lex generalis deroget statutis particularibus, privilegiis, aut indultis, nisi quatenus exprimit, ut dicitur in c. *Cùm ordinem* de rescriptis, & *c.* 1. *de Constit. in* 6. meritò negatur cum Rebuff. *ad Reg.* 26. *Parisis l.* 3. *q.* 6. *n.* 92. Accedit, quòd Nicolaus 5. in Concordatis, §. 4. hæc durare voluerit, *usque dum in futuro Concilio, de consensu nationis Germaniæ, aliter fuerit ordinatum*, quod hactenus non est factum. Cœterùm, quæ pertinent ad explicationem istarum reservationum colligi possunt partim ex dictis, partim ex dicendis in seqq.

§. 3.

De reservationibus contentis in regulis Cancellariæ Apostolicæ.

ANtequam dictas reservationes proponamus, *not.* per *regulas Cancellariæ Apostolicæ*, nihil aliud intelligi, quàm certas Pontificum constitutiones, quas ipsi in principio sui regiminis, circa causas *beneficiales*, vel *judiciales*, faciunt, vel à Prædecessoribus factas confirmant, augent, vel minuunt, observandas, ab his in judicio ejusmodi causarum, qui eis præsunt. Horum natura est, *ut solùm durent ad vitam Pontificis, ac eo mortuo extinguantur.* Unde, Sede vacante, nullam obligandi vim habent. Et cùm pro diversitate temporum, & Successorum Pontificum, non rarò varientur, minuantur, augeantur, fit, quòd quæ hodie in ordine est, octava, v. g. apud alios Pontifices sit. 2. vel 9. &c. quod observandum est, ne ex hujus ignorantia culpentur Scriptores in Reg. Cancellariæ. Ex hoc colligitur, has regulas non esse propriè *leges Ecclesiasticas.* Lex enim est perpetua, & obtinet etiam post mortem Legislatoris, dum vel à Successore revocetur vel contrariâ consuetudine aboleatur. *c. fin. de offic. Legati.* 547

Not. 2. Cùm hæ regulæ præscribant formam actibus celebrandis, tanquam conditionem *sine qua non*, actum sine tali forma celebratum, esse nullum, licet ignoretur illi annexam esse talem formam; quia nullitas actus tali casu solùm inducitur ex defectu conditionis requisitæ. Cœterùm actus contra tales regulas celebratus non inducit culpam, vel pœnam, nisi post 548

suffi-

sufficientem earum publicationem, nimirum eam, qua proximè aptæ sint in subditis causare scientiam earum, vel culpabilem ignorantiam, sic Zerola in praxi Episcop. V. *Reg. Cancellariæ*, quibus positis.

549 In prima regula Cancellariæ, à Paulo V. Greg. XII. & Urban. VIII. constituta resuscitatur 1. temporalis constitutio Benedict. 12. *ad Regimen*, quoad reservationem beneficiorum in ea contentorum, de qua *n.* 465. 2. reservantur beneficia, quæ reservata fuerunt per Extravagantem *Execrabilis* de qua egi. *n. cit.* 3. omnia beneficia de quibus Ordinarii Collatores contra decreta CC. Trid. disposuerunt, & disponent.

550 In secunda regula reservantur 1. omnes Ecclesiæ Cathedrales, *quomodocunque* vacaverint, *etiam extra Curiam*, quam restrictionem non habet regula 1. sic Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 30. *q.* 10. 2. reservantur Monasteria Virorum excedentia valorem auri 200. fl. quæ consistorialiter provideri solent, Azor cit. c. ult. q. 10. 3. Monasteria Virorum habentium jurisdictionem, licet electiva sint; Barbosa cit. *n.* 91. 4. beneficia *quomodolibet* ad Episcopum pertinent si vacent vacante Sede Episcopali, & quamdiu Successor non capit eorum possessionem, si eorum provisio subsit tali Episcopo; non autem, si penes eum sit eo tempore turnus sic Castropalaus *p.* 1. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 18. *n.* 5. quia tunc ei in hoc succedit Capitulum per c. *unicum*, ne Sede vacante, in 6. 5. reservantur beneficia vacantia post renuntiationem Episcopatus à Pontifice admissam, vel translationem, etiam antequam Episcopus notitiam habeat renuntiationis, admissæ, vel translationis; sic Barbosa cit. *n.* 92. Huc reducuntur etiam beneficia jure devolutionis ad Episcopatum pertinentia; quia regula 2. loquitur de beneficiis ad Episcopum pertinentibus, *quomodocunque* vacantibus, & *quomodolibet* pertinentibus.

Not. autem 1. per hanc regulam non privari, jure præsentandi, Reges, & Principes, licet jus Patronatus illis competat consuetudine tantùm, vel privilegio, Barbosa *p.* 3. allegat. 57. *n.* 85. deinde not. quòd hæc regula non reservet beneficia vacantia, quorum provisio spectat ad dignitatem Pontificis reservatam: sic Castropalaus cit. *p.* 18. *n.* 8.

In tertia regula reservantur 1. omnes 551
dignitates, actu majores post Pontificalem in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, & Patriarchalibus, ac in Collegiatis Principales, quæ excedunt 10. florenos auri communi æstimatione. Not. autem ibi ly *omnes* non apponi, ut comprehendat cujuslibet singularis Ecclesiæ dignitates *omnes*, sed solùm, ut *omnes omnium*. Hinc si in Ecclesia una sint plures, unica tantùm in ea reservatur sic Barbosa *p.* 3. *alleg.* 57. *n.* 100. excipe, nisi in una sint duæ, vel plures æquè præcipuæ Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 34. *q.* 10. *Not.* 2. sic in una Ecclesia sit unica tantùm dignitas, illam à dicta regula non reservari, juxta Zerolam, & alios apud Castropalaum *p.* 2. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 19. *n.* 4. quia tunc non verificatur, quòd sit *major* ipse tamen affirmativam censet probabiliorem quod ly *major* ibi sumatur negativè, ut major sit post Pontificalem, quæ hujus rationis non habet aliam supra se. *Not.* 3. si in tali Ecclesia prima dignitas post Pontificalem Capitulo unita sit, non esse respectu ejus locum reservationi, quia ratione unionis, quasi extinguitur, & reputanda est, acsi non esset; ac proinde prima post illam censetur prima in ordine, supra quam cadit reservatio, Castopalaus cit. *n.* 5.

Reservantur 2. in illa omnes Prioratus, 552
Præposituræ ac aliæ dignitates *conventuales*, & *præceptoriæ generales ordinum quorumcunque*, *non militarium*. Hoc intellige, de perpetuis, quæ dari solent in Commendam, & quarum electio non sit à Religiosis simul congregatis, sic Azor cit. Hinc dignitates temporales ordinum Mendicantium sub reservationem non cadunt. Barbosa cit. *n.* 104.

Reservantur 3. beneficia familiarium Papæ, & Cardinalium continuorum commensalium. Qui autem dicuntur familiares Papæ vel continui commensales. V. Castropal. cit. *n.* 7.

Per regulam quartam reservantur be- 553
neficia, quæ Collector, seu Subcollector habuit, tempore, quo officium exercuit, licet illa prius obtinuerit, de quibus fusè Castropalaus. *p.* 20. & alii. Per quintam regulam reservantur omnia, & singula beneficia quorumcunque Curialium, quos, dum Curia Romana de loco in locum transfertur, eam sequendo, de-

cedere contigerit in quovis loco quantumcunque à Curia remoto. Per 6. regulam reservat sibi Pontifex omnia beneficia Cubiculariorum, & Cursorum suorum.

554 Per 7. reservantur. 1. Canonicatus, præbendæ, dignitates, Personatus, & officia trium Ecclesiarum Urbis, S. Joann. Lateran. S. Petri, & S. Mariæ Majoris, idque ideo, ut tolleretur quæstio aliquorum infra Papam volentium, eorum collationem jure ordinario sibi competere. 2. Beneficia ad provisionem Cardinalium Episcoporum, à Curia Romana sine legitima causa absentium, spectantia ratione Episcopatus, Cardinalatus, vel ejus tituli, aut Diaconiæ, quando ea ratione Cardinalatûs, Episcopatus est annexus; Castropalaus *p.* 21. *n.* 7.

555 Octava regula (*de mensibus*, & *alternativa*, continet duas partes, quarum prima agit *de reservatione*; secunda, *de alternativa*. Per primam reservantur Papæ quæcunque beneficia Ecclesiastica cum Cura, & sine Cura, secularia, & regularia, qualitercunque sint qualificata, ubicunque existant extra Curiam, quomodocunque vacatura aliàs, quàm per resignationem, quæ ad alicujus præsentationem, electionem, vel quamvis aliam dispositionem quomodolibet pertinuerint, etiam mulierum. Per hos terminos comprehenduntur beneficia *qualificata*, aliàs in generali beneficiorum reservatione non comprehensa. Et juxta Castropalaum cit. *n.* 5. §. *Cæterum*, probabilius etiam *Patrimonialia*, nisi habeant privilegium, quòd ipsis per regulas Cancellariæ non derogetur; item *monocularia*, vel alia noviter erecta; non tamen beneficia, quæ sunt de jure Patronatus Laicorum juxta dicta n. 533. nec beneficia Ecclesiæ non numeratæ, seu receptæ.

Prædictam reservationem generalem intellige de beneficiis propriè dictis juxta *n.* 374. & 522. & vacantibus aliquando, sic Gonzalez ad *Reg.* 8. *Gl.* 5. §. 6. *n.* 9. & Castropalaus *tr.* 13. *cit. D.* 2. *p.* 22. §. 3. *n.* 2. deinde non de beneficiis aliunde reservatis. Nam reservatio hujus regulæ agit de beneficiis, quæ aliàs Ordinarii providere poterant. Nec de beneficiis per resignationem, ut patet ex priori numero sub qua etiam venit permutatio, cùm ea sit vera resignatio, per *c. unic.* de rerum permutat. & Clement. 1. cod. intellige tamen, de resignatione, quam Ordinarius admittere potest. Ex quo sequitur 1. per dictam regulam non reservari beneficia *mannalia*, ex *n.* 534. nec vacantia in Curia 3. nec beneficia regularia ordinum militarium; cum sint specialiter excepta per tertiam regulam, adeoque non intelliguntur in hujus regulæ dispositione generali, nec beneficia concordata, ut dixi supra.

Præter hæc not. 1. reservationem 556
regulæ 8. non esse *pro omni tempore*, sicut sunt reservationes priorum, sed solùm, si ea beneficia contingat vacare in Jan. Febr. Aprili, Majo, Julio, Augusto Oct. & Novembri. Ex hoc sequitur, si vacent in Martio, Junio Septembri, Decembri, provisionem relinqui Ordinario Collatori. Notat autem Castropal. cit. *p.* 22. §. 1. *n.* 1. hoc beneficium *alternativæ* concessum esse Episcopis, *residentibus verè*, ac *personaliter*, ut pat. ex textu regulæ §. *insuper*. Not. 2. hos menses incipere à media nocte præcedentis dici, scilicet post noctis duodecimam, quo casu attenditur horologium Parochiæ defuncti, de quo Castropalaus. §. 2. à *n.* 1. Not. 3. cùm Pontifex in dictis quatuor mensibus, Ordinario concessis, beneficium tunc vacans providet, sciens esse mensem Ordinarii, non teneri eum juri Ordinarii expresse derogare; sic Castropalaus *p.* 2. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 14. *n.* 1. quia est Ordinarius Ordinariorum, & horum potestas non est privativè ad Papam; unde tali casu scienter utitur jure præventionis.

Not. 4. hujus regulæ reservationem 557
durare solùm ad vitam Papæ per. *n.* 468. nam ejus beneplacitum ultra non durat; & extendi solùm ad beneficia vacantia extra Curiam quocunque modo vacationis, exceptâ vacatione per resignationem, etiam causa permutationis, quo nomine hîc (in materia odiosa) venit solùm resignatio expressa, pura; non autem conditionalis in favorem tertii, quia hæc non potest fieri, vel admitti extra Curiam. *Not.* 5. ab hac reservatione excipi Cardinales Romanæ Ecclesiæ, ut non comprehendantur in hac reservatione mensium, si sint Collatores *ordinarii*, licet sint absentes. Not. 6. in hac generali reservatione non com-

comprehendi Reges, & Principes, ob eorum altitudinem, qui ex privilegio Papæ beneficia conferunt. Not. 7. cùm ex dictis constet, vi hujus regulæ permitti Collatoribus ordinariis provisionem beneficiorum sui juris, ubi ea vacaverint certis mensibus, de quibus *n.* 556. ne, cùm Papæ pro illis supplicatur, istis præjudicium fiat, Pontificem in eadem regula constituisse, ut in impetratione ejusmodi beneficiorum exprimatur *mensis vacationis* beneficii, expressione absolutâ & certâ; sufficit tamen, si dicatur *in mense reservato*; nam hujus, non autem, quando est mensis ordinarii Collatoris, faciendam esse mentionem, ut probabilius tenet Castropalaus cit. §. 5. *n.* 5. hæc ad primam partem octavæ regulæ. Not. 8. si dubium est, an beneficium vacaverit mense *Papali*, vel *Ordinarii*, & dubium vinci non potest, sustineri provisionem Ordinarii, si prævenit Papam, quia habet intentionem suam fundatam providendi omnia beneficia suæ diœcesis c. *Regenda.* 10. *q.* 1. *c. nullus omnino* 16. *q.* 1. *c. Ex frequentibus*, de instit. *c. Conquerentè*, de offic. Ordin.

558 Secunda pars dictæ regulæ octavæ agit *de alternativa*; notandum autem, gratiam *alternativæ* in eo consistere, quòd Pontifex, non obstante reservatione, de qua in prima parte hujus regulæ, speciali benevolentiâ in Episcopos, Archiepiscopos, & Patriarchas facultatem beneficia illa conferendi indulgeat, *alternis mensibus*, sic, ut non 8. (prout ante) sed tantùm sex menses reservati maneant Papæ; reliqui sint liberi Ordinariis, ut ex dicendis patebit. Loquitur ergo de facultatibus, Episcopis *residentibus*, concessa, providendi de beneficiis *alternatim* cum Pontifice, ita ut Pontifex habeat *sex menses* sibi reservatos, qui dici solent *Papales*, nimirum *Januarium*, *Martium*, *Majum*, *Julium*, *Septembrem*, *Novembrem*, & Ordinarii totidem, scilicet *Februarium*, *Aprilem*, *Junium*, *Augustum*, *Octobrem*. Unde quando Pontifex providet de beneficiis in mensibus, Ordinario concessis, per gratiam alternativæ, requiritur, quòd expressè deroget juri ordinariorum, cùm concessa sit sub onere *residentiæ*; sic Castropalaus *p.* 2. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 14. *n.* 2.

559 Circa istam gratiam alternativam not. 1. eam concedi Patriarchis, & Episcopis ut pat. ex textu ibi: *duntaxat*, & quidem sub hac expressa conditione, *quamdiu apud Ecclesias, vel diœceses suas verè, ac personaliter residerint, duntaxat.* Not. 2. quod agat solùm de beneficiis, quæ sunt *de libera dispositione Episcopi.* Unde Capitulum, Sede vacante, hac alternativâ non gaudet. Not. 3. per gratiam alternativam non tolli reservationem octo mensium contentam in prima parte hujus regulæ, quamvis eâ durante viam aperiat Ordinariis sub onere prædicto providendi de beneficiis reservatis.

Not. 4. provisionem de beneficiis 560
vacantibus in *Junio* & *Decembri* competere Ordinariis tam in *generali reservatione*, quàm *in alternativa*: in illa *simpliciter*, in ista, *sub onere*, *si resideant.* Cùm autem Ordinariis favorabilius sit, posse simpliciter, quàm cum onere, præstat eos uti concessione generali in prima parte hujus regulæ, quoad hos menses; quàm concessione alternativæ, quia tunc providebit *jure ordinario*, non autem gratiâ alternativæ, adeoque etiam, *licet non resideat*, si dicas: ergo de beneficiis vacantibus in *Martio*, & *Septembri* poterit, & non poterit providere Ordinarius! *poterit*, quia illi duo menses in generali reservatione conceduntur Ordinario ex dictis, *non poterit*, quia per alternativam reservantur Papæ ex n. 558. R. Episcopum, postquam acceptavit alternativam, non posse providere de beneficiis vacantibus in *Martio* & *Septembri*, *esto ea* seclusâ illi competant. Et ideo eorum loco Pontifex Ordinario subrogavit *Februarium* & *Augustum*: *Junium* autem & *Decembrem* habet, è Concessione generali, & gratiâ alternativæ. Hinc sufficit acceptatio illius, sine acceptatione hujus.

Not. 5. Episcopum, quoad effectum 561
alternativæ non censeri *verè ac personaliter* residere in sua diœcesi, si sit realiter extra illam, licet in modica distantia, hæc enim non est vera sed tantùm moralis, & ficta præsentia, quod procedit, esto timore mortis, vel vi, absit verè, Castropalaus cit. *p.* 23. §. 2. *Not.* 6. alternativam acceptatam non cessare, ex quo Episcopus non residet; sed tantum cessare ejus usum, ex cessatione autem usus, non intrat reservatio 8. mensium, sic, ut in reliquis

liquis 4. Ordinarius, esto non residеat, providere possit, sed intrat reservatio gratiæ alternativæ.

562 *Not.* 7. sufficere, quòd Episcopus *tunc* residеat, quando beneficium *vacat*, esto diebus, vel horis prioribus absens fuerit, sic Castropalaus cit. §. 2. n. 6. quod verum est, esto tunc adsit solùm *transeunter*. *Not.* 8. acceptantem alternativam, *in Mense Februario* posse illa uti à puncto acceptationis recognitæ à datario, ut patet ex ipsismet verbis regulæ. *Not.* 9. gratiam alternativam, etiam acceptatam, cessare. 1. per translationem ad alium Episcopatum, 2. morte Pontificis. 3. renuntiatione acceptata à Pontifice. 4. intromissione in provisionem beneficiorum ad Papam spectantium, sed primò post sententiam declaratoriam criminis.

563 Advertendum autem, quòd Extravagans supr. cit. expressè loquatur de beneficiis vacantibus per *promotionem ad dignitates majores* v. g. Episcopatum, *factam Authorite Papæ*, pat. ex ejus verbis ibi: *per nos, seu Authoritate nostrâ promoti*, quæ clarius reddit constitutio Concordatorum Germaniæ de quo infra *n.* 566. cui, ut dictum est, illa extravagans est inserta, sub his terminis: *Per nos, seu Authoritate nostrarum literarum immediatè collatorum*; ergo promotorum *non immediate à Pontifice* beneficia propter promotionem vacantia, non intelliguntur Papæ reservata per Extravagantem, *ad Regimen*. Et cùm pro diversitate temporum, & Successorum Pontificum, non rarò varientur, minuantur, augeantur, fit, quod, quæ hodie in ordine est. 8. v. g. apud alios Pontifices veri & sub alio numero.

564 Unde notandum 10. quæ præmisimus de dictis 8. regulis Cancellariæ, intelligi de illis prout fuerunt tempore Pauli 5. Greg. 15. & Urbani 8. prout notavimus superius: dedimus autem hic eas tantum, quæ præcipuæ sunt, relatè ad reservationem beneficiorum, de qua in præsens. Cæterum tempore Alexandri VII. erant ejusmodi regulæ Cancellariæ omnino 72. Hæ porrò regulæ, cum ut dictum est, per posteriores Pontifices sæpe mutentur, non faciunt fidem, nisi ex fonte Cancellariæ, & Authoritate V. Cancellarii impetratæ cum debita forma producantur, ut habetur in Reg. 28. *sed producendis Regulis Cancellariæ*, cònditis ab Alexandro VII.

Et ideo etiam Alexander VII. in re- 565
gula 42. *de derogatione juris Patronatûs*, duo statuit, ut super impetrando beneficio de jure Patronatus Laicorum non expediantur literæ concessionis, nisi ponatur expressè; *illud tamdiu vacâsse, ut fuerit ad Sedem Apostolicam devolutum, vel ad id Patronorum consensus accedat.* 2. si contingeret juri Patronatus derogari per Papam, *fiat ejus mentio dispositivè, specificè, ac determinatè*, secùs non censeatur ei quomodolibet derogatum, qui etiam beneficia, vacante Sede Apostolica vacantia, (licet aliàs per regulas Cancellariæ, vel alias constitutiones temporales Papæ reservata) conferri posse ab illis, Sede Apostolicâ vacante, à quibus aliàs jure communi possent, statuit Reg. 69. *de beneficiis vacantibus tempore obitus Papæ*; & regulas Cancellariæ non comprehendi sub generalibus derogationibus in regula Cancellariæ. 71.

§. 4.

De beneficiis reservatis per Concordata Germaniæ.

Concordata Germaniæ ducunt originem 566
ex eo, quòd Anteriores Pontifices plurima beneficia, tam Secularia, quàm Regularia, sibi, ac Sedi Apostolicæ reservaverint, & in eorum collationibus, seu provisionibus, à provisis *annatas* seu primi anni fructus, & ab Ecclesiis *quindennia* exegerint justis utique de causis, Natione Germanicâ se ab his multum gravari sentiente; hinc eò consilii progressa est, ut inter Fridericum Romanum Imperatorem electum, & postea coronatum, aliosque Ecclesiasticos, & seculares Principes dictæ Nationis ex una; & Joannem Sancti Angeli Diaconum Cardinalem, Sedis Apostolicæ Legatum à Latere, ex altera parte, ejusdem Sedis Authoritate, pro Ecclesiæ unione, & pace, inter Ecclesiam eandem & Nationem Germanicam, diversa rationabilia & utilia edita sint, quæ Nicolaus V. Pontifex Authoritate Apostolica, ex certâ scientia approbavit, acceptavit, & communivit, constitutione suâ primâ *ad Sacram Petri Sedem*, edita 1447. Calend. April. Hæc constitutio reduci potest ad 5. §§. de quibus in seqq.

Moderatio Extravagantis ad Regimen.

Inter prima concordiæ hujus puncta 567
est moderatio Extravagantis *ad Regimen*, qua Benedictus XII. plurima beneficia provisio-

visioni Sedis Apostolicæ reservavit; Nicolaus autem V. in hisce concordatis multum restrinxit. Nam beneficia vacantia, quæ per muneris consecrationis suspensionem, quæ Benedictus XII. reservavit, in sua constitutione Nicolaus omittit; 2. etiam omittit illa beneficia, quæ erant affecta per appositionem manus à Joanne XXII. quæ Benedictus pariter reservata voluit; 3. Benedictus beneficia Officialium Sedis Apostolicæ ipsorum obitu vacantia indefinitè reservavit; Nicolaus restrinxit ad tempus, quo ipsa officia actualiter tenebant; hinc à reservatione exempta sunt beneficia ante officium, vel post hoc dimissum, obtenta; 4. Benedictus inter Officiales ponebat omnes Commensales Papæ; Nicolaus autem nominat solos *veros* Commensales, & 24. Capellanos ejusdem *in Epitophio* (hoc est in Syllabo Curialium) descriptos. 5. Benedictus reservat Ecclesias & beneficia Authoritate Apostolica collata, sive conferenda imposterum; Nicolaus restringit ad *immediatè* collata; & conferenda imposterum Authoritate Apostolica, præterquam si virtute gratia expectativæ fiat assecutio.

Ad §. Item placet, *de electione Canonica.*

568 In hoc agitur de electione Canonica, & continetur insigne privilegium Nationis Germanicæ. Nam licet olim tam in Germania, quàm etiam in aliis regnis, Ecclesiæ Metropolitanæ, Cathedrales, & Monasteria habuerint jus electionis liberæ, postea tamen tum per reservationes Pontificum, tum per Nominationes Principum hoc jus illis penitus ademptum est. In hac tamen Concordia, per Nicolaum V. Nationi Germanicæ specialiter concessum est, ut in *Metropolitanis* & *Cathedralibus* Ecclesiis etiam immediatè Pontifici non subjectis & in Monasteriis immediatè illi subjectis, Canonicæ electiones fiant, & intra tempus in c. *cupientes, de elect. in* 6. præfinitum, Romam deferantur. Additur autem 1. si dictæ electiones non fuerint Pontifici præsentatæ, habendas *pro non Canonicis*, & Pontificem provisurum: si autem fuerint Canonicæ, illas esse *confirmandas*, nisi ex *evidenti* causa de utiliore persona Pontifex duxerit providendum. 2. Quòd Pontifex curabit, ut Episcopi, & Prælati, per ipsum confirmati, vel provisi, Metropolitanis, & aliis præstent debita juramenta, & alia, quæ de jure tenentur. 3. Quòd in Monasteriis, Papæ immediatè non subjectis, & aliis regularibus beneficiis, pro quorum confirmatione, vel provisione ad Papam recurri non solet, Romam venire non tenebuntur provisi, & ipsa beneficia regularia *sub gratis expectativis* non cadent. 4. Quòd in illis Monastriis, pro quibus Romam recurri solet, Pontifex electos, aut provisos non aliter confirmabit, aut providebit, quàm supra de Cathedralibus Ecclesiis est expressum. 5. Quòd de Monasteriis Monialium non disponat, nisi sint exempta, & tunc per Commissarios ad partes. *Not.* tamen non esse in usu, quòd Episcopi, vel Prælati Germaniæ pro confirmatione *in persona* eant Romam, sed per suos Agentes.

Ad §. De cæteris, *de Mensibus Papalibus.*

Tractat hic §. *de Mensibus Papalibus*, 569 quo Nicolaus pro Concordia cum natione Germanica, restringens reservationes suorum Antecessorum statuit *seqq.* 1. quòd in cæteris dignitates & beneficia, quæcunque secularia, & regularia vacantia (exceptis majoribus post Pontificales in Cathedralibus, & Principalibus, in Ecclesiis Collegiatis) ultra reservationes in Extravag. *Execrabilis*, & *ad Regimen* contentas, sub *nulla alia reservatione*, *gratia expectativa*, aut *quavis alia dispositione Apostolica*, sub quacunque verborum facta, aut facienda, comprehendantur, si vacent in Februario, Aprili, Junio, Augusto, Octobri, Decembri.

Secundò, quòd beneficia vacantia Januario, Martio, Majo, Julio, Septembri, Novembri, speciali dispositione Sedis Apostolicæ maneant reservata, non verò vacantia in reliquis mensibus; & ex hoc vides, qui sint Menses Papales.

Tertiò, quòd, si non appareat intra 570 tres Menses à die notæ vacationis in loco beneficii, quod alicui de Authoritate Apostolica provisum fuerit, *ex tunc*, & *non antè*, Ordinarius, vel alius, ad quem illius dispositio pertinet, providere poterit.

Quartò, ut hæc alternativa possit per Germaniam publicari, & omnes, qui ea voluerint gaudere, tempus congruum habeant, eam acceptandi, vult Pontifex ex parte Sedis Apostolicæ à Calend. Junii Anno 1448. proximè futuris; currere incipiat; nisi

nisi in futuro Concilio, de consensu dictæ Nationis, fuerit aliter ordinandum.

571 *Not.* 1. Sub illo termino generali *de cæteris*, etiam venire beneficia *curata*, cùm etiam Pontifex quoad illa, in Mense Papali vacantia, alternativâ utatur. Nec obstat c. *cùm illis, eod. in* 6. ubi dicitur sub generali voce *beneficii*, non venire *Curatum*. Nec quoad hanc alternationem illi derogatum est per hæc concordata. *Not.* 2. per hæc concordata, majores dignitates post Pontificalem in Cathedralibus, & principales in Ecclesiis Collegiatis, à reservatione non esse exemptas, ut constat ex n. 569. Tales sunt Præpositura, Decanatus.

Not. 3. Quando dicitur, jus beneficii vacantis in mense Papali conferendi, esse penes Ordinarios, si non appareat intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii, alicui de illo provisum esse à Papa, verba illa, *si non appareat*, non appellare supra illa *in loco beneficii*, sed supra hæc: *à die notæ vacationis*. Ut sensus sit, tunc jus illius beneficii conferendi esse penes Ordinarios, *si intra tres menses, à die notæ vacationis numerandos, non appareret*, seu constaret *alicubi* saltem, alicui de illo provisum esse à Papa. Sic declaravit Greg. XIII. Anno 1576. quam declarationem Collectaneis suis inseruit Georgius Branden *Canon. August. super Concord. Not.* 1. *à n.* 6. *& seq.*

Ad §. placet similiter, *de Annatis, & Quindenniis.*

572 Ante doctrinam in *cit.* §. datam *Not.* 1. nomen *Annatæ*, esse nomen generale, & sic accipi pro quodam vectigali, seu pensione, quam is, qui beneficium Ecclesiasticum obtinuit, aut ad certam aliquam Ecclesiasticam præfecturam promotus est, ex fructibus, qui primo anno colliguntur, solvere debeat, sic Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 12. Continebat autem *annata* sub se varias species, ut not. Fagnanus in c. *præterea*, ne Prælati vices suas. n. 8. nimirum *annatas proprie dictas, servitia communia, minuta*, vel *quindennia*. Propriè sumpta significat reditus primi anni solvendos Curiæ Romanæ pro expeditione cujuscunque beneficii Consistorialis in Camera non taxati; sic Joannes Streinius *p.* 1. *tit.* 2. *de Beneficiatis* §. 9. *n.* 1. ex Laërtio Cherubino in principio Bullarii. Alii dicunt, esse fructus primi anni solvendos Papæ, ex Archi-Episcopatibus, Episcopatibus, Prælaturis, & aliis beneficiis, immediatè Sedi Apostolicæ subjectis, post novi Prælati electionem.

Not. 2. Quòd per *communia servitium*, 573
ut ait Fagnanus *cit. n.* 11. intelligebatur ea pecuniæ quantitas, quæ pro quolibet Episcopatu, vel Abbatia *Consistoriali*, secundùm antiquam taxam, solvenda erat, cujus dimidium Papæ, reliquum Sacro Collegio Cardinalium inter præsentes dividendum, obveniebat. *Minuta servitia* erant portiunculæ, quæ secundùm portionem taxæ factam Episcopatus, vel Abbatiæ inter certos Papæ Ministros & Officiales distribuantur. Per *quindennia* denique intelligitur pensio, quam abolitis aliis solutionum *annatarum* terminis, usque ad sua tempora observatis, constituit Paulus II. *ex beneficiis perpetuò unitis*, solvendam ab illis, in quorum favorem unio facta est, sic Fagnanus.

Not. 3. Romæ duos esse libros, quibus utitur Camera Apostolica: *primus* continet mercedem Officialium, qui expediunt literas Apostolicas pro labore taxatam; *secundus* continet valorem beneficiorum *Consistorialium*, ex quibus annatæ solvi debent, quæ etiam dicuntur communia servitia.

Not. 4. Ut annatarum, & quinden- 574
niorum solutio rectè fiat (nimirum juxta valorem beneficiorum) hìc non debere attendi verum valorem, quem *in se* habent; sed quem habent juxta æstimationem *ex stylo Curiæ Romanæ*. Nam juxta hunc, ut notat Chokier *ad Reg. Cancellariæ*. 61. nullus Canonicatus Germaniæ, & Hispaniæ, pluris inscribitur, quàm ad valorem 24. ducatorum seu florenorum auri de Camera, qualiscunque sit verus valor, esto ascendat ad mille ducatos annuos.

Not. 5. Illa beneficia vacari *Consistorialia*, quæ dantur *Consistorialiter*, hoc est, in Consistorio Cardinalium, rogatis à Pontifice istorum sententiis, seu suffragiis, qualia sunt Archi-Episcopatus, Episcopatus, & Prælaturæ immediatæ subjectæ Sedi Apostolicæ; Wagnereck *l.* 3. *tit.* 5. *de præbend. in Extravag. commun. de Concordat. German. ad* §. 4. his præmissis inter Nicol. V. & Fridericum III. Imperatorem, pro his, quoad Nationem Germaniæ, seqq. concordata sunt.

Primò, ut de Ecclesiis Cathedralibus, 575
& Monasteriis Virorum, vacantibus, & vaca-

vacaturis, Apostolicæ Cameræ de fructibus primi anni à die vacationis solvantur pecuniæ in libris Cameræ taxatæ. *Not.* autem hoc intelligendum esse de annata *integra*, sic Cardinalis Fusch. V. *Annata Conclus.* 328. *Not.* 2. intelligendum esse de annata *ex fructibus*, non prout sunt revera; sed prout sunt taxati in Camera Apostolica, secundum præmissa. *Not.* 3. intelligendum esse solùm de Ecclesiis, & Monasteriis *Consistorialibus* ut constat ex Pirhing. *de præbend. à n.* 364.

576 Secundò, ut, si quæ Ecclesiæ *excessivè* taxatæ sunt, relaxentur, & provideatur, ne nimium prægraventur; ad quod *not* ex Wagnereck *cit. ad* §. 4. *Concordat. in fine. not.* 2. quòd hæc moderatio adhuc hodie peti possit, ubi beneficium excessivè taxatum est, tertiò ut prædictæ taxæ *pro media parte* infra annum à die habitæ pacificæ possessionis, totius vel majoris partis, solvantur, & pro alia media parte intra sequentem annum. Quartò, ut si intra annum bis, vel pluries vacaverint, semel tantùm solvantur, nec debitum hujusmodi in Successorem in Ecclesia, vel Monasterio transeat; Quintò, ut cæteris Dignitatibus, Personatibus, Officiis, & beneficiis, quæ Authoritate Papæ conferuntur (præterquam vigore gratiæ exspectativæ, aut causa permutationis) solvantur annatæ, sive medii fructus juxta taxam solitam à tempore possessionis infra annum; debitum autem hoc similiter in Successorem non transeat; Sextò, de beneficiis, quæ valorem 24. florenorum auri de Camera non excedunt, nihil solvatur. *Not.* autem valorem beneficii, intelligi hoc loco, non eum, quem beneficium verè in se habet, sed quem habet in æstimatione & taxatione Cameræ Apostolicæ, ut notatum est n. 574. Septimò, ut hæc observantia duret, nisi eam similiter in futuro Concilio, *de consensu ipsius Nationis Germanicæ*, contingat immutari.

577 Ex his præmissis apparet moderatio, quam in hac concordia Nationi Germanicæ præstitit Pontifex. Nam 1. ex beneficiis Consistorialibus non amplius petitur annata, nisi prout taxata sunt in Camera Apostolica, ut dictum est n. 575. Deinde ex liberali Pontificis oblatione minuendi onus taxæ *excessivæ*, si quæ sit Ecclesiis imposita. 3. quòd concedantur duo anni ad annatas integras solvendas ex n. 576. 4. quòd non petatur bis, si intra annum Ecclesia pluries vacet, nec onus prioris annatæ transeat ad Successorem. 5. Quòd de cæteris beneficiis *non Consistorialibus*, quorum valor excedit 24. ducatos, petitur solùm media annata, cujus tamen debitum non transeat ad Successorem ex n. 576. 6. Quia vi Concordatorum, de gratiis exspectativis, & permutationibus beneficiorum nullum est impositum onus, cùm clarè sint exceptæ, ut notavimus n. 576. 7. Quia de beneficiis, quæ non excedunt valorem 24. aureorum, excessu accepto juxta taxationem Cameræ Apostolicæ, nihil solvitur, ut constat ex n. cit. taxatio autem hæc non est facta juxta verum valorum, sed longè infra, ut ibidem dictum est.

Præter hæc *not.* 2. quæ hìc diximus de 578
annatis, debere accipi, in quantum habent locum in Germania *vi Concordatorum*, nam in aliis partibus aliter exiguntur, de quibus V. Streinium *p.* 1. *Juris Can. ad tit.* 2. *de benefic.* §. 9. Pirhing. *cit.* & alios. Quando autem quidam objiciunt, hanc exactionem *annatarum* videri Simoniacam, negativè respondet Fagnanus in c. *Præterea*, ne Prælati vices suas n. 3. Nam, ut inquit ille, aliud est de his, quæ sunt *Simoniaca*, *quia prohibita* constitutione Canonica, aliud de his, *quæ sunt prohibita*, *quia Simoniaca*, ut vendere, emere Sacramenta. In primo casu cum Hostiensi & aliis ibid. cit. docet, non committi Simoniacam, si fiat Principe authorizante & sciente, cum constitutio super tali Simonia non liget promulgantem: Secùs, est in secundo, ita ille plurimis argumentis graviter defendens usum licitum annatarum. Sed rectius dicitur, annatas non exigi, ut *pretium* beneficii, sed, ut *stipendium* in sustentationem, & alimenta Ministrorum Ecclesiæ, ut notat Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 13. *q.* 7. ea verò, quæ contra annatas objiciuntur, & ex decreto Consilii Basileensis desumuntur (ut videri potest apud Fagnanum *cit. n.* 57. quo penitus aboletur jus annatarum) nullam habere vim; cum decretum illud conditum sit tempore Schismatis in eo Concilio, nec unquam approbatum, sed reprobatum à legitimo Pontifice, ut ostendit Fagnanus *cit.*

Loquendo nunc de *quindenniis*, quo- 579
rum definitionem dedimus n. 573, nota 2. ea esse constituta per Paulum 2. pro beneficiis

ficiis perpetuò unitis, ut habetur in Extravag. seu constit. 6. ejusdem, quæ edita est 1469. & incip. *Decet Romanum* quæ habetur in Bullario Rom. *tom.* 1. *pag.* 330. ut ait Fagnanus *cit. n.* 13. & Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 13. inducta porrò sunt in locum annatæ, & significant pensionem, decimo quinto quoque anno solvendam, ex beneficio in gratiam alicujus Communitatis vel Collegii, illi unito. Cùm enim Communitas non moriatur, beneficium tale nunquam vacat; adeoque illius nova provisione opus non est. Ne tamen ex hac unione proventus Cameræ minuerentur, nati aliàs ex talis beneficii vacantis provisione per annatæ solutionem, quindennia constituta sunt, quibus positis.

580 Quæres 1. An *quindennium* solvi debeat ex quibusvis beneficiis in perpetuum unitis cuicunque Ecclesiæ? 2. An solvi debeat beneficiis, quæ ante Martinum V. fuerunt unita Collegiis? 3. An ex beneficiis Collegio unitis, sed in distributiones quotidianas conversis? 4. An ex beneficiis unitis Collegio; vel Universitati, specialiter exemptæ?

Ad 1. R. Constitutiones Pontificias, *de solvendo quindennio*, hactenus editas, loqui solùm de beneficiis, quæ perpetuò unita sunt Collegiis, mensis Capitularibus, Societatibus, Congregationibus, & quibuslibet locis, quæ causâ communis pietatis extructa sunt; adeoque illis beneficiis perpetuò unitis, *quæ nunquam amplius vacabunt*, sic Azor *cit. c.* 13. *q.* 4. Ex hoc colliges ex beneficio, quod perpetuò unitum est alicui dignitati, Præposituræ, vel Decanatui, non deberi quindennium, quia illæ dignitates vacare solent, consequenter, & beneficia ipsis annexa.

581 Ad 2. R. hoc non præcipi per Constitutionem Pauli 2. sed Pauli 4. constitutione incipiente: *Decens esse*, ubi dicitur, *quindennium* deberi ex omnibus beneficiis cuilibet loco, Collegio, vel communitati ante Martinum V. unitis; quod apertius habetur in Bulla 33. Sixti V. quæ incipit, *Cameræ nostræ. §.* 2. qui suam constitutionem extendit ad omnia beneficia, *hactenus unita, & deinceps unienda, esto sint manualia, Patronata, etiam de Patronatu Laici, etiam Imperatoris, singulorum*, vel, *si plura unicis literis comprehensa, omnium insimul.* Not. autem hoc procedere de beneficiis quorum valor 24. ducatos auri de Camera excedit, ita Sixtus *loc. cit.* 2. de his, quæ in Camera Apostolica taxata non sunt, ut ex illis quovis 15. anno solvatur medietas tantùm annui proventûs, ut ait Paulus 2. *in constit. cit. §.* 4. *Not.* 3. quòd Paulus 2. *§.* 3. agat de beneficiis unitis, *& in Camera taxatis*, quorum summa annui proventus ostendit *ad centum florenos auri de Camera, secundùm communem æstimationem.* Ex hoc autem sequitur, deberi ex beneficiis perpetuò unitis, & non amplius vacaturis, tam secularibus, quàm regularibus, etiam exemptis, & in distributiones quotidianas conversis, licet sint de Jure Patronatus Laici; quia constitutio Pauli IV. & maximè Sixti V. universaliter loquitur. Et hinc *pat. ad* 3. 4. *&* 5.

Not. Præterea, *quindennia* non debe- 582
ri de beneficiis perpetuò unitis & nunquam vacaturis, *nisi ex eadem solverint ante unionem.* Nam ut constat ex Constit. Pauli 2. *§.* 2. *quindenniorum* onus Ecclesiis unitis impositum est, ne per hoc, quod beneficia nunquam amplius vacatura sint, consequenter nunquam latura vectigal quod prius pendebant, Camera Apostolica, Collegium Cardinalium, & Sedis Apostolicæ Officiales detrimentum non modicum paterentur, id, quod occasione unionis non evenit, si ante unionem nihil pendebant.

Ad §. finalem, de Clausulis Concordatorum.

In hoc *§.* finali continentur Clausulæ 583
Concordatorum; quarum *prima* est, quòd Nicolaus V. per hæc Concordata in aliis, quæ per Eugenium IV. pro Germanis usque ad futurum Concilium permissa, concessa, indulta, & decreta, & per Nicolaum V. confirmata fuerunt, nihil eorum velit immutatum, in quantum hic concordatis non obviant; *Secunda* est, quòd si in his, vel aliis literis specialiter mentionetur *Alemannia* non debeat censeri distincta à Natione Germanica. Reliquæ nihil habent peculiare.

Pro explicatione *Not.* 1. Bullam, 584
seu Constitutionem Eugenii IV. de qua hìc sermo est, haberi *tom.* 1. Bullarum *fol.* 279. & inter Constitutiones ejus esse, 29. quæ incipit, *inter cætera*, ac emanavit 1447. 7. Idus Febr. Hanc constitutionem deinde,

appro-

approbavit ejus Succeſſor Nicolaus V. 10. Aug. 1447. & non habetur in Bullario; approbavit rurſum ſecundò per conſtitutionem *ad Sacram*, & hæc inter ejus conſtitutiones in Bullario eſt; Sed cum præmiſſis clauſulis.

Not. 2. in citata conſtitutione Eugenii contineri ſeqq. & in §. 1. quòd quidam Prælati, Principes Nationis Germanicæ, ob diſſenſionem ſecutam Conſilii Baſileenſis, neutrales fuerint, & mox obedientiam huic Pontifici, nimirum Eugenio præſtiterint.

585 In §. 2. quòd Eugenius attendens, *tempore prædicto* plurima in dicta Natione geſta fuiſſe, quæ Sedis Apoſtolicæ Authoritatem requirebant; & ideo collationes, & proviſiones beneficiorum Authoritate Ordinaria factas, hâc conſtitutione Authoritate ſua confirmat, & in §. 3. Eorum poſſeſſores non moleſtari præcipit; In §. 4. lites deſuper pendentes extinguit; quin imò in §. 5. easdem Eccleſias, & beneficia eisdem de novo confert, exceptis duabus Eccleſiis in §. 6. quibus præjudicare noluit.

586 In §. 7. acta *tempore ſuſpenſionis* in præjudicium Imperatorum ac Principum tam Eccleſiaſticorum, quàm ſecularium Nationis Germanicæ, item Eccleſiaſticas *cenſuras* mulctas, pœnas, & irregularitatis, & inhabilitatis maculas tam à jure, quàm ab homine propter præmiſſa quomodolibet *promulgatas*, ſeu *inflictas*, *promulgandas quoque*, *ſeu infligendas*, quoad Regem, Archiepiſcopos, & Marchiones prædictos, eorumque dominia, Clericos, ſubditos, & Vaſallos ejus Nationis, caſſat, irritat, annulat, nulliusque eſſe roboris vel momenti Pontifex decernit.

587 Ex hoc §. multi deducunt, *excommunicationes*, *& reliquas cenſuras in Germania non habere locum*, idque per hæc Eugenii concordata cum Natione Germanica, cùm Pontifex expreſſe dicat, *ſe omnes cenſuras*, *non modo promulgatas*, *& inflictas*, *ſed etiam promulgandas*, *& infligendas contra Germaniæ Principes*, *eorumque ſubditos*, *& Vaſallos*, *eſſe irritas*, *nullas*, *nullius roboris*, *& momenti*: Sed falluntur; quia Pontifex in cit. §. 7. *illas tantùm* cenſuras inflictas & infligendas, promulgatas, & promulgandas contra Nationem Germanicam, decernit eſſe irritas, nullas, ac nullius roboris & momenti, quæ *propter præmiſſa*, quæ dictâ ſuſpenſione, & proteſtatione *durantibus*, quæ præmiſſorum occaſione (nimirum occaſione, & durante turbatione, & usque ad ſtatum pacis) *in* & *poſt* CC. Baſileenſe infligendæ; promulgatæ, & promulgandæ. Ex quo clarè vides, illationem eorum nullo modo fundatam eſſe. Aliqui ſe fundant in Bulla, ſeu conſtitutione Nicolai V. de anno 1447. in April. Clem. VII. de anno 1534. 13. Jul. & Greg. XIII. de anno 1576. im Novembri: ſed nec in his ullum verbum eſt infavorem dictæ illationis, ut pluribus oſtendi; earum conſtitutionum oculatâ exhibitione.

In §. 8. relaxat obligationes circa *annatas* Cameræ Apoſtolicæ debitas: In §. 9. confirmat indulta, & diſpenſationes, concernentes forum conſcientiæ, iis exemptis, quæ tales eſſent, quas hactenus Sedes Apoſtolica concedere non conſuevit: In §. 10. providet circa ſententias Romæ, vel Baſileæ prolatas. 588

In §. 11. omnes, qui Congregationi Baſileenſi adhæſerunt, poſt Concilii diſſolutionem ab omnibus cenſuris, & pœnis abſolvit, ſi ad Pontificis obedientiam reverſi ſunt, aut intra ſex menſes revertantur. In §. 12. pollicetur omnia prædicta ſe obſervaturum. In §. 13. omnibus Contrariis derogat. Ex his facilè concludi poteſt, qui confirmatio Nicolai V. Conſtitutionis Eugenii IV. operetur.

ARTICULUS XII.

De regulis Cancellariæ Apoſtolicæ.

589 PEr *regulas Cancellariæ Apoſtolicæ* intelliguntur Ordinationes, & conſtitutiones Pontificum, ſecundùm quas Cancellaria Apoſtolica per V. Cancellarium, qui eſt ſupremus poſt Papam Judex in pertinentibus ad expeditionem juridicam Bullarum, gubernari debet. V. Caſtropalaus *tr.* 13. de benefic. *D.* 2. *p.* 17. Alexander VII. poſtridie electionis ſuæ, 8. Apr. 1665. regulas, quas nunc breviter exponemus, fecit, quas obſervari voluit etiam nondum publicatas; ſed intellige, quoad affectum nullitatis actus in contrarium geſti, non

tamen quoad culpam, & pœnam de quo V. dicta *lib.* 1. *decret. tit.* 2. *de Constitut.* advertendum autem, ad valorem istarum regularum non requiri aliam solemnem publicationem, quàm quod sint publicè constitutæ, ita ut à puncto constitutionis suum effectum habeant quod nullitatem non autem quoad culpam, & pœnam, provisionis in contrarium factæ.

Ad Regulam I. de reservationibus Generalibus, & Specialibus.

590 Hæc regula non continet aliud, quàm reservationes beneficiorum contentas in duabus Extravagantibus *ad Regimen* & *Execrabilis*; ac eorum, quæ CC. Trid. de Collat. beneficiorum decrevit. V. Castropalaus *cit. p.* 17. eamque expositimus supr. à n. 547.

Ad Regulam 2. de reservationibus Ecclesiarum Cathedralium.

591 Per istam regulam reservantur. 1. generaliter omnes Ecclesiæ Episcopales, & his superiores, nec non omnia Monasteria Virorum, quæ valorem annuum ducentorum florenorum auri excedunt, & præcipit, ut hic valor in literis exprimatur. Sed hæc regula in Germania non habet locum juxta dicta à n. 550. Not. præterea per eandem reservari dignitates, & beneficia omnia, *strictè collativa*, quæ vel per obitum Episcoporum, vel eorum dimissionem, usque ad novam provisionem, Authoritate Apostolica faciendam, & adeptam à Successore pacificam possessionem, aut vacabunt. Sed nec istud Germanos ligat; cum Episcopi electi, aliisque, de beneficiis ad suam collationam propriè spectantibus, quæ vacare contigit Sede vacante, liberè post confirmationem provideant.

592 Ad Regulam 3. de extensione reservationis beneficiorum, quæ per pacificam alterius assecutionem vacabunt. Ut effectus hujus regulæ sequatur, observari debet Extravagans *Execrabilis*, inter communes de præbendis, de qua dictum est supr. à n. 551.

In Regula 4. reservat generaliter dignitates majores post Pontificales in Ecclesiis Cathedralibus, & principales in Collegiatis; Prioratus, Præposituras, aliasque Dignitates Conventuales, ac Præceptorias Generales ordinum non militarium, nec non beneficia suorum & S. R. E. Cardinalium familiarium. V. *n.* 553.

In Regula 5. reservat generaliter beneficia Collectorum & subcollectorum; in 6. beneficia Curialium, dum Curia transfertur in 7. beneficia cubicularium, & Cursorum; in 8. beneficia Ecclesiarum S. Joann. Lateran. S. Petri, S. Mariæ Majoris de Urbe, item beneficia titulorum Cardinalium à Curia absentium, de his V. à *n.* 555.

Ad Regulam 9. de reservatione 8. mensium Apostolicorum, & alternativa pro Episcopis residentibus.

Per hanc Regulam Alexander VII. 593 sibi reservavit omnia beneficia qualitercunque qualificata, & aliter, quàm per resignationem vacantia in Januario, Februario, Aprili, Majo, Julio, Augusto, Octobri & Novembri. Verum in Germania locum non habet, ut constat ex Concordatis Germaniæ à n. 566. quod etiam procedit de secunda parte ejusdem regulæ, ubi Episcopis personaliter residentibus in suis Ecclesiis concedit pro sex mensibus alternativam ad conferenda beneficia, quæ ad liberam ipsorum duntaxat, & ab aliis independentem dispositionem pertinent. de his V. n. 555.

Ad Regulam 10. *de literis in forma communi* rationi congruit *expediendis.*

Cùm quandoque contingat, gratias 594 à defuncto Pontifice concassas, priusquàm expedirentur, in expeditas remanere ob ejus mortem, condita est regula, qua Alexander VII. voluit eas suo nomine expediri in forma literarum *Rationi congruit.*

Circa quod *not.* 1. literas expediri per Cancellarium sive nova concessione, sive Signatura Pontificis: quia gratia perficitur per solam signaturam, etiam ante expeditionem Bullarum, quæ requiruntur solùm ad probationem; ita Chokier ad Reg. 9. Pauli V. *Not.* 2. hanc regulam locum habere in gratiis concessis etiam ab aliis, quam immediato Prædecessore. Exhibenda tamen est supplicatio à Prædecessore Pontifice signata ad hoc, ut Cancellaria istam expeditionem faciat.

ciat. De clausula in forma (*Rationi congruit*) V. n. 459.

Ad Regulam 11. *de declaratione reservationis factæ per Prædecessores.*

595 In hac regula declarat Pontifex, omnia beneficia, quæ sui Prædecessores, interpositione decreti, reservârunt, cùm vacarent tempore obitus Ordinariorum, pro hac vice manere *affecta*, quid porrò denotat hæc *affectio?* quem effectum pariat? & an beneficium affectum eo ipso evadat reservatum? diximus à n. 372.

Ad Regulam 12. *de revalidatione literarum gratiæ, & justitiæ.*

596 Per hanc regulam Alexander VII. revalidavit literas gratiæ & justitiæ, à suo Antecessore concessas infra annum ante obitum, quæ temporibus debitis præsentatæ non sunt Executoribus, seu Judicibus, sic Rebuff. ad reg. 10. Urbanus VIII.

Ad Regulam 13. *de revocatione unionum.*

597 Per eam revocantur, & cassantur omnes beneficiorum uniones, cujuscunque Authoritate factæ, *quæ suum nondum sortitæ sunt effectum*, exceptis illis, quæ faciendæ erant Authoritate Tridentini, vel pro fundatione, aùt dotatione Collegiorum, vel aliorum locorum piorum institutorum ad fidei defensionem, bonarumque artium cultum. Rebuff. tamen ad regulam 12. Urban. 8. annotat hanc revocationem unionum intelligi de illis, quæ factæ vel faciendæ erant *Authoritate Papæ per Judicem in partibus*, non autem *Ordinariam.*

Ad Regulam 14. *revocatio facultatum concessarum.*

Cùm inter Doctores fuerit dubium, an facultates, à Papa concessæ exspirent ejus morte? per hanc regulam Pontifex tollit illud dubium, & facultates, quibusvis concessas, quod omnia in quibus ipsæ non sunt sortitæ effectum, revocat.

Ad Regulam 15. *de reservatione facultatum conferendi beneficia reservata.*

Per eam revocantur facultates, & indulta, quibuscunque personis (*exceptis Cardinalibus*) concessa, per quæ possent libere disponere de beneficiis Ecclesiasticis, *generaliter reservatis*, vel affectis ad eorum provisionem spectantibus. Hinc nisi denuo concedantur, prior concessio nulla est.

Ad Regulam 16. *de dictionibus numeralibus.*

Ut in literis Apostolicis crimen falsi 598
amplius tollatur, vult Pontifex, ut dictiones *numerales*, poni solitæ ante *Calendas*, & *idus*, non per cifras, sed per *literas*, & *Syllabas* integrè scribantur, & si secùs scriptæ fuerint, ad bullarium, seu Regiſtraturam Literarum Apostolicarum non mittantur. Circa quod not. ex Wagnereck ad 16. reg. Alexandri VII. idem in praxi servari in literis circa *annum*, ut non cifris v. g. 1693. vel abbreviatè, ut MDCLXXXXIII. sed *verbis* scribatur extensè, seu integrè expressis, ut dicam statim. *Nvt.* 2. Literas Apostolicas, in quibus dies mensis *cifris* scriberetur (v. g. 8. Calend. 5. nonas 6. idus Maji) haberi pro subreptitiis, & suspectis de falsitate; quod semper contingit, ubi non servatur stylus Curiæ c. *quàm grave.* De crimine falsi, & c. *ex literis* de Constitut. *Not.* 3. quando præcipitur, quòd aliquid *extensè* scribatur, v. g. *annus*, aut *dies*, *mensis*, non sufficere abbreviaturam v. g. C. pro centum. L. pro quinquaginta; Sic Rebuff. ad regulam 15. Urbani VIII. de dict. numeralibus.

Ad Regulam 17. *de concurrentibus in data.*

Cùm contingat, quod sæpe plures 599
concurrant *in data*, hoc est, accipiant literas gratiæ super beneficiis vacantibus, vel vacaturis *eodem die datas*, in hac regula Pontifex statuit *qualitates*, ob quas habens, non habenti, præferri debeat in casu Concursus *in data.* Prima est, quòd ex 2. habentibus eandem datam, is præferendus sit, qui habet clausulam *motu proprio*, ei, qui non habet, quod locum habet, tum in mandatis (de beneficio vacaturo) quàm impetrationibus de vacante, Rebuff. ad Reg. de concurr: Secunda est, quòd graduatus non graduato, & ex graduatis, magis graduatus præferatur v. g. Doctor, Licentiato, ex æqualiter autem gratuatis, prius graduatus: Si autem in his omnibus æquales forent, legens, seu actu docens, non legenti

genti præferendus esset, & inter non graduatos, actu studens non studentibus; & Scholastici non Scholasticis: Sic Rebuff. cit. Tertia est, quòd possessor, cum titulo saltem colorato, præferendus sit non possessori: 4. præsentes in Curia, non præsentibus; inter præsentes non Beneficiati habentibus beneficia, 6. inter absentes oriundus non oriundo; & diœcesanus non diœcesano, 7. in reliquis præferatur is, qui literas prius executoribus præsentavit.

Ad Regulam 18. *de non tollendo jus quæsitum.*

600 In hac regula declarat Pontifex, in dubio, non esse suæ intentionis per suas gratias, vel literas uni concessas, tollere alteri jus legitimè quæsitum, esto concessæ forent cum clausula motûs proprii, & ex certa scientia. *Not.* autem 1. quòd Papa non intendat alteri tollere jus quæsitum per illam signaturam, seu concessionem, gratiam, vel literas Apostolicas pro commissionibus, mandatis, seu declarationibus nisi exprimat. Ex hoc colliges, commissionem remittendi delicta, quibus annectitur pœna, non extendi ad pœnam parti applicatam, vel applicandam; 1. donationem fundi, factam à Principe, non liberare donatarium à collectis Civitati faciendis, 3. legitimationem, ut quis possit succedere patri, non extendi ad successionem, si legitimatio facta est post mortem patris, quia fieret in præjudicium juris, *legitimo* quæsiti. *Not.* 2. quòd Wagnereck ad cit. reg. velit, hanc procedere de jure tertii, sive habeat jus *in re*, sive *ad rem*, cùm regula indefinitè loquatur; Rebuffus autem ad eandem §. *decimo*, doceat, quòd præservet solum habentem jus in re, & probat ex jure præventionis de quo diximus *n.* 423. 2. quòd illa regula non comprehendat jus *quærendum* spe non approbatâ. 3. Regulam non habere locum, uti alias concessio non haberet effectum, hinc, si Papa mandat. 2. Ecclesias uniri, mandatum intelligitur cum præjudicio tertii, sed in illis tantum, quæ arbitraria sunt, & manualia.

Ad Regulam 19. *de Viginti.*

601 In hac regula dicitur, quod beneficium non vacet *per renuntiationem*, sed *mortem*, si resignans sit infirmus, & non supervivat 20. dies, computandos à die præstiti consensûs, 2. quod beneficii Collatio, quacunque Authoritate facta in eo casu, *titulo resignationis*, nulla sit.

Pro explicatione *Not.* 1. hanc regulam procedere de quolibet, qui infirmus beneficium resignat, vel aliàs dimittit, aut commendæ illius cedit, vel dissolutioni unionis consentit, licet vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ; Sic Urbanus VII. in reg. de Viginti.

Not. 2. Hoc statui ad cavendas fraudes varias in ejusmodi resignationibus quandoque intervenientes, ne scilicet propter ejusmodi procuratas resignationes, Ordinarii à collatione, & nominati, seu expectantes à suis juribus excludantur, 2. ne de beneficiis disponatur per viam successionis, & modum ultimæ voluntatis, ut dicitur in c. *plerique* 8. *q.* 1. *& c.* 2. de renuntiat. in 6.

Not. 3. Prædictam regulam habere locum, 1. in omnibus beneficiis Ecclesiasticis, secularibus, regularibus, simplicibus, curatis, & dignitatibus, etiam Patronatis, imò etiam in Episcopatibus, & dignitate Cardinalitia, imò etiam cùm fœminæ (ut Abbatissæ) resignant; Sic Rebuff. ad reg. de viginti.

Not. 4. Quòd hæc regula locum ha- 602
beat in renuntiationibus, etiam extra Curiam Romanam, coram Ordinario, vel aliis factam, licet cum reservatione fructuum, vel ex parte, licet causâ permutationis, constat ipso regulæ textu.

Not. 5. Dispositionem hujus Regulæ non esse odiosam, sed favorabilem, cùm inducta sit ad cavendas fraudes, ob bonum publicum, & conformetur juri communi, ita Pirhing de Renunt. n. 32.

Not. 6. Sub hac regula etiam comprehendi renuntiationem beneficii, vel perpetuò, vel temporaliter commendati, item beneficii uniti, ut constat ex ipsis verbis regulæ, uti etiam de qualibet illius dimissione.

Not. 7. ut ea regula habeat locum, 603
requiri, quod quis *resignaverit*, vel dimiserit, vel in dissolutionem unionis consenserit vel per se, vel Procuratorem consensu facto in loco, ubi fit resignatio & admisso à Superiore, sic Rebuff. ad reg. cit. gl. 3. & 11.

Not. 8. si fiat resignatio in mense Capitulari,

pitulari, & resignans intra 20. dies moriatur in mense Papali, beneficium vacare non per renuntiationem, sed mortem; adeoque collationem spectare ad Papam. Pirhing *de renuntiat. n.* 32.

Not. 9. Ut locum habeat hæc regula, requiri 2. *quod resignatio fiat ab infirmo*, excepto casu, de quo mox dicam. Ratio est, quia regula expressè requirit hanc qualitatem ibi, *quòd si quis infirmus.*

604 Excipe, ut dixi, casum, quo quis, dum esset sanus, impetravit suæ resignationis admissionem, & signaturam, eamque penes se servat, ut in casu infirmitatis primò præstet consensum, ut dicere posset, *se adhuc sanum resignâsse*, nam hoc dolo eluderetur dispositio hujus regulæ. Et ideo posteriores Pontifices addiderunt: *etiam vigore Supplicationis, dum esset sanus, signatæ.* Pirhing tamen *cit. n.* 33. censet ex hac clausula sequi, quòd beneficium vacet per mortem, non renuntiationem, si renuntians intra 20. dies moriatur post renuntiationem admissam, & consensum in eam, etiam si tunc non sit infirmus. Sed hoc negandum videtur; quia id non sequitur ex vi illius clausulæ, cùm solùm intendat cavere fraudem, vel successionem, quæ in dato casu nullo modo præsumi potest, sicut potest in casu nostræ exceptionis, vel si alterutrum fiat ab infirmo.

605 *Not.* 10. Ut hæc regula habeat locum requiri. 3. Ut resignans intra 20. dies, computandos à die præstiti consensûs, moriatur, intelligitur autem hic dies naturalis 24. horarum, & resignatio perfecta per consensum resignantis præstitum, post signatam, seu admissam Supplicationem resignandi. Sic Rebuff. *ad cit. reg.* de viginti.

Not. 11. *Diem*, in quo præstatur à resignante consensus, computari inter illos 20. dies, seu in numero eorum, doceri à Parisio cit. apud Pirhing. n. 34. §. *porrò*, quamvis hic probabile censeat, illum in eorum numero non computari, qui ait, illud esse magis certum, quod dies, quo moritur resignans, si tantùm sit inchoatus, non sit habendus pro completo.

Si dicas, in favorabilibus dies cœpta habetur pro completa, respondet hoc procedere solùm, quando tempus designatur per annos, qualiter nec in termino plurium annorum ultimus annus cœptus habetur pro completo, ut dicitur L. *non putabam.* 45. *ff. de condit. & demonstrat.*

Ad Regulam 20. *de Idiomate.*

In hac Regula statuitur, quòd si man- 606
detur alicui provideri de beneficio curato, provisio sit nulla, si provisus non intelligat, & loqui possit *idioma loci*, in quo est beneficium, hoc habere locum, ait Rebuffus ad Regulam hanc, licet Papa clausulam adderet, *pro expressis habentes*, & addit, in regno Galliæ haberi inter DEI maledictiones, habere hominem aliena gente, qui non intelligitur.

Dictam autem Regulam extendit *ad quamcunque* provisionem, per præsentationem, institutionem, collationem, electionem, nec censeri *posse loqui linguâ loci*, ex eo, quòd sciat aliqua verba, sed quòd sciat *loqui*, ut prædicans intelligi possit à populo, & *not.* regulam expressè loqui de provisione facta non tantùm *à Curia Romana*, sed etiam *extra illam à quocunque*, ut patet ex textu claro regulæ; quamvis Rebuff. *Gloss.* 3. putet, sufficere, si ponat Vicarium, qui eam linguam intelligat, & loquatur. Verùm hoc ipsum restringit ad casum, quo Ecclesia curata uniretur *Capitulo*, ignaro talis linguæ, quo vult sufficere, Vicarium qui calleat.

Ad Regulam 21. *de Impetratione beneficii viventis.*

Per hanc Regulam statuitur, ut, si 607
quis supplicaverit sibi de beneficio quocunque, tanquam *per obitum alicujus*, licet tum viventis, *vacante* provideri; & postea per obitum ejus vacet, provisio, & quævis alia dispositio, dicto Supplicanti per obitum hujusmodi denuò facienda, nullius sit roboris, vel momenti. Hæc regula est conformis c. 2. *de conceff. præbend.* & eam regulam non habere locum in casu, quo quis peteret sibi beneficium conferri per resignationem, & postea resignans moriatur, docet Rebuff. ad hanc regulam, ex *c.* 2. *de conceff. præbend.*

Ad Regulam 22. *de Unionibus.*

In hoc Pontifex noluit, ut petentes 608
beneficia aliis beneficiis uniri, exprimat *verum annuum valorem*, secundùm communem æstimationem, tam beneficii *uniendi*, quàm illius, cui *uniri* petunt; alioquin unio non valeat; secundò, ut quoties unio facienda est, commissio fiat ad partes,

vocatis illis, quorum interest. 3. Ut idem observetur in quibusvis suppressionibus perpetuis, dismembrationibus & applicationibus beneficiorum, fructuum & bonorum Ecclesiasticorum, & in similium dispositionum confirmationibus. Pro quibus *not.* 1. Uniones beneficiorum fieri debere *ad petitionem*, non motu proprio, & ex certa scientia; sic Rebuff. ad dictam Regulam *gl.* 1. *not.* 2. exprimi debere *verum* valorem, hinc sufficeret, exprimere valorem juxta taxam Cameræ. *Not.* 3. Commissionem fieri debere ad partes, nimirum ad eos, qui degunt in loco beneficii, quia hi communiter melius sciunt verum valorem.

609 *Ad Regulam de Mendicantibus.*

Hæc Regula innovat constitutionem Martini V. quæ habetur inter Extravagantes communes, qua prohibetur religiosis Mendicantibus transire ad non Mendicantes, excepto Ordine Carthusianorum, de quo V. in seqq. tit. de Regularibus.

In Regula 24. *de malè promotis*, jubet observari constitutionem Pii II. quæ incipit: *cùm ex sacrorum Ordinum*, de qua agitur c. *Cùm quidam*, & c. *literas de tempore ordinat. Not.* autem, quòd quis dicatur *malè promotus*, multis modis. 1. Si sit promotus extra tempora à jure statuta, intellige sine facultate speciali. 2. Si ante legitimam ætatem. 3. Si absque dimissoriis, &c.

In Regula 25. de *Moneta* statuitur, quòd libra Furonensium parvorum & florenus auri de Camera pro æquali valore computari debeant in concernentibus literas, & Cameram Apostolicam. Per florenum auri de Camera dicit Wagnereck ad hanc regulam, nostrate pecunia intelligi ferè 18. bacios, sumendo bacium pro 4. cruciferis. Cœterùm *de Moneta* videri potest Rebuff. *in Praxi benefic.*

Ad Regulam 26. de beneficiis vacaturis per promotionem ad Ecclesias, & Monasteria.

610 Hæc regula decernit, esse irritas, & nullius roboris quascunque concessiones, & mandata, etiam motu proprio, cum derogatione hujus regulæ, pro quibuscunque personis emanata, ut illis provideatur de beneficiis vacaturis per quorumcunque promotionem ad Ecclesias, & Monasteria, si hujusmodi concessiones & mandata *diem promotionis ipsorum præcesserint.* Idem esse voluit in provisionibus & dispositionibus faciendis de præmissis, & quibusvis aliis beneficiis, quæ per dictos promovendos ad quascunque Prælaturas illarum vacationis, & hujusmodi promotionis tempora, simpliciter, vel ex causa permutationis, ubicunque resignari, aut aliter dimitti contigerit.

Ad Regulam 27. de non judicando juxta formam Supplicationum.

Tres partes habet de Regula. In 1. dicit, quòd gratia Apostolica, ante literarum confectionem sit informis. in 2. statuit, quòd Judices non debeant judicare juxta *formam Supplicationum signatarum*, sed *juxta tenorem desuper confectarum literarum*, nisi sint Commissiones in Curia justitiam concernentes, & signatæ per *placet*, vel per V. Cancellarium, in 3. dicit, quòd si literæ minus expeditæ reperiantur, ad illorum, quorum interest, instantiam, ad Apostolicum Cancellarium remitti poterunt, per ejus Officiales ad formam debitam reducendæ. 611

Ad Regulam 28. de producendis regulis Cancellariæ.

Cùm regulæ Cancellariæ per posteriores Pontifices plerumque in aliquo soleant mutari, & hinc super mutatione dubium oriatur; per hanc regulam constitutum est, ne priores regulæ habeant, vel faciant fidem, nisi ex fonte Cancellariæ, & Authoritate V. Cancellarii impetratæ, cum debita forma producantur. 612

Ad Regulam 29. de subrogandis collitigantibus.

Cùm frequentissimè contingat, fieri litigia super beneficiis, & durante lite unus litigantium moriatur, vel liti cedat; ex hinc autem alii adversarii contra superstitem litigantem surgant, & sic lites longissimè protrahantur: ad hoc cavendum Pontifex statuit; ut quoties alicui collitigantium mortuo, vel cedenti, alius in eodem beneficio subrogatus fuerit, per beneficii impetrationem, ei impetratio nullatenus suffragetur.

Pro quo *not.* si uno collitigantium decedente, vel cedente, alius tertius in ejus jus, quod habebat vel in re, vel ad rem, eidem infra mensem à die, quo per obitum, vel aliter beneficium litigiosum adver-

adversarius reliquit, subrogetur, seu gratiam illius beneficii impetret, impetrationem vi hujus regulæ esse nullam, si prior collitigans illud per se expetiit; hoc tamen tripliciter limitat Pontifex, ut hæc nullitas locum non habeat. 1. Si collitigans sit intrusus. 2. Si beneficium occupavit vi. 3. Si adversarius, cui subrogari petit, illud non possedit pacificè per triennium.

In eadem Regula decernit Pontifex, ut nullus eorum, qui viventium beneficia, senùm præsertim, aut ob infirmitatem periclitantium, fraudulenter impetrant, ad subrogationem in illorum juribus facilius titulo motæ litis impetrandam, in ullo beneficio defuncti, quod ipso vivente impetravit, subrogetur, & gratia tali modo facta, in nulla forma literarum ipsi suffragetur. Et hoc vel maximè observari voluit, si beneficia senum, & infirmorum impetrentur per privationem ob crimina, etsi de illis per sententiam definitivam, sint condemnati, nisi sententia transierit in rem judicatam; quia videlicet intra decendium ab ea non appellârunt. Videtur autem Pontifex intelligere *crimina* falsò ab impostoribus abjecta eo fine, ut post obitum hujusmodi beneficia prætextu citationis litigiosa prætendentes, à Pontifice per subrogationem obtinerent.

Ad Regulam 30. *de verosimili Notitia.*

613 Cùm quidam, dum adverterent aliquem Beneficiatum ægrotantem, sine spe mortem evadendi, præproperè, & ante mortem ipsius, pro ejus beneficio impetrando ad Papam mitterent, Pontifex per hanc regulam ejusmodi impetrationem, & concessionem cassat, licet æger interim decesserit, *si verosimilis notitia mortis non pervenit ad Papam*, antequam literas super tali concessione daret, & addit Rebuff. ad hanc Regulam *Gl.* 6. ejusmodi concessionem adeo esse nullam, ut nec post triennium juvet, cum nec titulum coloratum habeat.

Ad Regulam 31. *non valeant Commissiones causarum.*

614 In hac regula statuitur, quod causarum Commissiones obtentæ super beneficiis per gratiam Apostolicam concessis, de quibus literæ Apostolicæ confectæ non fuerint, & Processus desuper secuti, nullius sint roboris. *Not.* autem ejusmodi literas censeri *expeditas*, cùm super tali commissione confecta est bulla; quia commissiones verbales sunt periculosæ, cùm Judex interdum neget, non ex malitia, sed oblivione se concessisse, quod verè concessit.

Ad Regulam 32. *&* 33.

Cùm istæ regulæ extra Romam & Italiam usum vix habeant (agunt enim de beneficia impetrantibus per obitum familiarium Cardinalium, & qui ex Germanis Cardinales sunt futuri, eorum notitiam opportunè habere possint, visum est non immorari.

Ad Regulam 34. *de Signatura per* fiat.

Not. In Supplicationibus, quibus an- 615
nuitur, notari, vel fieri *Signaturam* hanc, *fiat*, *ut petitur*, vel istam, *concessum*, *ut petitur*. Primâ signaturâ utitur Papa, quando Supplicatio subscribitur. Secundâ vice Cancellarius & alii præter Papam, his positis: In citata regula statuitur, quòd concessio per *fiat*, præferatur ei, quæ est *per concessum*, si utraque fiat eodem die; quod obtinet, licet illa, quæ est *per concessum*, fiat motu proprio, vel etiam Authoritate Pontificiâ, & si in illa *per concessum* prægnantiores, & quantumvis privilegiatæ Clausulæ contineantur. Cum hac regula concordat c. *si à Sede de præbend. in* 6.

Ad Regulam 35. *de Annali.*

Per hanc Regulam statuitur impetra- 616
tionem beneficii, quod allegabatur certa modo vacare, non valere, si beneficium per annum immediatè præcedentem fuit pacificè possessum, & impetrans non expressit nomen, gradum & Nobilitatem Possessoris, nec quot annis ipse illud possederit, nec specificam causam, ex qua clarè constet, nullum dicto Possessori jus competere; nec infra sex Menses eum ad judicium citavit, & ex tunc causam infra annum usque ad sententiam definitivam inclusivè prosequatur. Et additur, quod ejusmodi nulliter impetrans de damnis, propterea contingentibus Possessori, satisfacere teneatur; & si frivolè eundem molestavit, 50. florenos auri Cameræ Apostolicæ illi persolvere, non suffra-

gantibus in contrarium cuicunque literis, *si neutri*, aut *subrogationis*, aut aliis quibuscunque; statuitque, quòd propterea beneficium nullatenus *litigiosum* fuisse censeatur. Et hoc extendi voluit etiam ad impetrantes beneficia qualiacunque (per privationem, vel amotionem, aut alias propter excessus & crimina) vacantia, vel vacatura, & similiter ad impetrantes beneficia tanquam vacantia per devolutionem. Pro præmissis *not.* 1. Regulam loqui de beneficiis vacantibus *ipso facto*, sed non per sententiam. *Not.* 2. hanc regulam non habere locum extra Curiam, coram Legato, vel Ordinario; quia hi præsumuntur habere notitiam personarum, & beneficiorum.

Ad Regulam 36. *de Triennali.*

617 Qui aliquod beneficium Ecclesiasticum pacificè per triennium possedit, modò non sit simoniacè ingressus, vel intrusus, super eo taliter possesso molestari non potest, & impetrationes de beneficiis sic possessis factæ, irritæ sunt, lites super illis motas peritus extinguendo; ita hæc Regula.

Pro intelligentia *not.* 1. hoc procedere, de quocunque beneficio Ecclesiastico. Nam beneficium, in materia favorabili, latissimè sumendum est *c.* 1. *de reg. Jur. in* 6. sed hic sumus in materia favorabili, ut constat consideranti finem intrinsecum legis ergo.

Not. 2. Hoc procedere de beneficiis ex *quocunque titulo* per triennium possessis adeoque sive titulo electionis confirmatæ, sive institutionis ad præsentationem, modo titulus sit coloratus; excipe, nisi Possessor intrusus sit saltem uno modo intrusionis, de quo in seq. ita Wagnereck *ad tit. de præbend. & reg. Cancell. reg.* 36. *not.* 6. Nam per istam regulam defenditur Possessor qualiscunque, nulla ratione habita, an justè possideat, nisi, ut dixi ejus ingressus factus esset per Simoniam vel intrusionem. *Not.* 3. Per hanc Regulam non juvari simoniacè ingressum ad possessionem beneficii, constat ex ipsis verbis regulæ. Et hoc intelligi vult Toletus *l.* 5. *Summa c.* 94. de Simonia tam conventionali, quàm reali. *Not.* 4. Nec intrusum juvari per eam regulam. Constat ex verbis regulæ, quis autem dicatur intrusus dictum est n. 497. Cæterùm, ad effectum hujus regulæ, *intrusus* dupliciter dicitur. 1. Qui obtinuit beneficium reservatum generaliter, reservatione clausa in Corpore Juris, vel per Simoniacam pravitatem. 2. Is, Qui possedit bona Ecclesiastica vel dignitates, eorumque administrationem suscepit ante expeditionem literarum super beneficiorum & dignitatum collatione, vel confirmatione obtentam; sic Piasecius in procemio Praxis generalis *à n.* 9. *ex Constit. Julii.* 2. *edita* 1553. 2. *Maji.*

Not. 5. Per hanc Regulam non juvari 618
triennalem Possessorem beneficii uniti (quia per unionem extinguitur nomen, & effectus illius, intellige de unione accessoriè facta juxta alibi dicta) nec Possessorem beneficiorum incompatibilium, aut manualium; nec triennalem resignatarium, qui non publicavit resignationem sibi factam; sic Wagnereck *cit. not.* 1. sed quoad beneficia incompatibilia. Vide *in seqq.* *Not.* 6. Triennium possessionis debere esse continuum; sumitur ex dicto Baldi in c. cum viginti de Officio delegati, quòd, *ubicunque lex designat certum tempus, illud debeat esse continuum*, nimirum de momento ad momentum. Hoc verum esse in odiosis, docet Wagenreck *not.* 3. non in favorabilibus. *Ex Innoc. in Clement. final. de ætat. & qualitat.*

Not. 7. Quòd hæc Regula Possessorem triennalem defendat, solùm in possessorio, non autem in petitorio, seu quoad titulum verum & proprietatem. Felinus in c. *sicut. de sentent. & re judicat.* quia nulla lex recipit hunc sensum, quod velit spoliatorem (quamdiu ipse vel Successores ejus sunt in mala fide) in sua occupatione tueri, & ejectos à restitutione excludere.

Not. 8. Cùm dicitur, impetrationem factam de beneficio per triennium possesso esse nullam, intelligi de impetratione facta post elapsum triennium possessionis, ut colligitur ex ipsis regulæ verbis. Si enim impetrato fieret triennio nondum elapso, vel antè, non esset impetratio beneficii per triennium possessi. Quando autem dicitur *lites super illis motas penitus extinguendo*, intelligi de litibus ante triennium illud motis, vel etiam in finem faciendæ impetrationis.

Ad

Ad Regulam 37. *de non appellando ante definitivam.*

619 Prænot. 1. jure civili non admitti appellationem ante ſententiam definitivam, quantumcunque ſubſit cauſa gravaminis, niſi in iis caſibus, in quibus gravamen per appellationem à definitiva nota eſt reparabile. L. *ante ſent.* C. quorum appell. non recipi. Prænot. 2. jure canonico licere appellare in quavis parte judicii, imò & extra judicium, ubi ſe quis gravatum ſentit c. *ſuper* eo de appellat. c. *cùm ſit Romana* & c. *Bonæmemor.* eod. quamvis nunc in Trid. *Seſſ.* 24. *c.* 20. in hoc ſequatur id, quod in hac materia notavimus ex jure civili. In hac ergo regula ſtatuitur, quòd nulli liceat appellare, vel appellationem admittere ante ſententiam definitivam, excipitur tamen, 1. ſi quis appellet ab interlocutoria, quæ habeat vim definitivæ, 2. ſi damnum deinde non foret reparabile per appellationem à definitiva. Et quamvis jure Communi ab eadem ſententia liceat bis appellare, L. *unica*, C. n. liceat in una eademque cauſa & c. *ſua nobis*, de appellat: Pontifex tamen ad breviandas lites ad unicam appellationem reſtringit reſpectu commiſſionum ante regulam emanatarum. Sed not. iſtam regulam, de cauſis non expediendis ante ſententiam definitivam, ſolùm loqui *de Curia Romana*, ut ibi ſervetur. Sic Rebuffus cit. ad eandem regulam.

620 Ad Regulam 38. non ſtetur commiſſioni poſt concluſionem. Prænot. *Concluſum in cauſa* dici, quando utraque pars renuntiat ulterioribus allegationibus, & probationibus, ut *Not.* Andr. Gail. *l.* 1. *obſerv.* 117. *n.* 3. id, quod etiam docet Barboſa in c. *dilectus* de fide inſtrum. *n.* 8. Jure Canonico, utraque pars producere poteſt inſtrumenta poſt publicatas atteſtationes, & ante definitivam ſententiam, c. *dilectus* cit. non autem *poſtquam* fuit in cauſa concluſum; Maſcard. *de probat. concluſ.* 925. nec ſufficit, ſi in continenti, poſt ſententiam, producantur, ex Tiraquello, de retractu, apud Barboſ. cit. *n.* 3. Nam factâ concluſione cauſa dicitur *liquere, ſeu liquere de cauſa*, gl. in c. *ſignificarunt* de Teſtibus V. *liquere*. Sed hoc patitur ſuas limitationes, ut dicetur alibi, his præmiſſis: Vult iſta regula, quòd commiſſiones non valeant, poſt concluſionem in cauſa, niſi fiat mentio concluſionis, illi derogando; ſic Rebuff. ad hanc regulam.

Ad Regulam 39. *de literis Religioſorum expediendis.*

Per hanc regulam ſtatuitur, ut, ſi 621
Religioſi à Papa petant beneficium manuale cum clauſula, *quòd pro ſolo nutu ſuperioris amoveri non poſſint*; literæ conceſſionis quoad illam clauſulam nullatenus expediri debeant, niſi idem Papa ponat in ſignatura, vel ad partem concedat.

Ad Regulam 40. *de clauſulis in reſignatione ponendis.*

Statuitur, 1. ut, ſi alicui commit- 622
tatur receptio reſignationis, beneficii, ponatur hæc clauſula, *attentè quoque provideas, quòd in renuntiatione prædictâ, vis, metus, aut aliqua Simoniaca pravitas non intercedat.* 2. ut, *ſi reſignationes fiant ex cauſa permutationis, ponatur clauſula: quòd neuter permutantium jus acquirat, niſi quilibet ipſorum jus habuerit in beneficio per ipſum reſignato.*

Ad Regulam 41. *de ſupplendis defectibus.*

Hic ſtatuit Pontifex, ut, ſi quis pe- 623
tat ſuppleri defectus in genere, nullatenus literæ de ſuper concedantur, niſi in hujusmodi petitione defectus *exprimantur*, vel per *fiat*, *ut petitur*, ſupplicatio ſignata fuerit. Cœterum not. 1. quòd hæc clauſula *ſupplentes omnes defectus*, non ſuppleat defectus juris naturalis v. g. defectum citationis, vel conſenſus jure naturæ requiſiti ad aliquem actum. *Not.* 2. quòd nec tollat defectum perſonæ ſupplicantis. c. *Cenomanenſem.* diſt. 57. ſed tantum alios defectus juris poſitivi. Sic Barboſa de clauſulis. V. *ſupplentes n.* 2. & ſolùm ſpecificatos, ut docet *n.* 10. non tamen ſubſtantiales, ita idem *loc. cit. n.* 11. His addit Barboſa cit. per eam clauſulam non ſanari defectus, quibus actus redditur nullus, & ſuper quibus requiritur diſpenſatio, 2. quòd non operetur, cùm læditur jus tertii, nec expreſsà falſitate, nec niſi in his, in quibus Papa eſt informatus.

Ad Regulam 42. *de derogatione juris Patronatus.*

Per hanc regulam ſtatuitur 1. ut 624

non expediantur literæ super beneficio de jure Patronatus *Laicorum*, nisi ponatur expressè, illud tamdiu vacasse, ut fuerit ad Sedem Apostolicam legitimè devolutum; vel ad id Patronorum ipsorum accedat consensus: Secundò, si contigerit ei derogari per Papam, fiat ejus mentio *dispositivè, specificè*, ac *determinatè*, secus non censeatur ei quomodolibet derogatum.

Ad Regulam 43. *de Commendis.*

625 Statuitur, ut nulli seculari de regulari vel regulari de Seculari beneficio Commenda detur, nisi in signatura expressa fuerit dispositio *Commendæ*, & *Commendatarii* v. g. quòd commenda sit regularis vel secularis, item quòd Commendatarius sit secularis, vel regularis.

Ad Regulam 44. *de reformationibus literarum.*

626 Per has intelliguntur *correctiones*, quæ petuntur ab impetrantibus, si aliqui errores, vel in supplicatione signata, vel bulla primò impetrata irrepserunt in præjudicium impetrantium. Cùm autem hujusmodi literæ reformatæ viderentur expediendæ sub nova data, sæpe autem impetrantis interfit servari primam datam, Pontifex statuit, nec sub primâ data expediantur, si ex tali data nascatur præjudicium alteri, qui fortè interim tale beneficium legitimè impetravit, nisi in signatura reformata Pontifex addiderit verbum *fiat*.

Ad Regulam 45. *de consensu in resignationibus, & pensionibus.*

627 Tria continet, 1. ut literæ super resignatione beneficii, facta in manibus Papæ, vel in Cancellaria, non prius expediantur, quàm resignans, vel cedens, si præsens fuerit in Curia personaliter, vel per Procuratorem suum, specialiter constitutum, si ipse absens sit, expeditioni in eadem Cancellaria expressè consenserit, & juraverit, ut moris est, nimirum *non interveniisse fraudem, dolum, metum, vim, aut Simoniam*, 2. ut, si resignans, vel cedens pluries super eodem beneficio in favorem diversorum successivè consenserit, primus consensus teneat, & posteriores consensus, ac literæ, *sub priori data*, nullius sint roboris, 3. ne literæ reservationis, vel assignationis, etiam motu proprio, cuiquis pensionis annuæ expediri possint, *nisi de consensu illius, qui pensionem persolvere debebit.*

Ad Regulam 46. *de beneficiis vacaturis per ingressum Religionis.*

Hac regula cavetur, ne dentur literæ 628
super beneficiis vacaturis per ingressum religionis, nisi professio *præcesserit datam* factæ desuper petitionis.

Ad Regulam 47. *non valeat impetratio.*

Olim ad impetrationem beneficii valebat, si in petitione generaliter exprimebatur, beneficium, quod petebatur, *esse vacans*, non exprimendo *modum*, quo vacabat, *morte, translatione, resignatione* &c. nunc ut impetratio valeat, in petitione etiam exprimendus est, *modus*, perdictam Regulam 47.

Ad Regulam 48. *de executione facienda.*

Hic statuitur, ut quoties per signa- 629
turam supplicationis, de mandato Papæ factam super aliquibus faciendis, cum additione proprii nominis, & dignitatis cujusvis, Judex datur: literæ desuper expediantur cum expressione, *quòd idem Judex executionem faciat per se ipsum.* Hinc nequit alteri delegare.

Ad Regulam 49. *de dispensationibus in gradibus Consanguinitatis.*

Statuitur, ut in literis dispensationum super aliquo gradu Consanguinitatis, vel affinitatis, vel aliàs prohibito, ponatur clausula: *si mulier rapta non fuerit*, secundò, si in supplicatione exprimatur, *quòd scienter in gradu prohibito contraxerint*, addatur clausula, quæ habetur in quaterno (sic dicitur aliquis certus liber Cancellariæ) *quòd tales separentur ad tempus, quousque ad arbitrium Commissarii congruam egerint pœnitentiam, & postea secum dispensetur.*

Ad Regulam 50. *super defectu natalium.*

In dispensationibus super defectu 630
natalium (*quòd possint succedere in bonis temporalibus*) addenda est clausula: *quod non*

non præjudicetur aliis, ad quos successio ab intestato pertinere debet. Hodie etiam hæc adjici solet in legitimatione, quam facit Papa: *citra bona emphyteutica, & feudalia Ecclesiastica.* Ex hoc colliges legitimatos à Papa posse succedere in bonis paternis, si nulli adsint, qui succedant ab intestato, exceptis bonis emphyteuticis, & feutalibus Ecclesiasticis; hæc enim revertuntur ad Ecclesiam, nec conceduntur illegitimo etiam legitimato; probabilius autem est, hac regula provideri omnibus succedentibus ab intestato.

Ad Regulam 51. super dispensationes.

631 Statuitur, quod petens gratiam à Papa, exprimensque defectum, ob quem inhabilis ad eam foret, v. g. defectum natalium, vel ætatis, censeatur etiam super hoc dispensatus, si Pontifex petitioni annuat.

Ad Regulam 52. nulli suffragetur dispensatio, nisi literis confectis.

Hæc Regula per se clara est, & multùm convenit ad regulam 27. quare non judicandum in dispensationibus secundùm tenorem supplicationum, sed literarum desuper *confectarum.*

Ad Regulam 53. de clausulis ponendis in literis indulgentiarum.

Hic statuitur, ut in illis ponatur: quòd, *si Ecclesiæ, vel Capellæ, aut aliàs aliqua indulgentia concessa fuerit*, de qua in petitione specialis mentio non fit, hujusmodi literæ sint nullæ.

Ad Regulam 54. de Indulgentiis concessis ad instar.

632 Hac Regula cavetur, ne literæ, super indulgentiis concessæ expediantur *ad instar*, nisi illæ specificentur.

Ad Regulam 55. de exprimendo valore beneficiorum.

Hic exigitur, ut impetrare à Papa volens beneficium, exprimat in petitione verum ejus valorem annuum, secundùm communem ejus æstimationem, quod intelligitur tum de acquirendo, quàm prius obtentis.

Ad Regulam 56. de clausulis ponendis in beneficio vacantibus.

Cùm impetrantibus beneficia sæpe moveantur lites super impetratis ob diversas reservationes, devolutiones &c. statuit Pontifex certas clausulas, quibus observatis executores literarum causas definiant.

Ad Regulam 57. de qualitatibus beneficii impetrandi exprimendis.

Qui beneficium *vacans* impetrare 633
vult exprimere in petitione debet ejus *qualitatem*, v. g. an sit *dignitas*, *curatum &c.* secùs, impetratio non valet. Si autem non sit *qualificatum*, hoc ipsum exprimendum est, ut impetratio valeat, excipe, nisi per inadvertentiam foret omissum. Tunc enim sustineretur concessio.

Ad Regulam 58. de beneficiis vacantibus per contractum Matrimonii.

Si Pontifex sibi, vel alteri reservat beneficium *vacans per contractum* matrimonii, intelligitur de contracto *validè*, & per verba *de præsenti.*

Ad Regulam 59. de clausulis ponendis in literis Religiosorum.

Primò statuit Pontifex, ut, si quis petat in Religiosum recipi, & de quovis beneficio Ecclesiastico sibi provideri, hoc concedatur per specialem signaturam cum clausula: *si petens idoneus, aut aliunde nullum canonicum impedimentum obstet.* 2. ut supplicans exprimat, si ibi sit certus numerus Religiosiorum, cui sine expressa concessione derogandum non est; 3. si numerus non sit certus, ponatur clausula, *dummodo receptione locus hujusmodi propterea non nimis gravetur:* 4. Quòd Executores circa hjusmodi provisum possint ad receptionem professionis, non expectato probationis anno procedere.

Ad Regulam 60. de translatione Religiosorum.

Statuitur, ut, Religiosus unius Mo- 634
nasterii petat beneficium pertinens ad aliud Monasterium, vel locum regularem, ab illo dependentem, Religiosus ille transferatur ad illud Monasterium, vel locum, licet ipse translationem non petierit.

Ad

Ad Regulam 61. de clausula, si ita est.

Vult Pontifex, ut in literis super beneficiis, per constitutionem *Execrabilis* vacantibus, & de quibuscunque informationem requirentibus ponatur clausula: *si ita est.*

In Regula 62. statuitur, ut petenti provideri de beneficio *vacaturo*, dentur literæ *de vacante*; in 63. revocantur decimarum & aliorum impositiones à Prædecessoribus factæ, quarum occasione magis quæstus, quàm religionis causa quærebatur. Regula 64. revocat facultates percipiendi pretium officiorum, & potissimum concernit conservationem status temporalis Ecclesiæ Romanæ: in 65. dicitur, quòd fructus in tertia parte augeri possint, vigore clausulæ.

Ad Regulam 66. de absolutione à censuris, ad effectum literarum.

635 Cùm in literis Papæ, quibus aliquid impetratur, ponatur absolutio à censuris *ad effectum earum duntaxat*, statuit, hanc absolutionem illis non prodesse, qui per annum continuum in censura inforduerunt; item illis, qui non paruerunt rei judicatæ, incendiariis, Violatoribus Ecclesiarum, falsificatoribus, & falsificari procurantibus literas, & supplicationes Apostolicas; illis utentibus, receptatoribus, & fautoribus eorum, res vetitas infidelibus deferentibus, violantibus Ecclesiæ immunitatem viâ facti &c. &c. si propter promissa excommunicati à jure, vel homine per 4. menses in hac censura scienter perstiterunt.

In Regula 67. statuit Pontifex sub gravibus pœnis, *ne officiales in Curia Romana quicquam exigant ultra debitum.* Hæc regula, inquit Wagnereck ad cit. reg. est plena ædificationis, Ecclesiæ salutaris, cui Magis necessaria est observantia, quàm explicatio.

Ad Regulam 68. de beneficiis vacantibus tempore obitus Papæ.

636 Beneficia vacante Sede Apostolica vacantia, licet aliàs per regulas Cancellariæ, vel alias constitutiones temporales Papæ reserventur, ab illis Sede Apostolica vacante conferri possunt, à quibus jure communi aliàs possent, ita textus hujus regulæ.

Regula 69. revocat indulta *supervivent iæ* 70. declarat Cardinales non comprehendi sub regulis faciendis 71. quòd regulæ Cancellariæ non comprehendantur sub generalibus derogationibus 72. agit de potestate Domini V. Cancellarii, & Cancellariam Regentis.

ARTICULUS Ultimus.

De reliquis ad hunc titulum pertinentibus.

PRæter ea, quæ hoc titulo exposuimus. *Not.* 1. in eod. c. *Majoribus* 8. dici: præbendas, & dignitates non debere dividi, nec permutari, quia verò de hoc quoad primum agimus à *n.* 963. de secundo autem tit. 19. eò nos remittimus. Hinc etiam Regularibus non licet paroeciales Ecclesias, si quas habent, dividere, ut habetur c. *Avaritiæ* 10. h. t. nec etiam portiones, Ecclesiarum Rectoribus, vel Vicariis debitas, diminuere, de quo agimus super 1. hoc enim sapit radicem avaritiæ, & cupiditatis: hinc si ad unum v. g. Canonicatum sunt duo electi, neutrius electio tenet, esto vellent dividere reditus, & quivis recipere illorum dimidium, ut dicitur c. *dilecto* 25. h. t. tamen infra n. 637

Not. 2. quamvis Prælati, & Capitulum, præbendæ vacanti possint honestum onus aliquod imponere, ad quod præbendarius teneatur (v. g. ut quotidie celebret, cùm per valetudinem licuerit, vel talem Ecclesiam non possit dimittere sine communi consensu Prælati, & Capituli, ut dicitur c. *significatum* 11. eod.) onus tamen illud quotidie celebrandi si corporis infirmitate gravatus non sit, debere intelligi etiam cum hac clausulâ: *salvâ honestate, & debita devotione*, sic ibid. Alexander III. 638

Not. 3. Recepto in Canonicum, licet necdum habeat præbendam, interim deberi distributiones quotidianas, ex c. *dilectus* 19. eod. ibi. *facientes easdem portiones quotidianas, quæ fiunt in Ecclesia* 639

Ecclesia memorata, sine diminutione, quaslibet assignari. Ex quo deducitur Collatorem teneri providere nominato de proventibus; sic Rebuffus *Tract. Nominat. q.* 19. *n.* 5.

640 *Not.* 4. Clericum absentem mediante alio posse accipere investituram beneficii; hinc etiam Laicus constitui potest Procurator ad capiendam pro eo beneficio possessionem, ut colligitur ex c. *accedens* 24. *eod.* ubi tamen Rebuffus *cit. q.* 9. *n.* 6. censet, requiri mandatum speciale; ex quo etiam sequitur per actum fictum posse à Procuratore acquiri possessionem Domino; sic Firaquel. *p.* 2. *de constituto, ampliat.* 26.

641 *Not.* 5. Licet aliàs beneficia, & præbendæ dividi non possint, ut diximus n. 637. hoc intelligendum, de non vacante & insufficiente pro duobus; cæterùm Episcopus unam præbendam vacantem ex rationabili causâ potest dividere in duas, si ejus suppetant facultates, aliàs dividens reintegrare tenetur, ex c. *Vacante.* 26. *eodem.*

642 *Not.* 6. *Propter paupertatem Præbendarum* Ecclesiæ Cathedralis, posse eis ab Episcopo, etiam in perpetuum annecti Capellas, servatâ ipsarum Presbyteris congruâ portione, sic Honorius III. rescripsit Episcopo Vesprimiensi, ut habetur in c. *Expositi* 33. *eod.* quod tamen limitatur per *Trid. Sess.* 24. *de Reform. c.* 15. ut procedat de tenuibus præbendis *singulorum* Capitularium; non de mensâ Capitulari in communi.

643 *Not.* 7. Quando impetratur beneficium per rescriptum, quod non facit mentionem *de defectu Ordinis*, posse impetranti de beneficio etiam curato provideri, sic tamen, ut statutis proximis temporibus faciat se ad Ordines provideri, ex c. *si pro Clericis* 8. *h. t. in* 6.

644 *Not.* 8. Quando contingit successivè duobus concedi mandatum providendi in aliqua Ecclesia, secundum præferri primo, quando ille impetravit dignitatem, & præbendam annexam dignitati; primus autem, tantùm præbendam; non autem secus ex c. *Quia sæpe.* 15. *eod. in* 6.

645 *Not.* 9. Quando quis dimisit priora beneficia, quæ habuit, & hoc propter aliud receptum, cum ignorantia, *quòd sit reservatum*, vel *alteri à Papa collatum*, posse illum recuperare priora, si noviter acquisitum sine difficultate dimittat ubi resciverit, collationis nullitatem, ex c. *si beneficia* 20. *eod. in* 6.

Not. 6. Solas commendas *perpetuas* 646
esse in usu, & has fieri nunc posse à solo Pontifice; & ideo, si beneficium alicui commendat, censetur commendare in perpetuum, nisi aliud exprimat; cum commendare *temporaliter*, hodie sit, extra usum, sic Garcia *de benefic. p.* 4. *c.* 5. *à n.* 24.

Not. 11. Probabilius esse, morte 647
Commendatarii non vacare beneficium, sed vacationem priorem, qua positâ beneficium commendatum fuit, interim suspensam, continuari; sic Gonzalez *ad* 8. *reg. Cancell. gloss.* 5. §. 8. *à n.* 48. & alii. Commendatario enim traditur beneficium, tanquam affectum, ut illud regat, gubernet, & custodiat, sicut erat antè, *commendare* enim non est aliud, quàm *deponere*, ac in custodiam tradere; & *affectio* non mutat naturam beneficii, sed relinquit in natura sua, & solùm ordinario Collatori pro tunc claudit manus, ne illud conferat sed ante erat *vacans per obitum prioris Possessoris*, ergo etiam tale manet stante commendatione.

Hinc Commendatarius non habet beneficium commendatum, *in titulum*; commendatio enim non est *titulus*; sed eum duntaxat imitatur quoad aliquos effectus, v. g. ut resignari, vel mutari possit cum beneficio dato in titulum; & ideo etiam non dicitur propriè *conferri*, vel in eo quis *provideri*; collatione vel provisione dante titulum; quo fit, ut, si quis scribat pro impetratione beneficii commendati, fieri debeat ejus mentio, *propter affectionem*, quam duntaxat ex oppositione manus Papæ per ejus commendationem; sic Azor *p.* 116. *c.* 31. *q.* 6.

Not. 12. Plurimas esse adhuc quæ- 648
stiones, quæ fieri possunt de beneficiis, cujusmodi sunt illæ, quæ tangunt beneficia parochialia, & Capellanias; jus Patronorum & Advocatorum Ecclesiæ, Coadjutorias perpetuas, & temporales; impositiones & reservationes pensionum; beneficiorum uniones, &c. sed de his agendum est *seqq. titul.* illud observa, hìc à nobis ea dici, quæ sunt juris communis;

nis; quæ jure privato, vel consuetudine legitimâ certorum locorum constituta sunt, ex privatis eorum moribus, & statutis, quæ justa, & recta, esse discenda, non ex factis; quia non quæritur, *quid fiat*; sed *quid fieri debeat.*

QUÆSTIO VI.

IN TITULUM VI. DE CLERICO ÆGROTANTE VEL DEBILITATO.

649 CUm quandoque contingat, Præpositos & Rectores Ecclesiarum inhabiles reddi ad peragendum officium suum (propter quod datum & receptum est beneficium) senio, morbo, vel alio defectu illos inhabilitante ad ea peragenda, quæ sui muneris sunt, tam in spiritualium quàm temporalium administratione; præsenti titulo statuitur, qualiter in ejusmodi eventum Ecclesiis providendum.

ARTICULUS I.

An Clericus inhabilis amittat beneficium, vel fructus ejus?

650 QUæstio procedit de inhabilitate, quam inducit infirmitas, debilitatio, senium, aut alius defectus Physicus, ratione cujus, prout oportet, ac Ecclesiæ bonum exigit, muneri suo præesse non potest. De hoc casu quando inhabilitas nascitur, ex morbo, vel infirmitate, (prout habetur 7. *q.* 1. cùm *percussio.* 2.) scribit Gregorius Papa *l.* 2. *epist.* 3. ad candidum Episcopum, dicens: *cùm percussio corporalis imminet, utrum pro purgatione, an pro vindicta contingat? DEI in hoc judicium ignoratur: & ideo non debet à nobis addi flagellatis afflictio: ne nos culpæ (quod absit) offensa respiciat*; notatur autem ibidem post relatum textum, in c. 1. *h. t.* repeti eundem textum, ac definiri, quid tali casu sit agendum?

651 In dicto porrò c. 1. quod est ejusdem Gregorii Papæ, sic ad eundem Episcopum Candidum scribit Pontifex: fraternitatem tuam hortamur, *quatenus Latorem præsentium, ad percipienda, quæ consueta sunt ab Ecclesia tua, ægritudo sua non debeat impedire.* Quia si alii ejus essent exemplo deterriti, fortè non posset, qui militaret Ecclesiæ, inveniri, *sed secundùm ejus ordinem, quæcunque ei, si sanus esset, poterant ministrari, de ipsa exiguitate, quæ Ecclesiæ, potest accedere, fraternitas tua præbeat ægrotanti.*

Confirmari potest hoc ex c. *præsentium.* 3. *eod.* 7. *q.* 1. ubi Gregorius Pontifex Episcopo Syracusano, qui Presbyterum duorum mensium spatio à sua Ecclesia absentem remonerat, scribit, ut, *si manifestæ ægritudinis causâ suæ Ecclesiæ deficit, nullum ei ex ordinatione alterius Presbyteri permittat præjudicium generari,* & in c. *Pontifices* 4. *eod. c. & q.* ubi Nicolaus Papa, scribens ad Alvinum Januensem Archi-Episcopum: *Pontifices*, inquit, *qui aliquâ occupantur infirmitate, vel ægritudine, abjiciendi non sunt, nec alios in loco eorum consecrari oportet, nisi ex hac fuerint luce subtracti.* 652

Ex hisce juribus deducitur. 1. Clericum infirmitate impeditum, etiam perpetuò, à functionibus officii sui, non esse removendum à beneficio, saltem invitum. 2. Integrè illi deberi fructus ejus; 3. Etiam distributiones quotidianas, si, cùm sanus esset, solitus erat interesse divinis, unde illæ debentur præsentibus, constat, præter allatos textus, ex *cit. c.* ibi: *secundùm ejus ordinem, quæcunque ei, si sanus esset, poterant ministrari de ipsa exiguitate Ecclesiæ potest accedere, præbeat ægrotanti.* 653

Dixi: *si, cùm sanus esset, solitus erat interesse divinis*, ex quibus capiuntur distributiones quotidianæ, ut innuerem, tunc solùm deberi eas *ægrotanti*, quando absentiam principaliter inducit infirmitas; non autem, quando etiam sanus non solebat residere, aut divinis interesse; 654

tunc

tunc enim absentia non præsumitur nasci *ex infirmitate*, cujus tamen intuitu, Ecclesia benignè infirmos habet pro moraliter præsentibus, ac eis indulget perceptionem non modò fructuum, sed etiam distributionum, cujus rationem dat Abbas ex c. *Majores.* 3. de Baptis. quòd casus superveniens, recipiat interpretationem juxta statum *proximè* præcedentem; ex quo arguitur, etiam superveniente infirmitate, absentiam non esse tam ex illa; quàm aliunde, sicut erat, cùm sanus interesse potens, aberat.

Diximus hactenus, Clericum seu Beneficiatum ex infirmitate inhabilem pro functionibus sui muneris, non esse privandum beneficio, & fructibus ejus; sed illi deberi; ut ante, quod etiam dicendum videtur, si contingat idem *ex debilitatione*, seu *mutilatione*, licet ei evenerit ex culpa, modò talis non sit, ex quo titulo delicti, removendus sit. Nam textus in c. *cùm percussio*, vult non debere attendi in tali casu, unde percussio, seu infirmitas, & impotentia corporalis, seu inhabilitas illa perveniat, ut constat ex textu in n. 651.

ARTICULUS II.

Qualiter beneficio providendum, ubi ejus Clericus ægrotat, vel debilitatus est?

655 ETsi verum sit, titulo infirmitatis, vel debilitationis Clericum non esse removendum à beneficio, & fructibus ejus, *sublato ei jure* in ordine ad hunc effectum retinendi jus & possessionem ejus, quia tamen certum est, etiam Ecclesiæ, sui Clerici, vel Rectoris functionibus destitutæ, providendum esse, ne divina officia prætermittantur; quæstio est, quid in hoc puncto jure constitutum sit? R. Ante resolut. not. *Coadjutoriam* esse facultatem alicui concessam adjuvandi Beneficiatum in beneficii regimine, nam ab officio *coadjuvandi* dicitur *Coadjutor*; sic Joan. Andr. in c. *fin. de Cleric. non resident. n.* 4. *Coadjutor*, inquit Sylvester V. *eod.* (ut ipsum nomen sonat) est, *qui in alterius adjutorium datur, vel assumitur*, vel alio nomine *Adjutor* dicitur. In Jure Canonico est ille qui Prælato, in temporalibus & spiritualibus impedito, datur in adjutorium, ut vel rem temporalem, vel spiritualem, vel utramque administret. c. *de Rectoribus* & c. *ex parte* c. *Consultationibus. de Clerico ægrot.* Ubi sermo tantùm est de illis, qui non habent futuram successionem, nam Coadjutoriam cum futura successione solus mos, & stylus Curiæ Romanæ introduxit.

Not. 2. *Coadjutoriam* esse duplicem, 656
aliam *temporalem*, aliam *perpetuam*, aliam *cum jure succedendi in beneficio*, aliam *sine tali jure*: si autem quæras, an Coadjutoria sit *beneficium Ecclesiasticum?* R. negativè, quocunque modo concedatur. Nam Coadjutori absque futura successione solùm conceditur functio, & regimen beneficii, non quidem jure, habito, & potestate; sed facto ipso. Per futuram autem successionem solùm datur jus *ad* beneficium non jus *in beneficio:* ergo Coadjutoria beneficium non est: Sic Abbas c. *de Rectoribus*, de Clerico ægrotante *n.* 6. Azor 2. *p. instit. mor. l.* 3. *c.* 2. *q.* 4. Quapropter *Coadjutus* beneficium retinet, tametsi impotens sit, illud administrare. c. *ex parte de Cleric. ægrot.* c. *unico. eodem in* 6. *Trid. Sess.* 25. *deform. c.* 7.

Dices in c. *Tua nos.* 4. *de Clerico ægrot.* 657
dicitur quòd *ab administratione officii debeat removeri*, ibi: *de Sacerdote, qui divino judicio lepræ morbo repercussus, in paræciali Ecclesia prælationis officio fungitur: dicimus, quòd pro scandalo, & abominatione populi, ab administrationis debet officio removeri, ita quòd juxta facultates Ecclesiæ sibi necessaria, quamdiu vixerit, ministrentur.* R. Ex hoc plus non probari, quàm esse removendum ab *administrationis* officio, seu *exercitio*, propter scandalum & horrorem, non autem *à potestate*, hinc jus administrandi penes eum erit in habitu; penes Adjutorem in facto, sic Azor *p.* 2. *l.* 3. *c.* 3. *q.* 4. Garcia *de benefic. p.* 4. *c.* 5. *n.* 5. Ex quo fit, Beneficiato, solùm juxta impedimentum Coadjuti, Coadjutorem concedi, si enim Coadjutus tam temporalia, quàm spiritualia administrare impeditus est, Coadjutori concedenda est libera potestas spiritualium, & temporalium administrandorum: At, si temporalia adminis-

strare potest, solùm concedendus est Coadjutor pro spiritualium administratione. Quia Coadjutor ad supplendum impedimentum Coadjuti designatur, sic Azor 2. *p. l.* 3. *c.* 2. *q.* 10. Aug. Barbosa 3. *p. de potest. Episc. alleg.* 63. *n.* 13.

ARTICULUS III.

A quo constitui possit Coadjutor?

658 PRæmittendum, multiplices esse causas, propter quas Coadjutor datur; reduci tamen omnes vel ad impotentiam, cùm non potest, vel negligentiam, cùm non vult, præstare illa, quæ vi officii, propter quod habet beneficium, præstare tenetur; *ex impotentiâ*, si provenit ex Senio, debilitate corporis, vel ex amentia, vel ex alia infirmitate, ac denique ex defectu scientiæ & prudentiæ; *negligentiâ* verò provenit ex malitia. Ex quacunque igitur causa proveniat defectus in officio, & per Beneficiatum non reparetur, dari potest Coadjutor; colligitur ex c. *Tua nos. de Cleric: ægrotante* & c. *pastoralis. cod. tit. in* 6. *& Trid. Sess.* 21. *c.* 6. *de reform. & tradit.* Azor 2. *p. instit. mor. lib.* 3. *c.* 2. *q.* 3. Gonzalez de Mensibus, *Glossa* 5. *§.* 9. *àn.* 19. his præmissis.

659 Quæstio est 1. quis possit dare Coadjutorem Episcopis, vel aliis eo Superioribus? de hac quæstione agitur c. *unico, h. t. in* 6. *ibi:* Pastoralis officii debitum exequentes, declaramus atque statuimus, *Coadjutorum Episcoporum, & Superiorum Prælatorum dationem intelligendam esse de causis majoribus, & referendam ad Sedem Apostolicam, ac ab ea (consuetudine non obstante contraria) tantummodo postulandum.*

660 Huic decisioni moderationem aliquam ibidem statim subjungit Bonifacius VIII. Author illius c.

Prima est, ibi: *ne hoc prætextu Ecclesiæ (existentes præcipuè in remotis) dispendia patiantur:* nos earum in hac parte indemniratibus præcavere volentes, hac generali constitutione *sancimus, ut Episcopus Senio aut valetudine corporali gravatus, vel etiam aliàs adeo impeditus perpetuò, ut officium suum nequeat exercere: possit de sui consilio & assensu Capituli vel majoris partis ipsius, unum, vel duos, Authoritate Apostolica, Coadjutores assumere, ad dictum Officium exequendum. Si verò Episcopus demens, &, quid velit, aut nolit, exprimere nesciat, vel non possit: tunc ejus Capitulum, vel duæ ipsius partes, eadem authoritate, unum, aut duos Coadjutores assumant idoneos, qui ejus Officium exequantur.*

Altera est ibi: *Si verò Episcopus* de- 661
mens fuerit Senio aut incurabili morbo gravatus, *vel perpetuò impedimento detentus, ad sui executionem officii reddatur inutilis: & Coadjutorem assumere, vel habere noluerit, licet à Capitulo requisitus proprio, se illius non indigere suffragio forsitan asserendo: tunc nil per Capitulum innovetur; sed hoc casu, & etiam proximo idem Capitulum, Episcopi & Ecclesiæ suæ conditionem & statum, ac facti circumstantias universas, quàm citò poterit fideliter & explicitè referat ad notitiam dictæ Sedis, recepturi humiliter, & efficaciter impleturi, quod super hoc per Sedem ipsam contigerit ordinari.*

Tertia, ibi: præsenti quoque adjici- 662
mus sanctioni, *ut Coadjutores hujusmodi, de proventibus Prælatorum, in quorum assumentur auxilium, sumptus recipiant moderatos; ab alienatione qualibet de bonis Ecclesiasticis Prælatorum ipsorum, vel Ecclesiarum suarum, quomodolibet facienda, penitus abstinentes:* rationem non solum in districto examine, sed & Prælatis eisdem (si sanæ mentis extiterint) ac Capitulis eorundem, seu etiam ipsorum Prælatorum Successoribus (si hoc antea non fecerint) plenariam reddituri. *Cæterùm quod de Episcopis præmittitur, ad Superiores etiam Prælatos esse volumus, & intelligimus referendum.*

Quæstio 2. est, quis valeat dare 663
Coadjutores aliis Beneficiatis *Episcopo inferioribus?* Communis responsio est, quòd is, ad quem aliàs pertinet institutio, nimirum Episcopus, vel Legatus; quibus enim instituendi jus de jure datum est; à fortiori etiam datum est jus designandi Coadjutorem, ubi hoc exigit necessitas Ecclesiæ, cui institutus in ea deservire non valet, morbo, senio, debilitatione, vel simili defectu, instituti; sed sine remotione à jure beneficii, sic Abbas in c. *fin. h. t. n.* 5. Joann. Andr. *ibid. n.* 7. & alii.

Dubium

Dubium autem est 1. an Episcopi, & similes, cùm opus fuerit, Beneficiatis deputare Coadjutorem, possint illum deputare *perpetuò*, & irrevocabiliter? 2. an cum jure futuræ successionis? 3. an designatio Coadjutoris cum jure successionis obtineat, licet non fiat specialis derogatio CC. Trid. Sess. 21. de reform. c. 6. dicenti: *Coadjutores, aut Vicarios, pro tempore deputare, partemque fructuum ejusdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint, quacunque appellatione, & exemptione remota.*

664 Ad 1. R. ab inferioribus summo Pontifice non posse constitui Coadjutores, nisi *temporales*, nimirum durante necessitate Coadjuti, ratio sumitur ex verbis Tridentini relatis num. præced. ibi *pro tempore deputare*, id quo colligitur ex ipso etiam fine, propter quem Coadjutoriæ fiunt; nec talis designatio Coadjutoris ab executione impeditur, etiam interposita contra eum appellationem; quamvis causam transferat ad Superiorem; sic Barbosa *p.* 3. *allegat.* 63. *n.* 10.

665 Ad 2. R. Coadjutorem cum jure successionis à solo summo Pontifice dari posse; sic Azor *p.* 2. *l.* 3. *c.* 2. *q.* 2. Garcia *p.* 4. *c.* 5. *n.* 16. & alii communiter; nam solus Pontifex jus commune alterare potest; omnis autem provisio, seu promissio beneficii *non vacantis*, sed vacaturi, jure communi irrita est, & nulla ex dict. ergo. Extat in hac materia speciale c. in decreto, 7. *q. c. Petiisti* 17. quoad plura in rem præsentem continet.

Cùm enim Bonifacius, Archiepiscopus Moguntinus, à Zacharia summo Pontifice petiisset, ut de ipsius consulto, superveniente sibi senectute, atque corporis imbecillitate, si posset invenire, alium in eadem Sede, in qua præest, pro sui persona debeat collocare, respondit ei Pontifex, ut habetur in cit. c. sic loquendo: Nos verò, adjutore DEO, consilium præbemus tuæ sanctitati, ut pro salute animarum rationabilium, fautore Christo, *Sedem, quam obtines, Moguntinæ Ecclesiæ, nequaquam relinquas.* Sin verò Dominus dederit, *juxta petitionem tuam*, hominem perfectum, qui possit sollicitudinem habere, & curam pro salute animarum, *pro tui persona illum ordinabis Episcopum*, eritque in Evangelio tibi credito, & ministerio Christi portando, in omni loco requirens, & consortans Ecclesiam DEI.

Deinde in epist. ult. ad eundem, *si ad eundem divina voluerit clementia, post tui diem transitus superesse, si eum aptum cognoveris*, & in tua voluntate fuerit diffinitum, eâ horâ, quâ te de præsenti sæculo migraturum cognoveris, præsentibus cunctis, *tibi successorem designa, ut huc veniat ordinandus. Hoc nulli concedi alii patimur, quod tibi charitate cogente largiri censuimus.* Item ibid. paulò superius. De eo autem, quod tibi successorem constituere dixisti, *ut, te vivente, in tuo loco eligatur Episcopus*, hoc nullâ ratione concedi patimur: quia *contra omnem Ecclesiasticam regulam, vel instituta Patrum* esse, monstratur; sed volumus, ut tibi ministret, & sit in Evangelium Christi adjutor. Nimis enim reprehensibile esse, manifestum est, ut *te vivente, tibi alium substituamus*: sed hoc commonemus, ut quamdiu te divina jusserit Clementia supersesse, sine intermissione orare non cesses, ut tibi DEus illum successorem concedat, qui possit esse placabilis, & populum irreprehensibiliter regere valeat. 666

In quo textu notandum, quòd, post- 667
quam Pontifex Bonifacio indulsit facultatem eâ horâ, qua se de præsenti sæculo migraturum cognoverit, sibi designandi successorem præsentibus cunctis, statim subjungat: *hoc nulli alii concedi patimur, quod tibi, charitate cogente, largiri censuimus*; id, quod etiam apertè demonstrant verba seqq. *de eo autem, quod tibi successorem constituere dixisti, ut te vivente &c.* ut supr. Et ideo ut videri potest apud Barbos. in c. *si Petrus* 8. *q.* 1. *n.* 2. nec summus Pontifex in vita sibi potest eligere Successorem.

Ad 3. R. quòd sic; quia non extat ul- 668
lum Concilium, cui designatio Coadjutoris cum jure successionis taliter à Pontifice facta, contrarietur; præsertim cum in c. *Licet* 2. de Præbend. in 6. dicatur, Ecclesiarum, personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum *plenariam dispositionem* ad Romanum Pontificem pertinere, ita, quòd non solum, ipsa *cum vacant*, de jure conferre potest; *verùm etiam jus in ipsis tribuere vacaturis.*

669 Dices : contrarium videri in cit. c. *petiisti*, ut patet ex ejus verbis relat. in n. 666. & seq. Deinde, ex Trid. *Sess. 25. de reform. c. 7.* ibi: si quando Ecclesiæ Cathedralis, aut Monasterii *urgens necessitas*, aut *evidens utilitas* postulet, Prælato *dari Coadjutorem, is non alias cum futura successione detur, quàm hæc causa prius diligenter à sanctissimo Romano Pontifice sit cognita, & qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quæ à jure & decretis, hujus sanctæ Synodi in Episcopis, & Prælatis requiruntur; alias concessiones, super his factæ, subreptitiæ esse censeantur.* Sed R. prædicta jura non loqui *procasu*, quo *Pontifex* ex rationali causa, necessitate, vel utilitate Ecclesiæ id exigente, procederet. Accedit pro 2. quia ipsum Tridentinum, ut sæpe alibi diximus, *Sess. 25. decret. ult.* specialiter excipit *Summi Pontificis Authoritatem*, quam non obstantibus decretis suis reformatione morum, & Ecclesiastica disciplina, *semper salvam esse voluit.*

670 Ex dict. coll. Episcopo, & superioribus eo, in casu impedimenti ex morbo, senio, vel debilitatione, licere sibi substituere Coadjutorem, ex n. 664. Sed solùm temporalem, ac sine jure successionis, ex n. 665. deinde, ex iisdem causis, si Episcopus, vel eo Superior, taliter impeditus, adjutorem temporalem non assumeret, id posse fieri à Capitulo, *non tamen invito Coadjuvando*; quo casu, si Capitulum judicaret necessarium Coadjutorem, Episcopo illum recusante, rem ad summum Pontificem deferendam esse, juxta n. 661. ubi, verè Episcopus contradictionis incapax foret, ut si esset dæmens, posse constitui, sed temporalem, & sine jure successionis, ex *n. cit.* Denique, Episcopo, & similibus, nec temporalem Coadjutorem dari posse, ab Archiepiscopo, vel majoribus eo, sed inferioribus summo Pontifice, ex *n.* 659.

ARTICULUS IV.

De Coadjutore, in genere.

671 SUpponendum juxta impedimentum Coadjuti Coadjutorem concedi ut dictum est, hinc, si Coadjutus, tam temporalia, quam spiritualia administrare impeditus est, Coadjutori concedenda est libera potestas spiritualium, & temporalium administrandi: at si temporalia administrare potest, solùm concedendus est Coadjutor pro spiritualium administratione. Quia Coadjutor ad supplendum impedimentum Coadjuti designatur: Sic Azor 2. *p. l.* 3. *c.* 2. *q.* 10. Aug. Barbosa 3. *p.* de potest. Episc. *alleg.* 63. *n.* 13. quo posito.

Quæstio 1. est, quæ requirantur in 672
Coadjutore dando? R. quòd ea, quæ administratio exigit in his, in quibus Coadjuto substituitur. Quare in Coadjutore solorum *temporalium*, necessaria est scientia: ad recte fungendum tali munere, in *Spiritualium* verò, quæ desiderantur in beneficii administratione spirituali; hinc ead. in illo ætas desideratur: quam jure ordinario exigit beneficium, si ei jus in tali beneficio constitutum foret; Sic Azor *p.* 2. *l.* 2. *c.* 2. *q.* 6. & ideo etiam Coadjutor in spiritualibus, nequit esse Laicus, seclusâ dispensatione Papæ, c. *Judicatum* 5. *dist.* 89. *Not.* autem *per futuram successionem* solùm dari jus *ad beneficium*; non jus *in beneficio*, consequenter Coadjutoriam non esse propriè beneficium; Sc Abbas c. *de Rectoribus* de Clerico ægrot. *n.* 6. Azor 2. *p. instit. mor. l.* 3. *cap.* 2. *q.* 4. Quapropter Coadjutus beneficium retinet, tametsi impotens sit illud administrare c. *ex parte* de *Cleric. agrot. c. unico eod. tit. in* 6. *Trid. Sess.* 25. *de reform. cap.* 7. *& tradit. Navarr. conf.* 1. de Clerico ægrotante. Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancellar. Gloss.* 5. §. 9. *n.* 32. Garcia de beneficiis 4. *p. c.* 5. *n.* 5.

Quæstio altera est, unde, & ex qui- 673
bus Coadjutori providendum sit? R. id definiri in c. *Unico*, h. t. in 6. §. *præsenti* ibi: præsenti quoque adjicimus sanctioni, *ut Coadjutores hujusmodi de proventibus Prælatorum, in quorum assumentur auxilium, sumptus recipiant moderatos*, ab alienatione qualibet de bonis Ecclesiasticis Prælatorum ipsorum vel Ecclesiarum suarum, quomodolibet facienda, penitus abstinentes: rationem non solùm in districto examine, sed & Prælatis eisdem (si sanæ mentis extiterint) ac Capitulis eorundem, seu etiam ipsorum Prælatorum successoribus (si hoc antea non fecerint) plenariam reddituri. Cæterum, quod de Episcopis præmittitur, ad Superiores etiam Prælatos esse volumus,

lumus, & intelligimus referendum. Quod si beneficii reditus tenues sint, & Beneficiario, & Coadjutori insufficientes, in sustentationem Beneficiarii expendendi sunt, & Coadjutori aliâ viâ providendum est; quia *in æquali necessitate* Beneficiarius proprius præferendus videtur suo Vicario: sic Abbas c. *de Rectoribus*, de Cleric. ægrotant. *n.* 5. Et ideo, ad providendum Coadjutori cogi potest populus per Episcopum, si quidem Coadjutore indiget, ut sibi spiritualia ministret, ergo tenetur ei temporalia subministrare; sic Barbosa, Riccius, supra & Azor 2. *p. l.* 3. *c.* 2. *q.* 9.

674 Quæstio est 3. quid juris habeat Coadjutor temporalis? R. quòd id, per ordinem ad quod Coadjuto substituitur, ut colligitur ex c. *Ex parte* 5. *h. t. ibi: per quem tam Episcopo, quàm populo utiliter consulatur*; hinc si datus est Episcopo v.g. *simpliciter* nimirum eum plena potestate, quam Coadjutus habet, vel lege diœcesanâ, vel lege jurisdictionis ordinariæ; imò etiam delegatæ vi officii & dignitatis (*non autem personæ*) nisi pro certis casibus limitetur, vel ad aliquid adstringatur, quo non tenebatur Coadjutus, idem juris habet Coadjutor.

Hinc fit, quòd, cùm in c. *unico* §. *præsenti*, relato *n.* 673. prohibeatur illis alienatio rerum Ecclesiæ immobilium, & prætiosarum, quæ servando servari possunt nullam ejusmodi alienationem facere possint. 2. Ibidem Coadjutori imponitur obligatio reddendi plenam suæ administrationis rationem vel ipsi Coadjuto, si capax fuerit; vel Capitulo, aut Superiori; quod verum est, etiam durante officio; cùm non habeant tempus officii determinatum, sicut tutores, qui ante finem officii, seu tutelæ (cùm habeant tempus determinatum) reddere rationes non obligantur ex L. 3. C. de administrat. Tutor.

675 Dixi: Coadjutori *temporali* prohibitam esse alienationem rerum Ecclesiæ; quod accipe de alienatione *voluntaria*, ad quam scilicet aliàs vi officii non tenetur. Quarè, si Coadjutus incapax est, ut beneficiis de jure ad ipsius provisionem pertinentibus, provideat, id poterit Coadjutor simpliciter datus, non tantum confirmando electos, aut instituendo præsentatos; Sed etiam providendo per *liberam* collationem, hæc enim, licet non dicatur *libera*, ut possit fieri, vel non fieri; sed solùm, ut possit fieri non expectatâ electione, vel præsentatione (quo sensu non opponitur *necessariæ*) in quantum explicat provisionem faciendam ex officio. Hæc de Coadjutore temporali. Nam de illo, qui Coadjutor datus est cum jure successionis, quædam particularia sunt, de quibus in seqq.

ARTICULUS V.

De Coadjutore in specie.

676 CUm Coadjutores aliqui dentur solùm ad tempus, sine jure successionis nimirum solùm pro tempore necessitatis in Coadjuto durantis, ut diximus superius; alii autem *cum jure successionis*, qui communiter dantur pro Canonicatibus, & præbendis in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, de utroque in particulari agendum erit, cum primis autem, ubi Coadjutor habet simul jus successionis, isto per hoc necdum habeat jus reale in beneficio, sed tandum *ad* beneficium, cujus causa Coadjutoria beneficium dici potest, ut notavimus supra.

§. 1.

De Coadjutore cum jure Successionis.

678 EJusmodi Coadjutorias non nisi urgente necessitate, vel evidenti utilitate Ecclesiæ dandas esse, constat ex *Trid. Sess.* 25. *de reform. c.* 7. quamvis hoc decreto non ligetur Authoritas summi Pontificis, ut notavimus *n.* 669. In casu igitur dati Coadjutoris cum jure successionis, quæstio 1. est, quæ potestas illi competat? Ad hoc respondet Garcia de beneficiis *p.* 4. *c.* 5. *à n.* 53. ut videri potest apud Castropalaum *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 10. *n.* 1. his Coadjutoribus concedi facultatem, & potestatem, *tam in temporalibus*, *quàm in spiritualibus* administrandi præbendam cum jure succedendi in illa, ita, ut absente Coadjuto, loco illius, uti præbendatus proprietarius, inservire possit, & stallum in Choro, & locum; vocemque in Capitulo, processionibus, aliisque Ecclesiæ actibus habere nec non omnes, & singulas prærogativas, præeminentias, & honores, quos princi-

principalis ratione Canonicatus, & præbendæ, seu dignitatis habet, & haberet, si præsens adesset, lucrarique omnes fructus, & proventus, etiam anniversaria, & manualia, quos lucraretur proprietarius, si personaliter horis diurnis, & nocturnis adesset, ubi tamen addit: his Coadjutoriis apponi solere primò, ne possit Coadjutor in regimine præbendæ se intromittere, nisi pro voluntate Coadjuti; Secundo, ne Prætextu Coadjutoriæ aliquid exigere possit à Coadjuto pro servitio impenso: tertio, ut, si inserviendo deficiat, ob cujus causam Coadjutus non lucratur, fructus ei solvat, quod amittit: his ita positis.

678 Quæstio altera est, an, petente Coadjuto, teneatur ipsius loco Coadjutor inservire? R. vel in decreto, talem Coadjutorem constituente, apponitur clausula, *quòd debeat*, vel tantùm, *quòd possit* inservire loco Coadjuti? in 1. casu omnes conveniunt, *debere*; in 2. casu, *debitum* negat Navarrus consil. 1. de Cleric. ægrot. à n. 3. affirmat Garcia cit. quem se sequitur Castropalaus *cit. p.* 10. *n.* 2. idque probabilius, ratione desumpta *ex vi Coadjutoriæ assumptæ*, nam hæc naturâ suâ ordinatur in commodum Ecclesiæ, & Coadjuti, ut illa debitis functionibus non destituatur; iste autem ab his sublevetur, unde meritò censeri potest intercedere, tacitum contractum inter coadjutum, & Coadjutorem, ut, cùm ille voluerit sublevari ex justa, ipse hoc ipso ex vi suscepti muneris supplere debeat, præsertim, cùm eo titulo jus successionis conferatur.

679 Dices: Papa constituens ejusmodi Coadjutorem, cum sola clausula, *ut possit inservire*, hoc ipso insinuat *liberam facultatem*, adeoque non *necessitatem*; alioquin diceretur, *debet inservire*. 2. Coadjutus non habet obligationem sustentandi Coadjutorem: ergo neque Coadjutori imponi potuit obligatio Coadjuto serviendi: videntur enim hæ, *mutuæ* obligationes. R. ad 1. dupliciter intelligi posse *liberam facultatem*, 1. per eam intelligendo, libertatem inservendi, vel non inserviendi; 2. intelligendo libertatem seu facultatem *liberam*, hoc est independentem ab alio modo acquirendi potestatem exercendi functiones, in ordine ad quos Coadjutoria datur. In hoc secundo sensu non excluditur obligatio inserviendi, Coadjuto petente, quam importat voluntaria susceptio Coadjutoriæ, ut vi ejus Coadjuto sit provisum cùm ejus operam expetierit; in primo autem sensu accipi non potest; quia sic Coadjuto per talem Coadjutorem provisum non esset.

Ad 2. Dato anteced. N. consq. 1. 680
quia loco sustentationis, quam secluso jure successionis, deberet recipere ex fructibus beneficii Coadjuti, ut diximus superius, à Pontifice recipit *jus successionis*; quod utique plus est; præterquam, quòd consentiendo in Coadjutoriam cum jure successionis, quæ non datur (ut simul recipiat sustentationem à Coadjuto) renuntiavit juri cæteroquin accipiendæ ab illo sustentationis; ita sentire videtur Castropalaus *cit. tr.* 13. *D.* 1. *p.* 10. *n.* 3.

Not. autem quando dicimus, quòd Coadjutor, petente Coadjuto, debeat inservire, licet ei Coadjutoria collata sit sine expressa clausula, *quòd debeat*; & solùm, constitui, *quòd possit*, deberi intelligi, quando aliàs ipse Coadjutus talem functionem, ex vi sui muneris præstare deberet, vel exigenre id bona Ecclesiæ, vel saltem, si aliàs non lucraretur fructus, distributiones &c. & tali casu, negligente Coadjutore, iisdem, qui censent hunc inservire teneri, etiam censent, obligari ad interesse, & damnum, secutum Coadjuto; aliàs enim Coadjutoria esset mera exspectativa; sic Barbosa in *Trid. Sess.* 25. *c.* 7. *n.* 14. contra Navarrum, contrarium sentientem.

Quæstio 2. est, an petente Coadjuto 681
deberet inservire Coadjutor, quando ipse Coadjutus excusatur propter infirmitatem, vel aliud legitimum; R. quòd sic, ita Farinacius Tom. 2. novissimarum decis: decis 152. Nam Coadjutor in hunc finem datus est, ut Coadjuto impedito, vice hujus inserviat, ne videlicet Ecclesia destituatur debito servitio, ut colligitur ex c. 1. de Cleric. ægrot. in 6. ibi: *ad dictum officium exequendum*; & *Trid. Sess.* 25. *c.* 7. Nec obstat, si dicas, quod Coadjutor personam Coadjuti repræsentet, eique concedantur omnes prærogativæ, & præeminentiæ, quibus gaudet Coadjutus, ac in eum translata sit obligatio, quam habet Coadjutus, sed ubi Coadjutus est justè impe-

impeditus, in eo cessat obligatio, ergo & in Coadjutore. R. enim, quòd Coadjutor repræsentet Coadjutum *in præbenda*, non in *infirmitate*; hinc, esto Coadjutor possit abesse, quando id posset Coadjutus *ratione præbendæ*; non tamen, quando id potest *ratione infirmitatis*; hoc enim, est *personæ*, illud *rei*.

682 Et ideo bene conceditur Coadjutori, quòd Coadjutus habet ratione *præbendæ*; de quo fusè agit Barbosa *in dict. c. 7. Trid.* sed non, quod Coadjuto conceditur ratione circumstantiæ extrinsecæ v. g. *infirmitatis*. Aliud etiam est, quod in Coadjutorem translatæ sint obligationes *reales* Coadjuti, quas habet ratione *præbendæ*; aliud obligationes *personales*, quas habet Coadjutus ratione alicujus circumstantiæ afficientis personam. Cæterùm, quo loco sedere possit, ac debeat Coadjutor simplicis Canonici, ac Coadjuto absente præstare functiones; aut, si præbendæ sit annexa dignitas, ratione cujus Coadjutus alios præcedet? Videri potest resolutum apud Barbos. *cit. à n.* 15. variis resolutionibus *Sacr. Congr. ibid.* relatis.

683 Præter hæc *Not.* 1. Coadjutorem, absente, vel ægrotante Coadjuto, hoc nolente, posse assistere Choro, & vocem habere in Capitulo negari à Garcia *p.* 4. *c.* 5. *à n.* 59. affirmari à Navarro, *de Cleric. ægrot. consil.* 1. *n.* 5. rectius tamen distingui & concedi posse, Coadjutore *iniquè negante* (ut, si Ecclesiæ foret utilis ejus assistentia) nam ad hunc finem datur Coadjutoria; si autem *non iniquè*? negari, quod tunc posset, quando scilicet etiam ipse Coadjutus licitè abesset, quales sunt actus Capitulares, qui spectant solum commodum Coadjuti; quia tunc cessat ratio; quæ est in oppositum.

684 *Not.* 2. Coadjutum morbo, vel aliàs legitimè impeditum haberi pro præsente in ordine ad lucrandos fructus, vel distributiones, licet eo casu non inserviat Coadjutor; hoc enim haberet in tali casu, esto careret Coadjutore; nec beneficium Coadjutoris dati debet in ejus damnum esse; sic Castropalaus *cit. p.* 10. *n.* 9. de quo tamen V. dicta *n.* 680. *in fine*.

685 *Not.* 3. In quæstione, an Coadjutori rectè detur Sedes Coadjuti: vel ultima post omnes Proprietarios? rectius affirmari pro secundo; quia Coadjutor, esto succedat Coadjuto in his, quæ illi competunt ratione præbendæ, secùs tamen est in illis, quæ competunt, ratione antiquitatis, & ita tenet Gonzalez *ad reg. de Mensibus gloss.* 5. §. 9. Garcia *p.* 4. *c.* 5. *n.* 66. quod procedit, ut nec præcedat Proprietarios noviter ingressos; cùm sit eadem ratio, sic DD. *cit.*

686 *Not.* 4. Coadjutori competere vocem activam & passivam in electionibus Canonicatuum, vel aliis officiis Sede vacante, quæ competunt Coadjuto ratione præbendæ, non autem, quæ ratione suæ personæ; nam in illis, non in his per Coadjutoriam ei substitutus est; sic Garcia *cit. c.* 5. *n.* 87. & quamvis Coadjutor titulo Coadjutoriæ non sit Canonicus (nam in beneficio Coadjuto non habet jus *in re*, sed tantùm jus *ad rem*, si sit cum futura successione) est tamen de Capitulo, cum ratione præbendæ coadjutæ, stet loco Coadjuti per ordinem ad functiones competentes ratione præbendæ; sic Felinus in c. *accessissent, de Constitut. n.* 34.

687 *Not.* 5. Quæstionem moveri à Quintanaduennâ in singularibus *Theol. moral. tr.* 7. *sing.* 42. utrum Coadjutor Decani, in ipsius absentia pedum ablutionem, similesque functiones, quæ Episcopo & ipsius loco, Decano competunt, exercere valeat? & *ab eod. n.* 1. responderi affirmativè ex decisione facta à sacra Rituum Congregatione in Picentina 8. Maji 1621. quam affert Barbosa *l.* 1. *de jure Eccles. c.* 21. *n.* 98. rationem dat, quia officium Coadjutoris est, ut loquitur Glossa in c. *Pastoralis*, ea facere, quæ pertinent ad officium ejus, cui deputatus est: ergò, cùm hæc ablutio ad Decanum pertineat, si Episcopus eam non exequatur, in absentia Decani, illam Coadjutor exequetur; ac similiter omnes alias similes propter eandem rationem.

688 Probat deinde ex Hieronymo Gonzalez in *reg.* 6. *Cancell. Gloss.* 5. §. 9. *n.* 97. qui ait: semper in modernis Coadjutoriis dici solet, quòd Coadjutor habere debeat omnes, & singulas prærogativas, præeminentias & honores in Choro, Altari & Capitulo, ac Processionibus, nec non in actibus Capitularibus tam intra, quàm extra

Ecclesiam, quas, & quos prædictus N. ratione talis dignitatis, vel Canonicatus & præbendæ habet, &, si præsens esset, haberet: ergò cùm hæc, ut prærogativa Decani, ipsius Coadjutori competit, dummodo statutum, aut consuetudo vim legis habens non opponatur (sic enim prædicti Doctores sunt intelligendi) sicut in præsenti non opponitur. Ad Rubricam autem Missalis, in qua statuitur, *quòd Prælatus seu Superior singulorum pedem lavet*, respondet ex eod. Gonzalez, quòd Coadjutor sit Prælatus, seu Superior, quia, ut inquit Gonzalez *sup. n. 2. & 3.* Coadjutor est Prælatus, & ut talis habet curam animarum, plenam, & liberam administrationem; probatque hoc pluribus Juris Canonici testimoniis, & addit n. 41. hoc procedere non solùm in temporalibus, sed etiam in spiritualibus.

689 Limitat autem, dummodo Coadjutor Decani (seu cujusvis alterius dignitatis) sit Sacerdos; sicut etiam de Decano statuitur à S. Congregatione, juxta dicta *sing. 41. n. 5.* Quia, ut rectè Gonzalez sup. ait: In Coadjutore requiritur eadem idoneitas, ac sufficientia, quæ requiritur in titulari: ad fruendum scilicet dignitatis suæ prærogativis. Et licet hæc fruitio, secundùm se consideratæ sacerdotalem, imò nec sacrum Ordinem exigat, sicque à Monialibus exerceri videamus, & à fidelibus etiam Laicis fieri solitam in Ecclesiis testantur S. Augustinus *de Offic. Eccles. c. 12.* Albinus Falcus Magister Caroli Magni tit. de Cœna Domini; si tamen fiat eo ritu, & solemnitate, quæ juxta Rubricas Missalis Romani fieri debet in Ecclesiis Cathedralibus, & in Collegiatis, Parochialibus, & Regularibus Virorum, necessum est, ut Sacerdos sit, qui eam exequatur; cum vestibus Sacerdotalibus, Minstrisque Diacono, & Sub-Diacono in ea utatur. Sed in his advertendum, quod sæpe diximus, num ea functio competat titulo *præbendæ*? an titulo *antiquitatis* solùm, vel alio *personali?* si primum? affirmandum est pro Coadjutore; si secundum? negandum; nam in his non substituitur.

§. 2.

De Coadjutore temporali.

QUi enim constitutus est cum jure 690
successionis, perpetuus est. Circa temporalem porrò, & perpetuam Coadjutoriam illud notandum est, quòd neutra sit beneficium Ecclesiasticum, neutri enim conceditur jus in beneficio, sed tantùm ejus regimen, & functio, quam præstare aliàs deberet Coadjutus; designatur enim solùm ad supplendum impedimentum Coadjuti, ut notat Azor *p. 2. Instit. moral. l. 3. c. 2. q. 2.* Coadjutori porrò temporali obliganda est congrua portio pro qualitate ministerii impensi, juxta *Trid. Sess. 21. de Reform. c. 6.* ibi: *Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati Coadjutores eis deputare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare possint, quacunque appellatione, & exemptione remota*; quibus positis:

Quæstio 1. est, an Coadjutor *temporalis* gaudeat eodem jure absentiæ, quo Coadjutus? R. quòd sic, quia hoc privilegium præbendariis conceditur propter continuum totius anni servitium, ut aliquantum, laboris remissione, temperetur; sic Gonzalez *de reg. Mens. gloss. 5. §. 9. n. 13. Navarr. Consil. 1. de Cleric. ægrot. n. 6.* Sed hoc intellige, dummodo proprietarius non assumat alios dies absentiæ; sed inter utrumque conveniat, ne plus temporis ambo tribuant absentiæ, quàm Rectori talis beneficii, secluso Coadjutore, concessum sit; sic Gonzalez *cit.* & Garcia *p. 4. c. 5. n. 79.* 691

Quæstio altera est, an Coadjutor 692
temporalis æque, ac Coadjutus, teneatur ad residentiam? ratio dubitandi videtur, quia residentia fundatur in eo, quòd quis habeat beneficium Ecclesiasticum; at Coadjutor non habet beneficium Coadjuti; ergo vi hujus non tenetur residere; sed affirmandum est nihilominus; nam obligatio residendi fundatur non tantùm in beneficio, secundùm quod explicatius percipiendorum fructuum; sed etiam in officio, ac ejus exercitio; nam propter hoc datur beneficium, at exercitium Officii est penes Coadjutorem, sic

Qua-

Quaranta in Summa Bullar. V. *Residentia* §. *præter Summistas*, & alii, quos refert, & sequitur Barbosa *de offic. & potest. Episcopi p.* 3. *allegat.* 63. *n.* 8.

693 Quæstio 3. est, an excommunicato Coadjuto inservire possit Coadjutor, & lucrari fructus? videtur dicendum negativè; nam excommunicatus non est capax, recipere fructus beneficii ex c. *pastoralis.* 53. §. *Verùm de appellation.* etiam si serviat per alium; nam quod alicui non licet suo, nec licet alieno nomine: dicendum tamen, Coadjutorem non impediri à functionibus beneficii, propter excommunicationem Coadjuti, si non est constitutus ab ipso *Coadjuto*; vel *ab Episcopo*, v. g. quia tunc non agit *nomine*, vel *potestate Coadjuti.* Quoad fructus verò dicendam, eos non lucrari, qui cedunt personæ Coadjuti; hoc enim probat c. *pastoralis*; bene tamen eos, qui Coadjutori assignantur in stipendium: sic Garcia *cit. p.* 4. *c.* 5. *n.* 84.

Quæstio est 4. An Coadjutor & Coadjutus possint simul eidem præbendæ inservire? R. distinguendum, an servirent ambo tanquam præbendati? & hoc non; quia præbenda tantùm est unica; in una autem, duo esse non possunt præbendati; an solùm tanquam unius præbendæ Rectores, Coadjutus in habitu; Coadjutor in actu? & affirmandum est in casu concurrentium plurium functionum, ut si unus deserviat in Choro; alter in Ecclesiæ negotio temporali.

694 Quæstio est 5. Quando finiatur Officium Coadjutoris temporalis? R. quòd morte naturali, vel civili ipsius Coadjuti; sic Joann. Andr. in c. *fin. h. t. n.* 10. Nam extincto Coadjuto non existit *coadjuvandus*, ergo nec Coadjutor, hoc præcisè titulo datus; cujus ulterior ratio est; quia Coadjutor *pro tempore*, solùm datur ægrotanti, vel debilitato propter *necessitatem*; quam is, cùm vi officii deberet, habet, ut serviat Ecclesiæ; at hoc totum cessat mortuo Coadjuto, id, quod etiam colligitur ex c. *Grandi.* 2. *de supplend. negl. Prælat.* ubi Regi Portugalliæ Coadjutor datus fuit citra præjudicium filii legitimi, si quem Coadjutus haberet, ubi is regni gubernationem suscipere poterit.

Quæstio est 6. An Coadjutor non residens privari possit Coadjutoria? R. posse, servatâ juris formâ; quia, licet Coadjutor obligatus sit solvere Coadjuto interesse, ac damnum, si non resideat, & consequenter ab hoc privari non possit suo munere, quia tamen considerato damno Ecclesiæ, & religionis, quod emergit ex neglecto servitio, per illam solutionem non satisfit, ideo adhuc manet locus illi privationi. 695

Quæstio est 7. An Coadjutoria inducat incompatibilitatem cum quolibet alio beneficio, sive habito à Coadjutore, sic habendo? R. quòd si beneficium petat residentiam, incompatibilem cum Coadjutoria, omnino inducat incompatibilitatem, quoad retentionem; hinc per pacificam consecutionem novi beneficii incompatibilis, vacat Coadjutoria prius obtenta, & ex vi illius Coadjutor in beneficio, seu præbenda Coadjuto succedere non potest. Clem. *gratiæ de Rescript.* 696

Quæstio est 8. An Coadjutor cedere possit Coadjutoriæ, invito Coadjuto? R. quòd Coadjutoria, secundùm quod dicit jus succedendi, possit renuntiari, cùm sit purus favor; non autem, secundùm quod dicit obligationem serviendi loco Coadjuti, hoc invito; nisi accedat consensus Pontificis; quia sic continet favorem tertii, nempe Coadjuti, & Ecclesiæ; si autem non renuat Coadjutus, sufficit consensus Ordinarii, sic Garcia *cit. c.* 5. *n.* 126. 697

Quæstio est 9. An Coadjutor teneatur subire onera aliorum Juniorum Canonicorum? an solius Coadjuti R. quòd solius Coadjuti, quia illi, non alteri, subrogatur. Cæterùm, multæ, quæ ob defectus, & culpas in servitio solent imponi, etiam imponi possent ob defectus commissos à Coadjutore, nisi Coadjutus excusetur à servitio propter legitimum impedimentum, sic Castropalaus *cit. n.* 45. 698

Quæstio est 10. an Ecclesiæ Cathedrales Coadjutorem à Papa datum, possint recusare? R. negativè, quia dispositionem Superioris nequit inferior mutare. c. *inferior de major. & obed.* & Clement. 699

ment. *Ne Romani de Elect.* Et ex eadem causâ nequeunt ejus potestatem limitare.

700 Quæstio est 11. An Coadjutor teneatur mentionem facere de beneficiis *obtentis*, ut Coadjutoria firma sit? R. affirmativè, si postulent residentiam cum Coadjutoria incompatibilem; quia duo simul incompatibilia, cùm ab obtinente utrique satisfieri non possit, retineri nequeunt; sed quid, si non sit incompatibile? R. adhuc fieri debere mentionem cujuslibet beneficii, & juris ad illud, aliàs Coadjutoria, *cum futura successionne*, nulla erit, ut colligitur ex c. *si motu proprio. de præbend. in 6. & Clem. II. de Offic. Ord.* quia talis Coadjutoria est jus *ad* beneficium, ex quo infertur collatio ejus, exequenda tempore vacationis. Dixi *nulla erit*, intellige quoad *successionem*, & servitium; sic Castropalaus *cit. n.* 49.

Quæstio est 12. an Coadjutor Epi- 701
scopi, vel Prælati beneficia, conferre possit? R. posse, quando Coadjutus est demens, vel, sic inhabilis, ut ipse consensum, & authoritatem præstare non possit; secùs, id præstare est Coadjuti cum consilio Coadjutoris; quod tamen non requiritur ad substantiam actûs; ita Pirhing. *de Cleric. Ægrot. n.* 18. Nec obstat, quòd alienatio Coadjutoribus prohibita sit; & collatio beneficii sit quædam alienatio. Nam illa prohibitio intelligitur de alienatione *voluntaria*; non *necessaria*, seu ex dispositione legis arg. L. *alienationes ff.* familiæ herisundæ.

QUÆSTIO VII.

IN TIT. VII. DE INSTITUTIONIBUS.

CUm varii sint modi Ecclesiastica beneficia canonicè acquirendi, eisque providendi, nimirum postulatione admissâ, de qua egimus *lib.* 1, *tit.* 5. 2. Electione confirmatâ, de qua *ibid. tit.* 6. 3. Translatione legitimâ, de qua ibidem *tit.* 7. 4. Renuntiatione admissâ, de qua ibid. *tit.* 9. *hoc tit.* agitur de duobus aliis modis, nimirum *institutione*, qua acquiritur beneficium *liberum*, quorum explicationem jam suprà dedimus. Sermo autem est de institutione Canonica, quam exposuimus sup.

ARTICULUS I.

Quid sit Institutio Canonica?

702 ANte resolut. *Not.* 1. *Institutionem* in genere tripliciter accipi, primò, *latè*, prout includit liberam collationem beneficii; 2. *strictè* & propriè; & sic significat actum, quo jus beneficii, prævià præsentatione, vel nominatione, legitimâ authoritate transfertur in præsentatum, vel nominatum: 3. quandoque pro investitura, seu missione, in corporalem, seu actualem possessionem beneficii, quæ jure communi ad Archi-Diaconum spectat c. *ad hæc*, & c. *ad nostram. de Offic. Archi-Diac. Latissimè* autem sumitur *Institutio* pro qualibet legitima provisione, seu modo, quo acquiritur beneficium, sive sit electio cum sequente confirmatione, sive postulatio cum admissione Superioris; sive institutio facta præcedente præsentatione Patroni, vel nominatione alterius, vel libera collatio; his prænot.

Not. 2. Quamvis, ut diximus, plu- 703
res sint in specie modi acquirendi beneficia Ecclesiastica, loquendo tamen generatim, id posse evenire duobus modis, nimirum justè, seu legitimè, & injustè, seu illegitimè. *Justè*, cùm, *injustè*, sine *Canonica Institutione.* Beneficium enim Ecclesiasticum non potest licitè, sine Canonica Institutione obtineri juxta primam regulam *jur. in 6.* ubi *not. Institutionem* hoc loco sumi latissimè, juxta dicta *n. præced.*

Not.

Not. 3. illam institutionem dici *canonicam*, quæ est facta secundùm Canones, & per illos approbata; quod, ut contingat, tria requiruntur 1. legitima potestas ex parte instituentis, seu conferentis beneficium. 2. decens habilitas ex parte illius, qui instituitur. 3. ut servetur solemnis forma institutionis à jure requisita, sic Gloss. in cit. reg. 1. V. *obtineri*. Hinc.

704 *Not.* 4. illum *non Canonicè*, consequenter *injustè* obtinere beneficium, qui successit in illud, *jure consanguinitatis*, c. *ut nullus*, de præbend. similiter, non canonicè obtinet, qui habet illud *pervetimam alterius voluntatem*, sive ex testamento, sive ab intestato. 2. qui habet *ex pacto de succedendo alteri* post ejus mortem *c. 2. de conceſſ. præb.* & ideo tale pactum non valet, sicut etiam pactum, si quis in beneficio instituatur ea conditione ut alius certus v. g. succedat consanguineus c. *accepimus* 5. de pactis.

705 *Not.* 5. ejusmodi successiones, quasi hæreditarias, adeo reprobari à Sacris Canonibus, ut nec filius, etsi legitimè natus, in eodem beneficio Patri suo *immediatè* subsitui possit, c. *veniens* cum seq. de fil. præsbyt. Nec vivente Prælato, vel alio Beneficiato, de Successore eligendo tractatus institui possit, esto paulò post sit moriturus c. *Bonæ*, de Elect. & c. *nullus* dist. 79. Nec Episcopo, vel simili Prælato Coadjutor dari cum jure succedendi, exceptâ plenitudine potestatis Papalis c. *petiisti* 7. *q.* 1. & *Trid. Sess.* 25. *de de reform. c.* 7. & ideo etiam promissiones, *de beneficio nondum vacante*, prohibitæ sint c. *relatum* de conceſſ. præbend.

706 Præter nominatos modos, acquirendi beneficia Ecclesiastica, Castropalaus *tr.* 13. de benefic. *D.* 3. *p.* 1. *n.* 1. donec beneficia acquiri posse aliis duobus modis, nimirum *actu*, & *potentiâ*, sed nota, hoc idem esse ac acquirere *jus in re*, vel *jus ad rem*. Jus in re acquiritur collatione acceptatâ, institutione, electionis confirmatione, & postulationis admissione; jus ad rem acquiritur 1. electione 2. præsentatione, vel nominatione 3. acceptatione vigore gratiæ exspectativæ; 4. gratiâ exspectativâ ei conceſsâ, qui receptus est in Canonicum; 5. collatione nondum acceptatâ, 6. reservatione beneficii in tui favorem: 7. optione, cùm alicui datur jus optandi, seu sibi hoc, vel illud eligendi 8. admissione solutionis debitæ pensionis, 9. privatione juris, 10. per Coadjutoriam cum futura successione; quibus præmissis.

Not. 6. collationem, *propriè sumptam*, esse voluntariam beneficii conceſsionem, vel motu proprio concedentis, vel ad petitionem impetrantis, ut constat ex c. *si motu proprio* & c. *si tibi absenti*, de præbend. in 6. & vocatur *liberalis donatio* beneficii, *Institutio*, est beneficii conceſsio à Prælato, facta præsentato à Patrono, & dicitur conceſsio *obligatoria*, quia Prælatus tenetur illi conferre beneficium, quem Patronus præsentat, modò habilis sit. 707

Not. 7. *Electionem*, per quam quis acquirit jus ad beneficium (ut diximus *l.* 1. *tit.* 6.) dici relatè ad confirmationem, & præsentationem relatè ad institutionem; hinc sicut *electus* propriè *confirmari*; sic *præsentatus* propriè *institui* dicitur. Est autem *confirmatio*, facta per Superiorem approbatio electionis, factæ à Collegio alicujus personæ, ad dignitatem, Prælaturam, vel aliud beneficium *vacans*. Hæc approbatio Superiori non est libera, sed obligatoria; quia tenetur electum confirmare, modò sit habilis. De postulationis admissione diximus in 1. decretalium *tit.* 6.

Not. 8. quòd, licet *collatio* propriè dicta differat ab *institutione* (cum illa sit *libera*, istæ autem obligatoriæ) sæpe tamen sub ejus nomine venire etiam institutionem, & electionis confirmationem, quo casu collatio *latè* sumitur, ut constat ex toto titulo, ut beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur.

Sed hinc dubium nascitur, quando 708 *collatio* significet institutionem? quando electionis confirmationem, vel etiam præsentationem? quando verò *collationem* proprie dictam? R. quando nomen *collationis à* lege profertur in materia ambitiosa, & restringibili, sumi nomen collationis *propriè*; si autem apponatur in materia non ambitiosa, & restringibili, sumi *latè*. In exemplo: Pontifex

mandat alicui *conferri* beneficium, si hoc sit *Patronatum*, collatio significat *institutionem*, & *latè* sumitur; *si electivum* significat confirmationem electionis: si *collativum* seu *liberum?* collatio propriè sumpta intelligitur.

ARTICULUS II.

Quibus competat jus instituendi?

CUm ex supra dictis constet institutionem, latè acceptam, complecti, etiam collationem, confirmationem electi, admissionem postulati, & institutionem strictè sumptam præsentati; de singulis pauca dicenda in præsens veniunt. Nam de confirmatione electi, & admissione postulati jam diximus. *l.* 1. *loc. cit. tit.* 6.

§. 1.

Quibus competat potestas providendi beneficiis Collativis?

709 QUid veniat nomine beneficii *collativi?* constat ex n. 243. quale jus ex *collatione* acquirat Collatorius? ex dict. à n. 244. & quando hic consensum, seu acceptationem præstare? à n. 247. ad quid autem teneatur, qui beneficium confert, quod scit, suæ collationis non esse? à n. 248. Superest, cui competat potestas conferendi beneficia? Sed de hoc jam actum est in præmissis, & quidem quid in hoc possit Summus Pontifex? diximus? à n. 421. idque tum jure præventionis, quam concursûs? à n. 423. Quid porrò alii Prælati Papâ inferiores? à n. 423.

710 Quæstio est, an liceat *conferre* beneficia Ecclesiastica digno prætermisso digniore? *Dignior*, hoc loco, censendus est, non qui absolutè doctior, vel sanctior, seu majore virtute præditus est; sed, qui ad officium illud *rectè* peragendum magis aptus est, propter potentiam, nobilitatem, industriam, & dexteritatem in agendo ea, quæ propria sunt officii, propter quod datur beneficium, ita S. Thom. 2. 2. q. 63. à 2. in corpore, quo posito.

R. In casu, quo non agimus de beneficiis Patronatis, aut electivis, sed collativis, collationem beneficii debere fieri digniori, loquendo de beneficiis *curatis*, præsertim his, quæ jurisdictionem Ecclesiasticam, aut non modici momenti administrationem annexam habent. Hinc, *prætermisso notabiliter digniore*, illa conferre *minus digno*, graviter illicitum est, ut apertè dicitur in *Trid. Sess.* 24. *de reform. c.* 1. *&* 18. facit enim contra fidelitatem in re gravi, quam Ecclesiæ debet ex officio, privando illam magno commodo, & Ministris magis idoneis, ita Covar. Lessius, Layman, Garcia, & alii communiter cum S. Thom. 2. 2. *q.* 63. *a* 2. *ad* 3. contra Tamburinum *l.* 8. *tr.* 3, *c.* 4. §. 4. *n.* 5. docentem contrarium.

Et hoc videtur procedere, etiam in casu, quo tale beneficium conferri debet ex fundatione, statuto, vel consuetudine uni ex certa familia, patria, vel ex numero Clericorum talis Ecclesiæ; conferri enim debet *digniori* inter illos, modò unus ex illis talis sit; ratio enim est prorsus eadem, & tenet Pirhing de præbend. n. 98. & alii, in reliquis vero *non curatis*, & *simplicibus*, ac *non qualificatis*, eâ qualitate, de qua præced. numero, illa conferre *digno*, prætermisso digniore, non videtur excedere culpam venialem; sic Garcia, Layman, & alii, quos cit. & sequitur Pirhing de præbend. *n.* 96. qui numero sequenti docet, eos, qui beneficia *curata*, extra concursum, conferunt digno, relicto digniori, non teneri ad restitutionem vel digniori, vel Ecclesiæ faciendam; secùs, in concursu.

Quoniam autem quædam beneficia 711
conferri debent *per concursum*, hoc est, per examen prævium eorum, qui per edictum publicum vocati, examinari volent ad acquirendam aliquam Ecclesiam vacantem, cæteroquin non conferendam alio modo provisionis, not. de his agi in *CC. Trit. Sess.* 24. *de reform. c.* 18. ubi statuitur 1. cùm Parochialis Ecclesiæ vacantia quomodocunque contigerit, omnes illas, quibus in eis Episcopus consuevit curam animarum dare, ad infra scriptum examen teneri, relictâ libertate Episcopo, ut pro regionis more, per edictum etiam publicum, vocentur ii, qui volent examinari. Hoc porrò

videtur

videtur intelligendum de *Ecclesiis tantùm collativis*, non *electivis*, aut *patronatis*, nisi plures sint præsentati.

712 Secundò, ut examen fiat ab ipso Episcopo, vel, eo impedito, ab ejus Vicario generali, atque ab aliis Examinatoribus, *non paucioribus, quam tribus*, quorum votis, si partes singulares fuerint, accedere possit Episcopus, vel Vicarius, quibus magis videbitur. Tertio, ut Examinatores singulis annis in diœcesana Synodo ab Episcopo, vel ejus Vicario, *ad minus sex* proponantur, qui Synodo satisfaciant, & ab ea probentur. Quartò, ut adveniente vacatione cujuslibet Ecclesiæ, tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen perficiant, indeque succedente aliâ vacatione, aut alios tres, quos maluerit exprædictis illis sex eligat. Quintò, ut hi Examinatores sint *Magistri*, seu *Doctores*, aut *Licentiati in Theologia*, aut *jure Canonico*, vel alii Clerici, seu Regulares, etiam ex ordine Mendicantium, aut etiam seculares, qui ad id videbuntur magis idonei; *jurentque* omnes ad sancta DEI Evangelia, se quâcunque humanâ affectione post positâ, *fideliter* munus executurus; caveantque, *ne quidquam prorsus, occasione hujus examinis, nec antè, nec post accipiant*, alioquin simoniæ vitium, tam ipsi, quàm alii dantes incurrant, *à qua absolvi nequeant*, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocunque etiam antea obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur.

713 Sextò, ut, peracto examine, renuntientur, quotcunque ab his idonei judicati fuerint, ætate, moribus, doctrinâ, prudentiâ, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis; ex hisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit, atque *illi*, & *non alteri*, collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. Septimò, ut, si Ecclesia juris patronatus Ecclesiastici fuerit, ac institutio ad Episcopum, & non alium pertineat, is, quem Patronus *digniorem*, inter probatos ab Examinatoribus, judicabit, Episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituatur. Cùm verò institutio ab alio, quàm ab Episcopo, erit facienda, tunc Episcopus *solus*, ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat, quod si jus Patronatus Laicorum fuerit, debeat, qui à Patrono præsentatus erit, ab ejusdem deputatis, ut supra, examinari, & non, nisi idoneus expertus fuerit, admitti in omnibus. Octavò, ut in omnibus prædictis casibus non cuiquam alteri, quàm uni ex prædictis examinatis, & ab Examinatoribus approbatis, juxta supradictam regulam de Ecclesia provideatur, nec prædictorum Examinatorum relationem quò minus executionem habeat, ulla devolutio, aut appellatio, etiam ad Sedem Apostolicam, sive ejusdem Sedis Legatos, aut Vice-Legatos, aut Nuntios, seu Episcopos, aut Metropolitanos, Primates, vel Patriarchas interposita impediat, aut suspendat: alioquin Vicarius, quem, Ecclesiæ vacanti antea Episcopus arbitrio suo ad tempus deputavit, vel forsau postea deputabit, ab ejus Ecclesiæ custodia, & administratione non admoveatur, donec aut eisdem, aut alteri, qui probatus, & electus fuerit, ut supra, sit provisum, alias provisiones omnes, seu institutiones, *præter supradictam formam* factæ, subreptitiæ esse censeantur, non obstantibus, indultis, privilegiis, præventionibus, affectionibus, novis provisionibus, indultis concessis quibuscunque Universitatibus etiam ad certam summam, & aliis impedimentis quibuscunque. Ad extremum subjungit: si tamen adeo exigui redditus dictæ Parochiales fuerint, ut totius hujus examinationis operam non ferant, aut nemo sit, qui se examini quærat subjicere, aut ob apertas factiones, seu dissidia, quæ in aliquibus locis reperiuntur, facilè graviores rixæ, ac tumultus possint excitari, poterit Ordinarius, si ro sua conscientia, cum Deputatorum consilio, ita expedire arbitrabitur, hâc formâ omissâ, privatum aliud examen, cæteris tamen, ut supra, servatis, adhibere. Licebit etiam Synodo provinciali, si qua in supradictis circa examinationis formam addenda, remittendave esse censuerit, providere.

Ex

Ex hoc decreto colligitur, ubi contigerit vacare *Parochialem Ecclesiam*, provisionem ejus faciendam prævio examine per concursum non veniunt beneficia curata, quæ non habent *Parochiam*, sic Barbosa in *cit. loc. Trid. n.* 2. nec beneficia simplicia; Riccius in praxi fori Eccles. *resol.* 352. *in edit.* 2. 3. nec Ecclesiâ Parochialis, quam quis prius possedit, vel acquirit per regressum; Garcia de benefic. *n.* 9. *c.* 2. *n.* 199. 4. nec Parochialis unita dignitati, vel Canonicatui, Castropalaus de benefic. *tr.* 13. *D.* 3. *p.* 2. §. 5. *n.* 6. nam ratione unionis accepit qualitates ejus, cui unita est; 5. hoc examen non exigitur in beneficiis juris Patronatus Laicalis, cùm Concilium, loquens de iis beneficiis, dixerit, debere præsentatum *à Patrono examinari*, & digno reperto ei beneficium conferri; tacitè insinuans, concursu oppositorum opus non esse: sic tenent, & decisum à sacra congregatione referunt Gonzalez ad *reg.* 8. *Carcell. Gloss.* 6. *n.* 134. Verùm hoc intellige pro casu, quo unus esset præsentatus, vel ejus præsentatio omnibus aliis præferenda esset. Tunc enim hic examinari debet cœteris exclusis, & idoneo reperto ei beneficium conferri: At si plures sint æquanimiter præsentati, examen faciendum est per concursum, ut Episcopus ex approbatis eligat digniorem; Gonzalez *n.* 138. Garcia *n.* 256. Barbosa *n.* 18. Riccius *n.* 2. Et idem est, si jure devoluto provisio ad Episcopum pertinet, quia cessat Patroni præsentatio, ob quam examen per concursum non fit. Genuen. in praxi *c.* 66. *n.* 19. Garcia dicto *c.* 2. *n.* 257. Barbosa 3. *p. alleg.* 60. *n.* 18. in fine.

715 Sextò, hoc examen per concursum non requiritur in beneficiis resignatis *in favorem* in manu Pontificis; sic enim à Sacra Congregatione decisum esse refert Flaminius *l.* 10. de resign. *q.* 7. *à n.* 13. & alii. Unde Consilium, præcipiens fieri examen per concursum, *in quibusvis beneficiis parochialibus vacantibus, etiam per resignationem in Curia*, loquitur de *vacantibus per resignationem simplicem*, & non *in favorem*. Quæ enim in favorem resignantur, absolutè non vacant, quousque resignata resignatario fuerint acquisita; neque in illis interim apponitur Vicarius, sed resignans, utpote dominus, administrat. Gonzalez *cit. Gloss.* 6. *à n.* 122. & alii, 7. nec requiritur in permutatione beneficii parochialis cum alio parochiali, vel simplici; cùm alteri acquiri non possit, nisi permutanti; nec prius vacet, quàm ei sit acquisitum, 8. cessat in beneficiis litigiosis: nam durante lite beneficium non vacat, nec provideri potest c. 1. & 2. ut lite pendente. Clement. primâ, eod. tit. Concilium enim loquitur de parochialibus *vacantibus*, & quæ facto examine provideri debent: ergo; sic Gonzalez ad reg. Cancellar. *Gloss.* 6. *à n.* 142. intellige tamen, nisi summus Pontifex aliter ordinaverit.

Nonò, cessat concursus, quando 716
cura pertinet ad Ecclesiam Cathedralem, vel Collegiatam, & per unum, vel plures sive promiscuè, sive alternativè, & per hebdomatas administratur: quia ipsi administratores verè non sunt curati, neque ad obitum illorum cura *vacat*; cùm penes Ecclesiam Cathedralem, vel Collegiatam remaneat: sic pluribus decisionibus comprobat Garcia *9. par.* de benefic. *cap.* 2. *n.* 181. Gonzalez *Gloss.* 6. *n.* 158. decimò Vicariis perpetuò unitis Ecclesiæ, vel beneficio seculari; quia ratione unionis earum titulus extinguitur; 11. in beneficiis regularibus; hæc enim non conceduntur in perpetuum, & conferuntur ad nominationem Monasterii; esto etiam soleant secularibus commendari; adhuc enim fit ad Monasterii nominationem. 12. Si Parochiæ sint adeo exigui reditus, ut vel operæ pretium non sit concursum instituere, aut nemo sit, qui nolit concurrere, ut constat ex ipso Concilio in *n.* 713.

Dices: contra limitationem. 9. 717
Concilium dicit, examen per concursum requiritur in Ecclesiis Parochialibus vacantibus, etiam si cura Ecclesiæ, vel Episcopo incumbere dicatur, & per unum, vel plures administretur, etiam in Ecclesiis patrimonialibus, seu receptivis, in quibus consuevit Episcopus uni, vel pluribus curam animarum dare.

dare. R. Concilium loqui de casu, quo cura administratur per unum, vel plures in perpetuum, *quorum interitu cura vacat*, & denuò providetur; secus verò, cùm cura illis committitur ad nutum amobilis; quia illorum interitu non vacat beneficium; & Concilium agit de beneficiis *vacantibus*; ibi, *cùm Parochialis Ecclesiæ vacatio*, deinde etiam dici potest, Concilium loqui de Ecclesiis Parochialibus, quæ propriè & simpliciter tales dicuntur; non autem de iis, quæ propter suam dignitatem non veniunt, nisi exprimantur, nomine *Ecclesiæ Parochialis* simpliciter probatæ; tales sunt Ecclesiæ Collegiatæ ac Cathedrales per c. *statutum. de elect. in* 6. ibi: *ad Collegiatas Ecclesias, nisi alias Parochiales extiterint, ad assumptos ad earum regimen non extendi*, saltem in odiosis, at talis est dispositio de consequendo beneficio *sub onere concursus*.

718 Ex dict. colliges 1. in beneficiis *collativis* electionem esse penes Episcopum (si ipsorum collatio ejus sit) quam malit ex pluribus dignis ei præficere in patronatis, quæ sunt Patronatus *Ecclesiastici*, ubi institutio ad Episcopum pertinet, non esse electionem penes Patronum, sed hunc teneri ad præsentandum eum, qui judicio examinatorum dignior repertus fuerit; ubi autem institutio non Episcopum pertinet, sed alium, electionem esse penes Episcopum, sic, ut ipse ex dignis nominet digniorem, quem Patronus præsentare debeat ei, cujus est instituere. Constat ex dictis.

719 Colliges 2. si beneficium fuerit de Patronatu *Laico*, præsentatum, si tantùm unus sit, prius examinandum esse à Deputatis, nec admittendum, nisi idoneus repertus fuerit, ex n. 713. non obstante quacunque devolutione, aut appellatione etiam ad Sedem Apostolicam, vi cujus decreti hujus executio impediretur; 3. Provisiones, vel institutiones, aut collationes *aliter factas*, esse subreptitias, ac nullas, ex n. 713. & beneficia per ejusmodi provisionem, contra formam Tridentini, evadere reservata Papæ, per Constit. Pii V. quæ est 53. & incipit: *In conferendis.*

720 Colliges 4. quando dicimus, quòd Episcopus, ex præsentatis à Patrono Ecclesiastico, possit ex approbatis per examen *eligere digniorem*, eumque nominare Patrono, ut eum præsentet Collatori, quando institutio non est penes ipsum Episcopum, sed alium, esse idem, quando ex pluribus examinatis omnes judicantur æque digni, etiamsi aliàs id juris habeat, quando eidem à Patrono plures præsentantur. Nam tali casu Episcopi est eligere illum, qui debet institui; cùm ergo ponantur omnes æquè digni, & non omnes, sed tantùm unus institui possit, ejus erit eligere unum, non quidem tanquam digniorem positivè (nam hoc est contra suppositum) sed tanquam digniorem negativè, hoc est, non minus dignum, ac sint alii, quo non electis nulla fit injuria.

Colliges 5. idem dicendum, cùm 721
plures ex approbatis æque digni censentur pro beneficio collativo, esse in arbitrio Collatoris eligere, quem maluerit. Cæterùm, si Patronus Ecclesiasticus ex approbatis eligeret minus dignum, Episcopus eum non teneretur instituere; nam talis electio facta esset contra formam à Concilio præscriptam; ergo esset nulla; ergo ad eum non posset sequi institutio; minus obligatio instituendi taliter electum. Hinc fit, quòd etiam rescriptum impetratum super tali electione vitiaretur; laboraret enim falso supposito, nimirum electionis factæ juxta formam à Concilio præscriptam.

§. 2.

Quibus competat jus providendi beneficiis Patronatis?

LOquimur hìc de provisione *per Insti-* 722
tutionem, atque adeo non liberâ, sed necessariâ, quæ scilicet fieri debet ad præsentationem à Patrono legitimè factam. Tametsi enim ipsa quoque Præsentatio, quæ Patronis de gratia, & beneficio Ecclesiæ conceditur, dici possit *Provisio*, hìc tamen non agimus de illa, remisso ejus tractatu ad tit. 38. de Jure Patronatus, de quo infra; sed *de ipso actu instituendi*, prout dicitur relatè ad præsentationem, & præsentato tribuit *jus reale*, seu jus in beneficio, ad quod præsentatus est; hinc talis dicitur ejus-

modi beneficium habere *cum titulo*; & quidem *in titulum*, si in perpetuum, seu ad dies vitæ; & taliter habens beneficium vocatur in eo *intitulatus*, ex sola verò præsentatione, non habet beneficium illud, nisi *in potentia*, seu jure *ad rem*, ut sæpe diximus, id, quod etiam acquirit electione; vigore gratiæ exspectativæ; collatione nondum acceptatâ, reservatione in ejus favorem: Coadjutoriâ cum futura successione, &c. sic Castropalaus *tom.* 2. *tr.* 13. *de benefic. D.* 3. *p.* 1. *à n.* 1. his præmissis.

723 Quæstio 1. est, ad quem jure communi spectet jus instituendi præsentatos? seu per institutionem providendi de beneficiis Patronatis? R. quòd ad Episcopum, si sint sub ejus diœcesi. 1. c. *Ex frequentibus.* 3. *h. t.* ubi Alexander III. scribens ad Archi-Episcopum Cantuariensem; ac ejus Suffraganeos, *ex frequentibus*, ait; *querelis didicimus, in partibus vestris consuetudinem pravam à multis retro temporibus invaluisse*, quòd Clerici Ecclesiastica beneficia *sine consensu Episcopi diœcesani, vel Officialium suorum (qui hoc de jure possunt) recipiunt, minùs, quàm deceat cogitantes, quomodo id à Patrum sanctorum est institutionibus alienum, & Ecclesiasticæ contrarium honestati.* Unde, cùm tu frater Archi-Episcope, ex officio tibi commisso, *tam iniquam consuetudinem*, de Provincia tua velis (sicut debes) radicitus extirpare, tam in illos, qui Ecclesiastica bona *taliter occupata*, scienter detinent; quàm in eos, qui de cætero occupare præsumpserint, excommunicationis sententiam protulisti, Nos eandem sententiam ratam habentes, & eam authoritate Apostolicâ confirmantes, mandamus, quatenus Clericos ipsos, qui eam sententiam incurrerint, nisi congruè satisfecerint, absolvere minimè præsumatis, ubi Rubrica, textum exhibens in Summa, sic habet: *institutio beneficiorum spectat ad Episcopos, vel eorum Officiales.* Idem habetur ex c. *Cùm ex injuncto.* 12. *de hæret.* ibi: quòd, si fortè necessitas postularet, ut Sacerdos tanquam inutilis, & indignus à cura gregis debeat removeri, *agendum est ordinatè apud Episcopum, ad cujus officium tam institutio, quàm destitutio Sacerdotum noscitur pertinere.*

Dubitari potest, an idem possit Capitulum Sede vacante? R. quòd sic *c.* 1. *h. t. in* 6. ibi: *etsi Capitulum, Sede vacante, beneficia, quæ ad Collationem Episcopi pertinent, conferre non possit, præsentatos tamen à Patronis potest admittere, si sint idonei, & eos instituere in beneficiis, ad quæ fuerint præsentati: licet ad Episcopum (si superesset) admissio, & institutio hujusmodi pertineret.* Aliis verò Prælatis inferioribus id competere non potest, nisi privilegio vel præscriptâ consuetudine c. *super eo.* 15. *de Offic. deleg.* v. g. Archi-Diacono, Præposito, Abbati c. *cùm olim. c. auditis, de præscript.* 724

Dubitari potest 2. an *Vicarii generales* Episcoporum *ex vi Vicariatus*, absque alia speciali commissione, possint *instituere* ad præsentationem Patroni? affirmativam, *quoad confirmationem electi*, secuti sumus *l.* 1. *titul.* 6. idem dici videtur probabilius *de institutione* præsentati; cùm textus expresè dicat, *quòd Officiales Episcoporum* hoc de *jure possint*, ut constat ex litera in n. 723. nimirum quando agitur de provisionibus beneficiorum, quæ sunt *necessitatis*; nam providere de beneficiis, quæ sunt liberalitatis, & quasi donationis, aliunde constat, eos id non posse de jure, ut diximus loc. cit. sicut nec Capitulum Sede vacante, & ita tenent Gloss. in cit. c. *Ex frequentibus*; & in c. *fin.* de Offic. Vicarii in 6. V. *non possunt*, Nicolaus Garcia de benefic. *p.* 5. *c.* 8. *à n.* 83. Praxis Episcop. *p.* 1. *V. Vicarius §.* 18. Gonzalez *ad reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 9. *§.* 5. *à n.* 78. Vivian. in praxi juris patronat. *p.* 2. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 3. Suarez de pace in *pract. tom.* 2. *præl.* 3. *n.* 7. *&* 8. Azor *instit. moral. p.* 2. *l.* 7. *c.* 22. *q.* 3. Narbon. *de appellat. à Vicario ad Episcopum p.* 1. *n.* 18. Barbosa de offic. & potest. Episcopi *p.* 3. *allegat.* 54. *n.* 70. 725

De hac opinione sic loquitur Barbosa in dict. c. *ex frequentibus* n. 3. *hæc resolutio (licet plures gravissimos habeat contradictores*, & inprimis Rebuffum *dict. tit. Forma Vicariatus*, à n. 126.) *in se quidem verior est, & in rigore disputationis* 726

nis optimè defenditur, & secundùm eam respondisse Illustriss. Cardinal. Sacræ Congregat. Concilii, testantur Nicolaus Garcia, & Narbon. citatis locis; & Sacram Rotam secundùm eam judicâsse, refert Card. Cavaler. decis. 28. n. 5. Sed ad literam hujus textus minimè adaptatur; tum quia, ut ostendimus, intelligendo verba illa restrictivè, non probat conclusionem affirmativam, quam ex eo colligunt.

727 Rationem dat; quia non agit textus de *institutione specialiter sumpta*, quæ scilicet fit ad Patroni præsentationem, *sed generaliter* de Clericis, qui sine titulo habito ab Episcopo, vel Officialibus suis, vel alia persona, quæ de jure habebat potestatem, beneficia occupabant, ac subinde si verba prædicta (*qui hoc de jure possunt*) starent expositivè, ut isti volunt, probaret textus, posse Officiales Episcoporum sine speciali ipsorum consensu, seu commissione, *beneficia conferre*, quod est directè contra textum in *dict. c. vet.* & contra receptam omnium scribentium sententiam.

728 Sed hæc objectio Barbosæ non obstat sententiæ affirmantium. Verum est, quòd textus non loquatur tantùm de institutione *restrictivè sumpta*, nimirum de institutione *strictè* accepta, prout *solùm* dicitur *relatè ad præsentatos*, in quantum loquitur de jure Episcopi & Officialium ejus; nam querelæ, quas de prava consuetudine illorum Clericorum didicerat Pontifex, non erat unicè, *quòd sine consensu Ordinarii occuparent beneficia solùm patronata*, quorum provisio est *necessitatis*, sed etiam *collativa*, quorum provisio est *liberalitatis*: circa quæ ultima Officiales Episcoporum de jure nihil possunt: loquitur tamen *restrictivè* de provisione, seu consensu in recipiendis illis, quæ sunt *necessitatis*.

729 Cujus ratio est, quia secùs illa verba (*qui hoc de jure possunt*) nullum producerent effectum, à Pontifice intentum; pro cujus rei Declaratione notandum: querelam, contra Clericos illos, depositam in eo stetisse, quòd reciperent beneficia sine consensu Episcopi, vel Officialium ejus, atque adeo sine titulo legitimæ Collationis, vel institutionis. 2. reprobari dictam Clericorum consuetudinem non tantùm quod beneficia recipiant sine consensu Episcopi diœcesani, quo acquirunt titulum, sed etiam sine consensu *Officialium ejus*, statim subjungendo (*qui hoc de jure possunt*) nimirum dare consensum, seu titulum; at ex hoc sequitur, quòd textus, *loquens de Officialibus*, loquatur *restrictè*, nimirum solùm de provisione, *quæ est necessitatis*; ergo Min. probatur, quia, si, *in quantum loquitur de Officialibus Episcoporum*, non loqueretur *restrictè* ad provisionem beneficiorum, *quæ est necessitatis*; ut sunt beneficia *electiva*, & *patronata*, quoad electi *confirmationem*, & præsentati *institutionem*, ea verba vel evaderent falsa vel nihil operarentur.

Probatur; nam, si non essent fal- 730
sa, deberent verificari vel de provisione in beneficiis *collativis*, quæ sunt liberalitatis? vel *electivis*, & *patronatis*, quæ sunt necessitatis? vel de provisione *in genere?* at de provisione *in collativis*, verificari non possunt, & officiales Episcoporum *de jure* nihil possunt circa beneficia *collativa*, ut dictum est, sed nec verificari possunt *de provisione in genere*? hoc enim nunquam verificari potest, nisi eis competat aliqua species providendi, contenta sub tali genere; sed, juxta Barbosæ discursum, quòd Officiales Episcoporum de jure possint providere beneficiis, & consensu suo *dare titulum*, non verificaretur in ulla specie providendi taliter beneficiis, contentâ sub eo genere, ergo Min. probatur, quia providere in beneficiis per consensum dando titulum non explicat alias species, nisi provisionem in beneficiis vel *collativis*, quæ sunt *liberalitatis*, vel *electivis*, & *patronatis*, quæ sunt *necessitatis*, sed per Barbosam, *quod Officiales Episcoporum hoc de jure possint*, non verificatur de beneficiis, quæ sunt *necessitatis*, aliàs enim ex vi hujus textus admitteret, quod tamen negat haberi ex vi hujus textus, nec verificatur de beneficiis, quæ sunt *liberalitatis* nam hoc ipsum ille negat in suo argumento à n. 726. ergo non verifi-

verificatur in ulla specie sub tali genere; ergo ea propositio, contenta in textu (quòd Officiales Episcoporum de jure possint dare consensum, qui in beneficiis, *quorum provisio est necessitatis*, atque adeo *electivis*, & *patronatis*, sufficiat pro titulo) hoc ipso esset falsa, quod dici nec debet, nec potest; ergo verè esse debet contradictoria: *Officiales Episcoporum, de jure possunt dare consensum, qui in beneficiis quorum provisio est necessitatis; atque adeo electivis, & patronatis, sufficiat pro titulo*, at sic est in electivis *confirmatio*; in patronatis *institutio* strictè sumpta; ergo Officiales Episcoporum de jure, & consequenter *ex vi Vicariatus*, per dictum c. *Ex frequentibus*, & textu ejus, rectè probantur, posse *confirmare electos*; & *instituere præsentatos*. Hinc:

731 Ad argumentum Barbosæ, relatum in n. 727. *dist. ma.* textus non agit *de sola institutione specialiter sumpta*, quæ scilicet fit ad Patroni præsentationem. C. non agit *etiam de illa. N. ma. dist. etiam min.* sed si verba prædicta (*qui hoc de jure possunt*) starent expositivè, non tantùm relatè ad Episcopos, sed etiam eorum Officiales, affirmando etiam hos de jure posse providere *quælibet* beneficia, possent etiam, contra communem, *conferre* beneficia sine commissione speciali. C. si expositivè, sed cum distinctione beneficiorum & personarum. N. *min. & conf.* hoc ipso enim quòd textus dicat, Officiales Episcoporum (*hoc de jure posse*) eos distinguit ab eo, quod potest Episcopus, & *per hoc* indicat, se, loquendo *de Episcoporum Officialibus*, & affirmando, *istos de jure posse dare consensum* (qui Clericis recipientibus beneficia sufficiat, ne procedant in illis recipiendis juxta priorem consuetudinem, hìc reprobatam) loqui *restrictè* quoad sola beneficia, quorum provisio est *necessitatis*, cùm aliàs in nullo sensu verificari possent ea verba, *qui hoc de jure possunt*; non enim dicit eos hoc de jure posse *in qualibet beneficiorum provisione*; sed solùm *in aliqua*, ea nempe, *quæ est necessitatis*, aliàs non bene culparentur illi Clerici, quòd non requisierint consensum *Officialium*; cùm constet, eum non exigi *in provisione beneficii collativi, seu provisionis liberæ*, ergo solùm in provisione electivi, & patronati, seu *provisionis necessariæ*, ut in superioribus probatum est. V. quæ dicemus ad hunc finem etiam n. 799.

Dubitari potest 1. an Summus Pon- 732
tifex validè instituat in beneficiis *patronatis* Clericum, *præteritâ Patroni præsentatione?* 2. An Legati de latere? 3. An Episcopi? 4. An hi teneantur instituere præsentatum, si Patronus ei non assignavit competentem sustentationem ex reditibus Ecclesiæ Patronatæ intra terminum ab instituere præfixum? sed has, & similes quæstiones resolvemus inferius titulo 38. de Jure Patronatûs.

§. 3.

Quid juris habeant Regulares circa Vicarios instituendos in Ecclesiis, sibi unitis, vel incorporatis?

NOn loquimur de beneficiis Regula- 733
ribus, sed *Regularium*, quæ scilicet ad ipsos pertinent titulo unionis, aut incorporationis factæ ipsorum Ecclesiis. De beneficiis Regularibus & quidem ad quem pertineat electionis confirmatio, vel postulationis admissio? si electiva sint? jam dictum est *lib.* 1. *tit.* 5. *&* 6. Si verò talia sint, quæ communiter per Vicarios provideri solent, dubitari subinde potest, an penes Diœcesanum, an Superiorem Regularem sit potestas ejusmodi Vicarios constituendi in talibus Ecclesiis?

Pro resolut. in hac materia meritò 734
distinguendum est inter beneficia *Regularia*, & *Regularium*, cùm enim plura sint beneficia, quæ solùm Jure Patronatûs pertinent ad Regulares, & tamen administrari debeant per Seculares, non evadunt propterea *regularia*; sed erunt beneficia Regularium secularia; qualiter contingit, si Ecclesiæ Regulari æquè principaliter uniatur Ecclesia, seu beneficium seculare, de quo V. dicenda n. seqq. Deinde, inter ipsa beneficia *regularia* quædam sunt *exempta* à jurisdictione Ordinariorum; quædam non alia *pleno*, alia *non pleno*; jure illis incorporata, seu unita.

Not. 2.

735 *Not.* 2. duobus modis hanc in corporationem, seu unionem fieri posse, ut *not. Gloss. in c.* 3. V. *pleno jure*, de privil. 1. *non pleno jure*, quod fit, quando Ecclesia, vel beneficium illis solùm *quoad temporalia* in corporatur; 2. *pleno jure*, quando illis unitur *quoad temporalia*, *& spiritualia simul.* Hoc postremum rursus fieri potest dupliciter; primò, *jure pleno*, & *plenissimo*, hoc fit, quando non tantum Ecclesia in temporalibus, & spiritualibus, sed etiam populus in Spiritualibus subjicitur Regularibus, vel monasterio, sic, ut etiam populus ab Episcopo Diœcesano sit exemptus, vel, ut ait Gloss. magna in c. *quoniam* 21. de privileg. V. *Ecclesia Parochialis*, quando Episcopus nullum jus Episcopale in ea habet; intellige jus *jurisdictionis Episcopalis*; Sic etiam Abbas c. *De Monachis*, de præbend. n. 9. si autem Ecclesia in temporalibus, & Spiritualibus subjicitur Regularibus, Episcopo autem diœcesano populus in Spiritualibus, dicitur Ecclesia in corporata, seu unita Regularibus *pleno jure, sed non plenissimo.*

736 Ex his sequitur 1. Regularibus non competere jus instituendi, vel destituendi Vicarium in Ecclesia Parochiali, vel Curata ipsis solùm *jure non pleno unitâ*, nimirum quoad sola temporalia incorporata. Nam hoc est juris Spiritualis; ponitur autem illis non esse in spiritualibus unita. Unde, ubi ejusmodi Ecclesia unita est Regularibus solùm quoad reditus temporales, illis non competit jus præsentandi Vicarium pro tali Ecclesia; Laymann *in c.* 1. *de suppl. neglig. Prælat. n.* 7.

737 Si autem etiam jus præsentandi est illis incorporatum, possunt præsentare Vicarium Episcopo Diœcesano, non ab ipsis, sed hoc instituendum, ut constet ex c. *In Lateranensi*, 31. de præbend. ibi. *Statuentes nihilominus, quatenus in Ecclesiis, quæ ad ipsos pleno jure non pertinent, juxta ejusdem Consilii statuta, Episcopis instituendos Presbyteros repræsentent, ut illis de plebis cura respondeant: ipsis verò pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem, institutus verò removere non audeant Episcopis in consultis.*

738 Sequitur 2. quando Ecclesia Parochialis jure non pleno (nimirum quoad sola temporalia) incorporata est Regularibus, Monasterium, vel ejus superiorem nihil ferè juris habere, vel in personam Presbyteri, in tali Parochia positi, vel in curam populi; quia quoad hoc, ut ponitur in casu, beneficium Parochiale illis non est in corporatum, posse tamen rationem temporalium ab eo, qui in tali Ecclesia institutus est, exigere, ut patet ex textu c. 31. in fine.

739 Sequitur 3. si Ecclesia Parochialis, vel curata, *plenissimo jure* incorporata est Regularibus, eorum Superiori competere jurisdictionem quasi Episcopalem incorporata, consequenter etiam jus in Ecclesia sic unita instituendi, & destituendi Vicarios independentes ab Episcopo loci; Sic Layman. *cit in c.* 2. de neglig. Prælat. *n.* 7. quia tunc Episcopus nullum Episcopale jus jurisdictionis in ea exercere potest, ut colligitur ex c. *Quoniam* 21. de Privil. Ex quo colligitur, etiam jus visitandi, & rationem administrationis exigendi à Vicario, & alia, quæ sunt juris Episcopalis, non supponentis potestatem ordinis Episcopalis, esse penes Regulares, vel Superiorem loci, cui taliter unita est illa Ecclesia.

740 Sequitur 4. in Ecclesiis Parochialibus, vel curatis, quæ Regularibus *pleno quidem jure*, sed *non plenissimo* incorporatæ sunt, *jus præsentandi* Vicarium spectare ad Regulares: jus eum *examinandi*; *& instituandi*, ad Episcopum; Prima pars traditur à Barbosa c. *Extirpandæ* 30. de præbend. *n.* 7. Secunda verò pars à Layman. *cit. n.* 7. & *Trid. Sess.* 7. *de Reform. c.* 7. quod tamen intellige juxta superius dicta, & numerum seq. Deinde not. sequelam procedere solùm in hoc casu de beneficiis *non regularibus*, in quibus scilicet deservire debet Presbyter secularis, quando Vicarius deputandus est. Nam regularia per Regulares ministrari debent, quamvis & hi pro animarum cura ab Ordinariis locorum approbandi sint, quoad confessiones personarum secularium.

741 *Not.* autem, quæ diximus hactenus in Ecclesiis Regularium, ipsis incorporatis,

ratis, Vicarios instituendos esse per ordinarios locorum, non autem ipsos superiores Regulares, quando illæ Ecclesiæ ipsis subsunt, jure solùm non pleno aut pleno quidem, sed non plenissimo, debere intelligi primò, si non obstante unione manerent Ecclesiæ *Seculares*; Si enim factæ sint *Regulares*, de illis dicendum erit, sicut de beneficiis *regularibus*, de quibus à n. 159.

742 *Not.* 2. eadem dicta debere intelligi, spectato *jure communi*; nam aliud est, si Regulares, jus instituendi, & destituendi Vicarius in ejusmodi Ecclesiis, obtinuissent privilegio, quo juri communi derogatum esset, vel legitimâ præscriptione. *Not.* 3. verum esse vi Trid. Sess. 7. de Reform. c. 7. *pertinere ad Ordinarios* in beneficiis Ecclesiasticis curatis (quæ Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, Beneficiis, seu Collegiis, aut piis locis quibuscunque perpetuò unita, & annexa reperiuntur) ut ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur, *solicitè provisione procurare*, ut per idoneos *Vicarios etiam perpetuo*, nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertia partis fructuum, aut majori, vel minori, arbitrio ipsorum Ordinariorum, portione etiam super certa re assignanda, ad idem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur, appellationibus, privilegiis, exemptionibus, etiam cum Judicum deputatione, & illorum inhibitionibus quibuscunque in præmissis minimè suffragantibus; & ex hoc textu à Barbosa ibid. n. 15. concludi, Ordinarios posse *temporales*, aut *perpetuos vicarios* constituere, in quibuscunque beneficiis curatis, quæ unita reperiuntur Ecclesiis Cathedralibus, Collegiis, & Monasteriis, etiamsi in literis unionis expressa sit clausula, *ut possit deservire per Vicarios amovibiles*; sed hoc in pluribus limitari debet.

743 Primò enim non est in arbitrio Ordinarii constituere Vicarios perpetuos, vel ad nutum amovibiles in Ecclesiis, & beneficiis illis unitis, si unio facta sit post Trid. cum clausula (*ut Abbas, vel alius, cui unita est Ecclesia, possit ei deservire per Clericos ad nutum amovibiles*) secùs, si antè; ratio est, quia clausula illa derogativa non operetur ad posterius concessa, sic Nicol. Garcia *p.* 11. *c.* 2. *n.* 9. & alii quos citat, & sequitur Barbosa in dict. *Sess.* 7. *c.* 7. *n.* 16.

Secundò si unio facta est, *per viam pacti, & concordiæ*, per Papam *approbatæ*, cum clausula: *ut tali Ecclesiæ serviatur per Vicarium ad nutum amovibilem*, non potest Episcopus ponere in illa Vicarium perpetuum, ita Sanchez in Decal. *tom.* 2. *l.* 7. *c.* 29. *n.* 191. quia ex clausula derogativa in hoc decreto contenta, non tollitur pactum, & concordia per summum Pontificem approbata, 3. Si à tempore immemoriali unio facta est, & ex tunc constat, vicarios fuisse admotum amovibiles, scientibus, & consentientibus Ordinariis, nec nunquam Vicarium perpetuum fuisse constitutum, ita Sanchez cit. §. *tertio fallit*, Barbosa in dict. *c.* 7. *n.* 16. Quartò, si Regulares præscripserunt jus constituendi in illis Ecclesiis Vicarium ad nutum amovibilem; ut, si bonâ fide per tempus jure definitum ipsis in ejusmodi Ecclesiis semper constituerunt tales Vicarios, præsentando illos Ordinario, non instituendos, sed solùm approbandos pro animarum cura; ratio est ex dictis in præcedentibus *n.* 740. 744

Quintò non est in arbitrio Episcopi, in Ecclesiis, quæ unitæ sunt monasteriis Monachorum, aut Mendicantium ponere Vicarium *perpetuum*, sed tantùm ad nutum amovibilem, quia licet Tridentinum ibi indefinitè, & generaliter loquatur, postea tamen Quis V. in quodam motu proprio incip. *ad exequendum pastoralis officii debitum*, illud decretum *Trid. Sess.* 7. *c.* 7. restrinxit, ut notat Sanchez cit. & apud illum Flores de Mena, Variarum *qq. q.* 10. *n.* 40. discens: *sic fuisse declaratum in Curia Romana, & Congregatione Cardinalium.* Sextò, decretum Tridentini non habet locum in casu, quo ex privilegio, *remunerationis gratiâ*, concesso beneficium esset unitum cum clausula *ponendi Vicarium ad nutum amovibilem*; Quia, licet Concilium deroget in eo decreto sub hac clausula: *appellationibus, privilegiis, exemptioni-* 745

ptionibus, etiam Judicum deputatione, & illorum inhibitionibus quibuscunque in præmissis minimè Suffragantibus: Sub hac tamen generali privilegiorum derogatione non clauduntur privilegia concessa, *causâ remunerationis*, ut teste cit. Sanchez bene probat Flores de Mena *q.* 10. *n.* 46.

746 Et ideo doctrina tradita ex Tridentino, de potestate Episcopi ponendi Vicarios in Ecclesiis, quæ Regularibus unitæ sunt, quoad animarum Curam, non habet locum *in illis, quæ sunt de mensa*, seu, quæ unitæ sunt ad mensam conventûs, seu Collegii, quia scilicet percipit fructus in solidum, & per se, aut suos Clericos, seu Clericos, seu Capellanos, quibus solvit stipendium, inservit tali beneficio. Hinc in his nihil potest Episcopus cùm ejusmodi beneficia nunquam vacent, ut dictum est *n.* 299. Imò præfatus Author *n.* 21. (ut notat Barbos.) expressè docet, verius esse, quòd Regulares Vicarium ad nutum amovibilem ponere possint in eo beneficio, quod pleno unitum est Monasterio, in temporalibus, & illis Spiritualibus, quæ pertinent ad curam animarum, licet non in his, quæ sunt supra curam, scilicet *in visitando, excommunicando, jure dicendo &c.* Adverte tamen, quod Barbosa c. *Extirpandæ*, de præbend. *n.* 7. videatur apertè sibi contrarius in his, quæ docuit ex Mena in c. *de Monachis n.* 4.

747 Dices 1. quæ diximus *n.* 739. non cohærent cum dictis *n.* 141. Nam *n.* 739. diximus Vicarios perpetuos, vel temporales in Ecclesiis Curatis Monasteriorum poni *ab ipsis Superioribus*, non ab Ordinario, & in *n.* 741. dicimus, ejusmodi Vicarios in talibus Ecclesiis poni *ab Ordinario*, & non à Superioribus Regularibus. R. hanc apparentem repugnantiam facilè conciliari, dicendo Vicarios in illis Ecclesiis esse deputandos ab Ordinariis, quando Regularibus *non sunt incorporatæ jure plenissimo*; & à Superioribus Regularium, *quando illis incorporatæ sunt jure plenissimo.*

748 Dices 2. ergo quando Ecclesiæ curatæ Regularibus unitæ non subsunt illis *jure plenissimo*, non Superiores Regularium, sed Ordinarius in illis Ecclesiis ponere potest Vicarios. R. hoc affirmari à Barbosa in Trid. *Sess.* 7. *de Reform. c.* 7. *n.* 15. quamvis sibi contrarius sit in *Sess.* 25. *de Regul. c.* 11. ubi affirmat oppositum. Pro resolut. *Not.* aliud esse, ponere Vicarium in Monasteriis, seu *Monasteriorum Ecclesiis, quibus vel ex fundatione, vel ex annexione incumbit cura animarum personarum secularium*; aliud, illum ponere *in Ecclesiis Curatis, quæ non sunt in Monasteriis, sed tantum unitæ sunt illis.* *Not.* 2. quòd Trident. *Sess.* 25. *de Regul. c.* 11. loquetur de Vicariis exercentibus curam animarum *in Monasteriis, vel illorum Ecclesiis Curatis*, & decretum *Sess.* 7. loquatur de Vicariis exercentibus curam animarum non in Ecclesiis ipsorum Monasteriorum, *sed aliis extra illa, iis tamen unita.* Ex his patet nullam esse dictorum repugnantiam, quia in uno loquitur de Ecclesiis Curatis *in ipsis Monasteriis*, & in his, non Ordinarius, sed Superior Regularium ponit Vicarium, vel perpetuum, vel temporalem: in altero loquimur de Ecclesiis Curatis *non in ipsis monasterii, sed extra illa, unitis tamen illis*, ut monui superius, & in his non Superior Regularium, sed Ordinarius ponit Vicarium perpetuum, vel temporalem *de jure communi.*

Demum etiam negari potest in *Sess.* 749
7. *c.* 7. Episcopis concedi facultatem, ponendi Vicarios in Ecclesiis Curatis, *quæ unitæ sunt Regularibus jure pleno, licet non plenissimo*, quia ibi solùm dicitur: *Ordinarii solicitè procurent, providere de Vicariis*, non autem dicitur, quòd *ab ipsis provideri debeat* de Vicariis; sed tantùm, quòd *ab ipsis procurari debeat* provisio Vicariorum; quod salvatur, si eos ponant Regulares, sed non nisi debitè exanimatos, & approbatos ab Episcopo, vel si hoc Regulares negligerent, ipsi Ordinarii eos ponant.

Quæstio ulterior est 1. an in Eccle- 750
sia taliter unita Vicarius debeat esse *secularis*, vel *Regularis?* Respondet Pirhing de præbend. *n.* 218. Si Rector Principalis Ecclesiæ, cui facta est incorporatio beneficii Parochialis, sit *secularis*, non posse in ea institui Vicarium *Regularem*, nisi aliter constitutum sit in literis fundatio-

dationis, vel unionis, vel contraria esset consuetudo, quia status Ecclesiæ non debet mutari: Si verò Parochia sit unita Monasterio, potest Abbas Vicarium Regularem ad nutum ejusdem revocabilem, seu obedientiarium constituere; ita Pirhing. cit. ex. *Cùm ad Monasterium* §. *tales* de statu Monach. & Clem. *unic.* de suppl. negl. Prælat. nisi aliter expressum sit in literis unionis, præsertim si Vicarius intituletur, Layman in c. 2. de suppl. negl. Prælat. Sed hoc intellige, si beneficia, sic unita, sint *Regularia* ut in cit. c. *Cùm ad Monasterium*, notat Barbosa *n.* 8.

751 Quæstio est 2. ex quibus causis, in quibus Ecclesiis, & à quo constitui possit Vicarius perpetuus? R. posse institui in Ecclesiis parochialibus, vel curatis, quæ alteri Ecclesiæ, vel Collegio Canonicorum, aut seminario Clericorum, vel Cœnobiis Monachorum, Academiæ, hospitali, aut alteri loco, pietatis causâ extracto, vel etiam dignitati, aut præbendæ, sunt annexæ, ut dicitur c. *Extirpanda* §. *qui verò*, de præbend. 2. quando intra Parochiam Capella construitur, eo, quòd populus, Parochiæ subjectus, sit magnus, & ad eam convenire non possit, ut dicitur c. *Ad audientiam*, de Eccles. ædific. à quo autem possit, aut debeat constitui Vicarius, si sermo sit de Ecclesiis unitis alteri jam dictum est. *Not.* præterea ex Rebuff. in praxi beneficior. tit. *dispensatio*, *de non residendo n.* 14. quòd Curatus in casibus, quibus non tenetur residere, possit suâ authoritate, ex causa, Vicarium ad modicum tempus constituere, ita Doctores in c. *si quis* 7. *q.* 1. c. *Cùm ex eo* de Elect. in 6. in Clem. *unic.* de offic. Vicarii, & facit textus in c. *final.* de Offic. Ordin. excipe, nisi hoc prohibeat statutum Synodale, vel provinciale, quo stante non valet consuetudo, quòd inferior Episcopo possit in Ecclesia curata instituere Vicarium ad tempus, sic Rebuff. *cit. n.* 15.

752 Quæstio est 3. ex quibus causis soleat constitui Vicarius ad tempus? R. esse plures, 1. si quis legitimè habeat duas, vel plures Ecclesias, in quibus servire, ei commorari non possit, tunc enim per se ipsum in una, in altera per Vicarium deservire debet ex c. *& temporis* 26. *q.* 11. 2. si Rector Ecclesiæ, propter negotia, & occupationes, quibus ratione sui muneris, & officii, detinetur c. *ad hæc* de Offic. Archid. & c. 1. de celebr. Miss. 3. Ratione peregrinationis ad pia, & religiosa loca susceptæ. c. *fin.* de voto, & voti redempt. 4. ratione ægritudinis, & valitudinis incommodæ, ut Constat ex tit. de Cleric. ægrot. 5. ratione justæ absentiæ, authoritate Episcopi approbatæ. c. *Relatum.* de Clericis non resid.

Sextò ratione diversæ Nationis, alio 753
sermone, & linguâ loquentis, cui Rector præficitur. c. 5. de offic. ordin. 7. causâ habendi conciones ad populum c. *Inter Cætera*, de præbend. & c. quod *DEI timorem*, de statu Monach. 8. Cùm Rector ex officio & ministerio dejicitur, vel à loco removetur, c. *ad audientiam*, de Eccles. ædif. 9. Cùm Rector se confert ad statum vitæ Religiosæ, & in probatione versatur, c. *de Monachis.* de præbend. 10. denique, causâ necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ c. *Exposuisti*, de præbend. vel cùm id cedit in majus incrementum divini cultus c. *Illud*, & c. *Nihil* 7. *q.* 1.

Difficultas est, quid dicendum in 754
hoc casu? Superior Regularis, habens plures parochias, suo monasterio, vel Collegio, pro fundatione suæ domûs, legitimè incorporatas, per recessum, seu concordata, legitimè facta, in illis Ecclesiis (amoto, vel mortuo vicario ad nutum amovibili) potest ponere alium vicarium, sic tamen ut teneatur eum Ordinario præsentare pro approbatione ad curam animarum, *si nondum sit approbatus in ea Diœcesi; si verò jam semel sit approbatus in ea Diœcesi, solùm teneatur Ordinario, seu Diœcesano insinuare, quòd hunc Clericum, jam aliàs in hac Diœcesi approbatum, constituat, in tali Ecclesia sua*, Vicarium: contingat autem quòd Diœcesis sit ampla v. g. Complectens Carinthiam, vel Styriam, eamque inferiorem, & superiorem, & *in inferiore* alius sit *officialis* cum jure approbandi pro cura animarum, alius, in superiore.

In hoc casu quæstio est, an Superi- 755
or Regularis, volens in ejusmodi Parochia, sibi subjecta, constituere *novum Vicarium*, in ea Diœcesi jam semel approbatum, teneatur Ordinario rursum *præsentare*

pro

pro approbatione, vel *tantùm insinuare, se constituere talem Vicarium in ea Diœcesi jam approbatum?* in hac quæstione, plures viri timorati, & hujus materiæ intelligentes, à me consulti censuerunt unà mecum in tali casu Superiorem Regularem (stante hoc recessu, & concordatis) non teneri *ad præsentandum pro animarum cura*, sed *tantùm insinuandum*, se talem Clericum, jam aliàs in eadem Diœcesi pro animarum cura approbatum, constituere Vicarium in Ecclesia sibi subjecta. Nam ut superior Regularis in tali casu licitè, ac validè pro Vicario, Clericum constituat, *vi dicti recessûs*, seu *vitæ concordiæ*, Clericum *jam semel in ea Diœcesi approbatum* non tenetur iterum sistere, seu præsentare *pro approbatione, pro animarum cura*, sed tantùm *insinuare*; atqui in hoc casu constitueret pro Vicario talem; ergo.

756 Dices, id verum esse, ubi tantùm est *unus Officialis Episcopi*; secùs, si sint distincti, & unus *in una parte Diœcesis*, inferiori v. g. alter in alia, v. g. superiori; nam eo casu approbatus ab Officiali partis v. g. inferioris, non habetur approbatus pro parte superiori: sed hoc in dato casu non rectè opponitur. Nam ista distinctio *Officialium* non facit, quòd sint *distinctæ diœceses*, ergo non facit, quòd approbatus ab Officiali partis inferioris non sit approbatus *pro Diœcesi*, ad quam pertinet pars inferior, & superior; *cùm diœcesis complectens utramque, sit una eademque Diœcesis.*

757 Deinde, quæro, an, qui est approbatus in parte inferiore Diœcesis A. verificet, quòd sit approbatus in Diœcesi A. vel non? si primum? habetur, quod petit *recessus*, seu *concordia inita*, consequenter opus est solâ insinuatione: si secundum? is, qui committeret delictum in parte inferiori, Diœcesis A, reservatum in Diœcesi A. non verificaret, quòd deliquerit in Diœcesi A. quod tamen vix rectè dici potest; si autem sequelam neges, etiam negare debes approbatum in parte inferiori ab Officiali Episcopi Diœcesis A. non verificare, quòd sit approbatus in Diœcesi A.

758 Respondent aliqui, verba *recessus* accipienda esse, *non simpliciter*, sed juxta usum & consuetudinem, quòd approbatus ab uno Officiali censeatur quidem approbatus pro toto districtu Officialatûs, cui præest; sed non extra illum, cui præest alius? sed contra est 1. quia hæc expositio est contra claram literam *recessus, utrinque onerosi*, ubi solùm exigitur, *quòd sit approbatus in tali Diœcesi*; quæ propositio indefinita est; nam exponens illam non est indefinita; sed restricta ad partem Diœcesis; ergo expositio ista non tenet; cùm propositio exponibilis, & exponens debeat æquipollere.

Contra est 2. quia contra eum, qui 759
potuit conventioni, quam inivit, exceptionem adjicere, & non adjecit, fieri debet interpretatio; nam si voluisset, expressisset, L. *unica*, §. *fin autem. C. de caduc. tollend.* L. *si servus. §. Prætor ait. vers. non dixit. ff. de acquirend. hared. c. Ad audientiam 2. de decim. & c. 2. de transact.* Lex enim id noluisse præsumitur, cùm facilè id exprimere potuisset, & non expressit, ut ait Menochius *Consil.* 30. *n.* 8. & quod non dicit, non est ab homine præsumendum. L. *dissentientis*, C. *de Repud. c. Illa*, ne Sede vacante: præsertim, quando agitur de conventione *onerosa*, & unus conventionum verba conventionis, *generaliter* loquentia, in gravamen alterius exponere vellet *restrictè*, sed in dicto *recessu* (ubi dicitur, sufficere *solam insinuationem, sine nova præsentatione pro animarum cura*, si Clericus in Vicarium, à superiore Regulari, assumendus, *jam semel sit approbatus* in tali Diœcesi) nulla apponitur restrictio limitans verba illa prout ea limitat pars adversa, licet, si voluisset illum adjicere, potuisset; ergo vi dictorum jurium habenda est pro non adjecta, concludendumque, quòd Ordinarius in ea conventione noluerit.

ARTICULUS III.

De instituendis in Ecclesiis, seu beneficiis Ecclesiasticis.

QUæ pertinent ad habilitatem subjecti 760
eligend, vel providendi in beneficio electivo, exposuimus *l.* 1. *in tit.* 5. *&* 6. quæstio igitur in præsens est de habilitate providendorum in beneficiis *collativis*, *& Patronatis.* Primò igitur in recipiente beneficium (*viâ collationis*, vel *institutionis*

tionis propriè dictæ) conditio requisita est *legitimorum natalium, re, vel juris fictione, seu legitimatione* ex c. *Innotuit.* 20. *de Elect.* ubi dicitur: illegitimum posse *postulari*, non autem *eligi*, de quo plura *eod. lib. tit.* 17. *de filiis Presbyt. & c.* 1. *eod. in* 6. Altera conditio est *ætas legitima*, & conveniens tali beneficio, de quo est actum *lib.* 1. *tit.* 14. *de ætat. & qualit.* ordine præficiendorum. Hinc pueri non sunt idonei ad Ecclesiastica beneficia obtinenda c. *super* 35. *de præbend. Puer* autem propriè dicitur, ætate à 7. ad 14. annum, à quo incipit adolescentia, sic Abbas *in cit. c. super. n.* 4.

761 Tertia est, *Clericatus*, seu *status Clericalis*, qui etiam primâ tonsurâ obtinetur per c. *Cùm contingat.* 11. *de ætat. & qualit.* Nam Laicus, quàm diu talis est, non est capax beneficii Ecclesiastici obtinendi c. 2. *de Instit.* & c. *Ex literis* 6. *de transact.* & quamvis Laicus solùm jure humano prohibitus sit, acceptare beneficium, dum adhuc Laicus est; retinere tamen illud cum statu laicali etiam jure divino prohibetur, ut notat Barbosa in *c.* 2. *de Instit. à n.* 3. *Not.* autem *vitiosè tonsuratum* (hoc est, ab alieno, sine licentia sui Episcopi) in ordine ad effectum recipiendi beneficii, sine dispensatione, in habilem esse; Pirhing. *de præbend. n.* 102. Quarta, quòd habeat *Ordinem*, quem in recipiente exigit beneficium; hoc enim datur propter Officium. c. *Licet* 14. *de Elect. in* 6. *junct. gloss. V. annum. Clem.* 2. *de ætat. & qualit. Trid. Sess.* 22. *c.* 4. *& Sess.* 24. *c.* 12. *de Reform. V. dict. l.* 1. *tit.* 14. *de ætat. & qualit.* Hinc si in beneficii fundatione dicatur, quòd *debeat conferri Sacerdoti*, requiritur, quòd tempore collationis sit *actu* Sacerdos; quia qualitas, *juncta verbo*, determinatè accipi debet, secundùm tempus verbo expressam, sic Barbos. in *c.* 3. *de privil. n.* 27. & Ancharanus apud Pirhing hic *n.* 104. §. *not.* 2. ubi subjungit collationem beneficii ex defectu Ordinis, non vitiari.

762 Quinta, quòd recipiens beneficium, *nullâ censurâ*, vel *irregularitate* sit irretitus; quia sic nequit præstare officium, propter quod datur beneficium; Sexta, quòd sit *dignus*, & *idoneus*, qui beneficium recipit. c. *Grave nimis* 29. *h. t.* ubi dicitur, quòd Prælati personis indignis conferentes beneficium quodcunque, & moniti se non corrigentes, in Concilio Provinciali suspendantur à collatione omnium beneficiorum, & ea potestas devolvatur immediatè ad Papam. c. *Quia* 5. *de conces. præbend.* Si autem Collator sit Metropolitanus, à Concilio (nimirum provinciali) denunciandus est Superiori suo, ac ejus arbitrio relinquendus; sic c. *Grave nimis*, cujus dispositio innovatur per *Trid. Sess.* 7. *c.* 3. *de Reform.* ubi talis collatio, irritanda decernitur. An autem sufficiat sola idoneitas, & dignitas, vel quandoque debeat, cæteris paribus, assumi dignior? dictum est à n. 718.

Cùm autem idoneitas, & dignitas 763
communiter discidebeat per examen promovendorum ad beneficia; quæstio esse potest, an *semel* examinati, & approbati, tanquam digni, ac idonei, pro beneficio rursum examinandi, ac approbandi sint, si ad aliud promoveantur? R. 1. examinatum, ac approbatum pro sacris ordinibus, non posse denuò subjici examini pro beneficio *simplici*; sic Garcia *de benefic. p.* 9. *c.* 3. *n.* 15. Nam, *dignus illis*, non eget aliâ dignitate ad beneficium simplex. Quod etiam procedit de semel examinato, & approbato ad beneficium *simplex*, *Canonicatum*, vel *dignitatem*, Barbos. *in Trid. Sess.* 7. *de Reform. c.* 13. *n.* 18.

R. 2. Examen novum non esse neces- 764
sarium in provisionibus faciendis de beneficiis (intellige *similibus*) causâ permutationis; sic Parisius *de resignat. benefic. l.* 8. *q.* 9. *n.* 95. secùs *in dissimilibus* v. g. in permutatione *simplicis* cum *Curato*; ratio primi est, quia tali casu supponitur idoneitas nota (nimirum per prius examen habita) Clerici recepturi novum beneficium *priori simile*; cùm posterius non exigat majorem idoneitatem per se loquendo, quàm illud, pro quo constat dignus, & idoneus esse, secùs est, si secundum sit majus, & qualificatum propter rationem contrariam; ex quo habetur ratio secundi.

R. 3. Eos, qui obtinent collationem Ca- 765
nonicatuum, & aliorum simplicium beneficiorum in Ecclesiis Collegiatis, vel aliis exemptis à jurisdictione Episcoporum, nullo decreto Tridentini teneri eos, quibus dicta beneficia conferunt, Episcopis præsentare, ut ab eis approbentur prævio examine; sic Barbos. *in Trid. Sess.* 7. *de Reform. c.* 13. *n.* 16. Et quamvis Fagnanus in c. *Accepimus*, de ætate & qualitate n. 14. censeat, examinandos non esse *quoad doctrinam*, provisos de Canonicatibus *in forma dignum*,

dignum, si jam Diaconi, vel Presbyteri sint; id tamen intelligi debet, nisi ratione alicujus annexi muneris in proviso exigatur major literatura; hæc enim utpote *qualitas extrinseca*, non præsumitur.

Unde etiam, quando Fagnanus *cit. n.* 39. dicit, examinatum semel, & approbatum ad beneficium Curatum, vel Parochiale, non teneri *ad simile* se iterum examini subjicere; secùs, si *ad majus*, intellige, quoad literaturam, seu doctrinam; limitari debet, ut non procedat, si transeat ad aliam Parochiam alterius Diœcesis, ubi notus non est. 2. si approbatus est cum aliqua restrictione, ut magis se fundet in scientia necessaria. 3. Ut solùm procedat in eodem Examinatore & Approbatore. 4. Si nova causa superveniat. 5. Si deprehendatur successu temporis in promoto scientiam deficere, quam prius non magnam habuit, præsertim, cùm rarò admodum, semel promoti, scientiæ animarum curæ necessariæ, privato studio aliquid impendant.

ARTICULUS IV.

De Institutione, seu investitura.

766 ANte *resol. not.* ex dictis, *institutionem* latè sumptam, aliam esse, per quam titulus, seu jus beneficii confertur; aliam per quam datur ejus possessio; illa fit per literas præsentato datas ab Episcopo, cujus est instituere, ista per investituram corporalem & missionem in possessionem beneficii (vulgò installatio) vocari solet, ut notatur in *Gloss. ad c. Per illarum de præbend.* V. *investivit.*

767 *Not.* 2. In vestituram aliam esse *verbalem*, quæ sit per certa verba, & traditionem alicujus signi. v.g. bireti, clavium, &c. aliam *realem*, quæ fit per corporalem inductionem in possessionem; & hæc de jure ad Archi-Diaconum spectat, vel interdum ad Episcopum, vel Delegatum ab illo, per c. *licet* Episcopus 28. *de præbend. in* 6. ibi: licet Episcopus beneficium, quod cum animarum cura tenebas (postquam aliud recepisti consimile, ac ipsius possessionem pacificam habuisti, vel per te stetit, quo minus haberes eandem) possit alteri de jure conferre: illum tamen, cui contulerit, non debebit te non vocato (cùm tibi forsan jus possit competere retinendi) *in possessionem ipsius inducere corporalem.* Et ideo, ut dicitur in c. *Proposuit.* 4. *de Conceff. præbend.* licet investitura *verbalis* (v.g. traditio annuli, quæ fit in absentia ipsius rei, pro qua quis investitur) tribuat *jus in re* (ut notat Pirhing. *eod. n.* 44.) non tamen dat possessionem *corporalem*; sic Barbos. *in c. 4. de Institut. n.* 3.

Not. 3. Ante omnes prædictas insti- 768
tutiones, vel investituras, in beneficiis curatis, prævièe necessariam esse institutionem, quam dicunt *authorizabilem*, in eo sitam, quòd Curato detur jurisdictio, seu potius approbatio pro cura animarum, & Sacramentorum administratione, deduci communiter ex *Trid. Sess.* 23. *de Reform. c.* 15. ibi: quamvis Presbyteri, in sua ordinatione, à peccatis absolvendi potestatem accipiunt; decernit tamen sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur, esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis, & consuetudine quacunque etiam immemorabili, non obstantibus.

Posset tamen alicui videri hoc non de- 769
duci ex isto textu Tridentini. Nam approbatio pro audiendis Confessionibus secularium, ex vi hujus textûs, videtur solùm exigi, quando providendus nec per examen, nec aliunde idoneus videtur, nec etiam beneficium parochiale obtinet; ex hoc enim sequitur, si unum ex his in eo verificetur, posse talem audire confessiones Secularium; sed fieri potest, quòd Parochiale beneficium obtineat, licet non præcedat approbatio; nam aliud est, *judicari dignum curâ animarum*; aliud *approbari ut talem, ut alicui conferatur curatum beneficium*; primum necessarium est prævièe; sed non secundum.

Circa istam dubitationem videtur 770
certum, quando in dicto Tridentini textu pro audiendis secularium Confessionibus exigitur *approbatio*, per istam non significari *collationem potestatis ad absolvendum sacramentaliter à peccatis*; cùm, ut loquitur Concilium, *Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant.* Videtur igitur ibi per *approbationem* intelligi solùm judicium de illius idoneitate, vel actum, quo Episcopus, oves sibi, suæque pastorali curæ commissas talis Sacerdotis

cerdotis potestati subjicit ad impertiendam illis, ac recipiendam absolutionem à peccatis, vel utrumque, si approbatio sumatur primo modo, non est dubium, eam requiri *prævie*; si secundo, vel tertio, non videtur requiri *prævie*, ad institutionem in tali beneficio; cùm Episcopus Presbytero conferendo, vel eum instituendo in beneficio, ipso facto *simul* subjiciat Parochianos illius loci.

771 *Not.* 4. In multis locis (cùm institutus duplex jus accipiat, nimirum spirituale, & temporale) curatorum investituram in spiritualibus fieri, novum Parochum in Ecclesia proponendo Parochianis, qui ibidem publicè deponat juramentum fidei, & obedientiæ, & insignia Parochialia accipit, in temporalibus autem deducendo eum in domum Parochialem, claves, reditus, & Parochiales fructus ipsi assignando.

772 *Not.* 5. Eum, qui absque Diœcesani, vel alterius Superioris consensu, possessionem *beneficii* apprehendit, *intrusum* dici, &, si occupet *vi*, eo ipso perdere jus, quod ad illud habebat, sic, ut ipso facto vacet, notanter autem dixi possessionem *beneficii*, nam secùs est, si tantùm *prædii* ad beneficium spectantis; *c.* 18. *de præbend. in* 6. & Barbosa *ibid. n.* 2.

773 Difficultas porrò est circa investituram in temporalibus; nam in quibusdam locis Advocati Ecclesiarum, vel Domini terrestres, illam sibi arrogant *privativè* ad Episcopum, & Superiores Ecclesiasticos, an jure, an injuriâ statûs Ecclesiastici? hìc non disputo. Illud certum est, Patronis vel Advocatis laicis, *vi Patronatûs*, vel *Advocatiæ*, de *jure* non competere jus investituræ, etiam in temporalibus, ut constabit ex tit. 38. de Jure Patronatûs. Dixi de *jure, & vi Patronatûs, vel advocatiæ*. Aliud enim est, si haberent ex privilegio, conventione legitimâ, vel justâ consuetudine, inductâ scilicet de consensu Cleri, approbato per legitimum Superiorem Ecclesiasticũ.

ARTICULUS V.

Intra quod tempus beneficiorum provisiones fieri debeant?

774 DE hoc agitur in *c. Nulla.* 2. §. *Cùm verò. de præbend.* ibi: cùm verò præbendas Ecclesiasticas, seu quælibet officia, in aliqua Ecclesia vacare contigerit, *non diu maneant in suspenso, sed intra sex menses personis, quæ dignè administrare valeant, conferantur:* si autem Episcopus, ubi ad eum spectat, conferre distulerit, per Capitulum ordinetur; quòd, si ad Capitulum pertinuerit, & intra præscriptum terminum hoc non fecerit, Episcopus, secundùm DEum, hoc cum religiosorum virorum Concilio exequatur: vel, si omnes fortè neglexerint, Metropolitanus de ipsis, secundùm DEum, absque illorum contradictione disponat; Nam *dilatio est Ecclesiis damnosa, & animabus perniciosa.* c. *Quàm sit* 6. *de elect. in* 6. ibi: *quàm sit Ecclesiis ipsarum dispendiosa vacatio, quàm periculosa etiam esse soleat animabus, non solùm jura testantur, sed etiam Magistra rerum efficax experientia manifestat.* Et hæc constitutio procedit non tantùm in collationibus, sed etiam electionibus, etiam beneficiis Regularibus c. *Dilectus.* 12. *de conces. præbend.* ubi dicitur, quòd si electio *Episcopi*, vel *Archi-Episcopi*, si non fiat *in Semestri*, non devolvatur ad alios; quia Concilium Lateranense quod dicitur *de Semestri* intelligit *de personatibus, & minoribus beneficiis, imò etiam in hospitalibus conferri solitis in titulum*; non autem in *Prælaturis principalibus Ecclesiarum Cathedralium, & Regularium*; Nam hæ *ultra tres menses vacare non debent*, propter majus periculum. c. *ne pro defectu* 41. *de Elect.* ibi: statuimus: *ut ultra tres menses Cathedralis Ecclesia*, vel *Regularis, Prælato non vacet; intra quos* (impedimento cessante) *si electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi potestate careant eâ vice, ac ipsa eligendi potestas ad eum, qui proximè præesse dignoscitur, devolvatur*, is verò, ad quem fuerit devoluta potestas, DEum præ oculis habens, *non differat ultra tres menses*, cum Consilio Capituli sui, & aliorum virorum prudentium, *viduatam Ecclesiam de persona idonea ipsius quidem Ecclesiæ, vel alterius, si digna non reperiatur, in illa Canonicè ordinare*: si canonicam voluerit effugere ultionem.

Ex his juribus deducitur, tempus, 775
intra quod de jure provideri debet Prælaturis principalibus *Ecclesiarum Cathedralium*, & *Regularium*, esse *trimestre*, inferiorum autem, *semestre*, ita quidem, ut, si per eos, ad quos pertinet ejusmodi provisio intra tempus à jure definitum ea provisio negligatur, jus providendi pro

ea

ea vice devolvatur ad superiorem, juxta dicenda in sequentibus. Dixi, *si negligatur*, quod importat aliquam culpam ab eo, qui providere debebat, admissam, hæc autem non adest, ubi obstat justum impedimentum, vel ignorantia vacationis, ergo. Unde in hac materia, quæstio est 1. qualiter accipiendum, cum dicitur, *quòd hoc tempus non currat impedito, à provisione tunc facienda; nec etiam ignorandi vacationem beneficii?* ante resolut. quæstionis not. hanc peti posse ex c. *Quia diversitatem* 5. de Concess. præbend. ubi, cùm Archiepiscopo Eboracensi, ab officio suspenso, nonnulli durante suspensione beneficia, ad ejus collationem spectantia, accepissent, re intellectâ mandat Pontifex, ut detentores, ad ea dimittenda complectantur, nisi, vel ex speciali mandato Sedis Apostolicæ, vel Authoritate Lateranensis Concilii à Capitulo ea sint adepti. Neque vult tempus suspensionis; & quo Archiepiscopus ad Sedem Apostolicam accessit, & apud illam remansit, vel recessit ab illa, intra sex menses à Concil. Lateran. præfixos, neque hos à tempore vacationis præbendarum, sed notitiâ ipsius computari.

776 Ex hac definitione Pontifex deducitur 1. *quòd tempus* faciendæ provisioni Ecclesiarum præfixum, *non currat legitimè impedito*; Nam, ut loquitur Pontifex in dict. c. *Quia diversitatem*, illa Concilii Lateranensis Constitutio (quòd si provisio non fiat inter tempus à jure definitum) *contra negligentes tantùm fuit promulgata*, justè autem impeditus à facienda provisione intra tempus debitum, non est negligens, & hoc procedit, sive impedimentum sit juris, sive facti. v. g. Si Collator sit suspensus, aut, si post absolutionem à suspensione adhuc maneat apud Sedem Apostolicam, ex quibus primum est impedimentum *juris*; alterum, *facti*; de utroque hoc ipsum est expressum in textu, primum quidem ubi: *tunc, si voluerit, non tamen valuerit Archiepiscopus ipse in conferendis beneficiis, uti propria potestate, à qua etsi fuerit suâ culpâ suspensus, non tamen ad ipsum Capitulum ex illa culpa præbendarum erat donatio devoluta, sed ad illum tempore suspensionis illius præbendarum donatio pertinebat, qui (præter ejus desidiam, at negligentiam) poterat præbendas donare*; Secundum autem verbis immediatè sequentibus, ibi: *tempus etiam, quoad Apostolicam Sedem accessit, & apud illam permansit, vel recessit ab illa, intra sex menses nullatenus computetur.*

Si dicas: quando quis suâ culpâ incidit in pœnam v. g. privationem juris eligendi, vel conferendi beneficia, non excusatur ab ea pœna. arg. L. 2. §. *ult.* ff. si quis caut: Sed sic se res habet, cùm quis non potest conferre beneficia *propter incursam suspensionem*, vel *excommunicationem*; cùm hæ pœnæ non incurrantur sine culpa, ergo. R. cum dist. maj. quando quis suâ culpâ incurrit pœnam *directè ordinatam* ad puniendam *talem culpam* non excusatur ab ea pœna, transeat, *directè ordinatam in aliam culpam*. N. maj. & absolutè minorem, nam privatio juris conferendi beneficia, tanquam pœna, non ordinatur directè ad puniendam *quamvis culpam*, cui statuitur pœna suspensionis, ex qua consequenter fit, à Suspenso non posse conferri beneficia; Sed solum ordinatur *in culpam negligentiæ commissæ in non providendo beneficiis, cùm posset, & deberet*; at hoc se non habet ita in casu, quo Collator suspensus est, licet hanc censurâ meruerit suâ culpâ, ut apertè dicitur in ipso textu ergo. 777

Deducitur 2. quòd tempus, à jure definitum pro facienda beneficiorum provisione, nec curat impedito, *nec ignoranti* vacationem beneficii, constat ex dict. c. *Quia diversitatem*, in fine, ibi: *Semestre autem tempus, non à tempore vacationis præbendarum, sed notitiæ potius ipsius volumus computari*, ubi nota, tempus, quod currit etiam impedito, esse *continuum*, quod autem non currit impedito, vocari *utile*, secundum Gloss. margin. in c. *Bene novit.* 18. *dist.* 61. *lit.* 13. Ex hoc habetur, quòd tempus *sex Mensium*, datum ad conferendum, non est numerandum *à die vacationis simpliciter*, sed *à die vacationis illi notæ*, ad quem pertinet collatio, ut cum aliis tradit Garcia *p.* 10. *c.* 2. *n.* 15. *&* 27. atque adeo tempus intermedium à die vacationis usque ad diem acceptæ notitiæ de vacatione beneficii esse *utile*, nisi præfixum sit, non in odium negligentiæ, sed in favorem tertii, vel alterius, nam tali casu volunt aliqui, quod etiam currat impedito, & ignoranti, arg. L. *Genero* 8. ff. de his, qui not. infam. 778

779 Quæstio est 2. qualiter in casu negligentiæ potestas providendi pro ea vice devolvatur ad alium? R. Si ad Episcopum jure proprio spectat collatio beneficii vacantis, & hic illud non confert intra debitum tempus, potestatem ejus conferendi, devolvi *eâ vice* ad Capitulum, jure sic disponente, propter Communionem, quæ est inter Episcopum, & Capitulum, tanquam inter caput, & membra ejusdem corporis; Si spectet ad Capitulum, & similiter intra tempus præfixum non conferat, devolvi ad Episcopum: utroque negligente, ad Metropolitanum ex c. *Nulla* §. *si autem* de concess. præbend. Unde sequitur, quòd potestas conferendi beneficia devolvatur *gradatim* ab inferiore ad proximum superiorem, donec veniatur ad Papam. Dixi si collatio spectet ad Episcopum *jure proprio*, quatenus scilicet est illius Ecclesiæ Episcopus, in quo jure etiam Capitulum aliquo modo communicat; non verò, quando ad eum spectat *jure devoluto*, sic Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 27. Nam tali casu Episcopo, negligente, potestas devolvitur ad Metropolitanum. Et hoc procedit etiam in Collatoribus Regularibus, in quorum negligentia potestas conferendi beneficia devolvitur ad Ordinarium, in cujus Diœcesi ea sita sunt, si Prælati non sint exempti; Si autem exempti, Ordinarius ea conferet, ut delegatus Papæ, juxta Clem. *unic.* de suppl. negl. Prælat. Quamvis autem in c. 2. de concess. Præbend. ut dictum est, in casu negligentiæ, potestas conferendi beneficia vacantia devolvatur ad proximum superiorem, hoc tamen intelligi debet, de beneficiis vacantibus *infra Episcopatum*, & reliqua *hoc* superiora c. *Dilectus* 12. de concess. præbend. sive hæc minora dentur collatione, sive electione, ut notat Pirhing de concess. præbend. n. 37. in fine, quamvis postea etiam circa Prælaturas principales, quoad jus devolutionis aliter statutum sit, ut dicemus n. 782.

780 Præter hæc *Not.* 1. ei, ad quem devolvitur potestas conferendi beneficium propter negligentiam inferiorem, concedi sex menses, intra quos conferre debet, computandos non à die devoluti juris, sed à die, quo scivit illud jus esse ad se devolutum, quod procedit de singulis, ad quos gradatim sit devolutio, sic Azor *cit. q.* 10. & 12. ut constat ex præmissis juribus.

Not. 2. Elapso tempore, à jure præfixo, non prodesse purgationem moræ, ut tunc valida sit collatio beneficii à morosо facta; quia potestas conferendi ipso jure jam ad alium translata est, quamvis superior, ad quem devoluta est, inferiori concedere possit potestatem conferendi idem beneficium, non jure proprio, sed concedentis, sic Rebuff. in praxi benefic. tit. de devolut. *n.* 32. Azor. *cit. c.* 27. *q.* 16.

Not. 3. quòd potestas conferendi be- 781
neficia, per devolutionem ad alium transiens, *cum iisdem conditionibus transeat*, quæ prius annexæ illi erant, nam id, quod in alterius locum subrogatur, subit conditionem ejus, cui sufficitur. L. 1. ff. de solut. Hinc non potest Episcopus beneficium, cujus collatio ad ipsum devoluta est, aliter, vel aliis conditionibus, aut qualitatibus affectum, conferre alteri, quàm id potuisset, ac debuisset is, qui providere debuisset, sed neglexit, de quo V. dicenda in seqq.

Not. 4. Si Episcopus beneficium, quod ad ipsum solum pertinet conferre, à conferendo propter aliquam censuram impeditus est, potestatem penes eum manere, & Episcopum tunc censeri impeditum, c. *Quia diversitatem* 5. de concess. præbend. si autem spectet simul ad Episcopum, & Capitulum, collationem fore penes Capitulum, c. *unic.* Ne Sede vacante. *in* 6. & *c.* 1. *de suppl. negl. Prælat. in* 6. Superiori porrò, ad quem fit devolutio competit jus non modò conferendi beneficium *devolutum*, sed etiam mittendi in possessionem, cùm hoc illi sit accessorium: Sic Abbas in *c. Dilecto* §. *Præterea* de præbend. *n.* 2.

Not. 5. etsi in casu negligentiæ eorum, 782
ad quos pertinet potestas providendi dignitates principales, devolutio non facta sit ad proximum superiorem, (ut habetur *c. dilectus* 12. de concess. præbend.) postea tamen sub Innocentio III. ut habetur in c. *ne pro defectu* 41. decretum esse, ut propter negligentiam non eligentium (non autem ob electionem indigni, vel neglectæ formæ) *intra trimestre*, potestas eligendi Prælatum, in Ecclesiis Cathedralibus, & Regularibus devolveretur ad proximum Superiorem, ad quem pertinet confirmatio Electionis. Sic Abbas in *cit. c. Dilectus n.* 3. Et quia jus confirmandi Episcopos communiter jam pertinet ad Papam, ad eum in casu dato fiet devolutio, in reliquis verò duobus casibus ad Papam.

Prima pars habetur, ut dixi, ex c. 783
Dile-

Dilectus, ubi, cùm Archiepiscopus S. Severinæ, credens mortuo Episcopo, propter negligentiam Canonicorum Ecclesiæ viduatæ, jus providendi ad se devolutum, in Episcopum ejusdem elegisset Canonicum G. Pontifex re cognitâ rescripsit: Nos attendentes, quòd Canon Lateran. Concilii, at Alexandro Papa *contra negligentes* editus, *ad Archiepiscopatum*, vel *Episcopatum* non solet extendi; sed *ad personatus alios, & minora Ecclesiastica beneficia coarctari*, electionem hujusmodi, justitiâ cassavimus exigente. Ex quo Doctores hunc conclusionem inferunt, quòd electio Episcopi, vel Archiepiscopi, si non fiat in semestri, non devolvatur ad alios, quia Concil. Lateran. intelligit de personatibus, & minoribus beneficiis. Altera pars ex c. ne pro defectu, ubi statuitur, ne pro defectu Pastoris gregem dominicum lupus rapax invidat, aut in facultatibus suis Ecclesia viduata grave dispendium patiatur: in hoc etiam succurrendo periculis animarum, & Ecclesiarum indemnitatibus providendo, ut *ultra tres menses* Cathedralis Ecclesia, vel Regularis Prælato non vacet intra quos, (impedimento cessante) si electio celebrata non fuerit: qui eligere debuerant, eligendi potestate careant ea vice, ac ipsa eligendi potestas ad eum, qui proximo præesse dignoscitur, devolvatur, is verò, ad quem fuerit devoluta potestas, DEum præ oculis habens non differat ultra tres menses cum Consilio Capituli sui, & aliorum virorum prudentiam, viduatam Ecclesiam de persona idonea ipsius quidem Ecclesiæ, vel alterius, si digna non reperiatur in illa canonicè ordinare: si canonicam voluerit effugere ultionem.

784 Ex hoc enim textu, qui, ut notat Layman in c. *ne pro defectu n.* 6. posterior est altero de quo in *cit. c. Dilectus*, ubi idem Innocentius contrarium statuerat, habetur, devolutionem potestatis eligendi, propter negligentiam Electorum, fieri ad proximum Superiorem, *etiam in Ecclesiis Cathedralibus*, ita, ut si Canonici per tres menses Episcopum eligere negligant, jus eligendi pro ea vice ad Archiepiscopum devolvatur, quamvis in Ecclesiis inferioribus devolutio semper fiat ad proximum Superiorem.

785 Dixi primò: *propter negligentiam Electorum*; nam in casu, quo Electores privantur jure eligendi pro ea vice, propterea, quòd *indignum* elegerint, devolutio non fit ad proximum Superiorem, prout constat ex decreto Bonifacii VIII. in c. *Quanquam* 18. *de elect. in* 6. ibi: quanquam in casu negligentiæ sit statutum à jure, ut Ecclesiâ Cathedrali vacante, si per eos, ad quos spectat, non fuerit electio de Prælato intra tempus debitum celebrata, *eligendi potestas ad superiorem proximum devolvatur: hoc tamen non est ad casum alium extendendum; igitur si Electores in hujusmodi Ecclesia, vel ipso jure, cùm eligunt scienter indignum, vel per sententiam, cùm formam traditam in generali Concilio, non observant, eligendi potestate priventur: non ad dictum Superiorem, sed Romanum Pontificem potestas eadem devolvetur, secùs autem in inferioribus Ecclesiis est censendum.*

Ex hoc textu colligitur, quòd canon 786
in c. *ne pro defectu*, statuens Electoribus, *in casu negligentiæ*, privationem juris eligendi pro illa vice, ac devolutionem ejus *ad Superiorem proximum*, non debeat extendi ad casum, quo statuitur Electoribus privatio juris eligendi pro illa vice *in pœnam electionis indigni*, quia Canon vel lex correctoria juris antiqui extendi non debet ultra casum expressum, ut habetur in L. *Præcipimus* C. de appellat. ad intextus *c. ne pro defectu*, qui cortigit jus antiquum, seu anterius, solùm fit correctio, quòd *in casu negligentiæ, in Ecclesiis Cathedralibus*, devolutio fiat ad proximum superiorem, quin mentio fiat de casu, quo *scienter eligitur indignus*, vel *non servatur forma*: ergo ad hunc casum id, quod decretum est in *c. ne pro defectu*, extendi non debet.

Dixi 2. *devolutionem* (in casu negli- 787
gentiæ tempore debito in Cathedralibus) fieri ad Archipiscopum; sed hoc intellige, si ad eum aliàs spectat electionis confirmatio, ut ex sententia recepta notat Glossa in Clement. *unic.* h. t. V. *dispositionem*, junct. Gloss. marginali ibid. & ita Rebuff. in praxi benefic. tit. de devolut. n. 18. dicens, quòd propter negligentiam jus eligendi devolvatur ad Superiorem, *cujus est confirmare electum*; similiterq; propter negligentiâ præsentantiũ jus providendi devolvatur ad eũ superiorem, *cujus est instituere præsentatum*, sive is Episcopus, sive alius Prælatus sit.

Not. 6. Cùm constitutionis, in c. *ne* 788
pro defectu, principalis intentio sit, providere Ecclesiis *viduatis*, ne damnum patiantur, ideoque favorabilis censeri debeat, ut

ejus

ejus extentio ultra vim verborum, spectatâ intentione Legislatoris, juridica videri possit, juxta ea, quæ docui *lib.* 1. *tit.* 2. delegum interpertatione, eandem non tam ex identitate rationis, quàm intentione legislatoris probabiliter extendi ad Ecclesiarum Collegiatarum Prælatos illos, qui etipsi ordinariam, ac generalem jurisdictionem in Clericos suæ Ecclesiæ jure speciali exercent. Sic Abbas in *dict. c. ne pro defectu n.* 2. Immola ibid. *n.* 2. quod maximè videtur procedere, si tales Prælati sint exempti, & gaudeant jurisdictione quasi Episcopi, privativè ad Episcopum.

789 *Not.* 7. Superiorem, ad quem potestas eligendi devolvitur ob negligentiam Electorum, debere aliquem eligere ex ejusdem Ecclesiæ gremio, sive corpore, dummodo idoneus adsit, alioquin ex alia Ecclesia, personam idoneam assumere non prohibetur, prout colligitur ex cit. c. *ne pro defectu*, & constat ex c. 13. dist. 61. ibi. *Nullus invitis detur Episcopus*, ubi Gl. *Tunc de aliena Ecclesia eligantur, quando in propria nullus inventur idoneus, & si Clerici viderint, se in hoc prægravari, sit eis facultas appellandi, & contradicendi.* Et Eman. Rodriq. to. 2. Regul. qq. q. à 9. *Injuriam fieri fratribus. si inter eos reperiatur dignus prælaturâ, & alius præficiatur.*

790 Dices: Canonici poterant eligere non tantum unum ex gremio, sed etiam extraneum; ergo idem potest superior, ad quem jus eligendi pro ea vice devolutum est. Ant. constat ex c. *Cùm nobis* 19. de elect. prout in integra lectione habetur: cùm duæ partes, & amplius, electioni consenserint, & consentiant, licet tamen cautum reperiatur in canone, ut tunc alter, de altera Ecclesia eligatur, *cùm nullus in propria fuerit repertus idoneus*, quia tamen hoc *in favorem introductum est Clericorum*, & *cuique licet renuntiare juri, quod pro se noscitur introductum*; Vos, qui duæ partes eratis, & amplius, cùm *hoc, quod duæ partes Capituli faciunt, totum facere videatur*, in hac parte juri, quod pro vobis facere videbatur, renuntiare potuistis: & *electionem de persona alterius Ecclesiæ celebrare*, præsertim, cùm illud decretum locum habere videatur, quando Clericis *renuentibus*, & *invitis per alicujus violentiam potestatis extraneus ingeritur ex adverso*, propter quod sequitur in decreto, ut sit facultas Clericis, retinendi, si se viderint prægravari, & quos ingeri sibi viderint, ex adverso, propter quod se non timeant refutari. Deinde etiam ex c. *cùm inter* 21. eod. ubi, quòd non possint electores *in præjudicium electi* compromittere, sed, si consenserint electioni suæ, vel consentire velint non obstante laudo, in contrarium lato, est confirmandus: si aliud canonicum sibi non obsistat, licet non sit de gremio illius Ecclesiæ, quantumcunque ob causam à majori parte fuerit appellatum. Consequentia etiam probatur, quia devolutio sit eodem jure, ac potestate, quam iis habuerunt, à quibus sit; subrogatum enim imitatur naturam ejus, cui subrogatur, L. *eum qui* 10. §. *qui injuriam* junct. Gloss. V. *danda.* ff. Si quis cautionibus, c. *Ecclesia* 3. Ut vi lite non pendente junct. Gloss. V. *successerunt.* Nav. Cons. 22. de celeb. Miss. Everardus in loco, *à vi subrogationis.*

R. Dist. ant. Canonici poterant eligere 791
non tantùm unum ex gremio, sed etiam extraneum, si renuntiare volebant ei, quod in favorem ipsorum introductum est, ut cæteroquin potius unus ex ipsis eligetur, C. secùs N. ant. & conseq. ad prob. hujus dist. ant. devolutio fit *eodem jure, ac potestate, sed non privilegio*, quod ii habuerunt, à quibus fit C. *eodem jure, ac potestate, atque privilegio*, N. anteced. Nam in casu devolutionis, *propter negligentiam*, in subrogatum cum potestate faciendi, quod ipsi poterant, non transit, *quod specialiter introductum in favorem Canonicorum talis Ecclesiæ*; Sed sola potestas, prout jure illis constituta est, ut rectè notat Layman in c. *ne pro defectu* n. 8. at de jure, & secundùm Sacros canones, non est in Collegio vel communitate instituendus Prælatus, qui ex corpore non sit, nisi ipsi Capitulares consentiant, & quasi juri suo renuntient, ut constat ex c. *Cum nobis*, supra n. 790. cum ergo in subrogatum non transeat illud *privilegium*, non poterit hoc, quod illi possunt *ex vi sui privilegii*, nisi etiam pro tali casu renuntient.

Not. 7. si præbendæ Canonicorum non sint 792
divisæ in aliqua Ecclesia, sed omnes reditus ad communem mensam pertinent, & numerus canonicorum non sit determinatus, præbendam per mortem, vel renuntiationem præbendæ, *propriè non vacare*, consequenter non esse locum devolutioni propter negligentiam præbendæ intra semestre non collatæ alteri. c. *ex parte* 10. de concess. præbend. in talibus tamen Ecclesiis *non numeratis* (ubi scilicet non est determinatus numerus Canonicorum) potest superior v. g. Episcopus, Prælatum, & Capitulum compellere, ad recipiendum eum numerum Canonicorum, qui ali potest communiter secundùm facultates redituum illius Ecclesiæ, & præfigere terminum, intra quem fiat receptio,

Not. 8.

793 Not. 8. devolutionem non tantùm fieri in casu negligentiæ, sed etiam in casu collationis factæ indigno, & inhabili c. *Cùm in cunctis 7. §. Clerici Sanè, de Elect.* quod etiam procedit de confirmatione, institutione, vel admissione *indigni, scienter factæ*, ut colligitur ex *Gloss. in cit. c. 7. V. fecerit. &c. Azor. c. 27. q. 3.* Ubi tamen advertendum, in hoc casu devolutionis faciendum esse discrimen aliquod à casu, quo devolutio fit *propter negligentiam*, hoc porrò discrimen à nobis assignatum est *à n. 786. supr.*

ARTICVLVS VI.

De reliquis ad hunc titulum pertinentibus.

794 ILlis, quæ in promissis hoc titulo articulis deduximus, addenda duximus sequentia, quæ in diversis Capitulis hujus tituli memorantur. Quare not. 1. in Ecclesiis *regularibus* Canonicorum, seu Monachorum, & etiam Monialium, institui non posse plures, quàm commodè ex proventibus, & fructibus ali valeant; Sic enim habetur in c. *non amplius. 1. h. t.* ibi: *non amplius suscipiantur in Monasterio Monachorum, aut Clericorum, seu etiam puellarum, quàm quot se regere de bonis Ecclesiæ, absque penuria, possint.* Hinc idem statuerunt plura Concilia, de quibus videri potest Gonzalez *in c. 1. h. t. n. 3. & Trid. sess. 25. de Regularib. c. 3.* ibi: *in Monasteriis* tamen, *& domibus, tam virorum, quàm mulierum, bona immobilia possidentibus, is tantùm numerus constituatur, ac imposterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis, possit sustentari*; quod confirmari potest plurium, etiam Summorum Pontificum decretis, quos refert Barbosa *in dict. locum Trid. à n. 18.* districtè inhibentibus contrarium, tum illi, quod dicitur in c. *non amplius*; *tum in c. 3. Trid.* Advertendum tamen 1. non esse contra hoc decretum, si completo numero personarum, quæ ali possunt ex annuis redditibus Monasterii, admittitur alia, *ultra numerum earum*, non alenda ex redditibus Monasterii, sed dote, quam affert Monasterio; ita Sanchez *in Decalog. tom. 2. l. 7. c. 23. à n. 4.* Suarez *de Relig. tr. 3. l. 4. n. 17.* & alii; deinde, quamvis attento jure antiquo, in c. *unico, de regul. in 6.* professio Monialis, receptæ in Monasterio non mendicantium, *ultra numerum earum*, quæ ex redditibus Monasterii, & consuetis eleemosynis absque penuria sustentari valerent, esset irrita; hodie tamen locum non habere, quia consuetudine abrogatum est, cùm compertum sit, plures sæpe admitti, nec unquam nostris temporibus auditum sit, in controversiam verti valorem professionis, ne dum illam irritari, ita Sanchez *loc. cit.* Ex quo habetur, decretum de non recipiendis ultra numerum, intelligi de his, qui alendi forent ex redditibus Monasterii sine penuria solùm sufficientibus pro eo numero.

795 Not. 2. quando in aliqua Ecclesia, communi institutione juratâ, statutum est, ut certus numerus Canonicorum ex ejus redditibus teneatur, & deinde, successu temporis, ille numerus diminuitur (morte v. g. aliquorum, vel resignatione &c.) numerum illum non posse suppleri instituendo in illis præbendis, vel Canonicatibus Laicos, qui in talibus Ecclesiis Canonicorum titulo nominentur; Sed de aliis Clericorum personis idoneis, ut Deo in divinis officiis, *per Ecclesiasticos ordines congruè deserviatur*; Sic Eugenius Papa. c. *in Ecclesia Vestra 2. h. t.* in cujus c. fine apud Gonzalez legitur prohibitio ejusdem, districtius inhibentis, *ne de Cætero Laici in Canonicos admittantur*, ex quo textu deducitur, nullum, *non Clericum*, esse capacem obtinendi beneficium, vel præbendam Spiritualem, seu Ecclesiasticam; Sic Azor *p. 2. l. 6. c. 2. q. 5.* Unde Sanchez *de matr. l. 7. D. 42. n. 14.* cum aliis, resolvit, quòd ad beneficium obtinendum non sufficit, quempiam, habitum Clericalem gestantem, animum habere statim obtento beneficio assumendi Ordinem Clericalem; Sed hic ordo debet necessariò præcedere; quòd etiam contra *Gloss. ult.* in præsenti tenet Gonzalez *ad reg. 8. Cancell. gloss. 2. num. 66.* Quamvis ille, cui confertur beneficium, incederet in habitu, & tonsura, & communiter reputaretur Clericus; adhuc enim, si constet de veritate, collatio beneficii non tenet, ut per Flàmin. *de resig. benefic. l. 4. q. 2. n. 59.* Gonzal. *de gloss. 2. à n. 64.* Nicol. Garc. *de benefic. p. 3. c. 1. à num. 11.* quos citat, & sequitur Barbosa

p. 3. *de offic. & potest. Episcopi allegat.* 72. *num.* 73.

796 Dubitari tamen potest, quando dicitur, quòd, ut quis capax sit, obtinere beneficium Ecclesiasticum, debeat esse Clericus, an hæc *capacitas*, seu *Clericatus* attendatur tempore præsentationis? R. dubitationem posse intelligi, vel de præsentatione, prout idem est, *ac sola nominatio* alicujus ad beneficium; vel de præsentatione propriè dicta, *quæ tunc est, cùm nominatus, seu præsentatus coram ordinario personaliter sistitur, ab eo institutionem accepturus*? Clericatum, ut quis rectè præsentetur, seu solùm nominetur ad beneficium, non requiri tunc, quando talis nominatio fit, non necessariò præsupponi in nominando, tradit Riccius in praxi rerum fori *Eccl. resol.* 140. *Barbos. cit. alleg.* 72. *n.* 76. volentes nominationem factam per Patronos Laicos, *etiam de non Clerico*, ad beneficium, validam esse, & probari potest exemplis. Nam Sanctus Nicolaus fuit promotus ad Episcopatū, seu Archiepiscopatū antequam Clericus diceretur, quin imò Sanctus Ambrosius Archiepiscopus nominatus est, antequam baptismi Sacramentum susciperet; sic testatur Gratianus in c. *statuimus.* 61. *dist.* & constat tamen Episcopatum seu Archiepiscopatum esse quidem beneficia Ecclesiastica prout advertit Selva, *de benefic. p.* 1. *q.* 2. *n.* 19. Rebuffus *in praxi tit. de probata beneficii vivendis impetratione. n.* 44.

797 Pro resolut. observa, esse distinguendum inter *acceptationem* beneficii Ecclesiastici, & inter *retentionem* ejusdem; & quidem *acceptationem* illam posse sumi, vel pro sola nominatione alicujus à latrono facta ad beneficium vacans, vel etiam propriè, cui simul adjuncta sit institutio nominati, quo posito: observand. 2. jure divino prohibitum esse, à Laico retineri beneficium Ecclesiasticum, tradi à S. Thoma, 2. 2. *q.* 100. *a.* 4. Soto *l.* 9. *de just. q.* 7. *a.* 1. Covarr. *l.* 1. *variar. c.* 17. *num.* 5. quos citat, & sequitur Barbosa c. *in Ecclesia.* 2. *h. t. n.* 3. Cùm retentio beneficii, *ob illius administrationem*, supponat divini officii ministerium, puta administrationem Sacramentorum in curatis, & in aliis, alia ex officio, nimirum vi potestatis per ordines Collatæ, aut saltem tonsuram, quæ præstare non potest Laicus. Observand. 3. solo jure Ecclesiastico prohibitum esse, ne Laicus, seu nondum Clericus ad beneficium nominatus, instituatur in illo; cujus ratio sumitur ex eo, quia attento jure Ecclesiastico collatio, vel institutio in beneficio non aliter fieri potest, nisi de persona idonea, quæ beneficio deservire possit, quod quidem Laicus tempore collationis facere nequit: Sic aliàs datâ dispensatione de Stylo Curiæ, quando laico mandatur beneficium conferri, apponitur clausula: *cupienti adscribi militiæ Clericali*, ut testatur Gomez *de expectat. n.* 99.

Ex his deducitur 1. Laicum non esse ca- 798
pacem *retinendi* beneficii Ecclesiastici etiam ex dispensatione, cùm jure divino ponatur interdicta; jure autem solum humano, *collationis*, vel *institutionis*, nam licet sed contra legem divinam, quòd Laicus, *manens Laicus retineat beneficium in titulum*, non tamen est contra eandem, Laico *conferre*, vel eum *instituere*, si sit pietate, ac eruditione insignis, intra breve tempus ordinandus, quamvis id ipsum inhibitum sit jure Ecclesiastico, sic, licet aliàs, qui Sacros Ordines non habet, curato beneficio jure divino deservire non possit juxta resoluta in c. *omnis, utriusque sexûs de pœnit.*: potest tamen ad curatum beneficium admitti, *intra breve tempus ordinandus, argum. text. in c. licet canon. de elect. lib.* 6. licet enim in illo tempore beneficium retineat; tamen propter destinationem, quam habet, ad sacros ordines, *ut in sacris ordinatus*, retinere dicitur. Demum, si sermo sit de sola nominatione, vel præsentatione ad administrationem, jure humano præsuppositа ea, ut valida sit, in nominato, vel præsentato præcisè non exigit Clericatum, cùm per eum (antequam ei fiat, cujus est instituere) nullum tribuat nominato jus *ad*, vel *in* beneficio, esto efficax non sit, ut sequatur institutio, priusquam præsentatus evadat Clericus, ex quo patet ad dubitationem *n.* 696. *motam.*

Not. 3. de doctrina à nobis tradita à 799
n. 725. (quòd nimirum *Vicarii generales* Episcoporum, seu *Officiales ex vi officii propriis*, absque ulla speciali commissione, possint *instituere præsentatos* à Patronis, & *electos confirmare*, tradi etiam à Gonzalez in c. *Ex frequentibus h. t. n.* 2. *citante Vallensem de benefic. l.* 1. *tit.* 5. &

& 11. ac reddente hanc rationem, quia *instituere* est *jurisdictionis*, unde transit in Capitulum hæc potestas Sede vacante *c. 1. h. t. in 6.* Sed omnia, quæ sunt juris dictionis competunt vicario Episcopi, *nisi à jure exceptum sit*: ergo & institutio in beneficiis, quamvis non possit Vicarius beneficia *conferre* c. *ult. de offic. Vicarii in 6.* Joan. Dartis *de benefic. sect. 3. c. 10.* nam non est par ratio *institutionis*, quia instituere est necessitatis; *conferre* autem beneficia, gratuitæ donationis; ideoque Vicarius potest *instituere*; non autem, *beneficia conferre*, absque speciali commissione.

800 Not. 4. jus instituendi posse de jure speciali pertinere etiam ad non Episcopum, ut dicitur in c. *cum venissent. 6. h. t.* Unde si talis possidet jus instituendi, ad quem de jure communi aliàs non spectat, pendente lite proprietatis cum Diœcesano, in possessione defenditur, sic Innocentius III. in dict. c. *Cùm venissent*: Vivianus in rationali *l. 3. pag. 66. & alii.* Ex eodem textu deducitur, quòd agenti possessorio possit quidem opponi exceptio dominii, seu proprietatis; sed solùm, si eam probare possit in continenti, si enim est altioris indaginis, ei locus esse non debet, ut diximus alibi, sic Mascard. *de probat. conclus.* 987.

801 Not. 5. quando in c. *Cùm ad nostram 7. h. t.* dicitur, quòd is, ad quem spectat collatio beneficiorum, vel præsentatio ad illa, non possit *sibi ipsi* conferre, *se ipsum* præsentare, vel instituere; & ratio redditur: quòd inter dantem, & accipientem debeat

802 esse distinctio: ratio hæc adducta ab Innocentio procedat in præsenti casu institutionis, quoad beneficia, vel dignitates, *ex speciali juris Dispositione*, videlicet ad evitandam ambitionem, qua ratione nemo in alienationibus, ubi proprium commodum versatur, & per consequens fraus dari potest, sibi auctor fieri valet. *L. 1. ff. de auct. tut.* ubi plura Gothofredus. *Clem. 2. de rebus Eccles.* quam rationem *ambitionis* expressit Pontifex in dicto c. *per nostras*, ibi: *quia nullus ingerere se debet Ecclesiasticæ Prælationis officiis.* Quare juxta hanc juris dispositionem dixit Innocentius in præsenti, *inter dantem, & accipientem debere dari distinctionem personarum*, in eo videlicet casu, de quo agebatur, cùm in aliis actibus, ubi non datur hæc specialis ratio, non desideretur eadem distinctio personarum. Hinc:

In aliis actibus humanis *indefinitè* non 802 procedit; nam in actibus jurisdictionis voluntariæ, & similibus, non repugnat eundem plurium personam sustinere, ut in casu L. *Si Consul 3. ff. de adopt.* ibi: *si Consul, vel Præses, filius familias sit, posse eum apud semetipsum vel emancipari, vel in adoptionem dari*; constat ex *L. unic. ff. de offic. Consul.* c. *Quod sicut. §. super eo. de elect.* c. *à Collatione. de appellat.* Unde dispensare potest Prælatus in legibus à se positis, & in votis, ac juramentis propriis, sicut cum subditis, Sanchez *lib. 8. de matr. D. 3. & lib. 4. Summæ c. 37. n. 2.* Suarez *de legib. l. 6. c. 12.* Salas *eod. tract. D. 20. sect. 12.* Basilius Pontius *de matr. D. n. 9.* Dixi *jurisdictionis voluntariæ*; nam quod actus forenses, & *jurisdictionis contentiosæ*, regulariter vera est prædicta ratio, ut ait Ulpianus in L. *Ille, à quo. 13. §. tempestivum. ff. ad Trebell.* ibi: *ipse se cogere non poterit*; ex tatione adducta à Paulo in L. *Si plures. 9. ff. de pactis* ibi: *Nam difficile est, ut unus homo duorum vicem sustineat.*

QVÆSTIO VIII.

IN TIT. VIII. DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ, ET ECCLESIÆ NON VACANTIS.

803 TItulo de præbendis, & institutionibus in illis, subjungitur iste de concessione præbendæ *non vacantis*. Nam, ut collationes præbendarum, & institutiones jure fiant, debent esse præbendarum *vacantium*. Dicuntur autem *vacare*, *quæ*, tametsi non pereant, & finiantur, *possessore tamen de-*

stitutæ sunt. Unde requiritur, quòd morte possessoris non extinguatur, sed remaneat, ut ab alio occupari possit, & ideo *pensio Ecclesiastica* non vacat, sed extinguitur morte Pensionarii; Secùs *beneficium Ecclesiasticum*, nam hoc institutione suâ debet esse in se perpetuum, ut diximus *n.* 203. & 207. *Sic Azor. p.* 2. *l.* 7. *c.* 16. *a q.* 1.

ARTICULUS I.

Quot modis beneficia vacent?

804 R. QUòd tribus, nimirum aut facto tantùm, aut jure tantùm, aut facto simul, & jure. *Facto tantùm vacat* beneficium, quando beneficiatus amittit possessionem, sed non titulum: ut, si vi ab illius possessione dejiciatur. *Jure tantùm* vacat, quando quis authoritate Canonis, aut juris, ita beneficio privatus est, eò, quòd quippiam fecerit, ut sine monitione, sine citatione, & sine ulla alia sententia privationis, possit illud ordinarius conferre, quanquam is, qui ipso jure privatur, possideat facto beneficium. *Facto simul, & jure* vacat, cùm obitu beneficiarii vacat, vel cùm quis illud deponit, & nondum est alteri collatum. V. *Azor. cit. fol.* 15. ubi plures proponit vacandi modos, sed sub prioribus contentos.

805 Not. autem 1. beneficium *vacare tantùm de facto*, non esse illud verè ac propriè vacare, seu non censeri verè vacans; cùm taliter privatis detur regressus ad illud, ut dicitur in tit. de his, quæ vi, & in *tit. de restit. spoliat.* & ideo hæc ab alio, *tanquam vacantia*, non possunt rectè impetrari. Beneficia verò, quæ *tantum de jure* vacant, non impetrantur rectè, nisi facta mentione possessionis coloratæ, si quæ penes alium sit; & hoc ideo, ne quàm temerè, causâ non cognitâ, fiat; Secùs si possessio colorata non sit penes alium c. *licet* 9. *de concess. præbend.* quæ verò vacant utroque modo, rectè impetrantur.

806 Not. 2. *vacationis* appellatione juxta Felinum in c. *Licet undique sub n.* 2. *de offic. delegati, & gloss.* V. *vacabunt* in c. *Si propter, de rescript. in* 6. contineri *omnem vacationem*, seu vacandi casus. Igitur beneficium dicitur vacare, tum per mortem, tum per resignationem, tum per privationem, ut docet Flaminius *de resig. lib.* 1. *q.* 5. *num.* 4. & *lib.* 8. *q.* 7. *n.* 136. Ampliatur etiam *in materia pœnali, Staphil. in literis gratiæ. tit. de var. mod. vacan. n.* 6. & *Menoch. de arbitr. casu* 201. *n.* 100. & *in odiosis*; qualia sunt rescripta ad beneficia propter ambitionem, ut tenet Nicol. Garcia de beneficiis *p.* 11. *c.* 1. *n.* 84. Quare, si in supplicatione fiat simpliciter mentio de vacatione, non expresso vacandi modo, continetur omnis modus vacandi, atque adeo impetrans beneficium vacans, illud consequitur, quocunque modo vacet; Sic Benedictus Pereyra in Elucidario *à n.* 1300. Unde & Garcia *p.* 11. *c.* 1. *n.* 3. ait, quòd exspectativa de beneficio *vacaturo*, complectatur omnem vacandi modum.

Not. 3. communiter enumerari plures 807
modos in specie, quibus beneficia vacare contingit. 1. enim contingit vacare per mortem naturalem beneficiati c. *susceptum, de Rescript. in* 6. Deinde dispositione juris statuentis pro certis casibus beneficium *vacare ipso jure* ut si quis beneficiatus expressè, vel tacitè professionem emisit in Religione approbata per *c.* 4. *de Regularib. in* 6. 3. depositione, vel privatione beneficii per sententiam Judicis ob crimen; ut si Clericus, simplex homicidium committat, c. *Clericis*, ne Clerici, vel Monachi. 4. per liberam renuntiationem beneficii, de quo actum est *l.* 1. Decretalium *tit.* 9. *de renunt.* 5. per translationem, de quo actum est *tit.* 7. *de translatione Episcoporum.* 6. per assecutionem Secundi beneficii incompatibilis cum primo, de quo actum est supra. *n.* 303.

Not. 4. ut beneficium, prout hìc requi- 808
ritur, *vacet per mortem beneficiati*, requiri, quod *ante mortem* habuerit illud cum jure reali, seu *jure in re*, seu quasi dominio; sic Layman *lib.* 4. *tr.* 2. *c.* 17. *n.* 1. Ex quo sequitur beneficium electivum, non vacare per mortem beneficiati, *necdum confirmati*; nec Patronàtum per mortem necdum instituti in eo, ratio est ex dictis. 2. ut non sit legitimâ potestate suppressum; Sic enim omnino extinguitur, nec unitum accessoriè beneficio alteri, nec beneficium de mensa, nec beneficium Ecclesiæ non numeratæ, nec supernumerarium. &c. de quibus Garcia. *p.* 11. *c.* 2. & *p.* 12. *c.* 12. Layman *cit. tr.* 2. *c.* 16. Sic enim omnino extinguitur.

Not. 5.

809 Not. 5. beneficiatos, privatos ipso jure ob crimen, non teneri ejus possessionem dimittere ante sententiam Judicis declaratoriam criminis, ut diximus *l.* 1. *decret. tit.* 2. & cum communi docet Sanchez *l.* 2. *Moral. c.* 26. *n.* 7. imò nec antequam Judex sententiam exequatur, nisi in ipsa sententia præcipiat, ut condemnatus statim beneficium dimittat, ita Sanchez *cit. n.* 8. Layman *cit. c.* 17. *Azor. p.* 1. *lib.* 8. *c.* 13. *q.* 8. Per privationem autem beneficii ipso jure decretam ob delictum, sic amittitur titulus, seu jus beneficii, ut post sententiam criminis declaratoriam, *privatus*, fructus à die criminis commissi perceptos, restituere teneatur, *privandus autem*, solùm eos, quos percepit post latam sententiam, ita Sanchez *cit. c.* 26. Layman *c.* 17. *Azor. c.* 17. *q.* 2.

810 Not. 6. dispositione juris beneficiatum ipso jure privari beneficio in diversis casibus; primò, si expressè, vel tacitè Religionem à Sede Apostolica approbatam professus est, *c.* 4. *de Regularib. in* 6. Secundò, si Clericus matrimonium validè contraxit, *c.* 1. *&* 3. *de Cleric. Conjugat.* Tertiò, si factus sit miles c. *fin. eod.* Quartò, si accepit Episcopatum, vel aliud beneficium incompatibile *c.* 7. *de elect. c.* 28. *de præbend.* Quintò, si post adeptam Parochiam, infra annum à die acceptæ possessionis, non accepit suâ causâ Sacerdotium, *c.* 14. *de Elect. in* 6. Sextò, si adeptus Episcopatum, infra tempus à jure definitum (nimirum intra tres menses à die acceptæ confirmationis) non petiit consecrationem justo impedimento cessante, c. *Cùm in cunctis §. cum vero de Elect.* aut post consensum electioni præsertum non petiit confirmationem. *c.* 6. *de elect. in* 6. Septimo, si dispensationem super pluralitate beneficiorum incompatibilium intra tempus, exhibitioni ab Ordinario præstitutum, non exhibeat. *c.* 3. *de offic. Jud. Ord. in* 6. octavò, si litigans de beneficio, sequestrationem decretam impedit, vel fructus sequestratos quoquo modo sequestrare præsumit; talis enim eo ipso jus in beneficio amittit. *Clement. de sequestr. possess.* Nonò, si Prælatus alienet bona Ecclesiæ, vel Monasterii sine forma jure præscripta, vel in consulto Pontifice. Extravag. *unic. inter communes. de reb. Eccles. non alien.* Sed nota hanc constitutionem loqui de his tantùm, qui sunt *inferiores Episcopo*, & *Abbate*. Decimò, si quis vi occupavit possessionem beneficii, perdit eo ipso jus, quod ad illud habet, & vacat ipso jure, c. *Eum, qui*, 18. *de præbend. in* 6. Idem dic, si injustè, & scienter se intrudat, ut ibid: dicitur. *Intrusus* autem propriè dicitur, qui sine authoritate superioris, ad quem pertinet provisio, beneficium obtinuit. Barbos. *in cit. c. n.* 2.

Not. 7. privationem beneficii *ipso jure* 811
decretam, *ab ea*, quæ fieri debet *per Judicem*, differre; nam ibi post sententiam Judicis declaratoriam criminis ita privatur quis beneficio, ut simul etiam privetur fructibus à die commissi criminis præceptis; Secundò beneficium vacans ipso jure ob crimen (v. g. homicidium simplex, perjurium, Sacrilegium, adulterium, concubinatum publicum &c. non posse permutari, vel resignari in favorem tertii. Sanchez *l.* 2. *Moral. c.* 26. *n.* 9. quod intellige de permutatione *non rescindibili per Judicem*: tertiò etiam ante sententiam criminis declaratoriam impetrari posse, & alteri *conferri*, etiam non citato criminoso; sic Azor *p.* 1. *l.* 7. *c.* 17. *q.* 2. non tamen *dari possessionem*, cùm alter adhuc possideat; Quartò, si criminosus moriatur post vacationem ipso jure incursam beneficium ejus non *vacare* per mortem ipsius, cùm jam ante vacaverit à die commissi talis criminis; Secùs si primò privandus esset per sententiam, & Reus ante hanc moriatur; Sic Azor *cit. not.* 8. quòd nullum crimen, etiam depositione dignum, inducat privationem beneficii ipso jure, nisi sit expressum in jure; Sed Reus privandus sit per sententiam, & sic in dubio est præsumendum; sic Garcia *p.* 11. *c.* 10. *n.* 5. nam in pœnis est benignior interpretatio.

ARTICULUS II.

An quælibet vacatio sufficiat, ut beneficium impetrari, conferri vel promitti possit?

PRopono hanc quæstionem propterea, 812
quòd in sequentibus ex proprio hujus tituli objecto maximè agatur, & tractetur quæstio, an, & qualiter concedi possint præbendæ, vel Ecclesiæ *non vacantes*? & quamvis ex prima parte hujus tituli, quæ est de concessione *præbendæ*, vel *Eccle-*

siæ, occasione istorum verborum communiter interpretes agant etiam de aliis quæstionibus. 1. intra quod tempus conferri debeant beneficia vacantia? 2. ad quem devolvatur jus providendi beneficiis vacantibus propter negligentiam, seu moram culpabilem Collatoris in conferendo? Patroni in præsentando? 3. quam vim habeant gratiæ exspectativæ, seu mandata de providendo? quia tamen de primo jam actum est à *n.* 774. de secundo à *n.* 779. demum etiam de tertio à *n.* 458. his remissivè solùm indicatis hoc loco breviter ad quæstionem in titulo propositam procedendo:

813 ℣. de dicta quæstione tractari in c. *Cùm in nostris. 6. h. t.* in quo continetur iste casus: Præpositus Ecclesiæ *Lausanensis*, electus fuit in Episcopum *Sedunensem*; ex quo factum est, quòd illa præpositura tam diu vacaret, ut ejus collatio tandem devoluta sit ad Pontificem, quo posito Thesaurarius *Lausanensis* supplicavit Pontifici pro conferendâ sibi supplicanti dictâ Præpositurâ, postulato annuit Pontifex constitutis ad hoc Executoribus Pontificii mandati. Verùm, cùm isti mandatum exequi nollent, Episcopus *Sedunensis* (antea Præpositus *Lausanensis*) & Canonici *Lausanenses*, se opposuerunt, dicentes: à Thesaurario impetratum rescriptum seu mandatum illud Pontificium in præsens non habere locum propterea, quòd *Præpositura Lausanensis non vacaret*, ex hoc capite, quia licet is, qui antea Præpositus erat, in Episcopum Ecclesiæ *Sedunensis* electus fuisset, tamen post consecrationem suam denuo à Canonicis electus fuisset ad eandem præposituram, cum consensu Episcopi *Laudunensis*, & eam, sicut antea, ab ipso possideri: His non obstantibus Executores à Pontifice mandati, Præposituram *Lausanensem* (ut continebat mandatum) contulerunt *Thesaurario*, tanquam *vacantem de jure*.

814 Cùm hæc proposita essent coram Auditore, à Papa in ordine ad hanc controversiam dato, Auditor, factum Executorum (quoad collationem dictæ Præposituræ, *Thesaurario Lausanensi* decretam) irritũ, & inane pronuntiavit propterea, quòd literæ per *Thesaurarium* impetratæ à Sede Apostolica, fuerint *subreptitiæ* propter expressionem falsi, & veri suppressionem; siquidem Præpositura illa, & si *de jure*, non tamen *de facto* vacabat, alio adhuc existente in possessione; Cùm constet, possessionem plus facti habere, quàm juris; quam sententiam Auditoris Innocentius III. approbavit, mandans Episcopo *Basilienſi*, & Abbati S. Mariæ, ut Episcopum *Sedunensem* ad resignationem Præposituræ, si sponte noluerit, compellant, nisi ostenderit, illam sibi ex speciali indulgentia Sedis Apostolicæ, vel ex alia justa, & necessaria causa, post consecrationem suam, fuisse collatam. Quibus prænotatis.

℣. 1. ut beneficium impetrari, & conferri possit, sufficere, quòd *vacet de facto, & jure simul*, colligitur ex c. *Nulla. 2. h. t.* ubi dicitur, nulla beneficia Ecclesiastica, vel Ecclesias *tribuendas*, seu *promittendas esse, antequam vacent*; ergo tribui poterunt, ubi jure, & facto vacant, cùm hac ratione maximè verificetur *vacatio*, loquimur autem in præsenti de impetratione, & collatione beneficii, *attentâ solâ qualitate vacationis*, ex alio enim capite impetratio, vel collatio beneficii impediri potest, puta, si sit reservatum, affectum, patronatum, electivum, litigiosum &c. 815

℣. 2. beneficia vacantia *solùm de facto* nec impetrari, nec conferri posse; nam iste modus vacandi in jure non habetur *pro vacatione* in ordine ad dictum juris effectum; quod probatur 1. ex c. *Abbas*, de his, quæ vi; ubi, postquam Abbas S. Cadmundi Clericum R. metu amittendi patrimonii coegisset, ut possessioni suæ Ecclesiæ cederet, & hâc cessione coactâ dictam Ecclesiam alteri concessisset; re cognitâ Alexander III. mandavit, Clericum Ecclesiæ suæ, à cujus possessione vi conditionali, seu metu, dejectus fuerat, restitui: *quia, quæ metu, & vi fiunt, de jure debent in irritum revocari*, Clerico adhuc gaudente jure suo, ut constabit ex *n. seq.* 816

Secundò ex c. *ad aures. 3. eod.* ubi, cùm Cœlestinus III. interrogatus esset, an, si electus in Plebanum Ecclesiæ, ad terrorem Laicorum renuntiavit electioni, de se factæ à Clericis unanimiter, uno solùm excepto, nihilominus tali Ecclesiæ præficiendus sit? Pontifex respondit: quòd renuntiatio facta ad terrorem laicorum (nisi fortè juramento, vel fide interpositâ confirmata) non impedit, *quominus is, qui renunciavit Ecclesiæ, ad cujus regimen prius erat electus, præficiatur eidem.* 817

Ter-

818 Tertiò ex c. *Audientiam* 4. *eod.* ibi: Cùm Magister G. de Chevel quæstus esset Innocentio III. quòd, cùm Ecclesiam de Chevel Canonicè fuisset adeptus, & aliquamdiu pacificè possedisset, *gravissimo tandem metus regis*, quòd eam resignaret, jurare coactus, eam in eorum, ad quos pertinebat, manibus resignavit, rescripsit Decano, & Subdiacono Linconiensi Pontifex, quia, *quæ vi, metúsvé causâ fiunt, carere debent robore firmitatis*: mandamus, quatenus, *si eundem ad resignationem constiterit vobis per talem metum fuisse coactum, qui potuerit, & debuerit, cadere in virum constantem, non obstante juramento prædicto*, quo non *ad repetendum*, sed *ad resignandum solummodo* tenebatur, *præfatam Ecclesiam ei restitui faciatis.* Ex his juribus apertè habetur, quòd licet in datis casibus Ecclesiæ illæ vacaverint *de facto tantum*, alteri tamen dari non potuerint, sed restitui injustè à possessione sua dejecto.

819 Nr. 3. beneficia, quæ quidem vacant *de jure*, sed *non de facto* (altero nimirum adhuc retinente possessionem saltem coloratam,) impetrari posse factâ mentione possessionis adhuc penes alterum existentis; non autem hac mentione omissâ; iste est casus c. *Cùm in nostris* 6. *h. t.* ubi, cùm Præposito Lausanensi ad Episcopatum Sedunensem electo, adeptâ possessione pacificâ Episcopatus, illa præpositura *ipso jure* vacâsset, & Thesaurario Ecclesiæ Lausanensis per delegatos ex rescripto Pontificio præpositura fuisset adjudicata, horum factum Pontifex eo solùm titulo reprobavit, *quòd Orator*, nempe Thesaurarius ille, *omiserit mentionem, quòd novus ille Episcopus adhuc esset in possessione, etiam solùm colorata*; unde rescriptum taciturnitate veri vitiatum, nullam delegati jurisdictionem, illi Præposituram conferendi, consequi potuerunt, ut plenius constat ex casu à *n.* 318. relato.

820 Præter dicta not. 1: tunc dici Clericum in possessione *colorata* beneficii existere, si beneficium accepit à legitimo Collatore, & institutio, sive collatio notoriè non sit irrita, licet jus, ac titulus illius non subsistat propter obcultum defectum; si quis autem beneficium propriâ authoritate accepit, sive absque legitimi Collatoris consensu, is pro *intruso*, & manifestè injusto possessore habendus est: ideoque, de tali in justa possessione in rescripto non debet necessariò fieri mentio; quia, etiamsi illa expressa fuisset, Papa non solùm non tardius, sed potius facilius dedisset literas, in quibus alteri concessi & beneficium, ne ille notoriè intrusus diutius illud retineret. Sic Abbas *in c. 6. h. t. n. 16.*

Not. 2. licet in casu Lausanensis Præpositi ad Episcopatum Sedunensem electi, post hujus pacificam possessionem illa præpositura ipso jure vacaverit; non tamen ipso jure vacâsse Episcopatum Sedunensem; postquam Episcopo iterum collata fuit Præpositura Lausanensis, etiam istius pacificâ possessione obtentâ; hujus ratio est, quia licet in c. *de multa* 28. *de præbend.* dicatur prius beneficium ipso jure vacare, postquam quis cum pacifica possessione obtinuit dignitatem, vel personatum; & in dato casu Episcopus accipiendo deinde iterum Præposituram, acquisiverit hanc dignitatem, non propterea vacabit Episcopatus; quia *Episcopatus, in odiosis, non venit nomine beneficii*, vel dignitatis, consequenter non vacat, esto accipiat illam Præposituram etiam sine dispensatione in pluralitate beneficiorum; quamvis per hoc non sequatur illum habere possessionem secundi beneficii *justo titulo*; cùm in beneficialibus, etiam sine illo, dari possessio, sed *non justa.* 821

Not. 3, si quis plura beneficia incompatibilia *jure resistente* possidet, posse Superiorem ejus ab illo exigere, ut doceat *de legitimo titulo*, per c. *Ordinarii.* 3. *de Offic. Ordinar. in* 6. ibi: Ordinari locorum subditos suos *plures dignitates*, vel *Ecclesias, quibus animarum cura immineat*, obtinentes, seu personatum, aut dignitatem cum alio beneficio, cui cura similis est annexa, *districtè compellant, dispensationes, auctoritate quarum hujusmodi Ecclesias*, personatus, seu dignitates *Canonicè tenere se asserunt, intra tempus, profacti qualitate ipsorum Ordinariorum moderandum arbitrio*, exhibere; quòd si fortè justo impedimento cessante nullam dispensationem infra idem tempus contigerit exhiberi, Ecclesiæ beneficia, Personatus, seu dignitates, quæ sine dispensatione aliqua eo ipso illicitè detineri constabit, per eos, ad quos eorum collatio pertinet, *liberè personis ido-* 822

idoneis conferatur. Ex hoc enim textu deducitur, quòd possessor, etiam pacificus beneficii, teneatur probare, & ostendere titulum, cùm Superior ex officio inquirit; sic Menochius *de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 132. num. 46. cum seqq. Flamin. Paris. de resignat. benefic. tom. 2. lib. 11. q. 14. num. 35. cum seqq. Zerol. in praxi Episcop. p. 1. V. Bullæ, versic. ad quintum*; & alii.

823 Dices: hoc videri non posse procedere, quando talis ea beneficia, jure communi incompatibilia, pacificè possedit triennio ex regula de triennali, de qua egimus *num.* 617. ℟. posse illum ab ordinario non obstante regula de triennali compelli ad ostendendum titulum, vel dispensationem, tradi à Flores de Mena *var. lib. 2. q. 23. num. 61. cum seqq.* licet enim per regulam de triennali, excludatur *tertius* inquietans in beneficio; non tamen excluditur *Ordinarius*, ut resolvit Perez *lib. 3. tit. 16. lib. 8. ordin. p. 327.* tituli enim beneficiorum non acquiruntur *præscriptione.*

824 Not. 4. ex hoc, quòd beneficium vacet *uno modo vacandi*, adhuc fieri posse, non vacare *simpliciter*; nam licet habens præbendam, vel beneficium in una Ecclesia post hujus pacificam possessionem, recipiat alterum in eadem Ecclesia priori simile, vel majus, incompatibile cum priori, illud vacet *ipso jure*; Si tamen talis, nec primum à sua possessione dimittat, vacabit quidem de jure, sed non de facto; prout colligitur ex c. *literas. 9. h t.*

825 Dices: ergo in hoc casu poterit quis impetrare tale beneficium vacans *de jure*, sed *non de facto*, licet nullam in supplicatione faciat mentionem, quòd nondum vacet *de facto*; hoc autem videtur non posse admitti propter apertum exemplum in contrarium in Thesaurario Ecclesiæ Lausanensis, cui non profuit impetratio Præposituræ illius Ecclesiæ, etiam impetrato rescripto Pontificio pro eadem; quia, licet vacaverit *de jure*, mentionem tamen omisit, quòd non vacet *de facto*, ut constat ex *dict. à num.* 821. ℟. C. illatum; Sed nego in præsenti obstare dictum exemplum. Nam rescriptum illud propterea non profuit Thesaurario pro ea Præpositura, non, quòd in supplicatione utcunque non fecerit mentionem de possessione Præposituræ, quæ possessione *facti* erat tunc penes antecessorem; sed quòd non fecerit mentionem de possessione illius, *quæ facto, sed ex titulo colorato* erat tunc apud antecessorem: ad in casu c. literis possessio primi beneficii vacantis quidem *de jure*, & adhuc facto possessi à beneficiato, nec ex justo, nec ex *colorato* titulo possidebatur; ergo.

Dices 2. Clericus H. de quo in c. *Literas*, æquè habebat possessionem *coloratam* prioris præbendæ Canonicalis, quam retinuit post pacificam possessionem acceptæ Præposituræ in Ecclesia S. Viscondi, cui annexa erat alia præbenda canonicalis, ergo. ant. prob. quia Archiepiscopus Bremensis illum Clericum H. investivit in Præpositura, & præbenda ei annexa, eundemque etiam in priori præbenda canonicali cum consensu Canonicorum communicavit; ergo utrumque *colorato titulo possedit.* ℟. *N. ant. ad prob. anteced. N. conseq.* Nam nullus Episcopus dispensare potest, ut Clericus in eadem Ecclesia habeat duos Canonicatus, vel præbendas, per c. *literas 9. h. t.* ergo ex illa investitura, & confirmatione per Archiepiscopum facta super utraque non potuit obtinere titulum possessionis *coloratum*: at in exemplo allato de Episcopo Verdunensi non est casus de 2. præbendis in eadem Ecclesia, ut constat *à num.* 613. ergo. 826

Not. 4. quando in c. *Cùm nostris 6. h. t.* dicitur, quòd possessio plus habeat facti, quàm juris, aliquos deducere, in possessione *factum* esse principalius, *jus* verò solùm concomitanter, coadjuvando scilicet, & fovendo factum illud; alios tamen hoc negare, ac cum Bartolo in L. *si is, qui pro emptore. ff. de usucap. à. n.* 10. distinguere triplicem, aut quadruplicem possessionis modum; aliam enim dicunt possessionem, quæ *plurimum habet facti*, & *parum juris*, aliam, quæ *plurimum habet juris, & minimum facti*; (aliam, quæ *plurimum habet juris, & facti*) aliam, quæ *plurimum habet juris, nihil facti.* 827

Not. 5. possessionem, *quæ plurimum habet facti*, juxta Bartolum, ac ejus sequaces, esse illam, quam quisque per se ipsum acquirit, & retinet, prout est in textu 828

dicti

dicti c. *Cum nostris*, & L. *denique* A. ex quibus causis majores, ex quo inferunt, postliminio non contineri; possessionem, *quæ habet plurimum juris, & minimum facti*, esse illam, quæ per servum, vel filium familias ex causa peculiari ignoranti acquiratur juxta textum in L. 1. §. *item acquirimus*: Et in L. *quod servus*. 14. *cum aliis. ff. de acquirend. possess.* & in L. *Labeo. ff. de usucap.* & de hac agit textus in L. *possessio* 49. *ff. de acquirend. possess.* ibi: *plurimum ex jure mutuatur*; plurimum *juris & facti* habere dicitur possessio, quæ per procuratorem, vel aliam personam, vel etiam per filium *ex causa non peculiari* acquiritur, juxta *text. in L. 1. C. de acquirend. possess.* factum enim ibi reperitur filii, vel servi, vel alterius personæ, multùm etiam operatur juris dispositio, ut indicant verba ejusdem L. 1. ibi: *tam ratione utilitatis, quàm jurisprudentiæ.* Plurimum *juris, & nihil facti* eam habere iniquiunt, quæ legis ministerio transfertur, absque facto ejus, cui acquiritur, ut in *constituto*, juxta L. *quod meo in princ. ff. de acquir. possess.* & in pluribus aliis casibus, quos latè prosequitur *Rebuff. in praxi. tit. de materiis possess.*

ARTICULUS III.

An collatio, vel provisio beneficiis non vacantis jure valeat?

829 COmmunis regula in ordine ad præsentem quæstionem hæc traditur, quòd *collatio beneficii non vacantis, ipso jure nulla sit*; ratio sumitur ex *c. 1. h. t.* ibi: *qui in virorum sacerdotum loco ponuntur, hoc ipso sunt ac Ecclesiastica communione pellendi, quo se passi sunt successores, vivis sacerdotibus adhiberi.* Unde, qui scienter sè in illo instituì, vel confirmari patitur, aut collationem acceptat, est ab Ecclesiastica communione removendus, hoc est à participatione Corporis, & Sanguinis Christi. *cit. c. 1.* ibi: *qui in vivorum, junct. Gloss. V. communione*, ac in super *ex illo deponendus, Gloss. ibid. V. Pellendi*: cui consentit c. *inprimis* 2. *q.* 2. ubi, cùm Episcopus beneficium *vivi possessoris*, seu *beneficiarii* alteri contulisset, Gregorius Papa, de Episcopi supra dicti persona, inquit, hoc statuendum est, ut si nulla contra eum criminalis causa, quæ exilio, vel depositione digna est, mota, sive probata est, *is, qui eo superstite perversè, ac contra Canones in Ecclesia ejus ordinari præsumpsit, sacerdotio privatus, ab omni Ecclesiastico ministerio repellatur*; & 7. *q.* 1. c. *Eum, qui* 40. Ubi Gregorius Pontifex ait, *eum, qui contra justitiæ regulam in Archidiaconatum alterius se provehi consensit, ab ejusdem Archidiaconatûs honore deponimus*; *quia, si ulterius in loco eodem ministrare præsumpserit, se participatione Communionis Sacræ noverit esse privatum*; *nec, cum verè vacaverit, illud deinceps obtinere potest sine dispensatione Papæ, & si talis intrusionis in supplicatione mentionem non fecit, dispensatio irrita sit, quia subreptitia est*; c. *final.* de eo, qui duxit *c.* 20. & 27. *de rescript.* ratio autem sumitur ulterius ex c. *Tuæ* 20. *de præbend.* ubi dicitur, quòd non teneat electio, quando duo ad unam præbendam simpliciter eliguntur.

Ratio redditur, quòd duo eandem præ- 830
bendam obtinere non possint, ne quidem sic, ut unus eorum ipsam obtineret, & alius sub exspectatione: ex hoc deducitur non tantùm collationem beneficii nondum vacantis invalidam esse ipso jure; sed etiam præsentationem, ac institutionem; electionem, ac confirmationem, aliàs enim illud unus posset obtinere actu, alius saltem in exspectatione contra clarum textum in dict. c. *Tuæ*; & quoniam decisio contenta in hoc c. *Tuæ* fundatur in Concilio Lateranensi, contra cujus decreta, & Canones nihil possunt Prælati cujuscunque dignitatis, Papâ inferiores, ut ostendimus *l. 1. tit. 2. de Constit.* 1. Nullus Episcopus *jure suo* ullum *in beneficio viventis instituere, confirmare*, vel *intitulare poterit validè*, defectu potestatis ad *taliter* instituendum, confirmandum, aut intitulandum de jure requisita

Dices: ergo nec poterit Episcopus ad- 831
mittere renunciationem beneficii, factam à resignante *in favorem tertii*, si iste ad eam eligatur, vel præsentetur? R. 1. concedendo illatum, si talis admissio deducatur in pactum, ut constat ex dict. alibi. R. 2. admittendo illatum, etiam secluso tali pacto, *si resignatio sic fit conditionata*,

ut resignans nolit eam valere, si illi Tertio non fiat collatio, vel provisio in tali beneficio; res enim videtur clara; quia sic apertè fieret illi tertio provisio in beneficio *non vacante*. Nam beneficium in dato casu prius non vacat, *quàm impleta sit conditio*, nimirum, *quòd Tertio in eo sit provisum*; Cùm ergo conditio, consequenter provisio, prius impleri debeat, quàm valeat resignatio, atque adeo prius quam vacet beneficium, eo ipso prius alteri eo esset provisum, saltem exspectatione prius impleta, quàm vacet beneficium, atque talis provisio est jure nulla, & irrita ex *præced. n. ergo.*

Dices: 2. consuetudinem esse in contrarium. R. non sufficere, hoc præcisè allegari; multa enim fiunt, quæ facta non tenent, & ab Ecclesia quandoque tolerantur, non approbantur, ne quid ulterius fiat propter multitudinem peccantium, ut manifestum est ex alibi dictis claro jure fundatis. 2. non quælibet consuetudo relevat, sed legitimè inducta, & ex actibus antecedenter legitimè factis probatur. 3. quia, tametsi fortè in una diœcesi hoc obtinuerit consuetudo, id tamen non propterea commune esse aliis, ut evidens est in præscriptione, quæ obtenta in uno loco, vel ad exercitium jurisdictionis quoad unum actum non propterea porrigitur ad quemlibet locum, vel quemvis actum talis jurisdictionis. 4. quia (ut mihi retulit vir juris peritus, professione Religiosus, aliquot annis Romæ versatus) plurimæ tales resignationes summo Pontifici eo tempore propositæ sunt, nullâ admissâ, quòd Ecclesiæ Constitutionibus prorsus contrariæ essent, quod aperto etiam jure constat ex c. *detestanda. 2. h. t. in 6. de quo infra. num.* 843.

832 Sed nec *promitti* possunt beneficia Ecclesiastica, *antequam vacent*, ex claro textu c. *Nulla. 2. h. t.* ibi: *Nulla Ecclesiastica Ministeria*, seu etiam beneficia vel Ecclesiæ *tribuantur alicui, seu promittantur, antequam vacent: ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum, & beneficium se crediderit successurum; cum enim in ipsis etiam legibus Gentilium inveniatur inhibitum, turpe est, & divini plenum animadversione judicis, si locum in Ecclesia Dei futuræ successionis exspectatio* habeat, *quam ipsi etiam gentiles condemnare curârunt.* Deinde, cùm quidam Clericus, post litem contestatam in causa beneficii, *dum nondum vacaret, sibi promissi ab Abbate, & Monachis*, chartam quandam Monachorum exhibuisset *promittentem*, quòd primam Ecclesiam, ad collationem spectantem, assignabunt illi: definitè respondit Innocentius III. *quòd promissio prædicta non teneat, utpote contra statuta Lateran. Concilii attentata*: mandavitque, quatenus delegati memorato Clerico super hoc silentium imponentes ab impetione ipsius dictos Abbatem, & Monachos absolvant; prout habetur in c. *Ex tenore. 13. h. t.*

Dices 1. si beneficia, *nondum vacantia, conferri*, aut *promitti* non possent, sequitur, quòd Episcopi non possint beneficia, *vivis eorum possessoribus, unire alteri Ecclesiæ*, Collegio, aut Capitulo: sed sic est, quòd possint similes uniones facere c. *Consultat. de donat.* c. *Cum venissent, & ibi Glossa* v. *Retinebat. de restit. spol. Clement. unic. de rebus Eccles.* igitur, quia beneficia *nondum vacantia conferri*, aut *promitti* possunt. 833
R. N. Ma. Nam ex unione beneficii, facta loco Religioso, non oritur ratio captandæ mortis alienæ; cùm fiat unio ad tales, quorum nullus in particulari habet jus reale in beneficio unito.

Dices. 2. æqualis ratio militat, si beneficium viventis *conferatur*, ac si beneficium *promittatur*, cùm facultas se obtulerit; Siquidem, qui gratiam hanc assequitur facilè in votum captandæ mortis alienæ incidet: sed beneficium *promitti* potest, cùm facultas se obtulerit c. *accedens. 14. h. t.* igitur, quia beneficium *nondum vacans promitti potest.* 834
R. N. Ma. discrimen assignat ipse Pontifex in c. *Accedens. 14. h. t.* Nam cùm quidam Clericus Pontifici exhibuisset, sibi à Prælato talis Ecclesiæ promissam esse beneficii collationem, *cum primum poterit*: respondit: Nos attendentes, quòd *aliud est* Prælatum promittere beneficii collationem *cum poterit*; aliud, *cum vacabit*: cùm in multis casibus se facultas offerre possit, in quibus collatio non esset in exspectatione *vacaturi beneficii* differenda; hinc illis, qui taliter promiserunt, mandavit quatenus memorato Clerico

(cùm

(cùm poterint) Ecclesiasticum beneficium assignet.

835 Ex hoc deducitur, aliam esse *promissionem providendi de beneficio, quando poterit*; aliam, *de beneficio vacaturo*: seu, quando *vacabit*: illa est promissio solùm *generalis*; & non specificè *de vacaturo*, cùm in multis casibus facultas se offerre possit, in quibus collatio non esset in exspectatione vacaturi beneficii differenda, ista verò foret specialis, & induceret exspectationem collationis *differendæ*, consequenter contingeret, quòd duo haberent unam, ac eandem præbendam, unus *actu*, alter *in exspectatione*, contra c. *Tuæ*. 20. *de præbend. de quo supr.* hâc distinctione observatâ patet etiam ratio, cur promissione, quam fecerunt Monachi, (de qua in c. *Extenore*. 13. *h.t.*) fuerit rejecta; & ista, quam fecit Prælatus (de qua in c. *Accedens* 14. *eod.*) fuerit admissa, nam hæc fuit promissio provisionis *solùm in genere*, quando poterit, illa verò *specificè de vacaturo*, sic Barbos. in c. *Extenore*. V. quod dicemus infra à *num.* 839.

836 Dices 3. si beneficium, *nondum vacans*, *promitti* non possit expressè, nec poterit etiam tacitè; cùm eo casu etiam detur occasio captandæ mortis alienæ: sed tacitè, *beneficium nondum vacans*, rectè promittitur, cùm quis recipitur in Canonicum absque præbenda, nam præcisè præbenda proximè vacatura illi debetur, c. *Cùm M. de Constit.* c. *Relatum.* c. *dilectus. de præbend.* c. *si postquam* 13. *eod. tit. in* 6. & certò scit Canonicus ita receptus præbendam proximè vacaturam illi deberi, unde facilè habebit votum captandæ mortis alienæ, & nihilominus talis receptio in Canonicum sine præbenda, sub spe futuræ vacationis, licita est: ergo quia beneficium nondum vacans promitti potest. R. datâ maj. de promissione ab *homine*, sed non, si fiat à *lege*: quando autem quis recipitur in Canonicum, esto per consequens ei debeatur præbenda proximè vacatura, debitum fundatque *in lege*, non *in hominis promissione*, cùm quis possit esse Canonicus, & non præbendarius, licet supposito Canonicatu, *lege* constitutum sit, ut eidem etiam de præbenda provideatur, sic Vicarius generalis, ab Episcopo constitutus, Vicariatum habet ex libera Episcopi constitutione; hâc tamen supposità, potestatem non habet *ab Episcopo*, sed *à lege*. Sed V. *n.* 844. quid etiam de hac clausula tenendum jure novo.

Dices 4. in c. *Exposuit*. 4. c. *Constitutus* 11. *h.t.* c. *Ex parte*. 12. *de offic. deleg.* c. 2. *de præbend. in* 6. desertè dicitur, *validè, & licitè posse beneficia vacatura promitti*: igitur non rectè in præsenti statuitur, beneficia, *nondum vacantia, promitti non posse*. R. 1. in dicto c. *Proposuit* agi solùm de provisione beneficii, antecessore adhuc vivente, *mandato Papæ*, qui (ut ait textus,) secundùm plenitudinem potestatis de jure potest supra jus dispensare. R. 2. mandatum illud papale, & provisionem exinde factam, non fuisse de præbenda *vacatura*, sed *vacante*, ut constat ex textu ibi: *licet autem intentionis nostræ non sit, investituras de vacaturis, factis contra Canonum instituta, ratas habere*; attendentes tamen, quòd idem Presbyter *non de vacatura*, sed *de vacante per Prædecessorem nostrum fuit investitus*, utpote, quæ post cassationem concessionis à vobis factæ intelligebatur *vacare*, mandamus quatenus, amoto ab ea præbenda quolibet detentore, eam ipsi cum plenitudine honoris Canonici assignetis. 837

Ad c. *Constitutus*. 11. *h.t.* R. ex illo nihil deduci in favorem objectionis factæ, Nam ibi non dicitur, quòd Episcopus possit, vel ipse conferre, aut promittere, beneficia *proximè vacatura*, aut hanc potestatem alteri delegare, seu committere, quamvis talem delegationem ab Episcopo Landunensi factam Pontifex, *proilla vice* dissimulaverit, strictè prohibens, ne id deinceps fiat; ut patet ex litera ibi: *quia verò concessiones tales* (si ad consequentiam traherentur) *fieri possent in fraudem Canonicæ Sanctionis, per quam prohibentur Ecclesiastica beneficia concedi, sive promitti, antequam vacent*, noluimus, quòd, hujusmodi occasione mandati, quod gratiam continet personalem, fraudem adhibere volentibus, licentia conferatur. Per hoc tamen non prohibetur Episcopis committere aliis potestatem providendi beneficiis, *postquam vacant*. 838

Ad c. *Ex parte* 12. *de offic. delegati*. R. ibi solùm agi de provisione per gratiam exspectativam, *factam à summo Pontifice*, 839

ce; consequenter nihil probari ad intentum, quòd idem possint *inferiores illo*; Pontifex enim propter supremam auctoritatem, & plenissimam in beneficialibus distributionem, potest beneficia *nondum vacantia* promittere, & in eis jus exspectativæ conferre, c. *cum te* 7. c. *Constitutus*. 19. c. *Mandato*. 38. c. *in literis*. 39. *cùm seq. de præscript.* & ideo etiam beneficium *litigiosum*, quod conferri non potest *c. 2. ut lite pend. in* 6. utiliter Pontifex confert. *Clement. 1. in fine eod. tit.* & cùm beneficium sui naturâ conferri debeat *in perpetuum*, c. *Sanctorum*. 70. *dist.* c. *unic. de Capell. Monach. in* 6. *ad tempus* Pontifex rectè conferre potest c. *si gratiosè. de rescript. in* 6.

Quia tamen æquius est, Pontificem non *imperio* tantùm, sed etiam *exemplo* cæteros Episcopos in officio continere, inde provenit, ut plenissima potestas, quam in causis beneficialibus Pontificem habere docetur *in c. 2. de præbend. in* 6. non pro libitu suæ voluntatis, sed secundùm justitiam, & æquitatem exerceat, ut constat ex c. *Proposuit h. t.* de quo plura Sanchez *l. 2. matr. d.* 13. *a n.* 3. Et ideo hodie sublatæ sunt hujusmodi literæ exspectativæ per Concilium *Trident. sess.* 24. *de reformat: c.* 19. ex ratione adducta in præsenti, videlicet ne detur votum captandæ mortis alienæ.

840 Ad *c. 2. de Præbend. in* 6. ℟. nec ex illo probari, quòd ullus Prælatus Ecclesiasticus, *Papâ inferior, jure suo ordinario conferre*, aut *promittere* possit beneficia *vacatura*, & *nondum vacantia*; nam textus expressè loquitur de casu specialis tantùm promissionis alicui factæ *à Papa*; ibi: statuimus, ut Ecclesias, dignitates, Personatus, & beneficia, quæ apud sedem istam deinceps vacare contigerit, aliquis *præter Romanum Pontificem*, quacunque super hoc sit authoritate munitus, sive jure ordinariæ potestatis ipsorum electio, provisio, seu collatio ad eum pertineat; sive literas super aliquorum provisione generales, vel etiam speciales sub quacunque forma verborum receperit (*nisi ei sit super conferendis eisdem in Curia Romana vacantibus specialis, & expressa, ab ipso Pontifice summo, auctoritas attributa*) conferre alicui, seu aliquibus, non præsumet.

Dices 5. in c. *Dilectus. 21. de jure patronat.* habetur, reservationem præbendæ, *proximè vacaturæ*, factam *à Legato à latere*, utilem, & ratam esse: igitur idem dicendum est in promissione beneficii *non vacantis*, cùm reservatio, præsertim in Commodum certæ personæ, promissionis vim obtineat. ℟. *N. conseq. ad prob.* ℟. negando, quòd reservatio beneficii, *cùm vacaverit*, contineat vim promissionis. Nam *reservatio* nulli constituit jus ad beneficium, *cùm vacaverit*, ut conferri non possit, cui vult reservans, *promissio* autem promissario, eam acceptanti, constituit jus ad beneficium, *cùm vacaverit*, ut conferri non possit, cui vult promittens, sed conferri debeat promissario; quod verum est etiam de reservatione in Commodum certæ personæ, nam adhuc reservans etiam taliter potest conferre alteri, nullâ intimatione factâ tali personæ de reservatione in ipsius gratiam. 841

Demum, non solùm collationes, & promissiones beneficii non vacantis jure nullæ sunt, ac irritæ; sed ipsæ etiam promissiones, vel provisiones, quæ fiunt à Patronis de præsentandò ad beneficium, si fiant, *antequam vacet*, habetur ex c. *Cùm dilecta fin. h. t.* ubi dicitur, quòd, sicut non potest Patronus promittere se præsentaturum aliquem ad beneficium vacaturum, ita nec dare potestatem præsentandi, antequam beneficium vacet. Cùm enim Comitissa Flandrensis fecisset promissiones *de non vacantibus beneficiis Ecclesiarum*, in quibus jus obtinebat patronatûs, & donationes eorum in manibus posuisset alienis; re intellectâ Honorius III. mandavit Episcopo, & Capitulo Cameracensi, quatenus id irritû decernentes inhibeant eidem, ne similia de Castero attentare præsumat. 842

Confirmari possunt hactenus dicta ex c. *Detestanda. 2. h. t. in* 6. ubi *omnis promissio, per quam datur via ad beneficia vacatura, reprobatur*, cujus rationem reddit Bonifacius VIII. *in dict. c. 2. dicens*: licet olim fuerit Canonicâ constitutione decretum, quòd ii, qui promittunt aliquibus de beneficiis Ecclesiasticis, *cùm poterunt*, vel *cùm facultas se obtulerit*, providere, promissiones suas (facultate se offerente) debeant adimplere; *quia tamen, sicut experientia docuit*, per promissiones hujusmodi, quæ per importunitatem 843

nimi-

nimiam, per quam, non concedenda, multoties conceduntur, & per ambitionem improbatam, ut plurimum extorqueantur, *aperitur via sub tali palliatione verborum, ad promittenda damnabiliter contra Lateranense Concilium beneficia vacatura, mortis alienæ votum ingeritur*, & Ecclesiis, ac Prælatis, & personis Ecclesiasticis gravamina plurima inferuntur: Nos, malis hujusmodi, & animarum periculis occurrere cupientes, *promissiones easdem, & alias quascunque, sub quovis modo, aut forma verborum, de cætero faciendas, per quas directè, vel indirectè aperiri via valeat ad beneficia vacatura, auctoritate Apostolicâ penitus reprobamus, & omnino viribus vacuamus, decernentes, per eas, vel ipsarum aliquam, ad providendum alicui nullum deinceps quomodo libet obligari.*

844 Ex hoc textu sequitur, quod, licet antiquo jure decretalium permissa fuerit promissio de beneficio conferendo adjecta clausula: *cùm potero*, vel, *cùm se facultas, aut occasio obtulerit*, ut constat à *n.* 836. jure tamen novo decretalium, etiam illam promissionem *non obstante illa clausula*, imò quavis aliâ, per quam via directè, vel indirectè aperitur ad beneficia *vacatura*, esse prohibitam, & invalidam ex claro textu Bonifacii VIII. in proximè relato c. *Detestanda*, ubi tamen nota, Constitutionem istam esse antiqui juris *correctoriam*, non autem declaratoriam, adeoque non extendi ad promissiones *ante* illam factas, sed tantùm *futuras*, deinde illam loqui solùm de actu, quo promittitur præbenda simpliciter, non autem eo, quo alicui conceditur aliquid, cui dispositione juris annexa est præbenda, qualis est receptio alicujus in Canonicum, ut supra dictum est.

ARTICULUS IV.

De reliquis ad hunc titulum pertinentibus.

845 PRo ulteriori præmissorum explicatione not. 1. pœnas, de quibus n. non incurri ab eo, qui passus est *se institui in beneficio viventis*, ignorando, *illud non vacare legitimè*; nam sic non est in eo culpa, & c. *in primis.* 2. *q.* 1. §. de Episcopi, ad pœnam depositionis exigit, quòd in viventis Ecclesia se institui *præsumpserit*; quod etiam habetur in c. *Eum, qui*, 7. *q.* 1. ibi: qui in alterius loco eodem ministrare *præsumpserit*. Not. 2. non incurri ab eo, qui viventi succedit, *ex justa causa depositio, Glossa fin. in c.* 1. *h. t.*

Not. 3. quando dicitur, quòd promis- 846
sio beneficii, non vacantis, *involvat votum mortis alienæ*, non intelligi, quòd id habeat *ex natura rei*, *& causaliter* (aliàs enim nec à summo Pontifice promitti posset beneficium nondum vacans) sed tantùm *occasionaliter*; occasio autem ex natura rei stare potest sine occasionato; quamvis summi Pontifices *etiam occasionem* velint remotam in his, qui vel recipiunt, vel provident Ecclesiastica beneficia. Et quamvis per scripturam rectè probetur facta beneficii promissio, non tamen rectè probatur *valida*, ut constat ex c. *ex tenore*, *de quo supr.*

Not. 4. quamvis ex c. *Cum super.* 8. *h. t.* 847
rectè probetur, Clerico recepto in Canonicum alicujus Ecclesiæ promitti posse, quòd illi etiam providebitur de præbenda, cùm se facultas obtulerit, hanc tamen promissionem jure novo c. *Detestanda*, *de quo n.* 843. non prohiberi, *ex num.* 844. nec exinde ab illa rectè fieri argumentum ad promissionem simpliciter de concedendo vacaturo, cùm debitum præbendæ in primo casu procedat à provisione *legis*, non in secundo, ut diximus superius.

Not. 5. quando dicimus beneficium *non vacans*, nec conferri, nec promitti posse, id intelligi etiam de quovis alio beneficio qualificato, quale est beneficium, cui annexus est personatus, officium, vel dignitas Ecclesiastica ex dict. c. *Detestanda in num.* 843. & c. *post electionem.* 7. *h. t.* ubi expresè sermo est de Archidiaconatu, alteri, cùm nondum vacaret, concesso, ut supra expositum est.

Not. 6. quando beneficium, legitimè 848
collatum, beneficiatus renuntiare, seu dimittere, *quoad possessionem* per gravem, & injustum metum, extrinsecùs incussum, directè ad extorquendam ejusmodi dimissionem, coactus est, posse illum nihilominus agere ad possessionem recuperandam, non obstante, quòd alter interea in eo institutus sit; nec actionem ejus, exceptione factæ renuntiationis in judicio elidi, prout habetur *ex dict. supra h. t.*

Not. 7. Legatos à latere, post concordata Germania inter Nicolaum V. suo, & Successorum nomine, ac Fridericum III. Imperatorem, aliosque Principes, & Prælatos Germaniæ, ex altera parte circa beneficia non reservata, sed subjecta provisioni Ordinariorum, probabiliter nihil posse in Germania, ea suæ provisioni reservando, prout aliàs possunt de jure communi; si enim Pontifex in vi eorum Concordatorum ipse statuit, ac promisit, *se* nolle in illis provisionem Ordinariorum impedire *præveniendo*, vel *reservando*, nequit non esse valde prudenter credibile, nec Legatos id posse contra expressum verbum Papæ, talis autem promissio habetur in Concordatis Germaniæ, *§. in Cæteris verò, de quibus à n. 566.*

849 Not. 8. quamvis aperti juris sit, promissiones beneficiorum, etiam *sub clausula generali* (quando potero, vel, cùm se obtulerit occasio) esse non tantùm illicitas, sed etiam irritas, ac nullas jure novo decretalium, ut constat ex c. *detestanda*, relato supr. posse tamen distingui *promissionem* in eam, quæ supplicanti faciat *solam spem* obtinendi beneficium, quòd vacaverit; vel si vacaverit; aut etiam *jus ad rem* in promissario, & obligationem saltem naturalem in promittente: (unde, cùm etiam nostris temporibus frequenter contingat, quòd etiam homines, Deum timentes, & probi, verbo, vel scripto promittant supplicantibus, se, cùm poterunt, gratificaturos, eosque voti compotes facturos, & vacante tali, vel tali beneficio neminem alium promoturos, censet E. Wagnereck. in c. *Nulla. 2. h.t.* promissionem *primo modo* sumptam, qua scilicet *sola spes, non autem res, vel ullum jus* tribuitur, non comprehendi sub constitutione Bonifacii VIII. in dicto c. *Detestanda.* Sed an hæc *puritas intentionis*, se non obligandi, nec alteri etiam *jus personale & beneficium* constituendi, non frequenter maculetur, præsertim, quando à Magnatibus, Patroni inferiores, (puta Domini ei temporaliter subditi, vel Monasteria virorum, aut Monialium habentium Patronatum certarum Ecclesiarum) requiruntur, ut tale beneficium promittant huic, vel illi quos commendant, ii noverint, qui promittunt, &, qui ad tales promissiones inducunt.

QVÆSTIO IX.

IN TIT. IX. NE SEDE VACANTE ALIQUID INNOVETUR.

850 CUm hactenus egerimus de modo, quo Ecclesiis providendum sit in casu, quo illis Clericus, qui in eis ex officio divina peragat, præficiendus est, ac id regulariter penes Episcopos, & Prælatos Ecclesiarum, quibus id jus, ratione suæ dignitatis, vel muneris competit, residеat: quæstioni, quæ fieri posset, quid agendum, si talis Ecclesia esset viduata, hoc est, careret tunc Prælato (ut si obisset &c.) & occurreret casus, quo alicui Ecclesiæ inferiori de Rectore novo, vel beneficiato providendum foret? hoc titulo respondetur. Per *sedem* hic intelligitur sedes Episcopalis, vel alia Prælatura, aut dignitas inferior cui facultas conferendi beneficia, vel alia jurisdictio competit, *sic Gloss. in c. 1. de reb. Eccles. non alien. in 6. V. Ecclesia.* Per *vacantem*, seu *vacationem venit*, quælibet vacatio *sedis*, sive per mortem, sive per renunciationem, translationem, aut modum alium, quo titulus, seu jus Prælaturæ amittitur, sic *Gloss. in c. unic. h.t. in 6. V. mortuo*: imò Hortiensis in summa *h.t. n. 2.* id extendit ad vacationem beneficii solùm *interpretativam*, quando scilicet Episcopus, vel Prælatus *de jure est mutilis* ad agendum; ut, si sit hæreticus, excommunicatus, suspensus &c. tunc enim dicitur vacare *interpretativè*. *Sedes* igitur *vacans* hìc intelligitur quælibet Ecclesia Cathedralis, Collegiata, vel etiam Conventus Regularis, habens rationem Capituli, & carens Antistite suo, & hæc vacatio durat, dum ei de novo provisum sit: quæstio igitur est, penes quem in casu *sedis taliter vacantis* potestas, & jurisdictio sit?

ARTI-

ARTICULUS I.

Ad quem devolvatur jurisdictio, & administratio Sede vacante?

851 IN hac quæstione communis tenet, quòd *Sede vacante* in jurisdictione, ac administratione succedat Capitulum, per c. *his, quæ* 11. *de Major. & eod.* ibi: *Quando autem Ecclesia ipsa Cardinali vacabit Capellani, & Clerici memorati eidem Ecclesiæ reverenter exhibeant omnia supradicta, excepto, quòd de correctione, & excommunicatione, & suspensione ipsorum, pro bono pacis, nostræ providentiæ reservamus.* & c. *cùm olim* 14. *eod.* ibi: *mandantes eisdem, ut, cùm Ecclesia Messan. vacet ad præsens, electionem suam confirmandam præsentetur Capitulo Messanensi.* Hinc generalis regula est, quòd Capitulum Sede vacante possit facere omnia, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ, & necessariæ, *nisi aliqua expressè illi prohibita, vel excepta reperiantur*, ut colligitur ex illis verbis in *c.* 11. ibi: *excepto*, quòd de correctione, excommunicatione, & suspensione ipsorum, pro bono pacis, nostræ providentiæ reservamus; & hanc facultatem nec mutatam, nec diminutam esse à *Trident. sess.* 24. *de reform. c.* 16. tradit Filliucius *tom.* 3. *tr.* 41. *c.* 2. *n.* 4.

852 Tridentinum loco cit. sic habet: Capitulum, *Sede vacante*, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, *Oeconomum unum, vel plures* fideles, ac diligentes decernat, qui rerum Ecclesiasticarum, & proventuum curam gerent, quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri. Item *Officialem*, seu *Vicarium infra octo dies, post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare, omnino teneatur*; qui saltem in jure Canonico sit Doctor, vel Licentiarius, vel aliàs, quantum fieri poterit idoneus; si secùs factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur. Et si Ecclesia ipsa *Metropolitana* fuerit, tunc *antiquior Episcopus ex suffraganeis* in Metropolitana, & *propinguior* Episcopus *in exempta*, Oeconomum, & vicarium idoneos possit constituere. Episcopus verò ad eandem Ecclesiam vacantem promotus ex iis, quæ ad eum spectant, ab eisdem oeconomo, vicario, & aliis, quibuscunque officialibus, & administratoribus (qui *Sede vacante* fuerunt à Capitulo, vel ab aliis in ejus locum constituti, etiamsi fuerint ex eodem Capitulo) rationem exigat officiorum, jurisdictionis, administrationis, aut cujuscunque eorum muneris, possitque eos punire, qui in eorum officio, seu administratione deliquerint, etiamsi prædicti officiales redditis rationibus à Capitulo, vel à deputatis ab eodem absolutionem, aut liberationem obtinuerint. Eidem quoque Episcopo teneatur Capitulum, de scripturis ad Ecclesiam pertinentibus, si quæ ad Capitulum pervenerint, rationem reddere.

Ex his juribus videtur deduci ea proce- 853
dere de Capitulo Ecclesiæ Cathedralis; de hoc enim loquitur Tridentinum, & c. *Cùm olim* 14. ut patet inspicienti textum; & quamvis c. *His quæ* 11. loquatur de vacante Ecclesia, *cui Cardinalis præerat*, tum etiam de hoc casu idem dicendum est; quia Cardinales Ecclesiæ Romanæ Ordinariam, & quasi Episcopalem jurisdictionem obtinent in Ecclesias sui tituli, & consequenter in Parochias, & Capellas, & Clericos earundem, quæ Ecclesiæ illi principali pleno jure subjectæ sunt; ita notavit Innocentius in *c.* 2. de Capellis Monach. Joan. Monachus in c. *unic. h. t. in* 6.

Difficultas tamen est, an idem procedat 854
de Capitulo in casu, quo vacat Sedes, seu *Ecclesia non Episcopalis*, sive Secularis sit, sive Regularis? R. distinguendum esse, an Ecclesia vacans sit *exempta*, vel *non exempta*? quo posito R. 1. Collatione *communiter* ad Episcopum & Capitulum pertinente, uno ipsorum effecto inhabili, alterum conferre, sic Bonifacius VIII. in c. *unic. h. t. in* 6. ibi: Si ad Episcopum & Capitulum *communiter* pertineat collatio præbendarum, *mortuo Episcopo*, vel à beneficiorum collatione *suspenso*, poterit Capitulum vacantes conferre præbendas, etiamsi Episcopus interesse habeat in collatione hujusmodi, ut Prælatus. Idem poterit *Episcopus*, si Capitulum ab ipsa collatione suspendi contingat, vel singulariter omnes de Capitulo majoris excommunicationis vinculo innodari; & hæc decisio videtur indefinitè accipienda quoad jurisdictionem, quando

cu-

cumulativè est penes Episcopum, & Capitulum; Sic Layman *in c. 11. h.t. in 6. n. 3. & alii.*

855 Loquendo autem de Ecclesia *non Episcopali* (v.g. Collegiata, & non regulari) cujus Prælatus jurisdictionem in Clericos obtinet, censet Layman *num. 4.* Sede vacante jurisdictionem ejus non transire *ad Capitulum*, sed *ad Episcopum*, si talis Ecclesia non sit *exempta*; rationem dat; quia, si Prælatus inferior, Episcopo. Subjectus, jurisdictionem per consuetudinem legitimè præscriptam comparavit, cùm præscriptio sit stricti juris, dicendum est potestatem, quam Prælatus acquisivit, ad Capitulum non transire, nisi & ipsum in præscripta consuetudine sit, ut vacante Sede jurisdictionem exercere queat: Sin autem speciali jure, seu privilegio Prælato concessa sit jurisdictio, tum nota est regula Canonistarum, ad Capitulum transire ea, quæ Prælato non communi, sed speciali jure concessa sunt: sic Layman cit. sed quoad hoc postremum punctum, V. *num.* 865.

856 Et hoc extendit etiam ad casum, quo Prælatura regularis vacat, si Monasterium sit Episcopo subjectum; volens in eo eventu jurisdictionem non ad Capitulum, sed Episcopum pertinere, in quo idem cum Layman sentiunt Imola *in dict. c. 11.* Joann. Andreas *in c. 2. num. 3. de testament. in 6.* & Archidiaconus, quem allegat Felinus hic motivo 4. ubi ait: incautè locutum fuisse Dominicum *in c. 2. de testam. in 6.* quòd, secundùm jura, *conventus succedat Abbati in jurisdictione*, nam secundùm Archidiac. & Joan. Andr. Episcopus habet curam statûs monasterii, *vacante Sede*, & ipse dat administrationem in temporalibus, & spiritualibus. Ratio potissima videtur, quòd Prælato Ordinis Religiosi potissimum subjiciantur ratione voti obedientiæ secundùm S. Thomam *in 2. D. 44. in fine*: atqui obedientiæ votum præstatur ipsi Ordinis Prælato, non autem Capitulo, aut Priori claustrali, ergo mortuo Prælato, potestas, & jurisdictio Prælati, per quam in virtute obedientiæ, vel sub pœna excommunicationis præcipere potest, non transit ad Capitulum, vel Seniorem, seu Priorem.

857 De hac quæstione quoad potestatem Capituli, *regulari Sede vacante* (mortuo v.g. Prælato) quidam Neotericus *h.t. num. 17.* sic loquitur: quæ hìc exempli causa de Capitulo Cathedrali diximus, de jure loquendo meritò extenduntur ad Capitula Ecclesiarum Regularium mortuo Prælato, vel aliàs Sede Abbatiali vacante, per textum in c. *fin. de Regularib. in 6.* & in Clement. *ne in agro 1. §. si quis autem. in fin. de statu Monach.* quandoquidem Capitulum Regulare non minus in jurisdictionem Abbatis succedit, quàm Capitulum cathedrale in jurisdictionem Episcopi, imò potiori jure; cùm reditus, & jura Abbatis nulla ratione sint distincta à reditibus, & juribus Conventûs, sicut tamen plures reditus, & jura Episcopi à Capituli juribus sunt diversa. Hanc sententiam ex Innocentio refert, & sequitur Panormit: in c. *fin. num. 8. & 9. de statu Monach. P. Engl. h.t. num. 16. Tambur. de jure Abbat. tom. 2. disp. 1. q. 4. num. 5. ita ille.*

Verùm hæc doctrina, *sic indefinitè accepta*, non deducitur ex c. *fin. de Regularib. in 6.* sic enim ibidem loquitur Bonifacius VIII. *si ad solum Abbatem pertineat creatio Monachorum, eo defuncto nequibit novus Monachus à Conventu creari; aliàs poterit, si eorum creatio spectat in simul ad utrumque*, ubi textus satis apertè loquitur de jurisdictione Abbati competente, sine concursu Capituli, ac devolutionem ejus Capitulo negat. Quod adducitur ex Clement. *Ne in agro. 1.* de statu Monach. *§. si quis autem.* in fine, sic habet: *Abbate autem, vel Priore, à collatione (ut præmittitur) beneficiorum suspenso, ad Priorem claustralem, cum consilio, & assensu Conventûs, vel majoris partis ipsius, eorundem beneficiorum collatio devolvatur.* Qui textus non videtur posse servire illi doctrinæ *indefinitè* acceptæ. 1. quia textus expressè loquitur non de Religiosis, vel etiam Monachis in genere, sed de Monachis *nigris*, ibi: ne in agro dominico, sacra videlicet *Monachorum nigrorum religione*, &c. 2. quia agit solùm *de vacatione interpretativa, pœnaliter inducta*, ut apertè denotant verba ex *§. si quis autem* allata; 3. quia agit *solùm* de collatione beneficiorum *manualium*, & administrationum Regularium. 4. solùm 858

agit

agit de privatione, ac suspensione, quam superior Regularis facere potest vi Regularis disciplinæ. 5. demum accipi potest textus solùm in casu vacantis Prælaturæ Regularis *exemptæ*.

859 Nam, ut rectè notat Layman in c. *quanto. 7. de offic. ordin.* Regulares *non exempti*, duos superiores habent, *ordinis Prælatum*, & *Episcopum*; sed discrimen est, quòd *Prælato ordinis* obedire teneantur *ratione voti obedientiæ*, in iis videlicet, quæ ad regulares observationes, & disciplinam Monasterii pertinent, quare in his magis est obediendum Prælato, quàm Episcopo juxta doctrinam S. Thomæ *in 2. D. 44. in fine in expos. literæ. ad* 3. Innoc. hìc *num.* 2. Abbas *num.* 5. & explicant Sylv. V. *obedientia. q.* 9. Sanchez *lib. 6. moral. c. 1. num.* 12. Et ideo *Prælatus ordinis* potestatem habet, subditos suos Regulares ad regularem disciplinam adigendi, ut contumaces, & incorrigibiles ejicere queat, uti Innoc. Abb. Sylv. tradunt *loc. cit.* Sed *Episcopo* Regulares non exempti subsunt, *non ratione voti*, sed *ut alii Clerici* legi jurisdictionis subjecti sunt, ut dixi in *l. 1. tit. 2.* quare in iis, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam attinent, & quoad punitionem criminum graviorum, præsertim, quæ depositionem merentur, propriè, & directè subjiciuntur Episcopo, cùm etiam ipsi Prælati non exempti in his subsint, uti advertit Sylvester V. *obedientia. q.* 10. *dicto* 2. Abbas in c. *Si quis contra n.* 51. *de foro compet.* Sanchez *cit. loc. & alii*, ita Layman *loc. cit.* Illud tamen videtur dicendum, etiam Capitulum succedere Sede regulari vacante, quando id habet talis ordo *vi suarum constitutionum*, approbatarum à Sede Apostolica, vel præscriptione, privilegio, usu longo legitimè inducto &c.

860 Si quæras, an in civilibus causis, si Religiosus v. g. in Academia, studiorum causâ degens, debitor fiat, coram Episcopo potius judicialiter conveniri debeat, quàm coram Abbate? R. quòd coram Episcopo; nam Abbas esset Judex in facto proprio; Cùm solutio ex bonis monasterii fieri debeat: Sin autem monasterium, ad quod professus pertinet, & ex cujus bonis solutio fieri debet, subjectum sit Abbati alterius Monasterii, coram ipso æquè, ac coram Episcopo conveniri poterit. Quare hoc casu Episcopus, & Abbas concurrunt in jurisdictione, uti Innoc. & Abb. hìc *num.* 5. docent; his præmissis:

§. 1.

Quid possit Capitulum Sede vacante quoad beneficiorum provisionem?

R. 1. COllationem beneficiorum, quæ 861
sunt de jure solius Episcopi, & libera, non rectè fieri à Capitulo Sede vacante c. *Illa 2. h. t.* ibi: *Cùm nusquam inveniatur cautum in jure, quòd Capitulum, vacante Sede, fungatur vice Episcopi in collationibus præbendarum*: nec in eodem casu potest dici potestas conferendi præbendas ad Capitulum per superioris negligentiam devoluta; cùm non fuerit ibi superior, qui eas posset de facto, vel de jure conferre. Nam *collatio talium beneficiorum* annumeratur *fructibus Episcopalis Prælaturæ per Gloss.* in c. *Cùm olim cit. fructus* autem de jure communi futuro Prælato reservari debent c. *fin. de offic. ordin. in 6.*

Ex hoc deducitur 1. Capitulum Cathe- 862
drale non succedere Episcopo, Sede vacante, in jure conferendi beneficia libera, seu collativa, quorum collatio *ad solum Episcopum* spectat ex *cit. c. 2.* Deinde quòd Capitulum, Sede vacante, nec succedat Episcopo in potestate eligendi, vel præsentandi, quæ propriè spectat ad Episcopum. Nam talis electio, vel præsentatio est quædam liberalis & gratuita concessio beneficii electivi, vel Patronati, quæ respicit commodum Prælati, cui Capitulum Sede vacante derogare non debet, sic Garcia *p. 5. c. 7. num.* 52.

Deducitur 3. quòd Capitulum non 863
succedat Episcopo *Sede vacante* in collatione beneficii liberi ad Episcopum *devoluti propter negligentiam* Ordinarii Collatoris; ita Zoësius hìc *num.* 3. contra Joan. Andr. in c. *Quanquàm* 18. *de Elect. in 6. num.* 1. quia talia beneficia sunt ejusdem rationis cum illis, quæ jure proprio habet conferenda, præsertim,

cùm hoc posse non sit jurisdictionis *ordinariæ*, nisi pro casu extraordinario, pœnæ scilicet constitutæ negligentibus providere beneficiis tempore debito; & hoc extenditur etiam ad beneficia libera, quæ vacant per renunciationem, sic Barbosa *in c. 2. h. t. num. 2.* Extenditur 2. ad beneficia vacantia in Curia Romana, quæ Papa intra mensem non contulit juxta Barbosum in c. *statutum 3. de præbend. in 6. num. 3.* Azor *p. 2. l. 3. c. 27. q. 7.* In hoc autem casu tempus expressum (nempe *mensis*) currit à die vacationis, non scientiæ, sed notitiæ, per Zerollam in praxi Episcopor. *p. 2. V. Reservatio.* vers. *decimò*, quia, licet tempus præfixum *in negligentium odium* non currat ignoranti, vel impedito; Secùs tamen est, quando non in odium negligentis, sed *in alterius favorem* præscribitur, per Sanchez *l. 7. matr. D. 37. n. 19.* Dixi, *libera.*

864 Nam in beneficiis Patronatis *quoad institutionem*; & electivis, *quoad confirmationem* (cùm eorum provisio sit necessaria, non libera) Capitulum Sede vacante succedit Episcopo; Zoësius hìc *n. 3. ex c. 1. de Instit. in 6.* ibi: sed etsi Capitulum Sede vacante beneficia, quæ ad *collationem* Episcopi pertinent, conferre non possit; præsentatos tamen à Patronis potest admittere, si sint idonei & eos instituere in beneficiis, ad quæ fuerint præsentati, licet ad Episcopum (si superesset) admissio, & institutio hujusmodi pertineret, *c. 14.* de Majoritate ibi: *mandantes eisdem, ut cùm Ecclesia Messan. vacet ad præsens*, electionem suam confirmandam, præsentetur Capitulo Messanensi: Similiter Sede vacante Capitulum rectè confert beneficium vacans, cujus provisio communiter, seu cumulativè spectat ad Episcopum simul, & Capitulum; Nam hoc propter Episcopi casum in jure suo non est impediendum Abb. in *c. 2. h. t. num. 6.* Constat ex ante dict.

§. 2.

An Capitulum Sede vacante succedat Episcopo in jurisdictione delegata?

865 QUamvis, ut diximus *num.* 851. communis regula sit, quod Capitulum omnia facere possit Sede vacante, quæ sunt jurisdictionis, *præter ea, quæ specialiter excepta sunt*; hæc tamen intelligi debet de jurisdictione *solùm ordinaria, non delegata*, nec in illis, quæ illi competebant jure aliquo speciali, seu accidentali; ita Doctores communiter, Quaranta V. *Capitulum Sede vacante*, Azor *p. 2. l. 3. c. 39. q. 4.* Nicol. Garcia *p. 5. c. 7. num. 42. & alii.* Ex quo sequitur 1. Capitulum, Sede vacante non posse exequi *commissionem* Episcopo factam, etiamsi literæ commissionis ipsi præsentatæ fuissent; sic Garcia *cit. num. 44.* nec peragere visitationes monasteriorum *exemptorum*, quæ ex commissione, tanquam delegatus Papæ visitare poterat Episcopus; Sic Garcia *num. 45.* Azor *c. 37. q. 15.* & alii, nec supprimere præbendas, aut portiones vigore Tridentini *sess. 24. de Reform. c. 15.* Barbos. *p. 2. allegat. 67. num. 3.* Nec confirmatione donationes juris Patronatus; idem *p. 3. alleg. 71. num. 24.* nec dare dimissorias ad Ordines infra annum à die vacationis, nisi arctatis, ut habetur in Trid. *sess. 7. de Reform. c. 10.* ab hac tamen responsione excipe casum necessitatis exigentis, ut Capitulum exerceat actum jurisdictionis delegatæ Episcopali officio annexæ jure extraordinario; sic Quarant. in summa Bullarii V. *Capitulum Sede vacante.* vers. *Quia in dies.*

Dixi Capitulum Sede vacante succede- 866
re Episcopo in omnibus, quæ potest potestate *ordinaria*, seclusâ speciali prohibitione, & ideo potest ad tempus commendare Ecclesias, sive beneficia; sic Azor *p. 2. l. 3. c. 38. q. 8.* instituere Clericos præsentatos à Patronis; sic Vivianus in praxi juris Patron. *l. 12. c. 2. num. 6.* confirmare electos recipere resignationes beneficiorum spectantium ad liberam collationem Episcopi. Barb. *p. 3. de potest. Episc. alleg. 69. num. 8.* Cognoscere, & assignare congruas portiones; Rebuffus in tract. Congruæ portionis *num. 57.* præstare authoritatem in permutationibus beneficiorum, Quaranta in summa Bullarii V. *Capitulum Sede vacante q. 9.* Dispensare cum illegitimis ad beneficium simplex, Zerola in praxi Episcopor. *p. 2. V. Capitulum. §. 3.* facere uniones beneficiorum, quæ ex causa faciendæ

sunt

sunt salvo semper jure Episcopali; Quaranta *cit. q.* 9. Concedere facultatem, & licentias, quas jure ordinario dare potest Episcopus; sic Azor. *p.* 2. *l.* 7. *c.* 5. *q.* 3. v.g. Curatis dare licentiam eundi ad studia, Zerola *cit.* §. 2. ædificandi Ecclesias, ut acquiratur jus Patronatus, Barb. *cit. allegat.* 70. *num.* 32. Extero Episcopo, exercendi Pontificialia in Ecclesia vacante; Henriquez in summa *l.* 10. *c.* 22. concedere statuta pertinentium ad statum Ecclesiæ vacantis, non tamen in præjudicium Ecclesiæ, vel mensæ Episcopalis; Azor *cit. l.* 3. *c.* 37. *q.* 11.

867 His adde, exequi defunctorum ultimas voluntates, in quantum spectat ad jus ordinarium Episcopi; Zerola *cit. p.* 2. §. 9. visitare Diœcesim, Quarant. cit. & Azor *l.* 3. *c.* 37. *q.* 14. Instituere confessarios, qui absolvant à casibus Episcopo reservatis, Azor *q.* 16. Cognoscere de causis arduis, Quaranta cit. Constituere Vicarium generalem in spiritualibus, Zerola *cit. p.* 1. §. 3. *Quomodo* autem, *qualem*, & *quando* talem Vicarium constituere oporteat? dicitur in Trident. *sess.* 24. *de reform. c.* 16. Similiter Capitulum Sede vacante potest assistere matrimonio celebrando juxta formam Trid. *sess.* 24. *de reform. matrimonii c.* 1. Exigere rationes ab administratoribus piorum locorum, Zerola *p.* 2. §. 9. Exigere subsidium charitativum; Barbosa *p.* 3. *alleg.* 87. *num.* 13. Concedere indulgentias, Azor *cit. q.* 9. deponere, & interdicere, & plura similia, de quibus Barbosa *in c.* 2. *h. t. à num.* 4. Dispensare in irregularitatibus, juxta Trident. *sess.* 24. *de reform. c.* 6. ut notat Barbosa ibid. *num.* 4. *&c.* Nam hæc omnia potest Episcopus, nec ista Sede vacante præstare prohibitum est Capitulo.

868 Si quæras, quid possit Capitulum Sede vacante, quoad constituendos œconomos, seu administratores in temporalibus? R. constare *ex dict. à n.* 851. nam (in Ecclesiis non regularibus) Sede vacante, etiam in temporalibus administrationem de jure communi, & ordinario spectare ad Capitulum habetur *c.* 11. *&* 14. *de majorib.* quamvis interdum ad hoc alius administrator constitui soleat; sic *Gloss. in c. unic. eod. in* 6. & Pirhing *de Elect. num.* 166. Quare Laici, Sede vacante, non possunt, *spectato jure communi canonico*, jure sub (nisi habeant privilegium Papæ) in Ecclesiis ejusmodi constituere administratores rerum temporalium ad eas Ecclesias pertinentium, etiam prætextu præscriptionis, aut consuetudinis etiam immemorialis. Nam contra jus divinum nihil potest præscriptio, aut ulla consuetudo. *c. fin. de consuet.* at res Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum à potestate Laicorum æquè exemptæ sunt jure divino, ac ipsæ personæ Ecclesiasticæ (ut ostendimus *l.* 1. *tit.* 9.) sine consensu Prælati Ecclesiastici.

ARTICULUS II.

Quo sensu intelligendum sit, Sede vacante nihil esse innovandum?

RAtio dubitandi est, quia, cùm Sede vacante jurisdictio Episcopi devolvatur ad Capitulum (ut dictum est *num.* 851.) multa fieri contingit Sede vacante, ex quibus videtur aliqua contrarietas inferri inter has duas regulas in jure receptas, quarum prima est, *quòd Sede vacante nihil sit innovandum*; & altera: *quòd Capitulum Sede vacante, in jurisdictione, & administratione succedat Episcopo.* Sed R. *primæ regulæ* sensum esse: quòd nec à Capitulo, nec ab aliis quidquam Sede vacante sit innovandum *in præjudicium Ecclesiæ vacantis*, & *juris Episcopalis, nisi specialiter sit permissum*; Secundæ verò, quòd Capitulum Sede vacante succedat Episcopo *in omnibus quoad jurisdictionem ordinariam, ac necessariam, nisi in aliquo specialiter sit prohibitum*: ratio sumitur ex dictis, ubi retulimus, quæ Capitulo, vel etiam aliis, jure permissa sunt, vel prohibita *Sede vacante*: hoc enim intellectu tollitur omnis earum contrarietas. 869

Quæstio exinde nascitur, *an lis inchoata contra Ecclesiam Sede vacante, per sententiam dirimi valeat, & lata teneat?* de hoc agitur *c. fin. h. t.* nam cùm Procurator Ecclesiæ S. Mariæ de Castro forti, coram Prædecessore Honorii III. & 870

Episcopo Burginensi, peteret dictæ Ecclesiæ restitui libertatem, *eligendi liberè Prælatum, & Sede Burginensi vacante* receptæ fuissent super hoc depositiones testium: Pontifex, re intellectâ, *eas duxit reprobandas*, utpote tunc receptas, cùm Ecclesia Burginensis careret *defensore suo*, id est Episcopo.

871 Idem fere, habetur in c. *Novit ille* 1. *h.t.* ubi cum Innocentii III. prædecessor Honorius III. Ecclesiam Glastonensem erexisset in Cathedralem, & Bathonienſi Ecclesiæ univisset in ejus præjudicium, uti Prior, & Conventus Glastonensis asserebat, petentes, ut *vacante tum per obitum Episcopi Ecclesiâ Bathonienſi*, ipsoque Rege, & Magistratibus instantibus, unione penitus dissolutâ, Monasterium reduceretur sub antiquum Abbatis regimen: rescripsit Innocentius &c. *quòd Episcopali Sede vacante, non debuit aliquid innovari; cum non sit, qui Episcopale jus tueatur*: indulsit tamen, ut Episcopus Bathonienſis electus, jus suum, apud Sedem Apostolicam prosequendi, facultatem habeat, & interim sub cura Prioris Monasterii gubernetur.

872 Ex his juribus deducitur, quòd Sede Episcopali vacante nihil sit innovandum, imò nec ipse Papa quicquam innovet, quoad statum ejus in præjudicium, ut constat ex dict. c. *Novit ille*; quia non est, qui defendat jus Episcopale; ne plùs personæ, quàm Ecclesiæ tribuisse videatur; & ideo dissolutio unionis, Episcopatui facta, *isto vacante*, fieri non potest, ut tenet communis in dict. *c.* 1. & scribentes *in Clement.* 2. *de reb. Eccles. non alienand.* Si dicas, unio fieri potest Sede vacante, *ex cit. Clement.* 2. quâ scilicet Episcopatui unitur aliqua Ecclesia; ergo etiam ejus dissolutio. R. N. conseq. nam per unionem nulli præjudicatur, secùs per dissolutionem; unitæ enim per unionem consulitur, sic enim ejus exiguitas juvatur per eam, cui unitur; hujus autem authoritas amplificatur, præjudicatur unitæ per unionis dissolutionem.

873 Deducitur 2. sententiam in lit. c. adversus Ecclesiam lite motâ, & inchoata, & Sede vacante latam contra Ecclesiam, non tenere, quia sententia lata contra Ecclesiam *indefensam*, seu carentem defensore jurium Episcopalium, injusta foret; Unde etiam depositiones testium, Sede vacante contra talem Ecclesiam receptæ, reprobantur *in dict. c. fin. h.t.* quod verum est, licet Ecclesia vacet per renunciationem, ut tradit Flaminius *de Resignat. benefic. l.* 1. *q.* 5. *à num.* 42. quia adhuc stat, *quòd careat etiam tunc legitimo defensore*; & quamvis hoc extendat Flaminius cit. etiam ad Abbates, & Priores triennales, quamdiu novus non eligitur, id tamen nullo juris textu probat. V. dicta à *num.* 857.

Rebuffus tamen in praxi beneficiorum, 874
tit. de Recusat. unionis, num. 14. & alii censent, censeri legitimum defensorem in Ecclesia Cathedrali, datum administratorem à summo Pontifice, habetur ex c. *is, cui.* 42. *de elect. in* 6. ibi: *is, cui procuratio, seu administratio Cathedralis Ecclesiæ plena, & libera in Spiritualibus, & temporalibus, à Sede Apostolica* (cui soli hoc competit) *est commissa, potest* (alienatione bonorum immobilium, duntaxat exceptâ,) *omnia* (*quæ jurisdictionis Episcopalis existunt*) *& quæ potest electus exequi, confirmatus liberè exercere*; Illa quippe, quæ ministerium consecrationis exposcunt (nisi fuerit Episcopus) per alios faciat Episcopos expediri.

Deducitur 3. contra Ecclesiam Sede va- 875
cante, non currere præscriptionem ex c. *Auditis.* 15. *de præscript.* ubi habetur, quòd Prælatus inferior possit præscribere in certis Ecclesiis suæ Diœcesis totum jus Episcopale; totum tamen tempus, *quo vacavit Ecclesia Cathedralis*, de præscriptione subduci; nam toto eo tempore, quo vacabat, sedes, indefensa fuit Ecclesia; nec attendere potuisse juribus suis censeri debet.

ARTICULUS III.

De administratione Capituli Sede vacante.

DE hoc eventu quid statuerit Triden- 876
tinum *sess.* 24. *de Reform. c.* 16. deduci potest ex ejus decreto à nobis integrè relato *supr. à num.* 852. Ex quo sequitur 1. ubi Capitulo Sede vacante incumbit munus

munus percipiendi fructus, id debere fieri constituto œconomo uno, vel pluribus, *fidelibus*, uimirum, utres ipsæ, sive jura Ecclesiæ pro eo tempore conserventur in eo statu, quo fuerint; & non, ut lites denovo suscitentur, vel jam cœptæ continuentur, dum Sedes ipsæ non habuerint Prælatum, & Pastorem.

Secundò, Capitulum Sede vacante infra 8. dies, à morte Episcopi, teneri eligere Vicarium idoneum, & unum tantùm, ut volunt aliqui, nisi consuetudo immemorialis haberet contrarium; Quaranta V. *Capitulum Sede vacante §. nono dubitatur*; illo autem octiduo, ante electionem, Vicarii jurisdictionis administrationem esse penes totum Capitulum, tradunt Quaranta cit. Aloys. Riccius in praxi rerum fori *Eccles. post resolut.* 505. *& alii.*

Tertiò in casu, quo Capitulum negligeret *intra tempus præscriptum*, eligere Vicarium, jus deputandi Vicarium, in Ecclesia suffraganea tunc vacante, devolvi ad Metropolitanum *ex cit. decreto Trident. num.* 852. quod etiam procedit, si elegit, sed non idoneum; sic Quaranta in summa Bullar. V. *Archiepiscopi auctoritas*; mortuo autem Vicario per Metropolitanum deputato, & Sede adhuc vacante, jus eligendi alium Vicarium foret penes Capitulum, quia privatum fuit eo, tantùm *pro una vice.*

877 Præter hæc nota 1. ubi Vicarius eligeretur in discordia, præferendum ex pluribus electis magis idoneum; & qualitatibus à Concilio requisitis Præditum; Sic Garcia *p. 5. de benefic. c. 7. num.* 23. dicens, sic esse decisum à Sacra Congreg. Hinc Doctor in Theologia, vel jure Canonico, maximè *Academicus*, non Doctori, vel etiam Doctori *non Academico*, cæteris paribus, præferendus esset; Barbos. *in dict. c.* 16. Trid. *num.* 28. imò Garcia *in addit. ad tract. de beneficiis. p. 5. c. 2. num.* 12. refert, decisum, existentibus Doctoribus in Capitulo, necessariò unum ex illis in Vicarium esse eligendum; alioquin deputationem ad Metropolitanum devolvi.

Not. 2. in dicto casu *Sedis vacantis* Ca 878
pitulo liberum esse, vel confirmare pro Vicario Capituli eum, qui prius fuit Vicarius Episcopi; vel novum eligere; constat ex cit. decreto ibi: *Vicarium constituere, vel existentem confirmare omnino tenentur*; & cùm Vicarius tunc administret *vice Capituli*, in quo jurisdictio principaliter residet, posse ab eodem præscribi Vicario modum, tempus, ac limites jurisdictionis; Garcia *cit. p. 5. c. 1. num.* 37. Constitutum tamen *simpliciter*, absque temporis præfinitione, non posset deinde absque causa, *ex mero arbitrio*, removere, propter jus eo ipso quæsitum, ut duret durante Sedis vacatione.

Not. 3. Vicarium à Capitulo eligen- 879
dum non esse de necessitate, ut sit de ipsius gremio; Si tamen adesset idoneus ex Capitularibus, cœteris paribus, præferendum esse extraneo, suadet decentia; sic Quaranta cit. §. *Sextò dubitatur.* In quæstione autem, an Vicarius Capituli possit exequi commissionem (v.g. dispensationis) directam Vicario Episcopi? Affirmativam quidem tenet Sanchez *lib.* 8. *matr. D.* 26. *à num.* 32. negativa tamen videtur verior, quia Capitulum (consequenter ejus Vicarius) non succedit Sede vacante, nisi in jurisdictione *ordinaria*; sic Bonacin. *de legib. D.* 1. *q.* 3. *p.* 8. §. 1. *num.* 7. *& alii.* plura de his videri possunt apud Barbosam *in c.* 16. *Trid. sess.* 24. *de Reform.*

QVÆSTIO X.

IN TIT. X. DE HIS, QUÆ FIUNT A PRÆLATO SINE CONSENSU CAPITULI.

880 CUm in præcedentibus titulis dictum sit, quid possit, vel non possit Capitulum *Sede vacante* circa jura Episcopalia, vel prælati; sequitur dicendum, quid possit, vel non possit Prælatus *cum*, vel *sine Capitulo*. Not. autem, quòd Episcopus, vel Prælatus Ecclesiæ quandoque solùm obligetur in certis casibus requirere *Consilium*; in aliis autem *consensum Capituli*.

ARTICULUS I.

In quibus actibus Prælati Ecclesiarum indigeant consensu Capituli?

881 SUppon. actum à Prælato celebratum, *sine consensu Capituli*, ubi is de jure, vel consuetudine requiritur, invalidum esse; constat ex c. 1. *h. t.* ibi: *irrita erit Episcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio rei Ecclesiasticæ, absque collaudatione, & subscriptione Clericorum.* Dictus autem *consensus* requirjtur 1. in alienatione rei Ecclesiasticæ immobilis, vel etiam nobilis pretiosæ, quæ servando servari potest, *c.* 25. *in cip.* Sine exception. 12. *q.* 2. *c.* 1. *h. t.* quod expresè loquitur de donatione, venditione, commutatione; & requirit non tantùm consensum, sed etiam subscriptionem Capituli; & consensus *Capitulariter* præstandus est, ut notat Barbosa *cit. num.* 4. V. hìc. *num.* 164.

882 Requitur 2. ad actum præsentationis Clerici pro beneficio vacante, Patronatu ad Prælatum, & Capitulum cumulativè pertinente, ex c. *Ea noscitur.* 6. *h. t.* ubi Cœlestinus III. cùm in provincia tua, inquit, sæpe contingat, quòd ad Ecclesias, in quibus collegia jus præsentandi habere noscuntur, eorum Abbates, aut per se, aut per literas, personas idoneas Episcopis Diœcesis præsentant, & eis præsentatis, & receptis, aliquando antè, aliquando post, Monachi contradicunt: *respondemus, quòd in præsentationibus Prælatorum intelligi debet, quòd fiant de Collegiorum suorum assensu, sine quo non obtinent firmitatem; unde, si constiterit, Conventûs, vel majoris, & Saniorispartæ, non adfuisse consensum, institutiones hujusmodi convenit evacuari, nisi ex antiqua, & approbata consuetudine, vel concessa libertate, aliqui eorum probaverint, commissi sibi collegii non debere in Ecclesiarum, seu beneficiorum collationibus requiri consensum.* Ex hoc textu deducunt aliqui, præsentationem ad beneficium, per solum Prælatum factam, absque majoris partis Collegii consensu, non esse *ipso jure* nullam; Sed per sententiam *irritandam*, alii verius censent esse ipso jure irritam, & sic ea verba, *convenit evacuari* explicanda sunt, ut sensus sit, *convenit vacuas pronuntiari*, ut constat ex c. *novit supra. h. t.* & ideo ita tenet Sanchez *in Decal. tom.* 2. *l.* 7. *c.* 14. *n.* 8.

Requiritur 3. ex c. *Tua nuper.* 8. *h. t.* 883 quando concedit jus patronatus alteri Ecclesiæ, licet in Ecclesia concessâ ipse haberet jus Patronatus; Consultus enim Pontifex, utrum Episcopo, cum solo Archidiacono; *præter assensum Majoris Ecclesiæ*, Cœnobiis, vel Ecclesiis Conventualibus, ad quas pertinet jus Patronatûs, liceat conferre *perpetuo vacantes Ecclesias baptismales?* rescribit, quæstionis solutionem intelligi ex epistola Leonis Papæ, in qua legitur: *ne quis Episcopus, de rebus Ecclesiæ, quidquam donare, vel vendere audeat, nisi fortè aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, & cum totius tractatu atque consensu id eligat Cleri, quòd non sit dubium Ecclesiæ profuturum.* Irrita enim Episcoprum donatio, venditio, & conventio rei Ecclesiasticæ erit, *absque conniventia, & subscriptione Clericorum; concessiones autem Ecclesiarum, ad alienationes non est dubium pertinere.* Ubi nota non videri satis,

tis, quòd alienatio sit *utilis Ecclesiæ*, sed requiri etiam quòd *meliora prosiciat*, ut clarum est ex ipso textu; & quidem, *indubitatò*.

884 Requiritur 4. cùm *in perpetuum* transferre vult, etiam consentiente Patrono, Ecclesias parochiales, earumque obventiones *in locum pium*; nam cùm Episcopus Helienſis ab Innocentio III. quæsivisset, an Episcopo liceat, sine authoritate summi Pontificis, vel saltem sine sui Capituli voluntate, Viris religiosis conferre obventiones alicujus parœcialis Ecclesiæ sustentatione Vicarii reservatâ? & cùm Lateranensis Concilii statuta prohibeant Ecclesiis novam imponi vel augere veterem pensionem, an Episcopus valeat religiosis, consentiente patrono, totam Ecclesiam, vel de novo conferre aliquam portionem? breviter respondit Pontifex, *quòd* (salvâ constitutione Canonicâ, de concedenda piis locis quinquagesima portione) *neque primum, neque secundum* potuit facere Episcopus (nisi de licentia Romani Pontificis) *præter Capituli sui voluntatem*. De aliis porrò casibus, in quibus Episcopi, & Prælati Ecclesiarum, pro certis usibus suæ jurisdictionis, indigeant *assensu sui Capituli*, partim ex dicendis colligi poterit.

885 Præter hæc not. 1. *Consilium* & *consensum* Capituli inter se differre; ad illud enim sufficit, *cum Capitulo consultare*, ac rationes, pro, & contra discutere, ac audire ejus super consultatis judicio; *Consensus* verò, importat Capituli voluntatem super actu, de quo consultatum est faciendo, vel omittendo; *consensus* enim propriè est actus, quo voluntas approbat sententiam tanquam sibi placentem, consultatione rationis judicatam. Not. 2. *consensum*, alium esse *expressum*; alium, *tacitum*; quo aliqui etiam intelligunt assensum *præsumptum*; qualis est, si alienatio fiat à Prælato, sciente, & tacente Capitulo. *c. 2. h. t.* & ideo etiam dicitur *conniventia*. Not. 3. in hoc casu sufficere assensum Capituli, *etiam tacitum*; imò, & subsecutam ratihabitionem, c. *Cùm nos. 3. h. t.* ibi: *certum est, de rigore juris concessionem illam non tenere, quam reclamante Capitulo, per prædecessorem tuum*, constat, *factam fuisse: nisi eam ratam postmodum habuisset*; qui tamen casus est singularis, nam aliàs, quòd jure nullum est ab initio, ipso jure ratificari non potest, ut scilicet valeat à tempore actûs nulliter gesti. Cœterùm cursu 30. annorum *consensus Capituli*, in alienatione rerum Ecclesiæ, præsumitur interveniſſe; Mascardus *de probat. concluſ. 416. num. 21.* Dicitur autem *consentire Capitulum*, quando consentit major pars, ut constabit ex tit. seq. & dictum est supra ex *c. 6. h. t. de quo num.* 882.

ARTICULUS II.

In quibus actibus Prælati Ecclesiarum indigeant consilio Capituli?

COmmunis doctrina est, quòd *consilium præcisè*, requiratur in illis actibus, in quibus non est magnum præjudicium Ecclesiæ; Sicut *assensus*, in rebus majoris momenti. Inter res *minoris momenti* est, instituere, destituere, confirmare, corrigere, aliaque negotia Ecclesiæ tractare, de quo Alexander III. ad Patriarcham Hierosolymitanum: novit, inquit, tuæ discretionis prudentia, qualiter tu, & fratres tui unum corpus sitis, ita, quod tu caput; & illi, membra esse probantur, unde non docet, reomissis membris, aliorum consilio in Ecclesiæ tuæ negotiis uti; cùm id non sit dubium, & honestati tuæ, & sanctorum Patrum institutionibus contraire; innoluit siquidem nobis, *quod tu sine consilio fratrum tuorum Canonicorum S. sequestri, Abbates, & Abbatissas, & alias Ecclesiasticas personas instituis, & destituis, ideoque id auctoritate Apostolicâ prohibemus*; & infra; *nos enim tales institutiones, & destitutiones, carere decernimus robore firmitatis*; sic Alexander. 886

Deinde in c. *Quarto. 5. eod.* sic loquitur: Fraternitati tuæ mandamus, quatenus in concessionibus, & Confirmationibus, & aliis Ecclesiæ tuæ negotiis, *Fratres tuos requiras, & cum eorum consilio, vel sanioris partis eadem peragas, & pertractes*, &, quæ statuenda sunt, statuas; & errata corrigas, & evellanda dissipes, & evellas. *Absentium quoque fratrum nomina, inscribi non sinas: quia* 887

quia talia munimenta sunt irrita, & falsa; & tu exinde quæstionem falsi poteris merito formidare.

888 Ex istis juribus plures deducunt, actus à Prælato factos, *ne consilio Capituli*, carere firmitate ubi aliqui dicunt per ea verba (*firmitate carere decernimus*) denotari, privationem, & latam sententiam; sic Tiraquel. in L. *si unquam.* (*de revocand. donat.* V. *revertatur. num.* 161. *& alii, deinde not.* quosdam distinguere inter hæc: *de consilio, & cum consilio*; volentes primo satisfieri, *audito Capituli consilio*, esto non secuto; hoc est operatione illi non conformata: in secundo autem denotari celebrationem actûs pertinere *cumulativè* ad Episcopum, & Capitulum, sic Garcia *de benefic. p.* 5. *c.* 4. *à num.* 13.

889 Not. 2. quando dicitur, *actum carere firmitate, factum sine Consilio Capituli, ubi hoc de jure requiritur*, ad evadendam nullitatem sufficere, *si consilium Capituli audivit*, quin sequi sit necesse, nisi aliud habeat consuetudo legitima; nam, ut dicitur in c. *Non est* 5. *de consuetud. in* 6. *non est* (*dumtamen alias sit præscripta canonicè*) *consuetudo, quam allegat Episcopus, probanda, quod in inquirendis, puniendis, & corrigendis subditorum excessibus, consilium sui Capituli, requirere minimè teneatur, neque hoc repugnat honestati, quando adest in contrarium, rationabilis, & justa causa*, nec propterea, quod Prælatus Consilium Capituli non teneatur sequi, frustra hocauditur; quia, auditis Capituli rationibus, potest Prælatus maturius deliberare; & si suadeant, rationabiliter mentem mutare.

QVÆSTIO XI.

IN TIT. XI. DE HIS, QUÆ FIUNT A MAJORI PARTE CAPITVLI.

890 TRia hoc titulo exponenda sunt. 1. quid veniat hìc nomine *Capituli*? 2. quæ censeri debeat *major pars Capituli*? 3. qualiter intelligendum veniat, *factum à majori parte Capituli, censeri factum a Capitulo*? Procedit autem hic titulus de actis Capituli, quæ pertinent ad negotia, quæ propriè sunt solius Capituli, prout habentis jura distincta à juribus Prælati, qui præest tali Ecclesiæ, Collegio, Communitati, vel Universitati.

ARTICULUS I.

Quid hic veniat nomine Capituli?

891 COmmunis responsio est, *Capituli*, nomine, frequentissimè, ac propriissimè venire Collegium Canonicorum, seu ipsos congregatos, juxta c. *Capitulum, de Rescript.* Cœterùm accipitur pro Clericorum secularium, vel Regularium, qui cum suo superiore tanquam capite, constituunt unum corpus, seu communitatem cum jure tractandi negotia, quæ pertinent ad statum Ecclesiæ ipsorum; Canonici igitur, & Clerici, qui pertinent ad ejusmodi cœtum, Collegium, vel communitatem, dicuntur *Capitulares*, non tamen omnes, sed de jure communi *illi tantùm*, qui sunt *in sacris*, saltem subdiaconatu, prout habetur in Clement. *Ut ii.* 2. *de ætat. & qualit. ord. præficiend. & Trid. sess.* 22. *de Reform. c.* 4. ibi: *quicunque in Cathedrali, vel Collegiata, seculari, vel Regulari Ecclesia divinis mancipatus officiis, in Subdiaconatûs* ordine saltem, constitutus non sit, *vocem in hujusmodi Ecclesiis in Capitulo non habeat, etiamsi hoc sibi ab aliis liberè fuerit concessum.*

Hoc decretum Concilii procedit in 892
omnibus actibus, qui *capitulariter*, hoc est, *nomine Capituli* expediri debent; Garcia *p.* 3. *c.* 4. *num.* 25. Deinde quando quis *ratione Canoniæ* vocem habet; non autem, *si alio jure*, vel *privilegio*, sic Portel in dubiis Regular. V. *electio. n.* 6. Illa autem verba in textu, *vocem in ejusmodi Ecclesiis in Capitulo non habeat*, accipienda sunt de voce *activa*, quæ simpliciter & absolutè *vox* dicitur, non de *passiva*, sic Garcia *in addit. ad p.* 3. *c.* 4. *n.* 15. His addunt aliqui, quòd, ut Archidiaconus

conus, ad quem de consuetudine Ecclesiæ spectat (absente Decano) *convocare Capitulum*, in eo proponere, ac resolutiones recipere valeat, vi hujus, actûs non indigeat, quòd sit in sacris; nam iste est actus jurisdictionis, competens Archidiacono, etiam non constituto in sacris, nec ad Decanum spectat *ratione ordinis*, sed *antiquitatis*, & *superioritatis*; sic Garcia *p.* 3. *c.* 4. *num.* 26.

893 Præter hæc not. 1. in quæstione, an, *Capituli appellatione*, etiam veniat *Prælatus*? P. Azor. *tom.* 2. *l.* 3. *c.* 37. *q.* 2. & 3. negare, de *Episcopo*; affirmare, de Decano, Priore, vel Præposito: Barbos. verò, *de appell.* V. *App.* 37. (quamvis ex Emmanuele Rodriq. *quæst. Regul. tom.* 3. *q.* 51. *a.* 8. dicat, *Capituli appellatione*, in quadam largissima significatione, includi *Prælatum*, saltem *in favorabilibus*) negat cum variis communiter, *illum comprehendi.*

894 *Prælatus* autem, ut ex Panormitano affert Tamburinus *tom.* 1. *D.* 1. *q.* 1. *n.* 7. dicitur, quasi *præ aliis dilatus*, vel *ante latus*; quasi ante alios positus. Consonat vox *Antistes*: est enim *sacerdos*, sic dictus, eò, quòd *ante stat*, c. *Cleros* 21. *dist.* communiter sumitur pro Episcopo juxta *Gloss. in Clement. dudum de sentent.* Non absimilis vox *Præsul* à *præsilio* (quod est *ante salio*) erat enim apud veteres primus inter *Salios Martis sacerdotes.*

895 Not. 2. inter Prælatos alios esse Regulares; quales Abbates, Præsidentes, Reformatores, Magistri Ordinis, Ministri, Provinciales, Commissarii visitatores, Priores, Præpositi, Majores, Quardiani, Custodes; alios seculares; quales Priores, Præpositi, Decani, Archidiaconi, Archipresbyteri, & similes. *Prælatorum* appellatione *propriè* veniunt non solùm Episcopi, & Episcopo superiores; Sed etiam alii inferiores Prælati, jurisdictionem ordinariam habentes, c. *Romano. §. Archidiaconis. de Appellat. in* 6. Rebuffus *tract. de pacificis possess. num.* 64. & Pureo *decis.* 238. *n.* 3. Quòd *Prælatorum* appellatione veniant *Abbates*, docet Suarez *de relig. tom.* 4. *tract.* 8. *l.* 2. *c.* 2. *n.* 23. Quòd veniant Abbates *Commendatarii*, maximè perpetui, tenent Ludovicus Gomez *in reg. de triennali q.* 5. *n.* 17. & Fusius *de visit. l.* 2. *c.* 9. *de Commend. n.* 5. venit etiam Prælatus immediatus. Unde si debeat dari licentia studendi alicui Monacho *à suo Prælato*, intelligitur *de immediato*, ut dicit Feder. *de Senis, cons.* 145. *n.* 6. & sic de similibus, nisi stet in oppositum consuetudo, vel constitutio, ut notat Calder. *consil.* 388. *alias* 3. *de Reg.* idem procedit teste Sanchez *l.* 6. *Decal. c.* 7. *à n.* 59.

Not. 3. minus propriè, & valde fusâ si- 896
gnificatione, *Prælatorum nomine* venire illos, qui in Ecclesia habent prærogativam, & honorificum gradum *sine jurisdictione*, quales Decani, *Plebani*, *Archipresbyteri*, & similes; sic *Gloss.* V. *Prælatum in Clem. de elect.* & Prælati appellatione non venire *Capitulum*, ut tenet Natta, *cons.* 41. *num.* 4.

Not. 4. *Portionarios*, & similes Clericos in aliqua Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata, non esse *membra*, seu partes *Capituli*, licet iisdem Ecclesiis deserviant, intellige *jure communi*, jure enim speciali, privilegio, vel præscriptione oppositum obtineri potest. Hæc tamen omnia intelligenda sunt de negotiis Collegialiter, seu Capitulariter expediendis, nimirum *nomine totius*; non *singulorum.*

ARTICULUS II.

Quæ censeri debeat major pars Capituli?

MAjor *pars* alicujus communitatis 897
potest dupliciter dici; primò *major materialiter*, seu *numero præcisè*; 2. major *legaliter*, seu *Canonicè*, nimirum *juxta majoritatem*, *acceptam ex mente legum*, vel *sacrorum Canonum*; sic in electionibus, ubi sunt 12. Electores v. g. si unus habeat vota 5. alius 4. tertius 3. qui habet 5. habet *majorem partem* votorum, sed *tantùm materialiter*, & respectivè ad alios duos habentes pauciora vota; non tamen habet majorem partem *legaliter*, seu canonicè, nimirum majorem partem, quæ talis sit absolutè, ex numero Electorum præsentium, prout jure exigitur, secùs est, si ex 12. præsentibus haberet 7. vel 8. illorum vota, tunc enim haberet majora *legaliter*, quantum est spectato numero votorum. Et quoniam *major pars* dici potest 1. quæ innititur majori rationi, ut dicitur c. *Multis dist.* 17. (ubi habetur, *ad majorem Sedem recurrendum esse, si in subortis quæstionibus, inter ipsius Provinciæ*

Episcopos, non convenerit, & discrepare cæpit ratio) ergo ubi *major ratio*, huic deferendum erit, ut statuit Pelagius Papa II. dict. c. *Author*) 2. major *quoad Zelum*, 3. major *quoad nimirum*: dubitari potest, an, quando in sacris Canonibus dicitur, in universitatibus Ecclesiasticis prævalere regulariter, *quod fit à majori parte*, intelligi debeat de majori præcisè quoad numerum? vel majori quoad rationem, & Zelum? quæ communiter dici solet *pars Sanior*. 2. quando in regula, vel constitutionibus alicujus Ordinis dicitur, *ut censeatur electus* v.g. *qui habet majorem partem*, debeat intelligi *de majori legaliter*, vel sufficiat *major materialiter*?

898 Quid dicendum in materia Electionis? exposuimus *l.* 1. *tit.* 6. in c. *Quia propter.* 42. ubi dicitur, ut is, collatione habitâ, eligatur (electione nimirum communi) in quem omnes, vel major, & sanior pars Capituli consentit, ex quo fit in ejusmodi electionibus *majorem præcisè numerum*, non esse *majorem partem Capituli*, sumptam *legaliter*; quamvis communiter, ubi est major numerus *materialiter*, plerumque etiam præsumatur major *legaliter*, seu pars sanior, nisi de oppositò constet. Licet enim multi dixerint, majorem partem eam esse, quæ pluribus abundat suffragiis, cùm major pars accedit, & concurrit in unam sententiam, c. *ult. h. t.* c. *quia super. de elect.* (exemplo *Decurionum*. L. *Nominationum. C. de Decur. l.* 10.) alii verò majorem partem agnoscant, non ex numero personarum, sed ex justiori, & saniori parte (quod æstimandum non est ab his, qui suffragium dant; sed à Superiore, causæ cognitionem habente c. *Ecclesia de elect.* c. *Concertationi de appellat. in* 6.) quia tamen perdifficile est, hoc modo agnoscere, quæ sit *Sanior*, & per consequens *major pars*, habitâ ratione *Zeli, ad Zelum*, & *justitiæ ad justitiam*, ideo regulariter major pars dicitur, quæ pluribus abundat suffragiis, sententiæque *numerantur*, non *ponderantur*, c. *fin. h. t.*

899 Ut autem major pars agnoscatur, singulorumque vota regulentur, tantùm præsentes attenduntur: quare dum negotium tractatur in Capitulo ad minus duæ partes adesse debent. L. *multi*, L. *planè. ff. quod cujusque univers.* non quia exigatur, *ut duæ partes idem decernant*, sed, *ut in decernendo adsint duæ partes, quæ faciunt Capitulum*, & Concilium publicum, L. *Nominationes. C. de appell.* ubi nota in L. *multi*, aliter sumi *Capitulum*; aliter in L. *Nominationes*: ibi enim accipitur *pro illo loco*, in quo conveniunt Clausirales, quo nomine etiam ipsa congregatio Clausiralium, seu Canonicorum dicitur Capitulum; in priori sensu accipitur in Clem. *ne in agro, de statu Monach. Concilio Aquisgran. can.* 69. ibi: *mos inolevit, ut per monasteria, Deo devota, legatur lectio in Capitulo, & can.* 70. ibi: *ut ad Capitulum lectio tradatur*; in secundo autem (sicut & in hoc, & priori titulo) accipitur *pro ipsa Congregatione*, seu Canonicorum Collegio, quorum caput est Prælatus, & ipsi membra c. *Novit. h. t.* Sodales igitur, seu socii ejusdem Collegiis (L. *ult. ff. de Collegiis*) non tamen omnes Clerici unius Ecclesiæ, faciunt *Capitulum*, c. *Dilecta. de exeess. Prælat.* Sed tantùm ii, quibus Ecclesiæ legibus concessum est ad exemplum Collegiorum Secularium, quibus id Constitutionibus, & principum rescriptis conceditur, quique communem habent actorem, seu Syndicum, *& arcam. L.* 1. *ff. quod cujusque univers.* c. *Significavit. de appellat. dict.* c. *Dilecta.*

Quoniam verò quandoque, in electio- 900
nibus, aliqua religio in legibus suis habet (prout constat ex regulis sacrarum Virginum sub patrocinio S. Ursulæ) quòd, *ut electa prodeat*, sufficiat *major numerus*, seu *major pars*, dubitatum fuit, qualiter hìc *major pars* accipiendâ sit? an, quòd sufficiat præcisè *major materialiter*, & *solo numero*? an major *legaliter*? Dicendum autem videbatur in electionibus *monialium*, non sufficere *majorem respectivè*, nec etiam majorem partem *legaliter*, in quantum explicat *majorem partem absolutè ex præsentibus*, esto hæc jure communi sufficiat *in electionibus virorum*, ratio sumitur ex c. *Indemnitatibus.* 43. *de elect. in* 6. *§. sanè.* ubi expresè agitur de electionibus *Monialium*, & statuitur electionem *esse confirmandam, quæ, votis in diversa divisis, à duabus partibus numero, fuerit celebrata.* Hinc, cùm Paulus V. in Constitutione sua, institutum Ursulinarum confirmante, expresè dicat (ut notavimus *l.* 1. *tit.* 6.) *electiones, quæ ab illis*

illis fiunt, semper celebrandas esse juxta Constitutiones Apostolicas; de electionibus mulierum; hæ autem, pro electione *confirmanda*, exigant *duas partes consentientes* major pars, *accepta legaliter*, non erit *major præcisè numerus in unam consentientium*; sed *duæ partes ex tribus* seu *duæ tertiæ*, in quas dividitur tota communitas electricum. In aliis porrò dispositionibus Capituli, extra materiam electionis, in Concilio lateranensi (ut habetur *c.* 1. *h.t.*) ubi agitur de quæstione, qualiter acta *majoris partis de Capitulo* prævaleat minori? expressè sermo est, *de voluntate plurium*, & saniorum fratrum, prout exponemus in seq.

ARTICULUS III.

Qualiter intelligendum veniat, factum à majori parte Capituli, censeri factum à toto?

901 DE hoc Concilii Lateranensis, ut notavimus, constitutio sic loquitur: *cum in cunctis Ecclesiis, quod pluribus, & fratribus visum fuerit, incunctanter debeat observari*, grave nimis est, & reprehensione dignissimum, quòd per quasdam Ecclesias *pauci quandoque*, non tam de ratione, quàm propria voluntate, ad ordinationem Ecclesiasticam *procedere non permittunt*. Quocirca, præsenti decreto statuimus, *ut, à paucioribus, & inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit, & ostensum* (appellatione remotâ) *prævaleat semper, & suum consequatur effectum, quod à majori, & Saniore parte Capituli fuerit Constitutum*; non constitutionem nostram impediat, si fortè aliquis ad conservandam Ecclesiæ suæ consuetudinem, se juramento dicat adstrictum; nec enim juramenta, sed potius perjuria sunt dicenda, quæ contra utilitatem Ecclesiæ, & sanctorum Patrum veniunt instituta; *si quis autem hujusmodi consuetudines*, quæ nec ratione juvantur, nec sacris congruunt institutis, juvare præsumpserit (donec dignam egerit pœnitentiam) *à perceptione sit domini corporis alienus.*

902 Deinde in simili materia Innocentius III. prout habetur c. *fin. eod.* sic loquitur: ex parte tua nobis fuit, Frater Archiepiscope, intimatū, quòd ad restaurandam fabricam Rothomagensis Ecclesiæ *tractatum communiter habuistis*, te postulante, *ut quilibet Canonicorum tecum pariter aliquam suorum redituum portionem, operi tam pio, & necessario, deputaret*; statuimus, ut, *si quis vestrùm tuis, Frater Archiepiscope, & majoris, & Sanioris partis Capituli statutis*, super hoc duxerit resistendum, *obtineat sententia plurimorum.*

Ex his juribus deducitur, sufficienter ve- 903
rificari faciendum, quod consenserit Capitulum, (*esto non consenserint omnes*) sed solùm *major, & Sanior pars Capituli, per c.* 1. *h.t.* ibi: *prævaleat semper, & suum consequatur effectum, quòd à majori, & saniore parte Capituli fuerit constitutum*; hoc tamen intellige, nisi aliud habeat locale statutum, consuetudo legitima, seu alia specialis constitutio requirens v.g. *plura media tate* (quo casu sufficiunt 13. ex 24.) vel expressè, ex tribus *duas partes*, quo casu non sufficiunt 14. ex 24. quamvis sufficerent, si requireretur tantùm *major absolutè ex præsentibus de Capitulo.* Si autem quæras, quid dicendū in eo casu de consensu *minoris partis*? R. quòd tali casu *nihil operetur*; cùm decisio sit penes Saniores, & majores. Si autem minor pars, vel etiam unus contradicat *ex causa rationabili*, conclusionem majoris, & Sanioris partis impediri. *cit. c.* 1. *h.t.* Nec obstat, quòd pro majori parte *stet præsumptio juris*; quia non est *juris de jure*, ut probationem in contrarium excludat.

Ut autem ritè habeatur consensus Capi- 904
tuli, duo requiruntur, 1. quòd omnes, qui de collegio sunt, sint vocati. 2. quòd consentiat Sanior simul, & major pars, ut unū sine altero non sufficiat. *c.* 1. *h.t.* spectato tamenten jure communi, ordinariè, ac generatim loquendo ad tractatus, vel alios actus Collegii, aut universitatis, non necessariò vocandi, vel exspectandi sunt absentes; Glossa communiter recepta *in c.* 2. *de testib. in* 6. V. *Ipsorum.* Excipe tamen 1. electionem Prælati. *c.* 24. *de Elect.* 2. negotia ardua, & magni momenti; cùm non est periculum in mora. Abbas *in c.* 1. *h.t. n.* 15. 3. Si quid statuendū esset in singulare præjudicium absentium; *Glossa in cit. c.* 1. V. *Constitutum.* 4. nisi contrarium exigat consuetudo legitimè præscripta. *arg. c. fin. de consuet.*

Illud etiam hìc quæri potest, an quilibet 905

de Capitulo, ei, quod cœteroquin major, & sanior pars concluſit, contradicere poſſit? R. quòd ſic, ſi viderit, rem à majori parte concluſam, vergere in damnum Eccleſiæ; ne ſcilicet tacendo videatur illud approbare, & de alieno peccato participare. L. *de ætate. §. qui tacuit. ff. de interrog. in jure faciend.* ſi tamen, quod opponit, non ritè probaverit, imponitur ei ſilentium, &, quod major pars ſtatuit, habet executionem per c. *Ex ore. 3. h. t.* Quamvis autem hic textus in c. *Ex ore*, per rubricam ſic exprimatur, *quòd communis ordinatio Eccleſiæ, per contradictionem, & appellationem ejus, cujus non intereſt, impediri non debeat*; videtur tamen non congrue textui; nam contradictor in hoc caſu fuit Benignus, cujus parens impetrarât literas Apoſtolicas, pro Præpoſitura Auguſtana ipſi conferenda; erat Canonicus Auguſtanus, qui jus habeat in electione Præpoſiti non minùs, quàm reliqui Canonici, & utique illius intererat, ne per electionem alterius Præpoſiti, gratia ſibi à Pontifice facta, interverteretur. Videtur tamen rectius ita ſummari, ut ſenſus ſit, *ſententiam, ſive factum totius Capituli, vel majoris partis, non impediri, per contradictionem, ſive reclamationem unius, rationabilem cauſam non habentis*, qualem non habebat iſte Benignus, utpote, cujus inveſtitura erat Caſſata per Cœleſtinũ, (poſtquam fortè intellexit, Præpoſituram Auguſtanam eſſe *electivam*) & qui per reverentiam Præpoſito electo factam, cenſebatur juri ſuo renuntiâſſe, de qua tacita renuntiatione. V. Rebuff. *in tr. de nominat. q. 1. num. 9.*

QVÆSTIO XII.

IN TIT. XII. UT ECCLESIASTICA BENEFICIA SINO DIMINUTIONE CONFERANTUR.

906 HIc titulus conſtat c. *unico*, & quamvis Rubrica tituli, tanquam ſumma in *nigro*, ſeu *textu* contentorum diceat (in eo ſtatui, *beneficia Eccleſiaſtica integrè, ac ſine diminutione conferenda eſſe*) videri tamen poſſet, nigrum rubro non multum correſpondere, ut patebit legenti totum c. *unicum*; & notat Wagnerek in Exegeſi ad dict. c. retinenda tamen eſt ſumma, & ſufficienter probari poteſt, concordare cum nigro, ut oſtendemus in ſeqq.

ARTICULUS I.

An Collatores beneficiorum Eccleſiaſticorum teneantur beneficia conferre ſine diminutione?

907 HOc eſt, non reſervando ſibi, vel alteri fructus eorum; non imponendo penſiones; non dividendo illa, vel ſupprimendo, aut aliis uniendas? &c. procedit autem quæſtio non tantùm de *Collatoribus* ſtrictè (qui ſcilicet habent liberam collationem) ſed etiam iis, qui præſentant, vel inſtituunt, vel aliam quamlibet proviſionem, ſeu modum, per quem providetur de beneficio, ut notat Rebuffus *in praxi benefic. de forma vicariat. a n. 49. & tit. diſpenſat. ætatis.* V. *Conferantur.* Garcia *de benefic. p. 1. c. 6. num. 32.*

Reſolutio hujus quæſtionis videtur colligi poſſe ex dict. c. *unico, h. t.* nam, cùm 908
Archiepiſcopus Mediolanenſis tandem faſſus eſſet, quòd Cancellariam contuliſſet (eſto prius negâſſet) *retentis ſibi fructibus*, de hoc Pontifex (nominans hoc *inhoneſtatem facti*) ſic loquitur: *omnibus ergo auditis, te in tribus comperimus fuiſſe culpabilem*; ac enumeratis prioribus binis (nimirum *contrarietate reſponſi*, & *carnalitate animi*) ſubjungit: *& circa inhoneſtatem facti*, nempe *collationem, retentis fructibus*: quia *non licuit eâ pactione, vel conventione quacunque, ſub modo, vel tenore præſcripto concedere nudum officium, & tibi retinere proventus: cum in Lateranenſ. Concil. prohibitum ſit, ne quis conferendo Eccleſiaſticum beneficium, partem proventuum ſuis uſibus retinere præſumat*; *& alibi cautum reperiatur in Canone, quòd Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione debeant conferri.* Unde credimus diſtinguendum,

endum, (subjungit Pontifex) utrum, qui dat spirituale beneficium, proventus *ante donationem percipiat*? nam, si proventus ante donationem, non perceperit ipse, sed alius, & ex donatione consequatur, ut ipse proventus percipiat, non est dubium, circa hæc intercedere simoniacam pravitatem: si verò ante donationem perceperit ipse proventus? credimus distinguendum, utrum ante donationem constituat, ut ipsi proventus retineantur, ad tempus pro causa justa, & necessaria? aut conveniat cum eo, qui accepit beneficium, seu cum mediatore quocunque, ut officio illo concesso retineat ipse sibi proventus? primum enim membrum credimus esse licitum; secundum autem dicimus, non licere, ne viam aperiamus his, qui pravitatem suam satagunt palliare.

909 Ex hac enim resolutione Pontificia, Rubricam tituli (quòd beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferenda sint) & nigrum, Provisoribus beneficiorum, sive per collationem, sive per præsentationem, & institutionem, sive per electionem, & confirmationem, aut alium quemcunque modum providendi, non liceat, *ex qualibet causa*, beneficiorum fructus sibi, aut aliis reservare; quamvis, ut constat ex textu relato quandoque fieri possit ex justa, & necessaria causa ad tempus (prout in seqq. exponetur) posse concilliari.

ARTICULUS II.

An Collator beneficii vacantis, ex causa æris alieni, ad tempus licitè reservet ejus fructus?

910 *Collator* hic sumendus est latè, ut monuimus n. priori, nimirum pro quolibet exercente modum aliquem provisionis, præsentando, instituendo, transferendo, liberè conferendo, &c. Deinde, quæstio distinguenda est, an ea reservatio fructuum ex causa æris alieni persolvendi nascatur ex debitis contractis *in bonum Ecclesiæ*, vel beneficii? an in privatum ipsius *Collatoris*? *Prosolut. not. in Clement. si una. 2. de rebus Ecclesiæ non alienand. a Clemente* V. in Concilio Viennensi, constitutum esse, *ut, si Episcopus (sui etiam Capituli accedente consensu) mensæ suæ, vel ipsi Capitulo, aliquam duxerit Ecclesiam uniendam, hoc irritum sit, & inane, contrariâ quavis consuetudine non obstante.*

Huic accedit decretum Tridentini *sess.* 911
24. *de reform. c.* 14. quòd sic habet: in pluribus Ecclesiis, tam Cathedralibus, quàm Collegiatis, & Parochialibus, *ex earum constitutionibus, aut ex prava consuetudine observari intelligitur*, ut in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicujus cathedralis Ecclesiæ, vel beneficii, Canonicatuum, aut præbendarum, *vel partem proventuum*, seu *ad distributiones quotidianas certæ conditiones, seu deductiones, ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve, illicitæ, aut etiam, quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntur* Turnorum lucra, *interponantur*: hæc, *cùm sancta Synodus detestetur*, mandat *Episcopis*, ut *quæcunque hujusmodi in usus pios non convertuntur, atque ingressûs eos, qui Simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant, ipsique diligenter de eorum constituentibus, sive consuetudinibus, super prædictis cognoscant, & illis tantum (quas, ut laudabiles probaverint) exceptis, reliquas ut pravas, ac scandalosas rejiciant, & aboleant.*

Ex dictis juribus deducitur 1. Episcopis, 912
& beneficiorum Collatoribus ex causa justa, & necessaria licere ad tempus reservare fructus beneficiorum, si eos ante beneficii donationem perceperunt; non autem si cum eo, qui accepit beneficium, ut ipse (nimirum collator) officio illo concesso, eos retineat, ut constat ex dict. c. *unic. h. t.* ubi *primum*, dicitur licitum; *secundum* autem, pravitatis pallium, ut constat ex textu supra in *num.* 909.

Deducitur 2. etiam in primo casu retentionem fructuum non licere ad *quoscunque* fines, nisi *in pios usus convertantur*, ut ait Trid. qualis esset, si Ecclesia foret obærata, nec à debitis aliter liberari possit, primum enim præstaret causam esse *justam*; alterum, *necessariam.*

Deducitur 3. retentionem fructuum, 913
factam in provisionibus beneficiorum, qui in pios usus non convertuntur, vel simoniacæ labis, vel sordidæ avaritiæ suspicionem habere, adeoque ab Episcopis non permittendam; minùs ab ipsismet exercendam; cùm eam sancta Synodus Tridentina, tanquam vitiosam omnino detestetur, ut patet ex textu in *n.* 910. *& seq.*

Deducitur 4. probabilius esse, dictas fructuum reservationes, in collationibus beneficiorum, cessante justâ, & necessariâ causâ, ad pios usus pertinente, spectato jure communi, non posse licitè fieri sine privilegio, vel licentia Papæ; ratio sumitur ex Rubrica hujus tituli; quia salaria constituta Ecclesiæ Ministris, integrè sunt persolvenda. Deinde *Clement. 2. de reb. Eccles.* Episcopus unam Ecclesiam, etiam cum consensu Capituli, non potest mensæ suæ, vel Capitulari, unire perpetuò; quia Episcopus authoritatem præstaret in proprio facto, seu in proprium commodum. *Gloss. ibid.* V. *mensæ suæ*, sed hæc ratio locum habet etiam in unione temporali, vel fructuum reservatione ad tempus. Non prohibetur tamen Episcopo, quò minus cum Capitulo statuat, ut reditus, vel eorum pars beneficiorum vacantium ad tempus reserventur in utilitatem Ecclesiæ Cathedralis, v. g. pro fabrica, vel solvendis debitis, Ecclesiæ nomine contractis, ut dicitur *in Clement. de reb. Eccles. non alien.* non tamen mensæ suæ, ut habetur *in cit. Clement. 2. num.* 910.

914 Deducitur 5. posse etiam Episcopum, cum Capitulo, statuere, ut certa pars fructuum primi anni, ex beneficiis in sua diœcesi vacantibus, applicetur ad fabricam Ecclesiæ Cathedralis, si necessitas exigat; quia sic non præstat authoritatem in facto proprio, sicut fieret, si eam applicaret mensæ suæ, vel Capitulari, ita Layman *in c. 2. de rescript. in 6.* Quod tamen intelligendum, *non neglecto ministerio debito Ecclesiæ*, cujus fructus ad dictum finem reservantur; consequenter constituto Clerico, ei Ecclesiæ ministrandi, ex ejus reditibus justo stipendio, & sustentatione, quo fit, non posse reservari *integros* talis beneficii reditus, saltem spectato jure communi.

Cœterùm consuetudo *rationabilis*, vel statutum *laudabile*, admitti potest, per quod aliquid exigitur ab obtinentibus beneficium, & quotidianas distributiones, quod non in ipsorum exigentium utilitatem, sed Ecclesiæ, aliosque pios usus pios convertatur, modò non pro ingressu ipso, & admissione, sed ad alium finem exigatur, sic Felinus in c. *Cùm M. de constitut.* Abbas in c. *Jacobus. de simon. num.* 3. & *patet cit. decreto Trid.* ibi: *illis tantùm, quas ut laudabiles probaverint, exceptis*, tales porrò non debent censeri consuetudines, quæ sunt pro instauratione vel reparatione bonorum, *mensæ Capitularis*, cederent enim in utilitatem singulorum, resolvit Garcia *p.* 8. *c.* 1. *num.* 90. Minùs illæ numerari inter *laudabiles* poterunt, quas specificè exprimit Tridentinum in decreto relato *num.* 911.

Eam tamen consuetudinem de serviendo per annum, vel aliquod tempus, & nihil percipiendo interim de massâ glossa, nisi peracto integro dicto servitio, vel quod post obitum hæredibus debeatur, cùm sit potius differre, quàm auferre, non comprehendi hoc Tridentini decreto, refert decisum Garcia *p.* 11. *c.* 15. *num.* 138. nec etiam illam, ut duobus primis annis (quibus quis fuerit Canonicus) fructus Canonici sint hæredum antecessoris sic Garcia *cit. num.* 138. & *ex illo Barbosa in Trident. cit. a n.* 3. si fundetur in pio, vel justo titulo. 915

Dixi autem superius *n.* 913. *spectato jure communi*, nam in quibusdam Ecclesiis Germaniæ, adhuc hodie consuetudo viget, ut annatæ, seu primi fructus, aut potius moderata eorum pars reservetur Episcopo ad ejus proventus augendos, teste Layman. *l.* 4. *tr.* 10. *c. ult.* §. 5. *n.* 46. addente, non satis constare, an *in Trid. sess.* 24. *de reform. c.* 14. ea reservatio simpliciter prohibeatur? an verò solùm, ne simoniacè recipiantur? quasi *pro ipsa collatione*, vel *institutione*, si enim fundantur in receptione pro collatione, vel institutione, dubium non est, talem consuetudinem omnino irritam esse, si in vitio avaritiæ? reprobatam à Trid.

His adde, quòd, si Episcopus mutuum accepit *in utilitatem suæ Ecclesiæ, & is, eo non soluto, obiit*, successor in Episcopatu conveniri posse, super eo, & ad solutionem Creditoribus præstandam teneatur c. *Dilecti* 17. de foro competente, sic Pirhing *eod. num.* 45.

ARTICULUS III.

Qualiter pensionibus beneficia gravari possint à Collatoribus?

NOn est dubium, impositione pensionum diminui reditus beneficii, cæteroquin competentes beneficiario, cui pro-

propter officium datur beneficium, quia tamen quandoque justa causa intervenire potest, propter quam in alicujus beneficio constitui potest pensio; non rarò etiam injusta, & planè simoniaca: plures in hac materia dubitationes proponi possunt, an, & quando ejusmodi beneficiorum diminutio, pensionum impositione, validè ac licitè fieri possint?

§. 1.

De pensionibus in genere.

916 QUæstio prima est, quid, & quotuplex sit pensio? Ad 1. ℟. quòd apud Lessium *l.* 2. *c.* 34. *num.* 301. sic definiatur: est *jus percipiendi fructus ex alieno beneficio.* Dicitur: *ex alieno*; quia nemo dicitur ex suo beneficio habere pensionem, sicut nec usumfructum ex bonis propriis. Apud Azorium *p.* 2. *lib.* 8. *c.* 5. *q.* 1. sic definitur: *est certa portio ex aliquo beneficio Ecclesiastico, justa de causa ad tempus detracta, & separata.* Per particulam (*ad tempus*) distinguitur à *portione*, quam habent portionarii, de quibus egimus proximè *n.* 262. Nam hujusmodi *portio* est perpetua; &, cùm aliunde sit propter officium spirituale, nec habeat curam animarum, nec jurisdictionem, nec dignitatem, est verè beneficium simplex.

917 Ad 2. ℟. pensionem esse triplicem, temporalem, spiritualem, & mediam. *Temporalis* (alio nomine *laica*) est, quæ datur propter aliquod ministerium temporale, v. g. viro illustri, ut Ecclesiam defendat; Oeconomo, ut negotia Ecclesiæ agat, vel cuilibet ob operam Ecclesiæ navatam, vel navandam; *spiritualis* est, quæ fundatur in titulo merè spirituali, & datur v. g. Concionatori, vel adjutori Episcopi, aut Parochi: *Media* est, quæ fundatur in solo statu spirituali, non tamen in officio spirituali præstando, & datur v. g. Clerico pauperi, vel Parocho seni, ut se sustentet: item, quæ datur causa resignationis, vel litis componendæ; tam spiritualis, quàm media, pensio Ecclesiastica dicitur, Pensionarius, autem, ut simitur ex Lessio *de benefic. n.* 208. est ille, cui solvitur pensio, sicut donatarius ille, cui fit donatis.

918 Quæstio altera est, an pensio sit beneficium Ecclesiasticum propriè dictum? de pensione laica negativa certa est; sed nec pensionem Ecclesiasticam esse beneficium, *propriè Ecclesiasticum*, rectè tradit Castropalaus *tom.* 2. *p.* 11. §. 1. *n.* 4. nec etiam venire *illius appellatione*, quia per mortem pensionarii extinguitur: quod tamen limitat Pyrrhus Corradus in praxi Dispens. Apostolic. *l.* 6. *c.* 2. *n.* 8. volens, illam (in *favorabilibus*) venire *beneficii appellatione*, saltem *latè* sumpti.

Quæstio 3. est, an habens pensionem sustentandæ vitæ sufficientem, ad ejus titulum *in sacris* promoveri possit? ℟. quòd sic, si perpetua sit, nam ad hoc sufficit jus alicui ad dies vitæ constitutum percipiendi reditus sufficientes ad decentem, & congruam sustentationem, & ideo etiam carens patrimonio, sed habens ex mera donatione tantum, quantum sat est ad honestam sustentationem (si Episcopus judicarit esse necessariam, vel utile suis Ecclesiis) ordinari potest in sacris, *ex declarat. Congreg. Card. pro dub. Trid.* apud Azor *p.* 2. *l.* 3. *c.* 4. *q.* 1. 919

Quæstio est 4. an, *sine consensu Episcopi*, pensio, ad quam quis in sacris ordinatus est, possit renuntiari? Negativam tenent aliqui; sed dicendum, posse, si aliunde obtineat, unde decenter, & commodè, ordinatus vivere possit; sic Doctores communiter in c. *Tuis de præbend. in* 6. *& constat ex Trid. sess.* 21. *c.* 2. ubi communiter sermo est de alienatione *patrimoniis*, ad cujus titulum quis ordinatus est; & ita etiam de pensione censet P. Ladislaus Sennyli, in Examine quadripartito Ordinandorum. *p.* 2. *c.* 1. *n.* 30. ubi quærit, an patrimonium, vel pensio (ad quam quis ordinatus est) possit alienari? respondet, nec alienari, nec extingui, nec remitti, nec resignari posse, *sine Episcopi licentia*, hancque non dandam; *nisi constet, posse Clericum aliunde decenter, & perpetuò sustentari.* Si dicas, ergo etiam is, qui v. g. habet *titulum mensæ* ab aliquo, & ad illum ordinatus, obtinuit beneficium in titulum, licitè potest, sine consensu Episcopi, illi titulo mensæ renuntiare: ℟. posse, juxta datam limitationem; quia decretum Tridentini, alienationem prohibens, solùm loquitur: *donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens obtineat, vel aliunde habeat sufficientem sustentationem.* 920

Quæstio est. 5. an, habens pensionem perpetuam, debeat *ejus facere mentionem* 921

nem in supplicatione pro beneficio impetrando? ℟. quòd sic; si beneficium velit impetrare per rescriptum *Justitiæ*; non, *gratiæ*; sic Azor *p. 2. l. 3. c. 1. q. 4. Rescriptum*, seu *literæ justitiæ vocantur*, quibus conceditur Clerico beneficium *intuitu indigentiæ*; & ideo dicuntur dari *in forma communi*; quando autem Pontifex dat *liberaliter*, & non intuitu paupertatis, seu indigentiæ, dicuntur *literæ gratiæ*, & dantur *in forma speciali*, Abbas c. *postulâsti, de rescript.* Ratio est, nam nec habens patrimonium cogitur illud exprimere ad impetrandum rescriptum *gratiæ* à summo Pontifice, ut tradit Azor cit.

922 Quæstio est 6. an pensio, quam quis, cum consensu Papæ renuntians suo beneficio, sibi reservat in eodem, sit propriè beneficium Ecclesiasticum? ℟. quòd non; quia morte pensionarii non vacat, sed extinguitur; Sic Azor *cit. p. 2. l. 3. c. 5. q. 1.* Deinde *pensio* in jure distinguitur à beneficiis c. *quamvis. de præbend. in* 6. ibi: *non in pensione, sed in beneficiis Ecclesiasticis volumus providere.* 2. quia non est jus perpetuum percipiendi reditus Ecclesiasticos; nam finitur vitâ pensionarii, nec in ea datur talis successio, ut in beneficiis; nec datur propter spirituale officium, sed ob qualitatem personæ Clericalis; & obligatio ministerii non est ex institutione pensionis.

923 Dices 1. in c. *ad audientiam, de rescript.* dicitur, *recipientes ab eis annuas pensiones, seu alia beneficia*; pronomen autem *alia* est particula implicativa similitudinis; 2. *pensio* subrogatur beneficio; ut, cùm quis pensionem sibi constituit in beneficio resignato, subrogatum autem sapit naturam ejus, cui subrogatur, L. *si eum. §. injuriarum. ff.* si quis cautionibus; 3. quia pensio *spiritualis*, est jus percipiendi fructus Ecclesiæ ob ministerium spirituale: ergo. Ad 1. ℟. pronomen *alius* esse implicativum similium in casu, ubi materia subtrata non obstat; aliàs cùm dicitur de Christo: *cum eo crucifixi sunt alii duo latrones*, per hoc *alii* etiã implicaretur *Christus* sub verbo *latrones*. Ad 2. ℟. quòd subrogatum imitetur quidem naturam, *quoad effectum*; non autem, *quoad qualitatem id*, cui subrogatur; aliàs *patrimonium* esset *beneficium*, quia subrogatur beneficio in ordine ad titulum pro recipiendis ordinibus. Ad 3. Nego esse *de se jus perpetuum*, *ex num.* 450. nego etiam dari propter spirituale ministerium, ut ibidem notatum est.

§. 2.

Quis possit beneficiis imponere pensiones?

DE summo Pontifice non est dubium, 924
posse ex justa causa; cùm penes ipsum sit omnium beneficiorum Ecclesiasticorum administratio, *c. 2. de præbend. in* 6. *justa:* porrò *causa* imponendi beneficio *pensionem temporalem est*, si vel ipsi pensionario imponatur ministerium aliquod temporale, Ecclesiæ præstandum, vel ipse, aut majores ejus, vel consanguinei aliquod Ecclesiæ obsequium præstiterunt; pro concedenda verò *pensione Ecclesiastica*, duplex causa esse potest. 1. *lucrativa*, cùm conceditur Clerico, quia v. g. valdè piè vivit; quia in pauperes est valdè hospitalis; quia Ecclesiæ diu servivit: 2. *onerosa*, v. g. quia beneficium possessum resignavit; quia juri prætenso, & liti cessit; quia suum beneficium cum minori commutavit. &c. Porrò, quæ diximus de summo Pontifice, extenduntur, licet beneficia non sint libera, sed de jure Patronatûs Laici; nunquam tamen præsumitur id Papam voluisse sine consensu Patroni, nisi exprimatur; cùm Patronatus sit gratia in Laicis; secùs est in Patronatu Ecclesiastico; sic Castropal. *cit. num.* 7. & Doctores communiter in c. *Dilectus*, de Jure Patron.

Si Pontifex alicui, sine ulla legitima causa, ex sola sua libertate, pensionem constitueret, eum agere illicitè, & invalidè, docet Lessius *de just. l. 2. c. 34. n.* 204. & alii; quia non est Dominus beneficiorum: Castropalaus tamen *cit. tom. 2. tr. 13. D. 1. p. 11. §. 2. num.* 3. cum Sanchez *l. 7. in Decal. c. 29. n. 79.* probabilius putat, quòd ageret validè, sed illicitè. *Validè*; quia quoad substantiam non ageret contra mentem Christi, & Ecclesiæ, penes quem est rerum Ecclesiasticarum dominium, cùm non alienaret extra Ecclesiam; *illicitè* tamen, quoad modum, nimirum sine causa legitima.

Diffi-

925 Difficultas est de ordinariis beneficiorum Collatoribus, Papâ inferioribus, an beneficio vacanti pensiones imponere possint ? R. probabilius esse, quòd Episcopus, seu ordinarius, non possit pensionem imponere *beneficio* ; sed tantùm *Beneficiario*, exceptâ causâ pacis, & concordiæ; sic Castropalaus *cit. n.4. ex c. de cætero.* de transact. Et ratio est, quia beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferri debent, ut constat ex Rubrica h. t. Addit tamen Eisling. *in cit. tit. n.10.* in causis specialibus, ex justa, & necessaria causa, vel evidentem Ecclesiæ utilitatem concernente, posse Episcopum adhuc hodie imponere pensionem *beneficiis*, non in perpetuum; nec cum facultate transferendi ad alterum ; sed duraturam ad vitam gravati beneficiarii, cum quo, & pensio extinguatur; ita ille cum Tagnano in *c. nisi* de præbend. *n.28. & seq.* An autem Episcopus possit beneficio imponere pensionem duraturam ad vitam pensionarii, quæ transeat ad Successorem Beneficiati ? negat Sanchez *cit. n.99.* & Azor *cit. l.8. c.6. q.1.* affirmat verò Suarez *l.4.* de Simonia *c.51. n.18.* & Layman *lib.4. tract.2. c.18. n.31.* ambo suam opinionem probantes ex variis juribus ; sed sententia negans hoc evincit, quòd non possit *regulariter, & ordinariè* ; affirmans autem, quòd possit ex causâ justa, & necessaria, vel evidentem Ecclesiæ utilitatem concernente, idq; ubi causa non est personalis, absque consensu tamen Patroni præsertim Laici, Episcopus beneficiis Patronatis imponere non potest pensiones. Quia hoc est contra Jus Patroni, approbatum à Papa, cui derogare nequit inferior; Sic Rebuff. in praxi beneficiorum *p.3. num.28. & 48.* contra Lessium *l.2. c.34. n.207.* & Azor *l.8. c.8. q.2.* De reliquis huc pertinentibus agam infra.

926 Quæstio præterea est, quid in hoc possint Legati à latere ? Azor *cit. l.8 c.6. q.2.* censet, eos posse imponere pensiones illis beneficiis, quæ jure suo conferre possunt eo modo, quo Ordinarius : Nuntios autem, aliosque Legatos, quia per se non habent potestatem conferendi beneficia, nec posse illis imponere pensiones ; Sic Garcia *de benefic. 1.p. c.5. n.186.* si autem ejusmodi Legatis, vel Nuntiis conceditur facultas conferendi beneficia cum ipsa legatione, censet Garcia *cit. n.292.* posse tunc illis imponere pensiones, non autem si separatim à commissione legationis; quia ibi tum potestas est ordinaria; hîc solùm delegata; & ideo extenditur illa, non ista. Castropalaus tamen *cit. n 5.* probabilius putat, quòd in neutro casu possit ; quia *concedere beneficia*, & *imponere beneficiis pensiones*, diversa sunt, à diverso autem, ad diversum non fit extensio.

§. 3.

Quibus, & in qua quantitate, quando, & quibus beneficiis concedi, aut imponi possint pensiones ?

AD 1. R. jure novo Tridentini sess. 927
23. *de Reform. c.6.* nemini *ante annos pubertatis*, posse beneficium *Ecclesiasticum* concedi, licet sit initiatus primâ tonsurâ, aut etiam in minoribus constitutus; pensionem autem Ecclesiasticam, nulli non Clerico; nam hæc supponit in recipiente Clericatum : an autem ejusmodi pensionem obtinere possit Clericus ante annum 14. ætatis ? negativam sequitur Garcia *p.1. de Benefic. c.5. n.121.* apud Pirhing. *h.l. n.12.* dicentem ex illo, quòd, sicut jure novo Tridentini nullus potest obtinere beneficium, sic nec possit pensionem Ecclesiasticam ante annum 14. sed Tridentinum nullam facit *mentionem pensionis* ; unde ad pensionem sufficere ætatem septem annorum supposito Clericatu, & in ea non procedere dispositionem hujus decreti, tradit Barbosa in *dict. c.6. Trid. n.9.* & apud eum Riccius, Gonzalez, & alii : addit tamen Pirhing cit. ex eodem Garcia cit. *secundùm stylum Curiæ*, qui non est capax *beneficii Ecclesiastici*, nec esse capacem *pensionis Ecclesiasticæ*, quam porrò vim habeat *iste stylus*, alibi pluribus exposui. Cæterùm quædam Ecclesiæ, saltem in Germania recipiunt ad Canonicatum *Clericos*, etiam impuberes, non receptas Tridentino in hoc puncto.

Ad 2. R. pensionem debere esse 928
moderatam, ut beneficiato saltem tantum relinquatur, quando indiget ad decentem sustentationem, ad opera misericordiæ, ad decentem hospitalitatem, solvenda jura Episcopalia, & alia

onera, c. *De Monachis.* 12. de præbend. censetur autem *moderata*, si non excedat tertiam partem annui reditûs; Azor *cit. q.* 5. pensio tamen imposita *fructibus* beneficii, non intelligitur imposita *distributionibus quotidianis* propriè dictis; nam istæ non veniunt appellatione *fructuum beneficii*; nec fructibus, seu reditibus *incertis*; nisi vel exprimatur, ut notat Azor *cit. q.* 17. vel contrarium colligatur, aut ex stylo Curiæ, aut ex subjecta materia.

929 Ad 3. R. ubi licita est impositio pensionis, eam posse fieri tam antè, quàm post collationem beneficii, ut colligitur ex *c. unic.* h. t. ubi tamen nota, præstare pensionem reservari ante collationem, ne si aliquid ex illa directè, vel indirectè redundet in commodum Collatoris, periculum subsit Simoniæ, prout dicitur in dict. *c. unic.* ibi: *nam, si proventus ante donationem* (intellige collationem) *non perceperit ipse, sed alius, & ex donatione consequatur, ut ipse proventus percipiat, non est dubium, circa hæc intercedere simoniacam pravitatem.* Si verò ante donationem perceperit ipse proventus, credimus *distinguendum*, utrum *antè donationem* constituat, ut ipsi proventus retineantur ad tempus *pro causa justa, & necessaria?* aut conveniat cum eo, qui accepit beneficium, seu cum mediatore quocunque, ut officio illo concesso retineat ipse sibi proventus: *Primum* enim membrum *credimus esse licitum*: secundùm autem dicimus, *non licere*: ne viam aperiamus his, qui pravitatem suam fatagunt palliare.

930 Not. autem, cùm pensio imponitur beneficio, ad validam impositionem ejus, etiam à Papa factam, exigi *consensum beneficiati*, juxta Azor. *cit. q.* 6. Certum est, quòd Papa, saltem non soleat, aliter imponere; sic Pirhing *h. l. num.* 15. quod probabiliter etiam procedit de beneficiis vacantibus, nisi Advocatus, seu defensor tunc loco beneficiati consentiat, hic Castropalaus *t.* 13. §. 1. *p.* 11. §. 5. *n.* 2. est enim quasi quædam alienatio eorum fructuum.

931 Pirhing *h. l. num.* 16. censet, in istiusmodi casu, consensum Patroni non necessariò requiri, *spectato jure communi*, nisi ex decentia, secluso privilegio, vel consuetudine contrariâ, ex Abbate in *c. unic. h. t. num.* 20. Azor *citat. c.* 8. *q.* 1. secùs tamen esse in permutatione, beneficiorum unione, vel resignatione in favorem tertii; rationem primi dat, quia id nullo jure cavetur, sed contrarium diximus supra; rationem secundi verò istam; quia sic Patronus privaretur jure præsentandi.

Ad 4. R. quamvis omnibus bene- 932
ficiis imponi possint pensiones à summo Pontifice; à Tridentino tamen Sess. 24. de reform. c. 13. statutum esse, ut beneficia *tenuia* minimè graventur pensionibus; atque adeo in specie, ne Ecclesiæ Cathedrales, quarum reditus summam 1000. aureorum non excedunt; & parochiales, quarum reditus summam 100. Ducatorum, secundùm annuum valorem, pensionibus & reservationibus, fructuum graventur: Beneficiis autem simplicibus nulla pensio imponi solet, nisi annui reditus excedant summam 24. Ducatorum; sic Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 8. *q.* 7. nec etiam dignitati, vel Canonicatui, si non excedat 100. Ducatorum summam; Sic Azor cit.

Ulterius dubitari potest 1. ad quid 933
obligetur pensionarius? 2. an obligatio solvendi pensionem transeat ad Successorem Beneficiati gravati? 3. an in supplicatione, quæ fit Papæ pro pensione constituenda, in beneficio Patronato, fieri debeat mentio *de qualitate beneficii?* 4. an pensionis jam adeptæ? 5. quibus modis pensiones extinguantur? 6. an, sperans beneficium, possit Collatori promittere pensionem inde solvendam? Ad 1. R. teneri eum ad onera annexa beneficio pro rata suæ pensionis, quæ ob necessitatem, vel publicam causam à Clericis interdum exiguntur titulo beneficiorum, ex quibus habet fructus, quia qui habet commodum, etiam sentire debet onus. Azor *cit. c.* 9. *q.* 2. excipe tamen pensionem *exemptam*; nam si Papa alicui assignat pensionem ex alieno beneficio, cum immunitate ab onere subsidii, totum subsidium præstat Rector Beneficii. Præsumitur autem hæc immunitas, si eam

assi-

assignet *in alimenta*; hæc enim immunia sunt à contributionibus; Sic Azor cit. §. *Si quæras*: Notat tamen Azor cit. pensionem constitui solere eò minorem, quando Titulari, seu Rectori Ecclesiæ gravato omnia onera præstanda incumbunt.

934 Ad 2. R. affirmativè, si onus sit *reale*, seu incumbat ipsi *beneficio*; res enim transit cum onere, secùs est, si sit *personale solùm*, seu gravatus tantùm sit Beneficiatus; & si contingat *vacare*, vel *sequestratam* esse Ecclesiam, vel beneficium *realiter* gravatum, pensionem tunc præstat OEconomus, vel sequester. Quòd, si antecessor in beneficio gravato, ante mortem, non solvit pensiones, dicendum erit juxta tradita superius, qualiter Successor teneatur ad antecessoris debita exsolvenda? Ad 3. R. affirmativè, si Patronus sit Laicus ex fundatione, ædificatione, vel dotatione Ecclesiæ; quia hoc gratiam reddit majorem, & concessionem difficiliorem; secùs, si habeat alio jure, vel Patronus sit Ecclesiasticus; sic Azor *cit. p.8. q.3.* Ad 4. R. pariter affirmativè; quia non præsumitur, Papam velle duplici onere gravare eandem Ecclesiam; cæterùm impetratio pensionis non necessariò requirit mentionem prius obtenti beneficii; secùs est, si habens pensionem supplicet pro beneficio gratiosè concedendo, quia Canones non prohibent habere beneficium cum pensione in alio beneficio, sic Azor. *cap.10. quæst.8.*

935 Ad 5. R. pensiones extingui variis modis 1. morte pensionarii; 2. contracto matrimonio per verba de præsenti, intellige juxta num.48. 3. promotione ad Episcopatum. Juxta dict. supr.; 4. professione Religiosa; 5. assumptâ militiâ; 6. si pensionarius etiam sine consensu Papæ illam remittat in perpetuum; 7. si jure, & non mero facto obtineat beneficium, in quo ei pensio constituta est: hæc enim omnia deduci possunt ex traditis in præmissis quæstionibus. Ad 6. constabit ex n.986.

ARTICULUS IV.

De unione beneficiorum.

NOn est dubium, præbendarum numerum, etiam diminui, *beneficiorum unione*; hæc, est duorum, vel plurium beneficiorum, aut Ecclesiarum facta annexio, vel temporalis, vel perpetua; hoc fit, cùm dicitur, ut hæc annexio *perpetuò duret*; vel *ad perpetuam rei memoriam*; vel *ad beneplacitum Sedis Apostolicæ*; vel, si fiat *contemplatione Ecclesiæ*; illa autem fit, cùm exprimitur *certum tempus*, vel cùm fit gratiâ personæ; in dubio autem præsumitur facta *contemplatione Ecclesiæ.* 936

§. I.

Quot modis fiat unio beneficiorum?

RESp. quòd tribus, primò, *si ex duobus fiat unum*; quo casu consuetudo; & privilegia uni Ecclesiæ concessa, accedunt etiam alteri, & si sint contraria, favorabilia servari possunt; sic Gregor. Tholos. Garcia, & alii. Secundò, *si una Ecclesia, alteri tanquam Superiori, subjicitur, velut accessorium principali*; &, hoc casu, accessorium quasi extinguitur, & induit naturam, qualitates, & privilegia ejus, cui adhæret *gloss. in c. Et temporis. V. unire.16. quæst.1.* Ita Sanchez *lib.7. moral. cap.29. num.164.* quo casu, per unionem, *factam Ecclesiæ exempta*, Ecclesia unita, & *ante non exempta*, evadit *exempta*; & Ecclesia secularis, sic *accessoriè* unita *regulari*, evadit regularis; quia ipsa quoad nomen, & titulum extinguitur, & solùm conditionem acquirit Ecclesiæ principalis; sic Azor *cit. part.2. lib.6. cap.28. quæst.2.* Sanchez *cit.* & alii. Tertiò, si duo beneficia *æquè principaliter uniantur*, ita, ut ambo retineant naturam, qualitates, & privilegia sua, & neutra alteri subjiciatur, vel adhæreat; sed utrumque proprios reditus, & suum titulum habeat sub eodem tamen Rectore. 937

Quæstio est, unde cognoscere possimus unionem factam esse *principaliter*, vel *accessoriè*? R. *ex tenore literarum unionis*; si enim dicitur: *illud, & illud beneficium unimus*, unio est æquè principalis; si autem dicat: *hoc beneficium isti Ecclesiæ, vel beneficio unimus, & incorporamus*, unio facta est accessoriè: 938

riè : si autem ex verbis unionis, hujus *qualitas* intelligi non potest, spectandum est, quale beneficium sit magis, quale minus *dignum?* & in dato casu minùs dignum, erit *accessoriè* unitum alteri, *exceptis* præbendis Canonicalibus, quæ annexæ sunt *dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium*, vel *Collegiatarum*. Denique, si ambo sint *æquè digna*, attendi debet, *à quo fiat* denominatio? & *illud* principale, *hoc* accessorium erit; deinde etiam considerari debet usus, & consuetudo; si autem adhuc res dubia sit, præsumendum est, unionem esse *æquè principalem*; quia præsumptio fieri debet, ut titulus beneficii conservetur, & non, ut extinguatur; sic Castropalaus *cit.* à *n.* 11.

939 Circa istos modos *unionum*, not. 1. aliud esse, quòd Ecclesia *mutet statum* (ut si ex *regulari* fiat *seculare*; vel econtra ex *seculari* fiat *regulare*, de quo diximus à *num.* 159.) aliud, quòd *uniatur alteri*; nam ex eo, quòd monasterium, vel Ecclesia mutet *statum*, non idcirco amittit subjectionem, vel exemptionem, quam prius habuit; nisi aliud in unione, vel exemptione exprimatur; quo fit, quòd si Ecclesia prius subjecta Episcopo, *æquè principaliter uniatur Monasterio exempto*, maneat Episcopo subjecta; &, si exempta sic uniatur monasterio subjecto, maneat exempta, ut prius; nisi aliud exprimatur in unione, *c. fin.* de confirm. util, vel inutil: sed hoc limita, nisi uniatur alicui communitati, cujus personæ, & bona sint exempta; nam tunc etiam Ecclesia per unionem transit in ejus bona.

940 Not. 2. beneficium *accessoriè* unitum alteri, non *vacare mortuo*, vel *remoto Rectore principali*; nec permutari, vel resignari posse; sic Castropalaus *D. 6. de benefic. part.* 12. §. 1. *num.* 5. ubi addit, nec reservari posse, quia, quod non est, non habet qualitates; hinc etiam accepta collatione, & possessione beneficii principalis, etiam accessorium *collatum*, & *possessum* dicitur; & si beneficium parochiale uniatur *accessoriè* simplici, v. g. *Canonicatui*, tanquam beneficium simplex est judicandum, ita ille; quamvis sine plenitudine potestatis beneficium dignius minus digno, *accessoriè uniri*, non deceat; & ideo etiam beneficium accessoriè unitum alteri, censetur hoc ipso collatum, & possessum, accepta collatione, & possessione principalis, nimirum ejus, cui sic unitum est; quia tunc est aliquid ejus; Castropalaus *cit. D. 6. de benefic. part.* 12. §. 2. *num.* 5.

Not. 3. quòd *unio beneficiorum æquè* 941
principalis, non præstet, ut beneficia inter se communicent, sic, ut qualitates, privilegia, & fructus alteri *communicentur*, qualiter fit *in unione accessoria*; sed solùm, ut communicent *in persona*, manentibus cuilibet juribus suis, à juribus alterius distinctis, ut ante; sic Castropalaus *citat. num.* 9. Ex hoc sequitur, morte, vel amotione Rectoris, *vacare*, utrumque; & Vicarium unius non posse solvi ex fructibus alterius beneficii, nec utrumque permutari, & resignari posse, salvâ semper unione in eadem persona, & in impetratione unius debere fieri mentionem alterius æquè principaliter uniti; sic Castropalaus *cit.*

Not. 4. quòd beneficia, vel Eccle- 942
siæ uniri, vel *incorporari* possint alteri tripliciter; videlicet jure non pleno, jure pleno, & plenissimo; *jure non pleno*, nimirum quoad sola temporalia; *jure pleno*, quoad temporalia, & spiritualia, populo tamen in jurisdictione spirituali remanente subjecto ipsi Ordinario: *jure plenissimo*, nimirum non solùm in temporalibus, & Spiritualibus, ita, ut etiam populus ab Episcopo Diœcesano in Spiritualibus exemptus sit; vel, ut ait Glossa magna in c. *Quoniam.* 21. de Privilegiis, quando sic incorporatur, v. g. Ecclesia Parochialis, ut Episcopus nullum jus Episcopale in ea habet, intellige *jus jurisdictionis Episcopalis*; sic Abbas c. de Monachis. de præbend. num. 9. Plura super hoc V. à num. 735.

§. 2.

§. 2.

Quis habeat potestatem uniendi beneficia?

943 QUæstio prima est de summo Pontifice; & in hoc puncto omninò affirmandum est; cùm in eo sit summa potestas. *cap. 2. de præbend. in 6.* ibi: licet Ecclesiarum, Personatuum, Dignitatum, aliorumq; beneficiorum Ecclesiasticorum *plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere, ita, quòd non solùm ipsa, cùm vacant, potest, de jure conferre; verùm etiam jus in ipsis tribuere vacaturis*; & hic solus unire potest Ecclesias *Cathedrales*, & *Metropolitanas*, ut habetur in c. *sicut*: 8. de excessibus Prælatorum, ubi Cœlestinus III. Episcopo Faustino scribens ait: *Sicut unire Episcopatus, atq; potestati subjicere alienæ, ad summum Pontificem pertinere dignoscitur*; ita *Episcopi est Ecclesiarum suæ Diœcesis unio, & subjectio earundem.*

944 Quæstio altera est, quid in hoc possint *Episcopi?* R. quòd spectato jure communi, & antiquo, Episcopi unire possint omnia beneficia suæ Diœcesis *non exempta* unione perpetuâ; prout colligitur ex c. *sicut* n. præced. relato; sic Azor *part. 2. lib. 6. cap. 28.* à *quæst. 6.* excipe tamen 1. beneficia collationi Papæ, vel ejus provisioni, specialiter *reservata*; hoc enim importat *reservatio.* Idem colligitur ex Clement. *ne in agro. 1. §. ad hæc*, de statu Monachorum, ubi in Concilio Viennensi Clemens V. sic statuit: Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, *perpetuò prohibemus edicto*, ne Monachi singuli, in singulis sibi commissis, Administrationibus, vel Prioratibus habitare præsumant: sed, si proventus Prioratuum, seu Administrationum hujusmodi duobus fortè non suppetant, iidem Prioratus, & Administrationes (nisi per Abbates ad sustentationem duorum sufficientes reddantur) locis aliis vicinioribus, ad eorum Monasteria pertinentibus, vel ipsorum Monasteriorum officiis, aut inter se invicem, prout erit commodius, *cum Consilio, & assensu Abbatum, per locorum ipsorum Ordinarios uniantur*, Monachis locorum, quæ aliis unientur; prioribus ad claustrum primitus revocandis, & Clericis servituris ibidem, de locorum ipsorum proventibus provisione debitâ faciendâ.

Hæc potestas Episcoporum (spectato jure antiquo) extenditur 1. ut Episcopus etiam *Regulari Ecclesiæ unire possit beneficium seculare, etiam exemptæ*; Clement. 2. de reb. Eccles. non alien. ibi: *si una Ecclesia, alteri Ecclesiæ, seu Dignitati alicui, vel præbendæ per Episcopum, suo consentiente Capitulo uniatur, aut Religioso loco donetur; ex eo, quòd Rector ipsius ad hoc vocatus, vel, si vocabat, defensor ei super hoc datus non extitit, nequaquam id poterit impugnari*; & c. *Consultationibus.* 4. de donat. ibi: *Si Religiosis fiant locis ab Episcopo, vel ejus auctoritate, ratæ debent haberi; ita, quòd personæ, quæ jam dictas Ecclesias possident, sine ipsorum assensu eis in vita sua non debent spoliari.* 945

Extenditur 2. etiam ad beneficia *devoluta* ad Papam propter negligentiam, vel ignorantiam antecessorum; non autem, si devoluta sint ob propriam Episcopi negligentiam. Unio autem eo casu fieri non potest, antequam Papa utatur jure devoluto, sed postquam usus est in prima ejus vacatione; sic Pirhing *de præbend. n. 206.* Extenditur 3. ut Episcopus possit unire beneficia *generaliter reservata Papæ*, modò non fiat in fraudem Papæ; & tunc extinguitur mensis Pontificius, quoties eorum collatio alternis mensibus ad Papam spectat; sic Castropalaus *cit. n. 5.* excipe 1. nisi *generalis* reservatio comprehendat *omnem ordinationem de beneficio.* 2. nisi reservatio perpetua sit; quia tunc unio nunquam haberet effectum. V. Sanchez *l. 7. moral. c. 29.* Extenditur 4. ut Episcopus *de jure communi* possit unire Capellas, seu Ecclesias Parochiales bræbendis Canonicalibus, & Dignitatibus ob tenuitatem reditnum, non tantùm authoritate Papæ, sed etiam propriâ, seu ordinariâ Episcopi, ut amplius constabit ex seqq. 946

Vicario Generali Episcoporum potestas *uniendi* beneficia non competit, *seclusâ commissione speciali*, sicut nec conferendi; secùs de Capitulo Sede vacan- 947

te, modò per hoc juri Episcopi nihil derogetur. Nec obstat, quod non habeat potestatem *conferendi* beneficia. 1. quia beneficium etiam non vacans uniri potest. Clemens 2. *de reb. Eccles. non alien.* ibi: *ex eo, quòd Rector ipsius ad hoc vocatus, aut defensor ei datus non extitit, nequaquam id poterit impugnari.* 2. quia collatio est *voluntatis*; unio, *necessitatis*, adeoque non est idem utriusque jus: non tamen debet *sibi* beneficia unire; quia diceret jus in propria causa, & authoritatem præberet in proprio facto, contra Clement. *si una.* de reb. Eccles. non alien. ibi: *quòd si Episcopus* (sui etiam Capituli accedente consensu) *mensæ suæ, vel ipsi Capitulo aliquam duxerit Ecclesiam uniendam, hoc irritum esse decernimus, & mane, contrariâ quavis consuetudine non obstante.*

Archiepiscopus potest unire beneficia suæ Diœcesis, sicut Episcopus; non autem in Diœcesibus suorum suffraganeorum; quia in his, extra casus in jure expressos, non habet jus, constat ex cit. c. *sicut.* de excessib. Prælat. ibi: *non obstante assensu, vel confirmatione, quam Metropolitanus interposuisse proponitur; Cùm in Diœcesi sui suffraganei, absq; ipsius assensu, non debeant aliquid contra Constitutiones Canonicas attentare, nos quoque id decernimus irritandum.*

Legatus à latere potest unire beneficia suæ Provinciæ, quæ vel conferre potest, vel devoluta sunt ad Papam: Abbas in cit. c. *sicut.* num. 5. etiam sine consensu Episcopi, in hac potestate concurrentis, esto per talem unionem aliis Episcopi juribus (visitandi, corrigendi &c.) non præjudicetur: Alii verò Legati non à latere, hoc non possunt; ita Sanchez citat. num. 158. sed de his V. dicta lib. 1. tit. 30. de offic. Legati. Cæteri Prælati Episcopo inferiores, esto habeant *conferendi*; non tamen habent jus *uniendi* beneficia sibi subjecta, idque spectato jure communi; nam *aliter* habere possunt, puta privilegio, præscriptione legitimâ, quadragenaria cum titulo, vel immemoriali sine titulo; item si habeant jurisdictionem quasi Episcopalem in tales Ecclesias; ut deducitur ex c. *sicut.* 8. de excessibus Prælatorum ibi: *Cùm itaq; Prior Graden: Monasterium suum, quod est in tua Diœcesi, & de tuo debet ordinari consensu, Monasterio de Accato (tuo assensu minimè requisito) subjecerit, sive unierit; quòd fecit te inconsulto, tibi liceat, auctoritate nostrâ (sicut justum fuerit) infirmare; non obstante assensu, vel confirmatione, quam Metropolitanus interposuisse proponitur; Cùm in Diœcesi sui suffraganei (absq; ipsius assensu) non debeant aliquid, contra Constitutiones Canonicas, attentare; nos quoq; id decernimus irritandum.*

§. 3.

Quas ob causas, & qualiter, fieri possint uniones beneficiorum?

QUoad 1. partem, 1. ex c. *Exposuisti.* 33. de præbend. in 6. ubi Honorius III. Episcopo Vesprimiensi conquerenti, quòd suæ Ecclesiæ Canonici de reditibus suarum præbendarum nequeant sustentari, rescripsit: *Si evidens necessitas, vel utilitas exigat, præbendas Ecclesiæ tuæ poteris de Capellis in perpetuum annectendis eisdem* (sicut discretione prævia expedire videris) *augmentare*, reservatâ congruâ Capellarum Presbyteris portione. *Necessitas* contingit, si præbenda, cui facienda est unio, careat sufficientibus reditibus ad alendum Ministrum: *Utilitas*, si ob tenuitatem fructuum non inveniantur idonei Ministri, qui Ecclesiis deserviant: alii tertiam causam esse volunt, si per hoc augeatur cultus divinus; deducentes hoc à sensu contrario, c. *Ex parte*, 12. de Constitut. ubi dicitur, quòd Canonici Eduenses propriis commodis inhiantes, præbendarum numerum ab antiquo in Ecclesia Eduensi statutum (licèt non sint ejus diminuti reditûs) restrinxerunt; quo intellecto Honorius III. *nolentes*, inquit, *Divini Numinis minui cultum, sed potius augmentari, mandamus, quatenus antiquum numerum facientes auctoritate nostrâ servari, præbendas*, quas à tempore ultimi statuti inveneritis vacasse in Ecclesia memorata (quæ obstante aliquâ constitutione super hoc à Canonicis ipsis factâ, vel confirmatione 948

tione à nobis ab eisdem obtentâ) *personis idoneis, cum consilio Episcopi, conferatis.* Ubi apparet, quòd diminutionem præbendarum, *per coadunationem ad alias*, solùm reprobaverit Pontifex, quod citra causam, & cum diminutione divini cultûs, restrictus fuerit numerus præbendarum; ergo non ubi ex justa causa fit, & Dei cultûs ex hoc promovetur; sed an revera hic finis quandóque in ejusmodi unionibus intendatur? DEUS novit, qui non fallitur, nec falli potest. Nec obstat Tridentinum Sess. 14. de reform. c. 9. dicens: *Non esse faciendas ejusmodi uniones, etiam ratione augendi cultum divinum, aut numerum Beneficiatorum, aut aliâ quacunque de causa*; nam decretum illud solùm loquitur de unione unius beneficii *ad Ecclesiam alterius Diœcesis*; verba Concilii sunt: quia *jure optimo distinctæ fuerunt Diœceses, & Parochiæ*, ac unicuique gregi proprii attributi Pastores, & inferiorum Ecclesiarum Rectores, qui suarum quisque ovium curam habeant, *ut ordo Ecclesiasticus non confundatur, aut una, & eadem Ecclesia duarum quodam modo Diœcesum fiat*, non sine gravi eorum incommodo, qui illi subditi fuerint, *beneficia unius Diœcesis, etiam, si Parochiales Ecclesiæ, Vicariæ perpetuæ, aut simplicia beneficia, seu præstimonia, aut præstimoniales portiones fuerint, etiam ratione augendi cultum divinum, aut numerum Beneficiatorum, aut alia quacunque de causa, alterius Diœcesis beneficio*, aut Monasterio, seu Collegio, vel loco, etiam pio, *perpetuò non uniantur*, decretum hujus sanctæ Synodi super hujusmodi unionibus in hoc declarando. Quarè, nisi causa uniendi directè respiciat DEI cultum majorem, necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ evidentem, non licet Prælatis Papâ inferioribus beneficiorum unio; unde Pirhing *h. t. num.* 209. §. *porrò &c.* ad hoc non sufficere meram prærogativam meritorum personæ.

949 Ad alteram tituli partem 2. ut unio licitè, valideque fiat, Prælatum, qui eam facit, debere præmittere cognitionem causæ, ac eos vocare, in quorum notabile præjudicium talis unio cedit, audireque, si quæ sint, quæ contra unionem opponant; & consensum eorum requirere; ita Sanchez *l. 7. moral. cap. 29. à num. 169.* & alii; ad faciendam porrò unionem non necessariò vocandus est *Rector Ecclesiæ* alteri uniendæ, si primò post ejus mortem sortitura sit effectum; quia sic ei nullum fit præjudicium; ita Sanchez *cit. num. 171.* & quoniam plebs præsumitur plus studere suo, quàm Ecclesiarum commodo, vocanda non est, nisi justam causam habeat se opponendi; sed nec ex necessitate vocandus est *Defensor*, seu Advocatus Ecclesiæ, si unio facienda sit tempore Ecclesiæ *vacantis*, per Clement. II. de reb. Eccles. non alienand. juncta Closs. V. *vocatus*; quia tunc nullum ei fit præjudicium; cùm Advocatus ne quidem præsentationem, vel nominationem habeat Clerici beneficio vacanti præficiendi; sic Barbos. *in Trident. Sess. 7. de reform. cap. 6. num.* 23. sed nec vocandus est, si fiat unio beneficii *non vacantis*; hæc enim unio effectum non sortitur, donec beneficium *vacaverit*, vel per mortem beneficiati, vel aliâ viâ; Sanchez *cit. n. 171.*

Si Episcopus facit unionem, fieri 950
debet cum consensu Capituli, ex c. *Pastorali*, de Donat. & Clement. *si una*, de reb. Eccles. non alienand. si *injustè* nollet consensum dare, per Episcopum compelli potest; & in casu resistentiæ, sine consensu ejus ad unionem procedi. Sanchez num. 164. Sufficit autem si consensus unioni factæ *accedat*, seu illam subsequatur; collig. ex c. *Cùm nos*, de his, quæ fiunt à Prælato, & c. *jure*, de jure Patronat; sed Castropalaus *cit. D. 6. p. 12. §. 2. n. 26.* requirit consensum Capituli debere adesse *tempore unionis*, nec sufficere, quod *sequatur*; quia requiritur ad substantiam unionis, & requiritur in favorem Ecclesiæ, ne uniones fiant temerè; non autem in favorem Capituli, de quo procedunt jura citata; non autem est necesse, quòd unionem, quam facit Episcopus, præcedat solennis tractatus, seu deliberatio cum Capitulo; cùm non habeat rationem veræ & propriæ alienationis; in casu autem unionis faciendæ, valor bene-

beneficii uniendi, & ejus, cui unitur, exprimendus est, si unio peratur à Papa, vel ejus Legato; non autem, si ab ordinario; hîc enim præsumitur nosse valorem suorum beneficiorum; Secùs, illi. Reg. Cancell. 21. aliàs 22. de unionibus; & hæc dicta sint spectato jure communi.

§. 4.

Quæ circa beneficiorum unionem statuerit Tridentinum?

951 PRimo loco extat Decretum in dicto Concilio *Sess. 7. c. 4.* ubi statutum est, ut quicunque de cætero plura beneficia Ecclesiastica *incompatibilia, per viam unionis, ad vitam recipere, aut retinere præsumpserit*, ipsis privatus existat, juxta Constitut. in c. *de multa.* De præbend. hoc tamen decreto nihil agitur de prohibitione unionum; sed tantùm de incompatibilitate beneficiorum *unitorum.* Deinde eadem Sess. c. 6. declarat, quæ beneficiorum uniones perpetuæ, debeant irritæ declarari post examen factum ab Ordinario, tanquam Sedis Apostolicæ delegato; Loquitur autem de iis, quæ factæ sunt 40. *annis citrà à publicatione Concilii numerandis, & non sunt fortitæ effectum*; si factæ sunt subreptitiæ. Hoc Decretum non habet locum, si unio fortita fuit effectum saltem ex parte. Dicitur autem tunc fortita affectum, quando vigore unionis fuit capta possessio, Barbosa *in cit. loc. Trid. à n. 9.*

952 Tertiò statuit Sess. 14. de Reform. cap. 9. ne beneficia, tam simplicia, quàm etiam curata, Vicariæ perpetuæ, seu præstimonia, aut præstimoniales portiones unius Diœcesis ex quacunque causa etiam augendi cultûs divini, vel numeri Beneficiatorum, perpetuò uniantur alterius Diœcesis beneficio, Monasterio, seu Collegio, aut loco etiam pio. Et per hoc correctum est jus antiquum aut oppositum erat licitum de consensu illius Episcopi.

953 Quartò Sessione 21. cap. 5. quòd Episcopus, propter Ecclesiarum paupertatem, & in cæteris casibus à jure permissis possit facere uniones perpetuas quarumcunque Ecclesiarum *Parochialium*, & *aliorum beneficiorum* etiam non *curatorum*, *cum curatis*, sed juxta formam juris, etiamsi generaliter, vel specialiter reservata, aut qualitercunq; affecta; & hoc potest etiam ut delegatus Sedis Apostolicæ. Deinde Sess. 23. cap. 18. conceditur Episcopis, ut cum consilio duorum de Capitulo, quorum unus ab Episcopo, alter à Capitulo eligatur, & de Consilio duorum de Clero civitatis, pariter eligendorum ut antè, seminario puerorum unire possint quæcunque beneficia, etiam Regularia, etiam juris Patronatûs cujuscunque, etiam exempta, etiam nullius Diœcesis, etiam annexa aliis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & locis piis.

Sed circa hoc Decretum Not. 1. 954
unionem factam seminario absque dicto consilio, non valere, resolvi à Francisco Leone apud Barbos. in citat. loco Trident. n. 10. Unio autem hæc fieri non debet seminario, pro quo nondum est præparatio domûs saltem conductæ, vel emptæ, & puerorum inductio, ut decidit Rota apud Barbos. *cit. n.* 11. vel saltem nisi muri ejus sint incepti, licet non absoluti.

Not. 2. ab hac contributione ne- 955
minem eorum, qui habent beneficia in tali Diœcesi, exemptum esse; Barbosa *cit. num.* 16. nec Episcopum, nec Capitulum, ut liquet ex textu cit. Decreti, nec hospitalia, quæ habent, annexum beneficium, & dantur in titulum, vel administrationem; nec beneficiatos beneficiorum collationis Monachorum; nec monasteria non mendicantium; nec Ecclesias Seculares, quæ non sunt *de mensa* Monasteriorum, licet eorum institutio, vel collatio ad Monachos spectet, nec mendicantes quoad beneficia ipsis annexa; nec monasteria, quæ habent aliquid superfluum ultra id, quod seminariis sui ordinis contribuunt: nec moniales si habeant beneficia unita.

Not. 3. ab hac contributione ex- 956
emptos esse 1. Abbatem, qui in suo territorio, & jurisdictione prius seminarium erexit, & retinet habentes distributiones quotidianas à præbendis distin-

stinctas ; nam hi ex distributionibus nihil tenentur contribuere. 3. nihil tenentur ex his, quæ *in incerto*, in elcemosynis piorum, & similibus consistunt: 4. Monasteria mendicantium &c. de quibus V. Barbos. cit. loc. Trid.

957 Not. 4. vi decreti cap. 18. de quo num. 953. Episcopum seminariis posse unire beneficia quæcunque (non tamen omnia beneficia *simplicia*) cujuscunque dignitatis, & qualitatis, etiam *affecta*, sed sine præjudicio obtinentium ; non autem ea, quæ spectant ad collationem inferiorum, neq; Canonicatus, neque juris Patronatûs etiam Ecclesiastici, neque reservata Sedi Apostolicæ post eorum vacationem, nec vacantia in mense reservato Papæ, nec quæ residentiam requirunt Regularia, nec quæ Monasteriis unita, vel annexa sunt, nec beneficia commendata, de quibus Barbosa cit.

958 Quintò Sess. 24. cap. 13. statuit, ne Ecclesiæ Parochiales Monasteriis quibuscunque, aut Abbatiis, seu Dignitatibus, sive præbendis Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, sive aliis beneficiis simplicibus, seu hospitalibus, militiisvè uniantur ; hoc decreto clarè restringitur potestas jure communi concessa Ordinariis, de qua dictum est à num. 944. sed nota, quòd hoc decretum non habeat locum in unione, quæ fieret pro fundatione, dotatione, augmento, vel conservatione monasteriorum, Collegiorum, & aliorum locorum piorum ; sic Barbosa in *cit. loc. Trident. num.* 10. & allegatur etiam in Remissionibus ad dict. cap. 13. Trid. V. *Monasteriis*, intellige, si sint erecta *ad fidei Catholicæ defensionem*, & *propagationem*, *bonarumque artium cultum*. Quamvis Castropalaus D. 6. de beneficiis *part.* 12. §. 3. *num.* 18. §. *Secundò limitat*, hanc limitationem non admittat.

959 Sextò eâdem Sess. cap. 15. statuit, hanc rationem esse in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis insignibus tenendum, ubi sunt præbendæ multæ, sed tenues, & insufficientes, ut Episcopis liceat cum consensu Capituli, vel aliquot beneficia simplicia, non tamen regularia, iis unire ; vel, si hac ratione non possit provideri, aliquibus suppressis de Patronorum consensu, si laicorum sint : hoc decreto limitatur Ordinariorum potestas, ut in dato casu possit unire sola beneficia simplicia, tùm tamen jure communi omnia uniri poterant, ut dictum est à num. 944. ampliatur tamen etiam, ut unire possint beneficia Patronatûs *Ecclesiastici* absque Patronorum consensu ; sic Castropalaus citat. num. 19. qui tamen notat, hanc potestatem uniendi beneficia, irrequisitis Patronis *Ecclesiasticis*, non esse ordinariam (hâc enim id non possunt) sed delegatam.

Denique Sessione 25. c. 9. statuit, 960
ne fiat unio beneficii *liberi* cum beneficio juris patronatûs, quæ restrictio jure communi non habetur, aut dictum est n. jam cit. Ex his autem colligitur per Concilium Tridentinum non esse *ablatam* Episcopis potestatem *uniendi beneficia simplicia* monasterio, vel alteri loco pio, sicut licebat jure communi, modò beneficium sit *intra diœcesim*, in qua est monasterium, neque sit curatum ; quid autem spectato jure Tridentini possit, si curata sunt, dictum est num. 953.

Quæstio est, à quò, & ex quibus 961
causis *dissolvi* possit unio Ecclesiarum semel facta legitimè ? 1z. ex justa causa posse ab eo, qui univit. Censetur autem *justa causa*, si cesset ea ratio, seu causa, propter quam facta est unio ; ad hoc autem (sicut ad unionem) requiritur causæ cognitio, consensus Capituli, vocatio eorum, quorum interest &c. effectus dissolutionis est, quòd Ecclesia redeat ad statum, in quo fuit ante unionem ; potest autem Episcopus etiam beneficia sibi subjecta, & per Papam alteri unita, revocare ex justa causa : vide Rebuffum in praxi benefic. de unionis revoc. à num. 15. Azor. p. 2. l. 6. c. 29. q. 21.

Ex dictis colliges vi Tridentini, 962
per locorum ordinarios, jure novo non posse facere uniones beneficiorum, prout poterant jure antiquo, cùm, ut notatum

tum est, in quibusdam ea potestas illorum per Concilium restricta sit; primò enim ex dict. *num.* 952. interdictum est illis unio beneficiorum, quæ sunt diversarum Diœcesium, etiam ex ratione augendi cultûs divini; 2. ex *n.* 958. unio parochialium Ecclesiarum facta monasteriis, Abbatiis, Dignitatibus, præbendis Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, aut aliis beneficiis simplicibus; quod tamen intellige juxta limitationem *citat. num.* 958. appositam &c. 3. unio beneficii liberi cum patronato ex *num.* 960.

ARTICULUS V.

De dismembratione beneficiorum.

963 *Dismembratio* beneficiorum propriè significat diminutionem beneficii, quoad fructus, servata tamen beneficii unitate, quæ tollitur per sectionem; seu divisionem ejus. Unde Garcia *de benefic. part.* 3. *cap.* 3. à *num.* 1. *dismembrationem*, ait, fieri, cùm alicujus beneficii fructus, seu reditus ab ipso beneficio separantur, ut alteri applicentur, beneficio v. gr. tenui, aut loco pio in subsidium decentis sustentationis, hanc dismembrationem fieri posse à summo Pontifice ex justa causa, constat ex dict. *arg. c.* 2. *de præbend. in* 6.

964 Quæstio est de aliis Ecclesiæ Prælatis, *Papâ inferioribus*; de hoc extat c. *Avaritiæ.* 10. de præbend. ubi Alexander III. scribens ad Canonicos Regulares, & Monachos Eboracenses, intelleximus, inquit, quòd *in Ecclesiis vestris* (*de quibus certas pensiones consuevistis percipere*) *portiones, vel antiquos reditus minorástis, quos nonnulli Clerici Ecclesiarum ipsarum olim habuisse noscuntur*, unde, quoniam *hoc* ex radice avaritiæ, & cupiditatis procedit, quam debetis modis omnibus evitare, mandamus, *si quas portiones, vel antiquos reditus Clericorum, sine consensu Archi-Episcopi vestri, minuere, vel parœcias dividere præsumpsistis, ad integritatem pristinam revocetu.* Ex hoc textu colligitur *dismembrationem* non esse illis absolutè prohibitam; sed solùm, *sine consensu ordinarii, & cùm* talis diminutio portionum *sapit avaritiam.* Videtur autem hîc non agi de onere *pensionum* (quæ cum pensionario extinguuntur) sed *portionum*, quæ constitutæ sunt aliis beneficiis, & locis piis, quæ non intereunt; patet ex textu, ibi: *portiones*, vel *antiquos reditus* minoráltis; de portionibus porrò vide dicta â num. 259. & 262. Hoc autem videtur non solùm de Regularibus accipiendum, sed etiam aliis Ecclesiasticis, non regularibus, ubi eadem ratio avaritiæ præsumptæ, aut prætermissio consensûs superioris non intervenit in diminutione redituum annuorum beneficii, vel portionum.

Extat præterea decretum Tridentini Sess. 25. de reformat. cap. 16. ubi Concilium sic loquitur: statuit præterea sancta Synodus, ut Ecclesiastica beneficia *Secularia*, *quocunque nomine appellentur*, *quæ curam animarum ex primæva eorum institutione, aut aliter, quomodocunque retinent*, illa deinceps *in simplex beneficium*, etiam assignatâ *Vicario perpetuo* congruâ portione, *non convertantur*, non obstantibus, quibuscunque gratiis, quæ suum plenarium effectum non sunt consecutæ; in iis verò, in quibus *contra eorum institutionem*, seu *fundationem* cura animarum in Vicarium perpetuum *translata est* (etiamsi in hoc statu, ab immemorabili tempore reperiantur,) *si congrua portio fructuum* Vicario (quocunque nomine is appelletur) *non fuerit assignata*, ea quamprimum, & ad minus intra annum à fine præsentis Concilii, arbitrio ordinarii juxta formam decreti sub felicis recordationis Paulo III. assignetur. Nam ex hoc deducitur, Ecclesiastica beneficia *Secularia* non posse, quæ curam animarum, aut aliter quomodocunque retinent, in beneficia simplia converti; sic Garcia de benefic. part. 12. cap. 9. num. 87. Zerola in praxi Episc. part. 1. vide *unio.* §. 3. etiam tantùm quoad partem fructuum, teste Pyrrho Corrado in praxi benefic. *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 12. & quoniam *dismembrare*, seu partem fructuum beneficiorum Secularium, (quomodocunque curata sint) applicare beneficio simplici, videtur idem, ac eorum fructus in beneficium simplex convertere; sicut hoc, 965

sic

sic & illud censendum est Episcopis interdictum esse ex citatione Decreto Tridentini.

966 Quæstio est, an Episcopus beneficio simplici possit applicare fructus ex Oratoriis, vel Capellis, Ecclesiæ *curatæ* unitis, saltem si hæc propterea non egeant? &c. quòd non; quia sic fructus Ecclesiæ *curatæ* converterentur in beneficium simplex, quod interdictum est relato Decreto Tridentini; sic Barbosa in citat. cap. 16. Concilii num. 4. pro eadem opinione referens Garciam, Riccium, & alios, ex Decisione seu Congregatione. Not. autem 1. etsi c. *avaritiæ* 10. hoc tempore interdicat, ejusmodi diminutionem portionum, factam ab inferioribus Episcopo sine consensu ejus: Decretum tamen Concilii loquatur absolutè, ac indefinitè, sic, ut nec Episcopi hoc possint, quo fructus à beneficio separati cederent in conversionem beneficii simplicis. Not. præterea, ut in casu, quo dismembratio beneficii licita est, hæc legitimè fiat, requiri justam causam; talis censetur 1. si aliàs sit periculum animarum; ut si propter Ecclesiæ distantiam, & viarum difficultates, Parochiani certo tempore (verb. gr. hyemali) sine magna illam difficultate adire non possint, Salvis tantùm reditibus alteri Ecclesiæ decenter necessariis, de quo c. *ad audientiam.* 3. de Eccles. ædificand. Alteram censent, si in Ecclesia Parochiali abundante Episcopus Parocho constituit adjutorem, assignatâ illi portione de fructibus beneficii; sic Panormitanus in c. *Conquerente*, de Cleric. non resid. à num. 1.

967 Not. 2. dismembrationem beneficiorum fieri posse, vel ad instantiam ipsius Beneficiati; vel ex officio ab ipso Episcopo: in primo casu non requiritur, nisi causa justa, & Consensus Episcopi, quando Ecclesia dismembranda non est Collegiata, vel Conventualis: Secùs enim etiam requiritur consensus Capituli, vel Collegii ex dict. supr. in 3. autem casu debere intervenire simul istum consensum, ex cap. 1. de reb. Eccles. non alienand.

968 Not. 3. dubitari, an in eo casu intervenire debeat consensus Rectoris Ecclesiæ, cùm ejus dismembratio fit ipsâ non vacante? Resp. quamvis hoc non pertineat ad dismembrationem, tanquam solennitas substantialis, ut colligitur ex citat. cap. 2. de reb. Eccles. non alienand. in 6. & Trident. Sess. 25. de Reform. cap. 4. Quando cæteroquin dismembratio, quoad reliqua legitima est; audiendum tamen, in quantum ejus interest, habere decentem sustentationem, quæ fortè diminui posset factâ dismembratione.

Dixi: Ecclesiâ *non vacante*; nam 969
si eâ vacante dismembratio facienda esset, constitui deberet Ecclesiæ Curator, seu defensor, similiter audiendus super præjudicio, quamvis, si hoc prætermissum foret, dismembratio propterea non irrita foret ex dict. cap. 2. de rebus Eccles. non alienand. in 6. ibi: *Si una Ecclesia alteri Ecclesiæ, seu dignitati alicui, vel præbendæ, per Episcopum, suo consentiente Capitulo, uniatur, aut religioso loco tenetur, ex eo, quòd Rector ipsius ad hoc vocatus, vel, si vacabat, defensor ei super hoc datus non extitit: nequaquam id poterit impugnari.*

ARTICULUS VI.

De divisione beneficiorum.

970 *Divisio* fit tollendo unitatem beneficii, ex uno scilicet faciendo duo; quæstio igitur in præsens est, an Ordinarii locorum licitè faciant ejusmodi beneficiorum divisiones? quæstio hæc proposita fuit in Concilio Tutonensi, ut habetur cap. *Majoribus* 8. de præbend. & dignitat. ad quam responderunt Patres: *Majoribus Ecclesiæ beneficiis in sua integritate manentibus, indecorum nimis videtur, ut minorum Clericorum præbendæ patiantur Sectionem; idcirco, ut sicut in magnis, ita quoque in minimis membris suis firmatam Ecclesia habeat unitatem, divisionem præbendarum, aut dignitatum permutationem fieri prohibemus.* Vide num. 977.

971 Duo sunt, quæ ex hoc textu deducuntur, tanquam prohibita 1. est *permutatio* dignitatum; de quo aliàs suo loco; alterum, *Sectio*, seu *Divisio*

præbendarum etiam minorum ; quod tamen accipe secundùm ea, quæ dicemus à num. 977. quando autem dicimus beneficiorum seu præbendarum Sectionem, sive Divisionem, esse prohibitam, intelligitur *de divisione quoad temporalitatem ; sine divisione quoad jus spirituale officii*, ut colligitur ex c. *dilecto filio* 25. de præbend. ubi, cùm *unicum jus* spirituale, quòd vacabat, in simul duobus Canonicis datum esset, & contra hoc opponeret pars adversa, quòd si duo unicam præbendam haberent, id esset contra Concilium Turonense, inhibens præbendarum Sectionem, ac in Ecclesia, quæ determinatum habet numerum præbendarum, uno duntaxat individuo jure vacante, duo insimul eligi non possunt ad illud, cùm hujusmodi spirituale jus dividi, seu communicari nequeat inter eos ; ejusmodi receptio duorum insimul ad idem spirituale officium, etiam interveniente authoritate Apostolica facta, dicitur non tenere, ut notatur in Rubrica.

972 Sensus igitur dict. cap. *Dilecto*, is est, quòd quando præbendarum numerus est *certus*, vacante unâ, non possint duo insimul ad illum eligi, vel in eadem constitui, neque per Legatum Papæ, quia jus spirituale dividi non potest, nimirum officium spirituale, propter quod alicui præbenda constituitur, ut colligitur ex ipso textu ibi : *eò, quòd hujusmodi spirituale jus dividi, seu communicari nequeat inter eos* ; ubi Reginaldus in praxi fori pœnitent. *lib.* 3. *tract.* 3. *num.* 250. & Garcia de benefic. *part.* 12. *cap.* 4. *n.* 2. ejusmodi collationem insimul duobus factam dicunt esse invalidam.

973 Controversiæ porrò in hoc capite agitatæ occasionem dedit *Cellerarius*, qui præbendam, quam in Ecclesia Trecensi obtinebat, gratificari volens Archiepiscopo Rhemensi, tunc Legato Sedis Apostolicæ ad Ecclesiam Trecensem, in qua Nepoti suo præbendam concedere intendebat, cùm nulla penitus vacaret, in manibus dicti Archi-Episcopi resignavit, quo facto idem Archi-Episcopus, liberalitati ejus volens postmodum gratâ vicissitudine respondere, de Capituli Trecensi assensu, præsente quoque Venerabili Fratre se non. Archi-Episcopo, tam præfatum nepotem suum, quàm etiam *Cellerarium*, in Canonicum Trecensem instituit, & ambobus idem Capitulum, stallum in Choro, & locum in Capitulo assignavit. Quibus idem Rhemensis fructus supradictæ præbendæ tam diu dividendos communiter assignavit, donec præfatus G. integrum esset præbendale Stipendium assecutus, in eos, qui contravenire præsumerent, excommunicationis sententiâ promulgatâ.

Contra istam igitur receptionem 974
causa mota fuit, ac tandem tanquam invalida reprobata. Ubi duo advertе, 1. per *Cellerarium*, seu Cellarium, ibi intelligi eum Canonicum, qui (ut fit in quibusdam Ecclesiis Cathedralibus, teste Gonzalez hîc num. 2.) penui Ecclesiæ, asservando, & dispensando, præponitur, cuique tritici, & vini dispensario commissa est ; id, quod etiam interdum servatur in aliis Domibus Regularium, de quo Concilium Francofurd. Can. 13. ibi : (*ut Cellarii in Monasteriis, avari non eligantur* : alterum est, quòd ex dict. cap. colligitur, Episcopos posse licitè, & honestè, nepotibus suis, & consanguineis, respectivè pauperibus (si aliàs sint idonei) beneficia conferre ; cùm dicta collatio, quam fecit Archiepiscopus nepoti suo, non fuerit reprobata, quòd vacantem præbendam contulerit *nepoti suo* ; sed, quòd huic, & illi Cellario, *insimul*.

Et ita tenent Belletius disquisit: 975
Clerical. *part.* 1. *tit.* de bonis Clericis §. 11. *num.* 3. Lambertin. de jure patronatu *lib.* 2. *part.* 1. *quæst.* 8. *princ. art.* 12. *num.* 10. Menoch. de præsumpt. *l.* 5. præsumpt. 35. *num.* 9. Gonzal. *ad reg.* 8. Cancell. *in proœm.* § 4. *num.* 47. Flamin. *de resignat. lib.* 9. *quæst.* 17. *num.* 123. quos refert, & sequitur Barbosa de offic. & potestat. Episcop. *part.* 1. *tit.* 2. *Gloss.* 9. *num* 30. Unde, justam esse causam in reservatione pensionis expressam

per

per Episcopum (videlicet amoris) quo Franciscum, (utpotè suum ex fratre nepotem) prosequitur, tenet Rota *decis. 166. num. 5.* apud Farin. *part. 2. recent.* majorem enim charitatem, & pietatem in suos, quàm in extraneos exercere quis debet, cap. *non satis.* 86. dist. *omni videlicet cessante fraude, & præsumptione*, quæ pro consangineorum affectione stat, cap. *quis quis.* 12. quæst. 2. cap. *in canonibus* 16. quæst. 1.

Extat super hoc etiam Concilii Tridentini dispositio Sess. 25. de reformatione cap. 1. in hæc verba: *omnino* verò *eis interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant*, cùm & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ DEI sunt, consanguineis donent, *sed si pauperes sint, iis, ut pauperibus distribuant*: eas autem non detrahant, nec dissipent illorum causâ, imò quàm maximè potest eos sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratrem, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant: his præmissis:

§. Unicus.

An ex justa causa fieri possit ab Ordinariis divisio præbendarum?

976 DE hac quæstione Episcopus Vratislaviensis (ut notat Gonzalez in cap. *vacante.* 26. de præbend.) scripsit ad Innocentium III. quòd vacante quadam præbenda in sua Ecclesia, duas ex ea constituerit, ad illas de consensu Capituli duos Canonicos assumendo, quorum altero apud Sedem Apostolicam viam universæ carnis ingresso, præbendam; quam defunctus habuerat, quidam Clericus, Hippolytus nomine, fuit auctoritate Sedis Apostolicæ assecutus. Verùm, cùm dictus Hippolytus Episcopum super integritate præbendæ, per quasdam ad Papam literas, inquietaret, & alius idem jus adversus Episcopum se habere proponeret, quid in hoc facere debeat? Episcopus per Sedem Apostolicam edoceri petiit; cui Pontifex: Quòd, *cùm Turonensis statuta Concilii, sectionem inhibeant præbendarum, teneris utrique de his, quæ vacare contigerit, integrare præbendam, nisi rationabili causâ de vacante præbenda supradicta duæ fuerint constitutæ, ac tot sint utriusq; proventus, quòd per utramq; sit utriq; provisum in beneficio competenti.*

Ex hoc Textu deducitur, quòd 977
Episcopus ex rationabili causa possit præbendas *vacantes dividere*, ita, ut ex una fiant duæ, modò præbenda, quæ dividitur, habeant sufficientes reditus pro duabus præbendis, seu duobus beneficiatis congruè, ac decenter sustentandis, ut colligitur ex textu ibi: *nisi rationabili causâ, de vacante præbenda supradicta, duæ fuerint constitutæ, ac tot sint utriusq; proventus, quòd per utramq; sit utriq; provisum in beneficio competenti*; quo limitatur cap. *Majoribus*, de quo num. 970. ut non procedat in hoc casu.

Difficultas est, *quomodo*, aut *unde* 978
Episcopus, si post ejusmodi divisionem appareat, reditus non sufficere pro congrua sustentatione utriusque Beneficiati noviter instituti, possit *integrare* utrique præbendam, seu complere ad sufficientiam congruæ sustentationis? tametsi enim in textu dicti c. *Vacante.* 26. de præbend. dicatur: *teneris utriq; de his* (videlicet præbendis) *quæ vacare contigerit, integrare præbendam*; videtur tamen obstare cap. *Cùm causam.* 36. eod.

Cùm enim controversia esset in- 979
ter Episcopum Aurelianensem, & Joannem Canonicum Sanctæ Crucis, qui exigebat præbendam sibi suam integram: Judices ad hoc à Pontifice delegati quæsiverunt ex eodem, an aliam præbendam dividere deberent, ad integrandam præbendam Joannis? Respondit Pontifex, *quòd suæ intentionis non existat, ut pro integritate præbendæ supradicti Canonici præbenda de novo aliqua scinderetur.*

Discordia utriusque textus appa- 980
ret ex eo, quòd in cap *vacante* dicatur *integrationem præbendæ* tali casu *faciendam esse ex his, quæ vacare contigerit*;

at in c. *cùm causam*, dicatur, *non esse faciendam per Sectionem alterius præbendæ de novo*; unde igitur? nam *duobus in simul* in eadem præbenda *præstare institutionem* est contra c. *Dilecto*, de quo num. 973. *Dividere*, est contra Concilium Turonense, divisis inter eos bonis, ut constat ex num. 970. *dare uni sub exspectatione alterius*, contra Concilium Lateranense, prout dicitur in cap. *Tuæ*. 20. de præbend. ibi: Cùm sæpè contingat, quòd ad unam præbendam duo Clerici propter importunitatem petentium eligantur: hos attendentes, quòd *si duo unam præbendam tenerent, illud esse contra Concilium Turonense*, quòd præbendarum prohibet Sectionem, *& si unus illorum ipsum obtineret præbendam, sub exspectatione alius*, contra Lateranensis Concilii statuta remaneret, inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd *talis electio de rigore juris penitus esset cassanda.*

981 Resp. nihilominùs in tali casu, quo, post divisionem unius præbendæ in duas appareret, neutram divisionis partem sufficere præbendario noviter instituto, integrationem esse omninò faciendam, & quidem, si divisio facta est ab Episcopo, vel Ordinario, *inconsultò*, seu indebitè, (nimirum non præmissâ consideratione de sufficientia bonorum ex divisione cuilibet assignatorum) *integrationem* faciendam esse ab eo, *ex bonis suæ mensæ attributis*, nisi contingat vacare præbendam, vel aliud beneficium abundans, ex quo citra defectum congruæ sustentationis Beneficiato remanentis, portio alteri in præbendæ integrationem assignari possit; quo casu non fieret Sectio, de qua cavetur.

ARTICULUS VII.

De reliquis ad hunc titulum pertinentibus.

982 PRæter hactenus dicta not. etsi cap. *unic* hoc temp. habeatur, esse juris explorati, quòd *Actore non probante, is, qui convenitur, etiamsi nihil præstiterit, debere absolvi*; & *neminem debere sine accusatione damnari*, nec *testes receptos sine forma judicii* super aliquo negotio, *alteri præjudicium generare*: primum tamen intelligi cum limitatione, nisi contra eum stet præsumptio, ratione cujus onus probandi transferatur in ipsum, qualiter id contigit in casu hujus c. ubi contra Archi-Episcopum Mediolanensem variæ stabant præsumptiones de beneficio *non Canonicè* collato; & ideo ad certa puncta respondere coactus est; secundum etiam intelligendum *nisi notorietas facti stet loco accusantis*, ut diximus lib. 5. tit. 5. Deinde, ut non excludat alias vias procedendi per inquisitionem; vel denunciationem.

Not. 2. *occultam* beneficii collationem non quidem esse irritam; cùm id 983
nullo jure reperiatur expressum (præter eam, quæ fit electionibus juxta formam cap. *Quia propter*. 42. de Elect. ibi enim *electio*, & *electus* debet *publicari*) esse tamen suspectam, tanquam non canonicè factam, ut not. Gloss. in dict. c. *unic.* vide *occulta*; illud enim, *quòd clam, & secretò fit, suspectum est*, ut per Tiraq. de retract. tit. 2. in præfat. num. 13. & fraus præsumitur in his, quæ clandestinè, & secretè fiunt.

Not. 3. Collatorem beneficii non 984
posse cum Collatorio paciscì de fructibus, vel eorum aliquâ parte relinquendis Collatori; sic enim pactum istud foret simoniacum; quamvis sine pacto, alio titulo (verbi gratia, ad solvendum æs alienum pro suæ Ecclesiæ commodo, ac utilitate contractum) possit id ad tempus (necessitatis nimirum exigentis) eos, vel eorum partem reservare juxta dicta à num. 910. dixi *pro utilitate suæ Ecclesiæ*; nam unire, vel applicare suæ mensæ, vel Capitulo etiam ad tempus, jure ordinario non licet Episcopis, vel Ordinariis beneficiorum Collatoribus, arg. Clem. 2. de rebus Eccles. non alienand. juxta Gloss. V. *Mensæ*.

Not. 4. quamvis *pensiones Ecclesiasticæ* in multis cum beneficiis, & por- 985
tionibus conveniant; in re tamen, & propriè loquendo, non esse beneficia Ecclesiastica; hæc enim in se sunt perpetua, etiam in habente: illæ verò extin-

tinguuntur tempore, morte pensionarii, &c. Deinde pensionum impositio fieri non potest sine consensu Beneficiati; nam in regula Cancellaria aliàs 45. de consensu in resignationibus, & pensionibus cautum est, quòd literæ resignationis, vel assignationis, etiam motu proprio cujusvis pensionis annuæ super alicujus beneficii fructibus expediri non deberent, nisi de consensu illius, qui tunc pensionem solvere tenebitur.

986 Quæsitum fuit non ita dudum in materia pensionis, an Clericus à præsentatione ad beneficium vacans, injustè impediendus, nisi, obicem injustè posituro, promittat, soluturum pensionem annuam obtento beneficio, licitè consentiat in pensionem? Casus erat: vacante beneficio A. Patroni præsentaturi erunt Titium, non obstante, quòd mulier quædam potens ad idem, sed incassum, peteret præsentari filium suum. Hæc Titio comminabitur, nisi Titius sese obliget, obtento beneficio ad solvendam dictæ mulieris filio pensionem annuam ex beneficio, quod satis pingue erat fructibus persolvendam, se omni modo per potentes amicos impediturum cæteroquin præsentationem, imò etiam, eâ secutâ, in beneficio institutionem.

987 In hoc statu anceps Titius, ex una parte metuens impeditum vi se se à præsentatione; ex altera timens Simoniam, quærebat, an solùm ad redimendam vexam, possit licitè consentire in certam pecuniæ summam, quot annis persolvendam filio dictæ mulieris? Certum videtur non potuisse illum licitè consentire in pensionem propriè dictam, quâ gravaretur ipsum beneficium; nam hoc nec ipsis Locorum Ordinariis concessum est, extra casus, de quibus alibi. Deinde consideranda erat intentio, an hac obligatione, suæ personæ imponenda, Titius *directè* respiceret consecutionem præsentationis? an purè redemptionem injustæ vexationis? si primum? intentio foret simoniaca; sic enim consentiret in dationem, *ex pacto*, rei temporalis pro consecutione præsentationis ad beneficium, quæ est quid antecedenter spirituale, ratione juris, quòd supponit in Patrono præsentante, patronatûs, qui est jus Spirituale annexivè, ut constabit ex tit. 38. si secundum? visum est respondere, intentionem non fore simoniacam; nam datio pecuniæ pro redimenda injusta vexatione, in consecutione præsentationis ad beneficium, non est datio pro re aliqua spirituali etiam solùm annexivè tali: cùm tollere injustam vexationem, nec supponat tanquam principium jus spirituale; nec ex natura rei, vel necessariò inferat præsentationem, seu aliquid spirituale; de quo plura lib. 5 tit. 3. de simonia.

Not. 5. Cognoscere, ac decernere super excessu pensionis beneficiariæ spectare ad Judicem Ecclesiasticum; ita Zypæus de jurisdictione Ecclesiastica lib. 2. cap. 82. num. 1. nam pensiones constituere pertinet ad Superiorem Ecclesiasticum; ejusdem autem est interpretari, & cognoscere, cujus est constituere. Ubi tamen nota, id procedere de pensionibus *Ecclesiasticis*, quæ (cùm fundentur in titulo spirituali, vendi, ac pretio æstimari non possunt) non veniunt in restitutione in integrum ob læsionem, dolum, vel metum, à Principe Laico concedi solita; hoc enim in Secularibus negotiis receptum est, non in Spiritualibus, quæ jurisdictioni Laicorum nec indirectè subsunt ex dict. lib. 1. tit. 2. & lib. 2. tit. 1. & 2. Ex hoc sequitur, quòd Ecclesiasticæ pensionis excessivæ cognitio non habeat læsionem *in pretio* (cùm eò æstimari non possit) sed *in Episcopi officio*, quod non corrigit Laicus. 988

Not. 6. per unionem beneficiorum, quæ fit ab Ordinariis locorum, non posse tolli onera, quæ beneficiis unitis incumbebant antè, seclusâ dispositione summi Pontificis; res enim transeunt cum suis oneribus; c. *Pastoralis*, de decimis; neque *fructus* dicuntur, nisi deductis expensis, Lib. 1. C. de fructibus; & hæc generalis clausula (quòd *onera beneficiis, ante unionem incum-* 989

cumbentia, etiam post eam expleri debeant, nisi summi Pontificis authoritate in alia commutentur) intelligitur in omnibus unionibus, c. *Exposuisti* de præbend. c. *si propter*, de Rescript. in 6. & c. *præsenti*, de offic. ordinar. in 6. Meritò enim dicitur in L. *Præses*. C. C. de servitute, & aqua. *Durum est, ex tuis prædiis aquæ agmen, sitientibus agris tuis ad aliorum usum vicinorum propagari*; quod maximè in beneficiis Ecclesiasticis attendendum est, quò minùs alterentur piæ fundatorum voluntates; quòd non nisi, ut ait Tridentin. Sess. 22. de Reformatione cap. 6. ex justa, & necessaria causa fieri debet, adeoque eâ discretione, ut *cooperiendo unum altare, non discoperiatur alterum*, ut dici consuevit; sed *illius necessitati provideri debet de eo, quod alteri superest*, c. *præsenti*; & sic in unionibus, unito, ante omnia portio congrua reservatur: postea, inquit Rebuffus tract. cong. port. num. 103. Papa reliquos fructus donat, & unit, ut ibi prosequitur.

990 Not. 7. Quamvis Concilium Tridentinum Sess. 23. de reformatione, cap. 18. ad valde piam, & laudabilem instituendorum seminariorum causam permiserit uniri, atque incorporari aliqua beneficia simplicia: adjecisse tamen clausulam: *sine cultûs divini præjudicio*, & in alio necessario casu Sess. 24. cap. 15. *ita tamen*, inquit, *ut tot supersint, quæ divino cultui celebrando, ac dignitati Ecclesiæ commodè valeant respondere*; quo patet, eos, quibus beneficia uniuntur, non posse justè, salvâque conscientiâ percipere illius proventûs, nisi onera, quæ prius ex reditibus ejus præstanda erant, & consequenter impensæ, ad hoc faciendæ, prius deducantur (illud enim duntaxat venit *nomine fructuum*, quòd remanet deductis expensis debitis, ut dictum est) consequenter nullatenus ab illis satisfieri etiam inconscientia, qui per annos, & annos percipiunt reditus beneficii uniti, quin ad ejus justam munditiem, & decorem, rebus propè omnibus vetustate defluentibus in pœdorem, quicquam impendunt, contenti solo sacrorum numero, in quem reliqua commutata sunt.

Not. 8. In casu, quo, in quibus- 991
dam Monasteriis, Regularis disciplina vehementer deficit, quin & plures ejus inquilini Regulares in vitam licentiosam abeunt, accipiendo uxores, trahendo bona monasteriorum, in harum, & liberorum possessionem, prout superiori seculo, invalescente hæresi, cum ingenti detrimento animarum, & scandalo, tota prope Germania experta est (& doceri potest ex institutis Monasteriorum visitationibus, quæ habentur in Archivis publicis) non esse dubium, ejusmodi monasteria, ac bona eorum, de consensu (& à fortiori) de instanti etiam supplicatione Principum, licitè, valideque transferri posse etiam pleno jure à summo Pontifice, etiam ad Regulares diversi ordinis, quorum zelus, pietas, doctrina, & in Catholica religione propugnanda, etiam profuso sanguine manifestis argumentis probatus indefessus labor, orbi notus erat; deducitur ex cap. 2. de præbendis in 6. & manifestum est ex ipsa Fundatorum intentione, qui bona Ecclesiæ, & Monasteriis dederunt, non luxûs, & fovendæ licentiæ vitæ causâ, violatis observantiæ regularis, repagulis; sed ad DEI cultum, & salvificam fidem in animabus fidelium conservandam, & propugnandam, nec etiam aliter in eorum proprietatem transivere istiusmodi bona, nec ullis etiam antecessorum decretis, si quæ in hoc casu forent in contrarium, successores Pontifices obstringi poterant, ut manifestum est ex c. *Novit ille* 13. de Judic. & passim alibi:

Not. 9. Per *suppressionem* beneficio- 992
rum intelligi eorum *extinctionem*, vel reductionem ad minorem numerum, quando reditus adeò tenues sunt, ut non sufficiant decenti Beneficiatorum sustentationi; unde, si beneficii reditus omnes ad alios usus Ecclesiasticos destinantur, beneficium penitus supprimitur, seu extinguitur, & totaliter desinit, nec propterea fine debito caret, cùm exinde alii Ecclesiarum Ministri, reditibus suppressarum præbendarum aucti, ad DEI servitium magis animentur, & divina ministeria exactius

ctius persolvantur, ut notatur in Tridentin. Sess. 24. de Reformatione cap. 15. Hanc beneficiorum suppressionem fieri posse à summo Pontifice ex justa, & rationabili causa, extra dubium est; eam etiam ab Episcopis fieri posse ex justa causa, colligitur ex cap. *Constitutus*, 8. de Constitutione ubi Primiceriatus in Tullensi Ecclesia, communi assensu Canonicorum, suppressus fuit, accedente deinde confirmatione Sedis Apostolicæ; cui etiam favet Trident. Sess. 24. de Reformatione cap. 15. concedens, in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis insignibus, in quibus frequentes, adeoque tenues sunt præbendæ, simul cum distributionibus quotidianis, cum consensu Capituli, vel aliquot simplicia beneficia (non tamen regularia) unire; vel, si hâc ratione provideri non possit, aliquibus ex iis *suppressis* cum patronorum consensu, si de jure patronatûs Laicorum sint; quarum fructus, & proventus reliquarum præbendarum distributionibus quotidianis applicentur, eas ad pauciorem numerum reducere; qualis porrò solennitas in ejusmodi suppressionibus, de jure, observari debeat, & causæ justitia? colligi cum proportione potest ex dict. de benefic. unione, dismembratione, & sectionibus.

QUÆSTIO XIII.

IN TIT. XIII. DE REBUS ECCLESIÆ ALIENANDIS, VEL NON.

QUoniam *alienatio rerum* per contractum fit, & tum iste, tum plures ex titulis sequentibus de hac materia tractant; antequam ad singulas dictorum titulorum materias descendamus, aliquid, *de Contractibus in genere* præmittendum est; postquam libro 1. titulo 35. de pactis actum est, quæ, tanquam aliquid heperius, seu universalius, dicuntur de Contractibus, strictè sumptis.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Contractus?

993 *Contractus* dupliciter accipi potest; minùs strictè, prout convertitur cum *pacto*, & definitur: *duorum*, vel *plurium in idem placitum consensus*; in qua contractus acceptione non importatur *obligatio mutua* Contrahentium ad invicem; & hoc sensu idem est, *ac pactum*, prout diximus Lib. 1. tit. 35. si autem *Contractus* sumitur strictè, plerumque dicitur, *ultrò citroque* obligatio; quam descriptionem dicunt communiter, non esse *formalem*; sed *per effectum*; cum contractus, non *formaliter*, sed *causaliter* sit obligatio. Cæterùm *contractus* apud Latinos (ut notat Azor tom. 3. lib. 6. cap. 1.) dicitur à *contrahendo*, quia duo, vel plures simul ad unam obligationem secum consensum trahunt. Unde apud Theologos, & Juristas (ut notat Molina tom. 2. disp. 252. ad finem) contractus dicitur, *quasi tractus voluntatum diversarum in idem, ad dominium transferendum, aliquamvè obligationem efficiendam, aut dissolvendam*, nomine *contractus* latissimè accepto.

Dixi: *nomine contractus latissimè accepto*; nam *contractus* (teste Sylvestro, V. *eodem.* quæst. 1.) tripliciter sumitur. 1. *latissimè*, & impropriè pro quocunque pacto, sive ex eo nascatur obligatio utriusque partis, sive alterius tantùm, sive nullius; in qua acceptione *donatio* incipiens à traditione, eo ipso, quòd acceptata est, vocatur contractus, ut deducitur ex *L. si donationis.* C. quod metus causa, & tamen ibi solùm datur utriusque partis consensus, & neutrius obligatio cùm res statim traditur; sumitur secundo *latè*, & minùs propriè pro omni pacto, ex quo resultat obligatio, 994

tio, saltem ex altera parte, ut colligitur ex L. *si quis emptionis.* C. de præscr. trig. annor. sic est contractus, donatio acceptata, quæ incipit à promissione: sumitur 3. *presse*, ac propriè pro omni pacto, in quo oritur obligatio ex utraque parte. Et hoc sensu à Theologis dicitur, *actus inter duos, vel plures Celebratus, ex mutuo ipsorum consensu, hinc inde producens obligationem.*

995 *Obligatio* autem triplex est, merè naturalis, merè civilis, & mixta; *merè naturalis* est, quæ oritur ex ipsa rei natura, & urget in conscientia, seu sub peccato; non tamen per actionem in foro externo, saltem Civili; propterea quòd jus non assistat contractui; ex quo nascitur, quamvis nec ei resistat; *merè civilis* est, quæ non urget in Conscientia, fulcitur tamen, & fovetur, concedendo illi actionem in foro externo: *mixta* est, quæ consurgit ex naturali, & civili, consequenter tam in foro poli, & conscientiæ, ac interno, quàm in foro fori, & externo constringit ad præstandum, vel omittendum id, super quo Conventum est; quibus alii addunt quartam obligationis speciem, nimirum *honestatis*, & *decentiæ*, in eo sitæ, quòd congruat naturæ rationali, quà tali, vel *absolutè*, vel *supposito tali statu*, & *rerum conditione*; aliud enim decet Regem; aliud, subditum: aliud, virum: aliud, fœminam. Unde Divus Augustinus apud Sylvestrum, V. *Honestas*, hanc vocat *intelligibilem pulchritudinem.* Cuilibet autem obligationi respondet debitum illi, cui quis obligatur, præstandum, sive debitum sit *legale.* (Scilicet ortum ex lege naturali vel positiva) sive sit *morale*, hoc est ita procedens ab ipsa virtutis honestate, ut, nisi illi satisfiat, honestas rerum conservari nequeat, *saltem decorè*; de quibus videri potest S. Thomas. quæst. 80. a. *unico.* quibus positis.

996 Placet ea contractus strictè sumpti definitio, quam tradit P. Paulus Rosmer in libello suo, de jure, & justitia, §. 2. de *Contractibus in communi* num. 1. dicens, contractum in stricta significatione acceptum benè definiri, quòd sit *pactum, ultro citroque obligans*; quæ definitio non differt ab ea (quam tradidimus num. 994. prout etiam describitur à Theologis; ac illâ quam Juristæ communiter tradunt ex lege *Labeo* 2. ff. de V. S. factâ per effectum, seu *causaliter*;) & exponit contractum formaliter, per genus & differentiam. Ex quo habetur, *ea omnia*, quæ sunt de natura *pacti*, pariter esse de natura *contractus*, strictè sumpti; sed *non sola*; Cùm, præter genus, in specie claudatur etiam differentia, quæ utique superaddit novum aliquid generi. Quid portò sit pactum? quid pactum nudum? quid vestitum? & quibus modis vestiatur? quis ejus effectus? qui pacisci possint, & super quo? an pactum nudum juramento confirmetur, ut propterea obliget in vim justitiæ? an jure Canonico actionem pariat? &c. diximus lib. 1. tit. 36. à num. 2551.

997 Notandum autem, quando diximus, contractum, propriè dictum, parere obligationem *mutuam* in contrahentibus, duo communiter opponi. 1. quòd conveniat aliquibus, quæ non sunt contractus propriè dicti, 2. aliquibus inducentibus obligationem, non in utroque, sed solùm in uno contrahentium. Primam partem probant ex contractibus innominatis (v. gr. *do*, ut *des*) hi enim non sunt propriè contractus, antequam ab una parte impleantur; & tamen pariunt ultro citroque obligationem: alterum autem probant. 1. Quia *mutuum* est contractus propriè loquendo, & tamen in mutuante nullam parit obligationem, & tamen est propriè contractus; cum Lib. 17. C. de fide instrument. numeretur inter contractus propriè dictos, ibi: *contractus*; *venditionem*, vel *permutationem*, vel *donationem.*

998 Ante responsionem notandum, obligationem, per ordinem ad quam definitur contractus propriè dictus, non accipi pro naturali tantùm, sed etiam Civili; quatenus importat jus, in foro externo, ac in judicio, persequendi debitum; nam obligationem naturalium pariunt etiam pacta nuda, ut diximus lib. 1. tit. 36. num. 2599. quod verum est,

est, etiam de illis, quæ secluso jure humano, subsistunt jure naturali, licet dispositione juris humani infirmentur, exceptis tamen quibusdam casibus, de quibus, *cit. lib.1. tit.36. à num.2606.*

999 Resp. Igitur, dictum contractus definitionem convenire *Damni & soli* contractui propriè dicto; ad primum in contrarium ℟. contractum *innominatum* (antequam ex parte unius impleatur) esse quidem contractum *generaliter*, & utrinque parere obligationem *naturalem*, sed non *civilem*; Cùm sic stet in nuda conventione; adeoq; non esse contractum propriè dictum, nec ei convenire hujus definitionem quod universim de Contractibus innominatis, antequam ab uno impleti sint, tradit Haunoldus tom.3. de jure, & just. tr.8. num. 14. Ad 2. de mutuo ℟. ex eo contractu nosci obligationem civilem in mutuante, *non repetendi mutuum, antequàm dies debiti veniat*; & in mutuatario; *ubi dies venerit, solvendi sortem cum usuris.*

1000 Dices: obligatio, qualem debet parere Contractus, est obligatio aliquid præstandi, quod potest reipsâ non præstari, & sic impediri, quò minus jus activum alterius consequatur effectum sibi debitum; ab hoc non parit contractus mutui in mutuante. Min. prob. Nam obligatio, prout hîc in jure consideratur, dicitur relatè ad actum, vel ejus omissionem non utrunque, & inefficaciter (qualis est actus, vel omissio jure nulla) sed efficaciter impeditivam juris activi residentis in altero (sic venditor, accepto pretio, tenetur ad traditionem mercis emptori; Consequenter ad omissionem traditionis alteri faciendæ, quam tamen, tradendo secundo emptori, efficaciter, ac validè impedit.) Sed obligatio antequam dies veniat, non reptendi mutuum, non est ad talem actum; etiamsi enim mutuans Centies repetat, hæc repetitio inefficax, & invalida erit.

Resp.1. trans. ma. N. min. ad hujus prob. ma. N. min. Nam. Dices, quod quis habet adversus alterum, consistit in facultate legitima, directè, ac formaliter percipiendi commodum libertatis propriæ, ex usu alicujus rei, ut tradidimus in Tract. Theolog. de jure, & justitia. q.1. quando autem mutuatarius à mutuante infestatur, ut solvat sortem, antequam dies *veniat*, impeditur quoad usum suæ facultatis legitimæ, utendi formaliter in commodum libertatis propriæ in usu sortis, & quidem adeò, ut eum in judicio convenire possit, ac petere, ut ab ea infestatione desistat; ergo. Hinc ℟. 2. N. ma. nam obligatio, quam quis habet, non impediendi efficaciter jus activum alterius, non necessariò dicitur ad actum validum, cum jus alienum impediri, vel inquietori possit per actus etiam jure naturali nullos; & tamen quis obligari potest, etiam ex contractu, ne ponat talem actum. Deinde, jus alienum (ut in casu, quo quis contra obligationem suam, jure alterius vetitam agit) non necessariò efficaciter tollitur; sed tantùm suspenditur, ut patet in eo; qui contra fidem primorum sponsalium contrahit cum alia matrimonium; ergo sufficit obligatio ad omissionem actionis, quâ jus alienum malè interpellatur; hanc autem habet mutuans.

Ad id, quod dicitur de *donatione*, 1001
etiam acceptata, ℟. negando, illam esse Contractum strictè, ac propriè dictum; alios quodlibet pactum vestitum, quod parit actionem, erit propriè contractus, quod tamen communiter non admittitur. Neque hoc evincitur ex cit. L.17. C. de fide instrument. nam ibi non numeratur *inter contractus*, qualis est venditio, vel permutatio; de hoc enim ibi non agitur; sed solùm dicitur, qualiter *instrumenta* venditionis, permutationis, vel donationis confici debeant, ut fidem debitum faciant; instrumenta enim confici possunt non tantùm super contractibus; sed etiam donationibus, ultimis voluntatibus, & similibus: aliud ergo est: *donatio numeratur inter contractus propriè dictos*; aliud, *donatio numeratur inter illa, super quibus*, si redigenda sint instrumenta, modum lex præscribit: primum non dicitur cit. L. 17. sed solùm, secundum; ergo.

Verba dictæ legis sunt: *Contractus* 1002
venditionum, vel permutationum, vel do-

nationum, quas intimari non est necessarium: donationes etiam harum, vel alterius cujuscunque causæ, *quos tamen in scriptis fieri placuit*: transactionum etiam, *quæs in instrumento recipi convenit: non aliter vires habere sancimus, nisi instrumenta in mundum* [hoc est chartam puram, ut ibi notat glossa] *recepta, subscriptionibus q; partium confirmata; &, si per tabellionem conscribantur, etiam ab ipso completa, & postremo à partibus absoluta sint, ut nulli liceat, priusquam hæc ita præcesserint, vel à Scheda conscripta (licet literas unius partis vel ambarum habeat) vel ab ipso mundo, quod necdum est impletum, vel absolutum, aliquod jus sibi ex eodem contractu, vel transactione vindicare: adeò ut nec illud in hujusmodi venditionibus liceat dicere; quòd pretio statuto necessitas venditori imponatur, vel contractum venditionis perficere, vel id, quod emptoris interest, ei persolvere*; nam ex hoc textu deducitur in eo solùm agi de his Dispositionibus, aut Conventionibus, *quæ in scriptum redigendæ sunt*; & his annumeratur etiam *donatio*; certum autem est, non omnes dispositiones, aut conventiones redigendas in scripturam, esse contractûs strictè sumptos.

1003 Ad alteram tituli partem &c. *contractus* variè dividi; & primò in nominatos & Innominatos; 2. in oneroſos, & lucrativos; 3. in contractus bonæ fidei, & stricti juris; 4. in explicitos, & implicitos, seu quasi contractos: 5. in eos, qui perficiuntur solo consensu; in alios, qui re; alios, qui certâ verborum formâ: ac demum illos, qui scripturâ. Contractus *Nominati* appellantur, qui certum nomen in jure habent; ut emptio, venditio, conductio &c. *Innominati* sunt, qui certum, ac speciale nomen non habent in jure, sed communi nomine pacti, vel contractûs gaudent, ac istis vocibus exprimuntur: *do, ut des; do, ut facias; facio, ut des: facio, ut facias*; de quibus in seqq.

1004 *Contractus oneroſi* sunt, qui ultro citroque aliquod onus, & obligationem inducunt; ut emptio, venditio: *lucrativi tantùm*, in quibus danti, vel facienti nihil rependitur; adeoque unam partem gravant, ei nimirum imponendo gravamen, alteri lucrum, seu commodum; inter hos aliqui numerant, stipulationem, donationem, commodatum, precarium, &c.

Contractus bonæ fidei specialiter in 1005
hoc stant, quòd in illis judex non tam attendat ad rigorem pacti; & conventionis *verbalis*, quàm ad æquitatem, pronuntiando ex æquo, & bono, pro una parte contrà alteram, etiamsi in ipsa conventione non fuerit expressum, modò æquitas postulasset, ut exprimeretur: *stricti juris* autem sunt, in quibus judex debet judicare secundùm rigorem juris, & pacti, adstringendo partes ipsi conventioni, quantum justitia, & epichia patitur.

Contractus formales, seu *expliciti* 1006
sunt, quando formaliter ac realiter intervenit utrinsque partis consensus; virtuales autem, seu *quasi contractus*, ideo sic appellati, quia non, nisi lege disponente, & supplente consensum, unus alteri obligatur, licet nulla interceſſerit vera conventio, nisi interpretativa, & jurisfictione. Notandum autem, quòd quinque genera *quasi contractuum accenseantur*. Primum dicitur *negotiorum gestorum*, & datur, quando unus, absque mandato formali, aut virtuali, negotium alterius viriliter egit; postulante nimirum (ut ait Molina *Tom. 2. Disput.* 553.) tum ipsâ rei naturâ; tum etiam communi bono; ne res, & negotia absentium, & minorum detrimentum patiantur, constitutum fuit, ut utrinque nascatur obligatio. Secundum est *administratæ tutelæ, vel Curæ*; tertium, *communionis rerum*, sive bonorum: ut quando duo habent eandem rem communem, sive ex legato, sive ex donatione, sive unus eorum fructus ex ea percipiat, tenetur alteri actione directâ ad dimidium, deductis expensis, non ex contractu. Quartum *hæreditatis aditæ*: nam hæres eo ipso, quòd hæreditatem adit, tenetur legatariis ad legata, & debitoribus ad debita, non ex contractu, sed ex quasi contractu: cùm ipse nullum contractum cum prædictis inierit. Quintum *indebiti soluti*, quando scilicet quis per errorem solvit,

quòd

quòd non debebat; tunc enim ei condictio, & repetitio ſoluti conceditur ex quaſi contractu.

1007 Contractus, qui *re perficiuntur*, ſunt, qui non in ſola conventione conſiſtunt, ſed exigunt ulterius rei traditionem; ut pignus, depoſitum, mutuum, commodatum, permutatio, donatio; *Scripturâ perficiuntur*, qui ante ſcripturam rati non habentur, ut emphyteuſis, & ſimiles, qui ad ſui vigorem ſcripturam poſtulant; *Verbis* dicuntur perfici, qui requirunt certam verborum formam, quales ſunt omnes ſtipulationes: *Conſenſu* perficiuntur, qui nec requirunt ſcripturam, nec certam verborum formam, ſed ſolum conſenſum quovis ſigno externo utrinq; explicatum, ut emptio, locatio.

1008 Circa promiſſas diviſiones not. 1. contractus *innominatos* à quibuſdam vocari generali nomine *permutationes*; quamvis alii *permutationem* velint eſſe contractum ſpecialem, ac *nominatum*; cùm etiam ſub ſpeciali titulo de illa agatur in jure canonico, ut dicemus hoc lib. tit. 19. Not. 2. ad contractus innominatos pertinere etiam negationes v. gr. *facio, ut non facias*; vel *non facio*, ut *facias*; quo aliqui etiam reducunt conventiones illas, quibus aliquid admiſcetur *de fortuna*, ut luſus. Sponſio, ſors, &c. fortaſſe; quòd ſpeciale nomen non habeant *in jure*: *Cambium* autem, & contractum *cenſualem* in ſenſu juris canonici, reducunt aliqui ad contractum emptionis, & conductionis. Hinc communiter tradunt doctores, contractus *innominatos*, qui tales manent, eſſe regulandos juxta nominatos, ad quos propiùs accedunt. v. gr. *do, ut des* juxta contractum venditionis; cum ei magis aſſimiletur; *do, ut facias*, conductioni, locationi: quando autem dubitatur, an ſit nominatus, vel innominatus? regulariter præſumi, *nominatum*.

1009 Dixi. 1. *qui tales manent*; quia contingit aliquando, contractum *ex ſe* innominatum, componi, ſeu conjungi cum alio nominato, & viciſſim; puta, ſi quis dicat: *do tibi bovem, & laborabo per tot dies in tua vinea, ut tu des bovem, & agas cauſam meam in judicio.* Tali enim caſu contractus erit *mixtus*, & ſortitur nomen illius, qui ex illis prævalet æſtimatione rei conventæ.

Dixi 2. *regulariter* in dubio præſumi *nominatum*; nam aliqui excipiunt caſum, quo (cùm alteri committitur aliqua res vendenda, ut Commiſſarius committenti reddat, *rem ipſam, vel ejus æſtimationem*) dubium naſcitur, an talis venditio pariat actionem? & hoc ideò, quia dubitatur, an dicenda ſit actio ex *locato*, quaſi rem vendendam locaverit? an *mandati?* quaſi vendendam mandaverit? &c. nam tali caſu ſpecialiter in jure conſtitutum eſt ad ſubmovendum hoc dubium, ut detur *actio æſtimatoria*, & contractus ille innominatus dicatur *æſtimatorius*, de quo eſt titulus in ff. de æſtimatoria actione; & agit Corvinus in Enchiridio. lib. 3. tit. 28.

Notandum. 3. cùm non tantùm ex 1010
contractibus, ſed etiam *quaſi* contractibus naſcantur actiones, & quædam dicuntur *actiones bonæ fidei*, ex quibus contractus bonæ fidei agnoſcuntur, illas eſſe ſequentes, ut habetur §. 20. Inſtitut. de actionibus: nimirum, actionem *exempto, pro vendito, locato, conducto, negotiorum geſtorum* (tam directa quàm contraria) *mandati; depoſiti, pro Socio, Tutelæ, Commodati, Pignoratitia, familiæ herciſcundæ, communi dividundo, præſcriptis verbis, æſtimatoria, ex permutatione, hæreditatis petitio, actio ex ſtipulatu, pro dote.* &c.

Ex his deducitur contractus omnes, quibus conceditur actio *bonæ fidei*, annumerandos contractibus *bonæ fidei*; nimirum emptionem, venditionem, locationem, conductionem, depoſitum, commodatum, pignus, ſocietatem, permutationem; quibus aliqui annumerunt cambium, cenſum, & omnes innominatos: *ſtricti juris* autem, promiſſionem, libertatem, donationem, mutuum, feudum, emphyteuſin.

Not. 4. diſtinguendum eſſe inter 1011
bonam fidem, prout ſe tenet *ex parte operantis* v. gr. prout in eo excludit, ſaltem non includit *ſcientiam* de malitia objecti, vel quòd res v. gr. poſſeſſa ſit aliena; atque adeò prout excludit

dolum, & fraudem: vel prout *se tenet ex parte judicis*, supplentis simplicitatem partium, quando non expresserunt, quòd ex æquitate debebant, sic, ut ejus interpretationem æquo animo, in tali casu, accipere debeant. Hâc observatione positâ, plures juris textus, qui prædictis videntur opponi posse, faciliùs exponuntur. Nam quando dicitur, aliquos contractus *esse bonæ fidei*, bona fides accipitur, prout se tenet *ex parte judicis*; quando autem dicitur, *bonam fidem in contractibus considerari*, *æquum* esse, accipitur, prout est *in contrahentibus*, nimirum exclusâ fraude, & dolo. Hinc etiam ibi textus Lib. 8. de Judic. ubi dicitur: *placuisse, in omnibus rebus præcipuam esse rationem justitiæ, ac æquitatis quàm stricti juris*, solùm sermo est de legum interpretatione doctrinali, non judiciali.

1012 Not. 5. quasdam actiones vocari *arbitrarios*, quæ hoc habent, quòd ante sententiam definitivam interponatur aliquod arbitrium, seu interlocutio, ubi Judex potius agit arbitrum, & perpendit, qualiter actoris intentioni satisfieri à reo debeat *spectatâ æquitate*; non, *rigore*. Nam si hoc suum arbitrium Reo proposuit, & is acceptat, & paret, absolvitur; si secùs condemnatur secundùm rigorem actionis intentatæ. Hinc actiones *arbitrariæ* sunt, quos licèt Judici quodammodo inhibere; ubi verò tenetur secundum naturam actionis procedere, non *arbitrariæ* dicuntur.

ARTICULUS II.

De his, quibus confirmantur contractus.

1013 ANte resolutionem supponendum, hanc quæstionem: *an contractus juramento confirmentur?* posse procedere, quando juramentum adjicitur contractibus, non solùm secundùm se firmis in lineâ contractûs; sed etiam, qui secundùm se infirmi sunt; 2. dictam quæstionem, posse in duplici sensu accipi. 1. ut sensus sit vulgaris, nimirum, quòd contractus sit juratus, præscindendo, an contractus talis obliget, *in vim justitiæ*, *ratione contractûs*; vel, *ratione juramenti*: 2. ut sensus sit, quòd per accessionem juramenti obliget *in vim justitiæ*, esto secundùm se, & *in vi contractus*, id non haberet; & de hoc est potissima quæstio, dum disceptatur, *an contractus confirmentur juramento?*

Suppon. 2. dupliciter fieri posse, 1014
quòd aliquis contractus, vel pactum *jure annulletur*; 1. solùm *negando illi actionem*, seu obligationem *civilem*; 2. irritando illum, ut nec pariat obligationem *naturalem*; & hoc quidem directè, ac immediatè propter bonum commune speciale; subinde etiam privatum alicujus statûs, ætatis, Sexûs; quales sunt, quæ annullant Contractus pupillorum, damnosos istis, celebratos sine Tutoris authoritate.

Deinde irritationem contractus fieri posse, vel *absolutè*, & sine suppositione *juramenti*; vel *in hujus suppositione*; & quidem dupliciter. 1. ut supposito juramento valeant, & non tantùm obligent *in vi religionis*, ex juramento; sed etiam *in vi justitiæ*, ex contractu: 2. ut non obstante juramento, licet obligent in vi religionis, contractus nihilominus non valeat, nec obliget in vi justitiæ; quo casu *relaxato juramento*, nulla maneret obligatio; sicut in priori sublato per dispensationem juramento, adhuc remaneret obligatio justitiæ; quibus positis:

Quatuor sententiæ sunt in hac 1015
quæstione. 1. tenet, nullum contractum jure invalidum, confirmari juramento: Sic Basilius Pontius lib. 12. de Sponsalib. cap. 8. num. 43. altera idem tenet, sed cum exceptione, duorum casuum. 1. si mulier cum juramento consentiat in alienationem rerum dotalium, ex c. *cùm contingat*. de jure jurando; & c. *Licet mulieres*. eod. in 6. 2. Quando filia dotata cum juramento renuntiat hæreditati paternæ, ex c. *Quamvis pactum*, de pactis, in 6. Sic Castropalaus de juramento D. 2. p. 9. num. 4. Tertia (quæ tribuitur Lessio, & P. Suarez) docet, contractum juramento firmari, quando simul adest

obli-

obligatio naturalis ; ut, si solùm irritetur quoad obligationem *civilem* ; vel adjiciatur promissio tali contractui, quantumvis jure irrito, non contraveniendi : Quarta est Haunoldi tom. 3. de jure, & just. tract. 8. num. 135. volentis, omnem contractum juramento firmari, quando non intervenit injustitia ex parte personæ, in cujus favorem juratum est (puta dolus, metus, usura &c.) nec intervenit præjudicium tertii ; aut ei lex, prout posset, resistat.

1016 In hac re certum videtur, quòd juramentum *ex se*, & *formaliter*, aut etiam *causaliter*, non possit inducere obligationem, ut *in vi justitiæ* obliget pactum, aut contractus, qui tam jure naturali, quàm humano invalidus est ; obligatio enim, quam parere potest *vi suâ* juramentum, solùm est *in vi virtutis Religionis*, cùm nullo modo pertineat ad virtutem justitiæ strictæ, seu commutativæ ; Solùm ergo quæstio esse potest de casu, quo propter reverentiam juramenti, leges, aut sacri canones non extendunt dispositionem suam ad ea pacta, & contractus, quibus apponitur juramentum ; hinc tota demum quæstio reducitur ad hoc, *an leges irritantes certa pacta, & contractus secluso juramento, extendant se etiam ad casum, quo illis apponitur juramentum ? an secus ?*

1017 Castropalaus, ut notavimus num. 1015. negat contractus, jure invalidos, confirmari juramento, nisi in duobus casibus ibidem relatis : pro secundo casu ducitur 1. decisione, quæ habetur c. *Quamvis pactum.* 2. de pactis in 6. ubi habetur, quòd *quamvis pactum, patri factum à filia, dum nuptui tradebatur*, ut dote contenta nullum ad bona paterna regressum haberet, *improbet lex civilis ; si tamen juramento, non vi, nec dolo præstito firmatum fuerit ab eadem, omnino servari debebit, cum non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum.*

Irritatio autem, ad quam in jure civili se refert dictum c. habetur L. *Pactum Dotali.* 3. C. de Collationibus, ibi ; *pactum dotali instrumento comprehensum*, ut contenta dote, quæ in matrimonium collocabatur, nullam ad bona paterna regressum haberet, *juris auctoritate improbatur ; nec intestato patri succedere filia eâ ratione prohibetur. Dotem sanè quàm accepit, fratribus, qui in potestate manserunt, conferre debet.*

Pro primo autem casu fundat se 1018
Castropalaus in c. *Cùm contingat* 20. de jurejurando. Cùm enim quandoque contingat, quòd constante matrimonio mulieres alienationibus super rebus dotalibus, & donationibus propter nuptias consentiant, ne ulterius contraveniant *proprio Sacramento firmando* ; ac soluto, processu temporis, matrimonio contravenire nitantur, ab Innocentio III. quæsivit Episcopus Beluacensis, *utrum eis hoc liceat ?* Respondit Pontifex, *quòd, etsi* mulierum consensus in talibus non videatur obligatorius *secundùm legitimas sanctiones ; ne tali tamen prætextu viam contingat perjuriis aperire, mulieres ipsæ servare debent hujusmodi juramenta, sine vi, & dolo sponte præstita ; cum in alterius præjudicium non redundent, nec observata vergant in dispendium salutis æternæ.*

Deinde in c. *Licet mulieres* 2. eod. 1019
in 6. ibi : Licet mulieres, quæ alienationibus dotium, & donationum propter nuptias consentiunt, *non contravenire proprio juramento firmantes, servare juramentum hujusmodi, non vi, nec dolo præstitum ; de jure canonico teneantur :* quia tamen quidam judices seculares contra præfatas alienationes eas audiunt, quamvis eis constet legitimè de hujusmodi juramento ; Nos animarum periculis obviare volentes, eosdem judices ad servandum hoc jus canonicum per locorum Ordinarios censura Ecclesiastica decernimus compellendos.

Ex his porrò textibus, clarè habe- 1020
tur, quòd, licet ea, quæ illo pacto inter paciscentos inita sunt, jure civili non teneant, saltem quoad obligationem *civilem* secluso juramento ; servanda

vanda tamen sint, si eis accedat *juramentum*. Sed! an accessione juramenti confirmentur? hoc est, non tantùm obligent *in vi juramenti*, & religionis; sed etiam *in vi pacti?* seu contractûs. & justitiæ? in his juribus, saltem expressè non resolvitur. Similiter, an ubi apponitur juramentum, non irritentur â lege, per quam aliàs illa pacta irrita sunt, secluso juramento? ex his juribus, saltem clarè, non probatur.

Verum est, quòd Ecclesia præcipiat, ut illa pacta observentur; sed hoc stat, quin obligent in *vi justitiæ*; cùm adsit vinculum juramenti, & religionis; Deinde ex allatis juribus non probatur, supposito juramento, restringi legem irritantem denique, quòd Ecclesia præcipiens illa in casu juramenti appositi observari, non respiciat in illis vinculum *justitiæ*, sed *Religionis*, ex eo deduci potest, quia reddit eandem rationem pro præsenti casu, (*quia servari potest sine dispendio salutis æternæ*) quâ utitur, ubi nihil agitur de vinculo *justitiæ*, sed *religionis*.

1021 Instabis cum Haunoldo cit. num. 188. in dictis capit: *Cùm contingat*, & *quamvis pactum*, expressè dicit Pontifex, juramentum illud esse servandum, *si sponte, sine vi, & dolo præstitum sit*; ergò non possunt intelligi de obligatione *solius juramenti*; patet consequentia, quia juramentum adhuc induceret obligationem *religionis*, etiamsi vis interveniisset; quia servandum est, quando sine dispendio salutis servari potest; undè, & usuræ *juratæ* solvi debent, licet injustè exigantur ab Usurario, & restituendæ sint c. *Debitores*, de jurejur. ibi: Debitores ad solvendas usuras, in quibus se obligaverant, cogi non debent: *Si verò de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt, Domino reddere juramentum; & cùm usuræ solutæ fuerint, creditores ad eas restituendas sunt Ecclesiasticâ severitate compellendi*: ergo in cit. cap. *Cùm contingat*. 28. *illa conditio adjecta* est ad alium effectum, nempe, ut *firmetur* contractus.

Resp. C. ant. N. conseq. ad hujus probationem. & 1. à pluribus negari valere juramentum in vi juramenti; si per vim injustè extortum sit, ut dicemus inferius. & 2. cum dist. juramentum adhuc induceret *infirmam* obligationem religionis, etiamsi vis interveniisset, trans. *firmam* obligationem N. Nam, *probatâ* vi, statim infirmari potest; imò is, qui vim injustè intulit, ipse tenetur obligationem remittere, ut satisfiat injuriæ per vim illatæ. Obligatio porro, solvendi *usuras juratas*, pariter *infirma* est, ut constat ex c. *Debitores* in objectione relato, cùm petat solutionem solùm momentaneam; dist. conseq. ergo in cit. c. *Cùm contingat*. 28. illa conditio (*si juramentum sponte, sine vi, & dolo præstitum sit*) est ad alium effectum, *obligationis* nimirum *firmæ in vi Religionis* C. ad alium effectum obligationis *in vi justitiæ* N. conseq. igitur, quando juramentum est præstitum *non sponte, sed ex vi, & dolo* (ex suppositione, quòd tunc valeat) inducit *obligationem religionis, sed infirmam*, ut dixi; *si sponte, sine vi, & dolo* inducit obligationem religionis, *sed firmam*: in neutro tamen casu *obligationem justitiæ*; vel effectum; ut pactum, jure nullum, secluso juramento, hoc adjecto firmetur, & valeat *in vi pacti*.

Quod dicitur, *juramentum ser-* 1022
vandum est, quando sine dispendio salutis servari potest; verum est, *si validum sit*; non autem, si invalidum. Sed ex hoc solùm sequitur, quòd inducat obligationem, *non justitiæ*, sed *religionis*, eamque vel *firmam*, vel *infirmam*, ut dictum est; non tamen obligationem virtutis alterius; unde non dicit textus an c. *Cùm contingat* servandum esse *contractum*, sed *juramentum*; ubi etiam notandum, quòd in eodem c. Pontifex, præcipiens in eo casu impleri juramentum, & causam reddens, cur ea pacta juramenta velit *ratione juramenti* servari, dicat, ne prætextu legum civilium, irritantium ejusmodi pacta, non jurata, de obligando mulieres in casu juramenti appositi, *viam contingat perjuriis*

juriis aperiri ; ubi nota , Ly *ne perjuriis* ; non autem *ne injustitiæ* ; quod tamen æquè dicendum fuisset , si tali casu illa pacta juramento confirmarentur seu valerent sic , ut etiam tunc obligarent , non tantùm *in vim juramenti* , & *religionis* ; sed etiam *in vim pacti* , & *justitiæ*.

1023 Dices cum Haunoldo citat. num. 135. §. *Colligitur* 1. in authentica , *Sacramenta puberum* C. si adversus venditionem , dicitur : *Sacramenta puberum , sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis ; inviolabiliter custodiantur* ; ubi Glossa V. *Contractibus* ait : etiamsi ipso jure non valeant : & V. *Custodiantur :* scilicet , ut alteri detur actio , & exceptio. Resp. à nonnullis dictæ authenticæ opponi L. *Non dubium* 5. C. de Legibus , ubi Imperator dicit : contractus *irritatos à lege , manere irritatos* , etiamsi juramentum accedat , ibi : *Secundùm itaque prædictam regulam* (factum contra legem , vel in fraudem legis , non teneat) *qua ubicunque non servari factum lege prohibente censuimus , certum est , nec stipulationem hujusmodi tenere , nec mandatum ullius esse momenti , nec Sacramentum admitti.*

Instabis cum eodem : illa lex (*non dubium*) ut observat Anton Perez in tit. C. de legibus num. 12. mutationem accepit per authenticam allegatam , quæ est Friderici Imperatoris. Deinde interpretatio adversariorum non subsistit. Est enim illa authentica scripta judicibus , ut compellant jurantem stare contractui , vel saltem non concedant illi actionem ad rescindendum , nec restitutionem in integrum , quam tamen concederunt , si non jurasset : hoc autem esset inconveniens , si lex non simul etiam liberaret alterum ab obligatione restituendi ; quod non poterat fieri , nisi confirmando contractum.

Resp. per illam authenticam : *Sacramenta puberum* nullam esse factam mutationem quoad L. *Non dubium* ; Cùm ista non contrarietur illi , si rectè accipiatur. Nam in L. *non dubium* , solùm dicitur , contractus à lege irritatos manere irritatos *in lineâ contractûs* ; nec esse observandos *in vi contractus* , licet accedat juramentum ; in authentica verò solùm , quòd sacramenta , seu juramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non tetractandis inviolabiliter debeant custodiri , nimirum *in vi sacramenti* ; hæc autem non sunt contraria ; ergo per dictam authenticam nihil est derogatum *legi non dubium.*

Nec obstat , quòd illa authentica 1024
scripta sit judicibus , ut agenti ex contractu , lege irritato , etiam in casu , quo juratum esset , non concedant actionem ad rescindendum contractum ; dato enim toto discursu ; ex hoc tamen solùm sequitur , *contractui jure irritato* , etiam appositio juramento negari actionem civilem per illam authenticam , qua agat *in vi contractûs* , quia pactum jure , *etiam naturali* , nullum , non vestitur accessione juramenti , præsertim quando admissum est contra legem , ut dicitur ad finem dictæ legis , *non dubium.* Unde etiam negatur illud , quod additur in objectione , quòd *Judices concederent puberibus actionem ex contractu jure irritato , si non jurâssent.* Cæterùm etsi hoc jure civili sic statutum foret ; ut judices in hoc casu non concederent actionem etiam stante juramento , tali contractui validè appositio ; quoad hoc tamen ei derogatum est per jus canonicum in c. *Licet mulieres* 2. de jurejurando in 6. §. *Quia tamen* ; cujus verba formalia retulimus supra num. 1021. quibus positis :

Ad quæstionem igitur initio hu- 1025
jus articuli propositam , 12. 1. contractus , & pacta , secluso juramento lege irritata tam *naturaliter* , quam *civiliter* , non confirmari appositio juramento in sensu quæstionis propositæ à num. 1013. Deinde , non eximi à lege irritante , etiam suppositâ circumstantiâ juramanti , quando sub eam cadunt , eo secluso ; nam neutrum ex dictis , vel etiam aliis juribus , ritè probatur , prout colligitur ex factis responsionibus ad allatos textus ex utroque jure : 3. demum pacta , & contractus solùm *civiliter* ,

non autem *naturaliter* irritos, dispositione juris, accessione juramenti non confirmari etiam *civiliter*, nimirum sic, ut obligent *in vi justitiæ*, & *civiliter*; quia tamen jure canonico talibus conceditur actio, & in hoc Judices (*ut obvietur periculis animarum*) tenentur sequi jus canonicum, ut notavimus n. præcedente ex c. *Licet mulieres*: Dici possunt *hoc sensu* confirmari, ut etiam *civiliter* obligent, hoc est, non tantùm naturaliter *ex vi justitiæ*; sed etiam *civiliter*, non jure legum, sed sacrorum canonum.

1026 Cæterùm ab his, qui pacta, & contractus, jure irritos, dicunt apposito juramento confirmari, numerantur sequentes; nimirum alienatio fundi dotalis, & donationis propter nuptias; 2. Fidejussio mulieris, de jure Cæsareo; 3. Donatio inter virum, & uxorem, vel parentes, & liberos, non emancipatos; 4. Contractus minoris de re immobili, vel mobili, quæ servando servari potest, sine authoritate Curatoris; 5. Promissio solvendi, & non repetendi, quod ludo vetito amissum est; 6. Renunciatio futuræ successionis in paterna hæreditate; 7. Promissio instituendi hæredem certam personam nominatam, vel testamentum non revocandi; 8. Donatio excedens quingentos solidos, facta sine insinuatione: 9. Donatio omnium bonorum, præsentium, & futurorum. Excipiunt tamen contractus prodigorum, quos dicunt non firmari juramento, eò, quòd prodigus furioso comparetur in jure per L. 12. §. fin. ff. de Tutoribus & Curatoribus, ab his &c.

1027 Quæstio est, an confirmetur contractus per secundum juramentum contra primum? ut si juraſti, *quòd non alienabis fundum dotalem*; deinde verò, cum læsione juramenti, alienes, & simul jures, *nihil te acturum contra alienationem?* ante responsionem nota, etsi sint, ut dictum est, qui velint, contractus jure irritos, firmari juramento, excipi tamen ab illis casum contractus, quo alteri jus quæsitum est. In data porrò quæstione certum est, contractum etiam juratum non invalidari ex hoc, quòd illicitè, ac cum perjurio, seu læsione prioris juramenti celebretur. Nam matrimonium juratum, contra jurata sponsalia de futuro, valet, ex dicto lib. 4. tit. 9.

Ad quæstionem propositam re- 1028
spondent, etiam in hoc casu confirmari contractum appositio juramento, de non contraveniendo alienationi factæ contra prius juramentum; seu, quando, licet secundum juramentum sit subjectivè, non tamen est objectivè, malum. Nam sæpe potest juramentum esse de re bona, vel saltèm non mala, & nihilominus esse subjectivè malum, seu illicitum, ut patet in dato exemplo de matrimonio contracto contra jurata sponsalia de futuro; juramentum autem de re non mala, licet factum illicitè, obligat; & juramentum obligans in horum sententia confirmat contractum; ergo. Hanc sententiam tenet Haunoldus tom. 3. tract. 8. num. 143. pro eadem referens P. Rosmer, Fillucium, &c.

Mihi tamen videtur negandum, 1029
etiam suppositâ veritate sententiæ tenentis, appositio juramento confirmari contractus jure irritatos, quoties secundum juramentum tendit ad aliquid faciendum, vel omittendum, contra primum. Nam contractus jure irritati nec in illorum sententia confirmantur appositio juramento, de faciendo peccato, seu quòd sine dispendio salutis servari non potest; sed juramentum secundum in dato casu, subjectivè illicitum, non objectivè, ut ponit casus, esset de faciendo peccato; nimirum de perstistendo in alienatione illicitè facta; ergo. In hoc argumento negant minorem, quòd *velle persistere in alienatione illicitè facta*, seu *non velle revocare alienationem factam*, sit contra *primum* juramentum. Nam esto juraverit, *se non alienaturum*; non tamen juravit, *se, si nihilominus alienaret, etiam facto juramento, revocaturum*; ergo secundum juramentum *de non revocanda alienatione*, non est contra primum, *non faciendi alienationem*,

sic

sic jurans, se *non soluturum usuras*, non eo ipso jurat, *se non repetiturum, si violato juramento solveret.*

1030 Verùm in hac re distinguendum videtur, an *non revocare factum contra prius juramentum*, *nullo jure* prohibitum sit; an solùm non prohibitum *juramento*? si non sit prohibitum solo juramento, sed alio jure? secundum juramentum est de faciendo peccato, seu non facienda revocatione alienationis, alio jure, quàm juramenti debitæ; si dicas, nec in vi juramenti, nec etiam in vi juris alterius hoc casu esse debitam? contra est. Nam quando contractus confirmatur per juramentum, contractus talis juratus obligat non solùm *in vi religionis*, sed etiam *in vi justitiæ*, juxta sententiam illorum etiam authorum; sed in dato casu alienatio, seu contractus alienationis non faciendæ, per juramentum de non alienando est confirmatus per primum juramentum de non alienando, ut tenet hæc sententia; ergo in dato casu alienatio prohibita est, non tantùm jure *religionis*, sed etiam *justitiæ*; ergo, *non velle revocare alienationem factam contra primum juramentum* est prohibitum *jure justitiæ*; ergo *alio jure*, quod non tollitur per alienationem contra factam, etiam juratam; ergo secundum juramentum de non revocanda alienatione est contra obligationem justitiæ, natam ex primo contractu jurato, & confirmato; ergo est de faciendo peccato.

1031 Dicas: ergo etiam juramentum non repetendi usuras, momentaneè solutus, erit de faciendo peccato; & matrimonium juratum contra sponsalia de futuro pariter jurata; hoc autem dici non potest. Resp. distinguendo illatum: ergo etiam juramentum non repetendi usuras momentaneè solutas erit de faciendo peccato, si *non repetere* non *sit alio jure* prohibitum. N. si *sit alio jure* prohibitum. C. illatum. Ad alterum de matrimonio nor. juramentum matrimonio appositum dupliciter posse intelligi. 1. Si, contrahens matrimonium, juret, cum altero perseverare, & datam fidem servare, dum matrimonium solvatur; 2. etiam soluto matrimonio, esto jure alio teneretur fidem servare primæ sponsæ celebrando connubium juratis sponsalibus promissum, si ipsa vellet, & nulla esset causa, propter quam talis viduus deobligaretur à fide data primæ; nam per matrimonium, contra fidem primam contractum, *ex parte violantis* datam fidem, non sunt *soluta*, sed solùm suspensa priora sponsalia jurata, ut diximus Lib. 4. tit. 1. Igitur si juramentum appositum matrimonio, contracto contra priora sponsalia, extenderet se ad non præstandum primæ sponsæ, quod ei juravit, etiam cum possit servare (qualiter foret soluto matrimonio) esset de peccato faciendo, & irritum foret.

ARTICULUS III.

De modis, quibus solvuntur contractus.

VArii modi sunt solvendi contractus, prius initos, seu extinguendi; obligationem prius contractum. 1032
Porrò quatuor præcipuè modi sunt, quibus prior obligatio extinguitur. Non agimus hîc de spontanea remissione, seu condonatione debiti, vel intrinseca, vel extrinseca, de qua Theologi, quando quærunt, an debitum satisfactionis, peccato gravi per formalem offensam Dei contractum, à Deo condonari absolutè possit condonatione solùm extrinsecâ (qualiter homo homini remittit offensam solâ voluntate) citra infusionem gratiæ sanctificantis, reddentis hominem rectè dispositum ad finem supernaturalem? qua in re in qq. Theologicis tenuimus olim, & nunc, affirmativam.

§. I.

An, & qualiter solvantur contractus novatione vel delegatione.

NOvatio, de qua Molina Tom. 2. 1033
Disp. 559. dicitur à verbo *novare*, id est, *de novo facere*, & à nova obligatione, quæ prioris loco succedit,

L. 1. ff. de novat. sic definitur ab Ulpian. *est prioris debiti, seu obligationis in aliam obligationem, vel civilem, vel naturalem, transfusio, atque translatio, ita ut prior perimatur.* Hujus exemplum dat Pereyra in Elucidar. num. 1062. dicens: debebat Cajus Sempronio decem aureos sub conditione, si navis ex India veniret: placuit inter ipsos *novare* obligationem, ut purè, ac sine conditione Cajus deberet sed alii negant, ut dicemus cum aliqua limitatione. num. 1035. *Delegatio*, est *mutatio unius debitoris in alium, ex consensu creditoris*, sive talis debitor, ut reus subrogatus sit prioris debitoris debitor, sive non. Nam *delegare* apud Ulpian. L. *delegare ff. de novat.* est *vice suâ alium dare reum creditori*, vel creditor jusserit. Unde patet discrimen inter Novationem, & delegationem: *Delegatio* est, cùm mutatur persona; *Novatio*, cùm vel conditio, vel dies, vel fidejussor innovatur.

1034 Ex hac *Novationis* definitione sequitur, eos, qui sunt inhabiles *ad contrahendum* etiam esse inhabiles *ad novandum*; hinc quâ ratione pupillus, vel mulier (ille sine Tutoris authoritate; ista, ea privilegio Senatus Consulti Vellejani) per contractum appositum non obligatur eâdem novare non poterit; cùm non detur translatio obligationis, quæ nec fuit, nec est.

1035 Quæstio est, *an substitutio contractus conditionati* locò *absoluti*, *sit novatio?* responsio est negativa ex L. 24. ff. de Novat. ibi: *quoties, quod purè debetur, novandi causâ, sub conditione promittitur, non statim sit novatio; sed tunc demum, cùm conditio exstiterit*, & lib. 8. §. eod. *Legata, vel fideicommissa, si in stipulationem fuerint deducta, & hoc actum, ut novetur, fiet novatio: si quidem purè, vel in diem fuerint relicta, statim; sed ubi conditio exstiterit.* Contra rursum collecta habentur in §. 3. Institut. Quib. mod. toll. oblig. ibi: *Quod autem diximus*, si conditio adjiciatur, *novationem fieri*, sic intelligi oportet, *ut ita dicamus factam novationem, si conditio exstiterit; alioquin, si defecerit, durat prior obligatio.* Ex hoc colliges, quando obligationi puræ substituitur conditionata, non censeri factam novationem priùs, *quàm conditio exstiterit*, ut tradit Zoësius in lib. 3. Institt. tit. 30. num. 3. ubi addit: quòd, si eadem persona sit, à qua stipularis, ita demùm novatio fiat, *si quid in posteriore stipulatione novi sit*: fortè, si conditio, aut dies, fidejussor, adjiciatur; novationem fieri, sic intelligi oportet, ut ita dicamus factam novationem, *si conditio exstiterit*; alioqui si defecerit, durat prior obligatio.

Not. autem, ut censeatur *novatio* 1036
facta, requiri *expressum* animum novandi, seu locò prioris obligationis aliam substituendi; nec sufficere sola judicia talem animum præsumendi; cujus ratio sumitur ex §. 1. Institut. eod. ibi: *nostra processit constitutio* (quæ habetur L. *fin.* C. de novat.) *quæ apertissimè definivit, tunc solùm novationem prioris obligationis fieri, quoties hoc ipsum inter contrahentes expressum fuerit, quòd propter novationem prioris obligationis convenerunt, alioquin & manere pristinam obligationem, & secundam ei accedere, ut maneat ex utraq; causa obligatio.*

Delegationem porrò aliqui vocant 1037
speciem novationis; & quamvis Pereyra cit. existimet, ad delegationem non requiri, quòd *novus debitor*, priori substitutus, *sit prioris debitor*, ut diximus supra: Contrarium tamen sentit Lopez post Glossam, & quosdam alios: sed tenendum cum Pereyra; nam hoc nullo jure requiritur; si enim substitutus, licet non sit *debitor substituentis*, æquè se obliget, nec Creditori minus acceptus sit, quàm substituens; verè obligatio prioris debitoris transit in aliam personam, quô delegatio differt à novatione specificè accepta; quæ priorem obligationem transfert in aliam; quamvis alii dicunt novationem in specie differre à delegatione vel in forma, vel in objecto. *In forma*, quando in locum obligationis ortæ ex tali specie contractûs, v. gr. *venditionis*, subrogatur obligatio ex alio contractu v. gr. *mutui*, ut si pretium pro fundo tibi vendito vellem esse debitum ex mutuo: *in objecto*,

quando

quando pro 100. debitis obligas te ad dandum fundum, quo casu, etsi videri posset esse venditio, reverâ non est; nec talis teneretur ad solvendum tributum impositum venditioni.

1038 Si quæras, an esset delegatio, si Ego (per errorem putans, me debere centum Titio, debenti centum Cajo) animo novandi promittam Cajo solvere centum loco Titii? videtur dicendum negativè; nam si ego verè deberem 100. Titio, qui per errorem putaret se 100. debere Cajo, & isti animo novandi loco Titii solvere centum, non esset delegatio; ergo nec ibi: Resp. tamen, in priori casu esse veram delegationem, ut deducitur ex L. 18. ff. de novat. ibi: *si non debitorem quasi debitorem delegavero, exceptio locum non habebit; sed* condictio *adversus eum, qui delegavit, competit*: sensus est, quòd in tali casu non possim excipere contra Cajum Creditorem, ubi à me (putativo debitore) promissam solutionem exigit, opponendo illi, quòd promiserim *indebitum*; possim tamen contra meum putativum creditorem, nempe Titium, uti condictione certi, propter solutionem à me non debitore factam Cajo, qui erat verus Creditor Titii.

1039 Ad rationem in contrarium, C. anteced. N. conseq. pro assignando discrimine not. in primo casu in Titio præcessisse *veram obligationem*, quâ tenebatur Cajo, & ad hanc extinguendam in illo, in me translatam esse, ex errore, quo putabam, me tantum debere Titio, quantum ille Cajo: in 2. casu obligatio Titii relatè ad Cajum in re nulla est, sed per errorem existimatur esse: igitur illam loco Titii, mei veri Creditoris, in me recipiendo, non possum extinguere in Titio, & cum affectu in me recipere, sicut in priori casu, ubi Titius verè debebat Cajo. Est igitur discrimen inter antecedens, & consequens in eo, quòd in priori casu obligatio in Titio per me extinguenda *verè præexistat*; secùs, in secundo. In utroque casu extinguenda est obligatio in Titio; sed in primo casu, *est vera*; in secundo casu, *est falsa*. In primo ergo, delegatio fieri potest, non in secundo; aliud est, si etiam in secundo casu Titius fuisset *verus* debitor Caji, saltem in parte summæ, quam ego illi debebam, & ex delegatione solvi Cajo; tunc enim jam fuisset in Titio, quòd extinguerem, solvendo Cajum, ex obligatione Titii, in me translata.

§. 2.

An, & qualiter solvantur contractus compensatione?

1040 *Compensatio*, seu aliâ voce, quamvis minus latinâ, *Recompensatio*, juxta Modestinum l. 1. ff. de compens. *est debiti, & crediti inter se contributio*; hoc est (ut exponit Molina tom. 2. disp. 560. init.) *collatio quantitatum*, in quibus duo sibi invicem sunt debitores, & creditores, ut id detrahatur de eo, quod reus debet, minimeque debitum censeatur, ac pronuncietur, quod vicissim ei actor debet. Juxta Zoësium, ad §. *in bonæ fidei*. Institut. de action. *est debiti in debitum hinc inde in vim solutionis facta comparatio*; juxta alios dicitur, *quasi communis pensatio, & debiti ad debitum hinc inde facta deductio*: ut, debeo tibi quadraginta, tu mihi centum, dum peto à te centum, tu deducis, quadraginta.

1041 Not. autem *ad compensationem* requiri, ut vicissim debitum sit debitum *quantitatis*, & *liquidum*, ut rectè notat Zoësius loc. cit. num. 72. id est, *quod jure aperto nitatur*. Illius ratio est, quòd, sicut quantitas una pro alia rectè solvitur (ut in mutuo) ita compensetur citra detrimentum creditoris: hujus verò, ne jus unius per alterum diminuatur, quòd foret contra æquitatem, & contingeret, si ille, cujus debitum est *liquidum*, posset compensationem opponere suo creditori, contra quem actionem habet, *non nixam jure aperto*; his præmissis.

1042 Quæres 1. an compensatio fieri possit quoad quantitatem æqualem, quando unus plus altero debet? Resp. affirmativè ex L. 4. C. h. t. ibi: *si constat pecuniam invicem deberi, ipso jure*

pro soluto compensationem haberi oportet ex eo tempore, ex quo ab utraque parte debetur, utique quoad concurrentes quantitates, ejusque solius, quod amplius apud alterum est, usuræ debentur, si modo petitio earum subsistat. Not. autem 1. hîc non attendi, an utrumque debitum sit *ex eadem causa*; sed sufficere, si unum ex hac, v.g. ex causa *emptionis*; alterum ex causa *mutui*, modò utrumque liquidum sit. Not. 2. si debitum eò, quod compensas, majus sit, & simul offeras reliquum, posse te pignus repetere, per L. 12. C. eod. ibi: *invicem debiti compensatione habitâ, si quid amplius debeas, solvens, vel accipere creditore nolente offerens, & consignatum deponens, de pignoribus agere potes.*

1043 Quæres 2. quamdiu duret jus opponendi compensationem? Resp. quòd usque ad executionem sententiæ, contra debitorem latæ. L. 2. C. h. l. ibi: *Eum verò, qui judicati convenitur, compensationem pecuniæ sibi debitæ implorare posse, nemini dubium est*, & quoniam in eadem L. 2. dicitur: *ex causa quidem judicati, si debitum solutum, repeti non potest; ea propter nec compensatio ejus admitti potest*; sequitur, solutum prætermissâ compensatione, *non posse condici*, tanquam indebitum.

1044 Quæres 3. an compensationi sit locus, ubi debitum opponentis est solùm *naturale*; alterius autem *naturale*, & *civile*? Respondet Zoësius cit. n. 72. nihil interesse, utrinque sit debitum utroque jure, & naturali; & civili? an verò ab altera parte sit debitum naturale tantùm? cùm & hoc verum sit debitum, modò sit *quantitatis*, & *liquidum*: ut æquitati respondeat, ei satisfieri, atque ita, & in compensationem deduci. L. 6. ff. de Compensatione ibi: etiam *quod naturâ debetur, venit in compensationem.* Dices, contrarium haberi in proximè citat. L. 2. ubi dicitur, quòd, quando per iniquam sententiam condemnatus judicatum solvit, *non possit condicere, adeoque nec compensare.* Resp. id intelligendum, ubi non constat Judici de iniquitate sententiæ; aliàs, nec debitum naturale cum naturali posset compensari. Huic porrò compensationi locus est etiam in casu, quo quis jurâsset, (se debitum soluturum) si compensationem opponeret exigenti solutionem; Compensatio enim est vera solutio; nisi specificè actum *formaliter solvendi* determinasset juramento; compensatio enim & *solutio in effectu*; sed non *informa.*

Quæres 4. an debitum unius speciei possit compensari debito speciei alterius v.g. debitum *pecuniæ*, debito *bovis*, vel *equi*. R. negativè, nisi res in specie non extet. Creditori enim invito nequit aliud pro alio solvi; re in specie debitâ, etiamnum extante. Nam fur equi non satisfacit reddendo æstimationem equi adhuc extantis. Nec obstat L. 6. C. h. t. ubi dicitur, *maritum posse compensatione uti propter res amotas.* Nam hoc intelligitur rebus amotis, *non extantibus.* 1045

Not. præterea, quando diximus, compensationem fieri posse, *ubi liquidum est debitum quantitatis*, debere intelligi cum sequentibus limitationibus. 1. ut non procedat in casu debiti, etiam similis, *in materia depositi*, ut habetur L. fin. C. h. t. §. 1. ibi: *exceptâ actione depositi, secundam nostram sanctionem, in qua nec compensationi locum esse disposuimus.* Et L. 11. C. depositi, ibi: si quis, vel pecunias, vel res quasdam *per depositionis acceperit titulum*, eas, volenti ei, *qui deposuit*, reddere illico modis omnibus compellatur, *nullamque compensationem, vel deductionem* vel doli exceptionem opponat; *sed & si ex utraq; parte fuerit aliquid depositum, nec in hoc casu compensationis præpeditio oriatur.* 1046

Secundò, ut non procedat *in casu commodati*; nam *prætextu debiti, restitutio commodati, non probabiliter recusatur* L. finali. C. de Commodat. Commodatum enim, sicut sit, sic restituendum est *in re individua*, & *determinata*, de quo tamen V. dicenda in seqq. Excipiunt enim aliqui casum, quo obligatus possit opponere debitum expensarum, quas fecit in rem commodatam. 1047

Tertiò,

1048 Tertiò, si alicui debet aliquid Respublica, is, qui etiam aliquid debet reipublicæ, non potest opponere compensationem sic, ut, quod ipse debet, reipublicæ compensetur per id, quod sibi debitum est ab eadem, per L. 3. C. h. t. ibi: *in ea, quæ reipublicæ te debere fateris, compensari ea, quæ invicem ab eadem tibi debentur, is, cujus ea de re notio est, jubebit*, si neque ex calendario, neque ex vectigalibus, neque ex frumenti, vel olei publici pecunia, neque tributorum, neque alimentorum, neque ejus, qui statutis Sumptibus servit, neque fideicommissi Civitatis debitor sis; Ubi Glossa lit. N. Compensatio, ait, Fisco objici non potest, petenti tributa.

1049 Quartò limitatur, ut non procedat, *quando quis possessionem alienam perperam occupat*; nam talibus *compensatio non datur*, ex L. *fin.* §. C. eodem, ubi plura de compensatione statuuntur: verba legis sunt: *Compensationes ex omnibus actionibus ipso jure fieri sancimus*, nullâ differentiâ *in rem*, vel *personalibus actionibus inter se observanda*; ita tamen compensationes objici jubemus, *si causa*, ex qua compensatur, *liquida sit, & non multis ambagibus innodata; sed possit judici facilem exitum sui præstare*; satis enim miserabile est, post multa fortè, variaque certamina (cùm res jam fuerit approbata, tunc ex altera parte, quæ jam penè convicta est, opponi compensationem, jam certo, & indubitato debito; & moratoriis ambagibus spem condemnationis excludi) Hoc itaque Judices observent, & non procliviores ad admittendas compensationes existant, nec molli animo eas suscipiant, sed *jure stricto* utentes, si invenerint eas, *majorem, & ampliorem exposcere indaginem*, eas quidem *alii judicio* reservent; litem autem pristinam jam penè expeditam, sententiâ terminali componant: *excepta actione depositi* secundùm nostram sanctionem, *in qua nec compensationi locum esse disposuimus: Possessionem autem alienam perperam occupantibus, compensatio non datur.*

Nam ex hoc textu deducitur 1. compensationes fieri posse in omnibus (nisi id alicubi specialiter limitetur) sine discrimine actionum *realium*, vel *personalium* inter se. 2. id limitari, ut non procedat, nisi causa *liquida* sit, & non multis ambagibus intricata, sed sit facilis expeditionis: 3. Judices, ubi causa compensationis non est facilè, ac sine ambagibus expedibilis, eam differant in aliud judicium; & priorem, cui compensatio opponitur, jam ferè expeditam, per sententiam definitivam componant.

Præterea Not. 1. non dari com- 1050
pensationem *rei judicatæ solutæ*; benè tamen *solvendæ* per L. *Ex causa quidem* 2. C. eod. Not. 2. ubi constat, *pecuniam* invicem deberi, compensationem ipso jure haberi pro soluta. L. *si constat* 4. C. eod. Not. 3. non posse fieri compensationem ejus, quod non ei debitum, qui convenitur; sed alii, L. *Ejus, quod.* 9. C. eod. Not. 4. Excommunicatum, *volentem uti compensatione*, non audiri; constat ex L. *Libertus* 14. ff. de in jus vocando. Nam excommunicato denegatur *actio*, cujus vim habet compensatio; L. *amplius.* ff. rem ratam haberi; quò nil facit, quòd excommunicato sit permissa sui *defensio* in excipiendo cap. 5. de except. est enim naturalis, & ita postulat æquitas judicantis, ne claudicet judicium, secùs autem *de actione*. Cessionarius tamen excommunicatus auditur, *compensare volens*; à Costal. in L. 4. ff. h. t. quòd in eo non sit eadem ratio, quæ in excommunicato, qui non impeditur *actiones* suas cedere.

Not. 5. Legatarium, cui quid reli- 1051
ctum est sub conditione *dandi*, non satisfacere conditioni *per compensationem* ejus, quod sibi debetur, prout colligi potest ex L. 8. §. *quoties.* ff. de conditionibus institut. ubi, *nisi det, vel faciat*, uti jussus honoratus, non consequitur legatum. Est enim hæc conditio pendens ex mera dispositione Testatoris, & respiciens *specificam* dominii translationem, quam non inducit compensatio, quæ nullius interventu facit extin-

gui

gui obligationem pro hac, in parte; per tex in L. *Mævius* 35. ff. de Condit. & demonstr. ubi requiritur, ut legatarius, quantum est in se, *det*, licet is, *cui dare jussus est*, non sit capax: facit & text. in L. *Julianus* ff. cit. titul. Ex cujus contextu patet, *jussum dare*, non paruisse conditioni, si eo accepto latum fuerit, quod jussus erat, dare; licet, liberetur ex eo, quòd non stet per ipsum, sed per eum, in cujus persona adimplenda conditio.

1052 Not. 6. quando debitor aliquid *legat*, censeri velle *compensare* debitum *necessarium*, nimirum lege, vel statuto; sed non *voluntarium*, nempe spontaneâ voluntate inductum; ratio est, quia obligatio, *per legem inducta*, est præter paciscentis voluntatem, cui durum gravari duplici præstatione; ut lex, quem gravat in uno, sublevet in altero, præsumendo Compensationis gratiâ esse relictum, quæ ratio non obtinet in debitore *voluntario*; quomodo (in L. *si cùm dotem.* 22. §. *Si Pater.* ff. soluț. matrimon.) habetur Patri, qui dotem insciâ filiâ à genero exegerat, *legando* filiæ tantùm, actionem ad dotem contra generum non esse; ratio est, quia censetur voluisse compensasse.

§. 3.

An, & qualiter solvatur contractus acceptilatione?

1053 *Acceptilatio* est contractus, latissimè acceptus, seu potius distractus, scilicet *liberatio per mutuam interrogationem, qua utriusque contingit ab eodem nexu absolutio*, id est *dissolutio.* L. 1. ff. eod. tit. Est enim imaginaria solutio, qua simulatur, debitorem solvisse, quòd non solvit; idque animo remittendi, ut, si alter dicat (*quidquid tibi per stipulationem promisi*, vel *ex stipulatu debui, habéne acceptum?*) & alter respondeat: (*habeo, acceptumque fero*) quasi dicat: *perinde habeo, ac si accepissem à te per veram solutionem.* Unde, sicut vera solutio, ita acceptilatio, verè liberat; sicut enim (inquit Molina Tom. 2. Disput. 254.) jure civili introductum fuit, ut stipulatio, quæ verbis perficitur, civilem induceret obligationem; ita consentaneum rationi fuit judicatum, ut obligatio illa, aliis quoque verbis, scilicet acceptilationis, dissolveretur. Duplex est acceptilatio; altera *vulgaris*, altera *Aquilia* dicitur. *Vulgaris* habetur, L. *an inutilis.* ff. de acceptilat. estque, *quæ unâ stipulatione constat*, neque ad aliam, quàm ad verborum obligationem referri potest: cùm v. gr. is, qui verbis obligatus est, à suo creditore, stipulatur sic: (*quod tibi debeo, habésne acceptum?*) Aquilia (Lib. 1. ff. eod.) mutuâ, & reciprocâ stipulatione constat: & ad omnes omnium generum obligationes extinguendas, excogitata est. Ex quo patet acceptilationem aliam esse, quæ fit per stipulationem *simplicem*, veluti, si quis dicat Creditori: *decem, quæ promisi, accepta habes?* facit hæc liberationem plenam ab obligatione; & hæc dicitur *vulgaris*; aliam *Aquilianam*, inventam, introductam, & dictam à Juris-Consultis Aquileio, §. 2. Instit. quibus modis obligatio tollitur, quæ à priori differt in forma, & effectu, ut dicemus statim. Ejus *forma* in eo stat, quòd prior obligatio *novetur*, in eam, quæ verborum est (v. gr. *quod tibi debeo ex empto, vel mutuo, ex stipulatione acceptum habes?*) & subjungatur stipulatio vulgaris, v. gr. *quod tibi ex stipulatione debeo, acceptum habes?* & hæc dicitur *Aquilia?* sic Zoësius in l. 8. C. tit. 44.

Not. autem verborum obligationem 1054
esse ex *stipulatione*, quæ dicitur, *firma verborum conceptio, qua quis aliquid se facturum, daturumvé promittit in continenti alteri, super hoc ipsum interroganti*; ut si dicatur: *spondes dare tantum? spondeo, promittis centum? promitto; facies? faciam: fidejubes? fidejubeo.* Dicitur (*conceptio verborum*) quia hic contractus non oritur, nisi interveniat *solennitas verborum.* Ponitur (*facturum, daturumvé*) ut intelligatur semper fieri *per verba futuri temporis*, & comprehendere stipulationes *tam faciendi, quàm dandi.* Additur (*incontinenti*) quia responsio promittentis debet statim subsequi proximè inter-

interrogationem stipulantis, nullo actu extraneo interveniente. L. *continuus.* ff. de verborum oblig.

1055 Dividitur stipulatio in puram, conditionalem, & in diem; rursus in Aquilianam, Prætoriam, judicialem, cautionalem, & communem; *Pura* est, quæ nec fit sub conditione, nec in diem, sed absolute, ut si dicatur: *Promittis hoc? promitto.* Deinde *Conditionalis* est, quæ fit interveniente conditione: ut sic: *Spondes mihi centum, si Christianus Turcam vicerit?* altero respondendente: *spondeo*; stipulatio *in diem* est, quando assignatur dies pro termino impletionis: ut si dicatur: promittis mihi centum *ad calendas Augusti? Promitto*: *Prætoria* est, quæ solius Prætoris jurisdictioni relinquitur, proindeque à mero prætoris officio proficiscitur. *Iudicialis* est, quæ propter judicium interponitur, ut ratum fiat, *judicatum solvi*: & hæc non coram prætore, sed coram aliis judicibus expeditionem consequitur. *Communis* sic dicitur, quia tam apud Prætorem quam coram aliis Judicibus cognoscitur, & est, quæ fit *judicio sistendi causâ.* *Cautionalis* est, quæ de aquilia jam dictum est: instar actionis se habet, & ut fiat novatio, intercedit: ut stipulatio de legato, de tutela, & aliis. Et quidem omnis stipulatio naturâ suâ cautionalis est: generaliter enim fit, ut quis cautior, & securior reddatur. *Stipulator* est, qui per interrogationem promissorem obligat. *Commissa* stipulatio dicitur, cùm id, quod per eam promissum est, debetur, ff. de verb. obligat. his præmissis.

1056 Quæstio est 1. an *acceptilatio* habeat vim tollendi obligationem? 2. qualiter acceptilatio sit ineunda, ut pariat liberationem? 3. quæ obligationes extinguantur acceptilatione *vulgari?* 4. Quæ acceptilatione *Aquiliâ?* 5. Quomodo acceptilatio differat ab apocha? 6. quid in hoc possit Procurator, Tutor, Curator, & similes? 7. an acceptilatio *inutilis* habeat vim pacti utilis? Ad 1. Bz. affirmativè, ex definitione acceptilationis; & colligitur ex §. 1. Instit. Quibus modis toll. obligat. ibi: *item per acceptilationem tollitur obligatio.* Ad 2. Bz. quòd *purè*; quia diem, & conditionem respuit, uti, & solutio, ad cujus exemplum est inducta L. 4. & 5. ff. h. t. op⁹ enim est in ea verbis, quæ actus præsentis sunt significativa, & ab ipso facto, executione ve actus nomen sumunt, cui dies, & conditio repugnant; cùm executioni impedimentum ponant: Alciat. 3. parerg. cap. 7. Ad 3. Bz. quod *solæ, quæ verbis initæ, ac contractæ sunt*, ex §. *item acceptilatio*; Instit. eod. Cùm naturale sit, unumquodque eo genere dissolvi, quo colligatum, quomodo obligatio consensu, aut literis, aut re initâ, per acceptilationem vulgariter non tollitur. Ad 4. Bz. Solas extingui obligationes, *quæ per novationem prius transierunt in obligationem verborum, seu stipulationem.*

Ad 5. Bz. inter *acceptilationem*, & *apocham* hoc interesse, quòd acceptilatione omnimodo liberatio contingit, licet pecunia soluta non sit: *apocha* non aliàs, quàm si pecunia soluta sit. Ex quibus constat, latius patere acceptilationem, quàm apocham; Sic enim definitur L. 1. eod. tit. *Acceptilatio est liberatio per mutuam interrogationem, qua utrumque contingit ab eodem nexu absolutio.* Ad 6. Bz. in hoc singulariter statutum esse, quod *non recte acceptum, nomine alieno faciant, aut rogent, nisi præcedente novatione*, qua jus, aut obligatio in novantem transfundatur L. 13. §. 10. ff. h. t. ibi: Tutor, Curator, furiosi, *ferre non potuit*; *nec procurator quidem potest facere acceptum*: sed hi omnes *debent novare*; *possunt enim & sic accepto facere*; *Ne his quidem accepto fieri potest, sed novatione* factâ *poterunt liberari per acceptilationem.* Ad 7. Bz. affirmativè, quatenus vitium dat *materia*; ut, quia acceptilatum, quod debetur ex causa mutui: *inutiliter enim hoc*, ut ita dictum, *accepto fertur*: inde tamen oritur exceptio pacti de non petendo L. *si unus.* 27. §. *si acceptilatio.* ff. de pact. Hoc enim agitur dictâ acceptilatione, ut tollatur obligatio, nisi aliud actum: quod, si vitium in *forma* fuerit (ut si nutu facta fuerit) nihil operabitur; argum. L. 1. §. *si quis ita.* ff. de verb. oblig. facit enim defectus formæ rem neutiquam subesse. 1057

§. 4.

An, & qualiter solvantur contractus solutione?

INter modos solvendi, seu tollendi obligationem contractuum, primo loco 1058

recenſetur *ſolutio.* Nam ſolutione obligationem tollì extra dubium eſt ; quæ *largè* accepta, quamlibet liberationem continet ; *ſtrictè, eſt ejus, quod in obligationem deductum eſt, præſtatio.* L. *ſolutio.* ff. de præſtat. quomodo hic ſumitur ; & conſtat ex Inſtit. tit. de ſolutionib. ibi : *tollitur autem omnis obligatio ſolutione ejus, quod debetur ; vel, ſi quis conſentiente creditore aliud pro alio ſolverit. Nec interest, quis ſolvat, utrum is, qui debet, an alius pro eo. Liberatur enim & alio ſolvente ſive ſciente, ſive ignorante debitore, vel invito eo ſolutio fiat : Item, ſi reus ſolverit, etiam ii, qui pro Reo intervenerunt, liberantur. Idem ex contrario contingit, ſi fidejuſſor ſolverit : non enim ipſe ſolus liberatur, ſed etiam reus.*

1059 In hac materia quæſtio. 1. eſt, quid requiratur, ut ſolutio rectè fiat, & operetur effectum extinguendi debitum ? R. quod fiat 1. *ab eo, qui debet, & habet liberam rerum ſuarum adminiſtrationem* ; hinc à pupillo, furioſo, à prodigo, non rectè fit ; quòd his ſenſûs defectus impedierit licentiam adminiſtrandarum rerum ſuarum. L. *quod ſi.* 14. §. *fin.* ff. eodem. 2. quòd fiat ei, cui debetur, etiam ſi invito, ut notat Zoëſius in l. 8. ff. tit. 34. de ſolutionib. & liberation.

1060 Quæſtio altera eſt, an obligatus *in diem* poſſit ſolutione, etiam prius factâ, debitum extinguere ? ſeu, an ſolutio ante diem rectè fiat ? negativam ſequitur Cujacius l. 23. obſerv. c. 22. & quidam alii : affirmativam autem (quæ probabilior eſt, niſi dies ſpecialiter adjectus ſit in favorem Creditoris) Haunoldus tom. 3. tr. 8. n. 169. & communis. Nam ex L. *Quod certa* 70. ff. de V. O. habetur, *quòd, certâ die dandum, ſtatim dari poteſt.* Deinde ex L. 38. §. 16. ff. eod. ibi: *inter incertam, certamque diem diſcrimen eſſe ex eo quoque apparet, quod in certam diem promiſſum, vel ſtatim dari poteſt ; totum enim medium tempus, ad ſolvendum, liberum promiſſori relinquitur.* Tertiò, ex L. 137. ff. eod. ibi : *nam, & quod in diem debetur, ante ſolvi poteſt, licet peti non poteſt.*

Cujus ulterior ratio eſt ; quia dies communiter adjicitur in favorem debitoris, ex L. 41. §. 1. ff. de V. O. ibi: *ex quo apparet diei adjectionem pro Reo eſſe, non pro ſtipulatore* : favori autem ſuo quilibet ritè renuntiat ; ſic Zoëſius cit. in l. 8. C. tit. 34. q. 4. Dixi : *niſi dies ſpecialiter adjectus ſit in favorem Creditoris* ; nam tunc *ante diem*, hoc invito, debitum non extinguitur ex cit. L. 41. Unde not. etſi verum ſit juxta L. 39. ff. de ſolutionib. ſolutionem, & oblationem fieri debere *tempore opportuno* ; tempus tamen non cenſeri *importunum* ; quando Creditor eſt invitus *utcunque*, puta, non rationabiliter ; nec à *loco* fit argumentum ad *tempus* ; *locus* enim, de quo, pro facienda ſolutione, conventum eſt, adjicitur in favorem Creditoris ; *tempus*, in favorem debitoris. Ex eo autem, quòd Creditor, etiam recuſatâ ſolutione ante diem, poſſit ſolutionem exigere *die conſtituto*, non ſequitur ; ergo non poteſt invito ſolvi ante diem, quia poteſt etiam exigere poſt diem conſtitutum, & tamen ſolutio fieri poteſt, die conſtituto.

Quæſtio eſt 3. quibus perſonis fieri poſ- 1061
ſit ſolutio cum effectu, ut cenſeatur Creditori facta? R. Solutionem recte fieri Tutori, & Curatori, niſi adminiſtratio eis ſit interdicta. L. 14. de ſolut. 2. Procuratori *generali*, ex L. 34. §. 3. ff. de ſolut. *Speciali* autem tantum id, de quo illi *ſpecialiter* mandatum eſt ; non autem, ſi præciſe datus ſit ad lites. L. 86. ff. eod. ibi: *Hoc jure utimur, ut litis procuratori non rectè ſolvatur* ; nec Procuratori ſolum *putatitio*, niſi pecunia venerit ad verum Creditorem, vel is ratum habeat. ex L. 34. §. 9. ff. eod. ibi: *Si reſtituerit, debitores liberantur*, & L. 12. ibi: *Etſi non verè Procuratori ſolvam, ratum autem habeat Dominus, quod ſolutum eſt, liberatio contingit.* 4. Etiam Creditoris Creditori, quando res verſa eſt in commodum primi Creditoris (ſic enim ponit exceptionem ſoluti) arg. L. *Debitores* 28. L. *qui hominem.* 34. §. *Si prædo* ff. eod. L. *qui operas* ff. de except. doli mali. Aliud dicendum, ſi Creditori non fuerit utilis propter diem adjectum, & retentionem, compenſationemve.

Idem dicitur L. 36. ff. de negot. geſt. Si 1062
fuit eadem cauſa ſolvendi Creditori mei Creditoris ; Si enim liber homo, bonâ fide mihi ſerviens, mutuam pecuniam ſumpſerit, eumque in rem verterit, negotiorum geſtorum actio danda eſt : Quæ

deſinit

desinit competere, si creditori ejus soluta sit: Si autem non fuit causa, secus dicendum, nisi sit conversa in commodum primi; sed eo casu liberatio continget solùm ope exceptionis, ut dixi n. præced.

1063 Quæstio est 4. Si debitor ex pluribus causis obligatus (debeat 100. ex empto, 100. ex mutuo, 100. ex legato &c.) solvat 100. cujus debiti liberationem operetur talis solutio? R. Id esse in arbitrio debitoris exprimere; si non expressit, fore in arbitrio Creditoris, cui debito potius acceptum ferat, sic tamen, *ut prius in usuras id quod solvitur, deinde in sortem acceptofe-ratur*. L. 1. & 2. ff. h. t. In casu autem, quo neuter expressit, ea præfertur, ad quam de facto cogi potest; si ex pluribus cogi de facto possit, ea præfertur, quæ gravior est.

1064 Quæstio 5. est, an solutio partis rectè fiat, & liberet? R. quod regulariter non liberet Creditore invito, ex L. 9. C. h. t. L. *Tutor*. 41. ff. de usuris. L. *qui pignori*. 19. ff. de pignor. act. ubi non liberatur pignus, nisi debito *toto* soluto: Ratio est, quod habeat partialis solutio multa incommoda. L. 3. ff. fam. ercisc. Nec obstat lex *quidem* ff. de rebus credit. ubi admittit jurisconsultus, non posse ipso jure cogi Creditorem ad partis acceptationem; humanius tamen esse, Prætorem partes suas interponere, ita exigentibus circumstantiis causæ, quod acceptilatio pro parte admittatur, nam in ea lege agitur de debito, quod partim liquidum, partim illiquidum erat.

Præter hæc not. 1. *Solutioni* similem es-
1065 se *oblationem* rei debitæ, quæ duplex est; nam alia est *verbalis*, quæ fit, quando debitor dicit, *se paratum ad solvendum, quod debet*; alia *realis*, quando debitor rem ipsam repræsentans paratus est illam de manu in manum tradere; illa, regulariter nullum effectum producit, ne quidem moram incursam auferens; Jason in L. *Si ita quis* ff. de verb. oblig. n. 18. multò minus liberans à principali obligatione; & hoc in rebus mobilibus, est enim tantum nudum propositum, quod citra effectum est.

1066 Not. 2. quòd oblatio *realis* possit esse, aut *nuda*, aut *conjuncta cum rei obsignatione*, vel *depositione*, quando debitum est ejus generis, ut sacco concludi possit; *oblatio realis nuda* plures habet effectus, si fiat opportuno tempore, & loco; emendat enim moram; periculum oblatæ pecuniæ transfert in Creditorem, saltem per exceptionem doli mali in contractibus stricti juris; in bonæ fidei, ipso jure. L. *qui decem* 72. ff. de solut. L. *Interdum*. 73. in fin. ff. de verb. oblig. in ultima voluntate debita pecunia ratione implendæ conditionis semel oblata, indistinctè non est iterum offerenda; habetur enim conditio ibi pro impleta, quando stat per eum, in cujus persona implenda, quo minus impleatur. L. *jure civili*. 24. ff. de condit & demonst. sed de hoc satis. V. Zoësium loc. cit.

ARTICULUS IV.

De habilitate contrahentium.

QUæstio 1. est, an quis ex vi status Re- 1067
ligiosi reddatur inhabilis ad celebrandos contractus? R. ex vi status Religiosi, ut sic nullum Regularem in particulari, nec etiam Communitatem incapacem reddi ad contractus celebrandos; nam quod oritur ex vi status Religiosi *in genere*, verificari debet de qualibet specie, imò & individuo; hoc autem fallit 1. nam Scholastici Societatis Jesu, postquam emiserunt tria vota, tantùm simplicia, sunt verè ac propriè Religiosi, non minùs, quam aliarum Religionum professi; Deinde Conventus, & Communitates Cistercienses, sunt communitates verè, ac propriè Religiosæ; at Scholastici Societatis, *etiam in persona sua particulari* retinent dominium rerum suarum temporalium, ut constat ex Constitut. Gregorii XIII. *ascendente Domino* & dictæ Communitates *in communi* pariter habent dominium rerum, & bonarum temporalium, super quibus cum consensu Superiorum validè, ac licitò contrahunt, ut ostendimus l. 2. tit. 1. & constat ex Trid. sess. 25. de Regularibus ibi: *Conceditur omnibus monasteriis, tam virorum, quàm mulierum, etiam mendicantium, (exceptis Franciscanis,* nempe Capucinis, & Minoribus de observantia) *ut deinceps bona immobilia eis possidere liceat.*

1068 Not. autem Regulares, *solenniter professos* esse incapaces, *suo, personæ particularis, nomine*, celebrare contractus; cum in persona particulari sua non sint capaces dominii, ut dicitur c. *non dicatis*. 12. q. 1. c. *Cum ad monasterium*, de statu Monachorum, ibi: *Prohibemus quoq; districtè, in virtute obedientiæ, sub obtestatione divini judicii, ne quis Monachorum aliquid proprium possideat*. Et infra: Quòd *si proprietas aliqua apud quemquam inventa fuerit, in morte ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur*. Trid. sess. 25. c. 2. Secundum etiam probatur ex iisdem capitibus, & authentica *Ingressi*. c. de sacrosanctis Eccles. *Ingressi monasteria in ipso ingressu se, suaq; dedicant Deo*; nec ergo de his testantur, utpote nec Domini rerum. Possunt tamen, nomine communitatis, de licentia sui superioris, ut fusè diximus lib. 2. tit. 2. Tales sunt, qui mittuntur aliquò ad negotia peragenda, vel qui versantur in studiis, & non est facilis recursus ad superiorem. Item Regulares beneficiati, habentes liberam administrationem fructuum sui beneficii; ejecti ex Religione; & probabile est, quod hi validè contrahant, sive in res licitas, sive illicitas expendant. Item Commendatarii sive uxores habeant, qui etiam testari possunt; sive non habeant, quales sunt Melitenses, & Ordinis Teutonici: Si tamen, licet contrahere possint cum licentia, tamen dominium non acquirunt sed totus ordo. Sic doctissimus P. Paulus Rosmer in tr. de Contractib. §. de causa efficiente contractum, mihi fol. 52. Sed de his per diversos titulos pro qualitate materiæ in ibi subjectæ, quoad casus particulares agimus.

1069 Altera quæstio est de Clericis, non Regularibus. Nam circa istos variæ quoque dubitationes sunt. 1. an stare possint in judicio pro rebus suis? vel suæ Ecclesiæ? 2. an fiant Domini redituum Ecclesiasticorum? etiam superfluorum, & congruæ sustentationi redundantium? 3. an de his licite disponant ad causas profanas? 4. an sine onere restitutionis? 5. an de illis licitè donent inter vivos, vel causa mortis? 6. qualiter testari possint de bonis patrimonialibus, aut quasi? vel etiam Ecclesiasticis proventibus? 7. an licitè, ac validè celebrent renuntiationes beneficiorum in favorem tertii, vel cum certa reservatione? 8. quid possint circa alienationes rerum Ecclesiæ? 9. an rectè paciscantur super his, quæ danda sunt pro functionibus spiritualibus, sepulturæ, expensarum funeralium, dicendi tot missas &c. &c. Ad 1. ℟. remissivè ad l. 1. decret. tit. 1. ad 2. affirmativè nunc communiter respondent Neoterici cum Rosmer cit. §. De Clericis; sed contrarium tradidi in tr. Theol. de Jure, & Just. q. 7. de Dominio Clericorum. n. 354. ad 3. ibidem à n. 333. cum communi respondi negativè. Ad 4. ibidem n. 339. respondi, probabiliorem esse opionem affirmativam. Ad 5. constabit ex tit. 24. de donat. Ad 6. ex tit. 26. de testamentis, hoc lib. Ad 7. ex lib. 1. tit. 9. de renunciation: & lib. 5. tit. 3. de simon. Ad 8. ex tit. 13. hic. ad 9. ex lib. 5. tit. 3. de simon. & infra hic ex tit. 28. de sepulturis; his præmissis.

§. 1.

Quid dicendum de prodigis, & pupillis?

DE his plura generaliter diximus l. 1. tit. 36. de pactis. à n. 2822. ex communi regula, quod paciscì, seu contrahere possint omnes, nisi naturâ, vel lege prohibeantur. 1070 Cum autem *prodigis* bonorum suorum administratio interdicta sit, ut constat ex ff. tit. de Curatoribus furios: &c. Sequitur eorum contractus, sine Curatoris authoritate celebratos, in quantum eis nocent, nec valere; nec eos inde etiam naturaliter obligari, quamvis sciens aliquem esse prodigum, & tamen cum illo contrahens, possit illi obligari, ut dicitur L. 6. ff. de V. O. ibi: *Is, cui bonis interdictum est, stipulando sibi acquirit; tradere verò non potest, vel promittendo obligari; & ideo nec fidejussor pro ea intervenire poterit*. In quæstione autem, cum quis apparet prodigus, sit ipso jure illi bonorum administratio interdicta, an solum post decretum Judicis? etsi aliqui affirment primum, è quibus Fachinæus l. 2. Controvers. c. 64.

Receptior tamen est contraria sen- 1071
tentia, decretum requirens, post agnitionem

nem causæ ; quam sequitur Zoësius in ff. l. 27. tit. 10. ne scilicet contingat aliquem temerè hac notâ aspergi ; quò respicere videtur L. 10. ff. de Curat. ubi, ut non teneat alienatio prodigi, requiritur, *ut ei bonis sit interdictum* ; hoc autem frustra exigeretur, si esset ipso jure ; quod confirmatur ex L. *Patri* 2. ff. de Minorib. ubi dicitur : *vita adolescentis inspicienda, & ex ea judicandum, an debeat ei bonis interdici*, quod ipsum est facti, & Magistratus, non etiam ulterius officii. Eodem spectat desiderata ibi causæ cognitio, quæ facit non ipso jure rem perfici ; sed per Prætorem L. *Vbicunque* 103. inf. De R. J. Est autem *Prodigus*, qui dat, quibus non oportet, ut adulatoribus ; & plus quàm oportet ; ut, cùm magnis expensis facit, quod parvis fieri potest. In jure est, *qui neque tempus, neque finem, neque modum expensarum advertit, sed bona dilapidando, & dissipando profundit.* L. 1. ff. de cur. fur. Inter prodigos, & furiosos, quidam assignant hoc discrimen juridicum, quòd furiosis simul atque inceperint furere, mox ipso jure agnati sint Curatores ; Prodigis autem non sint prius Curatores, quàm ipsis à Judice bonis sit interdictum.

1072 Quod attinet ad pupillos, notandum, plures esse gradus ætatis, secundùm quos aliqui dicuntur esse *infantes pupilli, minores majores, &c.* Olim Servius (ut videre est apud Gellium l. 10. c. 28.) distribuit ætatem in tres gradus, scilicet pueritiam, juventutem, & senectutem ; *pueros*, minores annis septemdecim existimavit, eosque (ab anno decimo septimo usque ad quadragesimum sextum) *juniores* supra eum annum, *seniores* dixit. Hanc ætatis divisionem amplectitur Ulpian. L. *cum* § *modus*. ff. de transact.

1073 Cæterùm, plures ætatis gradûs, ex Imperatorum legibus, & Juris-Consultorum responsis reperimus. Nam *infantia* (seu infantilis ætas) de qua meminit Pompon : L. *si infantis*. ff. de usufr. in septimum usque annum porrigitur ; inde *pupillaris* ætas (alio nomine pueritia) in fœminis, ad duodecimum ; in maribus, ad decimum quartum producitur. L. *Æmilius* ff. de minor. Finitâ ætate pupillari, incipit *pubertas*, in quam incurrit prætextati ætas, cujus meminit Ulpian. L. *de inde*. §. *fin.* ff. de lib. exhib. Nam, usque ad decimum septimum annum, pueri ingenui prætextâ induebantur, & post hoc tempus virili mutabant. Hinc pupilli, & impuberes pro invicem sumuntur ; à pubertate autem spectato jure communi, usque ad vigesimum quintum, dicuntur puberes, seu *minores*, vel *minorennes* ; deinceps autem *majores* ; quamvis pro diversitate locorum minorennitas quandoque citius finiatur.

Ab anno 18, septem continuos (nimirum usque 25.) adolescentiæ attribuunt. Certè omnis appellatur *minor*, ante 25. annum. Puberem ætatem excipit virilis, quæ anno 25. inchoatur ; & exinde *virilis vigor* apparet, & perficitur : talis ætas modò appellatur *justa* ; modò *robusta* ; modò *constans* ; modo *legitima* vocatur. Marcellus L. *non aliter*. ff. de legat. 3. hujusmodi ætatem appellat *juventutem*. Existimari (inquit) posset juvenis is, qui adolescentis excessit ætatem, quod incipiat inter seniores numerari ; sic Pereyra in Elucidario à n. 1164. Quibus præmissis :

De pupillis Doctores communiter 1074
tradunt, pupillum sine Tutoris authoritate, posse *sibi alterum civiliter obligare*; non autem *obligari alteri*, ex §. *placuit*. Instit. de authorit. Tutorum ibi : *placuit, meliorem quidem suam conditionem licere pupillis facere sine Tutoris authoritate deteriorem non posse.* 2. pupillum infantiæ proximum ex contractu sine authoritate Tutoris, nec naturaliter obligari, ut colligitur ex §. 10. Instit. de inutilibus stipulat. ibi : *Sed quod diximus de pupillis utique de iis verum est, qui jam habent aliquem intellectum.* Nam infans, & qui infantiæ proximus est, non multùm à furioso distant ; quia, hujusmodi ætatis pupilli, nullum habent intellectum, sed, in proximis infantiæ, propter utilitatem eorum, benignior juris interpretatio facta est, *ut idem juris habeant, quod pubertati proximi.* Sed *qui in potestate parentis est impubes, ne authore quidem Patre obligatur.*

3. Pupillum, pubertati proximum, & 1075
minorennem, ex alienatione bonorum immobilium, vel etiam mobilium pretiosorum, quæ servando servari pos-

sunt, nec naturaliter obligari, ex L. 4. C. de prædiis minor. ibi: *non solum per venditionem rustica prædia, vel suburbana, pupilli, vel adolescentes alienare prohibentur; sed neque transactionis ratione, neque permutatione, & multo magis donatione, vel alio quoquo modo ea transferre, sine decreto à dominio suo possunt.* Et L. 15. C. eod. ibi: si minor 25. annis prædium rusticum, cùm aliud deberes, sine decreto in solutum dedisti, *dominium à te discedere non permittit senatûsconsulti authoritas.* 4. contra pupillum nec civiliter, nec naturaliter obligari *ex contractu tum suo Tutore inito sine consensu aliorum Contutorum* per L. 46. ff. de contrah. empt. ibi: *non licet ex officio, quod administrat quis, emere, vel per se, vel per aliam personam.*

1076 Difficultas autem est 1. an contractus à jure simpliciter irritati, sic censeantur irritari, ut nec naturaliter, seu in conscientia obligent? 2. an quamvis contractus pupillorum sine Tutoris authoritate celebrati ipso jure sint irriti saltem civiliter illos eximant etiam ab obligatione naturali, seu in conscientia?

1077 Ad 1. & remissivè, pacta, vel contractus, qui cæteroquin jure naturali verè subsistunt, & validi sunt, cum jure humano infirmantur, non sic universim infirmari, quin inducunt obligationem naturalem; ita tradidi lib. 1. tit. 36. à n. 2606. dixi, *non universim* propter quosdam casus exceptos, inibi relatos à n. 2609. Ad 2. non est eadem Doctorum opinio; nam aliqui simpliciter dicunt, eos non eximi ab obligatione naturali; alii, non eximi, si inde ditiores facti sint: Secùs si contrarium; vult ergo ista sententia ultima, pupillos ex contractu sine Tutoris authoritate celebrato naturaliter, non tantùm civiliter obligari, quando inde lucrum habent; consequenter ejusmodi contractus in casu, quo pupillo contrahenti non sunt lucrosi, vel saltem damnosi, à jure simpliciter irritari sic, ut pupillum nec naturaliter obligent.

1078 Obligari naturaliter in casu lucri probatur ex L. 5. ff. de auth. Tut. ibi: *Sed & cùm Solus Tutor mutuam pecuniam pupillo dederit, vel ab eo stipuletur, non erit obligatus tutori: naturaliter tamen obligabitur, in quantum locupletior factus est: Nam in pupillum non tantùm tutori, verùm cuivis actionem, in quantum locupletior factus est, dandam, Divus Pius rescripsit.* Hæc autem actio non est propriè civilis, & directa; sed potius utilis, & ex privilegio per L. 3. ff. Commodati, ibi: *Sed mihi videtur, si locupletior pupillus factus sit, dandam utilem commodati actionem secundùm Divi Pii rescriptum.* Quamvis pupillus, pubes factus, etiam civiliter obligari possit Tutori. L. 1. ff. de contria Tutelæ actione.

Non obligari etiam naturaliter extra casum lucri, vel ubi est cum damno, & consequenter ejusmodi contractus esse simpliciter irritatos, probatur 1. ex hoc, quia *prodigus* nec naturaliter obligatur ex contractibus à se factis sine authoritate Curatoris, *si non est inde locupletior factus*; quia in jure comparatur furioso; sed etiam pupillus in his contractibus comparatur furioso. L. 29. ff. de Condict. indebit. ibi: *In his personis* (nempe pupillo, & furioso) *generaliter repetitioni locum esse non ambigimus: & si quidem extant nummi, vindicabuntur; consumptis verò conditio locum habebit.* Deinde si pupillus naturaliter obligaretur, solvendo debitum, vel dando mutuum verè transferret ejus dominium, cujus oppositum constitutum est. §. 2. Instit. Quib. alienare licet. ibi: *Si mutuam pecuniam, sine Tutoris authoritate, alicui dederit, non contrahit obligationem; quia pecuniam non facit accipientis*; 3. pupillus mutuam pecuniam accipiendo, ne quidem jure naturali obligatur, L. 59. ff. de 4. quod pupillus sine authoritate Tutoris stipulanti promisit, solverit, repetitio est, *quia nec naturâ debet.* L. 41. ff. de Condict. in debit.

Contrarium tamen sentiunt Sanchez. 1079
lib. 6. de matrim. D. 38. à n. 36. & plures alii, pariter adductis in contrarium legibus, quibus intendunt evincere, pupillum, etiam ex contractibus sibi *non lucrosis*, naturaliter obligari; & respondent ad priores leges, inde solùm probari, obligationem efficacem, seu jure non infirmabilem, ex ejusmodi pupillorum contractibus, non nasci, & cùm dicatur, solùm, ex tali contractu, *posse repetere, quia nec naturâ* debet, intelligi, *infirmato contractu* per restitutionem in integrum, qua subvenitur talibus propter ætatis imbecillitatem. Inter alias probationes utun-

tur

tur etiam hac: quandocunque fidejussor obligatur, necesse est, quod principalis saltem naturaliter obligetur; non principali autem nullo modo obligato, non tenetur fidejussor. L. 46. ff. de fidejussoribus: sed fidejussor pupilli obligatur ex L. 35. ff. de Recept. qui arbitr. ibi: *Si pupillus sine Tutoris authoritate compromiserit, non est arbiter cogendus pronuntiare, quia si contra eum pronuntietur, pœnâ non tenetur, præterquam si fidejussorem dederit, à quo pœna peti possit.*

1080 Ex istis opinionibus, inter se oppositis, videtur omnino dicendum, pupillum naturaliter obligari ex contractu sine Tutoris authoritate celebrato, si inde factus sit locupletior; id, quod rectè probatur supra à n. 1077. in casu autem, quo non est factus locupletior, nec obligari naturaliter, videtur omnino probabile ex rationibus factis loc. cit. Cæterùm magis placet, nec istos contractus à jure simpliciter sic irritari, ut nec naturaliter obligent, si seclusâ juris dispositione tenuissent jure naturæ; id, quod suadet ratio priori numero relata; nec leges in contrarium adductæ tales sunt, quæ prævaleant. Nam comparatio *prodigi, & pupilli cum furioso* non tenet in omnibus; hic enim censetur agere sine rationis usu, turbatæ ex furore, quod non militat in aliis; quod autem dicitur, quod pupillus non transferat dominium, procedit de translatione *firma*, nec jure irritabili; & quamvis ei repetitionem solutijura concedant, intelligitur *per Iudicis authoritatem*, qua contractus infirmetur; Conceditur enim, ne quidem jure naturali obligari, obligatione firmâ. Quod vero respondent Contrarii ad rationem ex obligatione fidejussoris, videtur gratis dici, Fidejussorem in Contractibus pupillorum *esse principalem*; hoc enim est contra rationem *fidejussoris*; cùm ejus obligatio solùm substituatur obligationi alterius, pro quo cavet; at ubi nulla est, id fieri non potest.

1081 Nec obstat L. 26. ff. de Fidejussorib. dici, *fideijussori* pro pupillo, prodigo, vel furioso, non subveniri; hoc enim solum probat, negari ei legale auxilium, quod illis alioquin concessum est; non autem exinde probari, tali casu fidejussorem esse *principalem*; unde negatur obligari fidejussorem in casu, quo illi nec naturaliter obligantur, saltem obligatione infirma, seu irritabili juris dispositione. Similiter gratis dicitur, legem, quæ dicit fidejussorem non obligari, nec naturaliter obligato principali, debere intelligi *regulariter*, nimirum quando principalis nec juris privilegio foret exemptus ab obligatione naturali; nam hujus limitationis ratio nulla est; cum etiam hæres pupilli, ex contractu, per hunc sine Tutoris authoritate inito, dicatur obligatus. L. 95. §. 2. ff. de solutionib. quod tamen dici non posset, nisi pupillus, cui succedit, naturaliter obligatus esset.

§. 2.

Quid possint Minores, & Filii familias?

IN hac re distinguendum est inter bona 1082
minorum, quorum administratio illis jure, vel consuetudine est adempta, administrationis jure translato in Curatorem; & quorum concessa. Quoad illa respondetur de Minoribus contrahentibus sine authoritate Curatoris, qualiter diximus esse dicendum de pupillis contrahentibus sine authoritate Tutoris. Quoniam autem quandoque contingit, minores aliquos carere Curatore, & inter eorum bona quædam sunt, non tantùm immobilia, sed etiam mobilia, & hæc in duplici specie, quæ nimirum pretiosa sint, & servari possint; quædam secus, illa vero nec Tutoris consensu alienari possint sine decreto Judicis (ut habetur L. 22. C. de administrat. Tutor. & Curat. ibi: *præcipimus itaque, ut hæc omnia* (pretiosa scilicet, quæ Servando servari possunt) *nulli Tutorum, vel Curatorum liceat vendere, nisi forte hoc necessitate, vel lege &c.*) ideo in hac materia plures quæstiones fieri possunt.

Prima est, an sine Curatoris authori- 1083
tate possint contrahere, & alienare bona castrensia, vel quasi, si Curatorem habent? 2. si Curatorem non habent? 3. an indigeant consensu Curatorum, ut possint obligari realiter? 4. an ut personaliter. Ad 1. & 2. posse, ubi habent eorum administrationem liberam, quod pendet ex diversa locorum consuetudi-

&c.

ne. Ad 2. ℞. posse mobilia non pretiosa, & quæ servando servari non possunt. Tunc enim, cùm Curatore careant, ab eo dependere non possunt; & quod in his indigeant decreto Judicis, nullibi statutum est; secùs est de mobilibus pretiosis, quæ servando servari possunt. Nam quando carent Curatore, pius non possunt, quàm valerent cum Curatore; sed cùm hoc non possent ea alienare sine decreto Judicis ex præced. num: ergo nec, quando carent Curatore. Ad 3. ℞. id colligi ex dict. nimirum posse obligari realiter, at obligatione naturali, vel civili, qualiter validè contrahunt super rebus suis sine Curatoris authoritate. Ad 4. ex alibi dictis, quantum est ad obligationes personales ex contractu matrimonii, vel susceptione statûs Religiosi, suscipiendos ordines, &c. Minores non pendere à Curatoribus, ut diximus l. 4. à n. 132.

An autem, & qualiter Clericus minor, sed pubes, in causis beneficialibus dependeat à Curatore? exposuimus l. 2. tit. 2. à n. 19. De aliis porro contractibus quæstio est, an universaliter dicendum, Minorem non posse personaliter obligari ex illis, sine authoritate Curatoris? & quamvis complures affirment, videtur tamen dicendum negativè ex L. 101. ff. de V. O. ibi: *puberes sine Curatoribus suis possunt ex stipulatu obligari*; quod intellige, de stipulatu sistente intra terminos obligationis puræ personalis, v. g. aliquid dicendi, faciendi, vel mittendi, non transeunte in alienationem rei suæ; cujus ratio ulterior est, quia Curator non datur *personæ*; sed *rebus*.

1084 Ad alteram tituli partem, de filiisfamiliâs. not. eos posse considerari quoad diversa bona, quæ habent, & fieri quæstionem, an, & qualiter super illis contrahere possint. Nam alia eorum bona sunt Castrensia, vel quasi Castrensia; alia adventitia, alia profectitia. *Castrensia* sunt, quæ in militia, vel occasione militiæ comparantur, qualia stipendia, Spolia, donativa Ducum, vel Commilitionum, hæreditas, & legatum occasione militiæ. Unde si consanguineus cum alio versetur in bello, & ei relinquat aliquid, præsumitur relictum causâ militiæ, L. 4. C. de Castren. pecul. mil. Item præsumitur datum causa, & intuitu militiæ omne genus armorum, & quidquid inserviens bello, ut subeat rationem peculii castrensis; sola mobilia, quæ donantur filio eunti ad bellum, vel à Patre, vel à Matre, vel à quacunque persona, castrensia esse possunt; immobilia nequaquam. Cùm vero Castrum in jure etiam Regis palatium significet, bona Castrensia vocantur, quæ in Regis palatio acquiruntur. L. *unic.* C. de Castrens. palat. pecul. lib. 12. Denique quæ ex talibus bonis, mediante aliquo contractu, proveniunt, *castrensia* reputantur.

Quasi Castrensia, quæ habent privile- 1085
gium peculii castrensis, quale omne id, quod ex beneficio Ecclesiastico comparatur: imo quidquid acquiritur post Clericatum, etiamsi alias esset adventitium. Sic habetur expressè Authen. *Presbyteros*. C. de Episc. & Cleric. sunt enim Clerici, *milites spirituales*. Item quidquid acquiritur officio publico, non mechanico, ut Judicis, Advocati, Tabellionis, Medici, vel professione alicujus artis liberalis, & munere docendi, Concionandi, vel Consulendi in Scientiis superioribus, quales sunt Theologia, jus canonicum, & civile. L. *similiter*. ff. de Castrens. pecul. Item, quod datur intuitu talis functionis, ut si dentur libri, ut quis profiteatur artem liberalem; &, quod liberalitate principis: denique, quod ab aliquo confertur filiofamiliâs, ut sit tanquam Castrense.

Adventitia sunt, quæ non proveniunt 1086
à patre, respectu cujus dicitur adventitium, nec Patris intuitu principaliter datur: sed successione, vel donatione aliûs intuitu facta, vel industria propria, vel fortuitò ei obvenit. Unde adventitia erit, successio in bonis maternis, inventio thesauri, & lucrativa negotiatio. Adventitium in jure dicitur, quod fortuitò, & aliunde, quam ex usitata consuetudine manat. Unde adventitiam dotem dicimus, quæ aliunde, quam à Patre profecta est.

Profectitia demũ sunt, quæ de reb⁹ pater- 1087
nis proficiscuntur, seu quæ proveniunt à parẽte vivo, vel principaliter, & proximè ejus intuitu conferuntur, ita, ut nec sint Castrensia, nec quasi Castrensia. Hujusmodi sunt, quæ à parentibus conceduntur filiis, ut ea administrent, & quæ dan-

dantur filio ab aliis ob amicitiam, & obsequium parentum; secus si ob amicitiam, vel obsequium filii. L. 6. C. de bonis quæ Liber. Ab Alex. scot. V. *peculium* vocatur *paganicum*, profectitium, quod de rebus paternis, vel dominicis proficiscitur, & filio, vel servo datur, ut in eo negotietur, & istud est patris, quoad proprietatem; sed filii, quoad usumfructum; nam filius in profectitio ordinario nec habet dominium directum, nec utile. In adventitio habet directum, non utile; in Castrensi, & quasi Castrensi habet utrumque. Citatus author v. *paganicum* affirmat illud esse *adventitium* peculium, quod ex prospera fortuna advenit, veluti ex testamento cognatorum, vel etiam agnatorum.

1088 §. 1. Filiumfamilias puberem, ex contractu circa bona Castrensia, etiam sine consensu patris, posse civiliter obligari; non autem impuberem; nam pubes in illis cum dominio habet liberam administrationem. Unde in L. 4. §. 1. ff. de Castrens. pecul. dicitur, actionem, persecutionemque Castrensium rerum semper filius, etiam invito patre, habet, & L. 2. C. eod. filiusfamilias alienationem nullius rei, sine voluntate patris, habet, *nisi Castrense peculium habeat*: Impubes autem, ne quidem cum consensu patris ea alienare potest ex §. 10. Instit. de inutilib. stipulat. ibi: *Sed qui in potestate patris est impubes, ne authore quidem patre obligatur; hunc enim non potest convenire; secus Tutorem.*

1089 De adventitiis L. fin. §. 5. C. de bonis, quæ Liberis, hæc habentur: Filiisfamilias in iis duntaxat casibus, in quibus ususfructus apud parentes constitutus est, donec parentes vivunt, nec de iisdem rebus testari permittimus, nec citra voluntatem eorum, in quorum potestate sunt, ulla licentia eis concedenda dominium rei ad eos pertinentis alienare, vel hypothecæ titulo dare, vel pignori assignare. Hoc tamen intelligunt aliqui, si talis filius minorennis sit; nam si majorennis, dicunt eum cum consensu patris, saltem tacito, vel si longius abesset, validè alienare; Lex enim illa, quæ contrarium statuit, sine consensu Patris, etiam intellecta de majorenni non censetur habere locum, cùm dicitur respicere solùm favorem Patris, propter usumfructum, quem habet in bonis filiorumfamilias adventitiis, præsertim si hic etiam alienata proprietate æquè salvus sit, ac ante.

Quòd aliqui hoc negent minorennibus, videntur velle probare ex c. *Constitutus.* 8. de in integrum restitut. ubi casus iste propositus habetur: Constitutus in nostra præsentia Magister Guil. pro se, ac fratre suo, Canonico Parrosinensi, exhibitâ nobis petitione monstravit, *quòd eis in minori constitutis ætate*, ac eorum matre (cujus successores existunt) rebus humanis exemptâ, quondam G. Pater ipsorum *quasdam possessiones, utriq; communes, quibusdam vendidit* pro quadam pecuniæ quantitate, *ac (ut hujusmodi venditio robur firmitatis haberet) emancipavit eosdem & fecit eos contractui consentire.* Quare supplicavit, ut vel venditionem earum mandaremus *nunciari nullam*; vel, cùm adhuc existant intra tempus ad obtinendum *beneficium* in integrum restitutionis indultum, & intra annum, & diem à tempore contractûs, ipsis tanquam proximioribus competeret super illa portione jus offerendi emptoribus pretium (juxta municipii Parrosinen. consuetudinem approbatam, quod hactenus omiserunt) dignaremur eis super utroque, (cùm in hoc non modicum læsi noscantur, & emptoribus portionis ejusdem, vel eorum successoribus pretium sint offerre parati) per idem beneficium subvenire: Postquam hæc petitio proposita fuit Gregorio IX. Pontifici, respondit: *Mandamus, quatenus, si præmissa inveneritis, veritate subnixa, vel venditionem prædictam, quoad partem* (ex successione materna) ipsos contingentem, *nullam nunciare curetis*, si in ea debita juris solemnitas est omissa; vel forsitan inveneritis, & eos læsos esse constiterit, tam super ea, quàm super residua portione, dum tamen, quod offerunt, quod duxerint faciendum, auctoritate nostrâ, in integrum restituere studeatis. 1090

Ex hoc enim casu deducunt aliqui, nec cum consensu patris alienationem factam à minorennibus in bonis adventitiis, valere. Sed hoc exinde non probatur. In toto enim textu nihil reperies, quo concludes ibi Minorennes cum consensu Patris de adventitiis nihil posse alienare. 1091

nare. Nam ibi solùm narratur factum Patris, & querela filii petentis, vel irritum declarari contractum à Patre factum, cùm utriusque consensu, postquam emancipati sunt, vel indulgeri beneficium restitutionis, propter læsionem; & Pontifex ad hoc solum respondet, delegatis ut irritum declarent illum contractum, si ei defuit aliqua solennitas alias jure debita.

1092 In bonis profectitiis distinguendum est, an filius ille habeat à Patre ut cum illis negotietur? an Secus? in primo casu, etiam sine alio Patris consensu potest alienare; sic enim habet eorum administrationem liberam in fructibus eorum, quibus negotiari possit; quæ aliqui vocant bona paganica. Quod ideo procedit, ut in his etiam contra Patrem illi detur actio ex §. 10. Institut. de actionib. ibi: *Actiones verò, de peculio, ideo adversus Patrem, Dominumve comparavit Prator, quia, licet ex contractu filiorum servorumve, ipso jure non teneantur; æquum tamen est peculiotenus, quod velut patrimonium est filiorum, filiarumq;, item servorum, condemnari eos.* Et hæc de obligationib. *realibus* filiorum familiâs secundùm diversitatem bonorum, quibus potiuntur.

1093 Quæstio est de *personalibus*, an citrà consensum Patris se obligare valeant? Affirmativam tradit Molina de Jure, & Just. D. 261. & alii, exceptâ obligatione *ex mutuo*, propter privilegium ex Senatus-Consulto Macedoniano. Ratio illius sumitur ex §. *item inutilis.* Instit. de inutilib. stipulat. ibi: *Filii verò familiâs obligari possunt*; & L. *filius fam.* ff. de O. & A. *Filius-familiâs ex omnibus causis, tanquam Paterfamiliâs, obligatur, & ob id agi cum eo tanquam cum Patrefamiliâs potest.* & L. *tam ex* ff. de Judiciis. *Tum ex contractibus, quam ex delictis in filiumfamilias competit actio.* Hæ leges de obligatione saltem personali rectè probant, saltem in eventu, cùm tales sui juris fuerint; aut etiam necdum emancipati, quod debent, præstare potuerint adepta pubertate; hac enim posita non manent obligati (secluså necessitate) patri cohabitare.

1094 Inquiri præterea potest, qualiter Regulares, vel alii Ecclesiarum Administratores celebrare possint contractus rerum suarum, aut administrationi suæ commissarum alienati vos? Qualiter item conjuges quoad res dotales? Sed de his sunt speciales tituli, ageturque, cùm opportunitas eorum se obtulerit. Illud notandum: Neminem alteri (seu alterius loco) paciscì posse, & paciscendo acquirere civilem obligationem, seu actionem salvis exceptionibus, sine mandato; Ratio sumitur ex L. 73. §. fin. ff. de Reg. jur. ibi: *Neq; paciscendo, neq; stipulando quisquam alteri cavere potest*; & §. 4. Instit. de inutilib. stipulationib. *Si quis alii, quàm ei cujus juri subjectus est, stipuletur, nihil agit.* Item L. 11. ff. de O. & A. ibi: *Quæcunque gerimus, cùm ex nostro contractu originem trahunt, nisi ex nostra persona obligationis initium sumant inanem actum nostrum efficiunt, & ideo neque stipulari, neque emere, vendere contrahere, ut alter suo nomine rectè agat, possumus.* Sed not. hoc non procedere L. 1. de personis, quæ in illius potestate sunt; pro quo stipulantur, ut sunt filiifamiliâs, & servi, ut habetur Instit. tit. per quas personas nobis obligatio acquiratur, ibi: *Per eas quoq; personas, quæ in nostra potestate sunt, veluti per servos, & filios nostros, nobis acquiritur, totum nostrum fiat; quod autem per liberos, quos in potestate habemus, ex obligatione fuerit acquisitum, hoc dividatur secundùm imaginem rerum proprietatis & usufructus.* 2. Nec procedere de personis liberis, vel servis alienis bona fide possessis, nam per liberos homines (ut dicitur ibidem §. 1.) & alienos servos, quos bona fide possidemus, acquiritur nobis, sed tantum ex duabus causis, id est, si quid ex *operis suis*, vel *ex re nostra* acquirant. His ergo personis se positis, de aliis videamus.

Ex his igitur deducitur, neminem pos- 1095
se nobis stipulando, aut contrahendo, sine mandato nostro, acquirere obligationem, seu actionem civilem, nisi qui sub potestate sunt; id, quod procedit, licet ejusmodi personæ nobis conjunctæ sint sanguine, vel alio vinculo; cùm illæ solùm excipiantur, quæ sub potestate sunt; & colligitur ex L. 26. C. de jure dot. ibi: *Si genero dotem dando pro filia pater communis eam reddi tibi extraneo constituto stipulatus est, nec sibi, cessante voluntate, nec tibi prohibente jure, quærere potuit actionem.* Idem habetur L. 4. C. de pactis, ut nec Mater id possit respectu filiæ.

Ab his tamen excipiuntur aliqui casus. 1096

Pater

Pater enim filio hæredi stipulando, vel paciscendo potest acquirere. L. 33. ff. de pactis; ubi ratio redditur, *quia hæredi consuli concessum est*; quod extenditur etiam ad alios, quoad hæredes suos, sic tamen, ut quamvis testator uni hæredum possit acquirere exceptionem, de non petendo; quin eandem acquirat aliis cohæredibus; ut habetur cit. L. 33. & L. 10. ff. de pact. dot. actiones tamen uni acquisitæ, porriguntur ad omnes, ex L. 37. §. fin. ff. de V. O.

ARTICULUS V.

Quid in contractibus operetur dolus? error? metus? conditio? &c.

1097 ERror, vel dolus dicitur dare causam contractui, quando is absente dolo, vel errore celebratus non fuisset; & hoc modo dicitur *antecedens*; Si autem eo etiam absente nihilominus contractus initus fuisset, dicitur *concomitans*, quem aliqui etiam vocant *incidentem*. Error porrò (idem est de dolo) alius potest esse circa substantiam; alius circa accidentia rei, quod dupliciter fieri potest. 1. quando contrahens errat circa qualitatem rei, cui consensum suum seu voluntatem non alligat, quo casu talis error in qualitate, dicitur error in qualitate simpliciter; Si autem ei voluntatem alliget, tanquam illi, *sine quo non*, dicitur error in qualitate, *redundante in substantiam*, hoc est, faciente, ut nolit, vel saltem non consentiat in rem carentem tali qualitate, quæ omnia fusius explicamus lib. 4. à n. 1069; quibus positis.

§. 1.

Quid in contractibus operetur error, vel dolus?

1098 I. SI error sit *antecedens*, seu dans causam contractui, & versetur circa rei substantiam, vel qualitatem, quæ redundat in substantiam, contractum jure naturali esse irritum, & nullum; secùs, si solùm circa qualitatem præcisè. Probatio hujus constat ex lib. 4. à n. 1072. Quod tamen accipiendum est cum limitatione, ibidem n. 1074. Si autem error sit solùm incidens, seu concomitans, secùs dicendum esse ostendimus ibidem n. eod. Unde porrò cognoscamus, voluntatem esse simpliciter alligatam certo prædicato, de se ac secundùm se solùm accidentali, diximus ibid. à n. 1075. Ubi etiam exponimus discrimen inter ignorantiam, & errorem in ordine ad voluntatem; item inter errorem concomitantem, & errorem antecedentem; quorum ille quidem facit non voluntarium, iste autem involuntarium.

Jam verò, si dolus, seu deceptio interveniat, distinguendum est. 1. an dolus sit antecedens, & det causam contractui? 2. an conjungatur cum errore, vel circa sola accidentia, vel circa substantiam, aut accidentia, in quibus error redundat in substantiam? Quando dolus est antecedens, & error circa pura accidentia, non vitiatur contractus ex natura rei; quia sic relinquitur, quoad rei substantiam, voluntarium simpliciter, quamvis aliquod involuntarium *secundùm quid* admixtum sit; Secus est si conjunctum habeat errorem circa substantiam, vel qualitatem, cujus defectus redundat in substantiam; ratio est eadem, quæ pro errore. Hæc tamen intellige de contractibus utrinque imponentibus gravamen, seu obligationem. 1099

Quia verò contingit, quandoque solùm obligari unum ex contractu (minùs strictè accepto v. g. promissione liberali acceptata) obligari, quæstio est; an etiam tunc *jure naturali* teneat talis obligatio, quam parit contractus, cui causam dedit dolus promissarii? Negativam sequitur Hauholdus tom. 3. de jure, & Just. tr. 8. n. 85. Rationem dat ex suis principiis; quia obligatio justitiæ habet pro mensura voluntatem alterius potentis ad suum placitum obligare, ut attentè consideranti facilè patebit: ergo rectius dicimus in hoc casu nullam obligationem natam esse ex promissione, nec proinde opus esse rescissione spontanea, prout opus est, quando deceptus, habens alterum sibi obligatum, vult resilire. 1100

Sed dato, quòd obligatio justitiæ pro mensura habeat voluntatem alterius, potentis alterum obligare in commodum 1101

ſuum; hoc tamen intelligitur de illius voluntate, ſeu libertate legitima, nimirum ſecundum quod munita eſt favore legis, aut pacti legitimi, quia verò lex alicui concedere poteſt favorem in commodum ſuum obligandi alterum validè, ſed illicitè; interdum eſt validè, & licitè, ut oſtendimus in tract. Theolog. de jure, & Juſt. q. 1. fieri poteſt, quod non obſtante reſcindibilitate contractus dolo, dante illi cauſam, initi, poſſit alterum validè obligare in commodum ſuum, quam diu contractus talis reſciſſus non eſt, aut repulſus exceptione doli; ſtabit ergo tunc obligatio juſtitiæ ex natura rei, quando non eſt cum errore in ſubſtantia; quamvis facilè elidibilis. Revera enim ſtat, aliquem ex juſtitia obligari poſſe, ſaltem in foro fori, licet eadem per oppoſitam exceptionem elidi valeat, & reſcindi; unde ſunt, qui dicunt ad obligationem juſtitiæ ſatis eſſe voluntatem alterius potentis *civiliter* obligare in commodum ſuæ voluntatis.

1102 Quæſtio eſt, an contractus dolo malo, & antecedente unius è contrahentibus celebrati jure poſitivo validi ſint? Non loquimur hic de contractibus, qui ſemel validi, evadunt irreſcindibiles voluntate contrahentium, qualis eſt contractus matrimonii. Quid enim de his dicendum ſit, ſi dolus trahat ſecum errorem in pura qualitate vel in ſubſtantia, aut qualitate redundante in ſubſtantiam ex dictis locis jam cit. ex lib. 4. reſolvi poteſt.

Quamvis hoc ipſum aliqui limitent, ut hæc nullitas etiam jure naturæ, ſolum procedat in decepto; volentes decipientem non poſſe reſilire; ne commodum habeat ex dolo ſuo. Procedit ergo quæſtio de contractibus, qui jure reſcindi poſſunt, quando initi ſunt dolo malo dante cauſam contractui; & de his dicendum videtur, eos non eſſe ipſo jure irritos, ac nullos, quando dolus non trahit ſecum errorem quoad ſubſtantiam, vel qualitatẽ, quæ redundat in ſubſtantiã; nam in oppoſito caſu, cum taliter erratur in ſubſtantia etiam jure naturali contractus irritus eſt ex n. 1098. & conſtat etiam de jure civili ex L. *ſi per errorem.* ff. de juriſdiction. omn. jud. his verbis. *Nec enim ferendus eſt, qui dicat, eos conſenſiſſe in Præſidem, cum & Iulianus ſcribit, non conſentiunt, qui errant, quid enim tam contrarium conſenſui, quam error.* Item L. *cum ab eo.* ff. de contrah. empt. ubi in fine ſic habetur: *Menſam, argento coopertam, mihi ignoranti pro ſolido vendidiſti imprudens, nulla eſt emptio.* L. *in venditionibus.* ff. eod. *ſi igitur me fundum emere putarem Cornelianum, tu mihi te vendere ſempronianum putaſti, quia m corpore diſſenſimus, emptio nulla eſt.*

Quando autem dolus unius, dans cauſam contractui provenit ab uno ex contrahentibus, & inducit ſolum errorem circa puram qualitatem, contractus non eſt ipſo jure nullus, ſic ut etiam deceptor liber ſit ab obligatione, voluntate ſuâ contractum irritando per juris remedium ipſi conceſſum; quamvis à decepto irritari poſſit. Ratio hujus eſt, quia talis contractus nec jure naturæ liberat deceptorem, ut diximus n. priori, & decepto concedit ſolum facultatem, illum pro arbitrio irritandi; quia jure naturæ competit ei jus, ut à læſore reſtituatur in ſtatum immunitatis ab illata injuria, quod fieri non poteſt, niſi remittendo illi obligationem injurioſè, dolo malo extortam, quando talis obligationis remiſſio per ipſum ſtat. 1103

Not. autem 1. datam præced. n. reſponſionem procedere non tantum de contractibus bonæ fidei, ſed etiam ſtricti juris. De his. prob. 1. ex §. 1. Inſtit. de Exception. ibi: *Si metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapſus ſtipulanti Titio promiſiſti, quod non debueras promittere, palàm eſt, jure civili te obligatum eſſe. & actio quâ intenditur, dare te oportere, efficax eſt: ſed iniquum eſt te condemnari, ideoque datur tibi exceptio, quod metûs cauſâ, aut doli mali, aut in factum compoſita ad impugnandam actionem.* Secundo ex L. *Dolo* 5. C. de inutilib. ſtipulat. ibi: *dolo, vel metu adhibito actio quidem naſcitur, ſi ſubdita ſtipulatio ſit; per doli tamen, vel metûs exceptionem ſubmoveri petitio debet.* Ubi not. quod ſignatè dicatur: *jure civili te obligatum eſſe*, nimirum *civiliter*; non autem *naturaliter*, & quando actio *efficax* dicitur, intelligi, ſpectato juris rigore, ut in judicium vocari poſſis; quin ex ea condemnari valeas, cum elidi poſſit exceptione doli mali, ut dicitur in ipſo textu. 1104

Idem

1105 Idem de contractibus bonæ fidei sentit P. Rosmer de Contractibus. Tit. de Contract. in communi. n. 9. probans ex L. *Iulianus.* 13. ff. de Actionib. empti, & venditi, ubi textus ait: *Si vero sciens reticuit, & emptorem decepit, omnia detrimenta, quæ ex ea emptione emptor contraxerit, præstaturum ei*: Et L. *si dolo.* C. de rescind. act. ibi: *Si dolo adversarii deceptum venditorem prædii te feciſſe præses Provinciæ aditus, animadverterit, sciens esse dolum bonæ fidei, quæ in hujusmodi contractibus exigitur, rescindi venditionem jubebit.*

1106 Ex his juribus rectè probatur, ejusmodi contractus, unius è contrahentibus dolo initis, rescindi posse; sed exinde non tam clarè deduci etiam eorum valorem; nam sæpius in jure dicitur, aliquid esse *rescindendum*, vel *irritandum rescissione solùm declarativa nullitatis*; non autem, *ablativâ valoris*, qui actibus in sit, qui rescindendi dicuntur. Hinc videtur etiam hoc rectius probari ex eodem, quod nullus extet juris positivi textus, quo *penitus* invalidi dicantur, sic, ut nec deceptor teneatur; quamvis verum sit, claudicare ex parte decepti, hoc est non inducere obligationem ab illo non rescindibilem; seu talem, à qua se eximere non possit, exceptione doli, ritè probati. Nam quando L. 3. §. 3. ff. pro socio. dicitur: Societatem ipso jure nullius momenti esse, si dolo malo, aut fraudandi causâ inita sit, rectè intelligitur, quoad *decipientem*, ut inde nullum jus saltem *firmum*, & *non infirmabile* à decepto acquirat; tametsi enim bona fides contraria sit fraudi, & dolo, ut deceptori jus acquiratur, & deceptus obligetur; secus tamen est quoad ipsum, & hoc sensu etiam intelligitur, quod dicitur L. 1. C. de rescind. vendit. ibi *malæ fidei emptio irrita est*; nimirum *quoad deceptum*; non, *deceptorem.* Unde negandum venit, quod deceptor non intendat obligari, si intendit jus acquirere contra deceptum ex contractu sua deceptoris fraude procurato.

1107 Dixi hactenus, si contractus extortus, seu procuratus est dolo malo *unius è contrahentibus*; sed quæstio est, quid dicendum, si *à tertio, disjuncto à contrahentibus?* In hac re distinguendum videtur, & dicendum, si contractus jam executioni mandatus est, illum, ne quidem jure naturali posse rescindi à decepto, exigendo *ab altero contrahente* remissionem, titulo injuriæ, seu injustitiæ, dolo malo in ipsum commissæ ab eo; cùm ponatur dolus non à contrahente, sed ab alio distincto, seu tertio profectus, contra quem decepto competit actio, ut pro injuria, & damno inde secuto satis fiat; si autem adhuc pendet, deceptus posset, vel resilire, allegando defectum suæ intentionis, vel adeundo Judicem, &, probata deceptione, petendo rescissionem, & pluribus dixi lib. 4. à n. 432.

Not. autem, *actionem de dolo*, esse subsidiariam, quâ petitur, ut deceptor rem ipsam, si potest, restituat; vel, si non potest, interesse, & æstimationem. Durat, *ut actio*, solùm duobus annis, à tempore doli commissi; Sed, *ut exceptio* est perpetua, per vulgaria: *Quæ temporaria sunt ad agendum, perpetua sunt ad excipiendum.* Dicitur autem durare *biennio*, sic, ut perimatur, si ante lapsum biennii cœpta, non absolvatur, ex L. 8. C. de dolo malo ibi: *Ex eo die, quo asseritur commissus dolus, intra continuum biennium de dolo actionem moveri, sive absuerit, sive præsto fuerit is, qui dolum se passum esse conqueritur. Omnes igitur sciant, neq; incipiendæ post biennium, neq; ante completum biennium cœptæ; post biennium verò finiendæ, doli actionis esse concessam licentiam.* 1108

§. 2.

Quid in contractibus operetur metus?

NOn agimus hic de vi, & coactione *absoluta*, seu præcisa; ex hac enim, contractus omnes, etiam jure naturæ, ipso facto irriti sunt, cùm tollatur voluntarium simpliciter, prout exponimus l. 4. à n. 389. Sed solùm de vi, & coactione *conditionali*, seu metu mali; cæteroquin incurrendi, de quo ibidem à n. 390. Quid porrò sit metus in genere? quid metus levis, vel gravis, seu cadens in constantem virum? exposuimus ibidem à n. 392. Quibus positis ex l. 4. locis cit. dicendum 1. per metum levem, etiam injustè incussum, ac directè ad extorquendum con- 1109

sensum, nec sponsalia tam de futuro, quàm præsenti, nec alios contractus vitiari jure naturæ, ut constat ex probationibus factis l. 4. à n. 398. imò nec jure positivo, ibidem à n. 399. & sequentib.

1110 Dicendum 2. contractus ex metu etiam gravi, sed naturaliter inducto non, vitiari jure naturali; ex dict. l. 4. à n. 396. nec ex metu, quantumvis gravi, extrinsecùs, sed justè incusso ex n. 397. quod ibidem dicitur, etiam spectato jure positivo. Dicendum 3. sponsalia de futuro probabilius non vitiari jure naturæ, licet inita ex metu gravi, & injustè, ac directè incusso ad extorquendum consensum, ex dict. ibidem à n. 408. Quod etiam procedit spectato jure positivo, ibidem ex n. 426. quamvis rescindi possint ex n. 401. sed hæc intellige, quando metus incussus est ab uno contrahentium; non autem tertio; quia tunc cum distinctione respondendum est, ut notavimus ibidem a n. 432.

1111 Dicendum 4. Contractus nec partium consensu, nec ullo jure humano, nisi fortè cum magna, ac extraordinaria partis ligatæ difficultate rescindibiles, si semel validi sunt, initos ex metu gravi, injustè ac directè incusso ad extorquendum consensum, sive ab uno contrahentium, sive ab alio tertio, esse irritos jure naturæ; nam soli contractus non amplius rescindibiles, ubi semel validè celebrati sunt ex tali metu, jure naturæ irriti sunt, ut ostendimus l. 4. à n. 434. quò me remitto; quod etiam procedit spectato jure positivo, ibid. n. 435.

1112 Præter dicta not. 1. quando dicimus, contractus denuo rescindibiles, ex metu gravi, extrinsecùs injustè, ac directè incusso, ad extorquendum consensum ab uno contrahentium, nec jure positivo esse in validos ipso jure, debere intelligi, valere quidem sic, ut in metu passo producant obligationem, sed rescindibilem arbitrio suo; at non in metum incutiente; hic enim, licet jus exinde acquisitum, non sit ipsi firmum, alteri tamen obligatus manet obligatione non irritabili arbitrio suo.

1113 Not. 2. quosdam velle, textus juris, quibus probantur contractus denuo rescindibiles, non esse ipso jure nullos, licet initi sint ex metu gravi, & injusto, non debere intelligi tam de lucrativis, quam onerosis; tum quia excipiuntur aliqui, ut promissio dotis, constitutio Procuratoris; concessio jurisdictionis, vel prorogationis; tum quia ex ipsa natura specifica talium contractuum nascitur diversitas: Sed si utrobique est gravis injustitia, sufficienter illis cautum est per hoc, quod ad instantiam metum passi rescindi possint; & leges, quæ illos irritos dicunt, facile intelligi possint, quoad injuriantem, ut nullum illi jus (saltem *firmum*) inde nascantur, ut pluribus exposuimus supra; & lib. 4. loc. cit.

§. 3.

Quid in contractibus operetur conditio apposita?

DE hac quæstione ex professo agitur 1114
l. 4. tit. 5. de conditionibus appositis in desponsationibus, & aliis contractibus; quare paucis hoc loco duntaxat insinuabimus, quæ inibi fusè deduximus. Hinc dicendum 1. in Contractibus desponsationum conditionem *de præsenti*, vel *præterito*, non esse suspensivam, sed resolutivam, ut statim nulli sint, si conditio non subsistat; vel validi, si secus; ex n. 764. quod etiam tenendum de aliis contractibus, ex n. 886. etiam quoad conditiones *necessariò futuras*, ex n. 765. & sequentibus: Ubi etiam exposuimus, an hoc procedat. 1. Si conditio necessario futura sit, sed die incerta, respectu eam apponentis? ex 767. ibid. Deinde, si conditio est futura necessario *ex sola suppositione?* n. 768. & sequentibus; addita simul resolutione, qui contractus *recipiant conditionem, vel diem?* n. 770.

Dicendum 2. conditiones *generales*, & 1115
speciales, quæ tacitè insunt desponsationibus, & aliis contractibus, non esse suspensivas, nisi aliter exprimantur, quam insint. Ratio sumitur ex ibidem dictis lib. 4. à n. 772. Quoad conditiones verò, *contrarias substantiæ contractûs*, dicendum 3. non tantum desponsationes, sed etiam alios contractus, per ipsas vitiari, ut latè exposuimus lib. 4. à n. 777. & 887. licet conditio sit honesta, & possibilis natura, ibid. ex n. 796. Dicendum 4. Conditiones *turpes* adjectas contractibus *conjugiorum*, vitiari, seu non haberi pro adjectis,

ctis, in dubio, quo animo sint appositæ? ibid. à n. 823. id quod etiam tenendum de conditione *impossibili*, à n. 834. quod, an procedat de qualibet conditione impossibili? solum ex suppositione? an si impossibilitas apponenti fuit nota? &c. resolvitur ibidem à n. 842. quid porrò in aliis contractibus operentur conditiones impossibiles? ibidem dictum est à n. 888.

1116 Dicendum 5. per conditiones *possibiles, honestas,* & *contingentes, non contrarias substantiæ contractus,* suspendi non modo desponsationes, sed etiam alios contractus; remissive ad L. 4. à n. 861. intellige tamen *quoad obligationem præstandi promissum*; non quoad obligationem *exspectandi eventum conditionis*, ibidem ex n. 862. Quando autem censeatur talis conditio remissa? ex quo tempore dies cedat? à n. 864. Denique, quid in desponsationibus, & aliis contractibus operetur adjectus *modus, causa, demonstratio?* respondetur remissivè ex eod. lib. 4. à n. 874. & 893. ubi etiam à n. 922. diximus, quando conditio apposita censeatur adimpleta?

ARTICULUS VI.

De qualitatibus generalibus contractuum.

1117 INter has numerari solet modus, & ratio contrahendi v. g. purè, sub conditione, in diem, modaliter, alternativè, annuè, adjectione pœnæ, &c. Ex his enim diversi juris effectus oriuntur; unde loquendo generaliter quæstio est 1. *Quando cum rigore contractus purus obliget?* Communis doctrina est, quod in his contractibus regulariter *dies statim cedat*, & *statim veniat*; intellige *non de momento*, sed *civiliter*, ut exponemus. Nam ut dicitur L. 213. ff. de V. S. ibi: *cedere diem*, significat incipere deberi pecuniam; *venire diem*, significat eum diem venisse, quo pecunia peti possit. Similia habentur §. 2. Instit. de V. O. ibi: *Omnis stipulatio, aut pure, aut in diem, aut sub conditione fit. Purè*: veluti: *quinque aureos dare spondes?* idque confestim peti potest. *In diem*, cum adjecto die, quo pecunia solvatur, stipulatio fit, veluti, decem aureos primis Calend. Mart. dare spondes. Id autem *quod in diem* stipulamur, *statim quidem debetur*; sed, *peti prius, quam dies venerit, non potest: at ne eo quidem ipso die, in quem stipulatio facta est, peti potest; quia totus is dies, arbitrio solventis tribui debet.*

1118 Dixi: ubi contractus *purè* initus est, *statim cedere*, & *venire diem*, ut dicitur dict. L. 213. ibi: ubi *purè* quis stipulatus fuerit, *& cessit*, & *venit dies*; *ubi in diem, cessit dies, sed nondum venit*; ubi *sub conditione, neque cessit, neque venit dies, pendente adhuc conditione.* Dixi, *sed non de momento.* Nam licet ex contractu puro dies non solum statim *cedat*, sed etiam *venisse* dicatur, *non debet tamen importunus Creditor statim, cum sacco paratus, promissorem convenire. Sed commodum tempus exspectandum.* L. 105. ff. de solutionib. ibi: *Cum aliquo scilicet temperamento temporis, intelligendum est: nec enim cum sacco adire debet.* Sed de his V. l. 4. à n. 880.

1119 Ex his colliges 1. differentiam inter contractum *purum*, & *conditionatum*, seu non purum; hæc enim apertè constat ex n. 1117. 2. obligationem ex contractu transire ad hæredes promittentis, & actionem illi correspondentem ad hæredes promissarii, nisi aliter conventum sit, vel expressum. Si enim in stipulatione diceretur expressè, *tibi tantum*, non transiret ad hæredes promissarii; cum intelligi non possit, quod excludantur soli extranei; horum enim exclusionem operatur particula *tibi*.

1120 Altera quæstio est de contractu *in diem* celebrato, quod fit, quando executioni contractus designatur dies, ut constat ex n. 1117. ibi: *proximis Calendis Martii dare spondes.* Circa ejusmodi contractus variæ dubitationes occurrere possunt. 1. Quando in illis dies *cedat?* quando *veniat?* sed hoc jam ex cit. n. resolvi potest; 2. Quid dicendum, quando dies adjectus est *incertus?* 3. qualiter contractus *in diem*, differat à contractu *sub conditione?* 4. qualiter in hoc contractu contingat, debitorem *esse in mora?* 5. an sit contractus conditionalis censendus, quando contractus in diem celebratus est super re, quæ non transit ad hæredes? 6. quid si dies adjectus

ctus sit sub voce æquivoca ? 7. si tanquam terminus extrinsecus ? 8. si primò post determinandus? vel 9. si conferatur in tempus, *si nupserit*.

1121 Ad 2. dupliciter adjici posse contractui *diem incertum*. 1. Cum certum est *certitudine aliquando futuri* ; *cum incertitudine tamen quando?* 2. si *cum incertitudine aliquando futuri*; exemplum primi est, *die, quo fuero mortuus* ; secundi, *die, quo institutus ante substitutum morietur, die quo navis ex India venerit* ; quo posito. Bz. si dies est incertus incertitudine, an aliquando talis dies futurus sit ? non esse propriè contractum *in diem* ; secus, quando certo futurus est, incertum, *quando?* Ratio est, quia ubi incertum est, an dies aliquando futurus sit, appositio talis diei potius resolvitur in conditionem, ut sensus sit : *si institutus ante substitutum moriatur* ; *si navis ex India venerit*. Constat autem Creditorem ex contractu conditionali, ante conditionis eventum, nullam habere actionem ; ergo nec ex contractu in diem incertum incertitudine diei, an aliquando talis dies venturus sit ; secus, in diem certum, licet incertum sit, quando venturus sit.

1122 Ad 3. Bz. distinctionem consistere in hoc, quod, ubi contractus est in diem certum, certitudine *aliquando* venturi ; licet cum incertitudine, *quando?* purus sit, & dies statim cedat ; in altero autem non cedat ante conditionis eventum ; ut constat ex n. 1118. & sumitur ex L. 21. ff. quando dies legatorum cedat, de qua V. supra. Ad 4. Bz. quando contractus celebratus est *in diem*, ut modo diximus, debitorem, ubi dies venerit, etiam absque petitione Creditoris non præstantem, quod debet, dici constitutum in mora ; quia dies interpellat pro creditore, quod tamen non fit, quando contractus est conditionatus, & in diem incertum, ut habetur L. 12. C. de contrah. stipul. ibi : *Magnam legum veterum obscuritatem, quæ protrahendarum litium magnam occasionem usque adhuc præbeat, amputantes, sancimus, ut, si quis certo tempore facturum se aliquid, vel daturum stipuletur, vel, quæ stipulator voluit, promiserit, & adjecerit, quod, si statuto tempore minimè hæc perfecta fuerint, certam pœnam dabit, sciat, minimè se posse debitor ad evitandam pœnam adjicere, quod nullus eum admonuit : sed etiam citra ullam admonitionem eidem pœnæ pro stipulationis tenore fiet obnoxius : cùm ea, quæ promisit, ipse in memoria sua servare, non ab aliis sibi manifestari, debeat poscere.*

Ad 5. not. dubitari, an, quando con- 1123
tractus confertur in *diem mortis*, censendus sit *in diem certum*, vel conditionalis? Ad quod Bz. ex dict. si contractus est in diem certò venturum, licet incertum, *quando?* esse omnino in diem certum ; secùs, si incertum sit, an *aliquando* venturus sit ? ratio constat ex dict. quo posito. Bz. ad 5. ubi sic disponitur, ut dispositio sit in diem mortis certò futuræ, licet incertum sit, quando ? Dispositionem esse propriè in diem ; secus, si incertum sit, an aliquando talis dies venturus sit ? hinc si dicitur : *hæres meus, cum Titius morietur, centum ei dato* ; si loquatur præcisè de morte Titii, præscindendo, an *ante*, vel *post hæredem* moriatur, dispositio pura est. Secus, si de morte Titii *supervicturi hæredi* ; nam hoc incertum est, an aliquando futurum sit ? & tali casu dispositio conditionalis est, ut pluribus exposui lib. 4. tit. 5. de condit. appos. Hinc legatum, vel promissio ex usufructu, & aliis ad hæredem non transitoriis ante diem certum, ac designatum, v. g. ad festum S. Alexii, neque actionem, neque obligationem inducit juxta Castropal. de just. commut. p. 7. D. 1. p. 6. n. 4. ratio ipsius est ; quia, cum sit incertum, an ille dies aliquando venturus sit (potest enim contingere, ut dies ille nunquam veniat, ut si Legatarius, antequam dies ille veniat, moriatur.) Dispositio non est in diem propriè ; sed potius transit in conditionem, ante cujus eventum nec actio, nec obligatio nascitur præstandi legatum, vel promissum.

Ad 6. Bz. constare ex lib. 4. tit. 5. ubi 1124
diximus promissionem solutionis faciendæ *Calendis Maji* v. g. intelligi, *de proximis* ; per L. *eum, qui Calendis.* ff. de V. O. Ad 7. Bz. sufficere si præsterur debitum ipso die ; v. g. stipulatus es, te soluturum ante proximas Calendas Maji, satisfaciens solvendo ipsis Calendis Maji. L. 13. ff. eod. ibi : *Qui ante Calendas proximas stipulatur similis est ei, qui Calendis stipulatur.*

Idem

Idem est, quod habetur §. 26. J. de inutil. stipul. *Qui hoc anno, aut hoc mense dari stipulatus est, nisi omnibus partibus anni vel mensis præteritis, non rectè petit.* Ad 8. respondet Castropalaus cit. D. 1. p. 6. n. 5. deberi tunc, cùm à creditore fuerit expostulatum, quod videtur admittendum cum hoc addito: Cùm Creditor expostulaverit, *& Creditor commodè potuerit.* ut dicitur in L. *Rogo* 29. ff. quando dies legat. ced. ubi lis, *cum commodè potuerit*, non est referendum, ad *debitoris merum placitum*; sic enim posset nunquam placere; cùm tamen textus illius legis expressè dicat: *utique decem debebit*, quod non foret, si penderet à puro ejus placito: Sed referendum est ad facultatem, ubi facultas ei fuerit, seu media suppetiverint absque gravi incommodo.

1125 Ad 9. videtur distinguendum, an dispositio dandi, *cum nupserit*, relata in tempus nuptiarum, afficiat substantiam donationis? vel tantum executionis? In hoc secundo casu est vera dispositio in diem, consequenter dies statim cedit; sed non venitante die nuptiarum; in primo autem potius videtur dispositio conditionalis, cum incertum sit, an aliquando talis dies venturus sit? ut constat ex dict. sic Castrop. cit. p. 6. n. 7.

1126 Cæterum plura sunt, in quibus contractus in diem certum, vel incertum differunt; & in quibus conveniunt. *Conveniunt*, quod in utroque exigenti debitum, antequam dies venerit, opponi possit exceptio, & actor repelli, condemnarique in expensas. 2. quòd si debitor in tali casu à Judice petat, prorogari sibi tempus, debeat prorogatio concedi in pœnam delicti à Creditore commissi ex c. 1. de plus petit: & §. *hodie* Instit. de exceptionib. *Differunt*; nam contra debitorem in diem incertum actio intentata prius, quam dies venerit, nulla est, L. *cedere diem*, ff. de V. O. secus, contra debitorem in diem certum, quin exceptione repelli possit. 2. debitor in diem certum, non solvens eo die, constituitur in mora, cum antequam dies venerit, dies jam cesserit, ut diximus supra; secus debitor in diem incertum; nam antequam dies in hoc casu veniat, non cedit dies, seu nondum nata est obligatio; sed primo tunc, cum dies venit; §. *Feri.* Institut. de inutil. stipulat. & L. *quod dicimus* ff. de solutionib.

Tertia quæstio est de contractu alter- 1127
nativo. Contractus *alternativus* est promissio sub disjunctione, quæ cadat vel supra personas (ut, *promitto, me daturum Titio, vel Cajo*) vel supra rem promissam (v. g. *bovem, vel equum*) vel supra tempus, (v. g. intra diem, vel sequinanam; aut in Januario, vel Februario. Not. autem quando disjunctio cadit in rem promissam, quandoque fieri posse, quod cadat in unam partem disjunctio, quæ ab altera differt solum secundum plus, & minus; v. g. *integrum, vel dimidium vas vini*; vel secundum prædicata sua propria, ratione quorum unum habet altero majorem æstimabilitatem, vel perfectionem, quo casu talis res dicitur *recipere affectionem*; his præmissis.

Quæstio est 1. qualem obligationem 1128
contrahat, qui alteri fecit promissionem *disjunctivam*, disjunctione cadente in res, non recipientes *affectionem*, sic tamen, ut una pars disjuncti solum se ad alteram habeat, tanquam plus ad minus? v. g. centum, vel 50. aureos. 2. si disjunctio cadat in res recipientes affectionem? 3. quid, si una pars disjuncti pereat? 4. quid, si disjunctio cadat in personas? 5. si in tempus? 6. quid tenendum in alternativis ad debiti assecurationem institutis, quæ dicuntur *alternativæ remediorum*, ut si dicas: *Calendis Maji solvam; vel si hoc non, dabo Fidejussorem?*

Ad 1. 2. tali casu obligationem esse 1129
solùm ad id, quod minus est, per L. 109. ff. de V. O. ibi: *Si ita stipulatus fuero, decem, aut quindecim dabis, decem debentur*: Item si ita: *Post annum, aut biennium dabis; post biennium debentur; quia in stipulationibus id servatur, ut, quod minus esset, quodq; longius esset, videretur in obligationem deductum.* Et ratio est, quia, cum obligatio sit alternativè, seu disjunctivè dandi, *hoc*, aut *illud*, quocunque dabo ex alterutro, spectatâ rei naturâ, satisfiet.

Ad 2. 3. quamlibet ipsius disjuncti par- 1130
tem deberi, non simul cum altera, sed seorsim, libertate tamen relicta debitori dandi, quam malit, nisi venerit in stipula-

tionem, quod electio sit penes promissarium. per L. 10. §. 6. ff. de jure dot. ibi: *Si res in dotem datæ fuerint, quamvis æstimatæ, verùm convenerit, ut aut æstimatio, aut res præstentur, si quidem fuerit adjectum, utrum mulier velit: Ipsa eligat, utrum malit petere rem, aut æstimationem. Verum si ita fuerit adjectum: utrum maritus velit? ipsius erit electio: aut, si nihil de electione adjiciatur, electionem habebit maritus, utrum malit res offerre, an pretium earum. Nam & illa, aut illa res promittitur, rei electio est, utrum præstet. Sed si res non extet, æstimationem omnimodo maritus præstabit.* Sic Doctores communiter; quia vi factæ promissionis, nec sibi promittens, onus, nec jus aliud promissario constituit.

1131 Ad 3. R. tunc determinatè deberi *superstitem*; cùm enim unum duorum sit alternativè debitum; & altero subducto, quodlibet eorum determinatè; necesse est, dare remanens pereunte altero, licet si majoris æstimationis; habetur ex L. *Strictum* ff. de solutionib. ibi: *Stichum, aut Pamphilum, utrum ego velim dare spondes? altero mortuo, qui vivus, solus petetur, nisi mora facta sit in eo mortuo, quem petitor elegit.* §. 1. *Quod si promissoris fuerit electio, defuncto altero, qui supererit, æquè peti potest.*

1132 Hanc resolutionem communiter admittunt Doctores, quando res pretiosior periit, & solum remanet vilior; Secùs, quando periit vilior; tunc enim existimant, sufficere, si detur æstimatio rei, quæ periit. Fundantur in L. *Cùm res legata.* 47. §. 3. V. *qua ratione.* ff. de legat. 1. Sed contrarium rectius dicitur: nam verba cit. Legis sunt: *Qua ratione placuit, & si alter* (servorum) *decesserit, alteri omni modo præstandum, forte assis vel mortui pretium:* at in hoc textu non dicitur, *si vilior periit*; procedit ergo lex indefinitè dicens: *deberi, quod tali casu remanet*; hoc intellige, si nulla Creditoris culpa, aut mora nocuit debitori; sic Castropal. cit. D. 1. p. 10. n. 6.

1133 Hæc procedunt in casu, quo electio, *dandi hoc, vel illud*, fuit in arbitrio Creditoris; alia quæstio est, an si sit in arbitrio Creditoris, hoc jus transmittatur ad hæredes? ante resolut. not. quòd dispositio *alternativa* fieri possit tripliciter. 1. directè *ad hæredem*: v. g. *hæres meus det Titio hunc fundum, vel hanc domum*; Secundò, directè ad legatarium; v. g. Titius ex meis bonis legato habeat, *hoc pratum, vel hanc vineam*: 3. pro simpliciter dicendo: *Titio lego vestes meas, vel arma mea*; in primo casu electio est penes hæredem; L. *habita relictum.* §. *fin.* ff. de legat. 2. in secundo erit penes legatarium, ex L. *planè.* §. *penult.* ff. de legat. 1. in tertio præsumitur in favorem legatarii, adeoque etiam penes illum erit electio. per L. *Lucio.* ff. de legat. 2. Quo posito.

R. Juxta Castropal. cit. n. 5. jus electio- 1134
nis transmitti ad hæredes, sive competat Creditori, sive debitori, transmisso contractu, vel legato; nam tali casu jus eligendi accessoriè sequitur contractum, vel legatum. per L. *si ita stipulatus fuerim.* ff. de V. O. ibi: *Si stipulatus fuerim, illud, aut illud, quod ego voluero; hæc electio personalis est, & ideo servo, vel filio talis electio cohæret*; & subjungitur: *in? eredes tamen transit obligatio, & ante electionem mortuo stipulatore.* Deinde ex L. *Illud, aut illud.* De option. legat. ubi disertè dicitur; quod, si legatum fuerit alternativum: *Hoc, aut illud,* utrum elegerit Legatarius: *Legatario sine electione, decedente post diem legati cedentem, electionem ad hæredem transmitti*: Ergo electio, non est ità personalis, ut personæ stipulantis offibus inhæreat. Audiamus Paulum J. C. *Illud, aut illud, utrum elegerit Legatarius, nullo à Legatario electo, decedente eo post diem legagati cedentem, ad hæredem transmitti placuit.*

Contrarium tamen sentiunt alii, ducti 1135
L. *si stipulatus fuerim*, quam retulimus n. priori; quia ibi expresè dicitur: *Hæc electio personalis est*; ergo non egreditur personam. Verùm ex hoc nihil evincitur; cùm non obstante illo, quod dicatur *personalis* nihilominus dicatur *transire ad hæredes*, ut constat ex textu relato n. cit. Deinde in eo loco electio solum hoc sensu dicitur *personalis*, quod, si quis non sibi, sed alteri stipuletur, prout potest filius stipulari Patri, & servus Domino, procurator mandanti, tutor pupillo &c. electio, in stipulationem deducta, inhæreat *stipulanti*, &, si talis moriatur ante electionem, non est jus eligendi apud eum, cui stipulatus est; sed est penes debitorem, ad quem redit: Obligatio tamen

quæ-

quæsita illi, cui alter stipulatus est v. g. Patri, Domino, mandanti, vel pupillo, transeat ad horum hæredes: & hic est sensus illius legis. 76. Unde probabilius tenendum cum Castropalao. Quare not. aliud esse, *jus eligendi*; aliud, *voluntatem eligendi*, seu *ipsam electionem*; unde ex hoc, quod mortuo eo, qui habebat *jus eligendi*, cesset voluntas, nec transmittatur ad hæredes; non sequitur, cessare *jus elegendi*, & non transmitti ad hæredes; æquivocum proinde est, cùm dicitur: *Electio, nihil aliud est quàm voluntas personæ expressa, quod ego volvero*; & solùm verificatur *de actu eligendi*, non, *de jure*.

1136 Ad 4. R. tali casu disjunctivam resolvi in conjunctivam, consequenter pro æquis partibus utrique actionem quæri, & obligationem, si uterque præsens fuit; sic Castropal. cit. p. 9. n. 7. ratio sumitur L. *Cum quidam*. 4. C. de V. O. ubi relatis, circa istam quæstionem, diversis antiquorum opinionibus, dicitur: *Melius itaq; nobis visum est, omni hujusmodi verbositate explosa, conjunctionem* aut, *pro* & *accipi ut videatur copulativo modo esse prolata, & magis sit paradiazeuxis* (hoc est falsa disjunctiva) *ut & primam personam inducat, & secundam non repellat*, &c. *ut ambo veniant æqua lance ad hæreditatem; ambo legata similiter accipiant; fideicommissum in utrumq; dividatur; libertas utrumq; capiat: tutoris ambo fungantur officio.*

1137 Dices: Ergo idem dicendum erit, cùm quis uni stipulatur dare, *hoc vel illud*, disjunctione *cadente in ipsas res*; Sed huic illationi præventum est in dicta lege, quâ exprimitur *correctio*, quam facit, ubi alternativa *cadit in personas*, non debere etiam intelligi, cùm alternativa cadit *in ipsas res*; Sic enim loquatur: *Sed hæc quidem Sanctio, cùm in personas hujusmodi profertur scriptura; sin autem una quidem est persona, res autem ita derelictæ sunt* (illam, aut illam rem illi do, lego) *tunc secundùm veteres leges, & antiquas definitiones vetustatis, jura maneant incorrupta: quod etiam in contractibus locum habere censemus.*

1138 Dixi: *Si uterq; præsens fuit*; Si autem solus *Titius* esset præsens, *Cajus* autem absens, esto præsens dicat: *Mihi, & Cajo dare spondes?* Cajus nec petere, nec donare, nec acceptum facere potest, actione soli Titio præsenti acquisitâ, ut habetur L. 10. ff. de Solutionib. nam absens non stipulatur, &, ut supponimus, Titius pro Cajo stipulari non potest. Unde per L. 4. de qua supra; id, quod de *absente* hac L. 10. constitutum est, nihil immutatum, aut correctum est.

Dices contra datam in n. 1136. resolu- 1139
tionem in L. *Item si servus* 9. §. *si cùm duos*. 1. ff. de stipulat. servor. haberi contrarium; sic enim loquitur: *Si, cum duos Dominos servus haberet, stipulatus fuerit illi, aut illi, Dominis suis, quæsitum est, an consistat stipulatio? Cassius in utilem esse stipulationem scripsit eoq; jure utimur.* Resp. verum esse, quod ibi sic dicatur; Sed huic legi digestorum derogatum esse per legem 4. Cod. supra relatam; atque adeo correctam, adeoque ad casum in n. cit. à nobis resolutum, dictæ legi nonæ non esse locum, *spectato jure communi*.

Ad 5. R. dicendum, idem in hoc pun- 1140
cto, ubi disjunctio, seu alternatio cadit in res solùm inæquales, quatenus unum se habet ad alterum tanquam majus, ad minus, de quo n. 1127. Ad 6. denique R. alternativas remediorum adinventas esse in favorem Creditorum, ut colligitur ex L. *Cùm proponas*. C. de transact. adeoque penes illos esse electionem; alioquin enim, si electione debitoris tenerentur acceptare fidejussorem, vix pervenirent ad sibi debiti solutionem; Sic Felinus in c. *Inter cæteros*. de Rescript.

Quarta quæstio est de Contractu *an-* 1141
nuo. De hoc quæstio est 1. quid sit? 2. quomodo differat à Legato? 3. qualiter annuæ præstationes peti, ac exigi possint? 4. an legatum factum in diem *reiterabilem*, censere debeat *perpetuum*?

Ad 1. Resp. contractum *annuum* esse, quo quis alteri promittit dare (centum v. g.) in singulos annos. Ad 2. not. difficultatem esse in hoc, quòd, si quis alicui leget centum in singulos annos, legatum hoc non videatur aliam obligationem inducere, quàm ille contractus; utraque enim obligatio est ad tempus vitæ, quod incertum est, quo videtur obligatio impediri, utpote cadens in L. *unicam*. c. ut actiones ab hærede, quæ statuit ex incertitudine temporis, vel diei, obligationem impediri; sed, hoc non obstante, plures inter utrumque differentiæ sunt; primam assignat Anton. Goneg. tit. 2. de Con-

tract. c. 11. à n. 44. nimirum, quòd *contractus annuus* continuat unam puram, & simplicem promissionem, ex qua statim oriatur obligatio pro toto tempore, & annis futuris. *In legatis* vero *annuis* non sit una, pura & simplex dispositio pro annis futuris, sed tantùm pro primo; pro reliquis autem futuris solùm sub conditione, si vixerit legatarius; cujus ratio est, quod *in contractibus* obligatio, & effectus ejus, consideratur absque respectu ad contrahentes. L. *quidquid adstringendæ.* ff. de V. O. non autem *in legatis.* L. *nec adjecit.* ff. pro socio. Constat præterea ex L. 16. ff. de V. O. §. 1. ibi: *Stipulatio hujusmodi in annos singulos una est, & incerta, & perpetua; non, quemadmodum simile legatum morte legatarii finitretur.* Et L. 4. ff. de ann. leg. ibi: *Si in singulos annos alicui legatum sit, Sabinus plura legata esse ait: & primi anni, purum; sequentium, conditionale: Videri enim hanc mesſe conditionem,* si vivat: *& ideo mortuo eo ad hæredem legatum non transire.*

1142 Ex hac differentia deducitur 1. quod debitum ex *contractu annuo*, & jus inde natum alteri, transeat ad hæredes; hoc enim habent obligationes *perpetuæ*; secus *in legatis annuis*, prima pars est ex L. 13. C. de contrah. stipulat. ibi: *veteris juris altercationes decidentes, generaliter sancimus, omnem stipulationem, sive in dando, sive in faciendo sive mixta inveniatur, & ad hæredes, & contra hæredes transmitti, sive specialis hæredum fiat mentio, sive non*; altera vero constat ex aperto textu in L. 4. relato num. præced. si dicas, contra primam partem stare plures leges in digestis. R. illis non esse deferendum, postquam habetur lex Codicis, quam retulimus; cum apertè corrigat *veteris juris altercationes*; in hoc enim observanda est monitio Zoësii, quam tradit, in annotat. ad proœmium in Comment. ad Cod. ubi ait: *multum prodest intelligere, quo ordine libri juris civilis sint compositi: nam si lex, cum lege conferenda est, constare debet, utra prior, vel posterior, & utra tollat alteram, vel ab altera tollatur; sic Codex pandectis, & institutionibus; Novellæ, omnibus juris libris derogant.*

1143 Deducitur 2. quod, si promissarius, tempore contractus *annui*, fuit sub potestate Patris, non sibi, sed Patri totam obligationem acquisiverit, etiamsi postea emancipetur; secus est in legatis annuis; nam debita ex tali legato annuo, quæ cadunt in annos, quibus emancipatus est, non patri, sed sibi capiet promissarius; nam status, & capacitas personæ attenditur pro tempore contractus, aut quo dies cedit pro omnibus futuris annis ex n. 1142. in legatis autem annuis solum pro eo anno, quo legatarius in vivis est, ex n. 1141. per cit. L. 11. ergo.

Ad 3. R. quamvis debitum ex contra- 1144
ctu, vel legato annuo exigi non possit, ut præstetur, antequam *dies veniat*; nam ejusmodi præstationibus solum ille terminus præfixus est; postquam tamen *dies cessit*, peti posse, ut præstetur in futurum, & in hoc convenire contractum annuum cum legato annuo; ut dictum est. Ad 4. præsumi *perpetuum*, hoc est, toties repetendum, quoties quolibet anno dies ille expressus recurrit, nisi contrarium cautum sit, ut tantum *pro illa vice*, id, quod colligitur ex L. *cum quidam.* 23. ff. de annuis legat. ibi: cum Quidam decurionibus divisiones dari voluisset *die natalis sui.* Divi Severus, & Antoninus rescripserunt, *non esse veri simile, testatorem de uno anno sensisse, sed de perpetuo legato.* Ubi tamen nota, usumfructum Ecclesiæ, vel civitati legatum annuum finiri centum annorum spatio, ex L. *si ususfructus* 8. ff. de usu, & usufructu legato, ibi: *si ususfructus municipibus legatus erit, quæritur quousque in eo usufructu tenendi sunt; nam si quis eos perpetuo tuetur, nulla utilitas erit nudæ proprietatis, semper ascendente usufructu*; unde centum annos observandos esse constat, qui finis vitæ longissimus esset. Plura de his V. tit. 1. & 2. l. 33. digestorum.

Quinta quæstio est de contractu, adjec- 1145
tione pœnæ firmato; & prima circa hoc dubitatio est, an pœna *conventionalis*, à contrahentibus statui possit solvenda sine interventu Judicis? 2. quando pœna ex conventione partium debeatur in conscientia? 3. an, antequam alter exigat, solvenda? 4. quid? si pœna adjecta sit in gratiam Testatoris? Not. autem nos hic non agere de pœna *conventionali*, adjectâ sponsalibus de futuro

turo, & solvenda à resiliente. Nam de hoc ex professo agimus lib. 4. à n. 151. ubi diximus, valere pactum sponsalibus adjectum de pœna, etiam proprie dicta, & persolvenda ab *injustè* resiliente; nec metum hujus pœnæ obstare libertati, aut voluntario substantialiter requisito ad valorem sponsalium, aut matrimonii. Nec in aliis contractibus tenere pactum pœnæ conventionalis, dubitandum videtur; cavendum tamen 1. ut hæc pœnæ adjectio, non fiat prætextu *pœnæ*, cum in re potius est pallium *usuræ*; 2. & culpa, cui statuitur pœna, sit vere culpa, vel in se, vel in causa liberè data cum prævisione secuturam impotentiam non adimplendi contractum: 3. ne pœna culpam excedat, quamvis minor esse possit, si hoc deductum sit in pactum; his præmissis.

1146 Ad 1. R. affirmativè. Nam quilibet rerum suarum Dominus est; consequenter de illis disponere potest, nullâ lege prohibente, vel annullante, etiam dandi eas ex obligatione sine Judicis interventu; at nulla lex est, quæ dispositionem de pœna conventionali solsolvenda sine Judicis interventu prohibeat, vel annullet, si habeat conditiones n. priori requisitas; ergo. Ad 2. R. ubi pœna statuitur ob culpam commissam in observatione contractus, unde alteri damnum emergat, vel lucrum cesset, illam in conscientia deberi etiam læso non exigente, cùm id exigat jus naturale, ex damno alteri dato per actionem injustam. Ad 3. R. quando pœna adjecta est præcisè in punitionem culpæ, nullo exinde damno alterius ex inobservantia contractus, obligationem quidem conscientiæ contractam esse ante sententiam Judicis; non imputari tamen ulterius neglectam adimpletionem ejus, nisi alter hoc exegerit; ita Suarez lib. 5. de legib. c. 6. n. 8. Castropal. cit. de Just. Commut. d. 4. p. 16. n. 5. Nam hic non urget jus naturale, prout in casu damni, ubi jus læsura interpellat.

1147 Ad 3. R. in casu dubitationis secundæ non esse obligationem conscientiæ solvendi talem pœnam, antequam alter exigat; deberi tamen in conscientia, exigente altero, non exspectata Judicis sententia. Nam ista pacta de pœna *conventionali* non regulantur juxta pœnam *legalem*, quæ non debetur ante Judicis sententiam; ratio hujus est, quia in pœna conventionali contrahentes id potissimum spectant, ut adjectione pœnæ contractûs observantiam securiorem reddant, ad declinandas lites, & sumptus, quos plerumque causant judicia producta lite per dilationes probatorias, exceptiones, & alias moras fieri solitas; consequenter contra eorum intentionem est, regulari ad normam pœnarum *legalium*, nisi fortè pœna foret improportionata, aut culpa non interveniisset, quæ asseritur. Ad 4. R. distinguendum inter conditionem appositam, cujus inobservantiæ adjecta est pœna, v. g. amissio hæreditatis; si enim sit culpabiliter omissa, & non emendabilis, omnino videtur locus pœnæ; secus, si sit emendabilis, & omittens monitus emendet; nam in hoc casu non læditur notabiliter intentio Testatoris; hæc de contractibus in genere; plura enim sequentibus exponentur in natura de contractibus in particulari.

ARTICULUS VII.

De alienatione rerum Ecclesiasticarum.

1148 DE hac tractatur hoc lib. 3. tit. 13. antequam agatur de aliis contractibus, & dispositionibus particularibus, ut constabit ex sequentibus, eo, quod in hac alienatione plures eorum interveniant, qui nomine alienationis in hac materia veniunt, ut mox dicemus. Cæterum communis doctrina, & conclusio est, quod bona Ecclesiastica, tam immobilia, quam mobilia pretiosa, quæ servando servari possunt, inalienabilia sint, nisi in casibus à jure permissis, & servatis conditionibus à jure statutis, ut constat ex Extrav. *Ambitiosæ*. h. t. inter communes; & 60. ulla Urbani VIII. edita 1624. de quibus in sequentibus.

§. 1.

Quid in hac materia veniat nomine bonorum immobilium, & mobilium pretiosorum?

1149 IN c. *Nulli* 5. h. t. dicitur: *nulli liceat alienare rem immobilem Ecclesiæ, sive agrum, sive rusticum, mancipium*; licet autem denominatio, *rerum immobilium*, & *mobilium* communiter ad res etiam incorporeas extendatur; tamen, ut notat Molina, tr. 2. D. 68. talia tamen *propriè* dicuntur res corporeæ, ita, ut mobilia sint, quæ loco moveri possunt, ut animalia, vestes, pecunia, naves; immobilia, quæ loco moveri nequeunt, ut prædia, domus, ager.

1150 *Immobilium* igitur *appellatione* veniunt fundi, prædia, domus, agri (ut dicitur cit. C. *Nulli*) & similia corporalia, quæ fixam radicem habent; item incorporalia, ut. 1. census, quibus annui reditus correspondent; jus ad ipsos; Aloys. Riccius in collect. decis. p. 3. collect. 668. 2. quælibet servitutes; 3. Commendæ, & beneficia Ecclesiastica; 4. jus Patronatûs; 5. ususfructus longi temporis: 6. Jura, & actiones longi temporis, quod censetur decennium: Sed hoc intellige de juribus, & actionibus *absolutis*, non conditionatis, quale habet legatarius ad rem legatam ante legati acceptationem. Hinc tale jus non dicitur esse inter bona legatarii. L. *pretia rerum*. ff. ad legem Falcidiam. Castropal. de reverentia debita Ecclesiasticis. d. unica. p. 15. §. 2. n. 11. Huc etiam accessoriè pertinent actiones, & nomina, atque instrumenta debitorum, si sint de immobilibus, vel mobilibus pretiosis; non autem aliter; sic Pirhing h. t. n. 14.

1151 *Mobilium* appellatione veniunt *census redimibiles*, quos proinde, attento futuro eventu, & redemptionis tempore inter mobilia numerat Garcia de benef. p. 2. c. 5. n. 96. Matien. l. 2. Glos. 1. & Anton. Gomez. de Cens. c. 3. n. 4. Veniunt *naves*, ut tenet Molina cit. loc. & videre est apud Tiraq. de retractu lig. §. 1. Glos. 7. n. 88. & Menoch. remed. 1. recuper. n. 42. Interea verò, quæ servando servari possunt, numerantur vasa aurea, & argentea, gemmæ, vestes quæ longè ab interitu distant; & generaliter omnia illa, quæ fructificant, & triennio durant, ut docet glos. in L. 1. C. si adversus usuras. Azor p. 2. l. 9. c. 1. q. 5. & 7. Barbosa de off. Episc. p. 3. allegat. 95. à n. 38. In quæstione autem cujus valoris esse debeat res, ut hic *pretiosa* dicatur? respondet Castrop. de Reverentia debita Ecclesiasticis D. unic. p. 15. §. 1. n. 2. centum aureorum, ubi numero sequenti gregem ovium numerat inter pretiosa, quæ servando servari possunt.

Dubitari autem potest 1. an *pecunia* 1152
veniat sub mobilibus pretiosis conservandis? negant communiter, juxta c. Eyciens *Dominus*. dist. 88. sed hoc c. est solum D. Chrysostomi, & notatur v. *palea*, agitque solum de negotiatione Clericorum; cæterum hoc ipsum limitat. Azor cit. q. 5. nisi destinata sit ad coëmenda stabilia v. g. censum prædiorum, domos, &c. Hæc limitatio vera videtur 1. quando talis pecuniæ destinatio ortum habet ex voluntate Testatoris eam relinquentis ad illum finem; 2. quando provenit ex re Ecclesiæ immobili, vel pretiosa mobili vendita; 3. quando moniali data est in dotem: sic Castrapalaus n. 5. 4. si destinata sit pro futura aliqua necessitate conservandi patrimonii; tunc enim succedit loco patrimonii, sic Barbos. cit. n. 45. ut si destinatio facta sit voluntate Fundatoris, Testatoris, aut Ecclesiastici Prælati authoritate.

Illud tamen nota, quod P. Paulus Rosmer de contractibus §. *de Clericis*, agens de quæstione, *quid possint Clerici in alienatione rerum Ecclesiasticarum*, q. 3. inter *mobilia* numerat *pecuniam*, sive sit destinata ad rem mobilem, vel immobilem comparandam, sive sit comparata ex venditione rei mobilis, vel immobilis; item jura, & actiones ad obtinendas res, quæ vel ex natura sua, vel ex particularibus constitutionibus debent, & solent statim consumi, quale est jus, quod acquirit Ecclesia ad pecuniam sibi, vel ex donatione, vel testamento reli-

relictam ; vel jus, quod potest habere Domus professa societatis Jesu ad aliquam domum, vel fundum sibi datum; quia, cùm ipsa non sit capax obtinendi bona immobilia, ex intentione donantis, & accipientis, fortiuntur naturam rerum mobilium : quo sensu inter mobilia etiam numerantur agri, fundi, & similia, quæ dantur loco pecuniæ alias debitæ.

1153 Secundò, si monasterio debeatur magna summa, & debitor, qui non est solvendo, loco pecuniæ det unam arcem, hæc computabitur inter res mobiles, & sine ullis solennitatibus poterit abalienari, modò tamen non applicetur à Prælato rebus Ecclesiæ, vel mensæ. Item inter res mobiles numerantur domus, & similia, quæ dantur Ecclesiæ ad determinatum usum v. g. ad ædificium aliquod faciendum, vel ut divendantur, & emantur aliæ commodiores.

Dubitari potest 2. an inter pretiosa numerentur *reliquiæ* Sanctorum? R. affirmativè, si insignes sint alicujus Sancti valde noti, qui apud omnes sit in magna veneratione. Nam licet reliquiæ Sanctorum pretio æstimari non possint, nec pretio æquentur; sunt tamen supra omne pretium. Bonacin. de Contract. feud. D. 3. q. 8. n. 17.

1154 Dubitari potest 3. an *legatum* pretiosum, Ecclesiæ factum, & acceptatum, veniat inter prohibita alienari? Resp. affirmativè ex n. 1148. quia sic est res Ecclesiastica pretiosa, quæ servando servari possit, ut suppono, si Ecclesia, vel Monasterium capax sit retinere. Dixi, & *acceptatum*. Nam ante acceptationem putant aliqui, posse tale legatum recusari sine violatione canonum prohibentium liberam alienationem rerum Ecclesiasticarum immobilium, vel mobilium pretiosorum; ita Sanch. lib. 7. matr. D. 4. n. 12. & L. 2. summæ. c. 6. n. 4. Azor. p. 2. l. 9. c. 1. q. 12. Nam antè acceptationem Ecclesia nondum habet jus *quæsitum*, sed *quærendum*; 2. quia *non acceptando* non fit alienatio, sed tantùm *non acquisitio* juris in re; jus autem ad rem non est absolutum, sed pendens à conditione voluntatis nostræ. Hinc etsi hæreditas delata, sed repulsa, transeat ad hæredes, non tamen transit ex *repulsa*, sed *successione*, ubi abest impedimentum legati alteri facti, & acceptati: ergo non intervenit eo casu alienatio. Et ideo, quando dicitur legata Ecclesiæ, facta favore Ecclesiæ, ipso jure transire in Ecclesiam etiam absque traditione per L. *fin.* C. de ss. Ecclesiis, intelligitur, transire non *absolutè*, sed *sub conditione*, & revocabiliter. Quando autem dicitur, quod pupillus fundum sibi legatum, sine Prætoris authoritate non possit (per L. *magis puto*, ff. de rebus eorum) repudiare, contingit, quia pupillo etiam lucri amissio prohibita est; quod non reperitur de Prælatis Ecclesiæ ordinatum.

Dubitari potest 4. an res alienari, vel 1155
non acceptari possit in casu legati rei immobilis, facti monasterio, vel domui religiosæ, incapaci bonorum immobilium? Resp. posse tunc alienari. Nam prohibitio alienationis est solùm de bonis Ecclesiæ, vel loco pio *incorporatis*, & mens testatoris fuit, ut legato uteretur eo modo, quo potest; cùm præsumatur voluisse legatum firmum, eo modo, quo esse potest. Ita Riccius in praxi fori Eccles. decis. 56. Barbos. p. 3. de potest. Episcopi, allegat. 95. n. 59. Ex hoc autem à fortiori sequitur, idem fieri posse in casu, quò res mobilis pretiosa legata est loco pio talium bonorum incapaci; Cùm alienatio rei mobilis pretiosæ solùm prohibeatur, in quantum æquivalet immobilibus c. *nulli*, h. t. & Barbos. ibid. n. 2. quæ absolutè alienari prohibentur; at in dato casu non prohibentur alienari immobilia; ergo nec mobilia pretiosa.

§. 2.

Quæ alienationes rerum Ecclesiasticarum sint prohibitæ?

SUpponendum, *alienationem* dupliciter 1156
sumi. 1. Strictè, quò casu supponit pro actu, quo rei alicujus dominium directum transfertur in alterum, uti fit donatione, venditione, permutatione. L. *alienum* 61. ff. de V. S. 2. latè, quo casu supponit pro omni actu, per quem dominium, etiam tantùm utile, vel quodcunque jus in re, etiam imperfectum, alteri in re aliqua constituitur; his præmissis.

Quæ-

1157 Quæstio est, quæ alienatio jure canonico prohibita sit? Resp. quod non tantùm *alienatio strictè*, sed etiam *latè sumpta*. Ad hoc probandum not. 1. Paulum II. in Extravag. *Ambitiosæ* h. t. inter communes, ita loqui: *Omnium rerum, & bonorum Ecclesiasticorum alienationem, omneq; pactum (per quod ipsorum dominium transfertur,) concessionem, hypothecam, locationem, & conductionem ultra triennium, nec non infeudationem, seu contractum emphyteuticum (præterquam in casibus à jure permissis, ac de rebus, & bonis, in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, & tunc Ecclesiarum evidenti utilitate; ac de fructibus, & bonis, quæ servando servari non possunt pro instantis temporis exigentia) hac perpetuò valitur à constitutione præsenti, fieri prohibemus: Prædecessorum nostrorum Constitutionibus, prohibitionibus, & decretis aliis, super hoc editis, (quæ tenore præsentium innovamus) in suo nihilominus robore permansuris.*

1158 Huic Extravaganti addenda est Bulla Urbani VIII. edita anno 1624. sept. Septembr. ibi: De speciali S. D. N. jussu, Generalibus, & Provincialibus, Capitulis, & Congregationibus, Abbatibus, & quibuscunque aliis superioribus, cujuscunque Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, intra fines Europæ existentibus, *omnium rerum, & bonorum immobilium, ac pretiosorum mobilium alienationem, omneq; pactum, per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem, concessionem in feudum, seu Emphyteusim, (præterquam in casibus, à jure expressis) fieri perpetuò prohibet, atq; interdicit, absq; ipsius Congregationis Concilii licentia, inscriptis, & gratiis, concedenda, sub pœna amissionis omnium bonorum.*

1159 Ex his juribus apertè deducitur rerum Ecclesiasticarum immobilium, & mobilium pretiosarum, quæ servando servari possunt, extra casus à jure permissos, prohibitam esse alienationem, non modo strictè, sed etiam latè sumptam, juxta n. 1156. idque propter favorem Ecclesiæ, ne scilicet per ejusmodi rerum alienationes in bonis suis damnum subeat facilitate Prælatorum, qui bonorum Ecclesiasticorum non sunt Domini, sed tantùm dispensatores, seu administratores c. 2. de donat: & potius Tutorum, ac Curatorum instar, qui res minorum curant, quorum jure gaudet Ecclesia. c. 1. De in integrum restit. ex illis enim habetur, non tantùm prohiberi venditiones, donationes &c. quæ sunt alienationes strictè; sed etiam concessiones juris tantum imperfecti, ut sunt locatio, feudum, emphyteusis &c. Constitutioni porrò isti subditur: *Alienationes verò, pacta, census, hypothecas, locationes, concessiones quascunq;, contra hujusmodi prohibitionem faciendas, sanctitas sua ipso jure nullas, atque irritas decernit.*

Est tamen discrimen aliquod inter 1160
Extravagantem *Ambitiosæ*; & Constitutionem Urbani; ut autem discrimen hoc rectè intelligatur, notanda sunt ejus verba. Primò ergo, in dicta Extravag. statuitur, si quis contra hujusmodi prohibitionis seriem, de bonis, & rebus ejusdem, quicquam alienare præsumpserit alienatio hypotheca, concessio, locatio, conductio, & infeudatio hujusmodi *nullius omninò sint roboris, vel momenti*; & tam, qui alienat, quam is, qui alienatas res, & bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat.

Alienanti verò bona, Ecclesiarum, 1161
Monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet inconsulto Rom. Pont. aut contra præsentis constitutionis tenorem, si Pontificali, vel Abbatiali præfulgeat dignitate ingressus Ecclesiæ sit penitus interdictus; & si per sex menses immediatè sequentes, sub interdicto hujusmodi, animo (quod absit) perseveravit indurato, lapsis mensibus eisdem, à regimine, & administratione suæ Ecclesiæ, vel Monasterii, cui præsidet in spiritualibus, & temporalibus, *sit eo ipso suspensus.*

Secundo inferiores Prælati, Commen- 1162
datarii, & aliarum Ecclesiarum Rectores, beneficia, vel administrationem quomodolibet obtinentes, Prioratibus, Præposituris, Præpositatibus, Dignitatibus, Personatibus, Administrationibus, Officiis, Canonicatibus, Præbendis, aliisque Ecclesiasticis cum cura, & sine cura, secularibus, & regularibus beneficiis, quorum res, & bona alienârunt duntaxat, ipso jure privati existant, illaque absque declaratione aliquâ vacare censeantur, possintque per locorum Ordinarios, vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, personis ido-

idoneis, (illis exceptis, quæ propterea privatæ fuerint) liberè de jure conferri: nisi alias dispositioni Apostolicæ sedis, sint specialiter, aut generaliter reservata: Nihilominus alienatæ res, & bona hujusmodi ad Ecclesias, Monasteria, & loca pia, ad quæ ante alienationem hujusmodi pertinebant, liberè revertantur. His prænotatis:

1163 Primum discrimen est, quod Extravagans dirigatur etiam *ad Prælatos seculares*; Urbani vero, *ad solos Regulares, & Religiosorum Capitula.* 2. Quod in Extravag. Abbates non privabantur *ipso facto* beneficiis, quæ alienabant; in altera vero priventur omnibus officiis, quæ tempore alienationis obtinent, & redduntur inhabiles, ad ea imposterum obtinenda: in Extravagante vero privantur solum illis beneficiis, quorum bona alienant. 3. Urbanus clarè definit tales alienationes esse irritas, quod antecedenter erat controversum inter Auctores, asserentibus aliquibus, illas esse validas, sed illicitas, aliis vero esse illicitas, & invalidas.

1164 Si autem quæras, quid intelligatur per illa verba, *præterquam in casibus à jure permissis?* Censent aliqui dicta prohibitione solum excipi alienationem, quæ fit dando in feudum, vel emphyteusim Ecclesiæ bona, quæ taliter ab antiquo concedi solebant; sed rectius dicitur, hæc verba exceptiva cadere in omnes alios modos alienandi, de quibus ante sermo erat, consequenter si sint aliqui casus, aut modi alienandi, res Ecclesiasticas, quæ jure permissæ sunt, omnes illos ab illa generali prohibitione exceptos esse; & illos exercendo non peccari, nec incurri pœnas in earum constitutionum transgressores latas. Ratio est, quia dicta exceptio subjungitur generali prohibitioni, quoad omnes modos alienationis, tam strictè, quam latè sumptæ; & in Extravag. primo post exceptionem generalem, *de casibus jure permissis*, additur: *ac de rebus, & bonis* in emphyteusim &c. ergo comprehendit *generaliter* casus jure permissos, & concessionem in feudum, vel emphyteusim. Qui porro casus jure permissi sint, constabit ex dicendis in seqq.

1165 Ex dictis colliges, cui prohibitum est rem aliquam Ecclesiasticam alienare, ei prohibitam quoque esse ejus venditionem, donationem, permutationem. Nam hi actus sunt alienatio strictè; item dare in solutum, cùm hoc emptioni, & venditioni æquiparetur; transigere, transactione in alium transferente dominium, vel possessionem; imponere servitutem; sic Barbos. in c. *Nulli.* à n. 11. sive realem, sive personalem; Pirhing h. t. n. 10. ubi tamen nota, *ante rei traditionem* non dici factam alienationem; Barbosa in c. *si quis Presbyterorum* 6. h. t. n. 3. ex L. *alienatum.* 37. ff. de V. S.

Collig. 2. idem procedere de feudo, 1166
ut expressè dicitur in cit. constit. Urbani VIII. & emphyteusi perpetua, & usufructu; sic enim in Emphyteutam, & usufructuarium transit dominium, seu jus utile; excipe emphyteusim etiam perpetuam *rei inculta* parum utilis Ecclesiæ, c. *ad aures* 7. h. t. an autem sit, vel non sit utilis? consideratur pro tempore contractus; non autem, quid postea contingat, nisi tempore calamitoso contractus celebretur. Barbosa in c. 1. h. t. n. 3. qui notat, non dici alienationem *rei utilis* Ecclesiæ, ubi Ecclesia tantum solum recipit, quantum dimisit. Et ideo Rector Ecclesiæ potest illius servos manumittere, si horum loco reddatur, quod duplo plus valet, quàm manumissi, per c. *Consulus* 3. h. t. A dictis porro prohibitionibus etiam excipiuntur, quæ de mobilibus Ecclesiæ rebus in remunerationem obsequii Ecclesiæ præstiti dantur, ut notatur ex Conc. Tolerano relato 12. q. 2. c. *Quicunq;* 66.

Præter hæc quæres 1. quid hoc loco 1167
veniat nomine *Ecclesiæ?* cum enim dicitur bona *Ecclesiæ* quæ scilicet spectant ad ipsam Ecclesiam, sic, ut Prælatus, vel Rector Ecclesiæ non sit Dominus eorum, aut fructuum inde nascentium, sed tantum administrator, non posse alienari, nisi servatâ formâ in sacris canonibus præscripta, quæstio est, quid hoc loco veniat nomine *Ecclesiæ?* R. cùm simus in materia favorabili, *Ecclesiam* hic æquè, ac *alienationem* esse accipiendam latissimè, pro quolibet loco sacro. Quare R. *Ecclesiæ* nomine hic intelligi omnem locum pium, ut Confraternitates, hospitalia, & similia, authoritate Episcopi fundata. Quaranta in summa Bullarii. V. *alienatio rerum Ecclesiæ* n. 28. & communis.

1168 Quæres 2. an nomine alienationis prohibitæ veniat *locatio?* R. quod sic. 1. ex utraque Constit. Pauli II. & Urbani VIII. Deinde ex c. *ad audientiam.* 9. h. t. ubi Cœlestinus III. ad Exonensem Episcopum, *ad audientiam*, inquit, *nostram noveritis pervenisse, quod quidam de* Canonicis Exonens. Ecclesiæ quædam prædia ejusdem (*inconsultis aliis fratribus*) in damnum ejus *in perpetuum locaverunt.* Ideoque mandamus, quatenus (si verum est, quod asseritur) *locationes illas legitimè revocare, procures ita, quod si eadem prædia non aliter revocari poterunt, eos, quos, noveris harum locationum auctores, ad susceptam inde pecuniam conductoribus refundendam, appellatione remotâ, compellas.*

1169 Idem habetur expresse in Clem. *Monasteriorum* 1. eod. ibi: Monasteriorum, & aliarum administrationum regularium *dispendiis occurrere cupientes, perpetuo prohibemus edicto*, ne quis Religiosus, Monasterio, Prioratui, Ecclesiæ, seu administrationi, cujus præsidens jura, reditus, aut possessiones ejusdem *alicui ad vitam ejus, seu aliud certum tempus*, pecuniâ etiam inde acceptâ, *quovis modo* concedat, *nisi necessitas, aut utilitas* Monasterii, Prioratus, Ecclesiæ, aut administrationis hujusmodi hoc exposcat, Conventus sui; aut, si conventum non habeat, Prælati *proprii assensu* ad hoc nihilominus accedente. Si quis autem *contra hoc* fecerit, pœnam suspensionis ab officio, *eo ipso* incurrat, nec ex concessione ipsius recipienti *jus aliquod* acquiratur. Verùm præmissa ad locationes, vel etiam redituum, aut fructuum venditiones ad tempus modicum faciendas, declaramus ullatenus non extendi.

1170 Hanc porrò locationem prohibitam esse jure antiquo, non tantùm si facta sit in perpetuum, sed etiam si ad longum tempus, communiter tradunt Doctores, ad cit. c. 9. h. t. & Clem. proximè relatam; intelligitur *decennium* per longum tempus, ut notat Castropal. tom. 2. de reverentia debita rebus Ecclesiasticis. D. tunic. p. 14. n. 1. quia *septennium* pro modico tempore sumitur, *c. fin.* ne Prælati vices suas, & Clem. 1. h. t. & ex hoc infert, locationem rerum Ecclesiasticarum factam *ad vitam locantis*, vel *conducentis*, absolutè invalidam esse; quia naturâ suâ longi temporis durationi subjicitur; per cit. Clem. 1. junct. gl.

Dixi *jure antiquo*, locationem rerum 1171
Ecclesiasticarum, factam *ad longum tempus*, fuisse prohibitam; nam attentâ Extravagante *Ambitiosæ*, de qua n. 1157, Res Ecclesiæ nec *ultra triennium* locari possunt; quo posito, quæstio 1. est, an procedat contra hanc Extravag. qui rem Ecclesiæ locat ad 6. 9. 15. annos cum clausula, ut tot sint locationes, quot triennia? 2. si fiat ad triennium, cum pacto in scripturam redacto, elapso triennio renovandi triennalem locationem? 3. si locatione factâ ad triennium facias denuò locationem ad aliud triennium ante lapsum anni primi triennii? 4. quando res fructificat non quolibet triennio? 5. an locatio irrita sit; non tantum quoad excessum ultra triennium, vel in totum?

Ad 1. Resp. talem locationem censeri 1172
validam à Baldo in c. 1. §. *si libellario*, quibus modis feudum amittatur, & in L. *voluntas*, C. de fideicommissis: sed contrarium tenendum est; quia est in manifestam fraudem legis; & probatur ex authent. de non alienando §. *quod autem*; ubi textus loquens de emphyteusi, quæ ad vitam accipientis, & duas alias concedi poterat, dicitur, nullum esse pactum, quo concedens obligatur, sequentem successorem aliis præferre, & rem in emphyteusim eidem concedere; quia hoc nihil aliud est (inquit textus) quam *per revolutionem, & machinationem perpetuari eis emphyteuses, magis autem privationes Ecclesiarum agi rerum*; sed in nostro casu idem à fortiori militat; cum per illam machinationem multiplicatæ locationes res Ecclesiastica ad longum tempus locetur. Sic Rosmer de Contract. §. de Clericis. q. 2. illat. 2. Ad 2. Resp. pariter, talem locationem, in scripto factam, non valere; quia in re est ultra triennium, & numerus triennium potius præsumitur in pallium locationis ultra triennium prohibitæ; sic Castropal. cit. p. 14. n. 3. aliud, si locatione facta ad triennium, non fieret eodem simul actu locatio ad reliqua; sed tantùm promissio, novæ rursum locationis *faciendæ*; nam locatio ad triennium cum promissione, triennio finito faciendi

novam locationem triennalem, non est *locatio plurium triennium*, ut rectè observat Azor p. 2. l. 6. q. 3.

1173 Ad 3. §. si, antequam elabatur secundus annus triennii, fiat rursum locatio ad aliud triennium, quamvis locatio secunda distincta sit à priori, in foro saltem externo præsumi fraudem, quæ committitur in legem; sic enim revera locatarius, seu conductor continuaret locationem ultra tempus jure permissum, quod non fieret, si secunda locatio contingeret finito primo triennio. Ad 4. §. probabilius dici locationem factam ad triennium, sic, ut, si intra hoc uno anno res locata non esset frugifera, tempus sterilitatis compensetur anno altero, non cadere sub illam prohibitionem, *de non locando ultra triennium*; sic Navarrus de alien. rer. Eccles. à n. 21. Covaruv. p. 2. Variar. c. 16. n. 6. & alii. Nam Pontifex non videtur intendisse signare triennium *temporis*, sed *fructuum*; quia trina fructuum collectio est, quæ conductorem invitare poterat ad possessionem Ecclesiasticam locandam, ut sterilitas (si fortè contingeret) unius anni aliorum ubertate compensaretur.

1174 Ad 5. plures sunt, qui dicunt locationem solum esse irritam quoad excessum triennii, sic Barbos. p. 3. de potestate Episcopi, alleg. 95. n. 15. Rebellus de obligat. just. p. 2. l. 14. q. 6. Quaranta. v. *Alienatio rerum Eccl. siasticar.* n. 18. & alii. 1. quia in hac locatione optimè potest separari tempus permissum triennii ab alio tempore prohibito. Nam esto, unica locatio materialis sit, & unicum pretium pro toto illo tempore expostulatum; dividi tamen pro rata cujuslibet triennii; at, quoties utile ab inutili separari potest, utile per inutile non vitiatur. ex reg. *utile*. de reg. juris in 6. & L. 1. §. *sed si mihi*. ff. de V. obl. Deinde, quia alienatio facta ultra quingentos aureos, absque insinuatione, solùm in excessu vitiatur, & firma remanet quoad quingentos aureos à jure, absque insinuatione alienari permissos, tametsi unica sit donatio, & per modum unius omnia donata fuerint, quod expressè habetur in L. *fancimus*. in princ. verf. *si quid autem*. C. de donatib. 3. quia emphyteusis, concessa ad quatuor, vel quinque generationes, valida est, quoad tertiam; invalida quoad reliquas, ut habetur auth. de non alienand. §. *quod autem*. collat. 2. ibi enim data emphyteusi alicui, ejusque duabus successionibus cum pacto, ut illis deficientibus tertius succesor obtenturus sit emphyteusim, & omnibus aliis præferendus, deciditur dominium, emphyteusis obligatum non esse duobus hæredibus cessantibus cæteris tradere. Ergo tacitè declaravit traditionem emphyteusis primis hæredibus valere, extensionem tamen à lege improbatam, invalidam fore.

Alii econtra dicunt, ejusmodi locatio- 1175
nem ultra triennium non solum invalidam esse, quoad excessum, sed etiam quoad ipsum triennium; Sic Bartol. in auth. *Qui rem*. de SS. Eccles. n. 7. Covarr. p. 2. Variar. c. 16. n. 5. & alii, quorum fundamenta refert Castropal. cit. p. 14. n. 7. qui censet, ea non evincere plus, quàm invaliditatem *quoad excessum*. Nam quando in auth. de non alienand. §. *si vero in perpetuum*, dicitur, quòd emphyteuta *cadat* de emphyteusi, & quod datum est, maneat apud venerabilem domum, si emphyteusis detur ultra tres vitæ, tum si *cadat* solùm denotat illum debere cadere de emphyteusi concessa pro tempore utili, & alias promisso ad triennium; cum non possit cadere de illo, quod nec habet; at, quoad excessum triennii, non habet; ergo non potest intelligi de excessu; ergo de triennio; quoad hoc valet. Sic exponi possunt etiam ea, quæ desumuntur ex Clement. 1. & Extravag. *Ambitiosæ*.

Cæterum videtur distinguendum; & 1176
dicendum, etiam vitiari *quoad triennium*, & non tantùm *quoad excessum*, quando locatio longiori tempore fit minori onere annuo locatarii, quam si pro breviori; communiter enim, qui locationem conducit pro diuturno tempore, minoris accipit; quam si pro breviori; Nam in tali casu triennium, & excessus inseparabilia sunt, quo fit non esse locum rationibus in contrarium adductis n. 1170. Ad 1. n. citato. Nego maj. in tali casu posse separari excessum à triennio; quia non eodem pretio reciperes loca-

tionem ad breve tempus, quo ad diuturnum. Ad 2. Rg. dato antec. N. conseq. discrimen assignat Castropal. cit. n. 8. quia donans plus, quam sibi permittatur, voluntatem habet donandi, quod sibi permissum est; sed hoc instari potest etiam in locatione; nam & locans ultra triennium, locans plus, quam sibi permittatur, habet voluntatem locandi, quod sibi permissum est. Est tamen discrimen in eo, quia distinctæ locationes, singulæ minori tempore, non haberent idem pretium à locatario solvendum, quam una etiam materialis ad tempus diuturnum; Ad 3. Rg. dato anteced. N. conseq. nam emphyteusis ad tres, & ad plures generationes quoad excessum, ultra tres, separari possunt; non autem locatio quoad excessum triennii; cujus discrimen constat ex diminutione pretii, quando plures, quam tres anni conceduntur locatario; non autem in casu emphyteusis.

1177 Quæres 3. an inter alienationes, hic *prohibitas*, etiam veniat hypotheca? Rg. affirmativè, de hypotheca *speciali*; non *generali*. Nam ex generali hypotheca non tam res, quam persona manet obligata. Hinc debitor, qui bona sua generaliter hypothecavit, non impeditur ab eorum alienatione; nec sic obligata Creditori subjiciuntur; secus est in hypotheca speciali. Hinc etiam servus *generali* hypothecæ subjectus, non autem *speciali* manumitti potest, per L. 3. C. de se servo pignorat. Et ideo Azor p. 2. l. 9. c. 1. q. 2. censet, nomine alienationis prohibitæ venire etiam *pignorationem*; quia periculo exponitur in alium transferendi dominium pignoris, casu quo principali obligationi non satisfiat.

1178 Quæres 4. an nomine alienationis *prohibitæ* intelligatur translatio bonorum, vel redituum unius Ecclesiæ particularis ad aliam Ecclesiam? Resp. affirmativè, ex c. *Ecclesiæ* 43. 16. q. 1. ibi: *Ecclesiæ antiquitus constitutæ, nec decimis, nec ulla possessione priventur, ita, ut novis oratoriis tribuantur.* Et c. *non licet* 1. h. t. ibi: *non licet Episcopo, vel Abbati terram unius Ecclesiæ vertere ad aliam, quamvis ambæ in ejus sint potestate*: tamen, *si commutare voluerit terras earum, cum consensu ambarum partium faciat.* Sed nota hoc intelligi de translatione, quam faceret Episcopus suo solum arbitratu. Hinc cum utriusque partis consensu potest Ecclesiarum sibi subditarum bona commutare, ut dicitur cit. c. *Non licet.* Et si una Ecclesia abundet reditibus, & bonis; altera vero indigeat, licet Episcopo ex justa causa talem translationem facere. arg. c. 3. de Eccles. ædific. junct. gl. in c. 1. h. t. V. *ad aliam.* Requitur tamen consensus Capituli. arg. c. *Tua.* 8. de his, quæ fiunt à Prælato; & Patroni, si Ecclesia sit Patronata.

Quæres 5. an nomine alienationis 1179
prohibitæ intelligatur hic *unio perpetua* unius Ecclesiæ cum alia, vel beneficii cum beneficio? Resp. affirmativè ex c. *Tua.* 8. de his, quæ fiunt à Prælat. c. *Pastoralis.* 7. de donat. Sic Rebuffus in praxi beneficior. ad 21. reg. Cancell. de unionib. gloss. 11. n. 2. Hoc intellige, si uniat *suæ mensæ*, vel *Capitulo*; non autem si cum consensu Capituli uniat *alteri* Ecclesiæ, vel loco pio, vocatis iis, quorum interest, & consentientibus. Clem. 2. h. t.

Not. autem 1. ad hanc unionem non 1180
requiri consensum *Rectoris Ecclesiæ unicndæ*; cum talis unio fiat sine ipsius præjudicio; quia unio non sortitur effectum, nisi post ejus mortem, vel legitimam amotionem c. *Consultationib.* 3. de donat. junct. gl. in cit. Clem. 2. V. *vocatus.* Sanchez lib. 7. moral. c. 29. n. 171. Nota 2. ad eam unionem requiri consensum Patroni, saltem laici, c. *Pastoralis* 7. de donat. & consensum illius Prælati, seu superioris, cui Ecclesia unienda subjecta est; sic enim fit ei præjudicium in potestate providendi; sic Abbas in cit. Clem. 2. n. 5. Not. 3. illam unionem Ecclesiæ cum Ecclesia fieri posse per Episcopum, esto ei, postquam vacavit, non constituerit prius Curatorem, vel defensorem; Clem. 2. h. t.

Dices: Episcopus non potest aliquam 1181
partem, vel rem aliquam Ecclesiæ vacantis (v. g. *partem decimarum*) etiam cum consensu Capituli unire alteri Ecclesiæ, vel præbendæ, nisi prius Ecclesiæ vacanti constituatur Curator, vel defen-

fensor, qui sit illi loco Rectoris, ut dicic. 1. h. t. in 6. ergo nec Ecclesiam Ecclesiæ. Resp. conced. ant. N. cons. quia per unionem partis redituum Ecclesiæ vacantis sit præjudicium futuro illius Rectori; non autem per unionem totius; quia si tota uniatur alteri, non providetur unitæ de distincto Rectore. Barbos. in cit. Clem. 2. à n. 13. Sic habetur c. *Dudum.* h. t. in 6.

1182 Quæres 6. an *qualibet* alienatio rei Ecclesiasticæ prohibita sit? R. quod non; primò, quia res mobiles, quæ servando servari non possunt, sine juris solennitate licite alienari possunt, ut colligitur ex c. *Nulli* h. t. Secundò, quia res immobiles, seu possessiones Ecclesiæ minus utiles, cum consensu Capituli pro melioribus licite permutantur, vel alienantur sine præscripta juris solennitate. c. 8. h. t. quod à fortiori procedit de rebus Ecclesiæ damnosis.

1183 Quæres 7. an quælibet res Ecclesiastica, servata juris solennitate, licite alienari possit? R. posse, exceptis casibus, quos enumerat glossa in auth. *Hoc jus porrectum.* C. de SS. Eccles. V. *Perpetuò*, quæ authentica canonizatur (hoc est in vim canonis recipitur) c. *Ea enim.* §. *hoc jus* 10. q. 2. & gl. in auth. de alienat. & emphyt. c. 7. §. *Ea verò.* collat. 9. V. *Concedimus.* Primus casus est, si res immobilis pervenit ad Ecclesiam ex Imperatoris donatione, vel fundatione, quo casu in ejus alienatione consensus ejus requiritur per cit. auth. *hoc jus porrectum.* Secundus, si alienanda esset Ecclesia ipsa, vel monasterium in usum profanum. auth. de alien. §. *& quoniam.* Tertius, si Episcopus ex propriis bonis, vel per se, vel per interpositam personam, rem Ecclesiæ suæ, vel sibi subjectæ, emere vellet. auth. cit. §. *Oeconomus verò*; 4. Si res eâ conditione Ecclesiæ data sit, ne alienetur, nisi urgeat casus magnæ, ac evidentis necessitatis. auth. cit. §. *Sanctissimus*; 5. Si transferri debeat res Ecclesiastica in hæreticum, vel Judæum. auth. de Ecclesiasticis titulis. §. *Iubemus.* collat. 91.

ARTICULUS VIII.

De solennitate requisita in alienatione rerum Ecclesiasticarum.

HÆc solennitas in duobus consistit, nimirum in *justa causa*, & *forma à sacris canonibus præscripta*, & quidem *copulativè*, ut unum sine altero non sufficiat. Barbos. in c. 1. h. t. n. 10. Forma porro requirit 1. ut alienationi præcedat *tractatus Capitularis*, c. *sine exceptione.* 12. q. 2. c. *Dudum.* 1. h. t. in 6. 2. Ut fiat *cum consensu Capituli*, seu Collegii, quoad majorem partem tunc præsentium, c. 1. de his, quæ fiunt à Prælato. & cit. c. *sine except.* 3. ut fiat *subscriptio à Capitulo*, seu conventu, c. *sine exceptione.* 52. 10. q. 2. 4. Ut interveniat authoritas, seu *consensus Superioris*, hoc est ejus, qui ex munere publico Ecclesiæ præest, v. g. Episcopi. juxta c. 1. de his, quæ fiunt. 1184

§. 1.

De justa causa alienationis.

QUatuor causæ censentur justâ ratione faciendi alienationem rei Ecclesiasticæ, aliàs sine juris forma prohibitæ alienari. 1. necessitas; 2. evidens utilitas; 3. pietas: 4. incommoditas. Ubi not. ex Molina tom. 2. de just. D. 468. concluf. 2. n. 1. dicente, quando adest causa *necessaria*, dici esse casum concessum jure ad alienandum. Necessitas est, ut si aliàs debita Ecclesiæ solvi non possint. c. 2. 10. q. 2. de quo supra, & c. 1. eadem causa, & quæst. ibi: *Cassellas, vel mancipiola Ecclesiæ, Episcopi (sicut prisca Canonum præcipit auctoritas:) vel vasa ministerii quasi commendata fideli præposito, integro Ecclesiæ jure possideant*, id est, *neq; vendere, neq; per quoscunq; contractus res, unde pauperes vivunt, alienare præsumant.* ubi gloss. addit in sequenti Palea ibi: *Hujusmodi*, excipi casum necessitatis, & constat etiam ex n. præced. Vel si alia via damnis Ecclesiæ subveniri non possit. c. 1. h. t. in 6. ubi alienatio sine tractatu prævio, & justâ causâ facta reprobatur, ibi: *Quia verò in concessione hujusmodi prædicta Ecclesia* (cùm vacaret) 1185

caret) *legitimo caruit defensore, quia sibi prius ab eodem Episcopo debuerat deputari. Quia enim tractatus solemnis diligens, qui in talibus concessionibus perpetuis, & alienationibus rerum Ecclesiasticarum exigitur, non fuit habitus in eadem; ordinationem, & concessionem ipsam* (præsertim, cùm evidens necessitas, quare fieri deberet, vel utilitas non subesset) *defratrum nostrorum consilio decernimus non valere: Dictas decimas ipsi Ecclesiæ tanquam pertinentes ad eam sententialiter adjudicare curantes.*

1186 Alterum est *evidens utilitas* per c. *sine exceptione*, ibi. *quod non sit dubium profuturũ Ecclesiæ*: quod sonat, utilitatem pro valore alienationis, debere esse *claram* & *indubitatam*, sic Barbos. in c. *sine except.* 12. q. 2. n. 5. Tertium est *Pietas*, cùm alienatio rerum Ecclesiasticarum necessaria est, vel ad redemptionem captivorum, vel sublevandam extremam, aut gravem necessitatem pauperum. c. & *Sacrorum.* 15. 12. q. 2. ibi: *& Sacrorum Canonum & legalia statuta permittunt, ministeria Ecclesiæ pro captivorum esse redemptione vendenda.* Item c. *Sacrorum* 16. eadem caus. & q. ibi: *Sacrorum Canonum statuta, & legalis permittit authoritas, licitè res Ecclesiasticas in redemptionem captivorum impendi.* Et ideo, quia edocti à vobis sumus, ante annos fere 18. Virum Reverendissimum quendam Fabium, Episcopum Ecclesiæ Firmanæ, libras 11. argenti de eadem Ecclesia pro redemptione vestra, ac Patris vestri Passivi, fratris, & Coëpiscopi nostri, tunc vero Clerici, nec non Matris vestræ hostibus impendisse, atque ex hoc quandam formidinem vos habere, ne hoc, quod datum est, à vobis quolibet tempore repetatur, *hujus præcepti auctoritate suspicionem vestram prævidimus auferendam*, constituentes, *nullam vos exinde, haredesque vestros quolibet tempore repetitionis molestiam sustinere, nec à quoquam vobis aliquam objici quæstionem*; Sic Gregorius Papa.

1187 *Incommoditas*, cùm res plus incommodi, vel etiam damni præstat, quam commodi, v. g. quia longè distat, vel quia exigua est c. *Terrulas.* 12. q. 2. ibi: *Terrulas aut vineolas exiguas, & Ecclesiæ minus utiles, aut longè positas, & parvas, & Episcopus sine consilio fratrum* (si necessitas fuerit) *distrahendi habeat potestatem.* De his causis universim D. Ambrosius l. 1. de Officiis. c. 28. relatus. 12. q. 2. c. *aurum 70.* sic loquitur: *Aurum Ecclesiæ habet, non ut servet; sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus.* Quid opus est custodire, quod nihil adjuvat? aut ignoramus, quantum auri, atque argenti de templo Domini Assyrii sustulerunt? Nonne melius constat Sacerdos *propter alimoniam pauperum, si alia subsidia desint*, quàm Sacrilegus contaminata asportet hostis? Nonne dicturus est Dominus, *cur passus es tot inopes fame emori?* Et certè habebas aurum, unde ministrasses alimoniam. Cur tot captivi deducti in commercium sunt, nec redempti, ab hoste occisi sunt? Melius fuerat, ut *vasa viventium* servares, quàm *metallorum.* His non posset responsum referri. Quid enim? *Timui, ne templo Dei ornatus deesset?* Responderet, *aurum Sacramenta non quærunt, neq; auro placent, quæ auro non emuntur.* Ornatus Sacramentorum, *redemptio captivorum est*: & verè *illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte; ille verus thesaurus est Domini, qui operatur, quod sanguis ejus operatus est.*

Et post pauca: Nemo enim, inquit, potest dicere, cur pauper vivit? nemo potest quæri, quia captivi redempti sunt; Nemo potest accusare, quia templum Dei ædificatum est; Nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis spatia laxata sunt: Nemo potest dolere, quia in sepulturis Christianorum requies defunctorum est. *In tribus generibus vasa Ecclesiæ, etiam initiata confringere, conflare, vendere licet*; opus est, ut de Ecclesia Mystici poculi forma non exeat: ne ad usus nefarios sacri calicis misterium transferatur. Ideo intra Ecclesiam primùm quæsita sunt vasa, quæ initiata non essent: Deinde comminuta, postremo conflata, per minutas erogationes dispensata egentibus captivorum quoque pretiis profecerunt. Quod si desunt nova, & quæ nequaquam initiata videantur, in hujusmodi usus, quos supra diximus, arbitror omnia pie posse converti. Unde Hieronymus relatus ibidem c. *Gloria* 71. *Gloria*, inquit, *Episcopi est pauperum inopiæ providere; igno-*

ignominia Sacerdotis est, propriis studere divitiis.

§. 2.

De tractatu Capitulari.

1188 PEr hunc intelligitur *deliberatio in Capitulo*, aut Conventu simul congregato, an adsit justa causa, necessitas, vel utilitas alienationis faciendæ? c. *Dudum* h. t. in 6. Circa hunc tractatum notat Molina cit. Concluſ. 3. n. 6. *tractatum* esse quidpiam distinctum à *consensu*; & illum ad hunc esse prævium, ut satis constat ex c. 1. de reb. Eccles. non alien. in 6. & c. *Tua.* de his, quæ fiunt à Prælat. Est enim tractatus, ut ibi n. 6. Panormit. ait: propositio, ac discussio, num conveniat rem alienari, ut causæ, & rationes pro & contra expendantur? post eam verò discussionem, ac tractatum sequi solet consensus, vel dissensus. Hinc colligit ibi Panorm. quando statuto aliquo, sub aliqua pœna, tractari aliquid prohibetur, satis esse, si res modo explicato proponatur, ac discutiatur, ut id proponentes, ac tractantes in eam incidant pœnam; neque esse necesse, quod accedat consensus: & multo minus, quòd res executioni mandetur. Istum porrò tractatum previe necessarium esse vult in alienatione presse sumptâ, vendendo, commutando, aut alio modo transferendo dominium directum.

1189 Circa hunc tractatum Not. 1. hunc prævium solum requiri in alienationibus perpetuis; Nam in temporalibus, vel etiam ad vitam, sufficit etiam tacitus consensus Capituli postea subsequens. gloss. in cit. c. *Dudum.* V. *Perpetuis.* Not. 2. sufficere illum semel esse factum. gloss. ibidem V. *tractatus.* juncto margini: lit. B. Sic Barbos. in c. *sine except.* 52. 12. q. 2. n. 3. Not. 3. in dubio, non præsumi tractatum Capitularem interveniſse in contractu alienationis celebrato; sed probandum esse. Abb. in c. 6. de his, quæ fiunt à Prælat. quia est qualitas extrinseca. Arg: legis: *quæcunque.* 13. §. *fin.* ff. de public. in rem act. Idem est de consensu Capituli, ut not. Abb. cit. Sic etiam Barbos. in c. 1. h. t. in 6. qui à n. 6. docet tractatum Capitularem, & reliquas solennitates juris, ad alienationem rei Ecclesiasticæ requisitas, ad ejus substantiam non pertinere (quia sine his actus hujus speciei secundùm naturam suam, & institutionem potest *in esse* produci) sed ad extrinsecam quandam, & accidentalem solennitatem.

A dictis porrò (nimirum *ad solennitatem alienationis de jure, requiri tractatum Capitularem, nec eum præsumi*) excipe 1. nisi adsit antiquitas temporis. Nam ex diuturnitate temporis alienatio præsumitur solenniter facta; sic Mascardus de Probat. Concluſ. 1316. n. 13. Excipe 2. nisi in instrumento alienationis à Prælato, & Capitulo legitimè subscripto, & obsignato, vel Notarii manu confecto, fiat mentio præcedentis tractatûs, & consensus Capituli; tunc enim utrumque, imò, & justam causam interveniſse, præsumitur, quamvis in contrarium admittatur probatio; Sic Mascard. Volum. I. de Probat. Concluſ. 75. n. 11. & Volum. III. Concluſ. 1315. Sed hoc intellige, *si Notarius testetur illa interveniſſe*; non autem, *si purè narret*, vel in eo instrumento referat; Nam in Solennitatibus jure requisitis, quibus partes liberè renuntiare non possunt, non sufficiunt verba *assertiva*, sive nuda, & *non probata* narratio: sic Mascard. Vol. I. Concluſ. 75. n. 15. 1190

Not. 4. ad probandum, quòd Capitularis tractatus intervenerit, de jure communi non requiri speciale instrumentum, distinctum ab instrumento alienationis, modò in hoc fiat illius mentio, quia illud nullo jure exigitur. Suarez tom. 4. de Relig. tract. 8. l. 2. c. 27. n. 8. Not. 5. tractatum Capitularem debere prius fieri, quam consensum Capitularem juxta c. *sine exceptione*, ibi: *totius Cleri tractatu, atque consensu.* Sic Barbosa cit. ibidem n. 4. volente requiri tres tractatus ante alienationem cujusque ex ejusmodi rebus Ecclesiasticis, aliterque alienationem esse invalidam: ex duobus tamen Capitibus citatis apertè constat, sufficere unum; debere tamen esse *diligentem* pro qualitate rei, de qua agitur; solum quippe exigûnt *tractatum* in numero singulari; non vero *tractatûs* in plu- 1191

rali;

rali; atque ita affirmat Panorm. c. *Tua*, de his, quæ fiunt à Prælat. n. 3.

§. 3.

De consensu Capitulari.

1192 HIc consensus necessarius est, ubi Ecclesia habet Capitulum, qualis est Ecclesia Cathedralis, vel Collegiata, vel Regularis, si habeat Conventum; vel Parochialis habens conventum beneficiatorum; si verò nullum conventum habet, potest alienare Rector Ecclesiæ de *consensu Episcopi*; Sic Abb. in c. 1. h. t. n. 5. Capitulum primum sic habet: *non licet Episcopo, vel Abbati terram unius Ecclesiæ vertere ad aliam, quamvis ambæ in ejus sint potestate*; tamen si commutare voluerit terras earum, *cum consensu ambarum partium* faciat. Ubi not. ly *permutare* hic non poni ad restringendum, tanquam *in permutationibus* duntaxat necessarius foret consensus, tanquam solennitas jure requisita, *& non in aliis* contractibus, alienationibus, res Ecclesiæ prohibitas alienari sine juris solennitate; sed solum exempli causa, ut colligitur ex diversis juribus c. *Ut super* 8. §. *Possessionibus*, h. t. ibi: *possessiones vero, quæ Ecclesiæ tuæ minus sunt utiles pro aliis utilioribus de fratrum tuorum, & sanioris partis consilio, & assensu alienandi seu commutandi liberam concedimus facultatem.*

1193 Similiter in c. *Tua*, 8. de his, quæ fiunt à Prælato, dicitur: ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ quidquam donare, vel permutare, vel vendere audeat, nisi fortè aliquid horum faciat, ut meliora proficiat, *& totius Cleri tractatu, atque consensu id eligat*, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum. Irrita enim Episcoporum donatio, venditio, & commutatio rei Ecclesiasticæ erit, *absque conniventia, & subscriptione Clericorum.*

1194 Quod porro dictum est, pro Solennitate juris requiri *consensum Capitularem*, ut licitè fiat alienatio rei Ecclesiasticæ, sine juris solennitate alieneri prohibitæ, censet Molina tom. 2. D. 468. n. 6. intelligendum, *de consensu expresso*, ut liquet, cap. 1. de his, quæ fiunt à Prælato, & ex aliis juribus citatis; id enim est ex eo quod ibi appelletur *collaudatio*, hoc est, approbatio, & consensus expressus; consentitque ibi Panorm. n. 3. sufficit tamen consensus majoris partis Capituli; nego est necessarius consensus absentium; sed sufficit præsentium, ut notat ibi Panorm. n. 5. Ex hoc deduci- 1195
tur, ad alienationem, quæ fit nomine Ecclesiæ, & in perpetuum, vel ad longum tempus, non sufficere consensum Capituli *tacitum*, vel *præsumptum*; sed requiri *expressum*, c. 1. h. t. ubi requiritur *collaudatio*, hoc est approbatio, & Gloss. in c. 1. in 6. de reb. Eccles. non alien. V. *Perpetuis.* Ad temporalem autem sufficit etiam *tacitus*; Pirhing. n. 2. de his, quæ fiunt à Prælato.

Not. præterea, alienationem rei Eccle- 1196
siasticæ, factam sine legitimo consensu personarum Ecclesiasticarum, irritam esse, licet per constitutionem Laicorum approbetur. c. *Cum Laicis* 12. h. t. quod desumptum est ex Concilio generali, cujus contentum relatu dignissimum est, propter multa, quæ morum corruptela, in usum contrarium, nititur inducere. *Cum Laicis*, inquit Innocentius III. *quamvis Religiosis, disponendi de rebus Ecclesiæ, nulla sit attributa potestas* (quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi) *dolemus, in quibusdam ex illis sic refrigescere charitatem*, quod immunitatem Ecclesiasticæ libertatis, quam non tantum Sancti Patres, sed *etiam principes seculares privilegiis multis munierunt*, non formidant suis *Constitutionibus*, vel *potius destitutionibus* impugnare, non solum de alienatione feudorum, ac aliarum possessionum Ecclesiarum, & usurpatione jurisdictionum: sed etiam de mortuariis, nec non & aliis, *quæ jure spirituali annexa* videntur, illicitè præsumendo. Volentes igitur super his indemnitatibus consulere Ecclesiarum, ac tantis gravaminibus providere, *constitutiones, & venditiones hujusmodi feudorum, seu aliorum bonorum Ecclesiasticorum, sine legitimo personarum Ecclesiasticarum consensu præsumptas, occasione constitutionis laicæ potestatis* (cum non constitutio, sed destitutio, vel destructio dici possit, nec non usurpatio jurisdictionum) *sacri approbatione Concilii decernimus non tenere, præsumptoribus per cen-*

censuram Ecclesiasticam compellendus. Excipe tamen casum in c. *Cum in Apostolica.* 7. h. t. ubi approbatur donatio, quam de solius Diœcesiani consensu facit Laicus de decimis, quas ab alia Ecclesia habet in feudum ab antiquo ante Laterenense Concilium.

1197 Ex hoc textu deducitur, personis Laicis nullam esse potestatem aliquid constituendi, vel usurpandi aliquam jurisdictionem circa feudorum Ecclesiasticorum, aut possessionum alienationem, circa mortuaria, vel ea, quæ jure spirituali annexa videntur, eorumque constitutiones esse potius destitutiones, ut apertè dicitur in textu; ac ejusmodi alienationes sine legitimo personarum Ecclesiasticarum assensu, occasione constitutionis Laicæ factas, non tenere; sic Innocentius III. cit. c. 12. & hoc *ex defectu jurisdictionis*, seu *potestatis in Laicu*, quod Ecclesiæ libertatem non solum Sancti Patres, sed etiam Principes seculares, multis privilegiis constituerint, penitus exemptam à jurisdictione laicorum, quo satis apertè constat, laicis, non tantum in ea, quæ verè spiritualia, sed etiam, quæ in se temporalia, sed spirituali annexa sunt, nullam competere potestatem, aut jurisdictionem de illis constituendi, disponendi, & hoc ex mente Concilii generalis, quæ constitutio, cum pertineat ad doctrinam morum conscientiæ directivam, nulla consuetudine aboleri potest; & contrarium continet peccatum mortale.

1198 Not. 2. non sufficere consensum etiam totius Capituli ad alienationem, sine consensu Prælati, ut notat Pirhing. cit. n. 3. Quare utriusque consensu necessarius est; & ideo alienatio à Prælato Ecclesiæ facta, reclamante Capitulo, non tenet, nec à successore servari debet, constat ex dict. c. *sine exceptione.* 52. ibi: *cum totius Cleri tractatu, & consensu.* 12. q. 2. & c. *Cùm nos* 33. de his, quæ fiunt à Prælato. ibi: *Certum est de rigore juris concessionem illam non tenere, quam reclamante Capitulo per prædecessorem tuum constat factam fuisse, nisi eam ratam postmodum habuisset.* Sufficit tamen, si Capitulum suum consensum etiam postea, seu ex intervallo præstat, & alienationem à Prælato factam, ratam habeat, ex dict. c. *Cùm nos*; quia consensus Capituli non præstat authoritatem alienationi à Prælato factæ, sed solùm collaudationem, seu approbationem.

Si quæras, an alienatio facta sine consensu Capituli, si is postea superveniat, censeatur valida, vel tantum a tempore, quo accessit consensus Capituli? Hoc posterius affirmat Abbas in cit. c. *Cùm nos*, h. t. n. 5. Quia non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit, ut habet reg. 18. in 6. & *quod ab initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere*, ut dicitur reg. 29. in fi. cum seq. Aliqui autem notant, advertendum, aliud esse, quòd contractus initio sit *omni jure* irritus; aliud, quod solùm *jure humano*, ex defectu alicujus solennitatis extrinsecæ; non autem *naturali.* Illæ regulæ videntur loqui solùm de primo casu; non secundo. Quare, si substantialia in ea alienatione, à Prælato facta, initio servata sint (nimirum mutuus consensus contrahentium, vera causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ, &c.) licet omissæ sint circumstantiæ extrinsecæ (v. g. tractatus, & consensus Capituli &c.) alienatio talis, jure naturali initio valida est; & accessione consensus cum tractatu, etiam jure positivo convalescit, ut valeat ab initio; quia tunc non ex tractu temporis, sed ex consensu convalescit; Sic Navarrus in Comment. de Spoliis Cleric. §. 2. n. 6. Sylvest. V. *alienatio*, a n. 12. Sed contrarium plures tenent, quoad valorem de jure positivo, nisi ubi eodem jure expressum est, sufficere, si ratihabitio ex post accedat, ne juris fictionem inducamus, ubi jus non fingit; Molina tom. 2. D. 468. n. 6.

1199

§. 4.

De subscriptione Capitularium.

1200 LIcet alias sit communis regula, ad substantiam pacti, vel contractus, scripturam non requiri, L. *pactum.* 1. C. de pact. nisi id jure sit expressum; hanc tamen in alienatione rei Ecclesiasticæ, requirente formam juris, necessarium esse constat ex c. *sine exceptione.* 52. 12. q. 2. ibi: *Sine exceptione decernimus, ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ suæ quidquam donare, vel com-*

mutare, vel vendere audeat, nisi fortè aliquid horum faciat, & meliora prospiciat, & cum totius Cleri tractatu, atq; consensu id eligat, quòd non sit dubium profuturum Ecclesiæ. Et infra: Episcopus rebus Ecclesiæ, tanquam commendatis, non tanquam propriis utatur; irrita enim Episcoporum venditio, & commutatio rei Ecclesiasticæ erit absque continentia, (rectius conniventia.) *& subscriptione Clericorum.* & c. *Tuâ.* 8. De his, quæ a Prælat. ibi: Irrita enim Episcoporum donatio, venditio, & commutatio rei Ecclesiasticæ erit, *absq; conniventia, & subscriptione Clericorum*; per hoc enim noveris solutam secundo loco propositam quæstionem, cùm concessiones Ecclesiarum perpetuas ad alienationes non sit dubium pertinere.

1201 Not. autem 1. hoc procedere de jure communi in alienatione *propriè dicta*, & casibus, jure expressis, videlicet, donatione, venditione, & permutatione; Sic Molina cit. n. 7. Not. 2. ex Abbate in c. 2. h. t. n. 4. in pluribus locis non observari, ut *subscriptio* fiat in alienationibus rerum Ecclesiasticarum; imò sufficere, ex consuetudine, ut fiat manu Notarii; Sic etiam Pirhing h.t.n. 31. Not. 3. in instrumento confecto manu Notarii non requiri *expressionem omnium Capitularium*; Sed sufficere, si testetur *de unanimi*, vel etiam *majoris partis consensu dato* in alienationem; Sic Abbas in c. *Quarto.* 5. de his, quæ fiunt à Prælato. Quod ipsum præsumitur, licet in instrumento simpliciter dicatur, *Capitulum consensisse*; Sic Pirhing de rebus Ecclesiæ non alien. n. 32. §. *not. 2.* Not. 4. quòd, qui nomina absentium Capitularium in Instrumento subscribi sinit, ac si præsentes essent, & tanquam præsentes consensum dederint, de crimine falsi teneatur, & argui possit. L. 13. C. ad Legem Cornel. de falsi. Et talia instrumenta sunt irrita; & faciens sic inscribi, tanquam falsarius puniri potest. c. *Quanto.* cit. in fin. junct. gloss. V. *absentium.* Not. 5. Si Notarius non sit adhibitus, debere confici instrumentum alienationis sic, ut loco subscriptionis sigillum Capituli apponatur; quia qui sigillum instrumento apponit, videtur illud ratum habere. Gloss. in L. 2. C. de rebus alienand. V. *Conquisita.*

§. 5.

De authoritate, & consensu superioris in alienatione rerum Ecclesiæ secularis?

DUpliciter in alienatione rei Ecclesiasticæ potest superior suam *authoritatem* interponere. 1. si ipse, *ut causa principalis* faciat alienationem de consensu Capituli; 2. Si non ipse, sed *alius inferior*, v.g. Conventus, Rector Ecclesiæ, alienet de consensu Superioris v.g. Episcopi expresso, ut dicitur 12. q. 2. c. *Abbatibus* 41. ibi: Abbatibus, Presbyteris, cæterisque Ministris, de rebus Ecclesiasticis, vel Sacro Ministerio alienare, vel obligare, *absq; permissu, & subscriptione Episcopi sui* nihil liceat; quòd, qui præsumpserit, degradetur communione concessâ, & quod temerè præsumptum, aut alienatum est, ordinatione Episcopi revocetur. 1202

Not. autem 1. consensum, qui *in minoribus*, seu inferioribus absolutè consensu dicitur; in eo, *qui ex officio publico* præest, vel legitimam administrationem habet, *auctoritatem* appellari. Gloss. in c. 1. h. t. in 6. V. *Tractatus.* Nam *consensus*, est etiam Minorum; *auctoritas*, tantùm Majorum, seu superiorum. Sic Innocent. ibidem n. 3. 1203

Not. 2. *auctoritatem superioris* esse de substantia alienationis, quando illam præstat, ut causa principalis, seu ut dictum est primo modo; consequenter actum sine illa celebratum, etiam jure naturali in principio invalidum esse, quia sic deesset consensus unius ex contrahentibus. Quando autem posteriori modo requiritur, non est de substantia actus; sed tantùm de solennitate extrinsecâ; quia tali casu, etiam sine illo, alienatio jure saltem naturali valet; & si ex intervallo intervenit, actus convalescit, ut etiam jure positivo valeat, prout in simili dictum est superius. Not. autem etiam in hoc casu, superioris consensum, expressum esse debere, cit. c. *Abbatibus.* 12. q. 2. 1204

Not. 3. Præter authoritatem Episcopi requiri etiam consensum Capituli Cathedralis in alienatione rei pertinentis ad Ecclesiam secularem, Cathedrali inferiorem,

rem, Episcopo subjectam, & Conventu carentem. Arg. *Clem.* 2. h. t. intellige, si alienationis auctor sit ipse Episcopus; si autem ejus auctor sit alius, Episcopo inferior, sufficit authoritas Episcopi sine cõsensu Capituli cathedralis, modo adsit consensus Capituli ejus Ecclesiæ, si Collegiata sit, cujus est res alienanda; licet adhibere Episcopus eo casu debeat consilium Capituli Cathedralis; Sic Pirhing h. t. n. 45. ubi addit, quando inferior alienat rem Ecclesiæ carentis conventu (v. g. Rector Ecclesiæ non Collegiatæ) sufficere authoritatem solius superioris.

§. 6.

De authoritate, & Consensu Superioris in alienatione rerum Ecclesiæ regularis.

1205 SUpp. 1. auctoritatem præstare in alienationibus rerum Ecclesiasticarum esse actum ipsis Episcopis reservatum, sive jurisdictionis Episcopalis; per c. *Abbatibus.* 12. q. 2. c. *Inventionibus.* 17. q. 4. hinc iis tantum competit, qui Episcopalem, vel quasi Episcopalem jurisdictionem habent in Ecclesias sibi subjectas, sive sint Regulares, sive Seculares.

Supp. 2. ex Regularibus, quosdam exemptos, quosdam non exemptos à jurisdictione Ordinariorum; & Episcopum respectu *non exemptorum* censeri superiorem, cujus authoritas intervenire debet in alienatione rerum, quas facit superior Regularis non exemptus.

Supp. 3. Superiorem Prælati Regularis *exempti*, & immediatè subjecti Papæ, censeri ipsum Papam, cujus authoritas intervenire debet in alienatione, quam facit ejusmodi superior exemptus; excipe, nisi habeat sui Ordinis Generalem. Nam eo casu ipse Generalis, vel ex illius concessione Provincialis, loco Episcopi esse censetur. Hinc ipsius authoritas interveniens sufficit alienationi factæ à tali superiore regulari exempto; ita Suarez. tom. 4. de Relig. l. 2. c. 27. n. 13. his præmissis:

1206 3. In alienatione rei Ecclesiasticæ, facta à Prælato Regulari *non exempto*; requiri authoritatem Episcopi; nisi ipse Prælatus in Ecclesiam, cujus est res alienanda, habeat jurisdictionem quasi Episcopalem; sic Francus in c. 1. h. t. in 6. n. 23. Not. autem jure novo per Constitutionem Urbani VIII. editam 7. Septembr. 1624. (quam refert Tannerus tom. 3. D. 4. de Just. q. 7. D. 7. n. 193.) prohiberi Regularibus omnem alienationis speciem, tam immobilium, quàm mobilium pretiosorum, adeoque omne pactum, quo eorum dominium transfertur, censum perpetuum, seu vitalitium, hypothecas, locationes, conductiones, infeudationes, & emphyteusim, nisi in casibus à jure permissis, sine expressa licentia sacræ Congregationis Concilii Tridentini in scriptis allegata, & gratis concedenda, sub pœna privationis omnium officiorum, quæ tempore alienationis obtinebant; vocisque activæ, & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad ea imposterum obtinenda, quam ipso facto incurrerent: existimo tamen per hoc non derogari privilegiis eorum Regularium, vi quorum eis sufficiat authoritas sui Generalis, aut ab eo delegati.

Hinc in quæstione de alienationibus, quæ fiunt à Regularibus, (an indigeant, præter sui superioris licentiam, authoritate, ac consensu Episcopi?) considerandæ sunt specialia ipsorum jura, quæ illorum Ordini, de gratia sedis Apostolicæ, & summorum Pontificum gratiosè indulta sunt; & secundum ea, in quæstionibus circa rerum Ecclesiasticarum alienationes respondendum; De quo etiam V. in sequentibus.

Not. autem 1. quando dicimus, Regulares *non exemptos*, in alienationibus rerum Ecclesiasticarum, indigere consensu Ordinarii sui, cui subjecti sunt, intelligi de alienationibus rerum Ecclesiæ, quæ non sunt pleno jure subjectæ Regularibus. Nam in his, quæ ipsis pleno jure subjectæ sunt (nimirum privativè ad Episcopum, vel Ordinarium) hujus consensu non indigent. Nec obstat, quod præstare authoritatem, seu consensum in ejusmodi alienationem, quæ fit à Regularibus, Episcopo subditis, sit juris Episcopalis. Concedo enim id procedere, ubi tales Regularium superiores ipsi non gaudent jurisdictione, *quasi Episcopali* in Ecclesiis, 1207

siis, de quarum bonis alienandis agitur; at hoc non habet locum, ubi superiores Regulares, quantumvis alias subjecti sint Episcopo, alienant res Ecclesiæ sibi pleno jure subjectæ; nam in ea ipsi habent jurisdictionem quasi Episcopalem; alias non haberet subjectam privativè ad Episcopum, de quibus plura jam diximus supra.

1208 In horum confirmationem placuit adducere, quod in terminis tradit sapientissimus Molina tom. 2. de Jure, & Just. D. 468. n. 13. dicens: in alienatione ejusmodi bonorum Monasterii, si Monasterium non sit privilegiatum, ac exemplum ab Episcopo, præter tractatum, ac consensum Capituli, & superioris ejus Monasterii, necessarium esse consensum Episcopi; alioquin alienatio erit nulla: *Si vero sit privilegiatum, & exemptum*, ut regulariter sunt hodie monasteria omnia, sufficere, consensum Capituli, & Prælati adhibitum, juxta constitutiones, & privilegia cujusque Religionis. In nostra autem Societate, juxta privilegia illius, necessarius non est consensus Capituli, sed satis est tractatus cum Consultoribus, nostræ Societatis more; sic ille.

1209 Primam hujus conclusionis partem, affirmant gloss. in summa 12. q. 2. & Doctores communiter; constatque apertè ex c. *Abbatibus*. 12. q. 2. & ex c. *in venditionibus*. 17. q. 4. Secundam partem affirmat Turrecremata in summa n. 12. q. 2. Neque indiget probatione; cum id in privilegiis cujusque religionis, aut monasteri exempti contineatur. Tertia autem pars constat ex privilegiis nostræ Societatis in Bulla Pii V. an. 1655. & Gregorii XIII. an. 1575. quæ modum celebrandi contractus, & alienandi res, præscribunt sine Capitulo accommodatum constitutionibus, ac regimini Societatis. Neque in ea est necessaria facultas summi Pontificis ad alienandum, nisi in casibus à jure non conceisis, ut ex Bulla Pii V. constat.

§. 7.

An in alienatione rei Ecclesiasticæ intervenire debeat authoritas Papæ?

1210 Jure novo Pauli II. in Extravag. *Ambitiosæ*, de qua n. 1157. omnem alienationem, per quam, vel dominium directum, vel utile tantùm transfertur, etiam in casu alias licito, & servatis solennitatibus, *inconsulto Romano Pontifice* prohiberi (decreto actum annullante) exceptio tribus casibus in illa expressis. Primus est, locationis, & conductionis intra triennium, quod intellige juxta n. 1171; secundus est infeudationis, vel emphyteusis, si fiat in casibus à jure permissis in evidentem utilitatem Ecclesiæ de bonis ab antiquo dari solitis in feudum, vel emphyteusim: tertius alienationis fructuum, qui servando servari non possunt.

1211 Hinc not. 1. per hanc Extravagantem jure antiquo duo nova superaddi. 1. quod locatio rei Ecclesiasticæ non possit nunc fieri *ultra triennium*, quo declaratur, quid in Clem. 1. h. t. intelligatur *per modicum tempus*; 2. quod nulla alienationis specie fieri nunc possit *inconsulto Pontifice*, (quæ est nova juris solennitas) etiam servatis solennitatibus jure antiquo requisitis, nisi in prædictis tribus casibus. Not. 2. Sub nomine alienationis, in hac Extravagante prohibitæ, non venire hypothecam generalem, sed tantum specialem juxta probabiliorem sententiam Molinæ tr. 2. de Just. d. 466.

1212 Not. 3. per locationem, ibi prohibitam, intelligi locationem feudi, vel rei quot annis reddentis fructum; sic Navarr. in Comment. de alien. rerum Ecclesiast. n. 21. Not. 4. si quis obtinuit à Papa licentiam alienandi, non requiri alias solennitates juris, datam legitimè ex certa Scientia; non tamen suppleri defectum causæ, nec consensum Capituli; Sic Quaranta in Summa Bullarii. V. *alienatio rerum Ecclesiæ*. n. 7.

1213 Not. 5. hanc Constitutionem Paulinam, in pluribus locis, non esse usu re-

receptam, saltem secundùm illum rigorem, quoad pœnas, & censuras suspensionis, ac privationis, & quoad locationem ultra triennium; ut docet Navarr. Covar. Lessius, & alii apud Pirhing h. t. n. 56. Castropal. autem sæpe cit. d. unica. p. 14. n. 2. censet, esse receptam ubique *quoad rem prohibitam*, & *intrinsecam pœnam* alienationis; non quoad *pœnas extrinsecas* excommunicationis, & privationis officiorum. Rebello de obligat. justitiæ p. 2. l. 14. q. 5. Barbos. p. 3. allegat. 95. n. 49. id probantibus ex pluribus decisionibus Rotæ. Cæterum hæc quæstio facti, pendens ex usu diversarum Provinciarum, mihi videtur ex stylo cujusvis Dioecesis resolvenda.

§. 8.

An in alienatione rei Ecclesiasticæ requiratur consensus Patroni?

1214 Ad valorem alienationis rei Ecclesiasticæ, factæ cum solennitatibus, jure Sacrorum Canonum requisitis, non requiri authoritatem, vel consensum Patroni, vel Advocati Ecclesiæ, cujus est res alienanda. Nam illi in rebus, quas Ecclesiis conferunt, de jure nullā potestatem habent, sed juxta Canonum instituta, sicut Ecclesiam, ita & dotem ejus ad ordinationem Episcopi pertinere noverint, ut dicitur c. 6. 10. q. 1. c. *de rebus*. 12. q. 2. c. *In canonibus*. 16. q. 1. Dixi 1. *de jure*. Nam quæ sunt consuetudinis legitimè præscriptæ, vel pacti legitimi, concessionis specialis, vel privilegii, exceptionem habent; de quibus ex professo agemus infra de jure latronatus. nom. tit. 38.

1215 Interim not. 1. quando res alienanda est Ecclesiæ *Patronatæ*, saltem ex decentia, & æquitate; vocandum Patronum, vel advocatum, ut intelligat causas alienationis; quæ, si manifestæ sint, etiam invitis illis ad alienationem sufficiunt; Sic Pirhing h. t. n. 61. ex cit. c. 6. 10. q. 1. Not. 2. si bona alienanda concessa sint Ecclesiæ in feudum, non procedere datam responsionem in n. prio-

ri; quia tunc requiritur consensus domini directi ad ejusmodi alienationem ex c. 6. & 7. de foro competente. Sed ibi solum agitur de cognitione causæ *feudalis*, quam jus domino directo competere statuit, sive Vasallus sit Clericus, sive laicus. Unde videtur potius id dicendum ex eo, quia Domini directi interest, quem habeat vasallum.

Difficultas est de casu, quo Fundator, Patronus, vel advocatus ab initio ea bona donavit Ecclesiæ adjecta conditione, *ne alienentur?* Rosenthal in tract. de feudo. c. 4. n. 19. respondet, eo casu alienationem, etiam servatis solennitatibus, à jure præscriptis, sine illorum consensu, fieri non posse; quia cum talis conditio sacris canonibus non repugnet, ea servanda est, ut dicitur c. *Cum dilecti*. 6. de donat. c. *Verum*. 4. de conditionib. appos. & hoc casu, res donatas cadere in commissum, & ipso facto revocari ab illis posse (licet decentius sit fieri cum authoritate Judicis Ecclesiastici) docet Imola in cit. c. *Cum dilecti*. n. 4. Cæterum 2. si in tali donatione, vel fundatione sit expressè cautum, vel adjecta conditio, ut donatio non teneat etiam pro casu quo necessitas, vel evidens utilitas Ecclesiæ alienationem exigeret, conditionem esse turpem, & Ecclesiæ perniciosam, consequenter haberi pro non adjecta. Hinc eo casu non obstante tali pacto alienatio facta cum requisitis de jure, illis etiam invitis, teneret; sic Azor p. 2. l. 9. c. 2. q. 9. & alii apud ipsum. Quare illa conditio solum valet, ut ea bona non alienentur extra causas legitimas, & sine præscripta forma; hinc si expressè cautum sit, ut eâ conditione non servatâ, revocari possit, donatio non potest revocari; sed agendum est ad conditionem observandam cum id fieri potest; ita illi.

1216

Et ideo in hoc videtur distinguendum, 1217
an donatio facta sit expressè adjecta conditione, sumendo conditionem minus strictè, nimirum pro *modo*, quo casu donatio pura est, & modo non impleto, donatio revocari non debet; sed compelli donatarius, ut modum impleat; vel an facta sit expressè adjectâ conditione, sumendo conditionem strictè pro vera conditione; & tali casu, conditio-

ne non impleta, donatio revocari potest, ut colligitur ex c. *Verùm* 4. de condict. appos. de quibus V. lib. 4. ad tit. 5. si non sic turpis.

1218 Cùm autem sæpe contingat, fieri donationes Ecclesiis, vel Monasteriis, aut certo ordini Religioso cum hac clausula, vel conditione expressè adjectâ, ut, *si tales Religiosi Monasterium desrant, Fundator, aut ejus hæredes, aliis Religiosis, vel Clericis secularibus donare possit*; quæstio est, an eorum bonorum alienatio etiam servatis juris Solennitatibus facta, à Fundatore revocari possit? R. Laymannum apud Pirhing h. t. n. 62. tenere affirmativam; ratio sumitur ex dicto c. *Verum*. Excipe tamen casum alienationis factæ ex causa, de qua à n. 1185.

§. 9.

An in alienationibus rerum Ecclesiasticarum requiratur consensus Principis Secularis, in cujus illæ territorio sitæ sunt?

1219 R. I. MAgistratum secularem nec directè, nec indirectè posse prohibere alienationem rerum Ecclesiasticarum in suo territorio sitarum sine suo consensu, manentium intra idem ejusdem Principis territorium cum eo, in quem fit alienatio. Nam talis prohibitio esset contra immunitatem Ecclesiasticam, nimirum potestatem Prælatorum jure canonico illis attributam; ut constat ex c. fin. de immunitate Ecclesiarum ibi: *Eos, qui temporale dominium obtinentes, suis subditis, ne Prælatis, aut Clericis, seu personis Ecclesiasticis quidquam vendant, aut emant aliquid ab eisdem, neque ipsis bladum molant, coquant panem, aut alia obsequia exhibere præsumant, aliquando interdicunt (cum talia in derogationem libertatis Ecclesiasticæ præsumantur) eo ipso excommunicationis sententiæ decernimus subjacere.* Sed de hoc ex professo agemus infra.

1220 R. 2. Si loquamur de rebus Ecclesiæ alienandis, *extra territorium Principis*, magis dubitari posse, an id liceat Prælatis Ecclesiasticis, sine consensu Principis secularis? posse id induci consuetudine legitimè præscriptâ, ut non possint sine assensu ejus alienari videtur affirmandum; cum enim hoc possit redundare in magnum Principis præjudicium, diminuendo bona territorii, aut permutando; præsumi non potest, Ecclesiam velle jura Principis diminuta, nisi consentiat. Scio in contingentia facti permutationem Ecclesiæ cum altera intra Ecclesiasticos initam, quorum unus habebat distinctum territorium, ab eo quod suberat temporali Principi, per tribunal eidem Principi subordinatum, inhibitam, nec permissam ex causa à nobis allegata, dum consensus ejus indulgeretur.

1221 Accedit, quòd, tametsi Principes Laici nullum jus habeant disponendi de bonis temporalibus, *postquam Ecclesiastica evaserunt*, ut ostendimus lib. 1. tit. 1. & l. 2. tit. 1. & constat expressè ex c. *Ecclesia S. Mariæ.* 10. de Constit. ubi statutum Basilii de non alienandis prædiis rusticis, vel urbanis, ministeriis, vel ornamentis Ecclesiarum, reprobatum fuit potissimâ ratione, *quod authoritate non fuit Romani Pontificis roboratum*, licet tale statutum fuerit in favorem Ecclesiarum: tametsi, inquam, id verum sit; tamen, ubi Principis temporalis tale præjudicium versatur, quo possessiones ab ejus territorio avulsæ transirent in dominum alieni ab eo territorii, non subditi, non videtur reprobari posse, si usus sit longævus, ne id permittatur sine illius assensu; præsertim, cum in hoc casu speciali merito præsumi possit tacitus consensus Ecclesiæ.

1222 Dices in c. *Consultissimo* 2. h. t. in 6. (quod est desumptum ex Concilio Generali Lugdunensi sub Gregorio X.) prohibetur omnibus Prælatis, ne Ecclesias sibi commissas, earumque bona immobilia, aut jura (quæ inter immobilia numerantur (gloss. hic V. *jura*) laicis submittant, seu subjiciant, absque Capituli sui consensu (qui aliàs regulariter in alienationibus requiritur, & secluso etiam hoc decreto, jure antiquo requirebatur, gloss. hic V. *consensu*) ex speciali sedis Apostolicæ licentia: etiam non concedendo talia bona, aut jura in em-

emphyteusin, seu alias alienando (v. g. vendendo, vel permutando) quamvis in forma, & casibus, alioquin à jure permissis, neque recognoscendo, seu profitendo à Laicis, tanquam superioribus, ea se tenere:

1223 Secundò, quòd non liceat, eos Patronos, aut Advocatos Ecclesiarum, aut bonorum earundem, perpetuò vel ad tempus longum constituere. Contractus autem omnes (sine dictæ sedis licentia, & Capituli consensu) celebrati etiamsi juramenti (quod non debet esse vinculum iniquitatis Gloss. hic V. *eodem*) aut pœnæ, vel alterius firmitatis adjectione muniti sint, irriti decernantur, & quidquid ex eis secutum fuerit; adeo, ut neque jus ex iis, neque præscribendi facultas acquiri possit: ergo Prælati Ecclesiastici in rerum Ecclesiasticarum etiam extra territorium alienandis non dependent à consensu principis secularis, in cujus territorio res illæ sitæ sunt.

1224 R. Per hoc, ubi ex legitimè præscripta consuetudine Prælati Ecclesiastici non permittuntur res Ecclesiarum extra territorium Principis alienare in alium, non subditum, sine consensu Principis, nihil sequi contra c. *Consultissimo*. Nam per hoc, quod debeant requirere consensum Principis, non fit, quod profiteantur, *se à Laicis, tanquam superioribus, ea bona tenere*; aut quod eos *perpetuo*, vel *ad tempus longum* Patronos, & Advocatos constituant, cæterum occasionem enim huic constitutioni dedit ille casus, quo quidam Prælati, & Rectores Ecclesiarum oppressi contra opprimentes invocabant, Nobiles, & potentes ad se defendendos, *constituendo eos advocatos, vel defensores Ecclesiarum suarum, & bonorum, ac jurium earundem*; & præterea illi sibi vendicabant, *jus quoddam Dominii*, & advocationes in Ecclesias, & earum bona sibi submissa seu subjecta. Quare in Concilio Lugdunensi prohibitum fuit Prælatis, & Rectoribus Ecclesiarum, ne Ecclesias, vel bona immobilia, & jura earum tali modo submittant, seu subjiciant Laicis, ita ut ab ipsis de novo *tanquam Dominis*, & *Advocatis* ea recognoscant: at per hoc, quod in alienatione cæteroquin jure Ecclesiastico licita, simul indigeant *consensu Principis*, consuetudine præscripta, quando in exterum ea transferre volunt, nihil tale contingit: ergo.

§. 10.

De juramento non alienandi res Ecclesias.

CUm in certis Ecclesiis Prælati communiter jurare debeant de bonis suæ Ecclesiæ non alienandis, inconsulto summo Pontifice, quæri potest 1. an jurans bona Ecclesiæ non alienare, peccet contra hoc juramentum non alienando dominium rei *directum*; sed tantum *utile*, vel *pignorando*. Covarru. 2. variar. c. 16. n. 2. negat; quia in odiosis est stricta interpretatio; Sic autem *alienatio* importat solam alienationem *Dominii directi*; Sed probabilior est affirmativa; nam juramentum absolutè sumptum intelligendum est juxta qualitatem materiæ, supra quam cadit: Materia autem hic, supra quam cadit juramentum, est alienatio latè sumpta per n. 1156. & importat etiam alienationem pignorationē, feudo, n. cit. dictum est: ergo. Sic Panormit. in c. *Intellecto*, de jure jur. n. 10. 1225

Quæri potest 2. an juramentum, quod communiter faciunt Prælati, non alienandi ulla bona Ecclesiæ, nisi Pontifice consulto, intelligatur etiam de alienatione alias jure permissa? Affirmativam sequitur Azor p. 2. l. 9. c. 14. 9. cum aliis Castropalaus tamen p. 2. de Reverentia debita Ecclesiasticis d. *unic.* p. 15. à n. 4. tuetur negativam, & docet, illud intelligi de alienatione *illicita*, & contra formam juris. Ratio hujus est 1. quia Prælatus non obstante tali juramento, etiam inconsulto Pontifice licitè alienat res inutiles Ecclesiæ. Deinde, quia juramentum non alienandi res Ecclesiæ primum, intelligitur solum de alienatione *prohibita*: ergo etiam juramentum non alienandi *inconsulto Pontifice*. Antecedens etiam tenet ipse Azor cit. l. 9. c. 1. q. 17. quia juramentum *de materia juris* intelligitur juxta terminos juris: ergo etiam juramentum de non alie- 1226

alienando, *inconsulto Pontifice*, intelligi debet de non alienando in illis casibus, in quibus consensus Pontificis de jure requiritur; juxta Extravag. *Ambitiosæ*: at per hanc non requiritur in casu alienationis jure permissæ, nisi sit ex illis, de quibus n. 1156. nec ubi specialiter, ultra justam causam, & formam juris, de jure exigitur, prout etiam colligitur ex Constit. Urbani VIII. relata n. 1158, ubi expresse prohibet omnem alienationis speciem inconsulto Pontifice; clare tamen excipit casus à jure permissos, adeoque illas tantum alienationes irritas decernit *inconsulto Pontifice* factas, quæ jure permissæ non sunt; sed factæ cum justa causa, & juris solennitate jure permissæ sunt exceptis illis, de quibus dictum est n. 1164. ergo.

1227 Dices 1. juramentum aliquid debet operari; si autem ad solas alienationes prohibitas extenderetur, non apparet cujus utilitatis sit. R. id posse instari in aliis contractibus; ubi debitum ex contractu, etiam secluso juramento, licitè non negabile, firmari potest juramento; quia scilicet vinculum juramenti firmiorem reddit in observando promisso Prælatum, ut magis, ac studiosius curet ea, quæ observanda sunt ex forma juris; hanc autem firmitatem non habet secluso juramento; & quamvis negari non possit, illud juramentum extendi posse ad alienationes quascunque, ut cautius, & consultius fiant, de facto tamen sic extensum non esse, constat ex probationibus factis.

1228 Dies 2. in Extravag. *Ambitiosæ* de rebus Eccles. non alienand. statuuntur pœnæ adversus eos, qui inconsulto Romano Pontifice, aut contra illius constitutionis præscriptum tenorem, res Ecclesiæ alienaverint: ergo solus defectus *consultationis Pontificæ* sufficit ad incurrendas pœnas, tametsi servetur præscriptus ordo, appositus in dicta constitutione; quia ad incurrendas pœnas vel defectus Consultationis, vel defectus alicujus conditionis requisitæ, sufficit, siquidem sub disjunctione apponitur, & ad disjunctivam sufficit unam partem esse veram, ex L. *Plerumque*. ff. de jure dotium. c. *in alternativis*. de Reg. juris in 6.

1229 Ante responsionem not. consensum Romanum in illis duntaxat casibus alienationum exigi juxta extravag. *Ambitiosæ*, in quibus de jure exigitur *tractatus*, & *consensus Prælati*; illis enim conditionibus voluit Paulus III. consensum Pontificium superaddi; non autem aliis, quæ nullum tractatum, nullum superioris consensum, nullam juris solennitatem exigunt; quibus positis: R. dato anteced. dist. cons. ergo solus defectus consultationis Pontificæ sufficit ad incurrendas pœnas, ubi ea requiritur; C. ubi ea non requiritur, N. conseq. quia sic ejus omissio non importat culpam; at solũ requiritur in alienationibus illicitis, nimirum ubi tractatus, & consensus superioris de jure requisitus omittitur. Ergo.

Ex his deducitur, quod juramentum, 1230
de quo in præsens, probabilius comprehendat illicitas tantum alienationes, & factas contra formam juris; ratio sumitur ex n. 1226. & confirmatur 1. quia jurans non infeudare bona Ecclesiæ inconsulto summo Pontifice, non intelligitur de feudo dato, & ad Ecclesiam devoluto: quia hic modus est per se licitus; sed, de nova feudi datione, quæ illicita est. 2. Prælatus jurans perpetuo in Ecclesia commoraturum, non obstante illo juramento potest abesse ex causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ; Quia juramentum factum in materia juris, ad juris terminos restringi debet: Ergo juramentum factum de non alienando, nisi consulto Romano Pontice, intelligi debet de non alienando in illis casibus, in quibus Romanus consensus à jure postulatur.

Deducitur 2. alienationes rerum im- 1231
mobilium, aut mobilium pretiosarum factas nulla existente honestâ causâ ex assignatis n. 1185, illicitas esse, consequenter contra juramentum, si quod præstitit alienans de non alienando; sequitur ex n. præced. nam ubi honesta causa non est, saltem in cognitione operantem regulante, actus honestari non potest honestate virtutis; cum ad hoc requiratur, ut fiat ex fine virtutis, cujus honestatem operans quærit; quod enim non est, nihil operatur; adeoque nec honestatem in actum refundit. Ex quo ulterius sequitur, requiri, quod causa honestans alienationem (v. g. evidens

Ec-

Ecclesiæ necessitas, vel utilitas) tunc existat, cum alienatio fit; ac id debent constare, cum de alienatione facienda Capitulariter tractatur, ut Capitulares licitè in eam consentiant.

1232 Deducitur 3. jura, quæ alienationem rerum Ecclesiasticarum prohibent, intelligi solum de illa, quæ continet translationem dominii directi, vel utilis in alium; hinc probabilius est, sub alienatione prohibita non venire consumptionem, vel transmutationem unius rei in aliam. Unde licitum est beneficiato ex calice vetusto, Ecclesiæque non necessario, crucem necessariam fabricare; ex oliveto antiquo, & ferè inutili, vineam facere; quia non est alienatio, sed optima bonorum Ecclesiæ administratio. & ita colligitur ex Navarro l. 3. Consil. cons. 6. Rodriquez. tom. 1. qq. regul. q. 27. art. 4.

1233 Deducitur 4. solennitates, à jure statutas, solum desiderari in alienationibus rerum immobilium, & mobilium pretiosarum, quæ servando servari possunt, constat ex juribus alienationem prohibentibus jam allatis in principio à n. 1157. Quare pro alienatione rerum mobilium, quæ servando servari non possunt, nulla opus est juris solennitate, ut habetur c. *Nulli*, h. t. Clem. 1. eod. Extravag. *Ambitiosæ*, de qua supra. Idem est de rebus modicis, & Ecclesiæ parum utilibus. arg. c. *Terrulas*. 12. q. 5. Quæ porro res dicantur *modicæ*, ac Ecclesiæ *parum utiles?* Quaranta, Barbosa, Riccius, & alii apud Castropalaum de Reverentia debita Eccles. d. *unic.* p. 15. n. 8. censent, relinquendum arbitrio prudentis, considerato tempore, ac loci consuetudine. Bonacina vero ibidem censet, quæ valorem 10. aureorum non excedunt, modicas reputandas esse.

1234 Ex hoc deducitur 5. Eum, cui integra rerum Ecclesiæ administratio commissa est, posse donare, vel alio modo alienare illa, pro quibus n. 1233. diximus non requiri solennitates juris, si ei visum fuerit, fore utile Ecclesiæ, vel aliis piis operibus, sic Glossa in c. *Nulli*. V. *immobilium*; ac Panormit. ibid. n. 8. & alii; quod etiam intelligitur de rebus modicis, & Ecclesiæ parum utilibus; Sic Castropal. cit. d. *unic.* p. 15. §. 2. n. 8; quia præsumi potest, quod Ecclesia non velit administratorem rerum Ecclesiasticarum ita rigidè tractare; sic Molina cit. d. 468. vers. *licet prædicta solennitates*; Aloysius Riccius in praxi fori Ecclesiastici, decis. 39. in prima edit. & resolutione 306. in 2. edition. Mascardus de Probat. conclus. 277. n. 12. Quaranta in Summa Bullar. V. *alienatio* n. 41. Sed not. dicta procedere, *de rebus modicis, parum Ecclesiæ necessariis, ac ex fine pii operis*, seu virtutis, bonum Ecclesiæ spectantis; quæ omnia spectant eum finem, qui petit ejusmodi largitiones fieri ex fine virtutis, boni Ecclesiæ, proportionaliter ad finem, non prodigè, non inconsideratè, non amore privati commodi, non fine politico politiæ pravæ.

§. II.

An solennitates juris necessariæ sint in cessione juris, vel rerum Ecclesiasticarum permutationibus?

IN hac quæstione considerari potest vel jus acquirendum, vel jam acquisitum in re cedenda, vel permutanda. Pro resolut. not. 1. quæstionem non procedere de cessione, vel permutatione jure naturali, vel divino; sed tantum Ecclesiastico prohibitâ, juribus hactenus allatis; 2. alienationem dictis juribus prohibitam etiam latè sumptam, non venire sub prohibitione illorum, nisi translativam alicujus juris in alterum, quod prius Ecclesiæ competebat, sive sit dominii pleni, seu perfecti; sive solum imperfecti, quale est dominium solum utile, &c. 3. sermonem esse solum de rebus immobilibus, aut mobilibus pretiosis, & servando servari aptis, prout ex hactenus dictis colligi potest; quibus positis: 1235

Bz. Res Ecclesiæ, ab eod. jam possessas, vel sub ejusdem dominio jam constitutas (in quibus scilicet jam habet jus acquisitum) sine dictis solemnitatibus alienari non posse; secùs, si sit res, in 1236

qua Ecclesia nondum habet jus *acquisitum*, sed tantum *acquirendum*; ratio est, quia in primo casu alienatur jus acquisitum; in secundo autem non; quia ubi solum spes est, *acquisitum iri*; non autem jus actu acquisitum est, non fit alienatione; prout cadit sub ea jura prohibitoria; sic Quaranta sum. Bullar. V. *alienatio* n. 20. & 43. limitat. 12. Barbosa 3. p. de potest. Episc. alleg. 95. n. 63. Bonacina Disp. 3. q. 8. p. 4. n. 20. Hinc fit, quod sine juris solemnitatibus Prælatus Ecclesiæ non possit super hujusmodi rebus transigere, remittere, vel etiam amicabiliter componere, ubi aliquid cedendum foret de rebus ab Ecclesia possessis; secus est, si cedat, renuntiet, vel non acceptet legatum Ecclesiæ, vel Monasterio factum, vel emphyteutæ remittat solutionem canonis, seu pensionis, cujus intermissione induceretur caducitas; nam talis remissio, non foret remissione; ab Ecclesia jam possessæ, vel sub ejusdem dominio jam absolutè constitutæ; sed tantum constituendæ; Sic P. Ferdinandus Rebellus de obligat. Justit. l. 13. q. 11. n. 7. Jul. Clarus. §. *Emphyteusis*. q. 10. Sanchez l. 6. Matr. d. 4. n. 13. & complures alii.

1237 Cum autem *permutatio* veniat sub nomine *alienationis* in hac materia, ut notavimus n. 1156. quâ ratione alienatio, eâdem & permutatio secundum substratam materiam exigit observari solennitates juris; difficultas est, si permutatio fiat inter Ecclesias (v. g. an, cum Ecclesia una rem suam permutat non cum aliquo seculari, sed cum alia Ecclesia) an saltem isto casu permutatio fieri possit sine juris solennitate? Negativam sequitur Quaranta in sum. Bullar. V. *alienatio*. n. 15. Bonacin. d. 3. de contract. ubi de feudo q. 8. p. 4. n. 20. versic. *Ex quo patet*. Moventur; quia in c. *Casellas*. 10. q. 2. & clarius in c. *Sine exceptione* 12. q. 2. & c. 1. de his, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli, & in Extravag. *Ambitiosæ*, eodem modo prohibetur permutatio, ac prohibetur venditio, & donatio; Sed apud omnes constat venditionem, & donationem rerum unius Ecclesiæ celebrari non posse cum altera absque prædicta solennitate: ergo neque permutationem.

Affirmativam tenet Riccius in praxi 1238
rerum fori Ecclesiastici decis. 74. n. 1. Barbos. p. 3. de offic. & potest. Episcopi. alleg. 95. n. 55. Probant ex eo, quod in permutationibus his Ecclesiasticis omnino cesset ratio prohibitionis alienandi res Ecclesiæ, quæ est, ne res Ecclesiæ ab Ecclesia exeant, & prophanis usibus applicentur; quod satis constat ex proëmio Extravag. *Ambitiosæ*. ibi: *prophanis usibus applicare, aut cum maximo illarum, aut divini cultûs detrimento exquisitis mediis usurpare præsumunt*: quæ verba, cum sint proëmialia, causam finalem dispositionis indicant. *L. fin.* & ibi Panormit. n. 3. ff. de hæredib. instituend. at ex his permutationibus res Ecclesiastica terminos Ecclesiæ non transgreditur, neque prophanis usibus applicatur, sed eodem modo Ecclesiastica manet, ac antea: Ergo adversus hanc permutationem non procedit lex prohibens; si quidem solum præsumi debet extendi ad ea, ad quæ extenditur finis in prohibitione intentus: juxta textum in c. *Cum cessante*. de Appellation.

Ad hujus quæstionis resolutionem re- 1239
colendus est textus in c. *Ea enim* §. *sibi invicem*. 10. q. 2. ibi: *sibi invicem rectè permutant cum utriusque indemnitate*; 2. textus in c. 1. de rebus Eccles. non alien. ibi: non licet Episcopo, vel Abbati terram unius Ecclesiæ vertere ad aliam, quamvis ambæ in ejus sint potestate; *tamen si commutare voluerit terras earum, cum consensu ambarum partium, faciat*. Alium textum allegat Castropalaus cit. p. 15. n. 7. ex Clem. 3. de rerum permut. quo dicitur, ejusmodi permutationes possessionum per se non esse illicitas. Ex dictis porro juribus dictus author concludit, spectato juris rigore inter ipsas Ecclesias fieri posse permutationes rerum Ecclesiasticarum cum consensu Prælati, sine aliis solennitatibus juris; de consuetudine tamen etiam in hoc casu omnes æque intervenire oportere; notat ex Riccio, & Barbos. cit. sed huic videtur solum ibi locus, ubi ea consuetudo legitimè inducta est. Nec obstant fundamenta sententiæ negantis; ea enim procedunt de alienationibus, ac etiam permutationibus jure non exceptis;

ast

ast permutatio *inter Ecclesias* est jure excepta per allatos canones. Ratio vero, qua utuntur affirmantes (de quibus in n. præced.) nimis multum probat; nam ex illa sequitur, etiam licitas esse venditiones rerum Ecclesiasticarum, si fiant ab una Ecclesia alteri Ecclesiæ; quod tamen non admittitur, nec admitti potest etiam vi Extravag. *Ambitiosæ.*

§. 12.

An in concessione feudi, vel Emphyteusis Ecclesiasticæ, servandæ sint juris solennitates?

1240 EX juribus allatis à n. 1157. inter alienationes, prohibitas fieri sine juris solennitate, venit etiam omnis alienatio, quâ in alterum transfertur solum jus utile, extra casus in jure permissos; at concessio rei Ecclesiasticæ in feudum, vel emphyteusim, est alienatio, quâ in vasallum vel emphyteutam transfertur jus utile: ergo & hæc venit inter alienationes, fieri prohibitas sine juris solennitate, extra casus jure permissos: at inter casus jure permissos solum est ea concessio, qua res Ecclesiastica in feudum, vel emphyteusim *dari solita*, rursum *similiter* conceditur: ergo extra istum casum omnis concessio rei Ecclesiasticæ, in feudum, vel emphyteusim, prohibita est sine juris solennitate.

1241 Ex hoc sequitur rem *ante concedi solitam* in feudum, vel emphyteusim, posse sine alia solennitate juris, denuo concedi in feudum, væ emphyteusim; non autem si primo concederetur id, quod prius sic concessum non erat; ratio hujus est; quia continuatio concessionis est inter casus jure permissos; non autem prima concessio, ut constat ex præced. n. quâ fit, rem Ecclesiasticam, prius alicui concessam in feudum, vel emphyteusim, ubi casus contigerit, quod demortuo Vasallo, vel emphyteuta, ex vi primæ concessionis alius vocatur in successionem, ubi hic investituram petiverit, sine alia juris solennitate in alienationibus cæteroquin requisita, posse illi concedi eandem etiam in perpetuum, etiam transitoriè ad hæredes extraneos modo illa res, antequam fiat hæc concessio, non sit Ecclesiæ rursum *incorporata*; ratio est; quia talis concessio antiqui feudi, vel emphyteusis, est tantum continuatio concessionis solenniter factæ; at pro tali continuatione non postulatur solennitas juris, cum, ut ostendimus, sit jure permissa; & ita tradunt Quaranta in Summa Bullar. V. *alienatio rerum Ecclesiæ.* n. 39. & 40. Menoch. de arbitr. casu 81. à n. 5. & cons. 66. n. 31. & cons. 79. n. 1. & seqq. Molina D. 469. conclus. 5. & alii.

Dixi: *modo res illa, antequam fiat hæc concessio, non sit Ecclesiæ rursum incorporata*; quæ incorporatio fieri censetur, quando finita priori emphyteusi administratores Ecclesiæ semel decernunt, eam non alienare; ut notat Haunold. tom. 1. de just. tr. 4. n. 115. qui n. seq. ad quæst. *an emphyteusis possit concedi solum ad vitam accipientis, vel in perpetuum, etiam pro hæredibus?* respondet affirmativè; quia emphyteusis jure Ecclesiastico non prohibetur, si serventur solennitates, quibus observatis, quamlibet permittit, quod ipsum habetur in novella 120. c. 6. Nec obstat novella authentica, de non alienand. §. *emphyteusim*, concedens eam solum *ad vitam accipientis*; nam contrarium habetur in Novell. cit. 160. & illa intelligitur de concessione solum *novi*; non autem feudi, vel emphyteusis *antiquæ*, pro qua clarum jus habetur in sacris canonibus, quibus in hac materia standum est, de feudo, & emphyteusi *Ecclesiastica*, ut apertè habetur in c. *Cum Laicis* 12. h. t. in fin. 1242

Dixi præterea ad *continuationem* concessionis rei Ecclesiasticæ in feudum, vel emphyteusim, *supradictas juris conditiones* non esse de necessitate secundas; secus in concessione *nova*; solum difficultas est, quid requiratur, ut talis concessio non dicatur concessio *nova*, sed potius *antiquæ continuatio?* Ad hoc tres communiter conditiones requirunt Doctores; 1. est, ne concedatur alio modo, quam ante; Sic Julius Clarus §. *Feudum*; 2. ut adsit evidens necessitas, vel utilitas Ecclesiæ, con- 1243

continuandi antiquam concessionem; Riccius in praxi rerum fori Eccles. decis. 5. 3. ut res non sit iterum Ecclesiæ *incorporata*; Sic Molin. tom. 2. de just. D. 468. concluſ. 8. & alii.

1244 Ratio primæ conditionis est, quia hoc ipso, quod *in aliquo diversa sit à priori*, saltem in extensione, secundum hoc est nova; quare, qui emphyteusim, prius concessam, solum *ad dies vitæ* emphyteutæ, vel solum ad hæredes ejus *necessarios*, concederet in perpetuum, vel etiam ad hæredes *extraneos*, non faceret *continuationem* concessionis *antiquæ*; sed concessionem *novam*.

1245 Ratio secundæ conditionis est; quia, si desit evidens necessitas, vel utilitas Ecclesiæ, cessat antiqua concessio, consequenter continuari non potest; ergo subsequens concessio non erit prioris continuatio, sed nova concessio. Hujus exemplum communiter tradunt in solo sterili, prius concesso alicui ad dies vitæ suæ. Sunt autem plures, qui cum Castropalao p. 2. de reverent. debita Ecclesiasticis. D. *unic.* p. 15. §. 4. n. 4. censent, esse sufficientem causam renovandi emphyteusim, remunerationem obsequii in ea facti; quia sic excitantur alii ad similes meliorationes faciendas, & peculium Ecclesiæ augetur; quod fortè cessaret, si scirent emphyteutæ, rem sterilem accipientes, finito tempore signato conductionis, sibi emphyteusim reddendam non esse; Sic Barbos. p. 3. alleg. 95. n. 26. & alii.

1246 Ratio tertiæ conditionis est; quia per *incorporationem* omnino extinguitur prima alienatio, seu concessio; & res, quoad dominium utile sic redivit ad Ecclesiam, ac si prius penes alium non fuisset; at sic *continuari* non potest: ergo; quando autem dicatur res denuo incorporari? Constat ex n. 1242.

1247 Difficultas autem est, quando censeri potest res denuo taliter incorporata? R. etsi hoc jam indicaverimus n. 1242. aliud quoque argumentum haberi ex Molina cit. D. 468. dicente, id posse præsumi, quando administrator, finita emphyteusi, anno integro, ab illius renovatione abstinuit; intellige, nisi constet renovationem esse dilatam ex alia causa.

Ex his concluditur, rem semel alienatam cum solennitate effici perpetuo alienabilem absque solennitate; Sic pluribus comprobat Gonzalez reg. 8. Cancellar. gloss. 6. n. 194. Riccius in praxi rerum fori Ecclesiast. decis. 26. Barbos. alleg. 95. n. 32. modo in hac prioris concessionis continuatione serventur nominatæ tres conditiones. 1248

Quoniam autem supra diximus, res Ecclesiasticas posse in emphyteusim dari, etiam cum jure transmittendi ad hæredes extraneos per continuationem prioris concessionis, quæstio est unde colligi valeat priorem concessionem esse taliter factam? si enim prior id non fecisset, posterior non esset illius *continuatio*, sed *nova concessio*, quæ fieri nequit omissis solennitatibus de jure requisitis; quibus positis: 1249

Dubium est, an emphyteusis Ecclesiastica alicui concessa expressè *in perpetuum*, seu ad *quoslibet* successores, aut *hæredes*, intelligatur non tantum de *descendentibus*, sed etiam *ascendentibus*, imo & *extraneis*? ante resol. not. talem alienationem cum debitis de jure solennitatibus etiam in rebus Ecclesiasticis recte fieri posse ex dict. supr. Deinde per Novellam. *Et hæc quidem.* 120. c. 6. §. *licentiam* ubi dicitur, res, etiam Ecclesiarum, posse servatis solennitatibus in emphyteusim dari, etiam in perpetuum, ibi: *Licentiam igitur damus præditis venerabilibus domibus, non solum ad tempus emphyteusim facere immobilium rerum sibi competentium; sed & perpetuè hæc eis emphyteutico jure volentibus dari.* Et si quidem Sanctissimæ Ecclesiæ sint, vel aliæ venerabiles domus, quarum gubernationem loci Sanctissimus Episcopus aut per se, aut per venerabilem chorum Clericorum faceret, cum voluntate eorum, & consensu fieri, hujusmodi contractum, jurantibus, præsentibus œconomis, & administratoribus, & chartualariis ipsius venerabilis domûs, quod ex hac emphyteusi nullum damnum eidem venerabili domui infertur &c. quibus positis: 1250

R. affirmativè; nam, si talis emphyteusis, sub illis terminis, servatâ juris solennitate, fieri possit in bonis Ecclesiæ, valebit cum dicta extensione; sed fieri po- 1251

potest ex preced. n. ergo facta valebit cum illa extensione, & ita tenet Covarruv. 2. variar. c. 17. n. 5. Molina cit. D. 469. post 1. Conclus. Julius Clarus §. *Emphyteusis.* q. 28. n. 6. Dixi, *emphyteusim Ecclesiasticam* expresse datam emphyteutæ *in perpetuum*, seu *ad quoslibet successores, aut hæredes*, extendi etiam ad hæredes ascendentes; imò & extraneos. Nam si data sit alicui cum hac clausula, *pro se suisq; hæredibus*; non transcendit tertiam generationem, nec porrigitur ad hæredes *extraneos*, per Novellam 120. c. 1. §. *Emphyteuses verò*, ibi: *Emphyteuses verò à prædicta sanctissima majore Ecclesia regiæ civitatis, & commemoratorum locorum sic rijubemus in personam ejus, qui accepit, & aliis duobus deinceps hæredibus, & non amplius de sexta parte instantis canonis dimittimus ei, qui emphyteusis jure acceperit.* Et infra ibi: *Iubemus siquidem hæc redit us habeant integro canone, ab iis ordinatoribus, qui regunt ipsa venerabilia loca, in emphyteusim secundum prædictum modum accipienti, & aliis duabus successionibus dari*; Sic Covar. cit. c. 17. n. 2. & alii.

1252 Præter hæc not. 1. per *hæredes* intelligi non tantùm viros, sed etiam fœminas, ut multis probat Covarru. cit. c. 18. n. 1. not. 2. esse distinguendum inter hunc casum, quo alicui concessa est emphyteusis *pro se, suisq; filiis*; & illum, quo daretur: *pro se, suisq; liberis*, ut ipsis tanquam hæredibus deferatur; nam in 1. casu emphyteusis transit ad emphyteutæ filios dispositione domini directi, & concedentis emphyteusim; quo fit, si sint plures filii, eam, æqualiter esse dividendam inter ipsos; nec esse in arbitrio Patris, mutare voluntatem concedentis, uni dando totam vel majorem partem, quàm aliis; secùs in secundo. Nam tunc concedens defert emphyteutæ illam relinquendi, *tanquam hæredibus*; quo casu voluntate patris præelectio relinquitur; de quo v. Molin. cit. D. 474. §. *quando parens.*

1253 Not. 3. emphyteusim alicui datam *pro se suisq; filiis, & descendentibus*, non transire ad *ascendentes*, vel *extraneos hæredes*; quod verum est, licet filii, vel descendentes hæreditati renuntiaverint; quia hæc renunciatio non facit, quòd *ascendentes*, vel *extranei* hæredes sint *emphyteutæ filii*, vel *descendentes.* His enim voluntate concedentis relinquitur in dato casu emphyteusis, *in quantum emphyteutæ filii sunt descendentes*; non autem, *in quantum præcisè hæredes*; sic Covarru. cit. n. 2. Difficultas est, an emphyteusis concessa alicui *pro se, suisq; filiis, & hæredibus*, limitetur ad solos *filios*, *si hæredes sint?* an porrigatur etiam *ad extraneos, si ipsi hæredes sint emphyteutæ?*

Ante resolut. advertend. 1. quòd em- 1254
phyteusis Ecclesiastica natura sua non transeat *ad hæredes extraneos*, nec illis competat, nisi hoc expressum sit in concessione; Sic Castropal. cum pluribus aliis de reverent. debit. Eccles. D. *unic.* p. 15. §. 4. n. 5. post medium. Advertend. 2. quòd illa dictio *&*, ibi: *Suisq; filiis, & hæredibus*, non *restringat* significatum *filii*, ut *filius* non possit emphyteusim capere, *nisi simul sit hæres*; sed *augere*, ut non tantùm ad filios, qui jam præsupponuntur hæredes; sed etiam ad alios hæredes, esto non sint filii, talis emphyteusis devenire possit; alias enim eis *hæredibus*, supra *filios*, qui aliunde supponuntur hæredes, nihil operaretur; quo posito:

2. Si dicta emphyteusis sit *secularis*, 1255
concessionem sub ea clausula, etiam porrigi ad hæredes extraneos; non autem si sit *Ecclesiastica*: Ratio est; quia talis concessio ab Ecclesia facta (nisi oppositum exprimat) nunquam præsumitur facta contra naturam feudi, vel emphyteusis Ecclesiasticæ; ergo ubi feudum, vel emphyteusis concessa est alicui *pro se, suisq; filiis, & hæredibus*, eis *hæredibus* non porrigitur, nisi ad hæredes *suos*, & *necessarios*; quia si etiam *ad extraneos*, esset contra naturam feudi, & emphyteusis *Ecclesiasticos* ex n. præced.

Not. 4. feudum, vel emphyteusim ali- 1256
cui concessam dici *hæreditariam*, quando in ejus constitutione expresse mentio fit *hæredum*, puta: si dicitur: *tibi, tuisq; hæredibus*; ex pacto autem, seu *non hæreditariam*, quando nulla mentione hæredum facta conceditur, vel dicendo: *tibi, tuisq; liberis, ac descendentibus*; Sic Julius Clarus l. 4. sentent. §. *Emphyteusis.* q. 16. Molina tom. 2. D. 472. & alii. Ex hoc fit, emphyteusim non hæreditariam patri, *solùm ex pacto* concessam, transire ad filios, esto recusent hæreditatem sibi relictam à patre; nimirum jure pacti, sic Covar. p. 2. Variar.

c. 18. n. 4. dixi *emphyteusim*; nam aliud est *de feudo*; hoc enim nunquam ad filios, & hæredes transit, sed ad *agnatos*, ut notat Castropal. cit. §. 4. in fine.

§. 13.

Quid tenendum de locatione commoditatis rerum Ecclesiasticarum?

1257 SErmo est de locatione *ultra triennium* earum rerum, quæ ultra hoc tempus, sine juris solennitate locari non possunt, ut constat à n. 1171. quod intellige de triennio non *temporis*, sed *fructuum*. Nam si alicui ad triennium locata sit v. g. vinea Ecclesiæ, & locatarius solum primo anno exinde percepit fructus, non autem duobus reliquis (quod essent anni steriles, & infœcundi) posset locationem continuare adhuc biennio, vel etiam ultra, dum verum sit, finitum esse triennium *frugiferum*; Sic Navarr. in Comment. de alienat. rer. Eccl. à n. 21. Covarr. 2. Variar. c. 16. n. 6. Vallensis. h. t. n. 4. & alii.

Quoniam vero quandoque contingit, res quasdam Ecclesiæ, longius dissitas, non æquè commodè, ac fructuosè administrari posse ab ipsis Ecclesiis, hoc est, eorum Rectoribus, quibus ex officio incumbit administratio talium bonorum; & utilius fore illis, si alicui, qui vel vicinus est, vel in vicino alia bona habet, locarentur, sæpius dubitatum fuit, an, si non *res*, sed sola *commoditas* rei locaretur alicui, etiam ad plures *triennio* annos, ageretur contra prohibitionem de rebus Ecclesiæ non alienandis per locationem *ultra triennium*?

1258 Difficultas est, quid hic importetur per locationem *commoditatis*? ne coincidat cum locatione *rei* fieri prohibitæ; consequenter ne, in fraudem legis, re ipsa sit locatio solum *palliata*, quæ Constitutionibus Apostolicis interdicta est, ut constat ex dict. P. Paulus Rosmer de contract. §. de Clericis q. 2. illat. 4. per *commoditatem* intelligit, facultatem alicui concessam ad fructus, ex tali re percipiendos, nomine locantis, seu concedentis; non autem nomine ejus, cui locatur, vel conceditur.

Alii, hanc *commoditatis locationem* 1259
constituunt in quadam conventione, quâ is, ad quem res (*vinea* v. g.) pertinet, convenit cum alio, ut illam colat, laboret, prout requiritur, ut fructum reddat; & ex fructibus, quos nomine ipsius Domini collegerit, *tantum* (expressâ certâ quantitate) annuatim Domino præstet; reliquum sibi habeat in compensationem laboris, ac expensarum, quas alioquin rei Dominus, conductis operis, facere debuisset magna incommoditate. Hac enim conventione accedit utrique *commoditas*; (seu utilitas) & *Cultori*, faciendo sibi lucrosum laborem suum, & vigilantiam pro conservanda, vel etiam promovenda rei fœcunditate; & *Domino*, habenti in illo locatario majorem in propinquo vigilantiam pro bono fundi sui, liberato ab itineribus, & negligentia operarum, quæ communiter fiunt absente Domino, fructum annuum rei suæ, &c. quib. positis:

Videtur omnino dicendum, locatio- 1260
nem *solius commoditatis*, sic explicatæ, etiamsi fiat *ad plures annos*, *etiam sexennio*, etiam sine juris solennitate, cæteroquin in locationibus rerum Ecclesiasticarum servari præceptâ licitè fieri; & ita tenet P. Rosmer. loc. cit. dicens: licitum esse elocare ad tempus *longum*, etiam *ad tempus vitæ*, rem Ecclesiasticam, *quoad commoditates*, *ac fructus percipiendos nomine locantis*; non autem *nomine ejus*, *cui locatur*. Nam sola concessio, quæ nullum rei Ecclesiasticæ immobilis, vel mobilis pretiosæ dominium transfert in alterum, non est illicita, esto fiat sine juris solennitate, cæteroquin servari præceptâ; sed locatio *commoditatis sic explicatæ*, nullum transfert dominium rei Ecclesiasticæ immobilis, vel etiam mobilis pretiosæ; præstat enim hoc duntaxat, quod ille locatarius nomine locantis colligat fructus rei; & inde sibi capiat solutionem operarum, & expensarum in eam rem factarum, sublevandi Ecclesiam, vel Monasterium à multis molestiis, si per alios id curare debuisset, ut dictum est; ergo.

AR-

ARTICULUS IX.

An, & qualiter res Ecclesiastica, indebitè alienata, revocari possit?

1261 QUæstio est, an, si Prælatus, vel administrator rerum Ecclesiasticarum, quasdam ex illis illicitè, ac indebitè (nimirum vel sine justa causa, vel sine juris solennitate, ubi ea de jure intervenire debuisset) alienavit; res taliter alienata revocari ad Ecclesiam possit, & debeat? Deinde, an is, in quem ejusmodi res Ecclesiastica per talem indebitam alienationem transivit, teneatur illam Ecclesiæ restituere, etiam non exspectata ejus repetitione; aut in casu, quo repetitur; præsertim si lapsum sit tempus, cæteroquin juris dispositione sufficiens ad præscriptionem? pro resolut:

§. I.

An ejusmodi alienatio indebita sit jure valida?

1262 PRæmitto hanc quæstionem, ut exinde facilius resolvantur sequentes. Si enim jure nulla sit, per eam nullum translatum est rei dominium in eum, qui rem illam penes se habet, quamvis in ejus possessionem, saltem *facti*, videatur missus ab alienante; quo posito: quæstio 1. est, an alienatio rei Ecclesiasticæ immobilis, vel etiam mobilis pretiosæ, quæ servando servari potuit, sine justa causa facta jure valeat, etiamsi reliquæ solennitates servatæ sint? R. Talem alienationem nec in foro externo, nec interno validam esse; ratio est, quia alienatio facta ab eo, qui caret legitima potestate alienandi, nec in foro externo, nec interno valida est; Sed taliter alienans caret legitima potestate sic alienandi. 1. ex 12. q. 2. c. *sine exceptione*. 52. ubi declaratur irrita alienatio, quæ in utilitatem Ecclesiæ non cedit, ibi: *nisi fortè aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat; &, quod non sit dubium profuturum Ecclesiæ*, & c. 1. h. t. in 6. ibi: *Ordinationem, & concessionem ipsam, præsertim cum evidens necessitas*, quare fieri deberet, *vel utilitas*, *non subesset*, de fratrum nostrorum consilio, *decernimus non valere*: dictas decimas ipsi Ecclesiæ, tanquam pertinentes ad eam, *sententialiter adjudicare curantes.*

Dices 1. ex his textibus rectè quidem 1263
probari alienationem factam esse jure irritam; sed ex hoc non probari in alienante non esse *potestatem*: annullato enim præcisè usu juris, non annullatur ipsum jus, utpote adæquatè distinctum ab ejus usu; sic alienationes à pupillo sine tutoris authoritate, saltem pupillo noxiæ, jure nullæ sunt, quin aliud sequatur, quàm quod habeat dominium rerum suarum solùm vinculatum; non autem annullatum: ergo similiter; R. quamvis verum sit, ex hoc præcisè, quòd annulletur usus juris, non rectè arguatur, etiam annullatum esse ipsum jus, ut bene probat objectio; bene tamen argui ad *defectum potestatis*, quando annullatur usus ex causa explicante defectum alicujus, quod substantialiter pertinet ad actum primum proximum, ex quo nasci debet usus potestatis validus? Sed in datis juribus annuliatur alienatio ex causa explicante defectum alicujus, quod substantialiter pertinet ad actum primum proximum, ex quo nasci debet usus potestatis validus, nimirum alienatio; nam evidens necessitas, vel utilitas Ecclesiæ prærequiritur substantialiter, ut alienatio rerum Ecclesiasticarum immobilium, vel etiam mobilium pretiosorum, & servando servabilium, à Prælatis validè fiat; & ex hujus defectu procedunt jura, dictas alienationes statuentia irritas, ut patet considerati allatos textus præced. n. 1262. ergo.

Dices 2. si alienatio sine causa legitima 1264
per Prælatos Ecclesiæ facta, servatis cæteroquin aliis solennitatibus, à jure præscriptis, ipso facto esset irrita, non indigeret Ecclesia beneficio restitutionis: quia beneficium restitutionis est remedium extraordinarium, quod non datur ei, cui jure remedium ordinarium competit. L. *in causa*. c. 2. ff. de Minoribus. At, si alienatio ipso jure nulla est, facta absque legitima causa, remedium Ordinarium

rium nullitatis competeret Ecclesiæ, & cessaret beneficium restitutionis in integrum: ergò dicendum est, non esse nullam alienationem. Et sic tenet gloss. in c.cit.in summ. 12.q.2.& c. *sine exceptione*, eadem c.& q. V. *profuturum*; ante responsionem not. quòd Ecclesia ex duplici capite possit petere sibi restitui *rem alienatam*. 1. quia alienata est ab eo, qui caruit potestate alienandi; 2. quia esto alienare potuerit, enormiter tamen læsa est in pretio; quo posito. R. cum distinct. Si alienatio, sine causa legitima per Prælatos Ecclesiæ facta, servatis cæteroquin aliis solennitatibus à jure præscriptis, ipso facto esset irrita, non indigeret beneficio restitutionis *titulo enormis læsionis*, transeat; *titulo Dominii* in alienatarium non translati ex defectu potestatis in transferente, N. sequelam; & suppositum, quòd in hoc casu indigeret beneficio restitutionis in integrum; ex quo aliter etiam distingui potest dicta propositio: non indigeret beneficio restitutionis in integrum, dato; beneficio restitutionis rei invalidè ac nulliter translatæ. N. seq. Hinc patet ad probationem, quod in casu præsenti Ecclesia non egeret extraordinario juris remedio, nimirum restitutionis in integrum, quia non petit contra contractum jure validum titulo læsionis restitui; sed tantùm restitutionem rei nulliter translatæ.

1265 Dices 3. ergo saltem valebit alienatio, quando alienans per errorem existimavit adesse sufficientem causam, qualis à jure desideratur, esto in re fallat; credendum enim non est, Ecclesiam velle alienationem bona fide factam, irritare; Sic gloss. c. *ad nostram*. de reb. Eccles. non alienand. verbo *Enorme*; Felinus c. *quæ in Ecclesiarum*, de constitut. col. 1. & alii, quos refert, & sequitur Covarruv. 2. variar. c. 17. n. 2. Molina de contract. tr. 2. D. 468. concluſ. 6. Bonac. D. 3. de contract. feudi. q. 8. p. 4. n. 6. in fine; quam opinionem valde probabilem censet etiam Castropal. sæpe cit. D. *unic.* p. 15. §. 6. n. 2. oppositam tamen magis probabilem; quia præsumptio causæ, vel error, etiam inculpabilis, de existentia justæ causæ non dat potestatem, cujus defectu deficit valor actus; at sine evidenti necessitate, vel utilitate, Ecclesiæ Prælatis non datur potestas alienandi immobilia, vel mobilia pretiosa, ut probatum est; accedit, quòd vix unquam contractus, sine tali causa etiam verè deficiente, declarari posset irritus, alienantis promptâ semper excusatione: *putavi adesse talem causam*, quod inducit periculum, quo Ecclesia alienationes temerè factas cum detrimento sustinere cogeretur: Sic etiam Navarr. in Comment. de alienat. rer. Eccles. n. 9.

Not. tamen 1. etiam ab illis, qui sequuntur affirmativam de valore alienationis, solenniter factæ, ex causa solùm existimata, tanquam sufficiente, concedi, Ecclesiam teneri ad probandam causæ illegitimitatem, si videat se deceptam. 2. Cùm Ecclesia non teneatur solvere pecuniam à suo Rectore mutatam, nisi conversa sit in ejus utilitatem, ut dicitur in authent. *hoc jus porrectum*. C. de sacrosanct. Eccles. & c. 2. §. *hoc jus porrectum*. 10. q. 2. Creditorem, qui exigit solutionem mutui, faciendam à Prælato alienatione bonorum immobilium, vel mobilium pretiosorum, teneri prius probare, pecuniam mutuò datam, esse conversam in Ecclesiæ commodum; alias enim peteret debitum à non debitore saltem probato, ut tali, sic Molina, cit. D. 300. & alii. 1266

Quæstio altera est, an alienatio facta ex legitima causa, sed sine aliis solennitatibus juris, valida sit? Affirmativa tenet Navarrus comment. de alienat. rerum Eccl. n. 17. Azor. 2. part. institut. l. 9. c. 1. q. 9. fine. Sylvester V. *alienatio*. n. 13. Angel. *eodem* n. 14. Rodriq. tom. 1. q. Regul. q. 27. art. 9. Quarant. summa bullar. V. *alienatio*. n. 34. & 50. Pirhing autem h.t. à n. 36. cum aliis censet, ejusmodi alienationem *non solenniter*, ex justa tamen causa factam, esse quidem irritam in foro externo; non tamen in foro conscientiæ; unde censet, quòd talis, cui ejusmodi alienatio facta est, tuta conscientia rem retinere possit, si nemo se ei alienationi opponat, aut rescissionem ejus à judice petat, & re ipsa utilis sit Ecclesiæ ipsa alienatio. Rationem reddit, quia, licet in tali casu, ubi hujusmodi alienatio à Prælato (ad quem alias jure naturali pertinet potestas alienandi, quippe cui commissa est administratio Ecclesiæ, & bonorum illius) facta sit sine tractatu, & consensu Capituli, vel etiam sine auctoritate 1267

ritate superioris, adeoque non servata forma juris positivi, sive Ecclesiastici, spectato jure naturali injusta non est, quia substantialia contractus intervenerunt, videlicet mutuus consensus contrahentium, & justa causa alienandi subest, nec ulla fraus, aut injuria, seu læsio cujusquam interceſſit.

1268 Hoc probat, quia hujusmodi solennitates non pertinent ad substantiam intrinsecam alienationis, secundùm naturam, & primævam institutionem actus. Unde, cùm rerum Ecclesiæ alienationes aliquando licitè fiant sine tractatu, & reliquis solennitatibus, ut patet in casu supra allato; ideo potius accidentales, & extrinsecæ sunt censendæ, quàm substantiales, ut notat etiam Barbos. in Collectan. in c. 1. h. t. in 6. n. 6. 7. & 8. & spectato jure naturæ, ac in foro conscientiæ, tales alienationes, etiam sine illis, sunt validæ. Et confirmat ex eo, qui sacri Canones solennitates adhiberi volunt in alienatione rerum Ecclesiasticarum ad vitandas fraudes, quæ intervenire possent; hæ autem cessant in foro conscientiæ, ut supponitur; & consequenter etiam cessat illa præsumptio juris positivi, idque generaliter procedit in omni actu, in quo est omissa juris solennitas positivi, servato solo jure naturali.

1269 Negativam tenet Suarez tom. 4. de Relig. l. 2. c. 77. à n. 20. censens, alienationem, quantumvis ex justa causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ, sed *non solenniter* factam, invalidam esse in utroque foro, tam externo, quàm interno; id, quod etiam tradunt Covarruv. 2. variar. c. 17. n. 2. Molina Theolog. tr. 2. de justit. D. 468. concluſ. 6. Vasq. in opusc. de reditib. dub. 14. Sarmiento tom. 1. p. de reditib. c. 2. Bonac. D. 3. de contract. feud. q. 8. p. 4. n. 10. quos citat & sequitur Castropalaus D. *unic.* §. 6. n. 5. Ratio negandi, secundum dictos authores, est. 1. ex variis juribus, in quibus apertè habetur, tales alienationes sine solennitatibus factas, irritas esse, ut constat ex dict. Deinde lex, irritans contractum, procedit non tantum in foro externo, sed etiam interno, quando, licet fundetur in præsumptione, non nititur falsâ præsumptione; sed lex irritans alienationes procedit ex præsumptione, & non nititur falsa præsumptione: Ergo. Min. prob. quia lex, quæ fundatur *in præsumptione probabilis* seu *communis periculi*, seu ex eo, quòd communiter periculum sit fraudis, v. g. vel circumventionis, aut alterius eventus, cui cavendo statuit nullitatem actus, facti stante tale periculo, non nititur falsa præsumptione, esto in uno casu particulari contingat, abesse talem eventum, ut mox dicemus; at lex irritans alienationes, sine juris solennitate (ubi alias de jure requisitæ sunt) fundatur in præsumptione probabilis periculi, nam præsumptio, in qua fundatur illa lex Ecclesiastica non est læsio, & fraus Ecclesiæ, quæ hoc vel illo casu contingere posset omissa solennitate in contrahendo; Sed, est læsio, & fraus, quæ communiter, & in plurimum ex illius omissione ei potest provenire: at hic finis semper perseverat, quantumvis unus, vel alius contractus factus fuerit in Ecclesiæ utilitatem.

Prima major in argumento, à ratione 1270
desumpta, constat ex pluribus casibus. Nam matrimonium celebratum contra decretum Tridentini, irritantis matrimonia, simpliciter clandestina, procedit in foro tam externo, quam interno, licet procedat ex probabili periculo, quod in uno alterove casu particulari non subest; quia per hoc non fit, quòd procedat ex præsumptione falsa: esto enim quandoque contingat conjuges, qui sic clandestinè contraxerunt, non recedere ab invicem, & convolare ad alios complexus adulterinos; quod à jure præsumitur sic *communiter* fieri, adhuc tamen, dato casu particulari in contrarium, stat veritas præsumptionis, & lex in ea fundat, procedit in utroque foro. Talis etiam est lex irritans professionem editam ante completum 16. ætatis annum, quæ fundatur in probabili periculo nondum sufficientis in ea ætate maturitatis judicii ad deliberandum, prout oportet ad obligandum se ad tam arduum statum; & tenet in utroque foro, licet in particulari casu certo constaret, professum ante dictam ætatem habuisse omnino sufficientem judicii maturitatem, quia hoc non obstante verum manet, eam *communiter deficere* in carentibus ætate jure præscripta.

1271 Ad argumentum P. Pirhing. in n. 1268. lit. concedi, talem alienationem ex justa causa, sed sine solennitate juris à Prælato factam, secundum se consideratam, non esse injustam; Sed, distingui alteram partem: nec ulla fraus, aut injuria, seu læsio cujusquam interceſſit, sic tamen, ut per hoc non deficiat probabile, seu commune periculum fraudis, injuriæ, vel læsionis. C. sic, ut per hoc etiam deficiat probabile, periculum N. Instantia clara est ex duplici casu in præced. num. Probatio, quam subjungit in n. jam cit. instari potest in matrimonio, & professione, sub iisdem terminis: nam solennitates per Tridentinum inductæ non pertinent ad substantiam intrinsecam matrimonii; secundum naturam, & primævam institutionem matrimonii; unde cum matrimonia aliquando licitè fiant sine solennitate per Tridentinum inducta (ubi nimirum adhuc integrum est jus antiquum) ideo potius accidentales, & extrinsecæ sunt censendæ, quam substantiales, & jure naturæ, ac in foro conscientiæ; quod tamen non bene dicitur.

1272 Pirhing n. 37. respondens ad hoc argumentum, videtur sentire, dictam regulam (quod *Lex, fundata in præsumptione communis periculi de fraude, non cesset, licet in uno, vel altero particulari casu non interveniat fraus*) habere locum in *foro externo*; non autem, *interno*, ubi de veritate constat. Si hæc responsio loquatur de lege, fundata *in præsumptione solius facti*, v. g. fraudis interpositæ; verum quidem habet; ut diximus lib. 1. tit. 23. Sed tum non est opportuna ad solutionem argumenti; quod procedit de lege fundata *in præsumptione probabilis*, seu *communis periculi, fraudis, vel læsionis*: igitur videtur loqui de hac præsumptione; at de ista negare non potest, illi esse locum, etiam in foro poli, seu animæ, & conscientiæ, & non solum in foro externo; quia hoc ipsum apertè tradit. l. 2. tit. 23. de præsumptionibus à n. 53. & seqq.

1273 Si dicas, eam tantum legem in præsumptione fundatam esse, & cognitâ veritate cessare, cujus formale motivum & causa finalis est præsumptio alicujus rei; sive, per quam statuitur, & Judici præcipitur, ut *in quovis particulari casu* secundum præsumptionem à jure, vel lege factam, sententiam ferat: legem autem, quæ ex generali præsumptione fraudis, interdum intervenientis, tanquam *causa* solum *impulsiva* aliquid statuit, non cessare, etsi in casu particulari omnis suspicio fraudis absit, nisi cesset etiam in communi, & universaliter; ita Pirhing in præsumpt. n. 53. §. ubi tamen:

Exemplum prioris generis sumit ex c. 1274
Veniens, 15. & c. *Is, qui fidem*. 30. de sponsal. ubi habetur, quod sponsalia de futuro censeantur transisse in matrimonium secuta copula carnali, ob juris præsumptionem, quod sponsi non animo fornicario, sed conjugali affectu se cognoverint: attamen, si sponsus sciat, hanc præsumptionem juris esse falsam, seque, non animo consentiendi in matrimonium, congressum esse cum sponsa, ideoque aliam postea uxorem duxerit, quamvis illicitè, & cum injuria prioris sponsæ, hoc casu posterius matrimonium erit validum, & non prius falsa præsumptione nixum; idque hodie adhuc observari debet in iis locis, in quibus Concilium Tridentinum sess. 24. c. 1. de reform. matr. requirens ad valorem matrimonii Parochi, ac testium præsentiam, non est receptum.

Exemplum posterioris generis desu- 1275
mit ex lege prohibente, & irritante matrimonium clandestinum, quæ fundatur in præsumptione fraudis, & violentiæ; & tamen in quocunque casu est invalidum, etiamsi constaret, abesse fraudem, vel violentiam; similiter lex, sive constitutio Concilii Tridentini sess. 25. c. 15. de regular. irritans professionem, ante 16. ætatis annos completos, editam, obligat, etiamsi puer doli capax sit, adeoque certò constet, habuisse minorem 16. annis in ea ætate perfectum judicium.

Ex hac distinctione videtur defendi 1276
doctrina, quam n. 1267. retulimus, tradita à P. Pirhing, ut nempe ipsius distinctio de foro interno, & externo sic intelligatur, ut legi procedenti etiam ex generali præsumptione non sit locus in foro conscientiæ, ubi de veritate constat, quando procedit ex præsumptione

ne

ne generali solum *tanquam causa motiva*, non autem *impulsiva*; leges porro Ecclesiasticas, quæ propter communem fraudis, vel læsionis præsumptionem irritant alienationes rerum Ecclesiasticarum sine juris solennitatibus factas, procedere quidem etiam ex præsumptione fraudis, vel læsionis, & solum tanquam *causa motiva* non *impulsiva*; & ideo illas sic factas in foro quidem externo irritas esse; non tamen, in interno, si in aliquo casu nihil horum intervenit. Hæc responsio videtur omnino probabilis, si leges istæ procedunt ex tali præsumptione, tanquam solum causa motiva, & finali, & non impulsiva, quod tamen probandum foret, & admittitur illa distinctio inter leges procedentes ad aliquid præcipiendum, vel prohibendum ex præsumptione etiam generali, sed quandoque tanquam causa impulsiva; quandoque tamen, tanquam causa motiva, de quo ex professo egimus lib. 2. tit. 23. de præsumpt.

1277 Ad id, quod authores alii apponunt contra concluſ. in n. 1262. not. 1. negandum esse, quod adæquatus finis statuendi nullitatem alienationis factæ sine solennitatibus sit, *ne Ecclesia fiat præjudicium*; sed commune, ac probabile periculum præjudicii vel ex fraude, vel ex læsione communiter contingente; hoc autem non cessat, licet in particulari casu nulla fraus, vel læsio interveniat. 2. licet verum sit, quod contrahenti cum Ecclesia sine juris solennitate liberum non sit in foro externo, stare contractui, vel illum rejicere, sed necessario stare debeat contractui, dum ab Ecclesia non repellitur; ex hoc tamen non rectè inferri: *ergo signum est contractum valere*; nam illud non fundatur in valore contractûs, sed in pœna fraudis, quam præsumitur sic contrahendo intentâsse Ecclesiæ.

§. 2.

An res Ecclesiastica, indebitè alienata, revocari, ac restitui debeat?

1278 DE hac quæstione agitur c. *si quis* 6. h. t. ibi: *Si quis Presbyterorum, Diaconorum, seu Defensorum, alienanti prædium Ecclesiæ subscripserit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriantur, nisi forte & alienator, & qui acceperit, celeri restitutione sibi prospexerint. Quod si minore animæ suæ cura remedium oblatum neglexerint*, præter pœnam super hoc *adscriptam*: *confectum exinde documentum viribus (quamvis ab initio nullas habuerit) vacuetur*: *Sed etiam licet, quibuscunque Ecclesiasticis personis vocem contradictionis offerre, ut & cum fructibus possint alienata reposcere, & Ecclesiastica auctoritate fulciri.* Ex hoc textu communiter deducunt authores, eum, qui res Ecclesiæ indebitè alienavit, teneri rem sic alienatam ab alienatario repetere, & istam restituere; quia si non foret gravis ad hoc obligatio naturalis, seu conscientiæ, neuter eorum posset anathemate feriri, si hoc neglexerint; cujus tamen oppositum expressum est in textu. Et ratio hujus est, quia nemo potest bona conscientia rem, ab alio sibi datam ex contractu retinere, quando translatio ipso jure est invalida in utroque foro; sed alienatio rei Ecclesiasticæ, indebitè facta, invalida est in utroque foro; primo quidem, si sine causa legitima, etiamsi servatæ fuissent solennitates juris ex n. 1185. deinde etiam facta sine solennitate juris, licet ex causa justa, per n. 1269. ergo.

Pro ulteriore explicatione hujus c. *si quis*. not. Cum dicitur, eum anathemate feriendum, qui subscripserit, prædium, vel rem Ecclesiæ alienanti; sub dicta pœna, non tantum prohiberi *alienationem*, sed etiam *subscriptionem*, quam quis nomine suo præstaret instrumento super tali alienatione confecto; nam subscribens Scripturæ ab alio confectæ, vel confici curatæ, præsumitur illam approbare; sic Mascard. l. 1. præsumpt. 66. à n. 7. & alii; hinc, cum talis alienatio illicita sit, illicita quoque erit ejus approbatio; & quia non tantum alienanti, sed etiam alienationi subscribenti statuitur excommunicatio, utrumque graviter prohibitum est; quod tamen limitatur, ut non procedat, si subscribens, scripturam, cui subscripserit non legit, ac contenta in ea ignoravit; tunc enim non censetur contenta ap- 1279

probare; quamvis, quòd non legerit, aut ignoraverit, probare teneatur; cum præsumptionem contrariam habeat contra se; Sic Quaranta in summ. Bullar. v. *alienatio.* n. 41.

1280 Not. 2. ibi verbum *alienanti*, cùm dispositio sit pœnalis, accipi quidem pro quavis alienatione, qua transfertur dominium directum, vel tantum utile, vel utrumque, ut rectè notat Ugolinus de potest. Episcop. c. 14. §. 4. à n. 1. debere tamen intelligi *cum effectu*, nimirum *secutâ traditione*; nam ante hanc nemo dicitur propriè *alienare*, prout habetur L. *alienatum* 37. ff. de V. S. Ex hoc deducitur, non incurri pœnas, alienationi prohibitæ decretas, propterea, quòd quis se alteri obliget actione personali ad dandam commoditatem, & utilitatem, percipiendi fructus vitâ suâ durante, vel tanto tempore ultra triennium; Sic enim non transfertur aliquod jus in re, sed tenetur duntaxat exhibere conductori commoditatem percipiendi fructus, ut per Rebuff. in compend. alienat. n. 26. vers. 6. Molina de Justit. tr. 2. D. 466.

1281 Not. 3. quando dicitur in textu, *alienantem*, & *subscribentem*, anathemate feriendos, censuram non esse sententiæ latæ, sed ferendæ, & quidem tunc solum, si alienator, & is, qui acceperit, celeri restitutione sibi non prospexerint; ubi sub nomine *alienatoris* venit non tantùm ipse *contrahens*, sed etiam *subscribens*, & approbans; quando autem verificetur, quòd *celeri restitutione sibi prospexerint*, dubitari potest, an, si revocet primò post adeptam ab alienatario pacificam possessionem, sed ante realem traditionem? an, si primò post traditionem veram? Covarr. l. variar. c. 16. n. 7. censet, excusari à censura, si revocatio contingat ante realem, & pacificam possessionem ab eo acceptam, in quem res alienatur; non autem, post traditionem; Sic enim alienatio facta est cum effectu, quantum est de facto, non autem quantum est de jure. In casu autem, quo quis alienaret cum clausula (*salvo consensu Apostolico*) & antequam istum obtineat, rem ipsam traderet, videtur non incurri censura, cùm, pendente eventu consensus Apostolici, alienatio rei, ac ejus traditio non sit absoluta, nec tribuat jus irrevocabile, secuta negativa consensus.

Not. 4. Si is, qui rem Ecclesiæ, indebitè alienatam, non repetit, consequenter in defectu eorum, qui ex officio res Ecclesiæ non legitimè alienatas repetere tenentur, & alienationem retractare, licere cuilibet Ecclesiasticæ personæ ad illarum restitutionem agere, ex dict. c. *Si quis* in fine, ibi: *sed etiam liceat quibuscunq; personis Ecclesiasticis personis vocem contradictionis offerre* &c. Illi porrò, qui ex officio tenentur, sunt Capitulum, & Superior, qui consensum, & authoritatem tali alienationi præstitit, & successor alienantis. Advertendum autem, quamvis id possint in dicto casu etiam extranei Clerici; Clericos tamen Ecclesiæ damnificatæ, ac Parochianos (cùm eorum interest) extraneis præferri; & quia ad hoc consensum habent à lege, non egent alio mandato, ut loco Ecclesiæ stent in judicio, ut notat Gloss. in c. *Si quis*, v. *personis*, & v. *alienata.* 1282

Not. 5. quando dicitur: *Instrumentum*, 1283
super alienationibus illegitimis confectum, *viribus vacuandum*, intelligi, non annullando (cùm ab initio nullas habuerit, ut ait textus) sed solum declarando nullitatem, quam ejusmodi alienationes habuerunt statim in principio: Eum verò, in quem res sic alienata est, teneri, ut jam diximus, rem acceptam Ecclesiæ restituere; &, si nolit, posse etiam censuris compelli; nec modo rem ipsam, sed etiam cum fructibus, ut constat ex textu, ut dicto c. *Si quis.* ibi: *ut & cum fructibus possint alienata reposcere, & Ecclesiastica authoritate fulciri*; ex hoc communiter deducunt Doctores, quod emptor rei Ecclesiasticæ, nulliter alienatæ, vel alius, qui eam possederit, teneatur illam Ecclesiæ restituere una cum fructibus, à die alienationis. L. *Iubemus.* §. 1. C. de sacros. Eccles. Berojus in c. *Si quis Presbyterorum* n. 14. h. t. Felin. in c. *Cum causa.* n. 27. de re judic. & tali casu nec error juris excusat, cùm jus resistat. Covarruv. l. 1. variar. c. 3. n. 8. Secùs, error in facto, puta si emptor cogitavit assensum Apostolicum interveniss̃e, qui tamen non intervenit.

Difficultas tamen est 1. an talis em- 1284
ptor

ptor in conscientia teneatur facere restitutionem rei Ecclesiasticæ, nulliter in eum alienatæ? R. quòd sic; quia non tantùm alienator, sed etiam is, qui rem accepit, potest anathemate feriri, si sibi non prospexerint celeri restitutione, ut habet textus; ille quidem *repetendo*, quod indebitè alienatum est; iste *reddendo*: anathema, seu major excommunicatio imponenda nulli decernitur, nisi id non præstet, ad quod graviter obligatur in conscientia; Deinde nemo tuta conscientia retinet, quod scit alienum; sic enim injustè detineret, & foret possessor malæ fidei: vel ergo, qui habet empto acceptam rem Ecclesiasticam, indebitè alienatam, emit eam, sciens talem alienationem esse jure nullam, vel nesciens? si sciens? scit rem illam esse alienam, & non suam; ergo tali casu tenebitur ad restitutionem ejus, sicut quilibet malæ fidei possessor; vel nesciens? & tunc non tenebitur quidem ad restitutionem prius, quàm resciat nullitatem alienationis; ubi tamen resciverit, tenebitur, non secus, quam is, qui rem alienam possedit bona fide, postquam scit, rem non esse suam, sed alienam. Ad quid porrò talis possessor, post adeptam notitiam, quòd res à se hactenus bona fide possessa tanquam sua, non sit sua, sed aliena, teneatur, præsertim quoad restitutionem fructuum? diximus l. 2. tit. 12. de causa possess.

1285 Difficultas est 2. an, cùm emptor rei Ecclesiasticæ indebitè, ac nulliter alienatæ, restituit rem invalidè emptam, ei vicissim ab Ecclesia reddi debeat pretium pro ea venditori, seu Ecclesiæ solutum, & quidquid ad eam ex tali contractu pervenit? In hac quæstione videtur utendum distinctione, ac dicendum. 1. Si emptor mala fide, seu sciens, alienationem talem esse illegitimam, nihilominus emit, in pœnam amitti pretium, & Ecclesiæ læsæ acquiri, ut habetur in L. *Iubemus.* 14. §. *sanè.* 1. C. de sacrosanct. Eccles. ibi: *Sanè, si hæc nostræ perennitatis statuta audaci Spiritu, & mente sacrilega, quisquam œconomorum, vel hominum temeranda crediderit, ipse quidem, qui protervo ausu Ecclesiastica prædia, donationis, vel emptionis, seu commutationis titulo, vel cujuscunq; contractus alterius nomine* (nisi eo modo, quo nunc statuimus) *acquirere, vel habere tentârit, omnem ejusmodi fructum, propriæ temeritatis amittat:* & pretia quidem, & munera, quæ ejus rei gratia data fuerint œconomo, sive aliis, quibuscunque personis, Ecclesiæ lucris, & commodis acquirantur; *prædia autem, & in his omnibus constituta, ab ipsis Clericis, & temporalibus œconomis cum fructibus, seu pensionibus, vel accessionibus totius medii temporis vindicentur, ut tanquam penitus à nullo empta, vel vendita teneantur*; quia ea, quæ contra leges fiunt, pro infectis habenda sunt; quod postremum dictu verum non esset, si leges non essent *annullantes*; sed merè prohibitivæ.

Excipiendus tamen videtur casus, quo 1286
expresè cum venditore convenisset super evictione, prout colligitur ex L. *Si fundum* 27. C. de evictionibus ibi: Si fundum sciens alienum, vel obligatum comparavit Athenocles, *neq; quicquam de evictione convenit*: quod eo nomine dedit, contra juris poscit rationem; nam si ignorans, desiderio tuo juris forma negantis hoc reddi refragatur. Ubi Gloss. lit. C. *malæ fidei emptor* inquit, *de evictione actionem non habet*; quia *non datur ei, de evictione actio, qui sciens prudens fundum alienum comparavit, nisi evictio specialiter sit promissa.*

Hac occasione annotare placuit à Joanne Weingärtler, Inclytorum statuum Archiducatus superioris Austriæ Syndico in Con- & Discordantia juris consuetudinarii Austriaci supra Anasum cum jure communi, l. 3. §. de Emptione, & Venditione, pag. 191. dicente: Bona Ecclesiastica, ad Monasteria, Parochias, & beneficia pertinentia, item & census annuos, indebitè, ac sine consensu Principis terræ alienatos, imò, & oppignorata, *de jure consuetudinario dictæ Austriæ repeti posse sine refusione pretii, & fructuum,* idque ex generalibus Ferdinandi Primi, 14. April. 1545. ult. Nov. 1552. & 5. Februar. 1561. & juxta hæc judicatum esse ab Excelso Regimine in causa inter hæredes Pernfiesslianos, & Abbatem Mariacellensem 10. Jan. 1594. item inter P. Georgium Raab, Priorem Ordinis Carmelitarum, & Paulum Palnondorfferum; inter Abbatem Seissenstainensem

& Joannem Puzvveinium 7. Julii 1554. inter Georgium Puschium administratorem Ecclesiæ Pulgrensis, & Sylvestrum Muschingerum, 9. Aug. 1596. & hoc verum asserit Suttinger de jure provinciali, lit. Z. in suis observationibus, etsi aliquis fundus non immediatè, sed tantum mediatè ad Ecclesiam spectet.

1287 Deinde confirmari potest pars datæ conclusionis in n. 1262. ex *c. ad audientiam* 9. h. t. ubi, cum quidam Canonici Cathedralis Ecclesiæ Exonensis, aliis Canonicis inconsultis, quædam prædia in damnum ejusdem Ecclesiæ, in perpetuum locâssent colonis, re intellecta, Papa Cœlestinus III. mandavit Episcopo Exonensi, ut, si ita esse compererit, *locationes istas, tanquam illegitimè factas, revocet* & si aliter non possint revocari prædia, nisi pensiones pecuniariæ, quas Coloni Canonicis locatoribus solverunt, eisdem restituantur, prædictos locatores canonicos ad pecunias illas refundendas conductoribus Colonis remotâ appellatione compellat. Nam in hoc casu, quo locatarii, seu Coloni prædia restituere debebant, nec id obtineri posset, nisi vicissim restitutis pensionibus, quas Coloni dictis Canonicis bona fide persolverunt, Canonici locatores compelluntur, etiam appellatione remota; quod tamen intellige, si fecerunt locationem prædiorum concesso Colonis jure percipiendi *suo Colonorum nomine* fructus prædii; Nam si locassent solam commoditatem prædiorum, ut exposuimus à n. 1257. locatio non fuisset illegitima, etiam ad dies vitæ suæ, ut constat ex n. jam cit. cum seqq.

Dicendum 2. in casu, quo quis bona fide, ac sine dolo emit à Prælato rem Ecclesiasticam, sed invalidè alienatam, & restituere debet, emptorem posse ad recuperandum pretium agere contra Prælatum illegitimè alienantem; non autem contra Ecclesiam, nisi in defectum Prælati, qui non est solvendo ex propriis. Ratio primæ partis est; quia tali casu emptor est citra culpam; secus Prælatus, qui contractum alienationis indebitè, ac nulliter celebravit, ex quo emptor damnum restitutionis subire cogitur; ab emptore igitur conveniri poterit, tanquam causa damni ad restitutionem pretii, & eorum, quæ in detrimentum emptionis consecuta sunt. Ratio secundæ partis est, quia hoc naturâ æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem, ut dicitur L. *Nam hoc.* 14. ff. de Condict. indebit. nisi aliud jure dispositum sit, puta, si mala fide processit; si contra eum præscriptum sit; si in pœnam decernatur &c. ergo in tali casu, ubi ipse alienans non est solvendo de suo pretium repeti poterit ab Ecclesia, quantum inde facta est locupletior.

§. 3.

An Ecclesia, res suas indebitè alienatas repetenti, opponi possit exceptio?

1288 ANte respensionem not. Ecclesiæ, in casu illegitimæ alienationis, factæ, competere duas actiones, quas instituere potest; unam in personam, seu personalem, contra illum, qui ejusmodi alienationem fecit, ad eum finem, ut is damnum Ecclesiæ factum resarciat, quæ actio etiam transit ad hæredes, juxta Abbat. in c. 3. de pignorib. n. 3. alteram in rem, seu realem contra possessorem rei alienatæ per Gloss. in c. *si quis* V. *alienata*; sic enim est possessor rei alienæ; cum per ejusmodi alienationem, ipso jure nullam, ut ostendimus supra, nihil juris in eum translatum sit, vel transferri potuerit. Cum autem contingat, quod Prælato (qui rem indebitè alienavit) vel ejus successori, rem Ecclesiæ illegitimè alienatam à possessore repetenti in judicio, Reus conventus opponat exceptionem v. g. *præscriptionis jam finitæ* contra illam, vel defectus dominii, &c. quæstio est, an actio, Ecclesiæ in tali casu per oppositionem talis exceptionis, etiam probatæ, excludatur, atque adeo, an talis exceptio in ejusmodi casu efficaciam, coram justo Judice, obtinere debeat?

1289 De hac quæstione fit aliqua mentio in c. *Episcopi* 4. h. t. ubi dicitur, quod Episcopi, qui nihil ex proprio Ecclesiæ conferunt, libertos ex mancipiis Ecclesiæ facere non præsumant; *impium est* enim,

ut,

ut, qui res suas Ecclesiæ non attulit, damnum inferat; *tales igitur libertos Successor Episcopus ad jus Ecclesiæ revocabit*; *& quidem absque aliqua oppositione*, ut expresse ponitur in textu; igitur, nulli locus oppositioni esse poterit, quando Ecclesia res illigitime alienatas à possessoribus eorum repetit. Et quamvis pauci cæteroquin Canonistæ in illa verba: *absque aliqua oppositione* specialem observationem faciant; Pirhing tamen n. 65. h. t. §. *notandum secundo*, exinde deducit, contra Prælatum, revocantem alienationem illicitam, non posse opponi aliquam exceptionem, nec quidem defectus dominii; sed sufficere, si probet, quod res illa, quæ repetitur, fuerit in bonis Ecclesiæ, & illegitimè alienata sit per antecessorem.

1290 Nec obstat, quod, si Prælatus, qui rem indebitè alienavit, errore, vel culpa dein agnita, volens indebitè alienatum repetere, confiteatur propriam turpitudinem, seu male factum; & sic veniat contra suum factum, quod turpe est, ac audiri non meretur, nec debet, ut dicitur L. 4. C. de revoc. donat. L. 30. C. de transactionib. c. 8. §. *fin.* de Donationib. quia, *quod semel placuit, amplius displicere non potest.* c. 21. de Reg. juris in 6. Nam vulgaris illa regula plures admittit limitationes, ut rectè notat Zoësius h. t. n. 4. Henricus Canisius eod. n. 12. & alii, ut procedat, *si nomine proprio velit contravenire*; non autem, *si nomine tertii, cujus res alienavit jure impediente, & alienationem irritante.* Sic & Pater temerè alienatas res peculii adventitii liberorum suorum revocat, ut multis tradit Pinell. l. 1. p. 3. n. 73. C. de bonis matern. & maritus alienatas temerè res dotales, etiam stante matrimonio, revocat, ut tradit Gomez ad 50. Tauri n. 63. & Barbosa ad l. 1. p. 5. n. 15. ff. soluto matrimonio, nihil obstante juramento, quod improbum c. *Intellecto* 33. sup. de jurejur. imo esse hujusmodi revocationem decentem, probat Navar. tr. de alienat. rerum Eccles. n. 23. ex D. Augustino c. *magnæ sapientiæ est, revocare hominem, quod malè locutus.* 22. q. 4.

1291 Dices. Decisioni, quæ habetur in dict. c. *Episcopi*, locum esse tantùm pro foro Ecclesiastico, & terris summi Pontificis jurisdictione temporali subjectis; atque contrarium in judiciis secularibus usu jam, praxi, & consuetudine recepta obtinere. R. decisionem illam fundari in principio, contra quod nullus usus, praxis, & consuetudo potest prævalere, eoque communi omnibus. Est enim juris naturalis, quòd, qui rem alienam penes se habet, & scit alienam, dum repetitur à Domino, vel ab alio ejus nomine, teneatur restituere; Sed, qui habet rem Ecclesiæ, indebitè alienatam, habet penes se rem alienam (nam ejus translatio illegitimè facta utroque jure nulla est ex dict. à n. 1262.) & cum repetitur probata alienatione illegitima, scit alienam; ergo est juris naturalis, quod teneatur eam restituere; at in hoc principio fundatur illa decisio; ergo fundatur in principio, contra quod nullus usus, praxis, & consuetudo prævalere potest, eoque communi omnibus; consequenter non solis Ecclesiasticis, aut Laicis temporali Dominio Papæ subditis.

Major videtur certa sub illis terminis, 1292
quibus proponitur, si sciat alienam, dum repetitur. Minoris prima pars etiam constat, quia ponimus, quod ante alienationem relatè ad emptorem v. g. fuerit aliena, nimirum Ecclesiæ, & non emptoris; & per alienationem in eum nulliter translata fuit, atque adeo perinde se habet post talem alienationem in ordine ad constituendum in Emptore dominium rei, ac si nulla intercessisset, consequenter etiam post talem alienationem res manet aliena, ac est Ecclesiæ, & non emptoris. Altera pars minoris quoque probatur; quia si alienatio prius non valuit, nec convaluit, usque dum repetatur, & a repetente legitimè hoc doceatur, non potest non scire, illam adhuc, ut ante alienam esse. Hoc videtur rectè procedere *spectatâ præcisè alienatione*; nam ex hac, tanquam irrita, legitimè probata, habenti rem, clarum fit, *non esse suam vi solius alienationis*, si interim completa non sit præscriptio, quæ vim habet, de non meo faciendi meum; Sed an in hoc casu illi de jure Ecclesiastico locus sit meritò dubitari potest; sic enim contra clarum textum (*absq; aliqua oppositione ad jus Ecclesiæ revocabit*) per *aliquam* oppositionem (nimirum *præscriptionis*) impediri

pediri posset a revocando illam ad jus Ecclesiæ. Et ideo etiam Paulus IV. in sua Constitutione, quam refert Petrus Matthæus in suo VIII. decretalium lib. 2. Tit. 2. c. 2. (qua omnes alienationes bonorum, quorumvis Ecclesiasticorum, sine requisitis solennitatibus, & in damnum Ecclesiarum factas, revocavit; *nullaq; temporis præscriptione validari posse* decrevit: quamvis Vallensis h. t. §. 3. n. 4. referat, eandem a Pio IV. revocatam, & reductam ad terminos juris communis, citans Piasecium p. 2. c. 5. a. 4. n. 17. Sed de hac infra tit. 26.

§. 4.

An, & qualiter Ecclesiæ competat beneficium restitutionis in integrum?

1293 NOn agimus hic de casu, quo Ecclesia *repetit* res indebitè, ac nulliter alienatas; de hoc enim actum est à n. 1288. Sed eo, quo alienatio licitè, validèque facta est (nimirum ex causa jure recepta, & servatis debitis solennitatibus) *cum enormi tamen Ecclesiæ læsione* Et de hoc casu quæstio procedit, an Ecclesia rectè petat in integrum restitui? de hoc casu agitur in c. *Ad nostram* 11. h. t. ubi, cum Fusiense Monasterium, onere maximo debitorum depressum, necessitate compulsum, villam suam Bonevardo, Laico concessisset in feudum, tali conditione appositâ, quod idem Laicus octoginta libras persolveret, pro quibus eadem villa extiterat obligata, quod idem non distulit effectui mancipare; postea tamen præfatum Monasterium advertisset, se per hoc enormiter læsum esse, eo quod de redditibus villæ præfatæ conventus singulis diebus unum ferculum, & in festis XII. Lectionum pisces, vel aliud æquipollens percipere consuevit, ac propterea Pontifici humiliter supplicâsset, ut prædictum feudum faceret ad utilitatem Monasterii revocare, præsertim, cum idem laicus primo anno de ipsius proventibus ultra summam perceperit prætaxatam, & per multos postmodum annos suppresserit ejus fructus: Innocentius III. ad judices delegatos rescribens: *Nos ergo*, inquit, *sic nolentes gravaminibus præfati monasterii providere, quòd alii videamur injuriam irrogare*, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus inquisita plenius veritate, si prædictum monasterium propter hoc inveneritis enorme dispendium incurrisse, sæpe dictũ laicum, ut, pecunia, quam pro exoneratione feudi prædicti, seu etiam pro utilitate ipsius Monasterii noscitur expendisse, ab eodem Abbate, & Conventu receptâ, cum sibi fructus percepti hactenus sufficere debeant pro labore, præfatum feudum eidem Monasterio dimittat liberum, & quietum moneatis, & per Ecclesiasticam censuram (appellatione remota) compellatis.

Ex hoc textu deducunt communiter 1294
Doctores, quando Ecclesia in contractu, à se celebrato, enormiter læsa est, illam in integrum restitui, ubi hoc petierit, rescisso contractu, & re utrinque restituta, Ecclesiæ nimirum re alienata; pretio autem alienatario, si is, quando contraxit, fuit in bona fide; secus enim dicendum foret juxta n. 1285. Quamvis autem Hostiensis hic V. *revocari*, censeat, hic non agi de restitutione in integrum contra contractum validè celebratum; sed tantum per viam nullitatis contra contractum nulliter celebratum, nimirum sine consensu Episcopi, qui de jure intervenire debebat: verius tamen est, contractum fuisse celebratum validè, cum omnibus jure debitis, ut censet Gloss. hic V. *Enorme*, Innocentius, Abbas, & alii; adeoque hic non agi de pura *repetitione* bonorum ob nullitatem actûs; sed propriè dicto beneficio in integrum restitutionis; cum decisio Pontificis non fundet se in nullitate contractûs, sed in enormi læsione.

Plura tamen ex hoc textu occurrunt 1295
dubia; primum est, quomodo monasterium Bonevardum laicum in hac causa merè temporali convenire potuerit coram Judice Ecclesiastico? cum actor sequi debeat forum Rei, nisi causa sit feudalis? ad hoc respondent Doctores communiter, hunc casum esse specialem, adeoque à communi regula exceptum, consequenter in casu, quo Ecclesia in alienando enormiter læsa, petit in integrum

grum restitui etiam contra laicum, in quem res alienata est, posse ipsam hoc petere etiam apud Judicem Ecclesiasticum, si bona non sint feudalia; adeoque haberi hic casum specialem, in quo actor non sequitur forum Rei; sic Covarru. l. 1. variar. c. 4. n. 2. Rebuff. de except. n. 229. Pereyra, Gutierez, & alii, quos citat, & sequitur Barbosa in dict. c. *ad nostram*. n. 3.

1296 Difficultas tamen est, unde desumatur hæc exceptio? fortassis enim apud Pontificem in dato casu contra illum laicum egit, quia erat de territorio, jurisdictioni temporali Summi Pontificis subjecto? Sic enim monasterium, agendo contra illum, secutum fuisset forum Rei; & ideo etiam Pirhing h. t. n. 75. ex Layman refert, in Imperio Romano coram Judice seculari, restitutionem in integrum, si Reus sit laicus, solere peti; Authores tamen, qui faciunt exceptionem, de qua n. 1293. se fundant in eo, quod talis alienatio, cum enormi læsione Ecclesiæ, contineat saltem naturale sacrilegium, quod est fori tantum Ecclesiastici, quamvis id aliqui hoc negent, ut notavimus l. 2. n. 457.

1297 Alterum dubium est, quomodo in dato casu concessa fuerit restitutio in integrum, postquam ille laicus dictam villam in feudum ab Ecclesia concessam per multos annos jam possedit, adeoque ultra quadriennium; nam elapso quadriennio non est ultra locus restitutioni in integrum, p. c. 1. de in integrum restitutione. Sed 2. dictionem *multos* verificari etiam in *duobus*, ut rectè probat Barbosa de dictionib. & clausulis, dict. 174. alias 204. n. 1. Et ideo etiam Gloss. in cit. c. 11. V. *per multos*, ait *fortè per duos*; pluralis enim locutio duorum numero contenta est, & habetur ex reg. *pluralis* 40. de reg. jur. in 6.

1298 Dubium tertium est, quomodo in hoc textu Innocentius dicat, Monasterio enormiter læso in alienatione villæ, eam restituendam esse sine fructibus? cum tamen restitutio in integrum faciat restitui rem etiam cum fructibus, cum læsum reponat in statum, quo erat ante contractum, ex quo nata est læsio, contra quam in integrum restituitur. Variæ sunt Doctorum responsiones; nam glossa in præsenti, ait, remitti fructus pro labore administrandi istam villam, argumento L. *fructus* 7. ff. solut. matrim. sed si hæc sententia esset vera, sequeretur, nunquam fructus venire in restitutionem, cum semper præcedat administratio ipsius rei restituendæ.

Alii dicunt, in restitutione in integrum, quæ fit ex gratia, non venire restitutionem fructuum per authent. *idem est*. C. de hæret. sic Peregrinus de jure Fisci l. 5. tit. 2. n. 6. Fachineus l. 1. Controv. c. 38. Unde cum in præsenti specie in integrum restitutio concederetur Ecclesiæ ultra quadriennium à jure statutum, Clement. *unic.* de in integr. restit. L. *final*. C. de temporibus in integrum; & ita ex gratia potius, quam justitia daretur, ideo in tali restitutione extraordinaria non veniunt fructus; sed unde habent, restitutionem concessam *primo post quadriennium* à jure statutum? hoc enim non deducitur ex textu, ut ostensum est. Deinde nego in dato casu restitutionem concessam *ex gratia*; quia propter enormissimam læsionem etiam ultra quadriennium, non ex gratia, sed ex justitia, & jure sic disponente, Ecclesia restituitur, ex c. 1. ibi: *Vel alia rationabili causa*. c. 2. ibi: *nisi aliquid rationabile appareat*, de in integr. restit. in 6. sic Covarr. l. 1. variar. c. 13. n. 10. at in præsenti læsio fuit enormissima, cùm ex fructibus primi anni tantùm percepisset laicus, quantum pro villa dederat monasterio. 1299

Alii volunt in hoc casu, fructus non restitui propter naturam contractus feudalis, in quo à feudatario, pro labore, & servitio, quod exhibet Domino, fructus percipiuntur, ut in c. 1. de feud. quæ interpretatio suadetur ex illis verbis: *Cùm fructus illi sufficere debeant pro labore*; quæ non sunt intelligenda de solo labore impenso in cultura, & colligendis fructibus, ut Glossa voluit, sed de labore, seu servitio, ad quod ex natura contractus feudalis tenebatur ex c. 1. §. *hujus autem*, in quibus causis feudum amittatur, ut in usibus feudorum. Verum restitutio in integrum æqualiter competit Ecclesiæ, & Minori contra contractus indefinitè, ex quibus eis læsio provenit, L. *Si Minor*, L. *Si restitutio*, ff. de Minoribus; 1300

bus; ergo, si ex aliis contractibus, etiam læso ex contractu feudali, restitutio fructuum facienda esset; præsertim, cùm Servitium Vasalli propriè non veniat nomine laboris, de quo tamen sermo est in textu. Rectius igitur dici videtur in hoc casu fructus vasallo remissos esse ab Innocentio, *pro labore*, non eo, quem Monasterio, ut Vasallus præstitit; sed illo potius, *quem exhibuit, monasterium liberando à tantis debitis contractis, recognitione quadam beneficii Monasterio exhibiti*; fructibus cæteroquin de jure restituendis.

ARTICULUS X.

De pœnis res Ecclesiæ contra Canones alienantium.

1301 QUæstio fieri potest de pœnis, quæ impositæ sunt alienationibus activis seu alienantibus res Ecclesiæ; vel alienatum recipientibus extra casus à jure permissos? vel absque debita solennitate? impositis inquam, vel in Extravag. *Ambitiosæ*; vel aliis Constitutionibus Pontificum, *insertis juri communi*. Castropal. tom. 2. tr. 12. D. *unic* p. 15. §. 6. n. 7. censet, nullam *ipso jure* pœnam impositam esse locis illis, quibus extravagans *Ambitiosæ* recepta non est; illam autem in hac parte ferè nullibi esse receptam testatur Sylvest. v. *alienatio*. q. 15. Sarmiento 1. part. de reditib. c. 2. n. 20. Vasquez. cod. in opusc. c. 2. §. 2. dub. 7. n. 32. Bonac. D. 3. de contract. feud. q. 8. p. 4. n. 14. Suarez. tom. 5. de censur. D. 23. sect. 6. n. 3. Navar. sum. cap. 27. n. 149. in illis autem locis, in quibus dicta extravagans recepta est, puniri alienantes, Episcopos & Abbates, interdicto ab Ecclesiæ ingressu, in quo, si per sex menses perduraverint, suspenduntur à regimine, & administratione tam in temporalibus, quam spiritualibus Ecclesiæ, cui præsunt. Quod si alienantes inferiores Episcopis, & Abbatibus sint, privantur beneficio, vel officio illius, cujus bona alienare præsumpserunt, insuperque excommunicationem incurrunt, qua etiam recipientes alienatum comprehenduntur.

1302 Circa istam quæstionem not. 1. in c. *Apostolicas*. 13. §. *quisquis*. 12. q. 2. statutum esse, ut quisquis bona Ecclesiastica indebitè alienaverit, deponatur, ut prævaricator divinarum legum, & præceptorum: cassata videlicet omnino, quæ facta est in Scriptis, vel sine Scriptis ab Episcopo venditione, vel emphyteutica traditione, vel alia qualibet alienatione, cimeliorum scilicet, & saliariorum locorum: qui verò emerit, aut perceperit aliquid ex prædictis Cimeliis, vel Salariis, & non restituerit Ecclesiæ iterum, quæ Ecclesiæ sunt, vel non dederit ad incidendam chartam venditionis, vel emphyteuseos, sit anathema, usque dum fecerit, quod ab hac sancta, & universali Synodo confirmatum est. Deinde in c. *Si quis*. 6. h. t. constitutum esse, ut alienator, & is, ad quem res alienata transivit, nisi celeri restitutione sibi prospexerint, uti, & alienationi subscribens, *anathemate feriantur*; quod intellige, si alienatio perfecta sit, traditione secutâ; cum autem hæc jura loquantur inæqualiter, & quidem c. *Apostolicas*, dicat: *Sit anathema*; quod denotat *latam* sententiam; & c. 6. *anathemate feriantur*, quod explicat sententiam *ferendam*, videtur accipiendum ex his 2. juribus, quæ pœnalia sunt, quod jure noviori in c. 6. statutum est, cùm sit benignius.

Not. 2. in pluribus sacris canonibus, 1303
c. *Monemus*. 18. c. *quisquis*. 19. §. *quod si calliditate*; c. *Diaconi*. 35. junct. gloss. in casu. 12. q. 2. statui, ut, si Prælatus, vel Rector Ecclesiæ, illegitimè alienans, in revocanda alienatione contumax sit, etiam à Prælatura deponatur, vel removeatur ab administratione, & officio; item, Religiosum, qui Ecclesiæ Rector constitutus est, & ejus jura ultra tempus locavit, suspensionem ab officio *ipso jure* incurrere per Clement. 1. h. t. Quæ verò pœnæ contineantur in Extravag. *Ambitiosæ*; & recentiore Constitutione Urbani VIII. & in quibus hæc differat ab illa, colligi possunt ex dictis à n. 1157.

Not. 3. qui res, & bona Ecclesiarum 1304
petunt, & impetrant à Laicis, etiam Regibus, excludi à communione Ecclesiæ, ac impetrationem ipso jure irritam esse, c. *Qui res*. 2. h. t. ibi: *qui res Ecclesiæ petunt à Regibus, & horrendæ cupiditatis impulsu egentium substantiam rapiunt, irrita*

irrita habeantur, quæ obtinent, & à communione Ecclesiæ (cujus facultatem aufferre cupiunt) excludantur. Unde juxta Felinum c. *quæ in Ecclesiarum*, de Constitut. n. 38. Lex, *Bene à Zenone*, ult. C. de quadriennii præscriptione, dicens: (Fiscum, vel Procuratorem Cæsaris non teneri de evictione promittere, *etiam in rebus Ecclesiæ donatis, vel venditis*,) non habet locum in præjudicium Ecclesiarum; id quod præter illum etiam tradunt plures alii apud Barbos. in dict. c. 2. n. 3. & Gloss. ib. v. *irrita*.

QUÆSTIO XIV.

IN TITVLVM XIV. DE PRECARIIS.

1305 POst tractatum de rebus Ecclesiæ alienandis, vel non (uti solum in genere de translatione jurium, quæ competunt Ecclesiis, actum est) descendimus ad contractus in particulari, quibus juxta cujusque naturam res Ecclesiæ in alios, vel quoad proprietatem, vel solum jus utile transferri possunt, aut non possunt. Initium fit à *Precariis*, sic dictis, quòd significetur *rerum Ecclesiasticarum impetratio obtenta ad preces impetrantis, porrectas Ecclesiæ*, ut volunt aliqui, à supplicante in charta, quæ *precaria*, vel precatoria dicebatur; aliqui distinguunt in *precarium*, neutro, & *precariam* fœminino genere; seu, ut alii etiam dicunt *precarias* in numero plurali, quarum tamen mentio reperitur in solo jure canonico, ut constat ex c. *fin.* h. t.

ARTICULUS I.

De Precario.

1306 PRecarium est Conventio, qua quis precibus petenti rem aliquam utendam gratis concedit, adeoque nullo utendi vel fine, vel modo præscripto, sed tam diu, quam diu concedenti placet. L. 1. ff. de precario. & c. 3. eod. ibi: *precarium utendum conceditur, quam diu patitur, qui concessit*; est species quædam liberalitatis; reputari potest inter contractus sumpto *lato nomine contractus*, & hoc sensu *inter nominatos*; Cùm habeat nomen speciale, & *lucrativos*, seu gratuitos; cum recipiatur gratis. Differt 1. à *donatione*, quia donans sic dat, quin datum recipiat, & transfert dominium rei donatæ; 2. à *Commodato*, quia huic semper præfigitur certus rei usus, tempus certum; non autem precario; 2. quia qui rem precario accepit, eam possidet naturaliter; qui commodato, nec civiliter, nec naturaliter; ille, solum tenetur ex dolo, vel culpa lata, iste etiam ex culpa levissima, ut constabit ex seqq. his præmissis.

Quæritur 1. an precarium absque ra- 1307
tionabili causa validè revocari possit? procedit autem quæstio, si in principio concessum fuit absque dolo, seu animo statim revocandi; nam alias esset potius concessio inanis; quo posito. R. quòd sic; Cùm enim totum jus, quod habet, qui precario possidet, possideat à voluntate concedentis, ubi hæc defecerit, deficiet & illud; qualiter etiam revocatio beneficii manualis, quantumvis sine causa rationabili facta, ex dictis à n. 225. valet, quamtumvis ex causa irrationabili, aut fine malo, si beneficium concessum sit revocabiliter ad nutum concedentis; sic Azor p. 3. l. 2. c. 2. quæst. 1.

Quæritur 2. an repugnet naturæ precarii, concedi ad certum tempus? salvo 1308
tamen jure concedentis, ut etiam intra illud revocare possit? R. quod sic; ratio primi est, quia tametsi exprimatur certum tempus, stat tamen tota substantia precarii ex n. 1306. ratio 2. quia potestas revocandi precarium, quando concedenti placuerit, est de substantia precarii, ut liquet ex ejus definitione in n. jam cit. Et ideo precariò non potest adjici pactum, ne possit ad libitum revocari; nam

nam hoc pactum importat aliquid contrarium substantiæ conventioni de precario; consequenter illam vitiat ex c. *fin.* de conditionibus appositis.

1309 Quæritur 3. an, si rogans (seu is, cui precarium concessum est *præfixo certo termino*) hoc elapso precarium non restituat, nec concedens repetat, censeatur tacito istius consensu tempus prorogari, nec opus sit novâ illius traditione, si is, qui obtinet, preces non repetat? R. quod sic; ex L. *in rebus* 4. ff. h. t. §. 4. ibi: *item qui precariò rogavit finito tempore, etiamsi ad hoc temporis non rogavit, tamen precariò possidere videtur*: intelligitur enim dominus, cùm patitur eum, qui precariò rogaverit, *possidere*; rursus precariò concedere. & L. 5. ff. eod. ibi: *Sed si manente precario, tu in ulterius tempus rogasti, prorogatur precarium; nam nec mutatur causa possessionis, & non constituitur eo modo precarium: sed in longius tempus profertur*; si verò præterita die rogas, propius est, ut soluta jam causa precarii non redintegretur, sed nova constituatur.

1310 Quæritur 4. an etiam jura, & servitutes precario concedi, & obtineri possint? R. quod sic ex L. *Et habet.* §. *precariò* 2. ibi: *precariò habere etiam ea, quæ in jure consistunt, possumus: ut immissa, vel protenta.* Nec obstat, quòd jura, cùm sint incorporalia, non possint possideri, precarium autem possideatur à Rogante. R. ut possit precarium possideri à rogante, prout leges de illo possessionem affirmant, sufficere, *quasi possessionem*, qualiter hæc sufficit in aliis incorporalibus. Cæterùm, etsi verum sit, quòd in precario possessio *naturalis* (sed revocabiliter) transeat in Rogantem, possessio tamen civilis manet apud Concedentem. Prima pars est ex L. *in rebus* 4. ff. h. t. §. 1. ibi: *meminisse autem nos oportet, eum, qui precario habet, etiam possidere*; ac L. *Et habet.* §. *Eum, qui* 4. ff. eod. ibi: *an is quoque possideat, qui rogatus sit, dubitatum est? placet autem penes utrumque esse eum hominem, qui precario datus esset; penes eum, qui rogasset, quia possederat corpore; penes dominum, quia non discesserit animo à possessione* & ex hoc textu constat etiam ratio partis secundæ.

1311 Quæritur 5. quousque recipiens precarium teneatur ex rei concessæ interitu, vel deterioratione? non est dubium in hoc casu Rogantem ad nihil teneri, nisi res interierit, vel deteriorata sit *aliqua ejus culpâ*, vel *morali* (n mirum conscientiæ (vel *juridicâ*, nimirum negligentiæ, vel omissæ diligentiæ debitæ in eo effectu cavendo; nam hoc secluso nullatenus est ejus causa etiam moralis. Communis responsio est, illum teneri, si interitus, vel deterioratio ejus secuta est ex ipsius *dolo*, vel culpa juridica *dolo proxima*; sic habetur L. *quæsitum* 8. ff. de precario. §. *Eum quoque* 3. ibi: *Eum quoque tenere voluit Prætor, qui dolo fecit, ut habere desineret*; illud adnotatur, quòd *culpam non præstat is, qui precariò rogavit: sed solum dolum præstat, quanquam is, qui commodatum suscepit, non tantùm dolum, sed etiam culpam præstat.* Nec immeritò dolum solum præstat is, qui precariò rogavit; cùm totum hoc ex liberalitate descendat ejus, qui precariò concessit, & satis sit, si dolus tantùm præstetur; *culpam tamen, dolo proximam, contineri, quis merito dixerit:*

Quæritur 6. quot modis finiatur precarium? R. finiri 1. revocatione concedentis; 2. alienatione; 3. morte Rogantis: non autem concedentis; constat ex *c. fin.* h. t. ubi Gregorius IX. ait: *precarium utendum conceditur, quàm diu patitur, qui concessit; solvitur quoque obitu ejus, cui concessum est, non etiam concedentis; aut, cum ipsum alienari contingit, alicui hoc revocare volenti; quia per conventionem hujusmodi non licet rem alienam invito domino possideri.* 1312

His addi potest casus, quo precarium sine omni revocatione finitur, quando scilicet debitor à Creditore accipit pignus precariò, & deinde debitum solvit; tunc enim cessat, precarium, ut habetur L. 11. ff. h. t. ibi *si debitor rem pignoratam precariò rogaverit, soluta pecuniâ precarium solvitur; quia id actum est, ut usque eò precarium teneret.* 1313

Ex hoc sequitur concessionem precarii *activam* mortuo *concedente* transire ad hæredes concedentis, donec per illos revocetur per L. *Cùm precariò* §. *precariò.* 1. ff. eod. ibi: (*precariò rogatio, & ad hæredem ejus, qui concessit, transit; ad hæredem autem ejus, qui precariò rogavit, non transit: quia* 1314

quia ipsi duntaxat, non etiam hæredi, concessa possessio est; quo pariter habetur precarium non transire ad hæredes rogantis. Prima verò pars (quod precarium transeat ad hæredes Concedentis) intelligi debet, quando concessum est ad tempus incertum, prout hoc opponitur concessioni factæ ad vitam concedentis; vel, quamdiu concedenti placuerit: sic enim cum ejus vita cessat placitum, c. 5. de Rescript. in 6. & L. 4. ff. Locati.

1315 Quæritur 7. an activa precarii concessio transeat etiam ad successores singulares Concedentis? R. quod sic, ex L. *Quæsitum.* 8. ff. de precario §. ibi *quod à Titio precario quis rogavit, id etiam ab hærede ejus precario habere videtur: & ita & Sabinus, & Celsus scribunt, eoque jure utimur; ergo & à Cæteris successoribus habere quis precario videtur; idem & Labeo probat, & adjicit, etiamsi ignoret, quis hæredem; tamen videamus, quale sit, si à me precario rogaveris, & ego eam rem alienavero, an precarium duret re ad alium translata? & magis est, ut, si ille non revocet, posse interdicere, quasi ab illo precario habeas; non, quasi à me; & si passus est, aliquo tempore à se precario habere, recte interdicet, quasi à se precario habeas.*

1316 Quæritur 8. an precarium finiatur, si à concedente alienetur? R. precarium (absque temporis designatione concessum) eo casu non finiri, nisi vel ab alienante, vel à successore revocetur; cum enim Roganti fas sit retinere rem precariò datam, donec revocetur ab habente potestatem; quàm diu id non contingit, vel à concedente, vel à Successore, in quem alienavit, Rogans licitè retinebit precarium.

1317 Quæritur 9. quænam actio competat concedenti precarium contra Rogantem, qua res concessa repeti possit? R. quod ei competat 1. interdictum restitutorium de Precariis. L. 2. ff. h. t. ibi: *quod precario ab illo habes, aut dolo malo fecisti, ut desineres habere, qua de re agitur, id illi restituas*, 2. actio præscriptis verbis. ibidem §. 2. Sed solum ex bono, & æquo. Nam ex precario nulla civilis actio nascitur, sed tantum interdictum de precariis. L. 14. ff. h. t.

1318 Per interdictum *restitutorium* intelligitur decretum, quo Prætor aliquid restitui jubet, v. g. possessionem, precarium, &c. de quibus plura lib. 2. tit. 12. de causa possess. ita Zoësius in l. 4. Instit. tit. 15. §. *summa autem.* n. 5. actio autem *præscriptis verbis* dicitur, ut notat idem Zoësius Instit. l. 3. tit. 25. in annotat. n. 4. qua ex verbis in libello præscriptis, sive ex narnaticis verbis ipsius libelli petebatur à Prætore, & dabatur animo, cujus causa non est nuda conventio, sed habens in se negativum aliquid, quod consequitur; & l. 4. tit. 6. n. 64. ait actiones *præscriptis verbis* ideo dari, quia nomine proprio, & specifico carent, ut dari ex iis certa, & definita actio nequeat.

Si autem dicas: actio præscriptis ver- 1319
bis datur ex contractibus innominatis; ergo si datur ex precario, hoc erit contractus innominatus, quod est contrà dict. n. 1306. R. verum esse, quod ex precario nulla nascatur civilis actio, ut habetur L. 14. ff. h. t. ibi: *interdictum de precariis merito introductum est, quia nulla eo nomine juris civilis actio esset; magis enim ad donationes, & beneficii causam, quam ad negotii contracti spectat contrarii conditio.* & constat etiam ex præced. num. nihilominus (esto ut diximus n. cit.) non sit contractus strictè, consequenter nec nominatus hoc sensu: utrumque tamen de illo rectè dicitur sumendo contractum latè juxta à n. 993. Hinc quamvis actio præscriptis verbis de juris rigore non detur, nisi in contractibus innominatis propriè talibus: ex bono tamen, & æquo etiam admittitur in precario, propter similitudinem cum commodato.

Dices: si precarium revocatione con- 1320
cedentis finiretur, posset revocari omni tempore, & statim, ac concessa res precario est, & postea: sed non potest revocari *statim.* L. *in commodato* §. *sicut autem.* ff. commodati ut docent Covar. lib. 3. variar. c. 13. n. 6. Gibalinus de usuris l. 2. c. 5. art. 1. n. 1. R. N. ma. ex dict. quia, cum concessio precarii beneficium aliquod sit, proinde oporteat accipientem eo *juvari*, non *decipi* (præsumitur enim dolus in concedente precarium, illudque statim revocante) rectè sequitur, eum, qui precarium concessit, si illud sine justa causa superveniente revocare intendat, repelli excep-

ptione doli, ut fusè prosequitur Covar. l. 3. variar. c. 13. n. 6.

1321 Dices 2. si ex natura precarii proveniret, ut *revocatione* finiretur, non vero *morte concedentis*, sequeretur quod pactum in contrarium initum contra ejus essentiam, & substantiam non valeret, ut latè probat Antonius Faber decad. 77. errore 3. Covar. in 4. p. 2. c. 23. §. 1. n. 23. Molina lib. 4. de primog. c. 2. à n. 40. Rodriguez de annuis reddit. l. 2. q. 1. ex n. 22. Pinellus lib. 2. select. c. 12. n. 6. Sed tale pactum valet; quia valet pactum, valet, quo conceditur precarium ad certum tempus, veluti ad mensem, L. *in rebus*. §. *ult*. L. *cum precario*. ff. de precario. Deinde valet pactum, ut rogans rebus utatur, quousque concedens velit; & tamen hoc casu finitur precarium morte concedentis L. 4. ff. locati: igitur ex natura precarii non provenit, ut *revocatione* finiatur; non autem *morte concedentis*. R. C. ma. si irrevocabilitas deduceretur in pactum, ut notavimus superius; sic Covar. in 4. p. 2. c. 23. §. 1. n. 23. & alii; dist. primam partem min. sed tale pactum valet, quo revocabiliter conceditur precarium ad certum tempus, mensem v. g. C. min. irrevocabiliter N. dictam primam Minoris partem; alteram verò ejusdem partem omnino concedo sub data distinctione; absolutè autem quoad id, quod finiatur morte concedentis, quando concessum est cum clausula: *quam diu concedens velit*, ut diximus alibi disting. conseq. igitur ex natura precarii non provenit, ut *tantum* revocatione finiatur, C. conseq. (cum ex dict. pluribus modis finiri possit) ut etiam revocatione finiatur. N. conseq. Concedo igitur non esse de natura precarii, ut finiatur *solum* revocatione, quando egreditur notissimos suos terminos, & precarii rogatio fit cum clausula à concedente adjecta, *quo ad ipse velit*; nam tunc in sui perseverantia non pendet à revocatione tantum, sed etiam ab existentia voluntatis concedentis, quæ utique sublato ipso per mortem etiam tollitur, & de hoc casu procedit L. 4. ff. locati.

1322 Dices 3. Cum Aquilius Regulus Nicostrato concessisset, ut in cœnaculo habitare, ac illo uti posset, nullo constituto termino, & mortuo Aquilio hujus hæredes id revocare vellent, non est illis permissum, concessam illam habitationem revocare, ut dicitur L. *Aquilius Regulus* 27. ff. de donat. ergo precarium per *concedentis hæredes* revocari non potest. R. N. suppositum conseq. in eo casu interveniisse *precarium*; nam, ut patet ex textu ibi: (*quoniam & cum Patre meo semper fuisti, & me eloquentia, & diligentia meliorem reddidisti, dono, & promitto tibi &c.*) donatio illa non fuit merè gratuita, sed ob causam & remunerationem, ob justa servitia, & obsequia, ob satisfactionem operæ à Nicostrato in ejus discipulum impensæ: remuneratio enim ob justa servitia, non est liberalitas, sed, solutio obligationis naturalis, & contractus quidam commutativus, in quo res pro re datur, potius quam donatio. Cum ergo obligatio illa antidoralis tenuisset Aquilium, ita, ut donationem illam habitationis revocare non posset; ejus hæredes obligat ne possint habitationem ita concessam revocare.

ARTICULUS II.

De precariis.

EX dictis n. 1305. constat, *precarium* 1323
in neutro, *precariam* in genere fœminino, & *precarias* in numero plurali dici. Hostiensis in summa, statim in principio hujus tituli, vult *precariam*, & *precarias* esse distinctos contractus; sed verius est oppositum ex gloss. in c. *fin*. h. t. quamvis hoc verum sit de *precario*, & *precaria*, ut dicemus. Sumendo igitur *precariam*, & *precarias* pro invicem; *precaria* definitur ab aliquibus: *contractus jure civili fermè incognitus, in quo res mobilis alicui ad preces ejusdem conceditur in perpetuum, vel ad vitam accipientis*, vel *ad tempus longum, ita ut beneficii cujusdam loco sit*; vel etiam *ad tempus breve, sed certum, & determinatum, ita, ut, ante illud elapsum, revocari non possit*; Gl. in c. 1. V. *precaria*. h. t. ita Pirhing. h. t. n. 10. à Desselio autem h. t. theor. 1. quod sit *contractus nominatus, quo alicui fundus, vel alia res frugifera Ecclesiæ, in perpetuum, vel ad dies vitæ, vel*

vel aliud longum tempus Conceditur, conceſſione de quinquennio in quinquennium renovanda; à Gonzalez. in c. 1. h. t. n. 4. quod ſit *contractus, quo res Eccleſiæ alicui petenti commendantur, ſub annuo cenſu, vel alio quocunque onere, ad quinquennium, aut aliud tempus, quo finito Eccleſia res ſuas recuperat*: à Pereyra in Elucidario n. 1835. quod ſit *conceſſio ad totam vitam, vel ad certum tempus, intra quod revocari non poteſt; & fit aliquando ob remunerationem meritorum; aliquando pro certa penſione annua; aliquando in commutationem; & revocari ſolent hujusmodi precariæ de quinquennio in quinquennium, ne indultum ejus Eccleſiæ concedentis oblivione extinguatur*, ut habetur c. 1. de precariis. Ex his *precariarum*, ſeu *precariæ* deſcriptionibus apparet, *precariam* non accipi ab authoribus pro eodem; & quoniam verior ſententia tenet in precariam concedi poſſe etiam rem immobilem, immerito reſtringitur ad rem mobilem, ut vult prima definitio; de reliquis etiam conſtabit ex ſeqq.

1324 Pro quorum reſolut. not. quamvis verum ſit precariam, ſeu precarias reperiri in uſu ſolius juris canonici, & hos contractus celebratos eſſe tantum in rebus Eccleſiaſticis; quosdam tamen non immerito exiſtimare, hunc contractum, vel conventionem etiam à jure civili, quoad *ſubſtantiam*, licet non quoad *nomen*, fuiſſe agnitam. L. *Iubemus*, & 2. §. *Sanè* C de Sacroſanct. Eccleſ. Not. 2. (ut refert Gonzal. in c. 1. h. t. n. 5.) circa cauſas introducendi in Eccleſia precarias, non convenire Authores. Nam Petrus Gregorius l. 23. ſyntagmatum, c. 2. Hothomannus de verb. feud. V. *precariæ*, Precarias inventas eſſe ajunt ex eo, quod, cum parta victoria de Germanis à Ludovico Imperatore anno 499. ut refert Baronius ibid. non tam armorum vi, quam Chriſti pietate, tunc fideles in gratiarum actionem ferè omnia bona ſua Eccleſiæ obtulerit, poſtea, ne egeſtate laborarent, ab Eccleſia precibus impetrabant, ut earum rerum, vel aliarum uſumfructum habere liceret eis, quod Eccleſia facilè concedebat.

Gibalinus verò lib. 4. de Uſuris c. 2. a. 2. (quamvis Gonzalez exiſtimet, rectè dici, precarias ex utraque cauſa eſſe ab Eccleſia introductas) ortas cenſet, quod quamvis pluribus Imperatorum legibus, Eccleſiæque conſtitutionibus bona Eccleſiarum prohibita eſſent alienari; illud tamen genus conceſſionum permittebatur, ut petenti, ad certum tempus, rerum Eccleſiæ uſusfructus, non denegaretur, ſi non minus, quam tantæ quantitatis, ac acceperat, redditus cum ipſarum rerum dominio Eccleſiæ relinqueret, L. *Iubemus*. §. *ſanè*. C. de ſſ. Eccleſiis.

Not. 3. quamvis olim *precariæ* communiter eſſent perpetuæ; quia tamen variis fraudibus Laici eas obtinebant, aut retinebant, imò etiam ipſi Prælati dolo, & fraude ipſas concedebant, varias fuiſſe leges ab Eccleſia editas, ut vitarentur hujusmodi fraudes, quas refert. Gibalinus de uſuris l. 4. c. 2. a. 9. Inter eas porro leges præcipua fuit, *ne precariæ eſſent perpetuæ*, quod primum ſtatutum fuit à Joanne IX. in Synodo Raven. anno 904. teſte Baronio in eodem anno. Deinde à Gregorio VII, ac denique ab Urbano II. anno 1096. in Concilio Turon. & ſimul ſtatutum fuit, ut de quinquennio, in quinquennium renovarentur, ut ita nunquam poſſent perpetuæ præſumi; & ideo in Concilio Agathenſi can. 59. dicitur: *Epiſcopos prolixas adminiſtrationes, aut precarias facere non debere, ne diu retentæ, in jus proprietatis tranſcribantur*; & ſpatium hoc *quinque annorum*, non longius, aut brevius, ſtatutum fuit magna cum ratione; nam locationes veteri Romanorum more de quinquennio in quinquennium fiebant, cujus moris veſtigia exſtant in L. *ſi quis*. 4. §. *fin*. ff. de rebus credit. L. *ſi quis*, 49. ff. de act. empti. 1325

Ex hoc videtur, in definitione precariæ meritò apponenda eſſe verba: *Conceſſionis de quinquennio, in quinquennium renovandæ*: Quæſtio tamen eſſe poteſt, an, ſi elapſo quinquennio non renovetur, nec precariæ revocatio à concedente fiat, precaria continuetur, vel ſaltem tacitè renovetur? aut potius committatur? Primum affirmat gloſſ. in c. 1. h. t. V. *Quinquennium*, exemplo ducto à precario, quod hoc continuetur, ſi elapſo termino, ad quem conceſſum eſt, non revocetur ex ſupr. dict. Verum, cum negotium 1326

gotium *precariæ* diversum sit à *precario*, ut ut tenet ferè communis, & dicemus in sequent. ab uno ad alterum non bene fit illatio. Nam precariæ renovatio exigitur, quia dominii memoria perire potest, cum res Ecclesiæ, ut communiter possessæ, negligantur. L. *meminimus* 2. C. quando, & quibus: at hoc periculum in precario non datur, si quidem quilibet præsumitur diligens in requirendis rebus propriis. L. *cum de in debito*, de probat.

1327 Nec etiam rectè probatur ex eo, quod, si in locatione tempore elapso non fiat revocatio, tacita reconductio induatur. L. *item quæritur*. §. *fin*. ff. locati. L. *legem*. 16. C. eod. Primò enim *conductio*, & *precaria* diversæ naturæ sunt, ut dicemus in sequent. deinde precariæ renovatio non aliter fit, quam si scriptura interveniat; ergo ex patientia tacita renovatio non inducitur, ex regula L. *contractus*. C. de fide instrum. Nam patientia consensum duntaxat potest inducere, nec scripturam, similemvé solennitatem supplere valet.

1328 Hinc probabilius dicitur, eo casu *precariam* amitti; nam, ubi requiritur renovatio actus, non sufficit consensus solum præsumptus ex patientia alterius, ut constat ex feudo, quod amittitur, si vasallus, vel ejus hæredes novam investituram, seu concessionem non petierint, ut dicitur in c. 1. tit. quæ fuit prima causa beneficium amittendi in usib. feud. §. 1. Deinde hæc renovatio exigitur in precaria per *expressam* concessionem, seu voluntatem concedendi eam ad longum tempus; ergo cessante hac voluntate, perit precaria; probatur, quia elapso termino illius temporis cessat ea voluntas; cùm, ut ponit casus, ultra illud tempus non porrigatur; cessante autem voluntate concedentis, cessat precaria: Ergo. Demum specialis ratio est precariæ, quæ pendet a fine, propter quem talis renovatio exigitur, *ne* scilicet *dominii memoria pereat*; huic autem periculo non satis cautum esset, nec succurreretur per tacitam renovationem: ergo; quibus positis.

1329 Dubium 1. est, an, & qualiter precaria differat a precariis? esse discrimen censet Hostiensis, prout insinuavimus n. 1305. rationes pro hac opinione videntur esse, 1. quia *precariæ* transeunt etiam ad hæredes; non *precaria*; 2. in precaria renovatio desideratur; in precariis vero necessaria non est; 3. in textu c. 1. h. t. precariæ ad quinquennium renovantur; precaria vero nullam talem conditionem exigit c. *hujusmodi* 10. q. 2. c. *Sæpe*. 27. 12. q. 2. c. *Clerici* 16. q. 3. 4. precaria ad vitam tantum conceditur, dict. c. *hujusmodi*. c. *Sæpe*; precariæ verò etiam in successores transeunt; c. *ad aures*. de rebus Eccles. 5. nominum differentia rerum quoque distinctionem indicat L. *Si idem*. C. de Codicill. ergo, cum hæc nomina saltem numero differant, diversa negotia significare videntur: 6. precariæ pluraliter dicuntur, quoniam, cum per quinquennium renoventur, plures concessiones sunt argumento. L. *Scire*. 19. ff. de verbor. oblig. cum verò ad vitam conceditur, quoniam renovari non debet, singulari numero precaria appellatur.

Contrarium tamen communis tenet, 1330
nimirum inter precariam in singulari, & precarias in plurali numero nullum esse discrimen in jure Gonzalez in c. 1. h. t. n. 11. Cum Zabarella, Butrio, & aliis, negantibus eorum aliquid, quæ pro differentiis afferuntur, convenire uni, non alteri; nec juvat, quòd in c. *Hujusmodi*. 10. q. 2. ad precariam non exigatur renovatio quovis quinquennio; primò enim illud c. inscribitur *palea*, consequenter nihil, vel parum probat, ex dict. l. 1, tit. 2. Deinde non probat textum procedere de precaria, non de precariis; cum neutram vocem exprimat, & solum loquatur de gratia beneficii, præstante Ecclesiastici, prædii pro tempore usumfructum; hæc autem gratia non minus significatur voce precariarum, ac precariæ: 3. quod eo tempore dicta renovatio non exigeretur, non est, quòd non peculiare habeat precaria, præ precariis; nam nec istæ olim id habebant, ut constat ex dictis.

Quod autem intenditur ex c. *Sæpe*, 1331
quod ordine sit 27. in causa 12. q. 2. nihil facit; 1. quia nullum extat c. *Sæpe*, in illa causa, quod ordine sit 27. Deinde c. *Sæpe*, quod est 72. in dicta causa, & q. dicitur: *quod sæpe fiat, ut proprietati originis obsistat longinquitas temporis quapropter providentes decernimus, ut si quis Clericorum stipendium de rebus Ecclesiæ cujuquam*

quam Episcopi percepit largitate, sub precariæ nomine debeat professionem scribere, ut nec per tentionem diuturnam præjudicium afferat Ecclesiæ, & quæcunq; in usu perceperit, debeat utiliter laborare, ut nec res divini iuris videatur aliqua occasione negligi, & subsidium ab Ecclesia, cui deserviunt, percipere possint Clerici; quod si quis eorum contempserit facere, ipse stipendio suo videbitur privare. Ex hoc enim, quod in isto textu loquente de *precaria* nulla fiat mentio renovationis quinquennalis, fiat autem ejus mentio in textu c. 1. h.t. loquentis de precariis, non probatur distinctio, sed tantum, ut notavimus superius, nec in precaria, nec in precariis, olim fuisse constitutam eam renovationem; unde solum infertur c. *Sæpe* loqui de precaria, & precariis secundum jus *antiquum*; & c. 1. h.t. de iisdem secundum jus *novum*; nullum autem c. *Clerici.* extat cit. loc. nimirum caus. 16. q. 3.

1332 Neque verum est, in dict. c. *Sæpe*, dici, precariam tantum ad vitam concedi, quia, ut liquet ex textu jam relato, nihil de hoc dicitur; Sed nec illud subsistit, quod affertur ex c. *ad aures* 7. de reb. Ecclesiæ non alienand. sic enim habet: *Illas terras, quæ de sylvis extirpatis sunt arabiles factæ, eis hæreditario jure poteris concedere sub annuo censu tenendas, à quibus suo, vel parentum suorum labore constiterat extirpatas; nisi fortè tunc aliis possint ad majorem Ecclesiæ utilitatem, cum eodem labore, & onere, conferri.* Nam unde constat textum procedere *tantùm* de precariis, & non precaria? textus enim nihil omnino continet potius pro illis, quam pro ista; ambo igitur pari modo procedunt de transitu ad hæredes ex vi c. *ad aures.* Ad ultimum de nominum differentia, R. negando causalem, precarias igitur pluraliter dictas, quia cum per quinquennium renoventur, plures concessiones sunt; olim enim precariæ erant etiam sine revocationibus factis quolibet quinquennio, ut notavimus in præmissis.

1333 Dubium alterum est, qualiter *precaria* differant à *precario?* ante resol. not. ad substantiam *precarii* pertinere 1. consensum dandis, & accipientis; cum sit aliquis contractus, per L. *Contractus.* 23. ff. de reg. juris. 2. traditionem rei; cùm sit contractus, qui re perficitur; 3. ut concedens possit rem, quando voluerit, revocare. L. 1. ff. h. t. & c. *fin.* eod. non tamen sic, ut Rogans nullum rei usum habeat, quia sic non esset beneficium (nisi necessitas cogat) *decet* enim *nos adjuvari, non decipi, aut lædi beneficio* per L. 17. §. *Sicut.* ff. commodati. Quo posito R. juxta communem differre ex hoc 1. quod *precaria* versetur solùm possessiones in rebus soli, & immobilibus c. 2. §. *Si œconomus*, & c. *Si precariæ* 4. 12. q. 2. *precarium* autem etiam circa res mobiles, & servitutes, v.g. iter, & actus per fundum alterius. L. 2. & 4. ff. h. t. 2. ex hoc quod precaria semper concedatur ad tempus definitum; non precarium. Abbas in c. 1. h. t. à n. 1. 3. quod precaria non sit revocabilis pro arbitrio concedentis c. *fin.* h. t. nisi sit irrationabiliter concessa. c. 2. eod. Unde precaria non est propriè *vitalitium*, quo prædium aliquod, vel alia res immobilis conceditur ad vitam unius, vel alterius conjugum eâ lege, ut certum quid inde quot annis concedenti persolvatur, vulgò **Leibgeding**; hoc enim per se quot annis Domino affert utilitatem; sic Haunoldus cit. tom. 3. tr. 9. c. 4. n. 580. quod per se non habet precaria. Veteriores differentias assignat Gondalez in c. 1. h. t. n. 4. primò, quod in precario nulla merces intervenire possit, quia est gratuitum; l. 1. §. 1. L. *quæsitum.* 8. §. *eum quoq;* ff. de precar. in precaria autem plerumque intervenit merces, seu pensio: Secundò, ex precario nonnunquam transfertur possessio; ex precariis vero nunquam possessio quæritur. &c.

Dubium 3. est, an, & qualiter precariæ differant ab emphyteusi? R. tametsi conveniant in plerisque, differre tamen 1. quod precariæ communiter fiant *gratis*, & *ad preces* rogantis; licet etiam quandoque concedantur cum onere alicujus pensionis; 2. quod singulis 5. annis renovari soleant, c. 1. h. t. & c. *Precariæ.* 12. q. 2. in emphyteusi autem certa pensio in recognitionem dominii est solvenda per L. 1. C. de jure emphyt. & §. *adeo.* Instit. de locat. Renovatio autem illa fit solum, ne longitudine temporis pereat memoria contractus, & omissa tali renovatione commitur, seu amittitur precaria, per Barbos. ad Rubr. hujus tit. in fine n. 10. Deinde emphyteusis propter 1334

agrorum culturam inventa est, ut essent, qui agros desertos excolerent; sic Hothomannus v. *emphyteusis*; non autem precariæ; emphyteusis perpetua est, L. 10. C. de locat. & dicitur perpetuarium L. 1. C. de offic. Comitis sacr. palat. L. 1. & 2. C. de locat. præd. fiscal. precariæ ad quinquennarium; emphyteusis datur sub lege melioration is, non sic precariæ. &c.

1335 Dubium 4. an precarium, vel precariæ veniant nomine alienationis prohibitæ in rebus Ecclesiasticis? R. quod sic, si fiant sine solennitatibus, aut in casibus, aut ultra tempus à jure permissum. Precariæ porro concedi poterant non solum Clericis, & Monachis, sed etiam Laicis; de Laicis constat ex. 12. q. 2. c. *sæpe* 72. ubi, etsi in litera vulgata *Clericorum* tantum mentio fiat; at ex emendatione Gregoriana adduntur illa verba: *vel aliarum quarumlibet personarum*; unde probanda est vulgaris lectio textus in c. *si Episcopus*. 12. 16. q. 3. ubi legitur: *Clericis*, *vel Monachis*, *vel quibuslibet*; quæ, etsi à nonnullis codicibus absint; tamen defendi possent, & ita intelligendi sunt textus in c. *possessiones* 16. q. 1. c. *Clerici*. 16. q. 3. Concedi autem poterant ab his, qui res Ecclesiæ propriæ administrabant; quales sunt Episcopi, Abbates, & similes, quæ porro forma in concessione à renovatione precariarum servata fuerit Gonzalez in c. 1. h. t. à n. 7. ubi etiam à n. 8. agit de ipsarum materia; quas porro Ecclesia, & quam innumeras fraudes experta sit, postquam contractum precariarum adinvenit, fusè tradit in c. 2. eod.

1336 Dubium 5. est, an ex precario transferatur possessio? cum materia precarii sit quælibet res, sive mobilis, sive immobilis, imo & jura, ac servitutes. L. *precario*. §. *habere*. ff. de precario. Pro resol. not. *precarium* nec propriè donationem, nec contractum dici posse, & potius de natura utriusque participare, & aliquantum assimilari donationi, ac commodato. L. 1. §. *est & simile*. 3. L. *Interdict*. 14. §. *is qui precario*. ff. de furt. Not. 2. precarium constitui primo simpliciter, cum quis rogat tantum, ut in possessione sit, 2. cum precibus illud addit, *ut sibi possidere liceat*: Quibus positis:

Respondet Gonzalez cit. c. *fin*. h. t. n. 1337
4. si priori modo constituatur, eum, qui simpliciter rogavit, ut in possessione sit tantum, rem precario concessam non possidere, sed possessionem istius remanere penes dantem, qui eandem possidet suo animo, & alterius corpore, eodem planè modo, sicut per servum, colonum, inquilinum, procuratorem, eum, apud quem rem deposuimus, cui commodavimus, & alios quoscunque, qui alienæ possessioni ministerium præstant, juxta L. *quod meo*. ff. de acquir. possess. possidemus; & hoc casu certum est, eum, qui precario rogavit, non possidere. L. *si quis ante* 10. §. *idem Pomponius*. ff. de acquir. possess. L. *si fur*. 32. §. *ultim*. ff. de usucap. L. 2. §. *habere*. 3. L. 6. §. *is, qui rogavit*. 2. L. *quæsitum*. 8. L. *cum precario* 21. ff. de precario. L. 4. C. de his, qui à non Domino. L. 2. C. de præscript. 30.

Hujus ulteriorem rationem reddit ex 1338
magna similitudine cum commodato; in utroque enim casu usus rei transfertur in alterum, sed cum hac differentia, quod in commodato usus cum certo modo, tempore, & fine præscribatur ab eo, qui beneficium tribuit. L. *in commodato*. 17. §. *sicut autem*. ff. commodati: in precario autem usus tamdiu relinquatur, quam diu concedendi libuerit, L. 2. §. *& naturalem*. 2. ff. de precar. Certum autem est, quod Commodatarius rem commodatam non possideat, L. *rei commodatæ*. 8. ff. commodati. L. *officium*. 9. ff. de rei vindic. L. *possideri*. 3. §. *sed si is*. 20. ff. de acquir. vel amitt. poss. idem igitur statuendum erit de illo, qui simpliciter rem rogavit precario; cum is in re concessa minus juris habeat, quam Commodatarius in re commodata; hæc enim non potest revocari quovis tempore ex arbitrio commodantis; secus res precario concessa.

Si autem posteriori modo precarium 1339
constituatur, censet eum, qui rogavit, ut sibi possidere liceat, vere nanciscì possessionem, sed naturalem tantum, & qua non procedat usucapio; cum non possideat usu dominii. L. *si servus* 22. §. *is, qui pignori* 1. ff. de noxal. action. ac eo casu, illum, qui precarium concedit, nec naturaliter, nec civiliter

possi-

possidere. §. *retinendæ.* 4. vers. *nam uti possidetis.* Justit. de interdict. qua doctrina supposita tradit 1. eo casu possessionem Rogantis esse possessionem justam, quam diu res non revocatur à concedente; 2. quod, si res concessa foret aliena, & concedens eam usurpare cœpisset, iste ad complementum usucapionis posset sibi adjicere totum tempus, quo eandem rem rogans possedit voluntate concedentis non revocatam; hæc tamen videntur difficilia; quomodo enim possessio rogantis prodesse potest concedenti tunc nullam habenti possessionem per seipsum, vel per alterum? at in dato casu concedens per se ipsum, nec naturaliter, nec civiliter posideret, ut docet dictus author, & rogans non posidet nomine Concedentis, ergo. Videtur igitur dicendum, possessionem esse penes Rogantem præcisè quoad usum, quoad proprietatem, & alia jura, in ordine ad quorum actus roganti nihil constitutum est, esse penes concedentem saltem civiliter.

QUÆSTIO XV.

IN TITVLVM XV. DE COMMODATO.

1340 QUoniam *commodatum* magnam affinitatem habet cum Precario, ut ex dictis constat, subjungitur *illi* præsens titulus *de Commodato*, hoc enim etiam gratiosum est, & nulla ex parte recipientis exigente obligatione conceditur. Quoniam autem in casu non tantum commodati, sed etiam depositi, & plurium aliorum contractuum, vel dispositionum *dolus*, quandoque culpa, vel casus fortuitus intervenire potest, & exinde circa obligationem ex commodati læsione, vel interitu plures controversiæ nascuntur, horum expositionem præmittimus.

ARTICULUS I.

Quid sit dolus, culpa, casus fortuitus?

1341 PRæmitto hanc quæstionem ex causa n. præced. indicata. Quare not. 1. quod *dolus* sit dictum, vel factum animo alterum decipiendi. Sumitur in bonam, vel malam partem: honestè enim, vel turpiter decipi proximus potest, ut inquit Ulpianus in L. 1. §. 1. ff. de dolo. *Honeste* decipitur; Cùm ei utilis est deceptio; ut in casu, de quo Paulus ad Corinth. scribens dixit, *astutus vos dolo ce-*

pi; dolus enim, qui salutem operatur, utilis est. Cæterum frequentius in malam partem desumitur, ut constat ex pluribus sacræ scripturæ locis, & variis legibus tum juris civilis, tum canonici, & in hac acceptione in præsenti sumitur. *Dolus* sic acceptus L. 1. §. 1. ff. de malo, definitur: *calliditas, fallacia, ac machinatio*, ad circumveniendum, fallendum, ac decipiendum alterum adhibita. Dicitur *calliditas*, cum animo decipiendi omittis, quod facere debueres; in dolo enim versaris, sic omittens L. *dolus*. ff. mandati. Dicitur *fallacia*, cum verbis fallis; nam si falsis factis, *fraudem* propriè committis. Dicitur *machinatio*, cum tentas verbis, vel factis, deceptionem. Quia vero ad *dolum* proprie dictum opus est parva intentione, nimirum animo decipiendi, ac fallendi; hæc autem intentio in animo consistit: ideo dolus ex mente Doctorum alius est *verus*; alius, *præsumptus*. Verum appellant, qui confessione decipientis, vel manifestis indiciis declaratur L. *dolum* C. de dolo: *præsumptum*, qui ex conjecturis dubiis colligitur, ut tradit Bartolus in L. *quod Nerva*. n. 14. ff. depositi.

Culpa in genere est deviatio ab obliga- 1342
tione; seu, defectus in eo, quod quis de-

debebat præstare, vel omittere; si quis omisit, vel fecit, ad quod omittendum, vel faciendum tenebatur in conscientia, seu sub vero peccato, dicitur *culpa Theologica*; si autem omisit (ac exinde aliquid evenit, v. g. damnum, jactura, vel interitus alicujus rei) quod per adhibitam diligentiam caveri poterat,& debebat, dicitur *culpa juridica*; hinc si talis negligentia, seu diligentiæ omissio facta est *animo nocendi*, non distinguitur à *dolo malo*; si verò tali animo careat, à dolo differt; & triplex est, nimirum lata, levis, levissima.

1343 *Culpa lata* est, cum diligentiam omittis,quam communiter,& frequenter homines ejus conditionis in tali negotio apponunt; *levis*, si omittas diligentiam, quam periti adhiberent: *Levissima*, si diligentiam diligentissimorum. His adde *casum fortuitum* qui per quemcunque diligentissimum provideri non potuit. Exemplum culpæ *latæ* est, cum quis librum, quem commodatum habebat, reliquit in scamno extra domum, ubi patebat volentibus surripere; culpæ *levis*, si v. g. Commodatarius reliquit librum intra cubiculum, sed aperto ostio, unde surripi poterat: *Levissimæ*, si quis reliquit eundem librum in cubiculo, clave quidem observato, attamen non tentavit digito, num observatum maneret? Sic Pereyra in Elucid. à n. 147. & plures alii. Not. autem contingere aliquando *culpam juridicam*, conjunctim esse *cum Theologica*; nimirum cum esses obligatus, potuisti damnum providere, & non providisti; aliquando ab ea disjunctim, eo, quod omnem diligentiam præcavendi damnum apposueris, sed, quia non apposuisti, quam diligentes, vel diligentissimi, apponerent, culpam juridicam committis, quia ex juris dispositione, & ex natura contractûs obligaris, eâ diligentia non apposita, damno, & casui fortuito satisfacere. Nam hæc obligatio humano commercio, & Societati multum expediens est; his præmissis:

ARTICULUS II.

Quid,& quotuplex sit Commodatum?

1344] *Commodatum*, ex ethymologia vocis, dicitur, *quasi commodo datum alteri gratis*, vel *quasi commodo accipientis, sive utentis*, datum; Sumitur tum pro re ipsa,cujus usus alteri conceditur; tum pro contractu, qui instit. quib. mod. §. *item is*, sic definitur: *est rei alicujus quoad solum usum gratuita concessio.* A Molina to. 2. D. 294. init. & Lesio l. 2. c. 27. n. 4. Sic explicatur, ut per particulam (*gratuita*) differat à locato, pro quo interesse conceditur. Sic definitum *commodatum* est veluti genus ad duas species, nempe *commodatum presse*, & *precarium.* Commodatum presse datur, quando quis aliquid commodat ad certum, & designatum tempus, ante quod repeti non possit, idque sive expresse, sive tacite; *expresse*, ut si commodet librum ad mensem; *tacite*, ut si commodet librum, ut transcribatur; tunc enim tantum temporis tacite conceditur, quantum necessarium est ad transcribendum. Si ante hoc tempus repetatur,Commodatarius, (nempe,qui commodatum accepit) non tenetur reddere; si Dominus vi extorqueat,tenebitur de damno secuto.

1345 Commodatum est contractus *nominatus*, ut dicitur L. 7. §. 1. de pactis ibi: Conventiones juris gentium, quæ pariunt actiones in suo nomine (id est *pacti*) non stant,sed transeunt in proprium nomen contractûs, ut *emptio* &c. *Commodatum*; quod *re initus* §. 2. Instit. Quib. mod. re ibi: *item is cui res aliqua utenda datur, id est commodatur, re obligatur, & tenetur commodati actione.* Est *bonæ fidei* §. 28. Instit. de actionib. nam ibi actio commodati numeratur *inter actiones bonæ fidei*; quod *gratis*, in dict. §. 2. ibi: *commodata autem res tunc propriè intelligitur, si nulla mercede accepta, vel constituta res tibi utenda data est; gratuitum enim debet esse commodatum.*

1346 Commodatum 1. dividitur ratione *materiæ* in id, quod est rerum mobilium, vel immobilium; corporearum, vel incorporearum; ratione *finis*; nam aliud est tantum gratia Commodatarii; aliud, gratia ejus tantùm, qui dat; ut si quis commodet aliquid sponsæ, vel uxori, quo comptior, & ornatior ad eum deducatur; aliud gratia utriusque; 3. ratione

tione *temporis*; nam aliud fit ad certum tempus expressum, ut si commodetur equus ad unum diem; aliud ad certum tempus, sed cum aliqua latitudine: ut si commodes mihi librum ad describendum: 4. ratione *personarum* ut aliud sit, quando res quædam individua *uni tantum*; aliud, quando *pluribus* commodatur; quibus positis:

§. 1.

Quares possint esse materia Commodati?

1347 PRima quæstio est de rebus *mobilibus*, quæ usu consumuntur, an etiam hæc proprie commodari possint? ante resolut. not. ex hoc, quod in Germanico idiomate **entleihen** significetur, & quod mutuo, & quod commodato accipitur; non debere fieri confusionem in significatione latina, quam importat *mutuum*, & commodatum; cùm non sit eadem, sed valde diversa; *mutuatarius* enim fit dominus rei mutuatæ; non autem Commodatarius rei commodatæ, quibus præmissis: ad quæstionem primam &c. negativè ex L. 3. §. *ult.* cum L. seq. ff. h. t. ibi: *non potest commodari id, quod usu consumitur, nisi forte ad pompam, vel ostentationem quis accipiat.* Sæpe etiam ad hoc commodantur pecuniæ, ut dicis gratia numerationis loco intercedant. Ratio enim est, quia illæ tantum res commodari possunt, quæ post usum salvæ manent, & eadem in individuo reddi possint; excipitur tamen commodatum ad solam ostentationem. Altera quæstio est, an res immobilis possit commodari? affirmativa suadetur ex L. 1. §. 1. ff. h. t. nam dubio proposito, num etiam *solum* commodari posset? & aliqui viderentur sentire, quod non; tandem resolutum est, & rem, quæ soli est, proprie commodatam dici. Non enim videtur negari posse gratis alicui ad certum tempus concedi posse rem immobilem ad aliquem determinatum usum.

1348 Tertia quæstio est, an res incorporeæ, ac jura commodari possint? De hoc (ut dicitur L. 17. ff. de præscript. verb.) aliquando dubitare videbatur Ulpianus; nam, postquam in cit. L. hanc quæstionem movit, *si gratuitam tibi habitationem dedero, an commodati agere possim?* & dixisset: *Vivianum affirmare*, subjungit: *sed tutius est præscriptis verbis uti.* Verùm hoc solum ideo dixit Ulpianus, quia usus domus non erat designatus; & ideo dubium, an esset commodatum, an precarium? ita Glossa ibid. V. *Cæterùm.* L. 1. §. 1. ff. h. t. Vivianus amplius etiam habitationem commodari posse, ait.

Quarta quæstio est, an res aliena 1349
(v. g. furto ablata) commodari possit? &c. quòd sic; quia L. 15. & 16. ff. h. t. etiam furibus, & rei alienæ possessoribus conceditur actio commodati eo fine, ut Commodatarium compellere possint ad rem commodatam commodanti restituendam; lex enim fundatur in bona fide hujus contractus in eo sita, quod rem gratis recipiens ad certum tempus, eo finito denuò reddat; unde fur, vel possessor alieni rem non eo titulo repetit, quod sua sit, vel possideat; sed quod commodaverit, contractu nimirum bonæ fidei, ut constat ex n. 1345. consequenter eandem exigentis in re in rem recipiente, seu Commodatario.

§. 2.

Quibus activè, vel passivè concessum sit inire contractum commodati?

DIcendum, communem dari regulam, 1350
commodare posse omnes, & solos, qui jure valent contrahere; recipere autem commodatum, qui saltem naturaliter possunt obligari; colligitur ex L. 1. §. feri. ff. h. t. ibi: *impuberes commodati actione non tenentur: quoniam nec constitit commodatum in pupilli persona sine tutoris auctoritate, usq; adeo, ut, etiamsi pubes factus, dolum, aut culpam admiserit, hac actione non teneatur; quia ab initio non constitit.* Ex hoc fit 1. etiam, possessionem rei alienæ, licet malæ fidei, posse alteri commodari, illique concedi actionem commodati ex L. 15. & 16. ff. h. t. de qua dixi n. 1348. 2. eum etiam, qui habet servitutem, posse illam commodare, ex dict. n. citato; non autem impuberes sine tutoris authoritate, ex L. 1. §. *Impuberes.* 2. h. t. nec Re-

ligiosos sine licentia sui superioris, quibus nimirum ademptum est jus, seu dominium in sua persona particulari; sic enim voluntas eorum est judicè nulla; secus dicendum est de his, qui etiam in sua particulari persona retinent dominium rerum temporalium; hi enim validè commodant res suas etiam sine consensu superioris; quia nullo jure validus usus sui dominii eis ademptus est, quamvis agant illicitè ratione voti religiosæ paupertatis, quo sibi usum dominii independentem à voluntate superioris interdixerunt.

1351 Quæstio est, an *Vxor* res *Viri* commodare possit *hoc ignorante?* videtur dicendum affirmativè ex L. 24. §. 6. ff. solut. matr. ibi: Si Uxor Viri rem commodaverit, eaque perierit, videndum, an compensationem hoc nomine pati possit? *& puto, si quidem prohibuit eam maritus commodare, statim deductionem fieri: Si verò non prohibuit eam commodare, arbitrio judicis modicum tempus ei indulgeri cautionem præbenti.* Ex quo habetur, si res viri ab uxore, viro prohibente commodata alteri perierit, eam ex dote compensari; si non prohibuit, posse post modicum tempus repeti, qualiter cuilibet licitum est, cujus res ipso vel nolente, vel non consentiente alteri locata est.

1352 Quoad alteram partem, de his, qui contractum commodati passivè celebrare, hoc est, recipere commodatum, valeant? pariter constat ex n. 1350. in specie autem, id non possunt *impuberes*, aut *minores*, subjecti tutelæ, vel curatelæ, sine authoritate Tutorum, vel Curatorum; &, si secùs agant, exinde non obligari, nisi in quantum locupletiores effecti sunt, per L. 3. ff. h. t. ibi: *Sed mihi videtur* (ait Ulpianus) *si locupletior pupillus factus sit, dandam utilem commodati actionem secundùm D. Pii rescriptum*; hoc tamen non obstante contra illos datur actio ad exhibendum, & rei vindicatio; sicut etiam contra furiosum, per L. 2. ff. eod. ibi: *nec in furiosum commodati actio danda est; sed, & adhibendum adversus eos dabitur, ut res exhibita vindicetur.*

ARTICULUS III.

De obligatione Commodantis, & Commodatarii, respectu rei commodatæ.

PRima Commodantis obligatio est, manifestare vitium, vel inutilitatem rei 1353
commodatæ, cæteroquin subjiciendi compensandis omnibus damnis Commodatario secutis ex eo vitio, ipsi occultato; constat 1. ex L. *in Commodato*, §. *Sicut.* & L. *in rebus*, §. *item*, *qui sciens*: L. *penult.* ff. Commodati. 2. quia sic est injusta illorum causa; Supposito enim contractu commodati, ex justitia tenetur Commodatario non esse damno ex usu rei; at contra hoc ageret non manifestato vitio; quia vi contractus debitus illi est usus rei, non noxius ex vitio rei; usus enim noxius ex vitio, non est apta illius materia: altera ejusdem obligatio est solvere omnes expensas Commodatario ex casu fortuito factas in rem commodatam; non autem eas, quas fecit in ejus rei custodiam, & conservationem; hanc enim obligationem importat debitum suo tempore restituendi rem illæsam, quantum per diligentiam, jure debitam, fieri potest; secùs in casu fortuito, qui ponitur caveri non potuisse.

Commodatarius econtra, finito tem- 1354
pore, ad quod expresè, vel tacitè conventum est, tenetur Domino etiam non exigenti rem restituere; quia dies statim pro Domino interpellat. arg. c. *fin.* de locat. ibi: *Non obstante, quod ei, ut canonem solveret, non extitit nuntiatum*; cùm in hoc casu dies statuta pro domino interpellet; idem habetur L. *magnam.* C. de contrahend. stipulat. Sed in eventu casus, quòd hanc obligationem negligeret Commodatarius, dubitari potest 1. an non factâ restitutione teneatur domino ad lucrum cessans, & damnum emergens? 2. an excusari possit prætextu compensationis? 3. quid dicendum, si, æstimatione rei commodatæ deperditæ domino persoluta, iste suam rem invenerit? 4. si pereat manu internuntii, per quem res defertur?

Ad 1. Resp. quòd sic; nam tali casu 1355
rem

rem alienam injustè detinet detentione inferente domino illud damnum; unde etiam, si contumax foret, condemnandus esset non solùm ad rei commodatæ restitutionem, sed insuper ad restitutionem, quanti res illa, *morosè detenta*, æstimatur, juxta L. *non abs re*. C. unde vi. Ad 2. &c. quòd non, ex L. *ult.* C. de commodato, ibi: *Prætextu debiti, restitutio commodati non probabiliter recusatur*, hoc tamen limita 1. nisi debitum natum sit eximpensis à Commodatario factis citra ipsius obligationem pro rei custodia, vel conservatione, ut observat Molina tom. 2. de Just. D. 297. Secundò, nisi debitum esset pretium æstimationis rei deperditæ; quia tunc non esset restituendum commodatum, sed persolvenda ejus æstimatio solum; sic Gloss. in cit. L. *ult.*

Ad 3. &c. tali casu esse in optione Domini, retinere alterutrum; sed uno electo, teneri alterum dare Commodatario, ut tradit Glossa in L. *Commodato.* §. *fin.* ff. Commodati; si verò alius extraneus rem illam invenerit, Commodatario non competet contra illum vindicatio; cùm nec proprietatem, nec possessionem ejus habuerit; sed actio utilis propter pretium Domino pro ea persolutum. L. *Si culpa.* ff. de rei vindicat. Ad 4. constabit à n. 1359. his præmissis.

1356 Dubitatur primò, *ex qua culpa* teneatur Commodatarius, si res Commodata apud ipsum pereat, vel deterior fiat? &c. Si res in commodum solius Commodatarii concessa sit, eum teneri ex culpa etiam levissima; constat 1. ex c. *unic.* h. t. ubi Gregorius IX. sic loquitur: *Cùm gratia sui tantum, quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur: licet casus fortuitus (nisi acciderit culpâ suâ, vel intervenerit pactum, seu in mora fuisset) sibi non debeat imputari; contra eum quoq; rectè commodati non agitur, nisi post usum expletum, cujus gratia res fuerat commodata: Cùm non decipi beneficio nos oporteat, sed juvari.* Ubi vides, tres tantùm casus solum excipi à dicta regula, quòd ejusmodi Commodatarius non teneatur etiam ex culpa leviffima, si res apud eum casu fortuito periit, nempe *culpam, moram*, & *pactum?* nam licet in casu fortuito Commodatarius ad nihil teneatur, ex dict. c. unic. ibi: *licet casus fortuitus ipsi non debeat imputari*, & L. 1. §. *is verò* ff. de obligat. & actionibus; & hæc responsio locum habeat 1. in omnibus contractibus non translativis dominii, per L. *Contractus.* 23. de Reg. juris, & L. *Pignus.* 9. C. de pignorat. actione. 2. in contractu permutationis per unum permutantium traditione necdum perfecto, de quo infra tit. 17. limitatur tamen 1. ut non procedat in casu, quo casus fortuitus accidit culpa commodatarii, ex qua secutus est casus talis, vel eventus fortuitus, & infelix, per L. *Si ut certò* 5. §. *sed interdum.* ff. h. t. 2. si ab initio de casu fortuito conventum fuit, atque adeo Commodatarius periculum in se suscepit L. 1. C. h. t. Contractus enim ex conventione legem accipiunt. L. *Contractus.* ff. de reg. juris: 3. si Commodatarius fuit in mora culpabili restitutionis, & ob hoc casus fortuitus rem apud ipsum deprehendit. L. 40. ff. de hæredit. petit. L. 16. ff. de rei vindicat. L. 12. ff. ad exhibend. Verùm hæc limitatio sublimitari debet, ut tunc solum habeat, quando res, si debito tempore restituta fuisset, non erat tali casu peritura, apud Dominum, per L. *si plures.* 24. ff. depositi.

Per *casum* autem *fortuitum* intelligitur 1357
eventus inopinatus, qui nullo consilio humano prævideri potest; vel etiam vis, cui resisti non potest. c. *Ioannes* 23. de homicid. & L. *in rebus.* 8. ff. h. t. Inter casus fortuitos numeratur *bellum, incendium, pestis, factum Principis non speratum, quandoq; injuria ludicis, furtum commissum à domesticis* ex loco alias forti, & bene tuto, in quo quis alia pretiosiora reponit; Sic Barbosa in c. *unic.* h. t. à n. 7. si autem quæras, an si in pacto præstandi ex casu fortuito exprimatur casus *specialis*, & adjiciatur ei clausula generalis, v. g. recipio in me periculum incendii, *& quorumcunq; aliorum casuum*, hæc obligatio se extendat ad *omnes* casus fortuitos? &c. quòd extendat se etiam *ad alios similes*; non autem, *majores, non æquè suspicabiles*, ac est nominatus, & valde raros, ut est terræ motus, ita Sichardus ad L. 1. C. h. t. n. 8. Dixi: *quando res est commodata in utilitatem solius Commodatarii*; nam si in commodum utriusque, Commodatarius non tenetur ex culpa leviffima, sed tantum levi, vel lata, per L. 18. ff. h. t.

ff. h. t. §. *hæc ita* ; & Glossa in c. *unicum*, eod. V. *de levissima.* L. 18. sic habet, *si utriusq;* (veluti, si communem amicum ad cœnam invitaverimus, tuque ejus rei curam suscepisses, & ego tibi argentum commodaverim) *scriptum quidem apud quosdam invenio, quasi dolum tantùm præstare debeas* (cui culpa lata comparatur) *sed videndum est, ne & culpa* (id est levis) *præstanda sit, ut ita culpæ fiat æstimatio, sicut in rebus pignori datis, & dotalibus æstimari solet.* Si denique in commodum, seu utilitatem solius commodantis, tantum ex dolo, vel culpa lata, ex L. 5. §. 10. Commodati. ibi : *Interdum planè solùm in re commodata, qui rogavit, præstabit*, ut puta, si quis ita convenit, vel si, sua duntaxat causa, commodavit sponsæ fortè suæ, vel uxori, quo honestius cúlta ad se deduceretur, vel si quis ludos edens Prætor scenicis commodavit. Exemplum magis obvium est, si quis jurisperito libros commodaret, ut inde causæ suæ patrocinium gratis susciperet; aut consilium suggeret; de quibus v. Castropalaus tom. 7. de just. commutativa. D. 3. p. 2. à n. 3.

1358 Dubitatur 2. an, si culpa juridica non sit conjuncta cum culpa Theologica, nihilominus dictis legibus locus sit in foro conscientiæ, sic, ut naturaliter obligent ad damnum in re commodata factum? Resp. remissivè ad Compendiosum tract. Theologicum de jure & justitia. q. 12. ubi n. cum Esparza de jure, & Justitia. q. 26. dixi primò, extra officium, & contractum, neminem teneri natutaliter compensare damnum, citra culpam Theologicam, secutum alteri ex actione sua; eum verò qui grave damnum intulit alteri cum culpa Theologica, *solum levi*, non obligari naturaliter sub culpa gravi, resarcire illud extra contractum, & officium; tertiò, qui grave damnum intulit alteri cum culpa Theologica, sed levi tantum, obligari naturaliter, sub culpa tamen levi ad resarciendam partem damni juxta mensuram culpæ. 4. Leges, quæ statuunt resarcitionem damni alteri facti cum culpa juridica, non obligare in conscientia ante sententiam Judicis, si in damno, alteri facto, non intervenit culpa Theologica: Quintò nullam culpam merè juridicam, inferiorem culpa lata, contra obligationem in officio commissam, sufficere (secluso speciali pacto) ut ex ea præcisè quis obligetur naturaliter; & quidem si ea culpa fuit *tantum* juridica, obligatio solum subintrat post sententiam Judicis, ut ibidem diximus, & probavimus. Qualiter porrò quis obligetur ex culpa, in contractu commissa, expósuimus ibidem & dicemus infra. tit. seq.

Dubitatur 3. ad quem pertineat peri- 1359
culum, ubi perit res commodata, dum refertur, seu remittitur ad commodantem? Resp. ex dispositione legum pertinere ad Commodatarium, si ipse elegit eum, qui referret; Colligitur ex L. 10. §. 1. ff. h. t. ibi : *Sed & si, dum refertur, periit, si quidem ego mandaveram, per quem remitteret, periculum meum erit; si verò ipse, cui voluit, commisit, æquè culpam mihi præstabit, si, sui causa accepit, qui non tam idoneum hominem elegerit, ut rectè perferri posset.* Censetur tamen Commodatarius extra culpam esse, si tali rem perferendam committat, cui nulla mali insidet suspicio, & quem Dominus solitus est ad hujusmodi negotia adhibere. arg. leg. 20. ff. h. t. ibi: *Argentum commodatum, si tam idoneo servo meo tradidissem, ad te perferendum, ut non debuerit quis æstimare futurum, ut à quibusdam malis hominibus deciperetur, tuum, non meum detrimentum erit, si id mali homines intercepissent.*

Not. præterea 1. quando Commodatarius se obligavit pro damno etiam *ex casu fortuito*, recipiendo expressè in se periculum incendii, & *quorumcunq; aliorum* casuum; hoc pactum se non extendere ad omnes omnino casus; sed eos tantùm, qui sunt æquè suspicabiles ac is, qui expressus est; non autem alios, qui à nemine prudenter timeri possunt propter maximam eorum raritatem, saltem in tali loco, regione &c.

Not. 2. commodanti concedi juramentum in litem, si commodatarius rem dolo, vel contumacia non restituit, ac apud eum periit, vel deteriorata est etiam casu fortuito; tunc enim intervenit mora, de qua n. 1356. L. 3. §. 2. h. t. secus est, si per usum concessum deteriorata est, vel periit ex vitio rei intrinseco; tunc enim damnum est commodantis ex L. *final.* ff. eod. ibi : *Si commodavero tibi equum, quo utereris usq; ad certum locum: si nul-*

si nullâ culpâ tuâ intervenientè in ipso itinere deterior equus factus sit, non teneris commodati; nam ego in culpa ero, qui in tam longum iter commodavi, qui eum laborem sustinere non potuit; his præmissis:

§. 1.

Exponitur amplius, an, & qualiter teneatur Commodatarius, si res intereat casu fortuito?

1360 EX dictis constat, regulariter, & per se loquendo, Commodatarium non obligari ad reparandum damnum commodanti, in re commodata factum ex casu fortuito, exceptis tribus casibus, videlicet culpæ, moræ, & pacti, ut constat ex c. *unico* h. t. supra relato n. 1356. de quo etiam habetur §. 2. institut. h. t. item L. 5. §. 4. L. 18. ff. eod. Ex quo sequitur spectato jure communi, Commodatarium, *pacto* in se posse recipere etiam periculum casus fortuiti; prout etiam colligitur ex L. 1. C. h. t. ibi: *Sed cùm is, qui à te commodari sibi bovem postulabat, hostilis incursionis contemplatione, periculum amissionis, ac fortunam futuri damni in se suscepisse proponatur, Præses provinciæ, si probaverit, eum indemnitatem tibi promisisse, placitum conventionis implere eum compellet* quando autem periculum unum specificat, reliqua solum in genere, quid dicendum, constat ex n. 1359. §. *Not. præterea.* Qualiter autem teneatur ex culpa? constat ex n. 1356.

1361 Potissima difficultas est, quando res commodata perit casu fortuito, quando mansit apud Commodatarium ultra tempus concessum, consequenter cum mora, & periit, vel deteriorata est, talem eventum non habitura apud Commodantem, si ei tempore constituto reddita fuisset; sed dicendum in hoc casu periculum esse Commodatarii, eumque teneri præstare casum fortuitum; constat utroque jure ex canonico, in c. *unico* h. t. de quo n. 1356. ex civili, L. 18. ff. h. t. ibi: *In rebus commodatis talis diligentia præstanda est, qualem quisq; diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibet, ita, ut tantum eos casus non præstet, quibus resisti non possit*; Et paulo post: *Si cui ideo argentum commodaverim, quòd is amicos ad cœnam invitaturum se diceret, & id peregrè secum portaverit; sine ulla etiam dubitatione piratarum, & latronum, & naufragii casum præstare debet*; ratio est, quia in tale periculum commodans non consensit, sicut consentiret, si commodatum dedisset ad hunc finem, ut secum peregrè acciperet, ut in eadem L. dicitur.

Altera difficultas est, an, si contingat, 1362
rem commodatam interire, commodatarius censeatur teneri etiam ex casu fortuito ad rei æstimationem, si recepit eam æstimatam? ante resolut. not. dupliciter fieri posse, quòd quis rem commodatam à commodante recipiat: 1. æstimatione *faciente*, 2. *non faciente emptionem, & venditionem*; quo posito: 1. Si rem commodatam accepit primo modo æstimatam, teneri etiam ex casu fortuito; non, si secundo: ratio primi est; quia talis æstimatio facit, ut in ejusmodi eventu res habeatur tanquam vendita tali pretio; ratio secundi; quia tunc æstimatio illa solum fit ad notitiam certi pretii, ne commodans apud Judicem teneatur probare valorem rei, si dolo, vel culpa commodatarii periret.

In controversia vero ulterius, secun- 1363
dum quod tempus æstimatio rei accipienda sit, quando ab ipsis contrahentibus taxata non est? nimirum, an, quali valuit tunc, quando Commodatario data est? an, quali valuit, dum culpa ejusdem periit? Communis tenet, quod æstimatio rei referri debeat ad illud tempus, quo res, tempore moræ, plurimi valebat etiam pretio extrajudiciali. Nam hoc tempus inspicitur in judiciis stricti juris; ergo à fortiori in judiciis bonæ fidei, nam hæc magis favorabilis est, ac illa; sed æstimatio in commodato est bonæ fidei: ergo. Ant. autem probatur; nam judicium conditionis ex causa furtiva est stricti juris; at in hoc æstimatio rei refertur ad illud tempus, quo res tempore moræ plurimi valebat in pretio extrajudiciali per L. 8. ff. de condict. furtiva, ibi: *si ex causâ furtivâ res condicatur, cujus temporis æstimatio fiat? quæritur; placet tamen id tempus spectandum, quo res unquam plurimi fuit, maximè, cum deteriorem rem*

dando, non liberetur; semper enim moram facere fur videtur. ubi nota causalem: *rem deteriorem reddendo, non liberetur*; nam, si reddita sit res commodata, sed deterior reddita, non videtur reddita, quæ deterior redditur, ut habetur L. 3. ff. h. t. igitur antecedens non fundatur in odio furti; sed in re, quæ, cum redditur, deterior est, morâ non reddentis, cum debuisset.

1364 Pro his, quæ sunt in contrarium not. 1. hoc ipso, quod morosus debitor debeat solvere deteriorationem, tempore moræ factam, eum teneri solvere deteriorationem, non modo intrinsecam, sed etiam extrinsecam, quam aliqui constituunt in decremento valoris; sicut enim, quando deficit bonitas intrinseca, res dicitur deterior intrinsecè; sic quando deficit bonitas extrinseca (quam constituunt in augmento valoris, quod æstimatione hominum variari potest) res dicitur deterior extrinsecè: quia non minus læditur commodans, cum privatur injustè bonitate rei extrinseca; quam cum, intrinseca; ergo non minus ad deteriorationem extrinsecam, quam intrinsecam tenetur Commodatarius, quando res per ipsius moram, apud ipsum facta est deterior extrinsece, seu vilior, nimirum decremento valoris, quem commodans habuisset re tunc restituta, dum esset extrinsece melior. Unde morosus debitor tenetur etiam restituere fructus, qui percipi potuissent à tempore moræ, alioquin non haberet creditor, quod habuisset, aut habere potuisset, si mora non fuisset; sed intellige, si Creditor probabiliter eos percepisset; de quo egimus specialiter in tract. de jure, & just.

1365 Not. 2. quando pluribus legibus dicitur, æstimationem rei referri ad tempus litis contestatæ, ut nimirum valoris æstimatio inspiciatur *secundum illud tempus*; leges intelligi ad summum, vel in judiciis stricti juris, non autem bonæ fidei, vel solum tunc, tanquam in termino ultimo, non tamen excluso tempore priori, quo duravit mora culpabilis; quia etiam per moram illius anteriores temporis damnificatus est commodans, prout colligitur ex L. 37. §. 1. ff. mandati, ibi: *aliter in stipulatione servatur, nam tunc id tempus spectatur, quo agitur, nisi forte, aut per promissorem steterit, quò minus sua die solveret, aut per Creditorem, quo minus acciperet; etenim neutri eorum frustratio sua prodesse debet.*

Not. 3. quando dicitur (*non debet actori licere, quod Reo non licet*) non posse admitti in hoc sensu, quod sicut morosus debitor non habet jus se indemnem servandi à sua mora, non solvendo damnum ei, cui per suam moram nocet; sic neque actor, seu Creditor habeat jus exigendi debitum, sine quo non foret indemnis; nam Reus, seu morosus debitor per moram suam nocet suæ indemnitati sua culpa; Creditor autem est sine culpa; nec ob debitoris culpam amittit jus suæ indemnitatis: ergo licet Reo non concedatur, recusare solutionem æstimationis à die litis contestatæ; non sequitur actori non licere eam prius exigere, si prius non exigendo non servaretur indemnis. 1366

Not. 4. ubi dicitur (*ex eo tempore quam libet rem æstimandam esse, quo novissimè solvi potest*) debere intelligi, *si tunc sit maximi valoris*, non autem alias; nam cæteroquin morosus debitor in causâ foret deteriorationis extrinsecæ, si res interim in bonitate extrinseca defecit, & hoc etiam constat ex L. 11. ff. de re judic. ibi: *Si calendis aliquid fieri stipulatus sim, nempe quandocunque post calendas accepto judicio, tanti tamen æstimanda lis est, quanti interfuit mea, calendis id fieri; ex eo enim tempore, quid quid æstimatur, quod novissimè solvi poterit.* 1367

Not. 5. incrementum valoris extrinseci non esse fructum rei; unde licet fructus, & accessiones solvendæ non sint à morosò debitore à tempore moræ extrajudicialis; si eas nec ipse percepit, nec Creditor illas probabiliter percepturus erat; non tamen idem est de incremento valoris. Not. 6. tempus moræ in contractu venditionis, & tempus initi contractûs, persoluto per Emptorem pretio, idem esse, atque adeo venditorem statim constitui in mora à tempore contractûs initi per emptorem adimpleti.

§. 2.

§. 2.

Qualiter Commodatarius teneatur custodire rem commodatam?

1368 R. SI salvat omnes res suas, etiam minus pretiosas in casu periculi, non autem commodatas, depositas, vel precario acceptas, præsumptum iri dolum, vel culpam latam in eo; per c. *Bona fides.* 2. de deposito, ibi: *bona fides abesse præsumitur, si rebus tuis salvis existentibus, depositas amisisti*; at eadem ratio est rei commodatæ, ut colligitur ex L. 5. §. 4. ff. commodati ibi: *non tenebitur, nisi fortè, cum posset res commodatas salvas facere, suas prætulit.* Nota autem hoc non procedere, si non possit salvare ambas, *suas*, & *commodatas*, si hæ illis viliores sunt; quia nemo tenetur *minus alterius damnum suo majori* præferre; secus est, si res commodata sit pretiosior, & data in solius accipientis commodum; tunc enim tenetur saltem ad æqualem earum, ac suarum curam; quod etiam procedit, si est æquè pretiosa, ac propria: Si autem res commodata sit gratiâ utriusque, vel solius commodantis, commodatarius ad nihil teneretur salvando res suas pretiosiores, vel æquè pretiosas, si salvare non possit ambas; si tamen salvet res Commodatas, neglectis suis æquè, aut pretiosioribus, rerum suarum æstimationem potest repetere à commodante, nec res commodatas prius reddere tenetur.

1369 Quæstio ulterior est 1. ad quem spectet damnum rei commodatæ, factum à tertio? Casus sit: Stabularius equum commodatum, sine ulla culpa commodatarii, in stabulo negligit; quæstio est, an damnum inde factum in equo Commodatarius reparare teneatur? R. negativè ex L. 19. ff. h. t. ibi: *damnum ab alio datum non pertinere ad eum, qui rem utendam accepit, procul dubio est.* Si dicas, contrarium esse decisum L. 41. ff. locati. R. eam loqui de casu, quo res Custodiri potuit, & consequenter, ubi culpa, saltem levissima, intervenit.

1370 Altera quæstio est, an commodans, rem commodatam revocare possit ante usum, vel tempus, ad quod concessa est, finitum? R. per se loquendo non posse; &, si secùs faciat, eum teneri ad præstandum damnum Commodatario; sequitur ex natura talis contractûs, & constat ex c. *unico* h. t. ibi: *Contra eum quoque recte commodati non agitur, nisi post usum expletum, cujus gratia res fuerat commodata, cum non decipi beneficio nos oporteat; sed, adjuvari*; & L. 17. §. 3. ff. cod. ibi: *sicut autem voluntatis, & officii magis, quam necessitatis est, commodare; ita modum commodari, fidemque præscribere ejus est, qui beneficium tribuit; Cùm autem id fecit* (id est, postquam commodavit) *tunc finem præscribere, & retro agere, atque intempestivè usum commodatæ rei auferre, non officium tantum impedit, sed ut susceptæ obligatio inter dandum, accipiendumque: geritur enim negotium invicem*; & ideo invicem propositæ sunt actiones; *ut appareat, quod principio beneficii, & nudæ voluntatis fuerat; Converti in mutuas præstationes, actionesque civiles.*

Dixi, *per se loquendo*; nam si superveniat casus improvisus, ex quo commodans tantum damnum patiatur, si rem non revocet, quantum commodatarius re revocata; merito dubitatur, an revocare possit, quin teneatur Commodatario damnum reparare? R. posse licite in utroque foro; sic Haunoldus cit. tom. 4. tr. 10. n. 759. nam donatio licitè revocatur ob novam causam supervenientem, v. g. inopinè natam prolem, licet sit gratuita; quia tali casu meritò præsumitur intentio donantis fuisse *conditionata*, nisi talis casus eveniat: ergo similiter in commodato; cum & hoc sit merè gratuitum. 1371

Cæterum, in hac postrema quæstione distinguendum videtur, saltem in ordine ad forum conscientiæ. Nam aliud est, si commodatarius prævidit periculum usûs sibi necessarii, ac damni secuturi, si re commodatâ tunc caruerit, & tamen commodavit; aliud si non prævidit, nec in habituali animo fuit, nihilominus eam commodandi, esto prævideretur tale periculum. In primo casu probabilius videtur non posse licitè, titulo ejus periculi, rem commodatam revocari 1372

cari ante usum concessum, vel finitum concessionis tempus; sic enim saltem tacitè, ac virtualiter renuntiavit damno secuturo ex defectu revocationis; cum non possit dici non voluntarium, quod fortè secuturum prævidetur ex actione directè libera; maximè, ubi regulariter exinde sequitur; secus dicendum videtur in secundo, ut si ante commodationem interrogatus, an commodaret, si cum suo damno, re commodata carere deberet ex tali contractu? respondisset, quòd non; quod procedit, esto commodatarius tempore contractûs celebrati potuisset ab alio habere commodatum.

1373 Hujus ratio videtur esse ex eo; quia si quid in hoc casu obesset, foret exinde, quòd obstaret ratio contractûs *gratuiti*; at hæc in contractu commodati non obstat; hanc quippe rationem *gratuiti* explicat etiam *donatio* propriè dicta; & tamen ex causa superveniente revocari potest, quia meritò censetur facta sub tacita conditione, v. g. nisi proles inopinatò nascatur, ut dicemus infra de donationibus; nam etiam hæc conditio, nisi casus veniret, quo cum proprio gravi detrimento carere deberem re commodata, censetur ex intentione commodantis tacitè inesse contractui; unde quando dicitur, *mutare consilium non potest in alterius detrimentum* per reg. 23. de regul. jur. in 6. respondetur, id procedere, quando illud etiam est tacite purum, & absolutum; non autem, secus.

ARTICULUS IV.

Quænam actiones competant ex commodato?

1374 DUplex actio considerari potest, una, quæ competit commodanti, & vocatur *directa*, seu *principalis*; altera, quæ competit Commodatario, & nominatur actio *contraria*. Per actionem in genere, intelligitur jus, seu potestas legitima, persequendi in judicio, quod debitum est; actio alia est *realis*, alia *personalis*; illa prosequimur, seu petimus, quod nostrum est jure reali, ista, qua personam, ut faciat, vel det, quòd tenetur.

Nota autem actionem directam non propterea dici *principalem*, tanquam actio contraria foret solum *accessoria*, & absque illa non posset intentari, (nam contraria commodati actio, sine principali, moveri potest per L. 17. ff. h. t. sicut & cæteræ, quæ dicuntur contrariæ) sed quod correlativè à Commodatario æquè fieri possit contra commodantem in hujus defectu; quo posito:

2. Quod commodans actione directa commodatarium convenire possit, si re commodata aliter, vel ultra tempus, quam concessum sit, usus est, vel sua culpa deterioravit; Commodatarius autem actione contraria commodantem convenire ad præstationes, per quas ille indemnis servetur, ne sine sua culpa damnum à Commodante patiatur; talis præstatio est, ut Commodatario sit liber usus, ad quem res commodata est per L. 21. ff. h. t. 2. ut commodatario reparetur damnum, quod ei contigit per causam commodati, dolo, vel culpa commodantis, ut diximus à n. 1342. 3. ut commodans solvat expensas extraordinarias, & graves à Commodatario factas pro re Commodata, ut dixi à n. 1353. 1375

Pro his actionibus nota 1. hanc actionem ex commodato nascentem transire ad hæredes, & contra hæredes, per L. 3. §. 3. ff. h. t. ibi: *Hæres ejus, qui commodatum accepit, pro ea parte, quâ hæres est, convenitur, nisi fortè habuit facultatem totius rei restituendæ, nec faciat; tunc enim condemnatur in solidum, quasi hoc boni Iudicis arbitrio conveniat.* 1376

Not. 2. Commodantem non solum rei commodatæ substantiam repetere (finito usu concesso, vel concessionis termino) sed etiam fructus naturales, si quos tulit res commodata; cum quælibet res fructificet suo domino per L. 5. §. 9. ff. eod. ibi: *Usq; adeo autem diligentia in re commodata præstanda est, ut etiam in ea, quæ sequitur rem commodatam, præstari debeat: ut puta: equam tibi commodavi, quam pullus comitabatur, etiam pulli te custodiam debere præbere Veteres responderunt.* 1377

Not. 3. per *præstationes*, in ordine ad 1378

quas

quas in jure datur actio commodati, nihil aliud intelligi, quam eas, per quas Commodatarius indemnis servatur à commodante, ne scilicet citra suam culpam ex commodato damnū patiatur: Talis præstatio est 1. liber usus rei commodatæ, de quo in L. 21. ff. h. t. dicitur, quòd, si antè usum, vel tempus finitum Commodans impediret, actione contraria eum Commodatarius convenire possit ad eum sibi præstandum ibi: *Rem mihi commodâsti, eandem subripuisti; deinde, cùm commodati ageres, nec à te scirem esse surreptam, judex me condemnavit, & solvi: postea comperi, à te esse surreptam*, quæsitum est, quæ mihi tecum actio sit? Respondit: *furti quidem non esse; sed commodandi judicium contrarium utile mihi fore*; ad easdem etiam præstationes pertinet solutio damni, Commodatario secuti ex vitio rei commodatæ, per commodantem ocultatæ per L. 17. §. *fin.* ff. h. t. item solutio expensarum, de quibus jam diximus, &c.

Ad extremum nota, Commodatum 1379
differre *à precario*, quod hoc â concedente pro arbitrio possit revocari juxta n. 1306. & detur ad usum incertum; de quo v. n. 1306. *à mutuo*, quod in hoc transferatur proprietas rei, nec idem in individuo reddendum sit; in commodato autem solus usus, & idem numero reddi debent: *à pignore* & *depositō*, quia in his nec quidem usus transfertur in pignoratarium, vel depositarum. &c.

QUÆSTIO XVI.

IN TITVLVM XVI. DE DEPOSITO.

1380 POst contractum *commodati*, hoc titulo agitur de *depositō*, ubi non accipitur hæc vox in eo sensu, quo subinde apud Latinos *deponere*, idem est, ac *abjicere*, remque *pro derelictā*, & *desperatā habere*; nec in quantum idem est, ac *demoliri*, & *diruere*, prout accipitur L. 3. §. *sed & si.* ff. fin. regund. sed quatenus idem est, ac *credere rem alicui*, ut notat Pereyra in Elucidario l. 2. Elucid. 13. n. 986. & sumptum pro re, quæ alicui creditur, est, quod alicui custodiendum traditur; quibus positis:

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Depositum?

1381 NOn accipimus hic depositum *objectivè* pro re, quæ alicui custodienda traditur; sed, *formaliter* pro ipso contractu inito inter deponentem, & depositarium. Prætermissis variis depositi definitionibus, in quantum accipitur formaliter, ea videtur opportunior, quâ dicitur *contractus, quo res alteri gratis custodienda traditur, eo fine, ut eadem in specie, quandocunq; deponenti libuerit, restituatur*; ubi nota reflexè apponi eis *gratis*, ne transeat in locationem, juxta L. 1. §. 9. ff. h. t. Deinde, cum dicitur: *eadem res in specie*; intelligi, qualiter dicunt Philosophi, *eadem res in individuo*; 3. cum dicitur: *Custodienda*, excludi *usum* rei depositæ, nisi aliter convenerit, etiam tacitè, ut, si pecunia non obsignata deponatur. L. 25. ff. h. t. hinc, qui re depositâ utitur, furtum committit. L. 29. ff. h. t. L. *qui depositam* C. eod. §. *furtum* Instit. de obligat. quæ ex delicto. Et ideo, negans depositum, torqueri jubetur; quia negando committit furtum (nisi præsumi possit consensus Domini) §. *placuit*, Institut. de obligat. quæ ex delicto, & L. 78. ff. de furtis; sic Barbosa in c. 1. h. t. n. 7.

Depositum dividitur in *depositum juris* 1382
& *facti*; illud est, quod vel ad sistendum usurarum cursum, vel inducendum liberationis effectum apud Magistratum interponitur. De hac depositi specie loquitur Imperator in L. 17. C. de Usuris, istud, quod eo animo contrahitur, ut depositarius ad factum, sive ad custodiam

obligetur, soletque conventionale etiam appellari, & est illud, quod inter privatos est consuetum, ac familiare. De primo agitur L. 17. C. de usuris, ibi: *Acceptam mutuo sortem cum usuris licitis Creditoribus post contestationem offeras; ac si non suscipiant, consignatam in publico depone, ut cursus legitimarum usurarum inhibeatur, quo subsecuto, etiam periculo debitor liber abitur, & jus pignorum tolletur: cùm Serviana actio manifestè declaret, pignoris inhiberi persecutionem, vel solutis pecuniis; vel, si per Creditorem steterit, quò minùs solvantur.* Ex hoc enim colligitur, sic posse sisti cursum usurarum, & creditorem subjici periculo interitus pecuniæ, quando Creditor recusat accipere oblatam à debitore solutionem, & hic eam deponat apud Judicem.

1383 Depositum facti, seu Conventionale aliud est *voluntarium*; aliud *necessarium*; illud est, quod contrahitur absque urgente, ac præsente necessitate; istud, ad quod urget instans necessitas, & morale periculum rem perdendi, nisi deponatur in alterius custodia, cæteroquin in eandem non committenda; de quibus causis agitur L. 1. ff. h. t. Diversos hæc deposita effectus pariunt. Nam, qui depositum *voluntarium* ex perfidia recusat Deponenti restituere, solum condemnatur in simplum; qui verò *necessarium*, condemnatur in duplum, sic enim ait Prætor L. 1. §. 1. ff. h. t. ibi: *Ex earum autem rerum, quæ supra comprehensæ sunt, in ipsum in duplum judicium dabo*; cujus ratio sumitur ex §. 4. ibi: *quippe, cum quis fidem eligit* (absque necessitate) *nec depositum redditur, contentus esse debet simplo; cùm verò extante necessitate deponit, crescit perfidiæ crimen, & publica utilitas coercenda est vindicandæ Reipublicæ causa*; est enim inutile in causis hujusmodi fidem frangere. Qui enim necessitate cogitur facere depositum, majori commiseratione dignus & recusans reddere, reus majoris perfidiæ.

1384 Depositum ulterius dividitur in id, quod *sequestrum* dicitur; & illud quod *depositum simpliciter*; sequestrum dividitur in voluntarium & necessarium, non eo sensu, quo Conventionale depositum divisum est, sed alio. *Voluntarium* dicitur, quando litigantes mutuo consensu eligunt aliquem, apud quem res litigiosa interim, dum lis durat, deponatur, reddenda victori, lite finita: *Necessarium* est, quando à Judice compelluntur, & coguntur rem deponere apud aliquem tertium. De priore, hoc est, *voluntario* certum est, quod sit species depositi; de *necessario* autem dubitant aliqui, an sit species depositi, tanquam generis? Communior tamen affirmat spectato jam usu communi; ipsis etiam juribus *sequestrum*, vocantibus *depositum*; cùm & ipsa etiam actio, quæ contra *sequestrem* datur, dicatur *actio Depositi sequestraria*; L. 12. §. 2. ff. h. t. ibi: *Cùm sequestre rectè agetur Depositi sequestrariâ actione, quam & in hæredem ejus reddi oportet.* Nec obstat, *sequestri* materiam posse esse *rem immobilem*; non autem *depositi*. Conceditur enim rem immobilem non esse aptam materiam *depositi*, accepti *secundum omnem speciem*; satis enim est, quòd possit esse materia depositi *secundùm aliquam speciem*; qualiter; licet non omnis species animalis sit rationalis, non tamen sequitur hominem non esse speciem animalis.

Et quamvis verum sit, in quovis con- 1385
tractu requiri consensum, atque adeo etiam in depósito; negatur tamen in sequestro *necessario* non intervenire consensum eorum, quorum res litigiosæ sequestro necessario per Judicis imperium subjiciuntur. Tametsi enim non sit dubium, partes in tali casu, vel saltem unam earum, esse invitam; Satis tamen est ad consensum, quod voluntate sua simpliciter liberâ pareant Judici, sequestrum decernenti. Nec obstat etiam *sequestrum* quandoque fieri in Ecclesia, vel loco publico, quo putant aliqui, non posse intervenire contractum; sed non benè; nunquid enim habent suos administratores, qui eorum nomine valeant contrahere? *Depositum* porrò, quod diximus, dici tale *simpliciter*, non obstante, quod habeat nomen generis, supponit pro distincta specie depositi, nimirum ea, quam diximus n. 1384. sæpius enim species retinet solum nomen generis, ut patet de *cognatione*, quæ dicitur de *agnatione*, & *cognatione* specificè sumpta; & *adoptione*, quæ respectu arrogationis, & adoptionis pariter acceptæ specificè dici potest.

Ex dictis coll. ad substantiam *depositi*, 1386
requi-

requiri 1. quòd res sit *tradita*; cùm depositum sit contractus, qui non solo consensu, sed re perficitur, §. *præterea*, Institut. quibus modis re; 2. quòd *consensus* Deponentis, & Depositarii, cùm sit contractus; 3. quòd res, *gratis*, sine mercede detur alicui custodienda; cùm officium Depositarii sit gratuitum: 4. quòd eadem res in individuō à Depositario reddatur Deponenti; ex cit. §. *Præterea* L. 24. C. de ff. h. t. Nota autem specialiter eis *custodienda*; hac enim voce denotatur, rem deponi non *ad usum*, sed *ad custodiam*, quæ diversa sunt, & Depositario usus rei non est licitus, ut notavimus ex L. 25. ff. h. t. in n. 1381. nisi id habeat vel de consensu Deponentis; vel prudenter judicet, Dominum non fore invitum; unde, si deponatur apud aliquem pecunia numerata, nec clausa, nec obsignata; Depositarius videtur ad nihil aliud teneri, quàm, cùm deponens eam exegerit, solvere, licet illam consumpserit, quo casu non tam erit depositum, quam mutuum, aut quasi mutuum; hic Azor l. 7. c. 7. q. 9.

ARTICULUS II.

De obligatione Depositarii.

1387 POtissima quæstio est de obligatione præstandi damnum, quando depositum apud Depositarium periit, vel deterior facta est. De hac quæstione dicitur, L. 1. §. *in conducto.* 10. ff. h. t. ibi: *Dolum tamen eos præstaturos, qui recipiunt; qui solus in depositum venit*, & §. *quia autem* 47. seu ult. ibi: *quia autem dolus duntaxat in hanc actionem venit; quæsitum est: si hæres rem, apud testatorem depositam, vel commodatam, distraxit, ignarus depositam, vel commodatam, an teneatur? & quia dolo non fecit, non tenebitur de re; an tamen, vel de pretio teneatur, quod ad eum pervenit? & verius est, teneri eum; hoc enim ipso dolo facit, quod id, quod ad se pervenit, non reddit*; & quoniam magna, seu lata culpa in jure dolo æquiparatur, L. *quod Nerva.* 32. ff. eod. ubi Celsus: *Quod Nerva diceret, latiorem culpam, dolum esse, Proculo displicebat: mihi verissimum videtur; nam, etsi quis non ad eum modum, quem hominum natura desiderat, diligens est; nisi tamen ad suum modum curam in Depositō præstet, fraude non caret; nec enim salvâ fide minorem is, quàm suis rebus diligentiam præstabit*; & L. *Magna* 226. ff. de V. S. ibi: *Magna negligentia, culpa est; culpa, dolus est*; quod ibidem exponit Glossa *de culpa lata*; nam ex his juribus deducitur, depositarium non teneri ex culpa *levi*, vel *levissima*; sed tantum ex dolo, vel culpa lata; sed hoc intellige juxta dicenda n. 1391. quibus positis.

Prima quæstiō est, an præsumatur res 1388
Depositā periisse *dolo*, si, salvatis propriis rebus in eodem locō existentibus cum depositā, hæc periit? nam in tali casu præsumitur abesse bona fides c. *Bonā* 2. h. t. ibi: *Bona fides, si rebus tuis salvis existentibus, Depositas amisisti.* Ubi autem abest bona fides, præsumitur adesse dolus; Glossa ibidem v. *rebus tuis*; Depositarius enim, qui rem alienam in custodiam accepit, non minorem ejus, quàm rerum suarum curam præstare debet, quandō in ejus receptionem, consensit, prout ex ipsa voce (*depositum*) notatur, ut colligitur ex L. 1. ff. h. t. ibi: *Depositum est, quod custodiendum alicui datum est, dictum ex eo, quod ponitur*; præpositio enim *de* auget depositum, ut ostendat totum fidei ejus commissum, quod ad custodiam rei pertinet.

Quæstio altera est, an Depositarius te- 1389
neatur ex casu fortuito? R. non teneri; cum leges dicant, præstari damnum *solum ex dolo*, quod tamen accipe, ut non procedat, si depositarius moram commisit ex lata culpa, & tunc res apud eum pereat casu fortuito prout diximus in præcedent: de Commodatario V. infra in seqq. Non sufficit autem in casu interitus, vel deteriorationis, allegari à depositario *casum fortuitum*; sed, necesse est, *illam probare*, nisi aliunde id notoriè constet, arg. L. *si Creditor.* 5. C. de pignorib. In dubio autem, an casus ille fortuitus evenerit ex culpa? dicendum videtur non præsumi culpam, quando casus talis est, qui communiter contingit sine culpa (puta incendium ex fulmine suscitatum, insperata inundatio &c.) secus, si oppositum, v. g. incendium ex igne domestico, vel incuria, furtum &c. Unde, licet verum sit, hun-

nunquam præsumi *dolum* per L. *Quoties.* 18. §. *qui dolo.* ff. de probat. intelligitur tamen, nisi adsint indicia, conjecturæ, & argumenta, ut colligitur ex cit. c. 2. & L. *quod Nerva*, supr. n. 1387.

1390 Tertia quæstio est, an in depositio valeat pactum, ut Depositarius teneatur de dolo? Negativam sequitur Pirhing h. t. n. 3. §. *porro*, quod talis pactio, seu conventio sit contra bonam fidem, bonosque mores, tribuens peccandi licentiam. L. 1. §. *Illud.* 7. ff. h. t. ibi: *illud non probabis: dolum non esse præstandum, si convenerit; nam hæc conventio contra bonam fidem, contraque bonos mores est; & ideo nec sequenda est*; sed, dupliciter hoc pactum adjici potest, 1. ut liceat depositario rei custodiam negligere; 2. ut si contingeret rem interire dolo, vel deteriorari, non conveniatur ob dolum commissum: in hoc secundo casu videtur valere pactum; secus, in primo: nam in secundo, deponens solum contraheret obligationem non utendi jure, sibi nato ex alterius dolo; in primo autem ex pacto remitteret obligationem contrariam custodiæ, quam in Depositario substantialiter importat cura custodiæ;

1391 Quæstio 4. est, an indefinitè procedat, quod Depositarius non teneatur deponenti de damno, nisi *de dolo*, vel *culpa lata?* R. quod sic; extra sequentes casus. 1. si Depositarius se ipsum obtulit ad recipiendum depositum; 2. si accepit mercedem pro custodia; probatur 1. ex c. *Bona.* 2. h. t. ibi: *de culpa quoque teneris, si te ipsum deposito obtulisti, vel si aliquid pro deposito recepisti*, juncta Gloss. V. *culpa*; quod confirmatur ex L. 1. §. *sæpe.* 35. ff. h. t. ibi: *sæpe evenit, ut res depositæ, vel nummi periculo sint ejus, apud quem deponuntur, ut puta, si hoc nominatim convenit; sed & si se quis deposito obtulit; idem Iulianus scribit, periculo se depositi illigâsse, ita tamen, ut non solum dolum, sed etiam culpam, & custodiam præstet, non tamen casus fortuitos*; ubi per *custodiam* videtur intelligi culpa non tantum *levis*, sed etiam *levissima* (non autem tantum culpa *simpliciter*, seu *lata*; sic enim verbum *Custodiam* nihil operaretur ultra verbum *culpam*) maximè, cum excipiat casus solum *fortuitos*; adeoque non, *culposos*. Quando autem dicitur Depositarium non teneri ex casu fortuito, intellige, *extra casum culpæ, pacti & moræ*, quæ præcessit casum fortuitum, ut constat ex c. 2. h. t. ibi: *pacto vero, culpa, vel mora præcedentibus, casus etiam fortuitus imputatur*, de quibus V. dicta à n. 1343.

Quæstio 5. est circa res depositas, quæ 1392
in pondere, numero, & mensura consistunt, an, si depositarius illis utatur præter Domini voluntatem, peccet? si certus sit, se posse rem ejusdem speciei, & bonitatis, reddere, cum depositum fuerit à domino postulatum? quæstio hæc multas alias includit: tametsi enim Dominus rei non periclitetur, magnæ tamen, & multæ injustitiæ suboriri possunt. Ponamus enim officiales, qui sunt Depositarii publici (ut sunt Thesaurarii Principum, vel qui habent cassamejus, vel totius Provinciæ, aut famuli Mercatorum &c.) usu pecuniarum apud se depositarum non præjudicare directe Domino, aut causare periculum, ne, cum depositum postulaverit Dominus, ullum ejus damnum sit; interea tamen, ex eo sui usus facto in causa esse, quod Creditoribus aliisque, quibus ex depositio satisfaciendum est, etiam jussu Principis, Provinciæ, Domini, non præstari solutionem, vel differri, magno Creditorum damno; est enim frequens, sed mendax, vel saltem fallax excusatio (**Es ist jetzt nichts in der** Cassa) nullum omnino videri potest esse dubium, in ejusmodi casu, talem usum esse prorsus illicitum, & peccaminosum secundum quantitatem damni, quod Creditoribus infertur, dilatâ, vel negata solutione, cum ex tali usu sequatur injusta læsio Creditorum, nullo jure talibus officialibus permisso in præjudicium tertii, esto non periclitetur Dominus.

Ex hac causa talis negotiatio ejusmo- 1393
di officialium jure merito legibus interdicta est, L. *si quis.* 1. C. de his, qui ex publicis rationibus ibi: *si quis ab Exactoribus, tabulariis, & arcariis, officiisque rationum fœnebrem pecuniam sumpserit: detectus in eodem ad quadruplipœnam ex hac auctoritate teneatur*; ex L. *sciant* 2. C. eodem ibi: *sciant omnes accipiendi mu-*

mutuo ex largitionibus ſacris auri non patere cuiquam facultatem; quod, ſi quis aurum ex noſtro ærario privatis commodis profuturum occultè, aut cautionis, aut ſponſionis fide, ut debitor redditurus ſine noſtra auctoritate acceperit, *ablatu bonis omnibus perpetuæ deportationis ſubdetur exilio*; is etiam, qui ex memoratis theſauris ſub ſpecie publici Creditoris aurum cuiquam commodaverit, aut tradiderit capitali ſententiæ ſubjugetur. Hæc de jure civili, de foro conſcientiæ dicam infra.

1394 Occaſione hujus controverſiæ dubitatum fuit, ſi talis officialis, (ponamus licitè) uſus fuiſſet pecunia domini apud ſe depoſita, dum eſſet in valore communi (aureus v. g. 3. fl.) ſed dum urget depoſiti reſtitutio valor creviſſet ad 4. fl. v. g. ſi ſatisfaciat, reſtituendo in valore priori? vel ſi prius decrevit, teneatur reſtituere in valore, quem habet, dum eſt in incremento? In hac quæſtione diſtinguendum videtur, an depoſitum fuerit in certa moneta, v. g. in auro, ut reſtitueretur eadem in ſpecie, & numero? an tantum in valore? 2. an incrementum, vel decrementum fuerit tempore, quo, dominus depoſitum repetivit, vel ſecus? quo poſito:

1395 Videtur dicendum, decrementum, & incrementum valoris in pecunia, nocere, & prodeſſe Domino, ſi eo tempore factum eſt, quo dominus, nec poſtulavit; nec, ſi penes ſe habuiſſet, ea uſurus erat, v. g. ſoluturus debitum, quod erat quatuor millium florenorum, ſi aureus extrinſecè crevit, ut valeret 4. fl. ita ut tunc mille aureis (quorum ſinguli prius valebant 3. fl. poſtea vero 4.) extingueret debitum quatuor millium florenorum mille aureis; eodem modo, ſi cum mille aurei deponerentur (ſinguli valoris 3. fl.) poſt depoſitum in valore creſcerent (domino non expenſuro, cum minoris eſſent) incrementum eſt Domini, non depoſitarii; nam quælibet res fructificat Domino ſuo.

1396 Ex hoc deducitur 1. ſi aureus valebat 3. fl. dum depoſitus eſt, & cum repetitur, crevit in duplum, depoſitarium teneri deponere aureum in ſpecie, nec incrementum interea, extrinſecus conſtitutione Principis factum, ſibi poſſe retinere, niſi aliter conventum ſit; quia incrementum ceſſiſſet Domino; ſi penes ſe retinuiſſet; ex hoc autem, quod alteri cuſtodiendum tradiderit, de jure priori nihil immutatum eſt; ſimiliter, ſi decrevit apud Depoſitarium idem ſubiturus apud Dominum, decrementum Domini eſt, non Depoſitarii ex eadem ratione; quod intellige, cum depoſitum reddendum eſt in eadem ſpecie monetæ v. g. in auro, ſi in auro depoſitum ſit.

Deducitur 2. quod, ſi depoſitarius, pe- 1397
cunia in auro depoſita, intermedio tempore (nimirum à tempore depoſiti ad tempus repetitionis) uſus eſt, non contradicente Domino, etiam citra damnum Creditorum Domini, & ex inde fecit lucrum (v. g. quia valor ejus crevit) licitè illud retineat, & ſatisfaciat reſtituendo Domino idem ſpecie aurum in valore, quem habet, dum repetitur? nam in tali caſu per uſum pecuniæ nullius jus læſit, ut ponit caſus; lucrum fecit ex mera induſtria (alias enim pecunia jacuiſſet mortua, cum de ſe frugifera non ſit) & domino reddit depoſitum, quale fuiſſet, ſi manſiſſet apud Dominum, nec obſtat, quod intermedio tempore fuerit majoris valoris; quia caſus ponit, quod Dominus eo tempore nihil negotiatus eſſet; conſequenter nihil lucri, quod habuiſſet (nullum enim habuiſſet ſine negotiatione, vel uſu pecuniæ) Domino ceſſaverit.

Deducitur 3. ſi depoſitum fuit in pe- 1398
cunia certæ ſpeciei v. g. 300. fl. in *quinariis*, & conventum, ut in repetitione depoſiti totidem quinarii reſtituantur, ſine reſpectu addecrementum, vel incrementum, depoſitarium non ſatisfacere reddendo tantum valorem 300. fl. ſed teneri reddere tot *quinarios*, quot ſufficiunt, ut conficiant 300. fl. ſine reſpectu ad accrementum, vel decrementum extrinſecum interea factum; nam hoc pactum importat periculum æquale utriusque; *Deponentis*, ſi valor interim decreſceret; *depoſitarii*, ſi accreſceret.

Deducitur 4. Depoſitarium agere con- 1399
tra juſtitiam, & teneri ad reſtitutionem damni, ſi quod Dominus, vel ejus Creditores ex depoſito ſolvendi ſubirent ex

eo, quòd depositarius uteretur depositio præter voluntatem Domini, si tempore repetitionis factæ à Domino, vel ejus Creditoribus præstandæ solutionis non posset præstare depositum. Nam tale jus utendi, nec jure custodiæ, vel contractûs, nec alio titulo competeret, consequenter injusta foret causa damni domino, vel Creditoribus, secuti ex injusta ipsius actione, quæ naturalem parit obligationem resarciendi damnum taliter læso.

1400 Deducitur 5. si postquam ad cassam Principis deposita est pecunia sub Custodia Officialis ad hoc constituti, jussu Principis valor monetæ diminutus est, depositarium satisfacere reddendo quantitatem materialem; ut, si accepisti 100. aureos, totidem reddas, esto diminutus, vel auctus interim sit valor; sic Castropalaus tom. 7. de just. Commut. D. 3. p. 3. n. 4. quia, in depositi restitutione, species, & natura ipsius rei, & valor ejus intrinsecus spectandus est, & non mutatio extrinseca.

1401 Quæstio est 6. an, qualiter Clericus, vel Religiosus ex depositio teneatur? R. quamvis omnes (usum rationis habentes, & capaces passivæ obligationis) depositarii esse possint; non omnes tamen eidem subjici obligationi; nam si depositum, aut commodatum pupillo, etiam interveniente tutoris authoritate, vel minoris absque authoritate Curatoris deponatur, solum de dolo tenentur; ut colligitur ex L. 1. §. *an in pupillum.* ff. depositi. L. *si ex causa.* §. *nunc videndum.* ff. de Minoribus: Si autem res depositata, vel commodata apud ipsos permanet, obligantur suo congruo tempore reddere; si autem fuerit consumpta absque dolo, quantum ex ea fuerint locupletiores facti. §. *an in pupillum*, & L. 1. & 3. ff. commodati, & L. 3. §. *pupillus*, V. *locupletior.* ff. de negotiis gest.

1402 De Clericis distinguendum est, an nomine suo, an Ecclesiæ depositum receperint? si nomine Ecclesiæ? Ipsa tenetur solum, in quantum inde facta est locupletior; non autem si culpa Prælati periit, vel deteriorata; quia delictum Administratoris non debet in Ecclesiam redundare, c. *si Episcopum.* 3. 16. q. 6. ibi: *si Episcopum talem culpam admisisse constiterit (quod absit) ut constet eum non irrationabiliter fuisse depositum, eadem ejus depositio confirmetur, & Ecclesiæ res suæ omnes restituantur, quæ oblatæ claruerint; quia delictum personæ in damnum Ecclesiæ non est convertendum.* Si nomine suo? tenebitur, sicut alius; sed difficultas est, an, ad satisfaciendum deponenti, tunc à Judice Laico compelli possit? Castropalaus cit. p. 4. n. 2. affirmat ex Greg. Lopez, si authoritate Judicis secularis depositum recepit; quia non procedituur contra eum propriè per modum Judicii; sed executivè, & in consequentiam officii suscepti, ex Baldo in L. *acceptam.* col. 2. C. de usuris. Videtur tamen negandum; quia Clericus, sine consensu legitimi ad hoc superioris, nequit se subjicere Judici Laico, ex dict. cum lib. 2. decret. tit. 1. & 2.

De Religiosis porro dicendum venit, 1403
eos, sine consensu sui legitimi Superioris, depositum recipere non posse; nec, esto sine, vel cum consensu Superioris, (sed non Capituli) receperint, monasterium teneri ad damnum, si culpâ, vel alia incuria, aut etiam facto, res deposita periit, aut deteriorata est, nisi quantum ad ipsum pervenit. Nam nomine *Ecclesiæ* venit etiam *Monasterium*, & alia loca pia; at Ecclesia in tali casu non tenetur, nisi sub ea exceptione; id, quod constat ex c. *Gravis.* 1. h. t. ubi, cum Episcopus Londonensis instaret, ut Pontifex pecuniam, à se apud ejusdem Ecclesiæ Clericum quendam depositam, quam idem furatus fuit, sibi à Canonicis istis restitui juberet; rescribit Pontifex; *pecuniam esse personæ, non Ecclesiæ commendatam*; & suadet ut contra furem illum dirigat actionem, quem jussit à judicibus vinculis alligatum, & sub quæstionibus positum, ad reddendam dictam pecuniam compelli; Si autem de reddituum perceptione possit Episcopus cum Canonicis amicabiliter pacisci, id sibi fore acceptum: rationem reddit: *cum non constet, pecuniam tuam, quam ille vir Belial furatus est, in Ecclesiæ utilitatem conversam, non debemus de jure contra Canonicos ejusdem Ecclesiæ præcisè intentare jussionis instantiam, ut tibi eandem reddant pecuniam personæ, non Ecclesiæ commendatã.*

AR-

ARTICULUS III.

De obligatione Deponentis.

1404 QUæſtio 1. an deponens, ſtatim ex libitu poſſit revocare depoſitum, & depoſitarius reddere teneatur? Reſp. quòd ſic, exceptis certis caſibus ex c. *Bona.* 2. h. t. ibi: *ſanè Depoſitori licuit, pro voluntate ſuâ depoſitum revocare*; quod tamen intellige 1. niſi, ex reſtitutione in continenti facta, probabiliter impendeat, vel deponenti, vel tertio grave damnum; *ipſi*, vel in anima, vel in corpore, vel *tertio* à deponente inferendum; tum enim obſtat regula charitatis Chriſtianæ 22. q. 2. c. *Ne quis.* 14. ubi S. Auguſtinus: *Si cui*, inquit, *gladius commendetur, & promittat ſe redditurum, cùm ille, qui commendavit, poſcerit: ſi fortè gladium ſuum repetat furens, manifeſtum eſt, tunc non eſſe reddendum, nec vel ſe occidat, vel alios, donec ei ſanitas reſtituatur.* Deinde, ſi furi, res ab ipſo depoſita, reddi non poſſit ſine detrimento Domini; hujus enim jus majus eſt, jure alterius; quod etiam dicendum, quando Dominus rem furtivam prius, quàm fur, repetit à Depoſitario, ſciente rem Domini eſſe; Secus, ſi fur prius repetat non comparente Domino per L. 1. ff. h. t. §. *Si prædo.* 39. ibi: *Si prædo vel fur depoſuerint, & hos Marcellus* ait, *rectè depoſiti acturos; nam intereſt, eò, quod teneantur*; 3. ſi fur rem furtivam depoſuit apud Dominum ignorantem ab initio, & poſt comperit, eſſe ſuam; de quibus v. Azor l. 7. c. 8. q. 4. & alii.

1405 Altera quæſtio eſt, an depoſitori repetenti depoſitum opponi poſſit *ſolutio per compenſationem*? Reſp. nec compenſationem, quâ depoſitum ſolvatur in totum; nec deductionem, quâ in partem ei jure apponi poſſe à Depoſitario, ex c. *Bona.* 2. h. t. ibi: *Sanè depoſitori licuit pro voluntate ſua depoſitum revocare; contra quod compenſationi, vel deductioni locus non fuit, ut contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam minimè referatur, licèt compenſatio admittatur in aliis, ſi cauſa, ex qua poſtulatur, ſit liquida, ita, quod facilem exitum credatur habere*; quod fuſius dicitur L. *ſi quis.* 11. C. depoſiti, ibi: *Si quis vel pecunias, vel res quasdam per depoſitionis acceperit titulum, eas volenti ei, qui depoſuit, reddere illico modis omnibus compellatur, nullamq; compenſationem, vel deductionem, vel doli exceptionem opponat, quaſi & ipſe quasdam contra eum, qui depoſuit, actiones perſonales, vel in rem, vel hypothecariam prætendens: cùm non ſub hoc modo depoſitum acceperit, ut non conceſſa ei retentio generetur, & contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur*; ſed & ſi ex utraque parte aliquid fuerit depoſitum: nec in hoc caſu compenſationis præpeditio oriatur: ſed depoſitæ quidem res, vel pecuniæ ab utraque parte, quàm celerrimè ſine aliquo obſtaculo reſtituantur, ei videlicet primum, qui primus hoc voluerit, & poſtea legitimæ actiones integræ quoque ei reſerventur; quod obtinere (ſicut jam dictum eſt) oportet, etſi ex una parte depoſitio celebrata eſt, *ex altera autem compenſatio fuerit oppoſita*: ut integra omni legitima ratione ſervata, depoſitæ res, vel pecuniæ prima fronte reſtituantur. Quod ſi in ſcriptis atteſtatio, non per dolum, vel fraudem fuerit ei, qui depoſitum ſuſcepit, ab alio tranſmiſſa, ut minimè depoſitum reſtituat, hocque per jus jurandum affirmaverit: liceat ei, qui depoſuit ſub defenſionis cautela idonea præſtitâ, res depoſitas, quam ociſſimè recuperare.

Dices: *Compenſatio* locum habet tam 1406
in bonæ fidei, quam in ſtricti juris judiciis, in quibus ipſo jure fit, L. 4. L. *poſtea* 21. ff. de compenſ. L. 4. & 6. C. eod. tit. ergo etiam in depoſito. Confirmatur 1. quia ſi depoſitarius fecerit impenſas neceſſarias, id eſt tales, quæ niſi factæ eſſent, res periret, aut deterior valde redderetur, propter hujusmodi impenſas *compenſatio* datur, & retentio ipſius rei depoſitæ competit. Deinde *compenſatio* locum habet *in commodato*; ergo etiam *in depoſito*, ant. tenet Pirhing. h. t. n. 10. probans ex c. 2. h. t. & aliis juribus, in quibus velut ſpeciale, & proprium *depoſiti* eſſe dicitur, ut retineri nequeat loco compenſationis: ergo ſecus eſt in *commodato*, quia exceptio firmat regulam in aliis non exceptis. Ratio diſparitatis eſt, nam qui

depositum accipit, si non restituat repetenti, videtur facere contra fidem, cùm tamen ad rem fideliter custodiendam, & consequenter etiam reddendam deponenti se obligârit: at verò, qui accipit *commodatum*, id accipit, non ut custodiat diligenter, & fideliter, sed ut eo utatur ad tempus; sic ille.

1407 Resp. verum esse, quòd *compensatio* æquitate nitatur, & pro solutione habeatur. L. 4. C. de compensat. & L. 4. ff. qui potiores, de quo diximus à n. 1040. esse tamen quosdam casus exceptos, inter quos expresè venit *causa depositi*; ut constat ex n. 1404. id, quod provenit ex speciali natura ipsius *depositi*, juxta quam res deposita statim, ac revocatur depositum, reddenda est, *ne, quod beneficio celeritatis inventum est, subdatur injuriis tarditatis*; res enim deposita statim Domino poscendi restituenda est; alias fides violatur, & contra æquitatem naturalem retinetur, ut constat ex utroque jure in n. 1404. & ex hoc patet responsio ad object. ad 1. confirm. 3. in eo casu *depositum* stare apud depositarium loco pignoris pro solutione expensarum, in depositi conservationem à quo tanquam diverso, à causa depositi desumpto, non valet argumentum ad debitum ex alia causa, quam depositi. Ad 2. Confirm. N. ant. Hinc esto detur, quod exceptio firmet regulam in aliis non exceptis (licet in pluribus fallat) constat tamen etiam *commodatum* exceptum esse; prætextu enim debiti res *Commodata* compensari prohibetur L. *ult.* C. de commodato, ibi: *prætextu debiti, restitutio commodati non probabiliter recusatur*; nam ut notat Glossa ibid. lit. F. quia *finito utendi tempore, commodatum finitum intelligitur* L. 17. §. 3. ff. eod. Ratio autem disparitatis videtur non facere ad intentum; quid enim obligationi, finito usu commodati hoc reddendi obstat, quod datum non sit ad custodiam, sed ad usum? si jus utendi desinit, finito usu? sicut, si finitur custodia. Utrobique enim stat obligatio, extincto jure illius contractus, reddendi, quod accepit commodato, sicut si depositio.

ARTICULUS IV.

De reliquis ad hunc titulum pertinentibus.

PRo his not. 1. quòd deponenti competat actio directa 1. repetendi depositum quandocunque, cum ei fiat beneficium, quod non datur invito. c. *fin.* h. t. 2. ad æstimationem rei deterioratæ, vel amissæ; dolo, vel lata culpa depositarii; quia qui beneficium alteri præstat, ultra non tenetur; quod intellige juxta dicta superius. 3. etiam ad usuras, quando in mora est depositarius, L. 2. C. h. t. quia contractus iste est bonæ fidei, in quo per moram veniunt usuræ, quam bona fides nullatam vult; si autem quæras an deponenti competat actio depositi contra depositarium, si iste cum illius licentia pecuniam depositam expendit, & sic facultatibus suis lapsus est, ut ipsius bona subhanestari debeant? Resp. affirmativè, si deponens ex pecunia deposita non recepit usuras, per L. 7. §. *quoties.* ff. h. t. Illa porrò actio directa, de qua superius, datur tantum contra ipsum depositarium, etiam Clericum; cujus nomine non potest impeti Ecclesia, quæ non debet gravari facto alieno, etiam Clerici; ex n. 1402. nisi res sit conversa in Ecclesiæ utilitatem, quia tunc æquitas petit, ut teneatur ad onus, qui sensit commodum c. 1. h. t. advertendum tamen, hoc ab aliquibus limitari, ut Ecclesia teneatur, si depositio facta sit Ecclesiæ de consensu Episcopi, & Capituli, vel ejus, aut ab eo, qui pro Ecclesiæ rebus constitutus est, ut Thesaurarius; licet deponens non probet rem depositam versam in Ecclesiæ utilitatem; ita Sanchez in Decal. tom. 2. l. 6. c. 14. n. 35. quia tunc depositio non fit apud Clericum, quâ privatam personam; sed qua repræsentat Ecclesiam; sed hæc limitatio videtur intelligenda juxta dicta n. 1402. 1408

Not. 2. Depositario, contra deponentem, competere actionem contrariam, ad id quod nomine depositi abest; quia in ipsum depositum impensum est, vel si ex vitioso deposito damnum accepit; quia depositario officium suum non 1409

debet

debet esse damnosum; quam verò curam teneatur in custodia rei depositæ adhibere, deduci potest ex dict. ad eam nimirum teneri, quæ excludat dolum, vel culpam latam, quandoque etiam levem, & leviſſimam, ut constat ex dict. à n. 1387.

1410 Not. 3. quid intelligatur per depositum judiciale, seu sequestrationem, constare ex n. 1381. hæc rei litigiosæ sequestratio in judicio fieri potest, vel partium conventione, & erit sequestrum voluntarium; vel jussu Magistratus, & erit necessarium; vel Magistratus imperio, legis dispositione, & partis petitione, & erit sequestratio mixta; sic Barbosa in Rubric. hujus Tit. n. 9. Multa hic quæri, & produci possent de sequestratione necessaria; sed ea videri possunt l. 2. Decretal. ad Tit. 17. de sequestratione possessionum, & fructuum; quò me remitto.

QUÆSTIO XVII.

IN TITVLVM XVII. DE EMPTIONE, ET VENDITIONE.

1411 POstquam in præcedentibus titulis actum est tum de contractibus, tum alienationibus rerum Ecclesiasticarum in genere; tum etiam quibusdam in specie (de precariis, commodato, & depositò) quæ potissimum spectant commodum unius ex contrahentibus; subjungitur nunc titulus de contractu Emptionis, & Venditionis, utrique oneroso; de quo ea solum proponemus, quæ nostri fori propria sunt per ordinem potissimum ad emptionem, & venditionem rerum Ecclesiasticarum; etsi hac occasione plura quoque in ordine ad alia bona immiscentur.

ARTICULUS I.

Quid sit emptio, & venditio?

1412 §. SUpponendum, quod *emptionis* vocabulum aliquando minus propriè, & latius sumatur in jure, pro quacunque alienatione; hodie autem sumatur pro certa specie, de qua in præsenti; & definitur: *Contractus bonæ fidei, consensu perfectus, & mutuæ præstationis, quo id agitur, ut pro certa pecunia numerata, eam danti, res, seu merx tradatur*; brevius dici potest, quod *emptio sit pactio pretii pro merce*; & venditio, *pactio mercis pro pretio*. Esse contractum *juris gentium*, habetur §. 2. Instit. de jure nat. & gent. *bonæ fidei*, (adeoque non stricti juris) dicitur §. *actionum autem*. Instit. de actionib. *solo consensu perfectum* (intellige quoad substantiam, ut scilicet eo habito, pœnitere non liceat, etiam ante rei traditionem) habetur L. 1. ibi: *emptio, & venditio contrahitur, simul atque de pretio convenerit, quamvis nondum pretium numeratum sit, ac ne arrha quidem data fuerit*; Nam quod arrhæ nomine datur, argumentum est emptionis, & venditionis contractæ.

Sed, excipe, nisi intentio contra- 1413
hentium alligetur Scripturæ, ut prius quam instrumentum confectum sit, contractus non teneat L. 1. ff. h. t. ibi: *Sed hoc quidem de emptionibus, & venditionibus, quæ sine Scriptura consistunt, obtinere oportet; nam nihil à nobis in hujusmodi emptionibus, & venditionibus, innovatum est: in iis autem, quæ Scripturâ conficiuntur, non aliter perfectam esse venditionem constituimus, nisi & instrumenta emptionis fuerint conscripta, vel manu propria contrahentium, vel ab alio quidem scripta; à contrahentibus autem Subscripta, & si per tabellionem fiunt; nisi & completiones acceperint, & fuerint partibus absoluta: donec enim aliquid deest ex his, & pœnitentiæ locus est, & potest emptor, vel venditor sine pœna recedere ab*

emptione, & venditione: si autem hoc non exprimant, censetur exigi Scriptura solum ad probationem; sic Haunold. tom. 4. tract. 10. à n. 14.

1414 Not. autem 1. non esse de substantia emptionis, vel venditionis, quod mutuus consensus actu transferat *Dominium* translatione constituente emptori jus reale in merce, vel venditori in pretio (hoc enim fit traditione) sed sufficere, quod ei constituatur jus personale, nimirum contra personam, ut Emptor det pretium; venditor mercem: & hunc non liberari solutione solius interesse, sed teneri præcise ad traditionem rei, si ejus tradendæ potestatem habet, probabilius est; cum venditor non minus obligetur ad tradendam rem venditam, quam donator ad rem donatam; sed hic tenetur præcise ad tradendam rem donatam, quin satisfaciat solvendo interesse. Ergo. Major, & Min. habetur §. 2. Instit. ibi: *& ad exemplum nostra constitutio; eos enim in se habere necessitatem traditionis voluit, ut etiamsi non tradantur; habeat plenissimum, & perfectum robur, & traditionis necessitas incumbat donatori.*

1415 Not. 3. quod, licet emptio, & venditio solo consensu perfecta statim pariat obligationem, & actionem, etiam antequam fiat rei, vel pretii traditio; non pariat tamen *actionem ex empto* ad effectum, priusquam totum pretium persolvatur; sed venditori usque ad ejus solutionem licere rem, tanquam pignus, retinere. L. 13. §. 8. ff. de action. empti. ibi: *offerri pretium ab emptore debet, cum ex empto agitur*: & ideo, etsi pretii partem offerat, *nondum est ex empto actio*; venditor enim *quasi pignus retinere potest eam rem, quam vendidit.* Quando autem dicitur, quod venditor *rem tradere*, & Emptor *pretium dare* debeat, per hæc verba subsignata notabile discrimen significatur. Nam lis *tradere* hic necessario non importat aliud, quam nudam rei consignationem in nudam possessionem, per quam Emptori rem habere liceat, esto fortassis venditor non sit rei Dominus; cum etiam rei alienæ venditio subsistat, ut habetur L. *rem alienam.* C. de contrahend. empt. non in præjudicium veri Domini (hic enim rem suam, ubicunque sit, vendicare potest) sed venditoris, qui emptori pretium restituere tenetur cum Domini compensatione, quod patitur ex carentia rei emptæ, ut constat ex ff. & C. de Eviction. Econtra *dare* importat hic translationem dominii, ut habetur §. *sit itaque.* Instit. de actionib. quod intellige, quando datur cum causa; alias datio, facta sine causa, non esset efficax ad dominium transferendum. Barbosa de axiomat. axiomate 1. Hinc Emptor, qui venditori tenetur *dare pretium* pro re empta, non satisfacit, solvendo pecuniam non suam, sed alienam; quia conventio *venditoris* est super re certa in specie, *hoc vino, hac domo*: at *emptoris* pro pretio (v. g. 1000. fl.) solum in genere, ut colligitur ex L. 11. §. 2. ff. de actionib. empti. ibi: *& imprimis ipsam rem præstare venditorem oportet*; id est tradere, quæ res, si quidem Dominus fuit venditor, facit & emptorem Dominum; si non fuit tantum evictionis nomine venditorem obligat, si modo pretium est numeratum, aut eo nomine satisfactum: Emptor autem nummos venditoris facere cogitur.

Not. 4. in hac materia per *rem emptam*, seu mercem intelligi, quod est *pretio æstimabile*, atque adeo non tantum res corporales, & nobiles; sed etiam immobiles, & incorporales; ut jura, actiones, imo etiam quandoque spem, vel eventum dubium; ut si quis à Piscatore, retia laxante in capturam, pretio emat, quid quid eo tractu comprehenderit, per L. 8. ff. de contrah. empt. ubi sic habetur: *nec emptio, nec venditio sine re, quæ veneat, post intelligi; & tamen fructus, & partus futuri recte emuntur, ut, cum edictus esset partus, jam tunc, cum contractum esset negotium, venditio facta intelligatur; sed, si id egerit venditor, ne nascantur, aut ne fiant, ex empto agi posse; aliquando tamen, & sine re venditio intelligitur, veluti, cum quasi alea emitur*; quod fit, cum captus piscium, vel avium, vel missilium emitur: emptio enim contrahitur, etiamsi nihil inciderit; *quia spei emptio est, & quod missilium nomine eo casu captum est, si evictum fuerit, nulla eo nomine ex empto obligatio contrahitur; quia id actum intelligitur.* 1416

Not. 5. sine pretio non dari emptionem 1417

nem juxta L. 36. ff. eod. Pretium autem hic significat pecuniam numeratam; Quare dans rem pro re, non *emit*, sed potius *permutat*; debet autem in hoc contractu constitui pretium *determinatum*; alioquin contractus esset invalidus per §. *pretium.* Instit. h. t. & quidem in pecunia *numerata.* §. *item pretium.* Instit. eod. quod intellige, de pecunia non necessario statim persolvenda; sed vel statim solvenda, vel fide data, & acceptata, desolvenda; sic Pirhing h. t. n. 2. §. *not.* 2. Not. 6. venditionem quoque debere esse *de re certa.* L. *in venditionibus.* 99. ff. h. t. & quidem *existente vel actu, vel in spe*; ut fructus agri, fœtus animalium; quo sensu intelligi debet lex 8. ff. h. t. ubi dicitur: *nec emptio, nec venditio, sine re, quæ veneat, intelligi debet.* Ex dictis colliges, emptionis, & venditionis substantiam consistere in communicatione rei, & pretii per consensum; ita Zoësius h. t. n. 1. quod intellige juxta dicta hactenus.

ARTICULUS II.

Quæ res emi, & vendi possint?

1418 ANte resol. not. quando prohibetur alicujus rei *alienatio*; intelligi *cum effectu*, nimirum cum dominii translatione in alienatarium, quod maxime procedit de prohibitione *pœnali*; quia leges, præsertim pœnales, intelligi debent cum effectu, seu de actu consummato, c. *Relatum* de Cleric. non resident. & L. 1. ff. quod *quis juris*; & quoniam etiam emptione fit alienatio, idem etiam intelligendum est de re ista specie alienationis; quibus positis:

§. I.

An emi, & vendi possint res sacræ?

1419 SUppon. 1. quod Ecclesia gaudeat iisdem privilegiis, quibus gaudet *Fiscus*, ut tenet communis. 2. quod procurator Fiscalis, vendens, & tradens rem ad Fiscum pertinentem; antequam emptor det pretium, non transferat rei dominium in emptorem; sed hoc permaneat penes Fiscum. L. 5. ff. de jure Fisci junct. gloss. *fin.* Ex quo idem dicendum de Procuratore, vel Mandatario Ecclesiæ, licet Emptor det fidem de pretio solvendo; quia Procurator Fisci, Minoris, vel Ecclesiæ, non potest vendere, nisi ex causa, ut satisfiat Creditoribus, quod non impletur solum habendo fidem de pretio.

Suppon. 2. Rem *Sacram* fieri, quando divinis usibus, adhibitis certis quibusdam verbis, precibus, ac Ceremoniis, destinatur; si Pereyra in Elucidario n. 1337. 1420

Suppon. 3. *Religiosum locum* aliter à Legistis, & aliter à Canonistis usurpari. Nam in *jure civili*, religiosus locus est ille, in quo sepultus est aliquis Christianus de voluntate Domini ipsius loci L. 2. C. de Relig. & sum. fun. quasi corpus Christiani, locum tangens, ideo religiosum efficiat, quia per illum contactum desinit esse in dominio alicujus, L. *quanquam* ff. de aqua pluvia arc. sic etiam pietas donantis facit locum *pium*; & religio sepulti facit locum *religiosum*: in jure Canonico, *Religiosus locus* juxta Sylvestr. V. *locus.* n. 1. est, *qui authoritate Pontificis deputatur* ad *talem usum.* c. *ad hæc* de religios. domibus.

Suppon. 4. *Commercium*, juxta Isidorum l. 5. ethym. dici *à mercibus*, quasi commutatio mercium; Definiri potest, *libera commeandi, contrahendique facultas ab iis, qui merces ultro citroque convehunt.* Apud Ulpian. instit. c. 19. (ut sumitur ex L. 5. ff. de just. & jure) est *emendi, vendendique invicem jus*; id est, *rerum legitimè aliquo modo acquirendarum.* Unde non dicitur esse *commercium* earum rerum, quarum dominium comparari nequit; quales sunt *Sanctæ*, & *Religiosæ* L. 6. & 34. §. *omnium.* ff. de contrah. empt. nec dicitur quis habere commercium certæ alicujus rei, quam sibi acquirere non potest L. *multum interest.* 34. ff. de verb. oblig. at sub commercio omnes contractus comprehendi tradit Spiegel. V. *eod.* ex gloss. ad §. *idem juris est.* Instit. de inutil. stipulat; his præmissis: 1421

Di-

1422 Dicendum, nec vendi, nec emi posse res, *quæ non sunt in commercio humano*; hoc est, quæ ab hominibus tanquam propriæ possideri non possunt. Hinc venditio rei *sacræ*, vel *spiritualis*, aut *spiritualibus annexæ*, nulla est, nec fieri potest citra labem simoniæ, ut patet ex toto titulo de simonia. In his tamen distinguendum est inter res, quæ sunt *spirituales*, vel *sacræ*; nam aliud est vendere talem rem materialiter acceptam, præcise secundum materiam ex se pretio æstimabilem; aliud acceptam *formaliter*, ut in æstimationem etiam veniat ratione Spiritualitatis, puta consecrationis, benedictionis, Sacrationis; hoc secundum omnino simoniacum est, ut latè diximus l. 5. tit. 3. de simonia: Cœterum vasa sacra, aurea, & argentea, solum materialiter accepta, vendi, ac emi possunt ob necessitatem v. g. redimendi captivos, vel simile opus pium, c. 14. cum seq. 10. q. 2. & c. *aurum*. 70. eod. caus. & q. & quidem integra, si Ecclesiæ, vel loco pio vendantur; conflata verò, seu confracta (ut scilicet non retineant consecrationem, vel benedictionem) si vendantur laico, vel personæ privatæ ad usum profanum, & dicitur L. *sancimus*. 21. C. de ff. Ecclesiis, & Auth. *Præterea* C. eod. excipe, nisi laicus emeret præcisè *ad usum sacrum* in capella publica, & auctoritate Episcopi erecta, ut scilicet dominium calicis consecratæ Capellæ, non Laico, acquiratur.

1423 Ex dictis sequitur 1. quod Domini, qui in suis arcibus, vel domibus erigunt oratoria privata, in quibus, ex licentia ordinarii, sacrificium celebrari possit, non habeant Dominium illius loci sacri, vel rei sacræ, v. g. calicis consecrati, vestis benedictæ &c. 1. q. 3. c. 9. 10. & 12. quia laicus rem sacram (sicut nec locum sacrum) possidere non potest. L. *qui universas*. 30. §. *possessionem*. ff. de acquirend. possess. 2. quod si laicus pecunia data redimat calicem sacrum, quem emit à jure Ecclesiæ particularis, ad quam spectabat, ejus Dominium non transeat ad Emptorem laicum, sed Ecclesiam universalem, quamvis ei licentia dari possit, ut eum calicem applicare possit Ecclesiæ particulari, cui voluerit. 3. in casu, quo quis alicui legat domum, vel arcem suam cum omnibus mobilibus in ea, inter hæc non venire supellectilem sacram Capellæ vel Oratorii; quia illa nec in dominio, nec in possessione erat, aut esse poterat Laici domini, ad quem ejusmodi domus, vel arx pertinebat. 4. Calicem consecratum, esto ratione materiæ, vel etiam artificii, carius vendi possit, non tamen ratione consecrationis; nam ratione hujus, excessus pretii foret simoniacus. V. Suarez tom. 1. de Relig. l. 4. c. 14. n. 16.

Quæstio est, an saltem Ecclesia *materialiter* accepta (hoc est ligna, lapides, ex quibus Ecclesia constructa est) semel ad divinum cultum deputata, vendi possit? vel locus, in quo constructus fuit? 2. ea, quibus inseparabiliter annexa est benedictio, vel consecratio, nec vendi, nec emi posse etiam quoad materiam; quia talis neutrum invenditum relinquit, 1. q. 3. c. *si quis obiecerit*, excipe vasa sacra, cum ob necessitatem, de qua n. 1422. venduntur. Hoc tamen limitat Suarez cit. n. 7. ut intelligatur de illis, *in quantum consecratis*, nam materia, cui per accidens accedit consecratio, secundum se est pretio æstimabilis, nec consecratio accedens hanc illi æstimabilitatem tollit. Hinc non improbabiliter aliqui cum eodem existimant, ejusmodi materiam vendi posse, licet ei inseparabiliter annexa sit consecratio. 1424

Unde notant Authores communiter, dicta, de materia Ecclesiæ dirutæ non vendenda, probabiliter solum intelligi, quando non adest justa causa, nec consensus Papæ, vel Episcopi. ita Layman lib. 5. summæ tr. 9. c. 13. n. 6. atque non vendenda *regulariter*: hinc etiam area, seu fundus Ecclesiæ directæ, ex causa necessaria, vendi potest per S. Thomam 2. 2. q. 100. a. 4. ad 3. Ex quo deducitur, Clericos, vel Regulares, cum authoritate legitimi superioris, posse suam Ecclesiam deserere, ac aliis tradere, ab iisque pretium accipere, non ut pretium, sed ut alibi Ecclesiam ædificent. Idem est, si alteri Ecclesiæ tradant calicem, vel vestes sacras accepta pecunia, non tanquam rei pretio, sed ut comparent alium calicem, vel vestem sacram. 1425

Quæ-

1426 Quæstio altera est, an, & qualiter fieri possit emptio, & venditio jurium Ecclesiæ? Supponendum autem, nos hic non agere de juribus, & rebus Ecclesiæ pure Spiritualibus; sed iis tantum, quæ secundum se temporales sunt, causaliter tamen, vel annexivè spirituales; potest autem temporale *annecti* vel *antecedenter* spirituali (v. g. tanquam subjectum) vel *consequenter*, (tanquam effectus) hic Ecclesia materialis, vestes, paramenta, ut subjectum præsupponuntur ad Spirituale, nimirum ad benedictionem, consecrationem &c. Idem est de prædiis, fundis, & similibus immobilibus, similiter jus percipiendi reditus beneficiales, vel decimas, ipsosque fructus inde nascentes &c. Cum consequatur ad officium Spirituale, tanquam effectus ad causam, nimirum ad officium Spirituale, in quo fundatur, est annexivè Spirituale, sed *consequenter*. Potest autem hæc annexio fieri dupliciter 1. per se, & inseparabiliter; 2. per accidens, & separabiliter; quibus positis: ℟. temporale, consequenter annexum Spirituali, vendi non posse; quia talis venditio foret simoniaca, c. *penult.* & *ult.* 1. q. 3. & c. 3. eod. q. 1. quod tamen sic intellige, ut procedat de fructibus, solum *in quantum percipiendis ex titulo spirituali*; temporalia vero antecedenter, & inseparabiliter annexa Spiritualibus, vendi non possunt (saltem directè) sine simonia juris positivi c. *Querelam.* 15. de simonia. 1425 Excipe casum de vasis sacris &c. cum his, quæ notavimus superius. Dixi *directè*. Nam esto jus Patronatûs, annexum alicui castro, vel dominio directè, & ratione sui, sine simonia vendi non possit per c. *Quia Clerici.* 6. de jure Patron: potest tamen vendi indirectè, & quasi consequenter vendito castro cum omnibus ad illud pertinentibus ut dicemus tit. 38. An autem, & quomodo actiones, & bona Ecclesiæ tam immobilia, quam mobilia vendi possint, dictum est supra in tit. 13. de Reb. Eccles. alien. vel non alienand. Nam venditio rei ad Ecclesiam pertinentis, quamvis sit in commercio humano, tamen non aliter vendi potest, aut tenet, quam concurrentibus requisitis, de quibus ibid.

1427 Quæstio est 3. an omnes res, quæ sunt in commercio humano, emi, & vendi possint? ℟. negativè; nam primo res *Dotalis* ne quidem de consensu uxoris rectè venditur, cum ejus alienatio sit à jure omnino inhibita, L. *unica* §. *Et cum lex Iulia.* C. de rei uxoriæ action. 2. donata uxori propter nuptias vendi non possunt, nisi secundo post biennium consenserit, & sint aliæ res viro, per quas mulieri sufficienter sit cautum super indemnitate donatorum. auth. *sive à me.* C. ad S. C. Vellejan. vel vero venditio rei cesserit etiam in uxoris usum, & à tempore venditionis lapsi sint 30. anni. Tunc enim sustineri venditionem rescriptum est c. 4. h. t.

§. 2.

An res aliena emi, & vendi possit?

℟. QUod sic; nam iste contractus stat 1428
etiam non translato rei dominio, sed sola traditione, qua emptor constituatur possessor rei emptæ. ut constat ex L. 25. ff. de contrah. empt. ibi: *Rem alienam distrahere quem posse, nulla dubitatio est*; ratio etiam est; quia non est de substantia emptionis, ut venditor faciat rem *esse in dominio Emptoris*; sed sufficit, quod se obliget, quantum est in se, ad præstandum, *habere licitè*, hoc est, ad tradendam possessionem cum obligatione ad interesse in casu evictionis, per L. 11. §. 8. & L. 17. de act. empti. quod, quomodo venditor, sciens rem alienam, præstet, docet Haunold. tom. 4. de Just. tr. 10. c. 1. contr. 14. à n. 112. Verum circa hoc not. ut hoc procedat, requiri ex parte Emptoris bonam fidem, hoc est ignorantiam, quod res sit aliena L. 34. §. 3. ff. eod. Unde, si Emptor, & venditor scit, rem furtivam esse, neuter contrahit obligationem; si autem sciat solus Emptor, non obligatur Venditor, & emptor eo casu nihil consequitur, nisi ultro quod convenerit, præstet: si denique solus venditor scit, esse furtivam, Venditor obligatur ad interesse, & de evictione emptori ad solvendum pretium, ut constat ex dictis Legib. Unde nec potest

quis emere rem *suam* pure, & absolute; secus, sub conditione, & in tempus, quo desinit esse sua, primum habetur, in L. 16. ff. h. t. quod verum est, sive quis sciens, sive ignorans emat rem suam: alterum autem etiam expresse habetur L. 61. ff. eod.

1429 Si autem quæras, quid juris in casu evictionis habeat Emptor adversus venditorem rei alienæ? R. notandum, *evictionem*, esse legitimam rei emptæ, vel alio modo acquisitæ abductionem, vel amissionem interposito nimirum Judicis decreto factam; eique locum esse, cum res aliena detinetur ex empto, ut patet ex ejus definitione. 2. cum ex permutatione. L. 29. C. de Evict: 3. si detur in solutum; L. 8. C. de sent. & interlocut. omnium Judic. 4. si data sit in dotem. L. 1. C. de jure dot. 5. in divisione hæredum, vel Societatis, arg. L. 14. C. famil. herisc undæ. 6. in transactione arg. L. 33. C. de transact. intellige, si alienum datum est; non autem, si tibi prædium v. g. relictum est, quod tuum contendebas, ut dicitur cit. L. 33. 6. in re frugifera vendita, in qua usus fructus evincitur. L. 49. ff. de Evict. quod etiam procedit de aliis servitutibus, si venditor sciens vendidit; si ignorans, tenebitur solum ad id, quo minus empta fuisset res, si libera fuisset, ut coll. ex L. 75. ff. eod.

1430 Not. 2. *actionem empti* ex causa evictionis habere duplicem finem; *unum*, ad rem defendendam, nimirum ut venditor Emptorem instruat, liti assistat, & probationes adferat; *alterum* ad id, quod interest: ex priori capite agi potest ante sententiam; & hæc actio dicitur actio empti *ex causa evictionis*, quæ competit, etiamsi venditor eam specialiter non promiserit. L. 6. de Evict. in C. si autem ex aliis causis (supra enumeratis) præstanda sit evictio, aliæ quoque actiones constitutæ sunt, ut actio præscriptis verbis ex permutatione &c. quibus positis:

1431 R. In casu evictionis, Emptori adversus venditorem concedi actionem empti ex primo fine, cum ei lis movetur super re empta; & ex secundo re evicta; & hæc eo tendit 1. ut Emptori restituatur pretium, venditori solutum, secundum æstimationem rei, quam habuit tempore venditionis, non autem evictionis, L. 13. ff. de Evict. ibi: *Bonitatis æstimationem faciendam, cum pars evincitur, Proculus recte putabat, quæ fuisset venditionis tempore; non, cum evinceretur*; ubi Gloss. lit. M. duplum, inquit, rei, qui promittit pretium, quod tempore contractûs fuit; spectare intelligitur; tempus contractus, in dubio consideramus. Tendit 2. ut venditor Emptori præstet, quanti hujus interest, rem evictam esse, & ab ea id non acquiri, quod acquirere poterat ex illa non evicta L. 8. ff. eod. ibi: *Venditor hominis, Emptori præstare debet quanti ejus interest, hominem venditoris fuisse; quare sive partus ancillæ, sive hæreditas, quem servus jussu Emptoris adierit, evicta fuerit, agi ex empto potest, & sicut obligatus est venditor, ut præstet, licere habere hominem, quem vendidit; ita ea quoque, quæ per eum acquiri potuerunt, præstare debet Emptori, ut habeat.*

Advertendum autem, Emptori non 1432
concedi actionem empti ex causa evictionis *ante sententiam*; neque cum hæc transivit in rem judicatam. L. 3. C. h. t. ibi: *Qui rem emit, & post possid. t, quam diu evicta non est, auctorem suum propterea, quod aliena, vel obligata res dicatur, convenire non potest*, & L. *si cum quæstio* 12. ff. eod. ibi: *si cum quæstio tibi super eo, quem comparaveras, moveretur, auctorem tuum certum feci sti, nec citra Iudicis disceptationem eum quem emeras, tradidisti, præses provinciæ in damnis, quæ te tolerâsse meministi, medelam juris* præstabit.

Advertendum 2. quod solutio, *quanti interest*, 1433
dupli quantitatem non debeat excedere, L. *unic* C. de sententiis, quæ pro eo, quod interest, proferuntur, ibi: *Sancimus itaque in omnibus casibus, qui certam habent quantitatem, vel naturam, (veluti in venditionibus, & locationibus, & omnibus contractibus) hoc, quod interest, dupli quantitatem minime excedere: in aliis autem casibus, qui incerti esse videntur, judices, qui causas dirimendas suscipiunt, per suam subtilitatem requirere, ut hoc, quod revera induitur damnum, hoc reddatur, & non ex quibusdam machinationibus, & immodicis perversionibus in circuitus in extricabi-*

cabilis redigatur. Mox autem subjungitur extensio : *& hoc non solum in damno, sed etiam in lucro nostra amplectitur constitutio ; quia & ex eo Veteres , id , quod interest , statuerunt , & sit omnibus , secundum quod dictum est , finis antiquæ prolixitatis hujus constitutionis recitatio.*

1434 Advertendum 3. venditorem insuper Emptori teneri refundere sumptus litis ab hoc factos per L. 3. §. 11. ff. de peculio ibi : idem scribit judicati quoque partem de peculio actione teneri, quod & Marcellus putat , etiam ejus actionis nomine , ex qua non potuit Pater de peculio actionem pati , nam sicut in stipulatione contrahitur cum filio , ita judicio contrahi , proinde non originem judicii spectandam , sed ipsam judicati velut obligationem. Quare , & si quasi defensor, condemnatus sit, idem putat.

1435 Advertendum 4. Emptori non competere actionem empti ex causa evictionis , nisi venditorem *laudaverit* , hoc est , ei prius tempestivè denunciaverit , sibi litem super re vendita motam esse , ut venditor suæ obligationi satisfacere possit , Emptorem defendendo. L. 8. C. de Evict. ibi : *Emptor fundi, nisi auctori, aut hæredi ejus denunciaverit , evicto prædio neque ex stipulatu , neque ex dupla, neque ex empto actionem contra venditorem, vel Fidejussorem ejus habet ; sed , & si judicio Emptor non adfuit , aut præsens per injuriam judicis victus est absente auctore , vel fidejussore , regressum adversus eum non habet,* Et L. 9. C. eod. ibi: *si controversia tibi possessionis , quam bona fide te emisse allegas , ab aliquo movetur , auctori , hæredive ejus denuncia ; & si quidem obtinueris , habebis , quod emisti : sin autem victum fuerit , venditore , successoreve ejus consequeris , quanti tua interest , in quo continetur etiam eorum persecutio , quæ in rem emptam à te , ut melior fieret , erogata sunt ;* quod verum est, licet hoc aliunde venditor sciat. Fachinæus L. 2. c. 35. Unde, licet verum sit, quod, qui certus est , amplius certiorari non debeat , id tamen fallit , quando leges expresse exigunt , interpellationem , ut colligitur ex L. 23. de Usuris. ex L. 32. eod ibi : *si interpellatus opportuno loco non solverit.*

Advertendum autem 5. denuntiationi , de qua præced. n. juxta communiorem sententiam inferendam esse copiam libelli Actoris ; & , si quid aliud actum est cum Emptore ; sic Fachinæus. l. 2. c. 34. ex Clement. *causam.* §. *ult.* de Elect. quia venditor cognoscere posse debet , quid sibi expediat , an litigare cum periculo condemnationis in expensas, an non ? &, si potest , fieri debet venditori immediatè , si secus , ad ejus domum, consciis vicinis per L. 56. §. 5. ff. h. t. venditore autem mortuo ejus hæredibus , & quidem omnibus per L. 85. §. 5. ff. de verb. oblig. *laudato* autem venditore , non opus est etiam *laudare* Fidejussorem , si quis accessit per L. C. de Evict. ibi : *Auctore laudato , si evicta res est , fidejussorem (etiam si agi causam ignoraverit) conveniri evictionis nomine posse non ambigitur.* 1436

Advertendum 6. dari tamen aliquos casus , in quibus venditor non teneatur de Evictione. 1. est in casu omissæ denuntiationis juxta n. 1435. Deinde si expresse conventum sit , ut non teneatur de evictione , per L. 11. §. 18. ff. de actione empti ; 3. si culpa Judicis res evicta est per L. 51. C. de Evict. & c. *final.* de empt. 4. si res evincatur culpa ipsius Emptoris , ut colligitur à sensu contrario ex L. 1. C. de rer. permutat. 5. si Emptor citra causam , à venditore datam , ex Principis mandato, rem emptam amittit , vel alteri tradere compellatur , vel evincatur jure restitutionis in integrum. 6. si Emptor scivit , rem esse alienam , per L. 27. C. de Evict. 7. si Emptor per vim à possessione rei emptæ expellitur , L. *fin.* C. de action. Empti. 8. quando Emptor neglexit usucapionem. L. 56. §. 3. ff. de Evict. 9. quando hæres , qui inventarium confecit, rem hæreditariam , qua talem , non ut propriam pro solutione æris alieni hæreditarii vendidit , ut coll. ex L. *fin.* §. 4. C. de Jure deliber. Fachin. l. 4. c. 39. 10. quando Creditor rem , pignoris jure , distraxit ; tunc enim nec tenetur de evictione , nec ad pretii restitutionem, per L. 11. §. 16. ff. de action. empti. 11. quando Fiscus rem alienam , vel alteri oppignoratam vendit. 12. si venditur nomen , seu debitum , & debitor 1437

tempore venditionis non est solvendo, nisi specialiter actum esset, quod Emptor esset futurus indemnis, per L. 4. ff. de hæred. vend.

1438 Hæc de jure Emptoris rei evictæ adversus venditorem; huic econtra adversus Emptorem competit actio venditi 1. ad pretium certum, ac determinatum ab Emptore præstandum; 2. ad usuras pretii non soluti ex tempore moræ, nisi aliter conventum sit, per L. 13. §. 20. ff. de actionib. empti. 3. ad impensas repetendas, factas à venditore in rem emptam ante illius traditionem, ut dicitur in eadem L. §. 22. 4. Si quidem emptor cum re empta accepit, quod venditioni non accessit, per L. 2. C. de act. Empti, & L. 17. §. 6. ff. eod. 5. ad resarcienda damna, quæ causavit Emptor non auferendo rem emptam, vel repetendum, quod plus debito venditor præstitit.

§. 3.

An hæreditas vendi, ac emi possit?

1439 R. HÆreditatem *solum speratam*, vivo testatore, vel eo, cujus hæreditas speratur, vendi non posse propter imminens periculum, ne Emptor vitæ ejus insidietur, cujus hæreditatem emit, per L. 1. ff. de hæred. vel actione vendita, ibi: *Si hæreditas venierit ejus, qui vivit, aut nullus sit, nihil esse actum, quia in rerum natura non sit, quod venierit*; excipe nisi testator consentiat, per L. 30. C. de pactis, & in eo consensu ad mortem perseveret; ibi: *Nobis omnes hujusmodi pactiones odiosæ esse videntur, & plenæ tristissimi, & periculosi eventûs*; quare enim quodam vivente, & ignorante, de rebus ejus quidam paciscentes conveniunt? secundum veteres itaque regulas sancimus, *omnimodo hujusmodi pacta, quæ contra bonos mores inita sunt, repelli, & nihil ex his pactionibus observari, nisi ipse forte, de cujus hæreditate pactum est, voluntatem suam eis accommodaverit, & in ea, usque ad extremum vitæ suæ spatium, perseveraverit; tunc enim sublata acerbissima spe, licebit eis illo sciente, & jubente hujusmodi pactiones servare, quod etiam anterioribus legibus, & constitutionibus non erat incognitum, licet à nobis clarius est introductum.*

Dixi: *solum speratam*; nam hæreditas *delata*, valide venditur, & tali casu 1440
in Emptorem transeunt omnes actiones utiles activè, omniaque jura, & commoda, quæ ad venditorem, ratione hæreditatis, pertinebant; quod verum est, etiam nulla cessione facta; hac vero posita, etiam actiones directæ, L. 5. C. de hæred. vel action. vendit. ibi: *Emptor hæreditatis actionibus mandatis eo jure uti debet, quo is, cujus persona fungitur, quamvis utiles, etiam adversus debitores hæreditarios actiones Emptori tribui placuit: Actiones autem passivæ, quæ scilicet contra defunctum dabantur, atque adeo contra hæredem competunt Creditoribus contra hæredem venditorem, qui tamen, cum satisfecerit, solutum repetit ab Emptore, actione negotiorum gestorum, nisi sit vendita sola hæreditas*, hoc est sola bona defuncti, deductis legatis, & toto ære alieno L. 2. C. de hæred. & action. vendit. ibi: *ratio juris postulat, ut Creditoribus hæreditariis, & Legatariis, seu Fideicommissariis, te convenire volentibus, tu respondeas; & cum eo, cui hæreditatem venumdedisti, tu experieris suo ordine.* Nam, ut satis tibi detur, fero desideras, quoniam eo tempore, quo venumdabatur hæreditas, hoc non est comprehensum. Quamvis enim eâ lege emerit, ut creditoribus hæreditariis satisfaciat: excipere tamen actiones hæreditatis invitus cogi non potest. Hoc intellige, quando *hæres* vendit; nam quando *Fiscus* vendit, etiam actiones passivæ transeunt ad Emptorem, per L. 1. C. eod. ibi: *as alienum hæreditate, nomine Fisci, vendita ad onus Emptoris bonorum pertinere, nec Fiscum Creditoribus hæreditariis respondere certum, & absolutum est.*

Quæstio præterea est 1. an si hæres *institutus*, & filio Testatoris, vel alteri *substitutus*, hæreditatem sibi delatam vendat, censeatur etiam vendidisse *jus substitutionis*, & id, quod ei defertur, secuta morte ejus, cui substitutus est? R. quod non ex L. 2. §. 2. ff. eod. ibi: illud potest quæri, *si etiam impuberi sit substitutus is, qui vendidit hæreditatem*

testatoris, an etiam id, quod ex impuberis hæreditate, adeum, qui vendidit hæreditatem, pervenit, ex empto actioni locum faciat? & magis est, *ne veniat*; quia alia hæreditas est, licet enim unum testamentum sit, alia tamen, atque alia hæreditas est; planè, si hoc actum sit, dicendum erit, etiam impuberis hæreditatem in venditionem venire: maximè, si jam delata impuberis hæreditate, venierit hæreditas.

Quæstio 2. an si hæres vendat hæreditatem sibi delatam, eo ipso etiam censeatur cum ea (post venditionem perfectam, & factam traditionem) venditum jus accrescendi? R. quod sic, juxta sententiam probabiliorem per L. 2. §. 4. ff. h. t. ibi: *non solum, quod ad venditorem hæreditatis actu pervenit, sed etiam, quod ad hæredem ejusdem ex hæreditate pervenit, & perventurum est, Emptori restituendum est.*

§. 4.

An, & qualiter emi ac vendi possint Nomina?

1441 SUppon. *actiones*, quæ alicui competunt ad petendam ab altero solutionem debiti, à Juristis vocari *Nomina*, *Credita*, *Debita*, vel *Chirographa*; cujusmodi sunt literæ censuales, fundatæ in mutuo dato, &c. Porro ejusmodi *Nomina*, etiam ignorante, vel invito debitore (intellige ante litem contestatam, non autem post, quia lite contestata actio evadit litigiosa; res autem litigiosæ vendi non possunt) vendi posse; apertè constat ex L. 3. C. de hæred. vendit, & L. 1. C. de Novat. Hoc intellige de omnibus personalibus; Nam cum actio realis *fundetur* in dominio rei (ut est rei vendicatio) adhuc tamen etiam actiones reales licitè vendi possunt, sic tamen, ut Emptori competat non actio directa, sed solum utilis in rem per L. 9. C. de hæred. & action. vendit: ibi: *certi, & indubitati juris est*, ad similitudinem ejus, qui *personalem* redemerit actionem, & utiliter eam movere conceditur; etiam eum, qui *in rem actionem* comparaverit, *eâdem uti possefacultate*. Cum enim *actionis nomen generale sit omnium*, sive *in rem*, sive *in personam* actionum, &c. nihil est tale, quod *differentiam* in hujusmodi utilib⁹ actionib⁹ possit introducere. Hinc quãdo dicitur actionem *cessam* esse personalem (nimirum in personam debitoris; quæ non nisi ex contractu, maleficio, vel similibus causis datur) eis *contractu* intelligitur vel explicito, vel implicito; debitor enim consentiendo in contractum, implicitè se obligavit omni ei, ad quem jus Creditoris legitimè transiverit. Hinc ubi dicitur, *nemo alteri invitus obligatur*; Resp. alia obligatione, ac illa, in quam nunquam volens consensit C. in quam volens consensit N. alias actiones nec ad hæredes transirent. Not. præterea 1. quòd Creditor vendendo alteri suam actionem, etiam potentiori, non faciat debitoris conditionem deteriorem; cum statim solvendo debitum se possit liberare. Not. 2. licet debitor non possit Creditori invito, alium debitorem substituere (cum novus debitor possit esse non solvendo, vel morosus) posse tamen à Creditore alium Creditorem, etiam invito debitori; cùm hic non subeat per hoc illud præjudicium. Not. 3. delegationem *nominis* non nisi consentiente debitore fieri posse; quia de illius natura est stipulatio, & mutua promissio, ut patet ex L. 1. C. de Novat. secus est in venditione Nominis; quibus positis:

Quæstio est 1. an actiones, seu nomina, 1442
debita, credita, vel chirographa, licitè emantur *minori pretio* (quam, quod per se continent) intuitu lucri cessantis, damni emergentis, periculi obtinendæ solutionis, & faciendarum expensarum, adeoque, quando sunt *incerta*, & *periculosa*? Ante resolut. not. 1. quando nomina, vel chirographa sunt *affecta* talibus circumstantiis, seu periculis, valorem eorum meritò decrescere secundum quantitatem ejusmodi onerum, & periculorum; ex quo rectè sequitur, quando chirographum, continens debitum 100. florenorum, (ratione illarum circumstantiarum) decrescit solùm ad valorem 60. licitè illud emi 60. quia sic datur tantum pro tanto (pretium scilicet juxta valorem mercis) sic Cardenas

in Cris. ad propos. damnat. sub Innoc. XI. dissert. 25. à n. 37.

1443 Sed, ut hoc rectè accipiatur not. 2. hoc non procedere, quando tota difficultas acquirendi *plenum creditum*, vel non, sine illis periculis, tenet se *ex parte Emptoris*, qui simul sit debitor, culpabiliter apponens illas difficultates; quia sic manifestè committit *injustitiam*; adeoque respectu illius decrementum valoris in eo non est sine obligatione compensandi; ex quo sequitur, quòd Principes, vel eorum ministri, quibus incumbit solvere debita, non possint bona conscientia minori pretio emere credita, vel chirographa, *minoris æstimata propter prædicta pericula, & difficultates acquirendæ solutionis, quas ipsi injustè apponunt*; Sic P. Paulus Rosner in Tract. de jure, & just. de Empt. chirographorum n. 4. pag. 291. Si autem Emptor non sit simul debitor, nec causa circumstantiarum (propter quas valor chirographi decrescit) licitè minoris emit; quia sic citra injustitiam dat æqualitatem pretii, nempe juxta valorem chirographi in iis circumstantiis, quarum ipse non est injustè causa. Quod verum est, licet ipse non habeat illam difficultatem acquirendi à debitore talem summam, sed tantùm Creditor; ut, si sciat, debitorem sibi addictum, amicum, obligatum &c. quia tunc solvit, quantum res valet in communi hominum æstimatione; adeoque servat æqualitatem; nec minus dat, quam alii darent, qui non haberent eas qualitates.

1444 Quæstio est 2. quid dicendum in casu, quo debitum est *liquidum*, nulla affectum æstimabili difficultate lucri cessantis, damni emergentis, periculi &c. ea duntaxat excepta, *quòd dies necdum venerit* (hoc est, quod Creditor illud nondum, sed primò post annum, vel longius tempus exigere possit;) in hac quæstione distinguendum est; nam si Creditor tale debitum proponit *venale minori pretio*, gratis remittens excessum debiti, non est dubium licere talem emptionem liberali donatione vel remissione excessus, mixtam. Quod maximè procedit, si Dominus chirographi, ultro exponat venale chirographum; quia *merces ultroneæ vilescunt pro tertia parte*; sic Cardenas cit. n. 37. & apud eum Lessius de Just. c. 21. dub. 4. n. 33. Card. Lugo tom. 2. de Just. D. 26. sect. 4. n. 45. & alii. Aliud est, si proponat venale minori pretio, coactus necessitate indigentiæ præsentis; & in hoc casu, licet aliqui affirment, adhuc licere illud emere minori pretio; longè tamen probabilius est, quòd non, quia ex parte Emptoris nullum omninò sit damnum, vel periculum acquirendi totam summam; sic Cardanus cit. n. 37. quia secluso omni titulo ex parte emptoris, propter quod chirographum in valore descrescat, non servatur æqualitas pretii, adeoque committitur injustitia.

§. 5.

An, & qualiter emi, ac vendi possint debita litigosa?

CAsus est. Titius habet litem cum Cajo v. g. in centum millibus florenorum; sed quia litis eventus est ambiguus, & res multis annis, atque expensis exposita: Titius minori pretio jus suum cedit, & vendit Sempronio. Quæstio est 1. an Sempronius litem illam licitè minoris emat? obstare videtur, 1. quod vendi non possint res *litigiosæ*, L. *lite pendente*, L. *quicunque*, L. *censemus*, C. de litigosis. 2. Constitutio Anastasiana, L. 22. C. Mandati, ubi Imperator, ejusmodi litium cessiones inhibet; & vult, ut si litis Emptor litem lucretur, debitor ei non plus solvere teneatur, quam Emptor litis venditori in pretium dederit, sed cum usuris; exceptis tamen certis casibus, in quibus redemptio alienæ litis conceditur. 1445

Casus ibidem excepti sunt sequentes: 1. inter hæredes; quorum unus potest alteri cedere actionem; 2. si Creditor à suo debitore accepit in solutum nomen sui debitoris; tunc enim agere potest jure cessio: 3. si Creditor patiatur controversiam super pignoribus sibi obligatis; tunc enim ei licet à debitore petere, ut sibi cedat actionem; 4. Si rei alicujus possessor patiatur actionem super re, quam possidet, à non Domino jus fructuarii, vel superficiarii sibi cedi, ut se defendere possit adversus 1446

ve-

verum Dominum; 5. qui possidet rem aliquam im emphyteusim, petere potest, ut dominus directus ipsi cedat actionem suam; 6. Legatarius potest ab hærede petere sibi cedi actionem: 7. si actio cedatur titulo donationis; his præmissis:

1447 R. Dictam prohibitionem Anastasii solum procedere in casu, quo redimuntur minori pretio alienæ lites, vel de facto susceptæ, vel probabiliter, ac justè metuendæ; atque adeo, quo fiunt cessiones Nominum dubiorum, ac incertorum; nisi vel consensus debitoris cessi accesserit; vel ex concurrentibus circumstantiis appareat, cessionem non animo debitorem gravius inquietandi, & onerandi, factam esse; nam has, & similes fraudes Anastasius hac constitutione sua tollere voluit.

1448 Ex hoc sequitur 1. actiones *incertas*, etiam stante constitutione Anastasiana, licitè minoris emi, & vendi in prædictis 6. casibus, de quibus an. 1446. modo habeant annexum periculum dubii eventûs, expensarum, lucri cessantis, &c. & secundum æstimationem horum decrementum pretii fiat, salva scilicet constitutione Anastasii, cum eos ipse exceperit; minoris etiam, quia, ut alias dictum est, servatur æqualitas, & justum pretium. Sequitur 2. idem licitè fieri extra illos casus, servato justo pretio; non tantum in secundo casu, de quo n. 1446. sed etiam si venditor defectu mediorum ad prosequendam litem dubiam, actionem suam alteri cedat, seclusa omni fraude. Sequitur 3. Debitorem cessum non posse in prædictis casibus uti exceptione adversus emptorem, se non ad plus teneri, quam ipse solverit venditori, licet nomen emptum minoris emerit. Nam exceptio illa pœnalis solum conceditur debitoribus, adversus transgressores Constitutionis Anastasianæ; at si emptio in prædictis casibus fiat, nulla fit cum transgressione Constitutionis Anastasianæ, ut ostensum est: ergo. Sed hæc intellige, quantum attinet ad Constitutionem *Anastasii*.

1449 Ratio hujus est; quia, cum Justinianus Imperator videret, per illam necdum satis obviari fraudibus, ipse in L. *sancimus*, quæ est 23. C. Mandati ulterius remedium adhibuit sanciendo. 1. ne ulli liceat *acceptis pecuniis partem debiti cedere*; *partem autem donationis titulo in eundem transferre*; 2. ne ulli liceat publicè *simulatam donationem* debiti celebrare, nimirum simulando donationem totius debiti, & occulte per clandestinas artes *prosimulate donatis actionibus pecunias suscipere*; sic ille loc.cit. Unde sequitur, licere, etiam stante hac Justinianæa constitutione, actiones, & nomina donare alteri *purè*: *non simulate*, etiam ex integro, ut expresse ibidem indulget Imperator.

Quæstio autem est, an illud, quod Cessionario, seu actionum Emptori, vi harum constitutionum detrahitur, à cedente, vel vendente adhuc exigi possit? Ante resol. not. 1. quòd Anastasius in sua Constitutione pœnam (*quòd debitor actionis emptori, contra dictam constitutionem, non plus solvere teneatur, quàm ipse pro illa dederit venditori*) imponat illicitæ cessioni debiti, factæ *per emptionem, & venditionem*, vel factæ *ex sola causa venditionis*. Not. 2. quòd Justinianus non corrigat constitutionem Anastasii, nec novam pœnam imponat; sed hanc solum extendat ad casum, *etiam fraudulentæ donationis*, vel *in parte*, vel *in toto debito*, ut patet ex cit. L. 23. §. 3. ibi: *Sed, ne videamur, in tanta temporum nostrorum benevolentia, aliquid acerbius admittere; in futuris, post præsentem legem, casibus hæc observari censemus, ut omne, quod contra Anastasianam legem excogitatum est, hoc imposterum nostro perfruatur remedio.* 1450

Not. 3. Quod Justinianus in dicta sua Constitutione non solum pœnam, (quod Emptor fraudulentus actionum, nihil ultra id, quod pro illis exposuit, à debitore exigere possit) extendat ad præfatas *donationes simulatas*; sed etiam velit, ut in tali casu, nec Emptori, seu fictè donanti, nec venditori, seu ficto Donatario, *ulla actio pro residuo competat*, ut patet ex cit. L. §. 1. & 2. his positis: 1451

R. In casu, quo cessio contra legem facta est per totius debiti *donationem simulatam*, vel per *venditionem partis*, & per *fictam donationem alterius partis*, venditori, vel donatario nullam compe- 1452

p tere actionem contra debitorem ad reſiduum, ut clare deciſum eſt in cit. L. 23. §. 1. & 2. In caſu autem ceſſionis, ex ſola venditionis cauſa contra legem factæ, venditorem poſſe agere ad reſiduum contra debitorem, ſi ipſe nec moraliter particeps fuit fraudis (tunc enim, ſicut caret culpa, ſic etiam liber erit à pœna) ſecus, ſi de culpa participavit. Nam etiam in eo, quod contra legem Anaſtaſii actum eſt, debitor uti poteſt remedio à Juſtiniano conſtituto, ut conſtat ex n. 1445. ſi ſine culpa; ergo ſolum, ſi cum culpa, ſed vi illius remedii debitor repellere poteſt, & fictum donatorem, & donatarium, volentem agere ad reſiduum: ergo etiam Emptorem, & venditorem culpabilem.

§. 6.

De reliquis ad materiam venditionis pertinentibus.

1453 DUbium primum eſt, an res *futura* emi, & vendi poſſit? 2. an homo liber? 3. an res Univerſitatis? 4. an venenum? 5. an officia publica? 6. an Cenſus? 7. an res furtiva? 8. an arma hoſtibus? &c. Ad 1. & 2. poſſe, modò aliquâ ratione jam exiſtat in cauſa proxima, v. g. futurus partus animalium, captura piſcium ex jactu retis &c. habetur per L. 8. ff. h. t. tunc enim eſt emptio *ſpei*; ſi autem res empta evicta fuerit, venditor nullam eo nomine obligationem contrahit, eò, quòd *eventum* emerit, quo caſu perinde eſt, ac ſi nihil captum foret. Nam ea venditio eſt abſoluta, nimirum ſpei, quod aliter ſe habet in venditione partûs, ubi *partus* emitur; non *ſpes*; hinc emptio *partûs* eſt ſolum conditionata, *ſi nimirum ſequatur*. Quando autem dicitur, quod res *non exiſtens* vendi non poſſit, intelligitur, cum venditur, *ut exiſtens*, cum utriusque ignorantia de illius interitu facto ante contractum. Si autem major pars periit, poteſt emptor à contractu reſilire, vel agere ad diminuendum pretium; Si tantum media, contractus tenet, ſed pro rata minuitur pretium, de quo extat fuſè L. 57. ff. h. t.

Ad 2. Reſp. juri conformiorem eſſe 1454
negativam, ne quidem in tempus, quo fortè ſervus futurus eſt, ut conſtat ex L. 34. ff. h. t. ibi: *Omnium rerum quas quis habere, vel poſſidere, vel perſequi poteſt, venditio rectè fit; quas verò natura, vel gentium jus, vel mores Civitatis, commercio exuerunt, earum nulla venditio eſt*; ubi deinde §. 2. ſubjungitur: *Liberum hominem ſcienter emere non poſſumus; ſed nec talis emptio, aut ſtipulatio admittenda eſt: cùm ſervus erit quamvis dixerimus futuras res emi poſſe, nec enim fas eſt ejusmodi caſus exſpectare.* Idem habetur §. 4. Inſtit. de jure perſonarum ibi: *aut jure civili cum liber homo major 20 annis adpretium participandum ſeſe venundari paſſus eſt*; quod ſumptum eſt ex L. 5. §. 1. ff. de ſtat. hom. & hoc ſtatutum eſt (cum alioquin homo liber in commercio non ſit) ad coërcendam improbitatem ejus, qui fraudandi Emptoris, & turpiſſimi lucri gratia ſe venundari paſſus eſt, ut impoſterum libertate, quam contempſit, indignus haberetur, & verè ſervus efficeretur.

Et procedit etiam, eſto libertas ejus 1455
ignoretur, ut colligitur ex L. 62. ff. h. t. ibi: *Qui neſciens loca ſacra, vel Religioſa, vel publica pro privatis comparavit, licet emptio non teneat, ex empto tamen adverſus venditorem experietur, ut conſequatur quod interfuit ejus, ne decipiatur*; quæ ultima verba videntur accipienda de caſu, quo Venditor *ſcivit*, hominem eſſe liberum; nam, ſi ignoret, adhuc venditio eſt nulla; quia ignorantia contrahentium qualitatem rei mutare non poteſt, nec vitium rei ſupplere; venditor tamen ſecundum Gomez, & Molinam, non tenetur ad intereſſe; ſed ad ſolum pretium refundendum. Sed de hoc infra. Nam *homo liber*, eſt materia invendibilis, ut conſtat ex L. 34. quamvis venditor, ſi cum ignorantia libertatis vendat, teneatur ad pretium & intereſſe præſtandum, & quoad hoc valere talem venditionem evincitur per L. 4. & 70. ff. h. t. quamvis quoad intereſſe oppoſitum ſentiat Gomez, quando libertas ignorata fuit.

Not. autem prædictis opponi poſſe 1456
L. 70. ff. h. t. ubi dicitur: *Liberi hominis emptionem contrahi poſſe, plerique exiſtimârunt, ſi modo inter ignorantes id fiat, quod*

idem

idem placet, etiamsi venditor sciat, emptor autem ignoret: quod si emptor sciens, liberum esse, emerit, nulla emptio contrahitur, & L. 4. eod. ibi: *& liberi hominis, & loci sacri, & Religiosi, qui haberi non potest, emptio intelligitur, si ab ignorante emitur.* Resp. tamen, ut jam insinuavi n. præced. istas leges, loquentes de venditore *ignorante libertatem* hominis, vel rei, quam vendit, intelligi, *de emptione, & venditione*, cui annexum sit onus, ut venditor Emptori decepto teneatur, ut consequatur, quod suum est, eum deceptum non esse; prædictas vero leges, de emptione, & venditione carente tali onere; prior pars colligitur ex §. fin. Instit. h. t. ibi: *Loca sacra, vel religiosa, item publica* (veluti forum, basilicam) *Frustra quis sciens emit; quæ tamen, si pro profanis, vel privatis deceptus à venditore quis emerit, habebit actionem ex empto, quod non habere ei liceat, ut consequatur, quod suâ interest, eum deceptum non esse; idem juris est, si hominem liberum pro servo emerit.*

1457 Not. 2. ob extremam egestatem, Patri (non autem Matri, vel avo Materno) permitti vendere liberos *Sanguinolentos*, hoc est, recens natos, sic tamen, ut reddito Venditori pretio venditus ad ingenuitatem repeti possit ab ipso Patre, vel quolibet alio, per L. 2. C. de Patribus, qui filios distraxerunt, ibi: *Si quis propter nimiam paupertatem, egestatemq;, victûs causâ, filium, filiamq; sanguinolentos vendiderit, venditione in hoc tantummodo casu valente, emptor obtinendi ejus servitii habeat facultatem; licet autem ipsi, qui vendidit; vel, qui alienatus est; aut cuilibet alii ad ingenuitatem eum propriam repetere: modo si aut pretium offerat, quod potest valere; aut mancipium pro hujusmodi præstet.*

1458 Ad 3. Res Universitatis *juris Universitatis*, non *jure singulorum* possessas, vendi non posse, per L. 72. §. 1. ff. h. t. ibi: *Si quid publici est, ejus nihil venit.* Ad 4. Resp. venenum, quod aliis mixtum materiis, adeo nocendi naturam deponit, ut ex his antidotum, vel aliud salubre medicamentum confici possit, licitè vendi; secus, si adjectione alterius materiæ nullo modo usui licito esse possint, per L. 35. §. 2. ff. h. t. & talia vocantur *venena mala.* Ad 5. Resp. à Principibus officia publica (intellige secularia) quantum est de jure naturæ, licitè vendi personis idoneis, de quibus nimirum spes est, eas bene functuras munere suo; sic Rosmer de contract. §. *quæ possint vendi*; quia numerantur in bonis, seu patrimonio Regis, vel Principis, ut docet in L. *Barbarius*, ff. de offic. Prætoris; & vendendo dignis, satis provideatur Reipublicæ. Dixi 1. *secularia*, nam jurisdictionem, vel officium spirituale vendere Simoniacum est, ut dictum est lib. 5. Tit. 6. Ne Prælati vices suas. Dixi, *quantum est de jure naturæ.* Nam jure civili talis venditio prohibita est, ut constat ex Novell. 8. c. 17. & Novell. 17. c. 9. idque propter multa inconvenientia; Sic enim opulenti (valde frequenter imperiti) exclusis pauperibus, sed dignissimis, officia publica occupant, nec rarò pretium expositum, ex oppressione subditorum, iniquo sanè lucro, recuperant. Cœterum hæc prohibitio in non paucis Provinciis contraria consuetudine jam abrogata est non tantùm in aulis Principum Laicorum, sed etiam in Romana Curia, ut docet Azor l. 8. c. 7. apud Haunold. p. 4. de just. tr. 10. c. 1. controv. 14. n. 110. qui addit, esto contradicatur, semper obtendi *consuetudinem*, ac proinde, id saltem observandum esse, quod exigit jus naturæ. Ad 6. pr. de his extare speciale titulum hoc lib. 3. tit. 39. de quo à n. 3344. Ad 7. constat ex dict. à n. 1428. ad 8. diximus lib. 5. tit. 6.

ARTICULUS III.

Quid, & quotuplex sit pretium rerum venalium?

1459 CUm pretium, & merces, seu res, & pecunia sint objecta, in quæ ferri debet consensus celebrantium contractum emptionis, & venditionis (nam ex hoc consurgit substantialiter iste contractus) & jam dictum sit de merce, seu re vendibili; dicendum venit de pretio. Et quamvis olim contractus emptionis, & venditionis non esset in usu, sed tantum contractus permutationis rei pro re, ut notat

Castropalaus tom. 7. de Just. D. 5. p. 2. n. 1. ex multis tamen causis postea, jure gentium, introducta est quædam res, quæ ex publica authoritate valorem haberet, quo reliqua omnia comparari possent, & hæc appellatur *pretium*; quia omnium rerum est æstimatio, & nummus; quia authoritate publica omnia numerat, & adæquat; inde *pecunia*, quia olim in pecudibus omnes divitiæ sitæ erant; vel, ut placet Plinio lib. 33. c. 3. quòd primum æs, *notâ pecudis* signatum est. V. Ambros. Calepin. v. *pretium*, *nummus pecunia*; & ex hoc constat, quid intelligatur hic *nomine pretii*. Quoniam autem iste contractus propriè pertinet ad justitiam commutativam, quæ respicit æqualitatem inter precium, & mercem, necessario debet esse quædam æqualitas, & medium *rei ad rem*, ut pretium sit *justum*, hoc est, *valore coæquetur merci, & vicissim.*

1460 *Pretium* porrò *justum* aliud est *legitimum* aliud, *naturale*: pretium *legitimum* appellatur, quod lege definitum est, quodque in indivisibili consistit, neque admittit excessum ea in parte, qua est à lege definitum, ut contingit in taxa frumenti, & vini, annui census, & similium; *naturale* pretium est, quod ex ipsis rerum naturis, spectato hominum affectu, necessitate, utilitate, aliisve circumstantiis, provenit, habetque latitudinem; quia non omnes eandem mensuram indivisibilem assignant; ideoque triplex pretium justum distingui solet, supremum, seu rigorosum; medium, seu moderatum: Infimum, seu pium: uti, si res, secundum pretium moderatum, æstimetur *centum*; ejus pretium rigorosum & *supremum* erit *centum* quinque; *infimum* verò, & pium, erit nonaginta quinque, & sic de aliis; quo etiam habetur, quodnam sit *medium?*

1461 Pretium *vulgare*, seu *naturale* L. 63. ff. ad L. Falcidiam sic describitur: *Pretia rerum, non ex affectu, nec utilitate singulorum; sed communiter funguntur. Nec enim, qui filium naturalem possidet, tantò locupletior est, quòd eum, si alius possideret, plurimo redempturus fuisset; sed nec ille, qui filium alienum possidet, tantum habet, quanti eum Pater vendere potest, nec exspectandum est, dum vendat; sed in præsentia, non quâ filius alicujus, sed quâ homo æstimatur.* Ex hoc constat ad quæstionem in titulo propositam. Not. tamen 1. pretium rerum venalium, tam *legitimum*, quam *naturale*, ex variis circumstantiis crescere & decrescere; crescit namque ex penuria mercium, raritate vendentium, & emptorum multitudine, & venditor est rogatus; econtra decrescit, si adsit mercium copia, multitudo vendentium, & raritas ementium, ipsique rogatur; sæpe etiam ex modo vendendi, vilius merces emuntur, uti contingit, cùm subhastantur merces (quia *merces ultroneæ vilescunt*) vel cùm venduntur ad creditum: nam hic modus vendendi excitat emptores, & plerumque venditoribus incommodus est.

Pro hujus intelligentia not. 2. quando 1462
dicitur minui pretium mercium, cum *subhastantur*, seu *ex subhastatione*; per hoc non intelligi aliud, quam *modum vendendi rem*, sic dictum, quod hasta in terram defixa illa venditio celebraretur uno offerente pretium pro re, altero augente, ut tandem plurimum offerenti res traderetur; quare pretium duplo rei valorem excedens licebit accipere; quia potestas publica tacitè hoc justum reddit in foro hoc extraordinario, publicoque emptorum concurrentium examine approbato.

Not. 3. Quod ex copia emptorum, & 1463
raritate rerum, seu mercium, ac econtra ex abundantia rerum, & paucitate ementium, res fiant viliores, communiter rationem reddi; *quia pluris æstimatur, quod à pluribus quæritur, & difficilius invenitur*; & vicissim *minoris penditur, cujus major est copia*, ut docet Lessius. Hinc primi fructus, licet minus maturi, cariores: & adveniente, cum Aula, Principe, rerum augetur pretium; Sic etiam Rosmer, de jure, & just. §. *de pretio justo* pag. 276. & seq. Sic fieri certum est in raritate, & abundantia; Sed, an raritas rem faciat pretiosiorem? non invenio; aliud foret, ubi difficilius comparari potest, adducendo à longè graviori cultu &c. Unde credo recurrendum ad communem hominum æstimationem juxta n. seq. in fine.

Not. 4. pretium rerum venalium non 1464
posse augeri propter necessitatem, seu indi-

indigentiam ementium, vel utilitatem, & commodum, quod inde percipiunt; nam sic quis venderet, quod non est suum; Sic Castropal. tom. 7. D. 5. p. 1. n. 3. quod intellige, de utilitate *passiva*, quam scilicet emens habet ex re empta, quæ activè ad illam comparetur; unde *famelico* non licet *eo titulo* rem carius vendere; nec uni (qui propter suam artem, quam callet, re utitur ad magnum lucrum, quod alteri, ejus artis ignaro, non proveniret. Et quoniam infortunium, & labor, quem venditor patitur, non sunt utilia ementi; nec ista juxta cit. authorem augent valorem rei venalis; qui addit nec valorem rei propterea diminui, quod eam vendens, hoc ex necessitate faciat, unde in his omnibus communis hominum æstimatio spectanda est, ut illud dicatur pretium justum, quod communiter inspectis his circumstantiis, & modo vendendi judicatur, ita communiter Doctores. Rebellus l. 9. de Contractib. q. 1. sect. 7. Leissius l. 2. de Just. c. 21. à dub. 1. & alii.

1465 Circa postremum (quoad *infortunium*, & *laborem*) idem sentire videtur Rosmer cit. pag. 279. ubi assignans quartam radicem, unde mercium augeatur pretium (nimirum *ratione expensarum factarum in re procuranda*) subjungit: Si Mercatores propter aliquod infortunium majores fecerunt expensas, plusque laboris impenderunt; augere ideo non potuerunt pretium; nam neque tenentur minuere, si gratis, & sine laboribus magnis adduxerunt. Hoc quidem mihi videtur omnino verum; sed quia hominum multorum vana opinio, rem prorsus eandem, *solo nomine* (quod res Parisiis veniat) libenter altiori pretio solvunt, esto ab Artifice in Austria laborata sit, nullis à venditore, in re aliunde procuranda, factis expensis, vel laboribus) (tanti enim apud nonnullos est sola æstimatio mercis peregrinæ;) dubitari potest, an venditor justè recipiat pretium idem in hoc casu? mihi valde dubium est, cum deficiat titulus in rem aliunde procurandam expensarum factarum; nisi fortè in tali loco id habeat communis æstimatio dandi tale pretium, ubi rei bonitas est omnino talis, esto alibi, ut credit Emptor, nullo modo facta sit.

Not. 5. etiam ex lucro cessante, vel 1466
damno emergente (dum res à venditoribus asservantur pro ementium Commoditate) aut saltem ejus periculo, augeri pretium rerum venalium; cum hoc periculum sit pretio æstimabile; uti & conservatio, dimissa quandoque commoditate negotiandi cum lucro præsente pecunia, quæ jacet in mercibus. 6. etiam ex alio modo vendendi; cum carius vendantur merces minutim, propter plures labores; 7. in quæstione, an res, quæ nec pretium legitimum, nec vulgare, seu naturale habent (puta rara avis, equus insoliti coloris &c.) possint vendi, quanti contrahentes inter se convenerint? affirmari à pluribus, quorum fundamentum est; quia hæc nec legitimum pretium, nec vulgare habent; ergo ex voluntate contrahentium illud sortiri debent. Item, cum hæc non sint hominum usibus necessaria, nec teneatur venditor illa à se alienare, poterit ab Emptore exigere, quid quid sibi placuerit; alias, nolle vendere; etenim quisque in rebus suis est moderator, & arbiter, L. *in re mandata*. C. mandati; & fortè inde illud proloquium emanavit: *tanti valet res, quanti vendi potest*. L. 2. §. *si hæres*. ff. ad S. consult.

Sed rectius dici videtur, illud pretium 1467
exigi posse, quod prudentis arbitrio, spectatis circumstantiis, *justum* censeretur, non vero, quod ex voluntate venditoris, & affectu Emptoris constituitur; nam pretia rerum non ex affectu, neque utilitate singulorum taxantur, ut constat ex L. *pretia rerum*, relata n. 1461. sed communiter, seu quod communiter justum reputaretur, judicio communi prudentem; & hoc tali casu censendum est pretium *justum rei*, quæ alias non habet pretium legitimum, aut vulgare. Hinc ad 1. arg. in contrarium R. cum dist. conseq. ergo ex voluntate contrahentium illud sortiri debent, si ea conformetur cum judicio rationis, & taxatione communi hominum, C. secus N. conseq. ex allegata lege, & ratione. Ad 2. R. verum esse, quod possit, *nolle vendere*, non dato pretio ad venditoris arbitrium; nego tamen, quod suo affe-

ctu possit taxare pretium, ac vendere ex suppositione, quod velit verè vendere; sic enim constitui debet æqualitas pretii, & rei, ne scilicet pretium majus sit omni justo pretio, eo etiam, quod res habet per analogiam ad justum pretium legitimum, vel naturale, quando illi tale constitutum non est; hæc autem analogia desumi non potest à privato affectu contrahentium, ut jam dictum est.

1468 Quando autem dicitur, *tanti rem valere, quanti vendi potest*, ut habetur L. *in re mandata*, C. mandati, verum est, si maneatur intra latitudinem justi pretii naturalis, vel saltem ejus, quod tale censetur per analogiam ad illud; non autem secus; cum iste contractus natura sua petat æquitatem *dati*, & *accepti*, alias res vilissima ingenti pretio justè vendi posset, v. g. chirographum *in millium aureorum*, etiam liquidum, vel in alio levi puncto solum ambiguum, *decem solidis*; ex hoc autem, quod quis rerum suarum sit moderator, non sequitur, quod, si velit super illis inire certum contractum, possit hoc ex libitu, non attenta natura talis contractus; nemo enim dicet, valere testamentum Titii, seu dispositionem per voluntatem ultimam de rebus suis, esto disponat relinquendo totum libertati alienæ, non curatis solennitatibus juris, quæ sunt de forma ultimæ voluntatis. Quod autem Emptor excessum pretii det *gratis*, præsumi non potest, cum nullus hujus sit indicium, sed potius oppositi; nisi sufficienter exprimat animum donationis, seu supererogationis, prout quandoque contingit, ubi nimius in rem aliquam affectus homines impellit, dandi, quid quid petitur, ut, quod tantopere concupiscitur, obtineatur.

§. I.

An Exteris, & peregrinis carius liceat vendere, quam Indigenis?

1469 Hæc quæstio petit, an rei pretium juste augeatur ex circumstantia personæ, sic, ut eo ipso, quod Emptor sit *Exterus*, & *peregrinus*, res juste pluris æstimari, consequenter ei vendi possit, quam Incolæ, ac inquilino? de hoc videtur agere c. *Placuit*, 1. h. t. quod est desumptum ex Concilio apud Valen. ubi dicitur: *placuit, ut Presbyteri plebes suas admoneant, ut & ipsi hospitales, & non carius vendant transeuntibus, quam mercato vendere possunt; alioquin ad Presbyterum transeuntes hoc referant, ut illius jussu cum humanitate sibi vendant*; ubi nota, hic ea verba (*Presbyteros*) referenda esse ad *Episcopos* ex communi sententia Doctorum; quia Episcopi olim Presbyteri dicebantur, c. *Legimus*, 93. dist. c. *olim*. 95. dist. c. 2. & 3. de pecul. Cleric. *Episcopi* enim, græcè ita appellantur; latinè autem dicuntur speculatores, & superintendentes, ex eo, quod plebi, cui præficiuntur, super intendunt, & vigilant, ejus curam gerendo, c. *Cleros* 21. dist. c. *Legimus*, 63. dist.

Quamvis autem hæc opinio sit com- 1470
munis; videtur tamen verbum illud *Presbyteros* in hoc textu etiam recte sumi *pro Parochis*, plebes regentibus, nam ipsi olim non solum jurisdictionem in foro interiori exercebant; verum etiam, & contentiosam in malefactores animadvertendo, prout tradit Gonzalez in c. 3. de offic. ordin. & videtur posse intelligi etiam ex eo verbo: *Presbyteri plebes suas*; nam *plebs*, in sacris canonibus, pro *parochianis* accipitur, ut colligitur ex Concilio Parisiensi. 1. l. 1. c. 25. ibi: *comperimus quorundam Episcoporum Ministros, non solum in Presbyteris, sed etiam in plebibus* &c. ut ex Concilio Nicœno, Regiensi, & aliis probat Filesanus de orig. parœc. c. 2. per verbum autem *in mercato*, intellige *in foro publico*, ubi res venales exponuntur L. *ult.* C. ut nemini liceat in coëmptione specierum ibi: *ut præbeat juxta id, quod servatur in foro rerum venalium.*

Ex illo igitur canone certè deducitur, 1471
quod Prælati Ecclesiarum cogere possint proprios Parochianos, ut hospitalitatem servent transeuntibus, & ne carius vendant, quam in mercato vendere possint. Unde omnino negandum est, quod in emptione, & venditione pretium constituendum sit arbitrio domini vendentis; nam pretia rerum non ex affe-

affectu, vel utilitate singulorum constitui debent, ut constat ex n. 1461. sed taliter ordinandum est, quod res communiter valent, lege, aut populi consensu, & juxta illud tenentur, qui res vœnum exponunt, merces distrahere; unde, cùm in præsenti res, juxta pretium receptum communiter, in foro venderentur; recte Patres statuerunt, ut juxta illud peregrinis, iterque facientibus merces distrahantur; cum exinde nullum damnum, aut præjudicium ipsis sequatur, aut inferatur.

1472 Dictis tamen opponi videtur Concilium Parisiense temporibus Ludovici, & Lotharii celebratum l. 1. c. 52. in illis verbis: *comperimus, quod in quibusdam occidentalibus Provinciis, Svadente avaritia, Episcopi, & Comites, & cæteri Prælati, pauperibus sibi subjectis soleant edictum imponere, ut nullus eorum, tempore messis, modium frumenti, nec tempore vindemiæ modium vini, majori pretio, nisi, quod ab eis constituitur, vendere præsumat; quod, si quisquam illorum contra facere præsumpserit, & paupertatis suæ magnam jacturam patitur; insuper etiam acribus verberibus flagellatur: unde fit, ut, cum aliis modius frumenti 12. denariis & modius vini 20. denariis venumdari possit: hujuscemodi seniores modium frumenti ad quatuor; & modium vini ad sex, sibi extorqueant denarios; quæ res, quia impietatis, injustitiæque plena est, necesse est, ut piissimi Principis auctoritate inhi-beatur.*

1473 Ad hunc textum subjungo in terminis, quod Gonzalez in dict. c. 1. n. 11. refert ex Concilio Arelat. & Mogunt. nimirum in eo textu non prohiberi taxationem *justi pretii* legitimè factam; sed eam improbari, quæ ex avaritia, & radice cupiditatis procedebat, ut ita divites pauperum res acquirerent, ac lucrifacerent; ut etiam refertur in Concilio Arelatensi sub Carolo can. 23. illis verbis: *nec Comites, vel Vicarii, seu Iudices, vel Centenarii, sub mala occasione, vel ingenio, res pauperum emant, vel per vim tollant, aut quolibet argumento surripiant: sed, cui aliquid possessionum emendum, aut vendendum sit, id in publico, coram Comite, & Iudicibus, & Nobilibus Civitatis, facere debebit.* & in Concilio Mogunt. c. 7. ibi: *Propter provisiones pauperum, pro quibus coram habere debemus, placuit nobis, ut nec Episcopi, nec Comites, nec Vicarii, nec Iudices, nullusque omnino, sub mala occasione, vel malo ingenio, res pauperum, vel minus potentum, nec emere, nec vi tollere audeat.* In præsenti autem agitur de justo pretio rerum in foro recepto, juxta quod recte negotiatores cogi possunt, res proprias vendere.

Præter hæc not. 1. juxta Pirhing h. t. 1474
n. 19. §. *Cæterum*, per accidens fieri posse, quod peregrinis res carius vendi possint, quam incolis; si scilicet ex multitudine ementium advenarum crescat pretium rerum; de quo tamen V. dicta n. 1463. Not. 2. eos, qui tempore gravis necessitatis & inopiæ, abundant victualibus ad vitam necessariis (v. g. *frumento*) etiam cogi posse ad succurrendum pauperibus juxta proportionem suarum facultum, prout colligitur ex c. *sicut ii.* 8. quod est S. Ambrosii dist. 47. ibi: *nunquid iniquus est Deus, ut nobis non æqualiter distribuat vitæ subsidia, ut tu quidem esses affluens, & abundans; aliis vero deesset, & egerent? an idcirco magis, quia & tibi voluit benignitatis suæ experimenta conferre; & alium per virtutem patientiæ coronare? Tu vero, susceptis Dei muneribus, etsi in sinum tuum redactis, nihil te putas agere iniquum, si tam multorum vitæ subsidia solus obtineas? quis enim tam injustus, tam avidus, tam avarus, quam qui multorum alimenta, suum non usum, sed abundantiam, & delitias facit? neque enim minus est criminis habenti tollere, quam, cum possis, & abundes, indigentibus denegare; esurientium panis est, quem tu detines; nudorum indumentum est, quod tu recludis; & miserorum redemptio est, & absolutio, pecunia, quam tu in terram defodis; tot te ergo scias invadere bona quot possis præstare, quod velis.*

Hinc non potest non esse iniquissi- 1475
mum, si taliter abundantes (v. g. frumento non tantum non succurrant indigentibus, saltem mitigando pretium tolerabile miseris; sed multo magis, si & ipsi, vel à subditis corradunt, *ut altius vendant*; vel eis inhibeant, *ne minoris, quam tales avaritiæ idololatræ*, vendant, ut turpissimæ suæ cupiditati, pecuniæ, ac avaritiæ nunquam explebili

velificent, de quibus S. Ambrosius initio cit. c. 8. *Sicut ii, qui per insaniam mente translati sunt, non jam res ipsas, sed passionis suæ phantasias vident; ita etiam mens avari, semel vinculis cupiditatis adstricta, semper aurum, semper argentum videt, semper reditus computat, gratius aurum intuetur, quam solem; ipsa ejus oratio, & supplicatio ad Dominum, aurum quærit.*

§. 2.

De læsione ultra dimidium justi pretii.

1476 CUm sæpe contingat in contractu emptionis, & venditionis lædi vel Emptorem, ubi carius solvit rem, quam valeat; vel venditorem, cum valore rei, quam vendit, recipit minus justo pretio: quæstio hic est, quid requiratur, ut læsio dicatur *intra* vel *extra dimidium justi pretii?* Communis Doctorum tenet, ex parte *venditoris* contingere læsionem *ultra* dimidium justi pretii, si rem, quæ valet *centum*, vendidit *infra* quinquaginta; sic enim non attingit *medium* justi pretii, L. 2. C. de rescindenda vendit: atque adeo nec dimidia pars veri pretii soluta est; & tradidit ibi Glossa ab omnibus recepta.

1477 Difficultas est, quando censeatur *Emptor* læsus ultra dimidium? Fachinæus l. 2. controvers. c. 16. & alii censent, hoc non contingere, nisi rem valentem 100, emerit ultra 200; ratio est; quia læsio *ultra dimidium*, ex parte venditionis non est, nisi non acceperit veri pretii dimidium rei venditæ; ergo læsio *ultra dimidium* ex parte Emptoris non est, nisi non acceperit rem, cujus valor non attingat dimidium pretii numerati; sed hoc fit, quando accepit rem valentem 10. & solum dedit 200, ac non ultra: ergo.

1478 Contrarium tamen videtur probabilius; nam in contractu emptionis, & venditionis servanda est æqualitas inter Emptorem, & venditorem; ergo sicut venditor dicitur læsus ultra dimidium, quando dedit mercem dimidio majorem pretio; sic Emptor erit læsus ultra dimidium, quando dedit pretium dimidio majus valore mercis, & ita tenet Covarr. 2. Variar. c. 3. n. 8. Molina tom. 2. D. 349. P. Ferdinandus Rebellus p. 2. de obligat. just. l. 9. q. 3. sect. 1. Lessius l. 2. c. 21. D. 4. & alii communiter.

Ad rationem sententiæ contrariæ in n. 1477. 1479

Rz. Læsionem ex parte Emptoris debere attendi in eo, *quod dedit ipse*; non in eo, *quod accepit*; cum enim 50. sint dimidium summæ consistentis in 100; si dat ultra 150, dat dimidio plus non dando centum, & 50; dat solum dimidio plus, ubi res valet tantum centum, ergo si dat ultra 150, dat plus ultra dimidium, ergo læditur ultra dimidium. Quare, si venditor dat rem valentem centum, & pretium recipit infra 50. læsus est ultra dimidium, si enim accepisset tantum 50. non esset læsus *ultra*, sed tantum *in dimidio*; ergo similiter, si Emptor pro re valente 100. dedit pretium ultra 150, læsus est ultra dimidium, si enim dedisset tantum 150. non esset læsus ultra, sed tantum *in dimidio*.

§. 3.

An, qui læsit infra dimidium justi pretii in conscientia teneatur læsionem reparare?

Rz. PEr talem læsionem lædi justitiam commutativam consequenter nasci obligationem in conscientia reparandi damnum; Sic D. Thomas 2. 2. q. 77. a. 1. & alii communiter; nam jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorem. L. *jure naturæ*. ff. de regul. juris; & ratio est, quia jure naturali æqualitas hoc contractu postulatur, quam stricta justitia directe quærit; quo posito communis tenet, quod omnis actio, per quam inducitur inæqualitas, stricte justitiæ apponatur; sed per læsionem etiã infra dimidiũ inducitur inæqualitas; si enim merces valent centũ, & in pecunia pro pretio recipiuntur 130, licet excessus supra centum, sit infra dimidium justi pretii, est tamen simpliciter ultra justum pretium, 1480

nem-

nempe 100, consequenter facit inæqualitatem, ut venditor *plus* ; Emptor, *minus* habeat, quam cujusque jus permittat, vel exigat ; ergo læsio etiam *infra* dimidium opponitur strictæ justitiæ ; at actio strictæ justitiæ inducit obligationem inducendi æqualitatem per restitutionem læso faciendam : ergo.

1481 Dices : naturaliter licitum est contrahentibus, se in pretio decipere, L. *in causas.* §. *Idem Pomponius.* ff. de Minoribus, & L. *Item si pretio.* 22. §. fin. ff. locati, ibi : *quemadmodum in emendo, & vendendo, naturaliter concessum est, quod pluris sit, minoris emere ; quod minoris sit, pluris vendere, & ita invicem se circumscribere : ita in locationibus quoque & conductionibus juris est :* ergo licita erit deceptio *infra*, seu *intra* dimidium ; non autem *ultra* ; nam hæc deceptio reparatur, ut dicitur in L. *Rem.* 4. C. de rescind. vendit. ibi : *Rem majoris pretii, si tu, vel Pater tuus, minoris distraxerit, humanum est, ut vel pretium te restituente emptoribus, fundum venumdatum recipias auctoritate judicis intercedente ; vel, si emptor elegit, quod deest justo pretio, recipias.* Minus autem pretium videtur, si nec dimidia pars veri pretii soluta sit. Deinde deceptio intra dimidium, cum parum à justo distet, remissa censetur à venditore, vel Emptore juxta illum aphorismum. apud P. Saà. V. *Venditio* n. 20. *Quod parum est, cendetur emptor, & venditor condonare invicem.*

℟. Cum glossa in dict. L. *in causæ* Lit. Y. *circumscriptionem*, jure civili in contractibus, permissam esse ; jure autem conscientiæ omnem circumscriptionem, seu circumventionem, esse illicitam ; unde ibid. *hæc tamen circumscriptio*, inquit, *cujus hic fit mentio, non est dolus, sed prudentia, & industria quædam tantum œconomica, studiumque aliquod, tantum rei familiaris augendæ ; hoc intelligendo juxta commune hominum votum* ; natura enim contrahentium omnium hæc est, *ut velint in vendendo, & emendo lucrum aliquod facere. Licere igitur ibi idē est, ac permissum*, prout hoc importat *indulgentiam pœnæ* ; *sed non culpæ* ; non enim omne, *quod licet impunè* (hoc est, quod non punitur) *honestum est, & immune à culpa contra conscientiam* ; L. *non omne.* ff. de reg. juris ; sic in pluribus locis *licet* (hoc est) *permittitur impunè*, aliquid fieri, esto non fiat licitè, seu honeste. Quod autem dicitur ex P. Saà, intelligendum est de læsione *minima*, concurrentibus indiciis, alterum non esse invitum.

Dices 2. Lex humana optime potuit, 1482
ad vitandas lites, & animarum pericula, statuere, ne lædens *infra* dimidium justi pretii haberet obligationem restituendi ; tametsi peccatum committeret ; ergo tali casu nulla est obligatio conscientiæ restituendi acceptum *ultra* justum pretium, si sit *infra* dimidium. ant. prob. lex humana potuit, titulo præscriptionis, dominium rei uni auferre, & alteri dare ; ergo etiam ab illa restituendi obligatione liberare. ℟. N. ant. quia talis lex foveret peccatum, & injustitiam ; præterquam, quod ad cavendas lites satis provisum sit, læso *infra* dimidium, pro hac damnificatione negando actionem, in foro externo contentioso ; periculis animarum sufficienter cautum est constituto beneficio præscriptionis ex bona fide, quæ non intervenit in graviter lædente infra dimidium justi pretii.

Dices 3. saltem in foro Ecclesiastico, 1483
læsis infra dimidium concederetur actio contra læsorem ad reparandum damnum. Nam Ecclesia non patitur aliquid fieri ultra justitiam ; Judex enim Ecclesiasticus cogere potest quemlibet laicum per censuras, ut desistat à peccato mortali ; sed lædens graviter infra dimidium peccat mortaliter, & non restituens persistit in peccato mortali ; ergo. ℟. de casu læsionis *infra* dimidium justi pretii non extare textum in sacris canonibus, quo læso decernatur actio (*saltem regulariter*) in hoc foro ; sed solum, quando læsio est *ultra* dimidium, de quo postremo extat hoc tit. geminum capitulum ; primum quidem c. *cum dilecti* 3. alterum c. *cum causa.* 6. h. t.

Cum enim Canonici Belluacenses, 1484
contra Abbatem Cariloci, quererentur, quod à quibusdam eorum (Capitulo in communi nec sciente, nec consentiente) sylvam quandam emissent

pro

pro *decem* libris, quæ valebat 40. *marcas*; eamque causam Pontifex Morinensi Episcopo, & Decano Remensi commisisset, &, Episcopo impedito, Decanus procedens per testes deprehendisset, sylvam minus dimidia justi pretii parte comparatam fuisse, Canonicis Belluacensibus illam adjudicavit, eosque in possessionem induxit: sed Pontifex, re ad se rursus delatâ (quia in arbitrio Emptoris est in hoc casu, si velit *supplere justum pretium*, aut *venditionem rescindere*, Decani sententiam, tanquam juri contrariam, irritando, possessionem Monachis judicat esse reddendam, salva Canonicis contra Monachos manente quæstione super deceptione pretii, vel consensu Capituli non habito; & quavis alia rationabili causa: hic Alexander III. in dict. c. *Cum dilecti*; & cum constaret Monasterium S. Martini in venditione aliqua, facta civibus Viterbiensibus, *ultra* dimidium justi pretii fuisse deceptum, decernit Pontifex, ut præfati cives, aut recepto pretio possessiones venditas restituerent; aut supplerent, quantum constaret, tempore venditionis justo pretio defuisse.

1485 Ex his communiter deducitur etiam jure Ecclesiastico, Emptori, vel venditori, læso ultra dimidium justi pretii, subveniri, & actionem concedi, ut vel rescindatur contractus, vel suppleatur defectus; ex hoc autem complures inferunt, deceptionem infra dimidiam justi pretii partem, tanquam minus malum impunè permissam esse, ne *majus malum*, id est Reipublicæ perturbatio per lites innumeras sequatur; non tamen, tanquam licitam approbari, cùm lædens peccet mortaliter contra justitiam, & ad restitutionem teneatur.

1486 Not. autem, cum læsus *ultra* dimidium contra læsorem agit, eum non debere *determinatè* petere *rescissionem contractûs*, aut *determinatè supplementum* pretii; sed *alternativè*, nimirum vel hoc, vel illud; ideo enim Pontifex (in cit. *Cum dilecti*) sententiam Decani, tanquam juri contrariam irritavit, quia non in arbitrio venditoris (qui in isto casu læsus erat) sed Emptoris est, si velit supplere justum pretium, aut venditionem rescindere, quibus positis: Resp. ad arg. in n. 1483. dist. ant. saltem in foro Ecclesiastico, læsis infra dimidium concederetur actio *indirecta* contra læsorem ad reparandum damnum C. *directa*, N. nam pro hoc casu non habetur ulla dicti juris dispositio. Dixi *indirecta*, nimirum per viam denuntiationis, factæ Judici Ecclesiastico, ut lædens obligationi, quam habet in conscientia, læsionem reparandi, satisfiat, id, quod probat ratio in dict. n. 1480. ita Rebellus cit. l. 9. q. 3. sect. 2. Molina D. 349. & alii.

Dixi Superius n. 1483. læsio infra di- 1487
midium de jure canonico, *regulariter* non concedi actionem in foro contentioso; nam in aliquibus casibus secus est, 1. si læsio provenit ex fraude, vel dolo; tali enim casu læsus agere potest vel ad rescindendum contractum, vel ad supplendum pretium, de quo V dicta à n. 1484. Deinde, quando læsio est in pretio legitimo, seu lege taxato; nam cum hoc consistat in indivisibili, cui contraria est læsio *infra* dimidium, læsus id indicans Judici (cujus est curare observantiam legum, præsertim spectantium commoditatem civium) Judex compellere debet lædentem, vel rescindere contractum, vel supplere pretium; ita Salas in tract. de Empt. D. 27. n. 5. 3. Si læsio est *infra* dimidium, in æstimatione rerum dotalium, ut tenet Fachinæus lib. 2. c. 29. ex L. *jure succursum*. ff. de jure dotium, ibi: *Si in dote danda circumventus sit alteruter, & majoris annis 25. succurrendum est, quia bono, & æquo non conveniat, aut lucrari aliquem cum damno alterius; aut damnum sentire per alterius lucrum.* Item L. *Si res æstimata*, §. 1. ff. eod. & L. *si circumscripta*. C. soluto matrimonio; quia tamen hæ leges non loquuntur de casu læsionis *infra* dimidium, non videntur probare exceptionem à communi regula, læso negante actionem, nisi sit *ultra* dimidium; affirmativa tamen communis est, & videtur usu recepta. 4. in casu, quo infra dimidium læsus est minor, nam ei succurritur restitutione in integrum ex toto titulo ff. de Minorib. & C. de integr. restitut.

Quæstio ulterior est, qualiter læsis ul- 1488
tra dimidium justi pretii succurratur? Resp. de hoc agi L. 2. C. de rescindenda vendit. ibi: *Rem majoris pretii, si tu, vel*

vel Pater tuus minoris distraxerit, humanum est, ut, vel pretium te restituente emptoribus, fundum venumdatum recipias, auctoritate judicis intercedente; vel, si Emptor elegerit, quod deest justo pretio, recipias; minus autem pretium esse videtur, si nec dimidia pars veri pretii soluta sit. Dispositio hujus legis, esto non faciat mentionem Emptoris, communi Doctorum sensu etiam ad illum extenditur; cum æquè inhumanum sit, ut tantam læsionem toleret emptor, ac ut Venditor, & aliunde, inter utrumque spectanda sit æqualitas. Cum autem hæc læsio fieri possit tripliciter, nimirum ex dolo antecedente, seu dante causam contractui, 2. ex dolo incidente. 3. si ex mero errore, in æstimatione pretii, qualiter tunc læsus juvari possit, & debebat? deduci potest ex dictis.

ARTICULUS IV.

An contractui emptionis, & venditionis adjici possit pactum retrovendendi, vel redimendi?

1489 HOc pactum adjici potest vel in favorem Emptoris (ut redditâ reemptâ recipiat idem pretium, quo eam emit) vel Venditoris, ut recipiat rem, reddito pretio, quo vendidit; vel in favorem utriusque. Circa istam quæstionem movetur 1. aliquid in c. *ad nostram* 5. h. t. ubi videtur tale pactum improbari. Nam cum R. Laicus, à quodam M. mutuum acquirere, sive recipere vellet; Creditor, ne per canonem, contra Usurarios editum, deinceps posset conveniri, ab eodem domos, & olivas recepit *titulo emptionis* (etsi reverâ contractus esset Usurarius) quia Creditor debitori promisit, quòd, quandocunque à septennio usque ad novennium daret 40. uncias tarenorum (quæ vix dimidiam justi pretii partem continebant) domos ei restitueret, & olivas: Pontifex fraude, & dolo (qui nemini patrocinari debet) intellecto, mādat, si res ita se habet, instrumento venditionis in fraudem dicti canonis, contra usurarios confecto, non obstante, prædictum M. ad restituendas domos, & olivas, hæredi defuncti debitoris, per pœnam, Concil. Lateran. contra Usurarios, promulgatam, compelli.

Econtra videtur favere Clementina 1490
1. h. t. inter communes, hujus hic est casus apud Wagnereck in eandem: Clerus, Nobiles, ac incolæ Civitatis, & Diœcesis Wratislaviensis Pontifici proposuerunt. 1. quòd à centum annis citra, & supra, per tempus immemoriale, in eadem civitate, ac Diœcesi & partibus vicinis, consuetudo rationabilis, & præscripta, introducta fuerit, ut Principes, Barones, milites, pro utilitate, aut necessitate sua, personæ Ecclesiasticæ, aut seculari; collegio autem alicui, aut communitati super bonis suis, & dominiis, vendere solerent annuos census, unius, vel plurium marcarum, aut grossorum monetæ consuetæ, per decem, undecim, aut quatuordecim, aut plus, vel minus, secundum temporis qualitatem, prout inter se convenerant.

2. Quòd Venditori ejusmodi, sum- 1491
mæ in pecunia numerata solvi consueverit, bonis in ipso contractu expressis, pro tali censu in perpetuum obligatis. 3. quòd semper venditoribus in eodem contractu data fuerit facultas, ut ipsorum consensu in toto, vel in parte, pro eadem summa pecuniæ, quam ab Emptoribus receperunt, quandocunque vellent, liberè possent contractum extinguere, & rem redimere; 4. quòd ad ejusmodi extinctionem venditores inviti nequaquam per emptores adstringi valerent, etiam ipsis possessionibus, & bonis obligatis, penitus interemptis, aut destructis; 5. hujusmodi contractum emptionis, & venditionis censuum per Episcopos Wratislavienses, & Dominos temporales, tanquam licitum, & communi utilitati deservientem, sæpius confirmatum, pariter & approbatum; 6. sub ejusmodi censibus, plurima beneficia, & officia Ecclesiastica, collegia Canonicatus, præbendas, digni[illegible]; &c. de expresso consensu Dominorum temporalium erecta, dotata, & fundata esse.

7. Venditores eorundem censuum 1492
nunquam pœnis Ecclesiasticis, quibus sponte se submiserunt, ad solutionem compulsos fuisse; nunc tamen nonnul-

los ex emptoribus contradicere, & solutionem censuum recusare, prætendentes ejusmodi contractus esse Usurarios, & illicitos. Quare, cum pro parte dictæ Civitatis, & Diœcesis humiliter fuisset supplicatum, ut (*an hujusmodi contractus essent liciti, vel illiciti?*) Sedes Apostolica declararet, & aliàs de præmissis opportunè provideret, Pontifex, re diligenter examinatâ, præfatos contractus licitos, & juri communi conformes, ac censuum venditores ad illorum solutionem (remoto conductionis obstaculo) obligari, authoritate Apostolicâ præsentis constitutionis declarat.

1493 Ex his juribus deducitur 1. venditionem cum pacto reluendi, seu redimendi rem venditam, reddito Emptori pretio, in gratiam venditoris, adjecto, sive constituto certo termino (v. g. post duos, 6. vel 8. aut plures annos) validam, & licitam esse, modò res vendita in tali casu minori pretio vendatur, quam valeret, si secluso tali pacto, quo gravatur Emptor, id; quod confirmatur ex L. 1. C. de pactis in Emptore ibi: *Si ea lege prædium vendidisti, ut, nisi intra certum tempus pretium fuisset exsolutum, emptrix arrhas perderet, & dominium ad te pertineret, fides contractûs servanda est.* Dixi: *Si vendatur minori pretio*; nam ratione oneris impositi in favorem Venditoris (cum ex eo gravetur Emptor) res minoris valet, quam si venderetur eo Secluso. In quanto autem decrescat, in hoc casu valor rei? diversificant Doctores; nam aliqui censent, pretium justè posse diminui usque ad tertiam partem; ut, si v. g. res, *absolutè vendita*, valeat 30. florenos, cum tali pacto valeat 10. Aliqui usque ad quartam partem, ita, ut res, quæ valet secundum se 20. flor. si cum tali pacto vendatur, valeat solum 5. Azor l. 8. c. 12. q. 3. Alii denique dicunt, id esse prudentis arbitrio, sive Judicis officio æstimandum, & definiendum, spectatis circumstantiis, nempe expensis in rem faciendis, longitudine, & brevitate temporis, & cujusque regionis consuetudine, Covarr. l. 3. resol. c. 10. n. 1.

1494 Hinc deducitur 2. idem pactum esse validum, & licitum, si adjectum sit in favorem emptoris, modò tunc augeatur pretium secundum æstimationem, quam subit venditor recipiendi rem emptam, & reddendi pretium; sic Lessius lib. 2. c. 21. n. 117. & alii. Nam venditio cum tali pacto nullum vitium continet; cum pretium ponatur æquale, adeoque justum, nempe tantum, quanti valet res vendita sub tali onere; id quod etiam dicendum in casu, quo pactum cedit in favorem utriusque, servata pariter justitia pretii cum re vendita, non secundum se, sed prout augescit, vel minuitur ex adjectione talis pacti, cuilibet eorum onerosi.

Ad id, quod opponi posset ex c. *ad nostram*, relato superius n. 1489. Resp. contractum illum fuisse reprobatum propterea, quod non esset *in re* venditio, sed tantum palliata, seu simulata; nimirum, ut cum per decretum Concilii Lateranensis non liceret mutuum adjecto pignore, unde plus de fructibus reciperetur, quam citra vitium usuræ posset, simulatè venderetur cum jure revolutionis, quod utique illicitum est, continens in re usuram certam; si enim verè intercessisset venditio cum pacto reluendi, Emptor *ex re sua* percepisset fructus; si autem vineas illas, & olivas non verè emit ultra sortem, & censum, cæteroquin in mutuo licitum, percipiendi fructus *ex re aliena*, quam habet in securitatem recipiendæ sortis, excessu in sortem non computato, manifestè contractus usurarius foret; atque adeo merito reprobandus. 1495

ARTICULUS V.

De rescissione, seu dissolutione emptionis, & venditionis.

CUm variis modis fieri possit, quod contractus emptionis, & venditionis rescindatur (puta mutuo contrahentium consensu, ex addictione in diem, ex lege commissoria, pacto reluitionis, læsione, ultra dimidium, retractu, &c.) de singulis aliquid hoc loco dicendum erit.

§. 1. *De*

§. 1.

De dissolutione hujus contractus mutuo partium consensu.

1496 DE hac quæstione traditur regula §. *fin.* Instit. quibus modis tollatur obligatio ibi: *Ea obligationes, quæ consensu contrahuntur, à contraria voluntate dissolvuntur.* Nam, si Titius, & Sæjus inter se consenserint, ut fundum Tusculanum emptum Sejus haberet centum aureis; deinde re nondum secuta, id est, neque pretio soluto, neque fundo tradito, *placuerit inter eos*, ut discederetur ab ea emptione, & venditione, *invicem liberantur.* Atqui contractus emptionis, & venditionis mutuo contrahentium consensu perficitur ex dictis: Ergo. Quod tamen intellige, *re adhuc integrâ*, nimirum necdum soluto pretio, nec merce traditâ. Ex hoc deducitur, dissensu regulariter remitti vinculum obligationis consensu positum, quod propterea dicitur, ut notat Zoësius in §. *fin.* cit. n. 12. quia non potest obligatio alio modo, quam consensu inita, consensu dissolvi; cum unumquodque eo modo, quo colligatum, dissolvatur, L. *prout* 80. ff. de solut. Hinc emptio solo consensu dissolvitur, non etiam alii contractus re, aut alias initi: Quatenus tamen stat, in terminis nudi consensus; nam si quid ab altero contrahentium præstitum, hoc reddendum est, ut causa sit integra, l. 1. & 2. C. Quando lic. ab empt. receed. si contractus utrinque fuerit consummatus, contrarius consensus non tam faciet ab eo, qui omnimodam sui habet perfectionem, recedi, quam novum iniri, L. *ab emptione.* 58. in fine. ff. de pactis.

1497 Dices contractus pignoris, vel potius hypothecæ, consensu contrahitur, & tamen dissensu non solvitur, L. 17. §. 2. ff. de pact. R. Contrarium haberi, L. 2. C. de Remiss. pignoris ibi: *Nam obligatio pignoris consensu contrahitur, & dissolvitur*; Lex, quæ objicitur, loquitur de casu, quo adjectum est pactum, non petendi debitum principale; & Creditor petit illud, vel pignus: & tali casu vult eum, sola exceptione repelli, constat ex claris dicti §. verbis, ibi: *de pignore jure honorario nascitur, pacto actio: tollitur autem per exceptionem, quoties paciscor, ne petam.*

Dixi *regulariter*; nam aliqui contractus sunt, licet mutuo contrahentium consensu initi sint, semel tamen validi, non amplius dissolvi possint mutuo contrahentium consensu, ut apertum est in matrimonio Fidelium etiam rato tantum, & professione Religiosa, quæ nec Professi, nec Religionis voluntate dissolvi potest, ubi semel validè emissa est; secus est de summo Pontifice, ut diximus l. 4. à n. 1648. ubi contra Thomistas diximus, eum, ex justa causa, Regulares personas posse liberare à vinculo votorum solennium, atque adeo etiam capaces reddere, ad valide, ac licite celebrandum matrimonium, etsi Thomistæ sentiant contrarium, non obstante, quod sciant sæpius à summo Pontifice sic esse dispensatum.

An autem illis, non obstante facta 1498
sæpius dispensatione, & ex hoc capite inito desuper matrimonio, adhuc negantibus, hanc potestatem summo Pontifici (prout plures Thomistæ recentiores etiam nunc negant, ut ostendimus l. 4. à n. 1648.) propterea opponi possit, quod, hoc negando, eo ipso negent summo Pontifici in materia tam gravi (qualis est Sacramentorum) infallibilem Spiritûs S. assistentiam, & plura similia, quæ cit. l. 4. à n. 1617. retulimus ex opinione Doctorum stantium pro potestate summi Pontificis in quæstione (*an matrimonia Fidelium rata tantum dissolvere valeat?*) hujus loci non est; immerito tamen non nemo, negantibus hanc potestatem Pontifici, opposuit hanc censuram, quod fundamenta contrariæ sententiæ non penetraverint, non obstante, quod omnes fere Theologi, ut notavimus l. 4. n. 1621. negativam amplexi sint, etsi nos opinionem in hoc puncto (quoad dispensandi facultatem in matrimonio rato tantum) ex justis causis indicium nostrum suspenderimus, ut constat ex dict. l. 4. n. 1649. responsis tamen aliorum ad ejusmodi objecta partis affirmantis ibidem à n. 1631. allegatis.

§. 2.

De resolutione hujus contractûs ex addictione in diem.

1499 SUpp. 1. ex condictionibus, quæ contractibus apponi solent, alias esse suspensivas, alias resolutivas. *Suspensivæ* sunt, quæ faciunt, ut contractus ante conditionis positionem, vel eventum, non sit absolutus: *resolutivæ* sunt, quæ, Cum existunt, contractum absolutum resolvunt; puta, si sic res distrahatur, ut inempta sit, si displicuerit; nam si post contractum emptionis celebratum displiceat emptio, rescinditur perinde, acsi empta non esset.

Supp. 2. Solas conditiones de futuro, esse suspensivas propriè; hinc si deficiant, actus sub illis celebratus non tam rescinditur (cum nunquam fuerit absolutus) quam impeditur, ne absolvatur. Contractus sub ejusmodi conditione celebratus, pendente conditione, nullam inducit obligationem, quæ nascatur ex contractu *perfecto*; sed, parit solam obligationem exspectandi conditionis eventum, quæ fundat spem contractûs *perficiendi*, & transmittitur ad hæredes, de quibus plura lib. 4. tit. de conditionib. appositis.

Suppon. 3. emere, vel vendere, *cum addictione in diem*, nihil aliud esse, quam adjecta conditione resolutiva, sic, ut si intra certum tempus (v. g. intra proximos 8. dies) comparuerit, qui plus offerat, res primo Emptori non sit irrevocabiliter vendita, sed sit inempta; hinc dato tali novo Emptore, & acceptato per venditorem, contractus prior rescinditur; quo præ not.

1500 Quæstio 1. est, quando censeatur existere illa conditio resolutiva ad effectum rescindendi factam emptionem? R. 1. eam conditionem (nisi aliquis plus intra tale tempus offerat) non existere, esto alius solum ficte, ac simulate plus offerat; aut se Emptorem dicat, ne fraudibus, eludendi contractum, tam facilis locus detur. 2. nec tunc, si novus emptor non offerat meliorem conditionem. L. 4. ff. §. 5. h. t. 3. nec tunc, si intra diem addictionis venditor moritur, nec hæres ejus sit, cui possit fieri melior conditio L. 15. h. t. ff. 4. nec tunc, si primus Emptor velit idem adæquatè dare, quod secundus. arg. L. 7. h. t. ff. Ex hoc colliges, ut venditio, *cum addictione in diem*, resolvatur, per oppositum requiri, ut novus Emptor, absque simulatione, meliorem conditionem venditori, vel ejus hæredi, intra præfixum terminum offerat, quam præstare nolit primus. Not. autem 1. venditorem non teneri contractum, cum primo Emptore celebratum, resolvere, licet novus meliorem conditionem offerat, L. 9. h. t. ff. 2. resolvi nihilominus contractum licet secundus Emptor sit inidoneus, v. g. si sit pupillus L. 14. §. 3. ff. h. t. 3. Venditorem non posse secundo Emptori in dato casu vendere sub nova addictione in diem, nisi de hoc cum primo conventum sit, per L. 11. ff. h. t.

Quæstio altera est, quos affectus habeat resolutio venditionis *ex addictione in diem?* 1501 R. quod sequentes. 1. quod absque omni traditione rei venditæ dominium, & vindicatio redeat ad venditorem per L. 41. ff. de rei vind. 2. quod interim, donec tempus addictionis, vel melior conditio veniat, tam dominum, quam periculum interitûs, omniaque commoda, & incommoda ad primum Emptorem pertineant, L. 2. & 3. ff. h. t. sed intellige *revocabiliter*. Hinc contractu resoluto, primus Emptor omnia commoda percepta cum rei dominio venditori reddere tenetur per L. 6. ff. h. t. deductis tamen expensis factis per L. 14. ff. eod. quia licet Emptor fructus tunc percepit jure dominii, fuit tamen dominium resolubile.

§. 3.

De resolutione hujus contractûs ex lege commissoria.

1502 L*Ex commissoria* agit de pacto, contractui venditionis cæteroquin perfecto, & absoluto, voluntate contrahen-

hentium adjecto, ut res sit inempta, si Emptor (licet non interpellatus L. 4. §. fin. ff. h. t.) ad diem conventum pecuniam, seu pretium vel non solvat (L. 2. ff. de L. commissaria) vel saltem solutionem non offerat, ut dicitur cit. L. 4. sed intellige, si venditor inemptum velit; quia venditoris causa sic cavetur, ut ibidem dicitur, & clarè habetur L. 3. ff. h. t. debet enim eligere, vel exercere legem commissam, vel repetere pretium; nec una electione posita licet ei variare, L. 4. §. 2. h. t. ff. nisi gravis ratio, vel æquitas exigat. Hinc pactum illud conditionem includit, sicut addictio in diem, non suspensivam, sed resolutivam. Lege commissa (si venditor non remittat) tenetur Emptor fructus interim perceptos restituere venditori cum damni dati æstimatione per L. 4. ff. h. t. si autem Emptor venditori arrham dedit, & tamen legem committat, etiam arrham amittit, per L. 6. ff. h. t. esto dedisset in partem pretii; sed tali casu æquum est, ne fructus restituere teneatur, L. 4. §. 1. ff. h. t.

§. 4.

De resolutione hujus contractûs ex pacto redimendi, vel retrovendendi:

1503 COntractui emptionis perfecto, & absoluto quandoque solet adjici pactum, vel in gratiam venditoris, ut Emptor teneatur rem emptam venditori rursum vendere, si deposuerit acceptum pretium; vel in gratiam Emptoris, ut possit re habere pretium re empta venditori reddita, vel inter certum tempus, vel indefinite, vel in gratiam utriusque, & hoc pactum vocatur pactum reluendi, redimendi, seu retrovendendi.

1504 Not. autem 1. quod hoc pactum eo tendat, ut nova emptione, vel venditione, dominium rei, prima venditione translatum, ab hoc redeat ad priorem dominum; quod non habet pactum addictionis in diem, vel legis commissoriæ; hinc in istis dominium rei redit ad venditorem sine nova rei traditione; secus in hoc pacto: & ideo istud vere novam venditionem includit, de quo Haunoldus tom. 4. de Just. tr. 10. à n. 195.

Not. 2. Emptorem non posse obligari, ut rem retrovedant minori pretio, quam quod valet; quia sic non servaretur æqualitas.

Not. 3. quando pactum retrovendendi adjectum est in gratiam venditoris, emptorem posse paciscì de majori pretio intra latitudinem justi pretii contento, sibi persolvendo, quam ipse dederit, modo non sit majus, quam res tempore revenditionis valeat; quia sic servatur æqualitas. Ex hoc sequitur, Emptorem, qui rem emit in dato casu justo pretio infimo, vel medio; paciscì posse, ut in casu revenditionis sibi persolvatur ex justo pretio summum.

Not. 4. Si res ante revenditionem accepit incrementum per alluvionem, hoc juxta communiorem sententiam pertinere ad Revendentem, seu primum Emptorem; quia incrementum rei per alluvionem pertinet ad dominium rei; Sed primus Emptor in dato casu est dominus rei; præsertim, cum ad eum spectare debeat lucrum rei, ad quem spectat ejus damnum; ergo.

Nec obstat, quod primus Emptor re- 1505
soluto contractu ex addictione in diem, vel lege commissoria, debeat fructus perceptos restituere, ut dictum est; nam ibi est vera resolutio sine nova emptione, & venditione; at in casu pacti de retrovendendo secus est, ut notavi supra. Et ideo fructus interim nati, & percepti, absolutè pertinent ad primos Emptores sine onere restituendi; pendentes vero tempore revenditionis dividendi sunt pro rata parte ipsius anni, sic Fachinæus. l. 2. Controvers. c. 5.

Not. 5. Quod, cum jus redimendi possit ad hæredes transmitti per L. 2. C. de pactis inter Empt. & venditor. possit etiam alteri cedi; sic Haunoldus tom. 4. Just. tr. 10. n. 208. in fine q. 10.

§. 5.

De resolutione venditionis ex jure retractûs.

1506 JUs *Retractus* nihil aliud est, quam jus, rem, alteri venditam, retrahendi ad se, vel ad familiam, vel cognationem, à qua per alienationem abierat, vel abitura esset ad eum, ad quem de jure non deberet; solet etiam vocari *jus protimiseos*; item, *jus Congrui*; hoc jus alicui constituitur vel lege, aut statuto, vel consuetudine, aut etiam conventione. Ex quo vides *retractum* alium esse *legalem*; alium, *municipalem*, vel *consuetudinarium*: alium, *conventionalem*. Municipalis, & consuetudinarius subdividitur 1. in *Gentilitium*, qui proximis consanguineis concessus est (& dicitur **Erbeinstand**/ vel **Erblösung**/ aliqui etiam vocant retractum sanguinis) 2. in *partialem* (qui competit socio in re communi, & dicitur **Theillösung**) 3. in *territorialem* (qui statuto quarundam Provinciarum competit vel Domino territorii, vel illis, qui sunt de illo territorio, & dicitur **Marcklösung**/ quo casu gradus consanguinitatis computantur juxta jus civile.

1507 Not. autem jus retractûs olim, ab Imperatoribus (ut habetur L. 13. C. de retrahend. empt.) fuisse abrogatum; non tamen in omnibus materiis; cum etiam stante illa lege fuerit permissum in materia feudi, ac Emphyteusis domino directo &c. lex autem 13. ita loquitur: *Dudum proximis, consortibusque concessum erat, ut extrancos ab emptione removerent; neque homines suo arbitratu vendenda distraherent; sed quia gravis hæc videtur injuria, quæ inani honestatis colore velatur, ut homines de rebus suis facere aliquid cogantur inviti, superiore lege cassata, unusquisque suo arbitratu quærere, vel probare possit Emptorem: nisi lex specialiter quasdam personas hoc facere prohibuerit.* Cæterum in multis provinciis rursum in usum venit.

1508 Not. 2. retractum *gentilitium* habere locum in rebus immobilibus, successione hæreditaria, acquisitis, 2. in re emphyteutica. 3. in hæreditatis venditione; non autem, in mobilibus etiam pretiosis; nec in venditione censûs; nec in pensione constituta in tua possessione; nec in venditione commoditatum, quas habet feudatarius; nec in venditione ususfructus, aut habitationis in re immobili, etiam in perpetuum.

Not. 3. Si res semel extra familiam a- 1509
lienata est, desinere esse retrahibilem, arg. L. *videamus*, ff. quod metus causa, ubi actio, *quod metus causa*, semel contra hæredes transmissa, semper manet transmissibilis, & L. *Tutor*. ff. de administr. Tutor. ubi rem Minoris jam venditam Extraneo, Tutor emere potest; excipe, nisi res, Extraneo vendita, redeat ad venditorem ex pacto resolutionis; sic enim, resoluta venditione, res redit in pristinam causam, per L. *Voluntate* §. 1. ff. quibus modis pignus &c. & L. *si unus*. ff. de pact.

Not. 4. Jus retractûs, *jure sanguinis*, 1510
competere non tantum viris, sed etiam fœminis, 2. proximo consanguineo venditoris; &, si hic nolit, vel non possit, proximiori secundum ordinem intra quartum gradum. 3. etiam filiis naturalibus, ubi desunt legitimi. 4. Legitimatis, deficientibus naturalibus, & legitimis. 5. Exhæredato, cum non perdat jus sanguinis: 6. Consanguineo, licet sit Ecclesiasticus. c. *Constitutus*. de restit. in integrum.

Not. 5. In quæstione, an jus sangui- 1511
nis, seu retractûs gentilitii, competat monasterio, vel Collegio, in quo filius, vel consanguineus venditoris professus est? responderi negativè à Castropalao de Just. Commut. D. 5. p. 29. §. 3. n. 16. quia jus retractus est omnino *personale*; adeoque in monasterium ab illo transferri non potest; quia non sibi, sed monasterio transfert; cum ipse in sua persona bonorum temporalium non sit capax: sed hoc judicio limitandum 1. ut non procedat in eo Religioso, qui in propria persona, cum voto paupertatis, retinet dominium rerum temporalium, prout ex alibi dictis constat id habere Scholasticos Societatis. Nam Religiosus complexu Religiosi statûs non amittit jura sanguinis, quæ non e-

gre-

grediuntur personam ejus per L. *jura sanguinis* ff. de reg. juris, ut fatetur ipse, negans solum ea, quæ in rem temporalem transeunt ad alium.

1512 Limitatur 2. ut non procedat in casu Monasterii capacis bonorum in communi, ut habeat jus retractûs non nomine suo, sed nomine sui Professi, seu per consequentiam personæ in ipsum translatæ, quam diu hæc naturaliter vivit. Talis enim Professus jure communitatis, quo gaudet, in sua persona etiam usumfructum retinet, esto jus personale, dum naturaliter vivit & secum fert ad monasterium, quod est capax temporalium; nec per hoc mutatur dominus, sed modus; alias non extingueretur eo naturaliter mortuo; quod clarum signum est, monasterium non suo, sed professi nomine jus illud obtinere. Hinc ulterius contra Castropalaum n. 16. rem patrimonialem, à Monacho per consequentiam personæ translatam in monasterium, bonorum in communi capax, non fieri extraneam, consequenter irretrahibilem à proximo consanguineo Monachi, si monasterium hoc vivente illam venderet; quia monasterium tunc non jure suo, sed jure personæ in ipsum translatæ, quam diu naturaliter vivit, rem illam habet.

1513 Not. 6. Inter consanguineos, qui jure sanguinis retrahere possunt, præferendum esse proximiorem venditoris, non prædecessoris, seu stipitis; sic in successione feudi proximior ultimi possessoris, non stipitis, seu prioris acquirentis locum habet juxta c. 1. de natur. succeff. feudi. Idem est in fideicommisso, & majoratu familiæ, seu agnationis relicto, per L. *Cum ita.* §. *In fideicommisso.* ff. de legatis. 2. Hinc etiam in jure retractus gentilitii filius venditoris præferendus est patruo suo, Tiraquel. de primog. q. 40. à n. 17. Castropal. de Just. Commut. D. 5. p. 29. §. 4. n. 1. sin ille nolit, aut non possit, succedit proximus de gradu in gradum usque ad 4. nec opus est, ut qui est proximior, requiratur, an retrahere velit? quia sequens non excluditur à retractu, nisi proximiore petente intra terminum. Sic Castropal. cit. n. 3.

1514 Not. 7. quod, si Emphyteuta, usufructuarius, vel superficiarius dominium utile hæreditarium venderet, Dominus directus præferretur etiam proximioribus Venditoris consanguineis per L. *ult.* C. de jure Emphyteutico; & ad hoc illi conceditur bimestre, ut constat ex L. *ult.* Secus est in aliis, ut constat ex dictis.

Not. 8. si concurrant ad retrahendum plures consanguinei ejusdem gradus, & pone, etiam eodem tempore; rem inter illos subhastandam esse, & adjudicandam Licitatori ex eis, qui plus obtulerit, præstitâ ex pretio dato satisfactione aliis consanguineis, æquis portionibus, ut docet Azebedo, quem sequitur Castropalaus cit. n. 5. si res sit individua.

Not. 9. controverti, an ut retractus 1515
locum habeat, necessarium sit, quod venditio fiat extraneo? Resp. negativè. Nam si res patrimonialis, vel avitica vendatur consanguineo remotiori, proximior retrahere potest, arg. L. *unic.* §. *Titius.* Si de feudo defuncti fuerit controversia inter Dominum, & agnatum; ubi dicitur, quòd, *si vasallus feudum paternum in remotiorem agnatum alienavit, proximior retrahere possit, ac alienatio extraneo facta esset.* Idem sentit Glossa in c. *Constitutus.* V. *Consuetudine.* de in integrum restit.

Negandum igitur est, retractum unicè, seu præcisè ad hoc inductum, ne res exeat extra familiam; Sed etiam, ne veniat ad eum, ad quem jure non deberet, ut dixi superius. Et ideo hæres gravatus fideicommisso, familiæ relicto, proximiorem debet eligere; secus, si relictum sit uni ex familia; tunc enim potest uni ex illis, cui vult; sic L. *cùm ita.* §. *in fidei commissis.* ff. de legatis. 2. & sic Glossa etiam intelligit, L. *unum ex familia.* ff. eod.

Not. 10. in casu, quo res vendita est 1516
uni ex proximioribus, etiam reliquos in eodem gradu, pro suis æquis portionibus, retrahere posse; sic Anton. Gomez. 2. variar. c. 2. n. 13. cum habeant jus æquale. Hinc ulterius observandum, si parens sua patrimonialia, cæteroquin retractui subjecta, vendat extraneo, licere filio retrahere; cum alias id possit alius consanguineus intra 4. gradum; id

quod

quod etiam probabiliter procedit, si alienet bona adventitia filii, non emancipati; Pater enim, cum operatur in damnum filii, existentis sub patria potestate, non operatur nomine filii; & sic non esset idem venditor, & Retractor.

1517 Not. 11. etiam hæredem defuncti, rem à defuncto alienatam, retrahere posse, si sit proximior ejus consanguineus; nam actio retractûs nititur jure sanguinis & proximitatis, quod non amittitur ex hoc, quod quis instituatur hæres; alias, contra omne jus retractus, remotior jure retraheret; hinc non retraheret, ut *hæres*; sed, ut *Consanguineus*; nec veniret contra factum ejus, cujus hæres est, improbando, vel impugnando; sed tantum subrogando Emptorem ex juris privilegio; retractus enim non est revocatio, sed approbatio factæ venditionis, subrogato legitimo Emptore. Nec inde sequitur, quod qua hæres, sed tantum qua consanguineus, haberet majorem potestatem, quam defunctus.

Hinc etiam negandum est, quod hæredes vasalli, si proximiores sint, non possint retrahere feudum alienatum; sic Covarr. 2. variar. p. 3. à n. 93. Quando autem dicitur, quod *hæres* teneatur de evictione ob venditionem factam à defuncto, adeoque agens ad retractum repelli possit per L. *vendicantem*, ff. de Evictionibus. R. antecedens verum esse in casu, quo evictio locum habet; quod non est in retractu; cum res ab Emptore retrahatur speciali jure sanguinis, non ex defectu venditoris, vel causa inhærente rei alienatæ, Sed hoc limita, nisi defunctus emptori se obligaverit ad evictionem; tunc enim hæres, licet sic consanguineus proximior, si retrahit, Emptori ad interesse obligabitur.

1518 Not. 12. Retractui quoque locum esse 1. in datione in solutum tam voluntaria, quam necessaria quando res patrimonialis solvitur, seu datur pro debito in pecunia, ut colligitur ex L. *si prædium*. C. de Evictionibus. Nam in hoc casu ea datio vim venditionis obtinet, per L. *Senatusconsulto*. ff. de legatis; Secundò in re patrimoniali, concessa in pignus, vel hypothecam, si non est spes reluitionis, L. *qui habebat*. ff. de Legatis. 3.

Quæstio autem est, quantum tempus concessum sit ad retrahendum? R. Spectato jure communi concedi *duos menses*, intra quos fieri potest, si proximior consanguineus de venditione monitus, rem patrimonialem retrahere velit; alias enim *post hoc* cessat; si autem nulla præcessit requisitio, res vendita *intra annum* retrahi potest, ex lib. 2. feudor. Si de feudo defuncti. §. *Titius filios*. Gail. l. 2. observ. 19. n. 8. tempus autem hoc probabilius computatur à die venditionis absolutæ; vel, si conditionata fuit, à die conditionis purificatæ: & in venditione, sub pacto revendendi, a puncto celebrati contractûs, de quibus V. Castropal. cit. §. 7. 1519

Quæstio altera est, ad quæ teneatur celebraturus retractum rei venditæ? R. quod debeat requirere Emptorem, & offerre pretium, in quo primo res vendita fuit. 2. articulare, se consanguineum venditoris esse. 3. & rem venditam esse patrimonialem; 4. jurare, se non alteri, sed sibi, & in suum commodum retrahere; 5. compensare omnes expensas, & sumptus ab Emptore factos; 6. solvere Gabellam, si Emptor non solvit; 7. debetur tamen tantum unica ex venditione, & retractu; 8. licet ante retractum plures venditiones præcesserint, si Emptor à Gabella exemptus fuit, retrahens ad eam non obligatur; praxim autem intentandi retractum tradit Castropalaus cit. D. 6. p. 29. §. 8. n. 14. Sed universaliter nota, juxta diversitatem regionum, & provinciarum, retractum diversimodè celebrari, atque adeo non ubique eodem modo. 1520

§. 6.

De resolutione contractûs emtionis propter læsionem ultra dimidium justi pretii.

SUpponend. quando in contractu emptionis, & venditionis una pars ultra dimidium justi, seu veri pretii læsa est, læso concedi jure civili actionem ad rescindendum contractum, nisi Emptor id, quod justo pretio deest, superaddat, ut 1521

ut traditur L. 2. C. de rescind. vendit. non autem læso infra dimidium, idque ad cavendas tot lites, emendandam incuriam contrahentium, excitandam majorem intentionem, ut læsi deinceps cautius mercari discant, arg. L. 2. C. de furtis; excipiunt tamen communiter casum, quo læsio infra dimidium contingeret in æstimatione dotis, sic Fachinæus l. 2. c. 29. Not. autem ex hoc, quod jure civili non succurratur per remedium legis 2. cit. læso infra dimidium; non sequi lædentem, non teneri in conscientia ad supplendum, quod deest justo pretio, ut fatentur omnes. In foro autem Ecclesiastico, læso infra dimidium, esto non concedatur actio directa eo titulo rescindendi emptionem. arg. c. *Cùm dilecti*, de Empt. & vendit. & c. 6. eod. Conceditur tamen actio indirecta, ninirum per viam denunciationis, ut lædens adigatur ad satisfaciendum obligationi naturali, seu conscientiæ; nam Ecclesia non patitur aliquid ultra justitiam fieri, ut dicitur, c. 1. §. *sed diversum.* de alienat. feudi.

1522 Quæstio est, an hoc beneficium cit. legis 2. non tantum *venditori*, de quo lex expresè loquitur; sed etiam Emptori concedatur? R. quòd sic, juxta communiorem Doctorum opinionem apud Haunold. tom. 4. de Just. controv. 10. à n. 240. quia meritum causæ, cui lex consulit, non tam respicit personas, quam ipsam læsionem; ergo si idem sit in Emptore, ac venditore, eadem etiam erit dispositio legis de Emptore; si autem quæras, quæ læsio censeatur ultra dimidium? Resp. quòd Civilistæ communiter dicant tunc, quando res valens solum 50. solvi debuit pretio ultra 100. Theologi autem; & Canonistæ apud Haunold. cit. quando res valens tantum 50. solvi debuit majoris, quam 75. non autem si infra.

1523 Quæstio altera est, an hoc beneficium locum habeat non tantum in casu, quo læsio contingit in rebus immobilibus, & mobilibus pretiosis; sed etiam vilibus, modò læsio talis sit, ut meritò in judicium deduci possit? Resp. quòd sic; quia est idem meritum causæ; an autem in aliis quoque contractibus (extra emptionem, & venditionem) locum habeat? dubitatur. Sed de hoc videri potest Barbosa in cit. c. *Cùm dilecti* de Empt. Habere locum in transactione, si læsio facta est in æstimatione rei, super qua transactum est, docet Haunoldus cit. n. 242. ex L. *Lucius* 78. §. *fin.* ff. ad Senat. Consult. Trebell. & L. 15. §. 3. ff. de re judicat. Idem sentit Fachinæus cit. c. 20. si læsio facta sit in venditione facta ex decreto Judicis; quod etiam procedit de jure Canon. ex c. 3. & 6. de Empt.

§. 7.

De resolutione emptionis ex ædilitio edicto.

COmmunis regula est, quod res vendita sine vitio præstanda sit. 1524 Deducitur ex L. 21. ff. tit. 1. de ædilitio edicto, Redhibitione, & quanto minoris; nã si secus factum sit, læso conceditur actio redhibitoria, & æstimatoria, seu quanto minoris. *Redhibitoria* est, qua agitur ad *redhibendam*, seu iterum habendam (hoc est recipiendam) rem venditam; & ad restituendum pretium; *æstimatoria*, qua Emptor agit ad hoc, ut venditor refundat Emptori pretium, esto minoris emisset, si de vitio constitisset.

Quæstio est, quando competant Emptori hæ actiones? Resp. *redhibitoriam* 1525 Emptori competere, si, cognito vitio, nullo modo rem emisset; *æstimatoriam*, si non emisset *tanti*; illam, jure communi durare per 6. menses; istam, per annum; in arbitrio Emptoris esse, utrum experiri velit illa, vel ista; si autem unam elegit, non posse postea alteram eligere L. 25. ff. de except. rei judicat.

Quæstio altera est, quæ actio detur? 1526 postquam Emptor rem venditam venditori redhibuit, & hic est in mora reddendi pretium? R. quòd Emptori detur actio in factum. L. 31. §. 17. de act. redhib. scil. ad pretium recuperandum, & hæc actio perpetua est. Not. autem actionem præscriptis verbis esse, qua actor concludit, *Reum condemnari debere secundum verba præscripta*, narratis scilicet verbis conventionis; Si autem verba non interveniunt, & est tale aliquod factum,

factum, propter quod est æquum dari actionem, isto casu *actio in factum* competit; ubi actor simplicitr narrat factum, & petit reum condemnari secundùm qualitatem facti in libello deducti, sic Schneidewinus l. 4. Instit. Tit. 15. de Interdict. n. 33.

ARTICULUS VI.

De periculo rei, perfectè, vel absolutè venditæ, ac ejus fructibus.

1527 RESP. 1. Si venditor alicujus rei in specie (hoc est in individuo) non est in mora tradendi, nec specialem rei curam in se suscepit, & res periit, periculum esse Emptoris, modo eam servandi curam adhibuerit, quam solent alii diligentiores Patresfamilias; habetur L. 34. §. 4. ff. de Empt.

1528 R. 2. Si contractus est conditionatus, & res perit ante conditionem positam, perire venditori; Si verò pendente conditione solum minuitur, vel deterioratur, posita conditione damnum esse emptoris, acsi in principio contractûs talis fuisset, L. 8. ff. de pericul. & commod.

1529 R. 3. Si res, quæ numero, pondere, vel mensura constare dicuntur, vendantur per *aversionem* (Uberhaupt) v. g. totus grex ovium, totus acervus tritici; periculum esse penes Emptorem, postquam contractus est perfectus, & independens à conditione expressâ, vel subintellecta; quia sic vendendo venditor à se avertit periculum; Secus est, si ex designato dolio vendatur solum aliqua portio, & non totum: tunc enim periculum est venditoris ante rem ad mensam. L. 35. §. 5. ff. de contrah. empt. quia, ut ibi dicitur, in his contractus prius non est perfectus.

1530 Not. autem, quod res constans numero, pondere, vel mensura, tota simul vendi possit, exprimendo aliquam quantitatem duplici modo; nimirum *vel ad corpus*; vel *ad quantitatem, seu mensuram*; tunc venditio fieri dicitur potius *ad corpus*, quam *ad mensuram*, quando quantitas non adjicitur taxativè, seu restrictivè (in signum intentionis alligatæ illi quantitati) sed demonstrativè, seu solum ad distinctionem hujus corporis ab alio; ut si quis dicat, vendo tibi meum fundum Tusculanum, qui est 10. jugerum; econtra, si diceret, vendo tibi tria prima jugera ex meo fundo Tusculano, quantitatis adjectio fieret restrictivè, & venditio esset ad quantitatem; his præmissis: quando quantitas est adjecta solum demonstrativè, solvendum est pretium, esto reperiatur quantitatis adjectæ excessus, vel defectus; quia sic stat contractus quoad substantiam. v. Molin. D. 367. n. 9.

Ad alteram partem de fructibus rei 1531
venditæ Suppon. quod venditor tamdiu rei venditæ maneat dominus, etiam facta ipsius rei traditione, quam diu Emptor pretium non solvit, vel saltem offert, aut cautionem præstet fidejussoriam, vel pignoratitiam, aut venditor fidem Emptoris sequatur; quia, si hæc deficiunt, traditio facta processit ex intentione conditionata, si aliquid prædictorum præstitum fuerit §. 42. Instit. de R. D. & L. 5. §. 18. ff. de tributor. act. Ex quo autem colligatur Emptori fides, habita à Creditore: V. Haunold. tom. 4. tr. 10. à n. 77.

Suppon. 2. quod regula generalis (*Res* 1532
fructificat suo Domino) patiatur exceptionem in contractu emptionis. Nam, si post emptionem fundo aliquid per alluvionem accesserit, ad Emptoris commodum pertinet; cum commodum ejus esse debeat, cujus periculum est. §. 3. Instit. h. t. Deinde fructus rei venditæ, tempore perfecti contractûs pendentes, tam maturi, quam immaturi, sunt Emptoris, ac ei cum re tradendi L. 13. §. 10. ff. de act. empt. & L. 13. C. eod. intellige, nisi aliter conventum sit, ut ibidem dicitur; quia fructus pendentes sunt pars fundi. L. 44. ff. de rei vindic. Et hoc verum est, licet Emptor adhuc nihil eorum præstiterit, quorum defectu nondum in eum translatum est dominium; sic Haunold. tom. 4. de Just. tr. 10. n. 64. §. *Illud tamen*; quia tunc periculum fructuum jam est Emptoris; ergo & commodum, ut constat ex cit. §. 3.

Hoc probabilius etiam extenditur ad 1533
fru-

fructus, primum natos post contractum emptionis perfectum; nam, licet rei dominium adhuc sit penes venditorem nondum præstito eorum aliquo, quæ ad dominii translationem requisivimus n. 1531. tamen, ratione periculi, quod jam transivit ad Emptorem, Emptor fi- ctione, seu dispositione juris, quoad incrementum per alluvionem, & fructus, habet commodum; alias emens vitulum, interea (dum solvatur pretium) crescentem, deberet incrementum venditori.

QUÆSTIO XVIII.

IN TITVLVM XVIII. DE LOCATO, ET CONDUCTO.

1534 LOcatio, & conductio proxima est emptioni, & venditioni, iisdemque juris regulis consistit, ut dicitur in princip. Instit. h. t. & L. 2. ff. eodem, & ideo Tit. de Empt. & vendit. justo materiarum ordine subjungitur titulus de locato, & conducto: nam ut emptio, & venditio contrahitur, si de pretio convenerit; sic locatio, & conductio contrahi intelligitur, si convenerit de mercede; hinc locatori competit actio *locati*; & Conductori, actio *conducti*, de quibus infra.

ARTICULUS I.

De locato, & conducto.

1535 PRimo quæstio est, quid sit locatio, & conductio? R. quod Juris Interpretes eam dicant esse Rei, vel operæ, pro certa & nummaria mercede, factam concessionem; alii dicunt rectius, quod sit contractus, juris gentium, nominatus, bonæ fidei, solo consensu initus, de rei alicujus usu, vel fructu, vel hominis operis, pro mercede certa, confestim definita, alteri ab altero concedendis: Quod sit contractus *juris gentium* habetur expresse L. 5. ff. de jure, & just. ibi: *ex hoc jure gentium locationes, conductiones*, &c. & L. 1. ff. h. t. ibi: *locatio, & conductio, cum naturalis sit, & omnium gentium, non verbis, sed consensu contrahitur, sicut emptio, venditio.* Quod contractus *nominatus*, & *bonæ fidei* ex §. 28. Instit. de actionib. quod *interventum mercedis certæ, definitæ*, ac *determinatæ* ex c. 1. Instit. h. t.

Quæstio altera est, quis propriè, ac generaliter dicatur *Locator?* quis *Conductor?* 1536 R. in hoc omnes convenire, quando res aliqua (domus v. g.) alteri ad usum conceditur, illum *Locatorem* dici, qui mercedem accipit; qui eam solvit, *Conductorem*: dixi, quando *res* ad usum conceditur; nam quando quis alicui *suam operam* pro mercede concedit, non conveniunt Juristæ; sed R. quod is ex communi sensu Theologorum, & Juristarum plerumque, qui dat, vel concedit operam suam fruendam interventu pretii, *Locator* dicatur; qui eam accipit pretio dato, *Conductor*; ita Perez in h. t. C. n. 2.

Not. autem 1. in contractu locati, & 1537 conducti conveniendum esse de mercede certa, & determinata, ut diximus n. 1535. non autem censeri *determinatam*, si determinatio ejus *solum generaliter* committatur arbitrio tertii; secus, *si quanti.* v. g. *Titius æstimaverit*, ut dicitur L. 25. ff. h. t. & ideo advertendum, conventionem illam generalem sustineri quidem in vim contractûs innominati: Unde datur actio præscriptis verbis, non tamen in vim conductionis ex cit. §. 1. Instit. h. t. ibi: *qua de causa, si Pulloni polienda, curandave, ac Sarcinatori Sarcienda vestimenta quis dederit, nulla statim mercede constituta, sed postea tantum daturus, quantum inter eos convenerit, non proprie locatio & conductio contra-*

bi intelligitur; sed, eo nomine actio præscriptis verbis datur.

1538 Not. 2. Constituto semel contractu locati, & conducti cum determinata mercede, non vitiari contractum, esto deinde locator mercedem remittat; nam, ut dicitur L. 5. ff. h. t. *si tibi habitationem locavero, mox pensionem remittam, ex locato conducto agendum erit*; quæ actio non competeret, si tunc contractus resolveretur; ex hoc enim, quod tollatur pensio, non tollitur contractus; ea enim non est de substantia hujus contractûs, sicut nec merces, sed amborum consensus in ea, animo se obligandi ad ea præstanda; at ille consensus stat semel perfecto contractu, cum solum in produci, non in conservari pendeat ab illis, ut diximus l. 4. in simili, non tolli contractum matrimonii semel rite initum, esto superveniat uni conjugum impotentia; his præmissis:

§. I.

Qui possint celebrare contractum locationis? & super qua materia?

1539 REgula traditur, quod possint *omnes, quibus licet emere, & vendere*; sic Molina tom. 2. D. 488. qui tamen excipit primo milites per L. 31. C. h. t. ibi: *Milites nostros alienarum rerum conductores, seu procuratores; aut fidejussores, vel mandatores conductorum fieri, prohibemus; ne omisso armorum usu ad opus ruresire se conferant, & vicinis graves, præsumptione cinguli militaris, existant*; id quod etiam habetur in L. *fin.* C. eod. 2. Curiales per L. 30. C. eod. quod tamen limita, nisi in defectu domus propriæ, conducant domum; vel alteri succedant in conductione, ut habetur L. 4. ff. de Decurionibus.

1540 Quoad secundam partem tituli de materia locationis, dicendum, locari posse, *res omnes, non exemptas hominum commercio, nisi sunt specialiter exceptæ*; prout sunt res Ecclesiasticæ, quæ saltem ad longum tempus locari non possunt, de quo late actum est à tit. 13. Unde de his rebus locandis discurrendum erit juxta inibi dicta. Quæstio præterea est 1. an locari possint feuda? 2. An Majoratus? 3. An servitutes? 4. An res fungibiles? 5. An operæ diurnæ, menstruæ, annuæ?

Ad 1. Resp. posse, modo non sit fraudulenta alienatio, qualis communiter dicitur, locatio ad longum tempus, per l. 2. feud. tit. 9. §. *donare*.

Ad 2. Resp. posse non tantum ad longum tempus, sed morte illius, qui locavit, contractus resolvetur, cum jus habeat solum ad dies vitæ, sicut in usufructu, &c.

Ad 3. Resp. servitutes reales locari 1541
non posse, nec à domino fundi dominantis, nec à Domino servientis, juxta L. 44. ff. h. t. ibi: *locare servitutem nemo potest; unde inter eas, & jus vectigalium, quod locari potest, esto sit jus reale; discrimen est*, quod quædam jura sint realia, quæ principaliter spectant commodum personæ; non autem prædii; quædam, quæ principaliter utilitatem prædii dominantis; & illa, ut tradit Bartolus, locari posse, non locato prædio; secus ist: ; at servitutes sunt ex secunda classe jurium realium; non autem jus vectigalium:

Ad 4. Resp. negative; nam in locatione res conceditur ad usum, ut elapso termino restituatur, quod, locata re fungibili, fieri non potest; cum usus rerum fungibilium sit ipsa consumptio.

Ad 5. posse, loquendo de operis honestis; inhonestas enim tenemur intermittere, atque adeo ad eas nemo se potest obligare; dubitari potest, an Dominus operas suorum subditorum, quas ipsi debent, possit aliis locare, si ipse non indigeat? &. regulariter, non posse; unde vasallus nec mandato domini tenetur alteri præstare obsequia personalia, quæ ipsi debet. Nam vel sunt operæ officiales, serviles, obsequiales? vel inhærentes prædiis? vel artificiales, fabriles? &c. de primis habetur, L. 26. §. 12. ff. de condict. indebit. ibi: *sed si delegatus sit à Patrono ad officiales* operas, *dicit Marcellus, non teneri eum, nisi forte in artificio* sint; *hæ enim jubente Patrono, & alii edendæ sunt*; de secundis L. 9. ff. de operis libert. ibi: *operæ in rerum* 1542

na-

natura non sunt, sed officiales quidem futuræ, nec cuiquam alii deberi possunt, quam Patrono, cum proprietas earum, & in edentis persona, & in ejus, cui eduntur, constitit: de postremis in eadem L. 9. ibi: *fabriles autem, aliæve ejus generis sunt, ut à quocunque cuicunque solvi possint. Sanè enim, si in artificio sint, jubente Patrono, & alii edi possunt.*

§. 2.

An quis aliquando teneatur remittere pensionem, vel mercedem constitutam in locato?

1543 CAsus esse potest, si contingat Conductorem fundi, damnificari incursu hostium, sterilitate, vel alio casu fortuito, citra culpam ejus; nam in his casibus innumeræ lites oriuntur, maximè in casu sterilitatis. Locatarius enim, qui fundum conduxit, & pensionem solvere promisit, ubi contingit annum esse minus frugiferum, difficultatem sæpe movet solvendi pensionem illius anni integram, Locatore solutionem urgente, illo difficulter probante, non debitam ex toto. Quare tali eventu, ubi casus etiam fortuiti in pactum deducti sunt, spectato jure naturali, & seclusis legibus positivis, esto contingat locatarium ex sterilitate parum de fundo percepisse, vi pacti tenebitur ad integram pensionem, sicut non tenetur ad plus, cum abundaverit etiam cum magno fructu. Locatio enim tali casu comparatur emptioni fructuum in spe, & futurorum; atqui pretium conventum idem est, esto sequatur deinde parum, aut multum fructûs: ergo.

1544 Cæterum, secluso tali pacto, & spectato jure positivo, dicendum, si damnum ex sterilitate sit modicum, nihil de annua pensione sub obligatione minuendum esse; nam damnum modicum æquo animo ferre debet Colonus. Cum ei nec pensio augeatur, fundo in modico plus ferente, ut dicitur L. *si merces.* 25. §. *vis major.* ff. h. t. secus est, si clades, extrinsecus adveniens, tanta sit, ut Colonus, seu conductor tali anno vel nihil accipiat, vel saltem fructum exiguum; nam in tali casu, si contingat primum, tota pensio; si secundum, pro rata remitti debet, ubi hoc contingit casu fortuito, & sine culpa conductoris, nec defectus compensatur, vel antecedentis aut subsequentis anni; & hoc de Conductoribus rerum Ecclesiasticarum, constat ex c. *Propter sterilitatem.* 3. h. t. ubi Gregorius IX. *propter sterilitatem*, inquit, *afficientem magno incommodo Conductores, vitio rei, sine culpa coloni, seu casu fortuito contingentem, colonis Ecclesiæ tuæ pro rata pensionis, remissio est facienda, nisi cum ubertate præcedentis, vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari.*

Item habetur in jure civili, L. *Si merces* 25. ff. Locati. §. *vis major.* 6. ibi: *Vis major* (vim divinam appellant) *non debet conductori damnosa esse, si plus, quàm tolerabile est, læsi fuerint fructus; alioquin modicum, damnum æquo animo ferre debet Colonus, cui immodicum lucrum non aufertur*; apparet autem *de eo nos colono dicere*, qui ad pecuniam numeratam conduxit; alioquin *partiarius colonus*, quasi Societatis jure, & damnum, & lucrum cum Domino fundi patitur; item L. *ex conducto* 15. ff. eodem §. *si vis tempestatis* 2. ibi: *Si vis tempestatis calamitosæ contigerit, an locator conductori aliquid præstare debeat? videamus. Servius, omnem vim, cui resisti non potest, dominum colono præstare debere, ait: Ut puta fluminum, graculorum, sturnorum, & si quid simile acciderit; aut si incursus hostium fiat: si qua tamen vitia ex ipsa re oriantur, hæc damno coloni esse; veluti, si vinum coacuerit, si raucis, aut herbis segetes corruptæ sint; sed, & si labes facta sit, omnemque fructum tulerit, damnum coloni non esse, ne, supra damnum seminis amissi, mercedes agri præstare cogatur; sed, & si uredo fructum olcæ corruperit, aut solis fervore, non adsueto id acciderit, damni domini futurum; si vero nihil extra consuetudinem acciderit, damnum Coloni esse; idemq; dicendum, si exercitus prætereuns per lasciviam aliquid abstulit; sed & si ager terræ motu ita corruerit, ut nusquam sit, damno domini esse; oportere enim agrum præstari conductori, ut frui possit. Cùm quidam in-* 1545

cendium fundi allegaret, & remissionem desideraret, ita ei rescriptum est: Si prædium coluisti, propter casum incendii repentini non immerito subveniendum tibi est. Demum L. *licet* 8. C. h. t. ibi: *Licet certis annuis quantitatibus fundum conduxeris, si tamen expressum non est in locatione* (ut mos regionis postulabat) *ut, si quâ huc tempestatis, vel alio cœli vitio damna accidissent, ad onus tuum pertinerent, & quæ evenerunt sterilitates, ubertate aliorum annorum repensata non probabuntur, rationem tui, juxta bonam fidem, haberi rectè postulabis, eamque formam, qui ex appellatione cognoscet sequetur.*

1546 Verùm, ut in hac quæstione rectius procedamus, Nota 1. etsi locatio, & conductio cum venditione, ac emptione in multis conveniat, esse tamen aliquod discrimen, quod periculum rei, *ex casu fortuito*, contractu emptionis perfecto, etiam ante traditionem, pertineat ad Emptorem, si venditor non fuit in mora culpabili traditionis; unde propter talem casum nihil tenetur venditor minuere de pretio, per L. *necessario.* 8. ff. de pericul. & commod. rei venditæ, ibi: *Necessariò sciendum est, quando perfecta sit emptio? tunc enim sciemus, cujus periculum sit? nam perfecta emptione periculum ad Emptorem respicit; & si id, quod venierit, appareat, quid, quale, quantum sit? & pretium, & purè venit, perfecta est emptio; quod si sub conditione res venierit (si quidem defecerit conditio) nulla est emptio, si uti nec stipulatio; quod, si extiterit, Proculus, & Octavenus emptoris esse periculum, ajunt*; idem Pomponius L. 9. probat; quod *si pendente conditione, emptor, vel venditor decesserit, constat, si extiterit conditio, hæredes quoque obligatos esse, quasi jam contracta emptione in præteritum; quod si pendente conditione, res tradita sit, Emptor non poterit eam usucapere pro Emptore, & quod pretii solutum est, repetetur, & fructus medii temporis venditoris sunt; sicuti stipulationes & legata conditionalia pereunt, si pendente conditione res extincta fuerit; sanè, si extet res, licet deterior effecta, potest dici esse damnum emptoris.*

1547 Not. 2. Cùm dixerimus, pensionem esse vel remittendam, vel minuendam propter immodicam fundi sterilitatem tali anno, vel nullo, vel exiguo fructu percepto à Conductore (qui pensionem solvere tenetur) non obligato ex pacto speciali ad casus fortuitos, quæstionem esse, quæ censenda sit *immodica sterilitas?* cujus titulo Conductor eo anno liberari debeat ab annua pensione, vel in totum? vel in partem? juxta prius dicta? Variæ sunt in hac re Doctorum opiniones; ex quibus prima censet, tunc sterilitatem merito immodicam censeri, quando nec semen, solo commissum, recipit; alii, si detractis expensis, ex soluta pensione ultra dimidium læderetur Conductor; alii volunt colligendum attentis circumstantiis: alii denique relinquendum Judicis arbitrio; sed, quam iste regulam in hoc sequatur, aut sequi debeat, non exponunt.

Mihi videtur ea præ cæteris regula 1548
securior, quæ dicit, tunc sterilitatem, (& consequenter læsionem) censeri meritò *immodicam*, quando id, quod deductis expensis, & soluta pensione superesset, esset infra dimidium, atque adeo tantum de pensione tunc Conductori remittendum à Locatore, quantum requiritur, ut compleatur saltem media pars fructuum, cæteroquin regulariter nascentium ex tali fundo; cujus ratio ex eo sumi potest; nam undecunque Conductori nascatur ubertas fructuum, etiam ultra solitum, non potest augeri eo titulo pensio; ergo nec tolli, nec minui debet, si deficiant ultra solitum propter sterilitatem, nisi Conductor ultra dimidium læderetur, ut dictum est, antecedens est ex L. 25. ff. h. t. §. 6. ibi: *Modicum damnum æquo animo ferre debet Colonus, cui immodicum lucrum non aufertur.* Nam ex ista dispositione juris habetur 1. quod, esto lucrum ex ubertate quandoque sit immodicum, nimirum etiam copiosum; non propterea debeat auferri Colono, seu Conductori, quod tamen fieret augendo pensionem eo titulo: 2. non statui è converso Conductorem teneri ad totam pensionem, si damnum sit immodicum; sed tantùm, si sit modicum.

Quia vero reponi potest, & replicari, cur, ubi damnum Conductoris est 1549
immodicum, debeat minui pensio; si non possit augeri, quando lucrum ejus

est

est immodicum? R. id refundi in ipsam dispositionem legum, quæ diverso modo statuerunt de casu *ubertatis*, & *sterilitatis*; cujus hæc ratio congruè reddi potest; quia in casu, quo Conductor, propter ubertatem fundi, lucrum etiam immodicum percipit, nec Conductor damnum patitur, ut per se patet; nec locator; quia recipit totam suam pensionem sibi debitam; si autem etiam in casu, quo Conductor etiam cum damno immodico (nimirum ultra dimidium) deberet solvere integram pensionem, pateretur grave damnum Conductor solus, propter quod leges æquissimè statuerunt, in tali casu Conductori, digno compassione ob suam miseriam, subveniendum esse diminutione pretii saltem in tantum, ut non ultra dimidium in ejusmodi casu pateretur. Neque dicas: etiam locator pateretur, quia non reciperet tantum pretium; nam negatur, eum pati, cum percipiendo pensionem conventam percipiat totum commodum, quod locatione voluntariè facta quærebat ex fundo alteri locato, seclusio alio pacto; Sic Cardin. de Lugo tom. 2. de Just. D. 29. sect. 2. à n. 42.

548

§. 3.

An Conductor domus teneatur ad pretium conventum in casu, quo redditur inhabitabilis?

1550 RESP. Conductorem liberari à pretio, quando contingit eam inhabitabilem reddi ex incursione hostium, periculo ruinæ, vel simili causa rationabili; habetur, L. *item quæritur.* 13. ff. h. t. §. 7. ibi: *Exercitu veniente migravit Conductor, deinde hospitio milites fenestras, & cætera sustulerunt; si domino non denuntiavit, & migravit, ex locato tenebitur*; *Labeo autem, si resistere potuit, & non restitit, tenere, ait, quæ sententia vera est*; *sed & si denuntiare non potuit, non puto eum teneri.* Deinde L. 27. ff. h. t. §. 1. nam, cum quæsitum esset, an si quis, timoris causa, emigrasset, deberet mercedem nec ne? Respondit: *Si causa fuisset, cur periculum timeret, quamvis periculum verè non fuisset, tamen non debere mercedem: sed si causa timoris justa non fuisset, nihilominus debere.* Demum L. *si fundus.* 33. ff. eod. ibi: *Similiter igitur, & circa conductionem servandum puto, ut mercedem, quam præstiterim, restituas, ejus scilicet temporis, quo fructus non percrim, nec ultra actione ex conducto præstare cogeris*; *Nam & si Colonus tuus fundo frui, à te, aut ab eo, prohibetur, quem tu prohibere, ne id faciat, possis*; *tantum ei præstabis, quanti ejus interfuerit, frui, in quo etiam lucrum ejus continebitur*; *sin verò ab eo interpellabitur, quem tu prohibere propter vim majorem, aut potentiam ejus non poteris, nihil amplius ei, quàm mercedem remittere, aut reddere debebis.* Not. autem, liberationem à pretio, seu pensione pro re conducta, intelligendam esse *pro rata temporis*, quo domus conducta habitari non potuit à Conductore, seclusa culpa Conductoris; 2. quod domui talis inhabilitas proveniat etiam ab extrinseco (v. g. hostium incursu) vel simili causa, ut si domus ipsa peste infecta sit; non autem, quando in civitate quidem infecta, plures remanent non infectæ, periculo communi non cogente domum inhabitatam, ac non infectam deserendi, sic Cardinalis de Lugo cit. sect. 2. n. 29.

549

1551 Præter hæc not. 1. in casu, quo res locata sit inutilis ad usum, vel finem, propter quem conducta est, sine culpa conductoris, vel locatoris, istum ad nihil teneri, nisi ad remittendam pensionem pro rata temporis, quo ei usus impeditus fuit impedimento se tenente ex parte locatæ rei; nam si conductor impediretur impedimento se tenente ex parte ipsius, nihil de pensione illi remittendum esset ex obligatione; quia tunc locator præstitit rem de se habilem ad finem conductoris.

1552 Quando autem impedimentum se tenet ex parte Locantis, qui illud impedire potuit, vel præmonere debuit Conductorem, locantem teneri non solum ad remittendam pensionem pro rata temporis, sed etiam ad totum interesse Conductori. Et quidem non solum ad interesse intrinsecum, sed etiam ad extrinsecum, v. g. quantum Conductor ea

ea occasione lucratus fuisset; quia licet venditor solum teneatur emptori ad interesse intrinsecum, ex L. *si sterilis.* §. *Cùm per venditorem*, ff. de act. empt. id tamen peculiare est in contractu emptionis ad vitandas lites, & exorbitans à jure communi; quare ad alios contractus extendi non debet. Ex hoc sequitur, Locantem Titiæ domum, inhabitatione auspicanda Calendis Maji ex conventione, non potuisse bona conscientia pretium, seu pensionem exigere, ac recipere pro toto anno, in casu, quo, quia prior Conductor in eadem domo, mandato Principis arrestatus, per medium annum habitationem (à Titia conductam) ingredi non valuit, illa non vacuata à Conductore antecedente.

§. 4.

Quid dicendum de mercede Conductorum ad operas?

1553 NOtum est, non tantum locari, & conduci *res*; sed etiam *operas*, seu personas ad præstandum Conductori certos labores, in vinea, agro, famulatu, &c. Circa istam conductionem, & locationem variæ communiter dubitationes subnasci solent, hoc loco breviter expediendæ. Prima est, an operario conducto debeatur integra merces, quando per eum non stat, non perfici laborem, ad quem conductus est? R. quod non, ratio sumitur ex n. seqq. ubi dicimus Locatorem domus posse à Conductore illius exigere totam pensionem, quando per Conductorem domus stat, domum non fuisse ab ipso habitatam; ergo nec locator operæ potest exigere totam mercedem, quando per ipsum stat, quod conductori præstita non sit opera, pro qua ille conductus fuit: si autem stat per Conductorem operæ alterius, à conducto non fuisse operam præstitam, hic licite, ac justè exiget totam mercedem. Unde qui conduxit Titium constituta certa mercede pro diurno labore, v. g. *describendo*; si Conductor Titium in alia distrahat, ut propterea paucis duntaxat horis scripserit, Titius conductus juste petet mercedem sibi constitutam; si autem per Titium stat, non esse præstitam scriptionem, nisi quarta parte temporis, ad quod conductus fuit, non debebitur ei merces, nisi pro rata.

Quæri autem potest, an, si contingat, conductum pro labore diurno, conductore impediente, potuisse laborare tantum media die, sed altero dimidio impedisse operam suam, conductus nihilominus possit exigere totam mercedem pro labore diurno à primo Conductore? R. quod non, ita Cardinal. de Lugo tom. 2. de Just. D. 29. sect. 3. n. 54. ratio sumitur ex dict. Nam, si per conductorem domus ad annum, stat, quod anno solum dimidio eam habitaverit, & Locator interim altero dimidio alii locaverit, conductor non tenetur nisi ad pensionem dimidiam; cum eo casu locator recipiat totam pensionem locationis annuæ, ut ponit casus; ergo similiter Conductor operæ ad laborem diurnum, si per ipsum stetit, quod conductus laboraverit die solum dimidio, si hic altero dimidio locavit suam operam, non tenebitur huic, nisi ad mercedem diei mediæ; quia per hoc nihil patitur conductus, cum recipiendo mercedem laboris pro altero diei dimidio à secundo conductore, recipiat totam mercedem pro labore diurno. 1554

Diana tom. 2. tr. 6. resol. 14. censet, in casu, quo per conductorem operæ stetit, quod conductus laborem diurnum non præstiterit, conductorem liberari à mercede solvenda, si conductum tempestivè monuit, quod non egebit ejus opera, & hic adhuc potuit aliis locare suam operam, sed noluit; vel alium conductorem non invenisset, esto à priori non fuisset conductus; quia sic conductor non est causa damni, quod patitur conductus; non in primo, quando potuit, sed noluit alteri locare suam operam; quia sic ipse causat defectum mercedis, liberè omittendo locationem operæ suæ, cum potuisset; 2. etiam quando non habuisset alium Conductorem, esto conductori primo non locasset, quia si à nemine fuisset alias conductus, conductor non est causa lucri cessantis operario. 1555

Con-

1556 Contrarium tamen est probabilius, Conductorem teneri operario præstare totam mercedem, si non per hunc, sed illum stetit, quod operarius laborem non præstiterit, & hic alteri suam operam non locavit recepta mercede; id, quod etiam colligitur ex L. *sed addes.* ff. h. t. §. 9. ibi: *Cum quidam Exceptor* (intellige librarius, qui describit) *operas suas locasset, deinde is, qui eas conduxerat, decessisset: Imperator Antoninus eum Divo Severo rescripsit ad libellum exceptoris, in hæc verba: Cum per te non stetisse proponas, quo minus locatas operas Antonio Aquilæ solveres, si eodem anno mercedes ab alio non accepisti, fidem contractûs impleri æquum est*; & L. *qui operas.* 38. ff. eod. ibi: *Qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non stetit, quo minus operas præstet.*

1557 Ad rationem Dianæ &c. operario deberi mercedem à Conductore vi contractûs, non minus, quam suas ei operas debeat operarius; sed hic debebat illas vi contractûs conductori, licet alius illi post contractum initum constituere voluisset duplam mercedem; ergo etiam Conductor operario debet mercedem vi contractûs, licet alius illi post contractum initum laborare voluisset pro dimidia mercede; ergo etiam si per conductorem stetit, ne fierent operæ conductæ, licet tempore, quo feriabatur operarius sic volente Conductore, nulli locaverit operam suam etiam cum potuisset, utpote securus jam de mercede sua, sibi pacta; cum nullam habeat obligationem justitiæ, tali casu locandi alteri suam operam, & lucrando apud alium mercedem) utiliter gerere negotium primi conductoris; sic nimirum liberando à solutione mercedis pactæ pro rata receptæ ab alio Conductore.

1558 Quæstio altera est, an in casu, quo quis famulum conduxit ad servitium annuum, hic autem post anni quadrantem discedat, conductor ei solvere debeat mercedem pro rata temporis, quo servivit? In hac quæstione censet Azor p. 3. instit. moral. l. 8. c. 13. q. 6. nihil deberi famulo, nimirum in pœnam, quod dominum fraudet famulatu debito ex contractu oneroso, si scilicet recedat invito domino, & sine rationabili causa per dominum cognita, & probata; unde etiam in pluribus locis per statuta cautum est, ne talis domini desertor ab alio in famulatum recipiatur; sic Azor.

In hac quæstione videtur dicendum 1. si nulla rationabilis causa relevet talem desertionem, & exinde damnum aliquod sequatur domino, juxta hujus æquam æstimationem, licite diminui mercedem, si quæ illi debita foret pro famulatu præterito; nam injustè læsus merito damnum repetit; ubi autem famulo, ad certum tempus conducto, nulla suppetit rationabilis causa recedendi, dominus injustè læditur; ergo si quod damnum exinde patitur, licite diminuit mercedem, si quæ illi foret debita pro famulatu præterito, secundum æquam æstimationem damni, sic Haunold. tom. 4. de just. tr. 10. n. 565.

Dicendum 2. quantum est vi juris naturalis, & seclusis statutibus localibus, de quibus Molina D. 505. & seq. in casu, quo famulus, ex causa urgente, & rationabili discedit intra tempus conventum, domino rationabiliter non invito, ei jure naturæ deberi pro rata temporis servitio impensi mercedem; sic Cardinalis de Lugo cit. sect. 3. n. 56. nam si complevisset totum tempus, deberetur illi merces integra; ergo si solum ex dimidio, v. g. debebitur dimidia; id quod semper intelligendum 1. si debitè servivit, (cæteroquin enim pro rata neglectarum operarum cum damno domini tenebitur ad restitutionem) 2. si causa discedendi sit urgens, nec inde damnum sequatur Domino ex defectu operarum non reparabilium, nisi novis impensis, dum alius conducatur; nam famulus vi contractûs ad certum tempus ex justitia tenetur, ne dominus defectu operarum, ad quas tenetur, intra tempus conductum, damnum patiatur, secus enim agendo, ageret contra naturalem obligationem contractûs. 1559

Quæstio 3. est, an, si dominus famulum dimittat ante finem temporis conventi, teneatur hinc præstare mercedem integram? &c. Si eum dimittit sine justa causa, teneri pro rata temporis, quo debitè servivit, imo, & resi- 1560

duo, si dimissus intra illud non reperiat, ad quem conducatur ; nam famulus vi contractûs acquisivit jus ad totam mercedem sibi solvendam à domino pro conducta opera ad unum annum v. g. sicut dominus ad totam operam sibi præstandam à famulo ; ergo, sicut, si per dominum non stat, sibi non præstari operam culpa famuli, non tenetur dominus solvere mercedem pro rata, & damno secuto potest detrahere æstimationem ex mercede servitii præstiti ; sic, si stat per dominum, non exhiberi operam ab isto, tenebitur famulo solvere mercedem pro rata, & damno secuto addere æstimationem servitii non præstiti à famulo culpa domini ; at sic contingit, quando famulus sine justa causa intra tempus conventum, rejicitur à Domino ergo.

1561 Quæstio 4. est, an famulus habeat jus exigendi totam mercedem, non obstante, quod per notabile tempus morbo impeditus non potuerit famulari? videtur probabilius negandum ; nam quando per Locatorem stetit, etiam sine ejus culpa, quod rem locatam conductor habere posset ad ejus usum, pensio, aut merces non debetur pro rata ejus temporis, ut constat ex supradictis, & colligitur ex L. *si uno.* §. *item, cum quidam.* ff. locati ; ergo similiter, quando per conductum, seu Locatorem operarum stetit, etiam sine sua culpa, quod conductor operas locatas habere posset ad earum usum, pensio aut merces non debetur pro rata temporis prout colligitur ex L. *qui operas.* 38. ff. locati, ibi: *qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non stetit, quo minus operas præstet*; nec obstat regula juris. 42. *imputari non debet ei, per quem non stetit, si non facit, quod per eum fuerat faciendum*, & reg. 66. *cum non stat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde, acsi impleta fuisset*, nam hoc solum procedit in dispositionibus *mere gratuitis* ; non autem in contractibus oneros is, ut alibi diximus.

1562 Dices tamen L. *per hanc Legem.* 7. C. de advocat : diversorum Judic. §. 6. dicitur, advocatis fiscalibus competere, ut salarium totius anni, intra quem moriuntur, hæredibus persolvatur, ibi : *his quoque illud adjiciendum, ut si quis Patroni adeptus gradum, fatalem diem obierit, universa totius anni salaria, ex quo hoc idem officium peragere cæperit, ad hæredes, seu successores suos, sive liberi, sive extranei fuerint, transmittendi tam ex testamento, quam ab intestato, liberam habeat facultatem* ; ergo per argumentum à contrario aliis non debetur. Idem videtur dici de aliis advocatis, in L. 1. §. *Divus Severus* ff. de variis, & extraordin. cognit. ibi : *Divus Severus ab hæredibus advocati mortuo eo prohibuit mercedem repeti ; quia per ipsum non steterat, quo minus causam ageret.* Resp. Non esse sensum, quod per ipsum non steterit *ratione mortis supervenientis ; sed ex culpa, vel causa Clientis*, quod bene colligit Lugo ex plusquamperfecto : *steterat* ; ergo sicut advocatus lucratur mercedem, etiam obsequio non præstito, sic etiam famulus lucrabitur, quando per ipsum non stat.

Resp. Legem 7. agere de Advocatis 1563
Fiscalibus, & his deberi totum salarium, esto moriantur intra tempus conventum, esse *special e jus privilegium*, ratione muneris concessum ; nec ab hoc ad alios recte argumentum duci, ad L. Divus Severus, respondet P. Rebellus lib. 14. q. 14. n. 6. cum aliis, illud esse *speciale in advocato* propter consuetudinem, ex qua oritur tacitus consensus dandi, etiamsi absque culpa operam postea non præstet. Cæterum rectius solutio petitur ex ipso textu, & illis verbis : *quia per ipsum non steterat* ; quæ sunt præteriti plusquamperfecti, & denotant, *tempus ante mortem*, quo paratus erat exhibere operas ; & quia, quo minus ab ipso vivente non præstarentur, ipse impedimento non fuit, non debere eo mortuo mercedem repeti ab ejus hæredibus ; non igitur, quia morte impeditus fuit, sed quia aliunde, cum ipse posset, & vellet ; Sic Cardinalis de Lugo cit. n. 59.

Præter hæc not. probabilius esse, do- 1564
minum non teneri ex Justitia ad expensas necessarias pro famulo ægrotante ; contractus enim, quo tenetur operarum conductor, non extendit se, nisi ad mercedem ; alius enim titulus, in quo fun-

fundatur obligatio justitiæ, non extat; quid porro titulo charitatis? traditur in præceptis secund. tabul. Cœterum si sponte faciant, præsumuntur donare vel ex charitate, vel liberalitate; quin postea earum titulo illis liceat de mercede detrahere. Et quoniam, ubi conductio famuli facta est ad certum tempus, v. g. ad annum, hoc elapso contractus finitur, non tenebitur famulus, si nolit, supplere tempus; si v. g. intra annum per mensem infirmus fuit; quid porro tali casu ratione mercedis integræ dicendum sit habetur à n. 1561.

ARTICULUS II.
De obligationibus Conductoris, & Locatoris.

NOn agimus hic de obligatione solvendi mercedem, quam habet Conductor rei, vel operarum (nam de hoc dicemus in sequentibus) sed nonnullis aliis casibus, quæ evenire possunt in hoc contractu, ut est revocatio rei, vel operæ locatæ; culpa ex parte hujus, vel illius in deterioratione, vel interitu rei &c.

§. 1.
An locator rei quandoque possit Conductorem expellere ære locata?

1565 PRima dubitatio est, an id possit *finito tempore* locationis? R. quod sic; nam finito termino locationis jus omne, quod habebat ex contractu Conductor exspiravit; consequenter rem alienam injustè detineret, & cum injuria domini, non amplius obligati ad relinquendum illi ullum rei prius conductæ usum; & in tali casu Locator etiam propria authoritate Conductorem expellere potest, & suam sibi rem vindicare, ut est communis, & tenet Haunold. tom. 4. de Just. tr. 10. n. 543. quod verum est, licet Conductor offerret pensionem, etiam duplo majorem; nam & ipse Locator, durante locationis tempore, tenetur Conductorem in usu rei Locatæ tolerare, quantumvis alius pro eadem offerret pensionem etiam duplo majorem; quia stringit eum obligatio contractûs nondum finiti, ut habetur in L. *si olei* 21. C. de locat. & conduct. ibi: *Si olei certa penderatione fructus anni locasti, de contractu bona fide habito, propter hoc solum, quod alter majorem obtulit penderationem, recedi non oportet.*

Altera dubitatio est, an id possit quandoque etiam *nondum finito tempore* locationis? R. ex L. *Ædē.* 3. C. eod. ubi ad quæstionem à Callimorphonia propositam, *an inquilinus expelli possit?* respondetur: *ade, quam te conductam habere dicis, si pensionem domino in solidum solvisti, invitam te expelli non oportet, nisi propriis usibus dominus eam necessariam esse probaverit, aut corrigere domum maluerit; aut tu malè in re locata versata es.* Nam ex hoc textu habetur propter 4. causas inquilinum à Domo conducta, tametsi tempus conductionis finitum non sit, expelli posse: nimirum, si tempore debito pensionem non solvat; si dominus probaverit eam suis usibus esse necessariam; si eam corrigere velit; si Conductor in re locata malè versetur. In hoc tamen casu existimat Zoësius in tit. 65. l. 4. C. q. 11. Colonum, vel Conductorem non posse expelli propria authoritate, si intra biennium non solverit, sed de hoc dicemus infra. 1566

Cœterum circa præsentem juris dispositionem, plura debita sunt 1. an nihilominus expelli possit conductor, & quidem quoad primam causam in L. 3. de pensione non soluta, an si in contractu locationis conventum esset, ut sub certa pœna nec Conductor ante tempus expelli, nec sponte recedere possit non soluta pensione? 2. an, ut expelli possit, sufficiet primi anni pensionem non esse solutam?

Ad 1. R. spectata rei natura id pendere ex intentione eorum, qui tale pactum inierunt; unde si locator non intendit cedere juri, ubi conductor non observat observanda, sed tantum, ut Locatori integrum esset expellere, modo pœnam adjectam solveret, non obstante tali pacto pœnali, Conductorem expellere poterit, pœna tantum soluta, id quod videtur dici L. 54. §. 1. ff. h. t. ibi 1567

inter Locatorem fundi, & Conductorem convenit, ne intra tempora locationis Sejus conductor de fundo invitus repelleretur, & si pulsatus esset, pœnam decem præstet Titius Locator Sejo Conductori; vel Sejus Conductor Titio, si intra tempora locationis discedere vellet, aque decem Titio Locatori præstare vellet: quod invicem de se stipulati sunt. Quæro cum Sejus Conductor biennii continui pensionem non solverit, an, sine metu pœnæ, expelli possit? Paulus respondit: *quamvis nihil expressum sit in stipulatione pœnali de solutione pensionum: tamen verisimile esse, ita convenisse de non expellendo colono intra tempora præfinita, si pensionibus paruerit, &, ut oportet, coleret, & ideo, si pœnam petere cœperit is, qui pensionibus satis non fecit, profuturam Locatori doli exceptionem*; ex hoc enim textu apparet dispositionem istam procedere solum ex præsumptione talis intentionis; consequenter aliud dicendum, si constaret de veritate.

1568 Ad 2. Resp. rem apud Authores esse multum controversam, an sufficiat, quod prima vice Conductor non solverit, elapso v. g. anno, quo re locata usus est; an vero Locator exspectare debeat saltem biennium? In sacris canonibus de hoc ita reperitur dispositum, ut habetur c. *Propter* h. t. §. *verum*, ibi: *verum invito inquilino, domum inhabitare, vel reficere poteris, si necessitas (quæ tamen non imminebat locationis tempore) id exposcat; remissa sibi pro residuo temporis pensione: qui etiam inde rationabiliter amovetur, si perversè ibi fuerit conversatus; vel, cum canonem per biennium non solvisset, sibi satisfactione celeri non providit.* Nam ex hoc textu deducunt aliqui, spectato jure canonico, Conductorem, vel inquilinum domûs, ante finitum tempus Locationis, invitum expelli non posse, licet pensionem v. g. in elapso solutionis termino *pro primo anno* non solverit; sed, *exspectandum biennium*: mihi tamen videtur probabilius, spectato hoc jure, statim expelli posse, si non solvit debito tempore pensionem; & ita tenet Rebuffus de Except. n. 680. Molina D. 499. n. 2. Lessius de Justit. l. 2. c. 24. D. 7. n. 32. Azor p. 3. l. 8. de locat. q. 2. & alii; ratio est, quia etsi in textu dicatur, inquilinum invitum expelli posse etiam ante finem temporis conventi, *cum canonem per biennium non solverit*; non tamen dicit, *non posse, nisi exspectato biennio*, nam esto eum expellat, si debito tempore (nimirum anno elapso) non solverit, salva manet dispositio juris, quod eum expellere possit, cum per biennium non solverit, quippe ibi non dicitur adversativè ad casum, quo elapso primo anno, vel termino pro solutione constituto non solverit, ita Doctores supr. cit. licet contrarium sentiat Haunoldus tom. 4. tr. 10. n. 535.

Sed nec jure civili requiritur *biennium*; cum in dicta L. *ade*, 3. C. h. t. de quan. 1566. nulla fiat mentio *biennii*; & ratio est, quia per dictam L. 3. solum tunc, ante tempus finitum, *invitus expelli non potest inquilinus*, quando canonem non solvit, & casus ex ibidem exceptis non occurrit; at inter casus exceptos est, *si pensionem non solvit*, quin hoc restringatur ad biennium; & eo ipso rectius dicitur intelligi etiam de primo termino solutionis non præstitæ; nam *sermo indefinitè, ac simpliciter prolatus, de primo actu intelligitur*, seu uno actu perficitur, & finitur, prout hoc colligitur ex L. 89. §. 1. ff. de verb. signific. ibi: *hoc sermone, cum nupta fuerit, primæ nuptiæ significantur*; hinc quando in L. *quæro* 54. §. 1. ff. h. t. fit mentio *biennii*, ibi: (*si Sejus conductor biennii continui pensionem non solverit*) & L. *cum Domini*. 56. ff. eod. *tempus biennii debere observari*. R. in L. 54. mentionem *biennii* non fieri de illo, tanquam pertinente ad decisionem quæstionis propositæ, sed solum ad narrationem facti, & ut notat Molina, solum ad magis probandam contumaciam Conductoris; unde Haunoldus cit. n. 534. ait: *certum esse, nihil concludi*, nimirum ex hac lege de obligatione *biennium* exspectandi; sed revera, nec aliter loquitur §. *verum*, in c. *propter* de quo 1568; nec juvat L. 56. nam ibi mentio *biennii* non fit tanquam termini ad expellendum requisiti, sed potius conscribendi absentis bona, & per biennium non apparentis. 1569

Quo ad alteram causam expellendi Conductorem etiam invitum, & ante 1570

tem-

tempus locationi præstitum propter necessitatem Locatori supervenientem, ut constat ex L. Æde, de qua n. 1566. & c. *propter*, relato n. 1568. dubitari potest 1. an, si haberet plures domos locatas, penes locatorem sit optio expellendi hunc, vel illum? 2. an non obstante pacto de non expellendo ante finem temporis constituti? 3. an id etiam procedat in locato prædio rustico?

Ad 1. Resp. posse; ratio est, quod Locator habeat privilegium legale (per cit. L. 3. & c. *Propter*) vi cujus etiam ante finitum tempus expellere conductorem propter supervenientem ipsi necessitatem, tempore initi contractus non prævisam, ut signatè notatur in §. verum, supr. n. 1568. ibi (*quæ tamen non imminebat locationis tempore*) sicut id habet Conductor ad recedendum ex domo conducta propter necessitatem antè non prævisam, sibi supervenientem; ergo esto habeat plures domos à se locatas aliis, respectu cujuslibet Conductoris uti poterit jure suo; nec enim hæc pluralitas tollit ei jus à Lege constitutum.

1571 Ad 2. Resp. videri probabilius tali pacto, non pœnali, renuntiari à quolibet juri, quod alias habet Locator, ad expellendum; Conductor, ad recedendum, in casibus alioquin privilegiatis vi L. 3. & c. *Propter*, excepto casu pensionis tempore debito non solutæ; nam casus ordinarii veniunt vi ipsius contractus pro hac opinione refertur Angelus in dict. L. 3.

Ad 3. Resp. quod sic, cum etiam respectu prædii supervenire possit non prævisa necessitas; ut, si stabulum, aut prædium, ubi habuit sua pecora, sit igne absumptum, vel magia, vel alio vitio affectum, &c. neque obstat, quod verba privilegiis non debeant extendi ultra suam significationem; hoc enim verum est, id accipiendo juxta intentionem legislatoris, unde licet textus in L. 3. loquatur de *æde*, quæ vox non significat *prædium*; intentio Legislatoris non erat, uti nomine *ædis*, pro *habitatione tantum Vrbana* (quia ibi *ædes* solum nominatur ideo, quod quæstio super æde mota fuerit à muliere, ut notavimus n. 1566.) sed decidere indefinitè, quod Locatori, etiam invito Conductore, liceat rem locatam ante tempus revocare, superveniente sibi necessitate.

Circa tertiam causam (quoad necessitatem reparandi ædes locatas) notatur, 1572
quod Locator, durante tempore locationis, possit expellere Conductorem, si domus locator indigeat refectione; in idem est L. *æde*, ubi Glossa V. *Corrigere*, C. h. t. & constat ex cit. c. *Propter*, §. *verum*. supr. sic Lessius lib. 2. c. 24. dub. 7. n. 34. vers. tertia est. Azor. p. 3. lib. 8. de locato. c. 8. quæst. 2. vers. *tertia causa est*. Rebellus p. 2. lib. 14. q. 10. n. 13. ubi etiam resolvit, reddendam esse domum Conductori post refectionem; de quo etiam Tiraquel. in tract. *cessante causa* n. 103. Menoch. remed. 3. Retin. n. 208. Bonacin. de contractib. D. 3. q. 7. punct. 2. n. 13. Sed hoc intellige, ut diximus, *si ea necessitas non sit prævisa*; Sic Aloysius Riccius in Collect. decis. p. 1. Collect. 16. in fine; quia necessitas expellendi debet esse improvisa, nec antea cogitata; sic Rebellus cit. lib. 14. q. 10. n. 5. Unde si domum locavi, in qua habitabam, cum aliam non haberem, non possum postea Conductorem expellere; Azor c. 4. q. 2. vers. *quod verò si Titius*. Observandum præterea ex dict. §. *verum*, vi eorum verborum (*remissa sibi pro residuo temporis pensione*) dubitari, an id datis casibus expulso Conductore Locator, pro rata temporis, teneatur Conductori pensionem remittere? sed ad hæc constabit mox responsio in seq.

Quarta expellendi causa, iisdem juribus expressa, est abusus rei conductæ, 1573
sive fiat destructione, & deterioratione; sive scandalosa usurpatione, & bonis moribus contraria: v. g. meretrices, aut Lenones introducendo, vel alia exercendo, quæ viciniæ molestiam creent; quatuor in hac parte sunt sententiæ; prima docet, eo casu nihil remittendum de pensione, etiam pro residuo tempore, quo cœteroquin licuisset vi contractûs domum incolere; pro qua citatur Navarrus, Sayrus, & Azor; altera, quæ simpliciter vult remittendum aliquid pro rata temporis, Domino tamen, seu Locatori competere actionem de damno illato, seu ad interesse; verum de hoc non est quæstio; cum id

aliunde constet, si culpa Conductoris damnum datum est; pro hac refertur Durandus in speculo post glossam; tertia vult nihil remittendum esse in casu, quo Locator nullum habere potest Conductorem pro residuo tempore, qui solvat reliquum pro rata; secus, si habeat alium; sic Molina: Quarta demum docet, distinguendo inter causam expellendi propter malam usurpationem, seu abusum habitationis: vel enim talis abusus est, ut nec moraliter (bona nimirum conscientia) nec ethicè, ac civiliter, propter malos mores, scandala, vicinorum incommoda, & similia, non possint tolerari? vel solum quia domo abutitur eam deteriorando &c. in utroque casu licitam esse Conductoris expulsionem etiam ante tempus finitum, constat ex L. 3. de qua n. 1566. & c. *Propter*, de quo n. 1568. in primo autem, quantum quæstio tangit remissionem pensionis, respondet hæc sententia juxta datam distinctionem, nempe nihil remittendum de pensione, quando nec civiliter, nec moraliter tolerari potest, & non reperitur alius Conductor, à quo Locator habeat residuum pensionis pro rata; secus si possit: in altero autem casu, ubi solum est causa damni, Locatori satisfieri, concedendo illi actionem de damno, sic Cardinalis de Lugo tom. 2. de jure, & Just. D. 29. sect. 1. n. 15. hæc opinio mihi videtur cæteris probabilior; & satis commode reducit illas ad naturalis æquitatis moderationem, ut patebit consideranti.

1574 Quæstio ulterior est, an ob prædictas causas Locator possit Conductorem expellere etiam in casu, quo res Locata subjecta simul fuit hypothecæ, pro securitate contractûs initi in locatione? R. quod sic; nam hypotheca, locationis contractui adjecta, non obligat Locatorem ad amplius, nec conductori plus tribuit juris, quam contractus, cui adjicitur; sicut juramentum, contractui appositum; etsi enim hoc adjiciat novam obligationem ex virtute Religionis, ultra obligationem ex vi contractus; non tamen obligat ad plus, quoad materiam, quam ipse contractûs, ut diximus lib. 2. tit. 24. de jurejurando: sed contractus locationis non adimit Locatori jus, etiam ante tempus expellendi conductorem ex prædictis causis, ut hactenus dictum est: ergo nec hypotheca, in re locata Conductori constituta. Nec obstat, quòd particularis successor Locatoris virtute hypothecæ non possit expellere Conductorem; nam esto jus, Conductori quæsitum ex hypotheca, prævaleat adversus successorem particularem; non propterea etiam prævalebit adversus Locatorem. Ideò quippe prævalet adversus illum successorem, quia jus, Conductori quæsitum, est *respectu illius* absolutum, & antiquius jure Successoris particularis; at non est antiquius jure Locationis, ut per se constat, nec respectu hujus est absolutum, sed solum conditionatum, seu resolubile, sicut ipse contractus ex dictis causis; ergo.

Illud etiam notandum, esto dictum 1575
sit, Conductorem in prædictis casibus expelli posse à Locatore; juri tamen conformius esse, si dicatur, *id non posse propria authoritate*; non enim singulis est concedendum, quod per Magistratum publice possit fieri, ne occasio sit majoris tumultûs faciendi; ut dicitur reg. 176. ff. de reg. juris, & L. 13. ff. de metûs causa, ibi: *extat decretum D. Marci in hæc verba: Optimum est, ut si quas putas te habere petitiones, actionibus experiaris; cum Marcianus diceret, vim nullam feci, Cæsar dixit: tu vim putas esse solum, si homines vulnerentur? vis est tunc, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per Iudicem reposcit. Quisquis igitur probatus mihi fuerit, rem ullam debitoris, vel pecuniam debitam, non ab ipso sibi sponte datam, sine ulle Iudice temere possidere, vel accepisse, isque sibi jus in eam rem dixisse, jus crediti non habebit.*

§. 2.

Ex qua culpa teneatur Locator, vel Conductor?

ETsi plura jam dixerimus occasione 1576
Commodati, & depositi, de culpa, quæ facit obnoxium restitutioni, vel compensationi damnorum alteri factorum

rum in materia contractuum; generalis tamen regula in hoc puncto est, quod *spectanda sit natura contractûs*, quando quæritur ex qua culpa, vel causa, quis teneatur per læsionem alteri contrahentium alterius culpâ secutam? si enim contractus cedit in unius tantum utilitatem, v. g. accipientis (ut contingit in Commodato) iste tenetur ex culpa levissima; quando in solius dantis (ut in deposito) Depositarius tenetur solum ex dolo, vel culpa lata: Si denique in commodum utriusque (prout in contractu locati, & conducti) præter dolum, etiam culpa lata, & levis præstanda erit, ut dicemus in seq.

1577 Conductorem rei teneri ex dolo, vel culpa lata, vel etiam levi, non est dubium; an autem etiam ex culpa *levissima*? Controversia est; affirmantes fundant se in §. 5. Instit. h. t. ibi: *qui pro usu, aut vestimentorum, aut argenti, aut jumenti mercedem, aut dedit, aut promisit: ab eo custodia talis desideratur, qualem diligentissimus Paterfamilias suis rebus adhibet.* Deinde ex L. 25. §. *penult.* ff. eodem ibi: *qui columnam transportandam conduxit, si ea, dum tollitur, aut probatur, aut reponitur, facta sit; ita id periculum præstat, si qua ipsius, eorumque, quorum opera uteretur, culpa acciderit: culpa autem abest, si omnia facta sunt, quæ diligentissimus quisque observaturus fuisset.*

1578 Negantes porrò utuntur satis claris juribus 1. reg. 23. ff. de regulis juris, ibi: *Contractus quidam dolum malum duntaxat recipiunt; quidam, & dolum, & culpam: dolum tantum, depositum, & precarium; dolum, & culpam, mandatum, commodatum, venditum, pignori acceptum, locatum*; item, *dotis datio, tutelæ, negotia gesta: in his quidem, & diligentiam; Societas, ut rerum communio, & dolum, & culpam recipit; sed hæc ita, nisi, si quid nominatim convenit, vel plus, vel minus in singulis contractibus: nam hoc servabitur quod initio convenit; legem enim contractûs dedit.*

1579 Secundò L. 5. §. 2. ff. commodati, ibi: *& quidem in contractibus interdum dolum solum; interdum & culpam præstamus: dolum in deposito, quia nulla utilitas ejus versatur, apud quem deponitur, merito dolus præstatur solus, nisi forte, & merces accessit; tunc enim & culpa exhibetur: aut, si hoc ab initio convenit, ut culpam, & periculum præstet is, penes quem deponitur; sed ubi utriusque utilitas versatur, ut in empto, locato, dote, pignore, Societate; & dolus, & culpa præstatur.*

Tertiò L. 3. §. 1. ff. Nautæ, Caupones ibi: *quia in locato conducto, culpa; in* 1580
deposito, dolus tantum præstatur; quo habetur *Conductorem rei*, vi datorum textuum juris, teneri *ex culpa simpliciter prolata*; sed in jure *culpa simpliciter prolata* non stat pro levissima, secus pro levi; ergo. Minor colligitur ex cit. L. 5. §. 2. nam in contractu emptionis, pignoris, Societatis, non præstatur culpa *levissima*, ut fatentur etiam contrarii; ergo nec in contractu locationis, cum & de isto textus expresse loquatur, intellige tamen, nisi aliter convenerit, aut merces data sit, eo pacto, & cura diligentissima impendatur.

Ad fundamenta partis contrariæ in illo §. 1. Instit. h. t. R. textum non lo- 1581
qui de quovis conductore, sed illo, cui res (licet pro mercede) magis in favorem, quam titulo mercedis locatur; postquam enim dixisset, quid generaliter, & per se loquendo Conductori servandum sit in hoc contractu; apponit statim aliquam limitationem in casu speciali, *alterius ad locandum solicitantis* oblata mercede, & quidem non quarumcunque rerum, sed certarum (ut sunt *vestimenta, argentum, jumentum* &c.) quæ alias non solent esse communiter ad locationem ordinatæ; & *in his* exigit à Conductore curam Patrisfamilias *diligentissimi*, quod est solum *in casu speciali*. Ad alterum ex L. 25. R. in eo casu eum, qui locat suam operam ad res transportandas, quæ propter suam fragilitatem exigunt majorem diligentiam, & ejusmodi functionis peritiam, communiter accipere majorem mercedem, consequenter etiam teneri ad majorem diligentiam, atque ad eo tunc teneri ad præstandam culpam etiam levissimam; non autem, secus.

Similiter locator, si vitiosam rem lo- 1582
cando commisit culpam, etiam levem, & ex tali vitio conductori damnum secutum

cutum est, tenebitur Conductori ad reparationem damni exinde secuti; jura enim, quæ Conductorem obligant ad præstandam culpam etiam levem, pariter loquuntur de Locatione, ut constat ex illis à n. 1342. Cæterum pro exemplo *culpæ levis juridicæ* communiter afferuntur 1. si damnum oriatur ex pacto non observato, v. g. si locator pactus est, ne ignis in re locata accenderetur, & domus deinde ex taliigne accensa, etiam absque nova culpa, comburitur, quia sufficit culpa præcedens L. 11. §. 1. ff. h. t. ibi: *Si hoc in locatione convenit; ignem ne habeto, & habuit, tenebitur, etiamsi fortuitus casus admisit incendium; quia non debuit ignem habere.* 2. Si induxit in domum homines periculosos, unde poterat timeri destructio rei locatæ, L. 2. ibi: *mihi ita placet, ut culpam etiam eorum, quos induxit, præstet suo nomine, etsi nihil convenit, si tamen culpam in inducendis admittit, quod tales habuerit vel suos vel hospites.* 3. Si ex mora reddendi rem locatam, tempore præscripto, res periit; 4. si in utendo terminos præscriptos excessit; 5. si damno imminenti non occurrit v. g. non cavit de damno infecto, vel Locatorem non monuit L. cit. §. 2. Item prospicere debet Conductor, ne in aliquo vel jus rei, vel corpus deterius faciat, vel fieri patiatur, v. g. si permitteret præscribi servitutem.

ARTICULUS III.

An, & qualiter Successor teneatur stare Locationi Antecessoris?

1583 QUæstio 1. est, an tam hæres Locatoris, quam etiam Conductoris teneatur insistere contractui Locationis necdum ad finem perducto, sicut altero invito non possit à contractu recedere? 2. an etiam Emptor rei locatæ? 3. an Fiscus, succedens in bonis confiscatis? 4. an Fideicommissarius, si hæres gravatus fecit locationem rei Fideicommisso subjectæ? 5. an Minorennis? 6. an mulier in re dotali, locata per maritum? 7. an Prælatus Ecclesiæ, vel beneficiarius?

Ad 1. Resp. quòd sic; L. 10. C. h. t. ubi Gordianus Imperator, scribens Pomponio, *viam veritatis ignoras*, inquit, *in conductionibus non succedere hæredes Conductoris, existimans, cum (siv perpetuo conductio est) etiam ad hæredes* transmittatur: *Sive temporalis, intra tempora locationis, hæredi quoque onus contractûs incumbat*; hæres enim succedit in omnes obligationes defuncti, non alligatas personæ.

Ad 2. distinguendum est, an rem locatam emerit à Fisco? an ab alio? in 1. 1584
dicendum est affirmativè; in 2. negativè; ratio illius sumitur ex L. *ult.* ff. de jure Fisci, ibi: *Sed Colonus quidem percipere fructus debet; emptor vero pensionem ejus anni accepturus est*, & additur ratio: *ne Fiscus colono teneretur, quod ei frui non licuisset.* Secundi ex L. 9. C. h. t. ibi: *Emptorem quidem fundi necesse non est stare colono, cui prior dominus locavit, nisi ea lege emit: verum si probetur aliquo pacto, consensisse, ut in eadem conductione maneat (quamvis sine scripto) bonæfidei judicio, et, quod placuit stare cogeretur*; id quod etiam habetur L. 25. §. 1. ff. eod. ibi: *qui fundum fruendum, vel habitationem alicui locavit, si aliqua ex causa fundum, vel ædes vendat, curare debet, ut apud Emptorem quoque eadem pactione, & colono frui, & inquilino habitare liceat; alioquin prohibitus, is aget cum eo ex conducto.*

Ad 3. Resp. Si fiscus succedat univer- 1585
saliter (nimirum in universitatem bonorum) eum teneri instar hæredis, ut colligitur ex L. 2. C. ad legem Juliam de vi publica, ibi: *Tutoris tui Lege Iulia de vi privata damnati, si tertia pars bonorum Fisco vindicata est, tutelæ actionem pro ea portione adversus Fiscum dirigere*; nam successio pro oneribus portionis suæ respondet; secus, si succedat solum in re particulari; sic enim solum se habet ut successor particularis.

Ad 4. Resp. quòd non; nam hæres, gravatus tenetur, fidei commissum ad eum transmittere, cui defunctus destinavit, *sicut accepit*, sine onere; atqui accepit sine onere imposito ab hærede; ergo.

Ad 5. Resp. Quòd sic; nam quilibet tenetur stare contractui, legitimè suo nomine

mine celebrato; at quod Tutor agit pupilli, vel Minorennis nomine Curator, ex potestate sibi competente, legitimè actum est nomine pupilli, vel Minorennis; ergo; quamvis *quoad pecunias creditas* videatur poni exceptio, L. 8. ff. de administrat. Tut. ibi: *nisi debuerit.*

Ad 6. Resp. probabilius affirmari; nam maritus habet administrationem bonorum dotalium; ergo sicut pupillus tenetur stare locationi, factæ à Tutore ex potestate administrandi bona pupilli; sic uxor tenebitur stare locationi, factæ à Marito ex potestate administrandi bona dotalia; cum ratio antecedentis fundetur in jure competente his, quibus legitimè concessum est jus administrationis.

1586 Ad 7. simpliciter affirmat Haunold. tom. 4. tr. 10. c. 4. controv. 8. dub. 7. quia illis competit administratio bonorum Ecclesiæ, vel beneficii, cum quo affirmandum est sub distinctione, nimirum si Prælatus, vel Beneficiatus locavit bona Ecclesiæ non suo, sed Ecclesiæ nomine, locatione facta, prout requiritur de jure, ut exposuimus superius titulo 3. à n. 1148. sic enim contractus est validus, nempe factus à legitimo administratore; & quia ponitur celebratus nomine ipsius Ecclesiæ, ipsa Ecclesia obligatur eo stare, dum elapsum sit tempus, ad quod ex conventione porrigitur: Successor igitur, cum Ecclesiæ bonorum administrationem suscepit, tenebitur eam administrare non tantum tuendo ejus jura, sed etiam satisfaciendo illis, quibus Ecclesia legitimè obligatur; sic Abbas in c. ult. ne Prælati vices suas n. 5. & alii.

1587 Dixi 1. *non suo sed Ecclesiæ nomine*; nam in tali casu, quo Prælatus, vel Beneficiatus bona Ecclesiæ locat *nomine suo*, esto supponas locationem esse validam; non Ecclesia, sed *persona locans* obligationem contraxit; Successor autem non succedit in obligationes personales antecessoris, cum non egrediantur personam.

Dixi 2. *bona Ecclesiæ* quorum nimirum reditus non ad Prælatum, vel Beneficiatum, seu mensam ejus pertinent. Tametsi ejusmodi bona, mensæ Prælati, vel Beneficiati deputata, seu incorporata, locare possint nomine suo ad tempus jure permissum; talis tamen Locatio tacitè conditionata est, ut non extendat se ad totum tempus conventum, v. g. *ad triennium*, nisi sub hac conditione: *Si vix ero vel tale beneficium retinuero.* Prælatus enim, vel Beneficiatus habet potestatem restrictam respectu eorum bonorum, solum ad tempus vitæ; unde si ea bona intenderet obligare ultra tempus vitæ suæ, secundum quod porrigitur ultra hoc tempus, intentio (consequenter locatio) irrita foret, defectu potestatis in Locante.

Ex dictis sequitur 1. si Prælatus bona 1588
Ecclesiæ, nomine *hujus* (consequenter *administratario*) legitimè locavit ad tempus, jure permissum, & moriatur ante tempus, conventione constitutum, successorem teneri stare locationi sic factæ, dum elapsum sit tempus conventione partium definitum; secus, si locatio vel non sit facta legitimè, vel ultra tempus jure permissum; nam posterior casus est extra potestatem talis Ecclesiæ administratoris; non autem prior: ex præced. Conclusionibus; advertendum tamen; si Successor adverteret, continuationem locationis fore damnosam Ecclesiæ, & id legitime probaret eum petere posse restitutionem Ecclesiæ contra talem locationem, modo id fiat intra tempus à jure constitutum pro impetranda ejusmodi restitutione, ut colligitur ex c. 1. de in integr. restitut. c. 1. eod. in 6. sic Abb. cit. n. 5. & alii.

Sequitur 2. Successorem in beneficio 1589
simplici, non teneri stare locationi factæ ab Antecessore, qui fundum, ratione sui beneficii sibi assignatum, pro certa pensione annua elocavit, *sine consensu Ordinarii*; esto tempus locationis (quo antecessor decessit) nondum sit finitum; nam neque Parochus potest, sine consensu, & auctoritate Episcopi, elocare ad longum tempus fundum, sibi deputatum ad mensam; quod maxime procedit, si locatio sit etiam ultra tempus vitæ; nam quoad hoc etiam alio titulo non valet. Advertendum quoque, distinguendum esse inter *jus*, & *Commodi-*

tatem rei, quæ locatur; nam solius *commoditatis* locatio, secluſa fraude, fieri potest, etiam ultra triennium, & tempus cæteroquin locationi rerum Ecclesiasticarum præscriptum juxta dict. à n. 1257.

Quia vero contingere potest, quod Prælatus, vel alius Beneficiatus fecerit locationem bonorum Ecclesiæ, prout jure permissa est, & tempore locationi præfixo necdum elapso decedat, nec in locationis instrumento expressum sit, num *suo*, vel *Ecclesiæ nomine* locatio facta sit; & successor dubitet, an antecessoris locationi stare teneatur, resolutione illius dubitationis pendente à dicta quæstione, ideo inquiri potest, quid in tali casu resolvendum? &c. Si antecessor non habuit administrationem, locationem esse tantum personalem; nam talis eo ipso non potest *nomine Ecclesiæ* locare; ergo solum *nomine suo*, & solum ad tempus vitæ; si autem habuit administrationem bonorum Ecclesiæ; sed in instrumento locationis non fit mentio, quod fecerit cum authoritate legitimi superioris, ubi hæc de jure requiritur; censenda sit solum personalis; ne scil. in dubio dicatur actus nullus, qui aliquo sensu valere potest.

1590 Difficultas est de illo casu, quo res Ecclesiæ (prædia v. g. spectantia ad Ecclesiam) à Colonis per complures annos, 60. 80. & amplius possidentur, tanquam bona in emphyteusim eis concessa, quin vel extet instrumentum concessionis; vel, si extet, ritè doceat de tali concessione, legitime facta? cum enim sæpe contingat, quod novi successores in tali Ecclesia reperiant proprietatem, ac dominium directum bonorum illorum spectare ad suam Ecclesiam; & dubitent, an tali locationi, per antecessores factæ, teneantur stare etiam deinceps? an possint licitè revocare? præsertim, si judicent, revocationem Ecclesiæ futuram commodiorem? merito quæri potest, quid in tali casu sit resolvendum? difficultas enim exinde nascitur, quod instrumentum, ut ponit casus, super eo contractu nullum extet; aut, si extet, solum exprimat, contractum factum; non tamen, an jure? an cum authoritate legitimi superioris? an solum ad tempus jure permissum? &c.

Ante resol. suppon. quod Canonicus, prædium Ecclesiæ, perpetuo locare non possit (inconsultis aliis ejusdem Ecclesiæ Fratribus, seu Canonicis) jure nimirum, & authoritate propria, secluſis aliis de jure requisitis ad validam ejusmodi locationem, quæ in jure reputatur alienatio, ut constat ex c. *ad audientiam.* 9. de reb. Eccles. non alien. Nam jure suo nihil potest circa res Ecclesiæ suæ, authoritate propria, quo ea gravaretur ultra dies vitæ ejus; quod etiam dicendum de Parochis, & aliis Beneficiatis. Unde, si in casu quæstionis propositæ constare posset ex instrumento, locationem illam factam esse auctoritate solius Parochi, & Beneficiati (cum in perpetuum tales locationes facere de jure non valeant) constaret de vitio locationis, & possessione Locatarii, malæ fidei, saltem præsumptæ; consequenter à successore revocari posset; quin Locatarios juvaret tanti temporis possessio, dum constat de vitio tituli. 1591

Si autem ex instrumento nihil constaret, nisi de locatione *facta in perpetuum*, quin scire possit, an jure? an cum solennitatibus requisitis? & locatarii constanter persolvissent pensionem annuam, & hoc per tempus immemoriale; videtur pronuntiandum pro Locatariis contra successorem volentem revocare locationem; ratio videtur ex eo, quia videntur se tueri posse completa legitimè præscriptione contra Ecclesiam; possessio enim ponitur penes illos interrupta per tempus immemoriale per 60. & plures annos, quod tempus sufficit ad præscribendum contra Ecclesias Romana inferiores, c. *Illud* 8. de præscript. Deinde fuit cum titulo saltem colorato, de cujus vitio nihil constet; fuit *cum bona fide.* 1. quia non poterant, nec debebant credere, se ab Ecclesia, aut ejus administratore deceptos esse, concedendo locationem, quam jure facere non possent; 2. quia illam esse legitimam sibi rectè persvadere poterant eo, quod in tot annorum visitationibus Ecclesiarum, quæ factæ sunt per ordinarios, imperturbata manserit eorum possessio, sciente, & patiente illo, qui contradi- 1592

dicere poterat, & debebat, si non fuisset legitima: ergo.

1591 1593 Demum, & illud quæri potest, an validæ habeantur Locationes bonorum Ecclesiæ ad plures annos, sed anticipatis solutionibus pensionum in præjudicium successorum? ad hanc quæstionem respondetur à Trid. sess. 25. de Reform. c. 11. ibi: *magnam Ecclesiis perniciem afferre solet, cum earum bona, repræsentata pecunia, in successorum præjudicium aliis locantur: omnes igitur hæ locationes, si anticipatis solutionibus fiant, nullatenus in præjudicium successorum validæ intelligantur, quocunque indulto, aut privilegio non obstante; nec hujusmodi locationes in Romana Curia, vel extra eam, confirmentur.*

ARTICULUS IV.

De actionibus Locatori, & Conductori competentibus.

1592 1594 AD hanc quæstionem respondetur in princip. Instit. h. t. ibi: *& competit Locatori quidem locati actio; Conductori vero, conducti.* Deinde L. 17. C. eodem ibi: *Præses Provinciæ ea, quæ ex locatione debentur, exsolvi sine mora curabit, non ignarus, ex locato, & conducto actionem, cum sit bonæ fidei post moram usuras legitimas admittere.* Ex dictis juribus habetur, quod actio *locati*, quam diximus competere Locatori, ac ejus hæredi contra conductorem, & ejus hæredes, principaliter tendat, ut merces, seu pensio una cum usuris post moram solvatur. Deinde, ut, si res locata sit reddita deterior, reficiatur, & damna secuta persolvantur, ut habetur ex L. 29. C. h. t. ibi: *Cum Conductorem, ædificia, quæ suscepit integra, destruxisse proponis; hæc etiam hæredes ejus præses Provinciæ instaurare, ædificiorum inter vos habita ratione,* jubebit.

1595 Præter actionem *locati*, Locatori, adversus conductorem, nolentem restituere rem locatam, conceditur quoque utilissimum juris remedium, de quo agitur L. 10. C. unde vi, & brevius refertur L. 34. C. Locati, ibi: *Conducto-*

ctores alienarum rerum, seu alienam cujuslibet rei possessionem precario detinentes, seu hæredes eorum; si non eam dominis, recuperare volentibus, restituerint; sed litem, usque ad definitivam sententiam exspectaverint, non solum rem locatam, sed etiam æstimationem ejus victrici parti, ad similitudinem invasoris alienæ possessionis, præbere compellantur.

Eidem etiam conceditur actio *Serviana*, 1596 de qua §. 7. Instit. de actionib. ibi: *Serviana autem experitur quis de rebus coloni, quæ pignoris jure pro mercedibus fundi ei tenentur.* Sed in controversia est, an ad hoc, ut res Conductoris *illatæ in conductum prædium rusticum* censeatur Locatori esse oppignoratæ, requiratur expressa conventio? ante resolutionem distinguendum est, inter *prædium Vrbanum*, & *rusticum*; not. autem nomine *prædii Vrbani* venire omne ædificium habitandi gratia confectum, sive *in Vrbe*, sive *in villa*, sive alibi constructum sit: horti etiam, gratia domorum, ac recreationis consiti, domibusque annexi, inter prædia urbana recensentur, L. *Vrbana prædia*. ff. de verb. signific. nomine, *prædii rustici*, quodcunque urbanum non est, v. g. horreum, ager, stabulum, quæ ab ædificiis, causa habitandi constructis, separata sunt; sic Pereyra in Elucidario. l. 2. Elucidat. 5. sect. 4. n. 701. de stabulis tamen, quæ non sunt in continentibus ædificiis, quorum prædiorum ea numero sint habenda, dubitari potest? & quidem urbanorum sine dubio non sunt, cum à cæteris ædificiis separata sint; quod ad causam tamen talis pignoris pertinet, non multum ab urbanis prædiis differunt; ut habetur L. 4. ff. in quibus causis pignus tacite contrah. §. 1. quibus positis;

Quæstio est, *an, si prædium urbanum* 1597 *sit locatum, quæcunque in illud à Conductore sunt inducta, Locatori tacite hypothecata sint?* Rz. quod sic. 1. ex L. 5. C. h. t. ibi: *Certi juris est, ea, quæ voluntate dominorum coloni in fundum conductum induxerint, pignoris jure dominis prædiorum teneri; quando autem domus locatur; non est necessaria in rebus inductis, vel illatis scientia Domini; nam ea quoque pignoris loco tenentur;* Deinde ex L. 3. ff. ex quibus causis pignus tacitè contraha-

tur: ibi: *Si horreum fuit conductum, vel diversorium, vel area, tacitam conventionem, de invectis, illatis, etiam in his, locum habere, verius est*; & L. 4. *eo jure utimur, ut quæ in prædia urbana inducta, illata sunt, pignori esse credantur, quasi id tacite convenerit: in rusticis prædiis contra observatur*: quæ postrema verba accipiunt aliqui solum de his, quæ ignorante domino sunt inducta.

1598 Not. autem 1. hæc intelligi de rebus illatis *eo animo*, ut stabiliter ibi sint; esto postea mutato animo rursum auferantur, ut dicitur L. 7. §. 1. ff. in quibus causis, ibi: *videndum est, ne non omnia illata, vel inducta, sed ea sola, quæ, ut ibi sint, illata fuerint, pignori sint, quod magis est.*

Not. 2. quæ diximus, quod illata prædio, pignori sint locatori, loco pensionis, etiam procedere, pro deteriore ratione, id, quod colligitur de prædiis tam rusticis, quam urbanis, L. 2. ff. de actionibus, & L. 4. ff. de pactis.

Not. 3. hoc non procedere *de rebus alienis prædio illatis*, nisi id factum sit sciente, ac permittente Domino; in fraudem Locatoris, ut cederet esse Creditoris, exinde credens se securitatem habere pensionis. Cæterum L. 6. ff. de pignorib. habetur; quod obligatione generali rerum; *quod quis habuit, habiturusve sit*, ea non continebuntur, quæ verisimile est, *quemquam specialiter non fuisse obligaturum*; *ut puta, supellex*; *item vestis*; *relinquenda est debitori, & ex mancipiis, quæ in eo usu habebit, ut certum sit, eum pignori daturum non fuisse*; proinde de ministeriis ejus, *perquam ei necessariis, vel quæ ad affectionem ejus pertineant*; in quibus tamen spectanda erit consuetudo locorum.

QUÆSTIO XIX.

IN TITULUM XIX. DE RERUM PERMUTATIONE.

COntractui emptionis & venditionis subjectum esse titulum de Locato & conducto diximus propterea, quod cum illo magnam habeat affinitatem; & quoniam idem contingit etiam in rerum permutatione; eidem etiam post contractum Locationis subjungitur iste; de quo non tantum in decretalibus, sed etiam in sexto, & Clementinis agitur. Quamvis autem ejus materia sit amplissima, de iis duntaxat in præsenti dicemus, quæ cum primis pertinent ad permutationem earum rerum, de quibus potissimum in foro Ecclesiastico decernitur.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit rerum permutatio?

PErmutatio, juxta Sylvestrum V. *eod.* 1599
1. n. 1. est commune contractibus nominatis, & innominatis; definitur: *unius rei pro alia vicaria præstatio*, vel *vicaria præstatione mutatio*; nam teste Azorio tom. 3. l. 7. de permutatione c. 1. sumitur dupliciter; 1. *late*, prout comprehendit omnes contractus, qui fiunt mercede, vel pretio, sive dominium transferatur, sive ususfructus, vel possessio; 2. *presse*, quatenus est specialis contractus, quo una res certæ speciei, cum alia certæ, & determinatæ speciei commutatur; debent igitur hæc observari,

vari, ut semper ex utraque parte detur res certa *specie*, & ex neutra detur *pecunia*; si enim ex aliqua parte detur *res incerta*, seu *indeterminata*, fiet contractus *innominatus*; si ex utraque parte detur *pecunia*, fiet cambium: Si ex altera tantum, fiet emptio, inter quam, & permutationem datur multiplex similitudo; 1. quia utraque est contractus bonæ fidei; 2. ex utraque oritur conditio usucapiendi; 3. ex utraque præstatur evictio; 4. ex utraque datur actio redhibitoria; 5. in utraque potest evenire deceptio ultra dimidium justi pretii: Differunt tamen 1. quia emptio perficitur solo consensu; at permutatio non nisi interventu rei traditæ: 2. quia in emptione res datur pro pretio; at in permutatione datur res pro re: 3. quia in permutatione datur actio, quæ condictio ob causam, vel actio, quæ in jure vocatur præscriptis verbis: at non in emptione.

1600 Ex hoc deducitur 1. permutationem aliam esse sumptam generaliter, ac late, aliam sumptam specialiter, & strictè; 2. quod priori modo sumpta complectatur omnes contractus, non quidem gratuitos, sed respectivos, seu reciprocos, tam nominatos, quam innominatos, in quibus aliquid vicissim, seu ultro, citroque datur, fit, aut promittitur in compensationem, seu commutationem pro alio: & in hoc sensu permutatio comprehendit etiam venditionem, in qua pecunia pro re; & locationem, in qua res, sive usus rei, aut operarum alicujus pro certa mercede commutatur: & Societatem, item mutuum, in quo pecunia, vel alia res functionem recipiens (ut triticum &c.) pro alia ejusdem generis, & qualitatis commutatur; & cambium, in quo pecunia pro pecunia, v. g. aurea pro argentea, vel pecunia in uno loco pro alia solvenda in alio loco commutatur, & sic de cæteris contractibus reciprocis; si vero sumatur strictè, supponit pro eo contractu, in quo una res pro alia commutatur, prout res contra distinguitur à pretio, & facto, ut equus pro bove; vel equus, pro equo; triticum pro vivo; & ut sic permutatio est contractus distinctus à contractibus nominatis, & innominatis, prout ex dicendis magis patebit.

Permutationem strictè sumptam Doctores communiter annumerant contractibus innominatis; Sed ex eo dubitari potest, an bene? cum revera nomen habeat speciale; dicunt tamen habere quidem *nomen*, *sed perquam generale*, sicut est nomen: *commercium, negotium*, applicabile aliis contractibus, habentibus adhuc ulterius speciale nomen à jure impositum; facit præterea, quod nomen *commutationis* sit adeo commune, ut inde justitia commutativa, in contractibus observanda, derivetur, quamvis nomen permutationis *specialiter* acceptæ (qua commutatur res cum re) non significet quamcunque commutationem, & hoc sensu dicatur contractus juris gentium, ac bonæ fidei, quæ re perficitur, dum unus aliquid dat, ut aliud recipiat. 1601

Complures igitur contractum permutationis distinguunt à contractu *do*, *ut des*; non distingui tamen alii sentiunt 1. ex L. 5. §. 1. ff. de præscr. verb. ubi hoc clarissimè supponitur, dum dicitur, quod, quando datur res pro re, non sit *venditio*, sed *permutatio*; & quod hæc permutatio sit contractus *Do*, *ut des*, statim subjungitur his verbis: explicitus est articulus: *Do ut des*; Deinde, quia in L. 7. C. de rer. permut. Inter permutationes exempli loco ponitur *datio frumenti pro oleo*. Ex eo autem, quod res aliena vendi possit cum obligatione præstandi evictionem, non rectè sequitur, contractum permutationis celebrari posse per traditionem rei alienæ; ratio sumitur ex L. 1. §. 3. ff. de rerum permut. ubi Jurisconsultus, ex eo, quod iste contractus non solo consensu, sed re perficiatur, infert; *ideoque Pedius ait, alienam rem dantem, nullam contrahere permutationem*; ratio desumitur ex ipso, quod est impositum ad significandam *translationem dominii*, quod confirmatur ex c. *cum venerabilis* 6. de Exceptionib. ubi habetur, quod *permutatio* inter contractus bonæ fidei computetur, nec cum alio, quam cum domino, vel cum eo, qui habebatur loco domini, legitimè valeat celebrari. 1602

1603 Præter hæc not. permutationem à venditione differre ; primo enim , ubi datur res pro re (prout contingit in permutatione strictè sumpta) non intervenit pretium pro re , ut diximus superius ; secus in contractu emptionis , & venditionis ; 2. etiam res aliena vendi potest , non permutari , ut constat ex n. præced. Unde contractus permutationis nec incipere potest traditione rei alienæ , nec absolvi , & si is, qui incipit , tradit rem alienam , nulla nascitur obligatio in altero , nisi apparens ex errore , quo sibi falso persuadet , rei dominium in se translatum esse ; 3. Contractus emptionis perficitur *solo* partium *consensu* ; permutationis autem , *re tantum*. 4. Emptor non acquirit rei dominium , antequam dederit pretium in re , vel in fide de illi venditori præstito ; in permutatione autem transfertur dominium rei traditæ alteri , etiam ante traditionem rei ab isto factam illi , ut habetur L. 1. ff. h. t. in fine , ubi dicitur , competere illi condictionem , qui ex parte sua contractum permutationis implevit , ut notat Gloss. fin. ibid. Condictio autem non datur, nisi domino , hoc est , adversus dominum , ut coll. ex L. 4. C. eod. Denique in permutatione datur actio , quæ condicto ob causam , vel actio , quæ in jure vocatur , præscriptis verbis : at non in emptione.

1604 Not. 2. permutationem in beneficiis dari , cum duo vicissim sua beneficia dimittunt , ut alter beneficium alterius obtineat ; unde à resignatione , in favorem facta , differt tanquam species à genere : *resignatio* enim illa latius patet permutatione , cum hæc sit talis resignatio, scilicet mutua , & reciproca dimissio beneficiorum, ut unius beneficium alteri concedatur.

1605 Not. 3. à permutatione parum distare *translationem* ; hæc enim est de sede ad sedem facta mutatio , ut habetur c. *mutationes* 7. q. 1. & potest definiri ; *ab una Ecclesia ad aliam facta transitio* : Sive Ecclesia , ad quam datur transitus , sit major , sive minor , sive æqualis ; in quo differt à *promotione* ; hæc enim , ut detur in beneficiario , requirit , quod fiat translatio de minori Ecclesia ad majorem ; inter utramque assignat discrimen Suarez lib. 4. de simon. c. 32. n. 4. quod permutatio fiat per modum contractûs , & ideo per se postulet , ut fiat inter duos , & ex consensu eorum, tendatque proxime ad ipsorum commodum sine Ecclesiæ incommodo: at translatio nec est contractus , nec fit per modum contractus ; & ideo per se non requirit, quod fiat inter duos : deinde per se respicit utilitatem Ecclesiæ , non translatorum.

ARTICULUS II.

Qualiter res Ecclesiasticæ permutari possint?

IN hac quæstione not. permutatione 1606
transferri dominium rerum , quæ permutantur , consequenter eâdem fieri alienationem rei , quæ cum alia permutatur ; quo posito regula est , *illarum rerum Ecclesiasticarum permutationem* regulariter *esse prohibitam , vel permissam, quarum alienatio prohibita est , vel permissa* ; qualiter autem hoc liceat , vel non liceat ? constat ex dict. tit. 13. à n. 1148. his generaliter præmissis , not. præterea ex c. ut *Commutationes* 2. h. t. commutationes rerum Ecclesiasticarum ab Antecessoribus inconsulte factas , esse à Successoribus emendandas , de quo egimus supr. à nicit. Cæterum, ut tamen res Ecclesiasticæ *permutentur* , sufficit minor causa, quam ut *vendantur* ; permutatio enim minus nocet Ecclesiæ , & sæpe illi utilior est.

Quæstio est , an Princeps rem, Eccle- 1607
siæ immobilem , acquirere possit *permutatione , si det Ecclesiæ rem meliorem , vel æqualem ?* de hoc agitur in c. *si Princeps.* t. h. t. quod est desumptum ex Concilio apud Sylvanetum celebrato , ubi dicitur : *si Princeps voluerit rem mobilem Sanctis locis præstare , & accipere ab eis aliam immobilem : eoque modo de communi voluntate permutationem contrahere ; liceat ei hoc facere , si causa rationabilis id exposcat , & res , quam præstiterit , major fuerit , vel æqualis : pragmatica sanctione super hoc promulgata.*

Ex hoc textu communiter deducunt 1608
Do-

Doctores, res Ecclesiæ, etiam immobiles, posse alienari facta *permutatione, cum principe*, daturo rem meliorem, vel æqualem. Nam in hoc puncto præsumitur evidens non tantum absentia damni, sed utilitas Ecclesiæ, tali facto, *Principis* gratia acquiri; quia solent plerumque Ecclesias defendere, & singularibus beneficiis ornare; debet tamen major pars Capituli consentire; ne fortasse res deterior offeratur à Principe, ut bene communis intellexit in præsenti; deinde, ut intelligat, Principem velle rem Ecclesiæ in suos, aut suorum usus rationabiles; non vero, ut vel ipsi Ecclesiæ, vel alicui injuste noceat; id enim textus significat, cum *causæ rationabilis mentionem* facit, satisque censuit, auth. *de non alienan.* & auth. *sed & permutare.* C. de sacrosanct. Eccles. unde desumptus est textus dicti c. 1. Nec, quod de Principe hoc loco dicitur, extendi debet ad ipsos Ecclesiæ Prælatos; unde cum in c. *si quis.* 56. 12. q. 2. dicitur: *Si quis quâlibet conditione, de rebus Ecclesiæ aliquid alienare præsumpserit, si de suo proprio tantum Ecclesiæ contulerit, quantum visus est abstulisse*, tum demum illud licebit, (ut communiter exponunt Doctores) *de fructibus* ex rebus Ecclesiæ; non de *ipsis bonis*, ut notatur apud Barbos. in dict. c. 1. n. 3. Unde, si Princeps velit ampliare suum palatium, vel hortum construere, & Ecclesia habeat vicinum prædium, vel castrum munitioni opportunum adversus hostium incursus, potest illud prædium, vel castrum commutari, pro alio prædio, vel castro majoris, vel saltem æqualis valoris, propter necessitatem, aut commoditatem Principis, tametsi ex illa commutatione Ecclesia non majorem utilitatem percipiat, modo nullum damnum inde incurrat; ratio est, quia merita Principis erga Ecclesias, & honor ipsi debitus, exigere videntur, ut justæ ipsius petitioni satisfiat, si absque Ecclesiæ incommodo, seu damno fieri possit. Verumtamen necessarium est, ut in hac commutatione interveniant etiam aliæ juris solennitates, videlicet tractatus Capituli, consensus, & auctoritas Superioris, ut tradit Joan. Andr. hic n. 3. contra Hostiens.

Quæstio 2. est, quis hoc loco veniat nomine *Principis*, de quo legitime verificetur textus? respondet Layman apud Pirhing h. t. n. 7. licet alias in jure, *nomine Principis*, solus Imperator, vel Rex, aut alius, qui nullum Superiorem recognoscit, intelligi debeat; posse tamen hoc extendi etiam *ad alios magnos Ecclesiæ Patronos, ac Fundatores*; quia, cum talis permutatio non sit coacta, sed petita ex rationabili causa, nec in damnum cedat Ecclesiæ, hoc ipso censeri debet, eam utilem esse; quia fit propter honorem Patroni valde potentis, & de Ecclesia multum meriti, & ad majorem ejus benevolentiam conciliandam. Cæterum *Princeps* proprie significat caput politicum, nimirum primum, seu præcipuum in aliqua re. 1609

Quid veniat nomine *Principis* in Clem. 1. de Bapt. ut possit *baptizari in domo propria?* exponit Suarez de bapt. D. 30. sect. 2. his verbis: *Glossa late disputat; quisnam nomine Principis comprehendatur? & concludit illa voce* plus videri significari, quam nomine *Ducis*, vel *Marchionis*; quod videtur verum, inquit Pereyra in Elucidar. n. 298. quando hi non sunt supremi, sed sub Regibus constituti; solum igitur videntur posse uti hoc privilegio Reges, vel alii supremi, qui ferè Regibus æquiparantur. Cæterum Tamburinus lib. 2. de bapt. c. 2. §. 3. n. 7. extendit ad omnes Regum descendentes per lineam rectam, in quibus splendor regius conservatur. In Ecclesiasticis, *Princeps* vocatur Papa. de consec. dist. 1. vocatur interdum etiam Episcopus c. *si quis.* de major. & obed. imo, & alius Judex Ecclesiasticus c. *definiunt* 17. q. 4. in secularibus, nomine *Principis* venit Imperator c. *ad Apostolicæ.* in prin. de re judic. in 6. venit etiam Rex. c. *unico* de sacra unct. c. *veniens.* de accusat. & c. *Innotuit*, de elect. quamvis aliquando distinguantur Reges à principibus tanquam majores; Clement. *unic.* de baptism., sic Pereyra cit. 1610

De *servis Ecclesiæ*, seu *mancipiis*, non fugitivis, c. *Injustum.* 4. h. t. constitutum est, ne redigantur in servitutem secularium; secus vero, de fugitivis; quod etiam habetur in c. *mancipia.* 3. cod. 1611

eod. ubi tamen fit limitatio, ut intelligatur, ne etiam donatione dentur secularibus, nisi apud hos evadant libera, ut habetur cit. c. 3. ibi: *non debent per donationem, vel commodationem iterum in servitutem secularem redigi*; hoc autem intellige, de illis servis, & mancipiis, juxta cit. c. 4. quæ fideles Deo, & Sanctis ejus, pro remedio animarum suarum obtulerunt, & consecrârunt; ratio redditur; quia *quod semel Deo consecratum est, ad humanos* (id est seculares) *usus transferri non decet*, prout statuitur in c. *Mancipia.* 3. & ibi Gloss. V. *ad humanos* h. t. secus est de servis fugitivis, ut habetur 12. q. 2. c. *Fugitivi* 54. ibi: *fugitivi domos suas, aut familias deserentes, qui, etiamsi revocati fuerint, non possunt teneri, simili ratione ab Episcopo, si voluerit, aut si ita illi meruerint, distrahantur.*

ARTICULUS III.

An, & qualiter Ecclesiæ, vel beneficia possint permutari?

1612 PErmutatio beneficiorum, ut tradit Azor p. 2. Instit. moral. l. 7. c. 29. q. 1. *& reciproca beneficiorum resignatio, per quam duo Clerici sua beneficia sic dimittunt, ut quisque suum alteri cedat, & Cessionarii beneficium recipiat*; quæstio est, an hæc Ecclesiarum, seu beneficiorum permutatio validè, ac licitè fieri possit? ratio dubitandi esse potest 1. quia beneficium *vendi* non potest; ergo nec *permutari*. 2. quia res Spiritualis commutari non potest pro re temporali c. *Exhibita.* 9. h. t. ergo nec beneficium cum beneficio; illud enim importat jus spirituale, saltem annexivè; &, quod redditur, est quid temporale, nimirum possessiones alterius beneficii, quod permutans recipit: sed, dicendum, *permutationes Ecclesiarum, cum debitis conditionibus, regulariter, validè, ac licitè fieri*, ut constat ex c. *ad quæstiones*, 6. h. t. quod est octavum, apud Gonzalez.

1613 Cum enim ad Clementem III. delatum esset, quod Superiores duarum Conventualium Ecclesiarum, in una Diœcesi constitutarum, quarum utrâque Parochialem haberet Ecclesiam, magis alteri, quam sibi vicinam, desiderarent, eas permutare; altera vero illarum *respectu meliorum proventuum* plus abundet, & ideo sibi postulet adjici *certam summam pecuniæ numeratæ*, ut sic ad æqualitatem permutationis valerent pervenire; dubitaretur autem, *an id licite fieret?* respondit Pontifex: quod, *cum de dictis parœcialib⁹ Ecclesiis per se queat commutatio celebrari, & in permutatione possessionum, per se non sit inhibitum*, (ratione possessionum) *alteri præponderet, pecuniam posse refundi, de ipsarum possessionis ad invicem, prout visum fuerit expedire, refusa certæ pecuniæ quantitate poterit contractus permutationis iniri, sic tamen, quod illi contractus nequaquam sibi invicem misceantur*; ubi Rubrica notat, *textum agere de Ecclesiis, quas permutantes habent jure proprietatis.* Ex hoc autem textu apertè habetur, permutationes Ecclesiarum, vel beneficiorum validè, ac licitè celebrari, ibi: *Cum de dictis Ecclesiis parochialibus per se queat permutatio celebrari.*

Dixi, *cum debitis conditionibus*; prima est, quod permutantes habeant *jus in beneficio permutando*; nam alienum nemo permutare potest, ut colligitur ex c. *cum venerabilis.* 6. de excep. ibi: *cum permutatio inter contractus bonæ fidei computetur, nec cum alio, quam cum domino, vel cum eo, qui habebatur loco domini, legitimè valeat celebrari*: & ita tenet Rebuffus in praxi benefic. de permutat. n. 9. Garcia de benefic. p. 11. c. 4. n. 19. Quare Clericus, permutans beneficium, in quo non habet jus (ut si obtinuit per Simoniam, vel sine vero titulo) nulliter permutat, nempe rem non suam, quod verum est, licet Ordinarius approbet eam permutationem, ignarus vitii, & cuivis alterius beneficium conferat; quia non confert libere, sed causa permutationis, quæ irrita est; sic Azor p. 3. l. 7. c. 29. q. 19. 1614

Altera est, ut quilibet permutantium beneficium resignandum *prius resignet in manu sui legitimi superioris, cui subjectum est tale beneficium*; prout traditur in c. *unico* h. t. in 6. ubi Bonifacius VIII. Biterensi Episcopo sic scribit: licet in tua 1615

Diœ-

Diœcesi aliqui, auctoritate Apostolica, beneficia proxime vacatura exspectent: illos tamen, qui secundum formam juris sua beneficia in eadem Diœcesi, ad tuam collationem spectantia, *permutare volentes, libere, ac sine fraude in manibus tuis ipsa resignant*; nolumus occasione præmissa (æquitatem præferentes in hac parte rigori) circa faciendam permutationem beneficiorum hujusmodi (quæ alias minime resignassent) ullatenus impediri: ubi tamen nota, quòd, si *permutatio beneficiorum* completa sit ex una parte, & per alteram fiat, quo minus impleatur; partem alteram restitui ad suum beneficium; ratio redditur in c. *cum universorum.* 8. h. t. quia *deceptis, non decipientibus, jura subveniunt; unde, licet ipsi* (nimirum G. & J. Clerici) *per se, de jure non possint Ecclesiastica beneficia permutare; ut tamen simplicitati venia tribuatur: mandamus, quatenus, si constiterit, prætaxatum G. taliter fuisse deceptum, amoto à præbenda sua consanguineo* ipsius L. vel quolibet alio illicito detentore, eam restitui faciatis eidem; sic Innocentius III. Archiepiscopo, & Præposito Colonienſi; quo confirmatur, quod diximus supra, permutationem beneficiorum, *sine Ordinarii assensu*, privata Clericorum authoritate, non posse fieri; si tamen fieret, vel unius simpliciter, vel decep.ione alterius, in ejusmodi casu, prout alias de jure posset, deceptum non privari beneficio, de quo plura dedimus l. 1. tit. 9. de Renuntiat.

1616 Si autem in dato casu permutatio legitimè facta (nimirum de consensu Episcopi) ex parte unius impleta est, non tamen ex parte alterius, ille posset jure ad suum beneficium redire; quia sic permutatio, per ipsum facta, (utpote conditionata, *si & alter contractum impleat*) nulla foret, adeoque relinqueret rem in statu, quo ante erat; sed ante hanc permutationem poterat ille remanere in suo beneficio; ergo etiam post hanc permutationem, quantumvis legitimam, ab illo impletam, sed non ab altero. Hoc quidem communiter admittitur, sed sub controversia est, an ille, qui beneficium legitimè resignavit in manu sui superioris, atque adeo contractum ex parte sua adimplevit, authoritate propria possit redire ad suum beneficium, quando alter contractum non implet? an indigeat nova collatione? hoc postremum affirmant Abbas, Rebuffus, Barbosa, & Zoësius, quos sequitur Pirhing h. t. n. 16. dicens horum opinionem probabiliorum.

Ratio ipsorum est, quia per resigna- 1617
tionem factam, licet ex causa permutationis, beneficium resignatum verè vacat; cum possit post resignationem alteri conferri, ut colligitur ex Clement. *unic.* h. t. ergo, cum resignans titulum beneficii resignati ex causa permutationis amiserit, non potest, propria auctoritate, illud denuo occupare, citra vitium intrusionis; alioquin incurreret pœnam decretam, in c. *Eum, qui*, 18. de præbend. in 6. 2. quia non obstat, quod videatur facta resignatio sub conditione, si & alter permutans resignet suum beneficium: nam ea conditio non tam est suspensiva, quam devolutiva, & tacitè inest, quæ non facit actum simpliciter conditionalem, neque ejus effectum suspendit, L. *Conditiones* 99. ff. de condit. & demonst. adeoque non impedit, quo minus resignatio habeat suum effectum, ita, ut jus, seu quasi dominium transferatur in alterum, quamvis decepto jus suum sit restituendum per Judicem.

Confirmatur ex L. 1. §. fin. ff. h. t. u- 1618
bi habetur, quod, si unus, permutationis causa, tradidit rem suam alteri, alter vero nolit vicissim rem suam tradere, non vindicationi rei sit locus, (quia per traditionem dominium est translatum) sed condictioni, quasi re non secuta, quæ supponit dominium rei traditæ esse translatum in accipientem; cum nemo rem suam possit *condicere*, §. *sic itaque* Instit. de action.

Negativam vero (nimirum in dato 1619
casu, *non esse opus nova collatione*) sequitur Glossa in dict. c. *Universarum*, V. *simplicitati*; Lessius L. 2. de Just. c. 34. n. 195. Azor cit. c. 29. q. 21. Parisius de Resignat. benefic. q. 14. à n. 12. & alii; ratio eorum est, quia renuntiatio beneficii non fuit absolutè, & simpliciter facta: sed limitatè, ac *dependenter ab effectu permutationis*; ergo, eo non se-

cuto sine culpa resignantis, idem censetur, acsi resignatio facta non esset, eaque nihil operatur defectu necessariæ conditionis; confirmatur ex c. *si beneficia*, 20. de præbend. in 6. ibi: *si beneficia, quæ per sedem Apostolicam conferuntur, aut decreto interposito reservantur, interdum contingat ab iis, ad quos alias pertinet collatio eorundem, aliquibus hujusmodi collationem, seu reservationem ignorantibus, de facto conferri, & beneficia, quæ illi tenebant antea, & post prædictorum adeptionem dimissa, per alios assignari; ne talis ignorantia eis* (cum sint sine culpa) *præjudicialis existat*: statuimus, *ut, si ipsi de collatione, seu reservatione prædicta, postea certiores effecti, sublata difficultate quacunque omnino dimiserint: beneficia sic sibi de facto collata, ad beneficia sua priora* (*collatione quibuscunque personis facta* de ipsis, *nequaquam obstante*) *libere revertantur. Alioquin redeundi ad ea* (si difficultatem adhibuerint in aliis dimittendis) *sit ipsis penitus interdicta facultas; eundem quoque modum in dimittendo recepta, & recuperando dimissa, quoad omnes alios, qui forsan, occasione prædicta, sua dimiserint beneficia: & dimissa per alios fuerint assecuti, per omnia decernimus observandum*; ubi Barbosa ad V. *ad beneficia priora*, notat, quod permutans beneficium possit redire ad suum, altero sibi evicto, ut per Rebuff. in tract. de pacific. possess. n. 290.

1620 Neque obstant rationes in contrarium; nam esto beneficium per resignationem, etiam ex causa permutationis, verè vacet, & alteri conferri possit, *si resignatio pura sit*; secùs tamen est, *si conditionalis*, & conditio non impleta; nec in hoc quicquam operatur c. *Eum, qui.* 18. de præbend. in 6. hoc enim agit de pœnis eorum, qui *scienter*, ac *injustè* se intrudunt in beneficium; at talis, qui permutatione, à se quidem, sed non ab altero impleta, redit ad suum beneficium, non intrudit se ad illud *injustè*, sed redit ad suum jus, cui solum renuntiavit sub conditione tacita, quâ, non impleta, ipso facto renuntiatio resoluta est, & non extinctum in illo; hæc enim est natura conditionis, quæ tacitè inest, ut diximus l. 4. tit. 5. ergo.

Ad 2. R. concedendo, quod tacita illa conditio, *si & alter resignet suum beneficium*, insit tacitè renunciationi causa permutationis, & non suspendat, ut diximus l. 1. tit. 5. de condit. appos. à n. 775. (ubi egimus de conditionibus tacitis, ac specialibus; de quibus universaliter diximus, quod earum natura talis sit, ut ipsis subsistentibus subsistat dispositio, vel contractus; & deficiat, ipsis deficientibus) hoc tamen intelligendum est, si talis conditio non exprimatur *alio modo*, *quam insit*; cum ergo casus ponat, *quod alter non resignet*, consequenter tacita conditio deficiat, pariter deficiet, consequenter nulla erit, renuntiatio causa permutationis, sic autem impedit renuntiationis effectum; nam non entis, sicut non sunt qualitates, sic non sunt effectus; unde nullum jus translatum est in eum, qui non resignat, ex tali permutatione; *aliud est*, hanc conditionem: *sic etiam alter resignet*, tacite in esse renunciationi causa permutationis; *aliud*, si etiam alter *resignaverit*; quidcunque dicatur, conditio ista, *quod etiam alter resignet, vel resignabit*, in quantum tacite inest (consequenter non suspendit) non inest tacite, nisi quod alterutrum de præsenti verum sit, & hoc modo, si subsistit veritas, subsistet renunciatio; secus, si non. 1621

Ad confirm. R. L. 1. §. *fin.* sic habere: *igitur ex altera parte, traditione facta, si alter rem nolit tradere, non in hoc agemus, ut interest nostra, illam rem accepisse, de qua convenit; sed ut res contra nobis reddatur, condictioni locus est, quasi re non secutâ*; ubi nota, in hoc textu agi de permutatione impleta ex parte unius, non alterius. 2. implenti non concedi *vindicationem*, sed *condictionem*, ut scilicet etiam alter ex parte sua impleat. 3. non negari vindicationem beneficii, quod implens tradidit, propterea, quod ejus dominium in alterum transiverit; sed, beneficii, quod alter vicissim tradere debuit; non igitur conceditur *condictio* beneficii *per implentem traditi* (quod non bene supponit argumentum) sed *beneficii per alterum*, qui non implevit, *tradendi*; quo fit, quod implens condictione utatur, non *re sua*, 1622

sed

sed solum *sibi debitæ* suppositâ traditione sua.

1623 Responderi potest 2. N. in dict. L. 1. §. fin. (de qua n. 1618.) dici, quod, si unus, permutationis causa, tradidit rem suam alteri, alter vero nolit rem suam tradere, non sit locus vindicationi, *quia per traditionem dominium est translatum*; nam *de hac causali* nec verbum est in ea lege, cujus formalia verba retulimus n. priori: ex pluribus enim capitibus in hoc casu negari potuit *vindicatio* rei traditæ; pro cujus explicatione not. 1. quod *conditio* (ut tradit Justinianus in §. *Appellamus.* Instit. de actionib.) significet omnem *actionem in personam*, & hæc significatio ex eo provenit, quod olim, qui *in personam* agebant, adversario denuntiabant, ut certo die judicio adesset. Cæterum per L. *actionem.* 35. ff. de obligat. & act. *condictio* semper est dicta *actio in personam*, cum eo discrimine, quod olim ea observabatur solennitas, ut certis verborum formulis, qui personaliter erat obligatus, soleret admoneri, denunciato die, quo aut solvendum, aut in judicio sistendum illi esset; hodie vero non adhibetur hæc curiosa solennitas; rem tamen ipsam imitari debemus juxta Cujacium l. 5. observ. 31.

1624 Not. 2. quod, quamvis apud Cajum in L. *si pignore*, §. *Cum furti.* ff. de furtis, in hoc conveniat *vindicatio*, & *condictio*, quod utraque tendat immediate, vel mediate *ad rei recuperationem*; tamen in hoc discrepet, quod *omnis condictio* est actio immediatè in personam; & *omnis vindicatio* est immediate actio in rem L. 25. ff. de oblig. & act. §. *appellamus.* Instit. de act. itaque non eæ tantum actiones, quibus *rem nostram esse*, sed & quibus pignori *obligatam nobis esse* intendimus, vindicationes appellantur; quibus positis: dicendum in ea lege parti, quæ, quantum erat ex parte sua per traditionem rei, contractum implevit, non ideo negari *actionem in rem*, seu vindicationem rei traditæ, quia jam *pure* erat sub dominio alterius (cum traditio fuerit solum sub conditione, quæ purificata non est) sed ideo, quod, ubi obligatio est ex contractu super aliqua re vicissim tradenda, lex vult intentari actionem in personam, seu condictionem ob causam dati, cum & hæc mediate tendat ad rei datæ reparationem; immediate autem in personam ad rei permutatæ reciprocam traditionem; non igitur is, qui contractum ex sua parte implevit, exutus est dominio rei traditæ, nisi facta reciproca traditione, quæ in dato casu deficit.

Tertia conditio est, quod, post- 1625
quam ambo sua beneficia, causa permutationis, resignarunt in manu legitimi superioris, & resignatio admissa est, cuique fiat collatio illius beneficii, quod alter causa permutationis cedit, sic tamen, ut *non alteri, quam permutanti* ea fiat; nam sub hoc vel modo, vel conditione renuntiatio, causa permutationis, facta ponitur & habetur in Clement. *unic.* h. t. ubi Clemens V. *ne concessione juris utentibus*, inquit, *præsertim circa spiritualia illudatur, si quæ beneficia ex causa permutationis ab aliquibus resignata, aliis, quam ipsis permutare volentibus conferantur, nullius hoc esse volumus firmitatis.*

Circa istam Clementinam not. 1. ex 1626
Covar. l. 1. variar. c. 5. quod ante definitionem in textu hujus Clementinæ, jure veteri compertum fuerit, Prælatum, apud quem est facta renunciatio ex causa permutationis, ex summo juris rigore, secluså æquitate, ita potuisse libere conferre beneficium Ecclesiasticum, cui renunciatum fuerat, sicuti si ex simplici renunciatione vacaret; nunc autem eam facultatem per dispositionem hujus Clementinæ sublatam esse, *ut collatio beneficiis* (causa permutationis resignatis) facta, *aliis, quam ipsis permutare volentibus, non teneat.*

Not. 2. Episcopum posse beneficii re- 1627
signationem acceptare, quamvis beneficii resignati collatio pertineat ad alium, v. g. ad Pontificem, ut notat Glossa in dict. Clement. V. *Conferantur*, & Sanchez de matr. l. 8. D. 22. n. 2. quod verum est, licet sint reservata, nam reservatio non cadit in *admissionem resignationis*; sed *in provisionem* factam ab alio, quam eo, cui reservatum est beneficium, sic Flaminius de Resign. l. 7. q. 14. n. 6. quare non videtur posse admitti, quod beneficia permutationis causa resignata, *verè vacent* (nisi uterque re-

signaverit resignatione per legitimum superiorem admissa) eo , quod titulus , & possessio per talem resignationem sint abdicata , sicut per simplicem renunciationem , ut vult Pirhing h. t. n. 18. id deducens ex c. *unico*. h. t. in 6. nam hoc non dicitur in hoc c. prout clare constat ex ejus verbis,ibi : *licet in tua Diœcesi aliqui auctoritate Apostolica beneficia proxime vocatura exspectent : illos tamen , qui , secundum formam juris , sua beneficia in eadem Diœcesi , ad tuam collationem spectantia , permutare volentes , liberè , ac sine fraude in manibus tuis ipsa resignant , nolumus occasione præmissa* (æquitatem præferentes in hac parte rigori) *circa faciendam permutationem beneficiorum hujusmodi* (quæ alias minime resignassent) *ullatenus impediri* ; nam in hoc textu aliud non habetur , quam *quod non obstantibus exspectativis beneficiorum permutatio fieri possit.*

1628 Quarta conditio est ad licitam beneficiorum permutationem , quod *fiat interveniente authoritate Episcopi* , seu legitimi superioris Ecclesiastici ; ratio sumitur ex c. *quæsitum* , 5. h. t. ubi cuidam quærenti , an commutationes fieri valeant præbendarum? cum commutatio dignitatum in Turonensi fuerit Concilio interdicta ; sunt enim quidam , qui præbendæ suæ cedunt ; & juri renuntiant , ut majorem præbendam obtineant , vel ex hoc certam summam pecuniæ consequantur , quod quidem est honestati contrarium,& simoniacam procul dubio continet pravitatem : Urbanus III. *generaliter*, inquit, *teneas, quod commutationes præbendarum de jure fieri non possint* , præsertim pactione præmissa , quæ circa spiritualia , vel annexa spiritualibus labem semper continet simoniæ ; *Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam , licite poterit de uno loco ad alium transferre personas , ut , quæ in uno loco minus utiles sunt , alibi se valeant utilius exercere.*

1629 Deinde in c. *Cum olim.* eod. dicitur , *quod beneficia perdant , qui ea propria commutant authoritate* ; ex his juribus deducitur communiter hæc regula : quòd *permutatio præbendæ* , seu beneficii , *facta irrequisito proprio Prælato, nulla sit , imo , qui permutavit propria auauctoritate , privetur beneficio ita permutato.* Probant eam textus in c. *Majoribus*. 8. de præbend. c. *unic.* h. t. in 6. Clement. *unic.* h. t. nam olim , juxta antiquos canones , non reperitur , licuisse beneficiariis , beneficium Ecclesiasticum habentibus , propriam Ecclesiam deserere , ad aliamque se transferre ; aut Ecclesiæ , cui mancipati fuerint per ordinationem , renuntiare irrequisito proprio Episcopo : unde juri consentaneum est, ut privata auctoritate non possint Beneficarii proprias Ecclesias deserere,& alias acquirere.

Secundo , quia talis permutatio fieri 1630
non potest sine reciproca renunciatione , quæ inconsulto proprio Episcopo fieri nequit ex rationibus congestis in c. *admonet* , de renunc. igitur per consequens non poterit fieri permutatio ; accedit etiam , quod , cum beneficium non possit absque institutione canonica obtineri (c. 1. cum vulgatis de reg. jur. in 6.) & partes non possint sibi invicem institutionem facere , sequitur necessario , permutationem ab ipsis factam propria auctoritate , nullius esse momenti ; tandem facit , quod permutatio rei alienæ , nulla est , L. 1. §. ult. ff. de rerum permut. at beneficiarii non sunt domini beneficiorum , sed tantum usufructuarii , seu oeconomi , c. *Cæterum.* de donat. igitur non possunt propria auctoritate ipsa beneficia permutare.

Ex his deducitur , auctoritate Episco- 1631
pi permutationes beneficiorum fieri posse ; & appellatione *Episcopi* , in hac materia , comprehendi quemlibet , qui habet auctoritatem , seu jurisdictionem *quasi Episcopalem*, consequenter & hunc resignationes beneficiorum , & permutationes admittere posse , ut tradit Suarez l. 4. de simon. c. 32. n. 14. Gibalinus de simon. tr. 4. q. 14. consect. 8. nam quotiescunque aliquid competit *Episcopo*, ratione *jurisdictionis* , non vero *ordinis* , id peragi potest ab aliis, qui eandem jurisdictionem exercent; nec interest , quod *institutio* beneficiorum ad aliquem spectet , veluti Archidiaconum, vel alium similem ; nam adhuc permutatio facienda est coram ipso Episcopo,

non

non vero coram eo, ad quem institutio spectat: ratio est, quia auctoritas Episcopi non desideratur, ut *institutionem* in ipsis beneficiis faciat; sed, ut agnoscat, an justa causa subsit in ipsa permutatione? & an simoniæ labes interveniat? quare alius, quam Episcopus, seu qui jurisdictionem quasi Episcopalem exercet, non potest auctoritatem simili permutationi præstare, ut defendit Gibalinus dict. consectario. 7. n. 6.

1632 Dices: beneficia Ecclesiastica, tam præbendæ, quam dignitates, permutari jure possunt, c. *Cum venerabilis.* 6. de except. c. *Inter.* 18. de præbend. ergo non rectè in præsenti talis permutatio improbatur. Deinde res spiritualis cum spirituali permutari potest c. *super eo*, de transact. c. *fin. l.* ubi dicemus h. t. ergo, cum beneficium permutatur cum beneficio, quia res spiritualis datur pro spirituali, non est ratio cur improbetur talis permutatio; 3. labes simoniæ non committitur, nisi pro re spirituali detur temporalis. c. *qui studet.* 1. q. 1. & c. *Salvator* 1. q. 3. Sed in permutatione beneficiorum, quamvis adsit pactum, nihil temporale intercedit: ergo non est ratio, quare improbetur.

R. Ad 1. & 2. non tantum spirituale cum spirituali, sed etiam beneficium cum beneficio permutari posse, sed cum assensu legitimi superioris, ut constat à n. 1628. non autem secus; nec aliud velle jura in object. cit.

Ad 3. R. Non tantum ipsum actum simoniacum, sed ipsum quoque periculum ejus, interdici; in permutationibus autem, quæ fiunt non auctoritate Episcopi, sed privatorum pacto prævio, communiter periculum est actus simoniaci (nimirum cedendi beneficium intuitu lucri temporalis; & ideo, ut constet, quod tale periculum non interveniat, merito exigitur Episcopalis authoritatis interventio, cujus est causas permutationum cognoscere, & approbare, vel reprobare) ergo.

1633 Præter dicta not. 1. permutationem beneficiorum posse dupliciter intelligi 1. si fiat solum permutatio *personarum*, puta, si Episcopus Parochum v. g. Lincensem transferat ad parochiam Passaviensem, & Passaviensem ad Lincensem. 2. Si fiat permutatio *rerum*, ipsorum nimirum beneficiorum, seu juris spiritualis cum spirituali, & annexorum. De sola permutatione personarum hic non agimus; cum potius sit translatio, de qua egimus l. 1. tit. 7. De ipsorum igitur beneficiorum permutatione hoc titulo tractatur, & de hac dicitur, fieri non posse propria permutantium authoritate, quando beneficium habent solum in titulum; quia sic quilibet eorum reciperet novum beneficium sine canonica institutione, contra reg. 1. de regul. jur. in 6.

Not. 2. nec titulos præbendarum, nec 1634
ipsas præbendas, sine consensu Episcopi; posse permutari; non præbendas, seu jus percipiendi reditus temporales; nam retento titulo, in quo fundatur præbenda, hoc ipso etiam retinetur præbenda; sed tituli sine consensu Episcopi à Beneficiatis permutari non possunt sua privatorum authoritate; nemo enim titulum beneficii obtinere potest sine Canonica institutione, quam privatorum authoritas præstare non valet; ergo.

Not. 3. permutantibus beneficia, so- 1635
lum sua privatorum authoritate, atque adeo sine consensu superioris legitimi, constitutam esse pœnam amissionis beneficii, ut habetur in c. *Cum olim.* 7. h. t. Nam postquam S. & B. Archidiaconatum, & Præposituram inter se commutassent, idque prædictus S. ab initio fuisset confessus, B. illud prorsus inficiante, & asserente, se, post Præposituram ab S. assignatam, Archidiaconatum fuisse assecutum; Pontifex, cui constabat, quod ipse quoque B. suum permutationi præstiterit consensum; & illum, Præpositura; & hunc, Archidiaconatu, per sententiam definitivam spoliavit.

Not. 4. per illa verba: (*Magister* 1636
suum publice fateretur errorem) significari causam pœnæ, à Pontifice in dictos permutantes decretæ; error enim fuit in eo, quod isti propria authoritate non solum tractarunt de permutatione beneficii; sed etiam absque authoritate Superioris illam voluerunt complere,

sicut solet fieri in permutatione rerum profanarum; quia igitur de utroque ingessit in beneficio alterius contra c. *fin.* de Instit. c. *qualiter*. de Elect. & c. *per vestras*, de jure Patron: utrumque Pontifex judicavit privandum; etsi vero Panormitanus putet n. 4. tam gravem ignorantiam vix cadere in aliquem, fuisse tamen in hoc ab istis erratum, satis apparet ex textu: neque novum est ex ambitione, aut temeritate in talibus errare.

1637 Not. 5. in quæstione, an amissio beneficiorum in dato casu incurratur ipso jure? an solum post Judicis sententiam? primam partem affirmari à Suarez l. 4. de simon. c. 57. n. 41. Garcia de benefic. p. 11. c. 4. n. 59. propter Extravag. 2. de simon. inter communes. Contrarium autem à Lessio l. 2. c. 35. n. 100. & Layman l. 4. summæ, tr. 10. c. ult. §. 5. q. 4. & hoc videtur deduci ex dict. c. *cum olim*. ibi: *hunc Præpositura, & illum Archidiaconatu curavimus spoliari*; in Extravagante autem citata solum dicitur, talem permutationem *omnino viribus carere*, sic ut nullum jus in ejusmodi beneficiis acquiratur.

1638 Not. 6. permutationem beneficiorum, ut sit legitima, exigere, quod fiat *ex justa causa*, *per Episcopum cognita, & probata*, quæ relate ad Ecclesiam est necessitas, vel utilitas saltem indirecte; cum sufficiat, esto causa tendat directè in commodum Beneficiati, ut si tali loco illi noxia sit aëris intemperies, vel Parochianorum aversio &c. sic Azor p. 2. l. 7. c. 30. q. 4. & alii; intervenire tamen etiam debet consensus requisitus eorum, ad quos pertinet jus eligendi, conferendi, vel præsentandi ad tale beneficium, ut notat Glossa in c. *unicum*, h. t. in 6. V. *Collationem*; ne scilicet præjudicetur juri aliorum, quorum interest; secus enim, ad eorum instantiam, *saltem* rescindi poterit; dixi *requisitus*; nam, si sine justa causa consensum recusarent, Episcopo judicante, permutationem juste, ac rationabiliter peti, etiam non obtento eorum consensu permutationem admittere posset; jus enim eorum non extendit se ad actum non rationabilem; sic Azor cit.

ARTICULUS IV.

An qualibet beneficia permutari possint?

CUm ex dictis constet, quod requiratur ad hoc, ut Clericus beneficium, quod obtinet, permutare possit, ipsum in eo habere jus in re; sequitur illum, qui hoc jure destitutus est, non posse beneficium permutare. Cæterum jura, quæ, cum permutationem beneficiorum cum debitis conditionibus, de quibus dictum est, concedunt, non distinguunt inter beneficia validè, ac licitè permutabilia, sed indefinitè loquuntur, ut notat Suarez l. 4. de simonia, c. 34. à n. 1. & alii: Prima dubitatio esse potest, an *unum* beneficium *pro pluribus* permutari possit? 2. an etiam *inæqualia*? 3. an beneficia, quorum quis *possessionem* nondum obtinuit? 4. an beneficia *manualia*? 5. an *commendata*? 6. an *pensio* pro pensione? 7. an pensio cum beneficio? 8. an beneficia *unita* alicui Ecclesiæ, vel monasterio? 9. an beneficia *reservata* Papæ? 10. an *litigiosa*? 11. an beneficium cum alio jure spirituali? 12. an beneficiorum permutatio fieri possit non obstantibus gratiis exspectativis? 1639

Ad 1. R. quod sic, si ea sint compatibilia; nam pluralitas beneficiorum, si scilicet in eodem subjecto se compatiantur, vel in eorum concursu in eandem personam ordinarius dispensare possit, non vitiat ullo jure permutationem; secus dicendum est, si habens plura id obtineret sola dispensatione Papæ; jus enim, quod Titius accepit ex *Papali dispensatione*, suo ipse jure transferre non potest in alium, etiam cum consensu Ordinarii, quia concessum est *personæ*. 1640

Ad 2. R. Quod sic, sive inæqualitas sit in eo, quod unum sit *simplex*, alterum *qualificatum*; sive, quod unum sit pinguius altero; nam permutatio fit solum in titulo, cui contingens est, quod diversa sint in qualitatibus, vel aliis accessoriis. Sed hoc accipiendum est juxta dicenda hic à n. 1648. 1641

Ad

Ad 3. R. Quod sic, modo habeat jus in re, &, si collationem sibi factam acceptavit, esto nondum missus sit in possessionem; secus, si haberet solum jus ad beneficium, seu jus in spe; nam hoc solum est personale; secus jus in re, unde in secundo permutaret quis alienum, non autem in primo.

1642 Ad 4. R. Posse permutari *manualia inter se*; quia tametsi jus, quod ejusmodi beneficiati habent in suo beneficio, non sit perpetuum, sed ad nutum removibile, est tamen jus in re; secus est, si manuale permutaretur cum non manuali; nam permutans non manuale transferret jus perpetuum in eum, qui cedit jus solum ad nutum tollibile per eum, qui constituit; & hoc authoritate privata; nullus autem beneficiatus jure suo potest alteri constituere titulum perpetuum in beneficio sine nova provisione, seu canonica institutione.

1643 Ad 5. not. si commenda sit perpetua, & in titulum, Commendatario competere jus reale in beneficio, secus si tantum sit temporalis; quo posito: R. permutari posse priora; non autem, solum temporaliter commendata, nisi authoritate ejus, qui commendavit: Commendatarii enim, qui beneficia commendata habent in titulum perpetuum, obtinent eo ipso jus reale beneficii, consequenter non permutarent alienum; secus, qui habent solum temporaliter, nisi tale jus concedat is, qui commendavit; sic Azor cit. p. 2. l. 7. c. 29. q. 11.

1644 Ad 6. R. Non posse authoritate Episcopi; nam ordinariis *infra Papam* non conceditur approbatio pactorum circa spiritualia, etiam solum annexivè talia, nisi, ubi contingit permutatio beneficiorum; qua concessione derogatur juri communi generaliter prohibenti omnem pactionem in beneficiis, & juribus spiritualibus; non igitur extendi potest ad permutationes *pensionum*; cum hæ non sint proprie beneficia Ecclesiastica; ita Suarez cit. lib. 4. de simon. c. 33. à n. 4. aliud est, si pensio erecta foret in titulum beneficii; tum enim esset vere beneficium; non autem, secus, ex quo constat ad 7.

1645 Ad 8. R. Distinguendum esse inter beneficia unita alicui Ecclesiæ, Monasterio, vel beneficio; primo enim fieri non potest permutatio ante unionem, quæ nondum sortita est effectum; sic enim impediret unionis effectum, quod, quia cederet in detrimentum Ecclesiæ, cui uniendum erat, fieri non potest à Rectore Ecclesiæ, Monasterii, vel beneficii, cui uniendum erat; sic Azor cit. c. 29. q. 7. nisi consentiret is, cujus potestate facta est unio: Secundò, fieri non potest, unione jam sortita effectum, ut tradit Azor cit. quod videtur procedere, si unione facta sit extinctus titulus, & nomen beneficii uniti; quia tali casu fieret permutatio *non beneficii* cum beneficio, quod, ut dictum est superius, fieri non potest: secus tamen probabiliter dicendum foret, si adhuc retineret titulum, & nomen beneficii, qualiter id contingit in unione beneficiorum *æque principali*, si taliter unitum cum alio similiter unito permutaretur propter rationem oppositam, id quod tenere videtur Garcia de benefic. p. 11. c. 4. n. 26.

Ad 9. R. negativè; nam beneficia 1646
permutata, permutatione semel à legitimo superiore admissa, per ordinarium Collatorem conferri debent *permutantibus*; at hoc ille præstare nequit, ubi beneficia sunt reservata Papæ; ergo. Ma. est ex dictis min. ex n. 522. V. tamen hic in seqq.

Ad 10. R. beneficium *litigiosum* non posse permutari cum *non litigioso*; sic enim ille disponeret cum præjudicio alterius collitigantis, & re, de qua dubium est, num res, seu beneficium illud sit suum, an alienum? & quia permutatio, ut diximus n. 1644. quæ sit jure ordinariorum solum permissa est *inter beneficia*; per ordinarium admitti non potest permutatio beneficii *cum alio jure spirituali*, quod non est beneficium, v. g. cum Patronatu &c. ita Suarez cit. c. 31. à n. 14. & ex hoc liquet responsio ad 11.

Ad 12. R. Affirmativè ex c. *Licet*, u- 1647
nico. h. t. in 6. ubi Bonifacius VIII. scribens ad Episcopum Biterrensem, *licet*, inquit, *aliqui Apostolica* potestate beneficia proxime vacatura exspectent; illos tamen, qui secundum formam juris be-

beneficia, ad collationem Episcopi spectantia, permutare volentes, liberè in manibus illius ipsa resignant, *non vult pontifex* (æquitatem præferens rigori) *circa permutationem beneficiorum hujusmodi, quæ alias minime resignassent, impediri:* Sed hoc intelligendum venit seclusa fraude; nam eo casu non censeretur *vacans* causa permutationis. Ex hujus c. decisione deducitur, quod reservatio *generalis* in favorem exspectantium non comprehendat ex æquitate beneficia, *vacantia per commutationem legitimè factam*; ne scilicet per interdictum auferatur alicui libertas legitima disponendi de rebus suis modo honesto, licito, & debito, ut tradit Flores de Mena l. 1. Variar. q. 13. n. 20.

1648 Dubitatio. 13. est, an, & qua ratione permutari possint beneficia *inæqualia*, supplendo defectum dando pecuniam, vel aliud pretio æstimabile? Circa præsentem quæstionem habetur aliquid in c. *Ad quæstiones* 6. h. t. Cum enim duæ Ecclesiæ Conventuales desiderarent permutare possessiones, magis uni, quam alteri vicinas, & altera propter meliores proventus postularet sibi adjici certam summam pecuniæ, consultus Clemens III. an id liceret? respondit: cum permutatio ejusmodi per se possit fieri, neque sit indebitum, si altera vi possessionum alteri præponderat, pecuniam refundi, prout visum fuerit expedire refusa certa pecuniæ quantitate posse contractum ejusmodi permutationis fieri; sic tamen, ut illi contractus inter se nequaquam misceantur.

1649 Ex hac Clementis responsione deducitur, Ecclesiam, vel præbendam pinguiorem non posse permutari absolutè, cum tenuiori vel minus pingui, interveniente pecunia ex parte tenuiori, ne videatur aliquid temporale dari pro re spirituali; sed, debere adhiberi cautelam, quam suggerit iste, ut temporale non detur propter spirituali, sed *propter excessum temporalitatis* istique duo contractus permutationis videlicet *juris spiritualis cum spirituali* & alter *adjecta pecuniæ pro excessu reddituum temporalium* inter se non commisceantur, non solum animo, sed neque verbis.

1650 Verum hæc res difficultate non caret propter satis clarum periculum simoniæ; nam si beneficium minus cum pecunia datur pro majori, difficulter negari poterit, in his terminis non dari *pecuniam pro ipso beneficio*, quod est jus administrandi spiritualia, & percipiendi temporalia propter illud, nec alterum ab altero separatur; qui enim pro fructibus, vel bonis temporalibus beneficii, qui absque spirituali titulo comparari non possunt, pecuniam dat, utrumque necessario comparare intendit eo pretio, ac per consequens simoniam committit; nam qui vult subsequens, vult necessario antecedens, sine quo illud non existit, L. *ad rem mobilem.* ff. de procurat. cum adductis per Polit. de substit. tit. de compendiosa n. 4. & per Mantic. de conject. ultim. volunt. lib. 4. tit. 1. n. 16.

1651 Censent autem prædicti authores per hoc nihil fieri contra textum c. *ad quæstiones*; atque adeo neque contra decisionem Clementis III. in eo contentam; quia ibi Ecclesiæ non permutantur in titulum, sed quoad proprietatem; quo casu, cum jus spirituale nullum fuisset permutatum, nil mirum, si reddita pecunia ad æqualitatem diversus contractus circa possessiones fieri potuisset; pro quibus facit, quod hic textus agat de Ecclesiis, quas habebant Abbates Conventuales, sicque erant suis monasteriis unitæ; constat autem in perpetuis Ecclesiarum unionibus, quæ monasteriis, aut aliis dignitatibus fiunt, vel titulum beneficii uniti penitus extingui, ita, ut nihil aliud, quam sola proprietas reddituum, & bonorum temporalium amplius consideretur, prout resolvunt Zabarella in comment. unic. q. 8. de Sequestrat. possess. Rota decis. 219. in novis.

1652 Censent 2. idem dicendum, ubi unio ita facta est, ut perpetuus vicarius in beneficiis unitis relinquatur, prout jure fieri debet, ut per textum in c. *de Monachis*, & in c. *Extirpanda.* §. *qui vero.* de præbend. Concil. Trid. sess. 7. de reform. c. 7. & hoc etiam casu temporalia tantum transferuntur, & jus spirituale penes vicarium perpetuum manet; sicque quocunque modo in specie hujus tex-

textus Ecclesiæ fuerint unitæ, apud Abbates, quasi res temporales erant, ac proinde licitum fuit sub ea forma pecuniam dare; quemadmodum licebit partem fructuum unius beneficii, seu locum Parochiæ cum altera simili parte commutare data pecunia, eo quod res temporales tantummodo æstimantur.

1653 Sed his non obstantibus, dicendum, permutationes beneficiorum inæqualium, validè, licitèque fieri etiam data pecunia, ubi hæc non datur in compensationem excessus, quo unum beneficium excedit alterum *in qualitate spirituali, sed solum in fructibus, & reditibus temporalibus*; quia sic nulla intercedit simonia, modo absit fraus, & intentio prava, qua dans pecuniam quæreret revera *spiritualiter dignius*; *& alter pecuniam*; quod Clemens cautum voluit illis verbis, *sic tamen ut illi contractus inter se nequaquam misceantur*. Quare negandum est, in tali casu pecuniam non posse dari, nisi pro ipso beneficio; nam licet fructus unius beneficii comparari non possint ab alio absque spirituali titulo; hoc tamen fieri potest, quod quis acquirat jus eorum fructuum titulo spiritualis ministerii *non empto, aut pecunia comparato*; sed, *titulo collationis, supposita* resignatione in manibus Episcopi admittentis permutationem temporalium; cum enim, supposita utriusque resignatione, utrumque vacet, ut diximus, sic tamen, ut unius beneficium alteri permutantium conferatur; & vicissim, collatione juris spiritualis, seu tituli, consequenter acquirit etiam jus temporalium redituum non obtinendum, nisi fieret æqualitas compensatione per pecuniam, ut tollatur id, quo alterum deficit.

1654 Verum est, quod jus ministerii spiritualis præsupponatur ad jus temporalium redituum; sed ex hoc, quod horum defectus pecunia compensetur, non sequitur, pecuniam dari pro illo; alias, quando quis emit villam, cui annexum est jus Patronatûs, dando pretium pro villa, quanti hæc valet, eo ipso etiam daret pretium pro jure Patronatus, adeoque hoc nec indirecte emi posset, contra communem; unde sicut emens talem villam non committit simoniam, quia jus Patronatûs, etsi annexum illi, non venit ullo modo etiam indirectè in appretiationem, cum, ut suppono, titulo annexi patronatûs non augeatur pretium villæ; sic dando pecuniam pro temporalibus reditibus beneficii, in hoc excedentis alterum, non committetur simonia; quia jus spirituale illis annexum non venit ullo modo etiam indirectè in appretiationem, cum, ut suppono, titulo annexi juris spiritualis non augeatur pretium temporalium; de hoc videri possunt etiam ea, quæ tradimus lib. 5. tit. 5. à n. 495. & ex his facilè solvi poterunt, quæ opposita sunt superius in contrarium.

ARTICULUS V.

De reliquis ad hunc titulum pertinentibus.

1655 QUæstio 1. est, qui possint admittere renunciationes beneficiorum causa permutationis? R. De hac quæstione à nobis actum esse lib. 1. tit. 9. à n. 2068. ubi 1. diximus, quot modis fieri possit renunciatio? & specialiter à n. 2069. de quadruplici renunciatione conditionata? 2. quæ beneficia possint, vel non possint renuntiari? 3. qui? 4. ex qua causa? 5. quis jure valeat renuntiationes admittere? Cum primis autem conditionatas, atque adeo etiam causa permutationis? de quibus ibid. V. dicta à n. 2089.

1656 Altera quæstio est, an, & qualiter intelligendum veniat, quod commutationes præbendarum, præsertim cum pactione præmissa, quæ sit circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem simoniæ contineant? R. Ad hoc constare ex lib. 5. tit. 3. de simonia, à n. 491. Qualiter autem contingat renuntiationem, sub conditione coram ordinario factam, esse, vel non esse simoniacam, præsertim sub ea conditione, ut *huic, vel illi* conferatur, constat ex ibid. dict. à n. 503. & n. 506. ubi egimus de reciprocis beneficiorum resignationibus: de renuntiatione autem confidentiali à n. 512.

1657 Tertia quæstio est, an jus Spirituale (v. g. percipiendi decimas Clericales) permutari possit pro pretio, vel alio temporali pretio æstimabili? R. negativè ex c. ***Exhibita***, ult. h. t. Cum enim causa inter conventum S. Martini de Pannonia, & Præpositum Alban. vertente super quibusdam decimationibus, dictæ partes in Capellanum Papæ, & Magistrum M. utrinque, tanquam in arbitros, compromisissent, illique arbitrati fuissent, *si Præpositus obtin. ret* 10000. *solidorum* à Rege Hungariæ concedi dicto monasterio, illos à petitione decimationum cessare debere; Gregorius IX. summus Pontifex mandavit, si constiterit de promissis (*cum permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur*) *prædictum arbitrium, & quidquid inde secutum est, irritum decerni.* Ratio hujus est, quia cum tale jus decimandi sit spirituale, non recipit æstimationem; quamvis possint fructus decimarum locari; sunt enim quiddam temporale: quando autem fit pactum in perpetuum, tum videtur initum *super ipso jure* decimandi, quod est spirituale, ideoque censetur prohibitum, ut hic, & c. *omnes decimæ*, 16. q. 7.

1658 Dices: Arbitri, sicut etiam Judices, in lite beneficiaria possunt uni litigantium adjudicare beneficium, eumque gravare, ut pro bono pacis pecuniam parti alteri persolvat juxta c. *nisi essent* 21. de præbend. ergo pronuntiatum illorum Arbitrorum non continebat labem Simoniæ; Consequenter non erat improbandum, atque adeo pactum de spirituali dando pro temporali, & vicissim, non est invalidum. Sed ad hoc respondimus lib. 1. tit. 36. de Transactionibus. Quare not. nec transactionem, propriè dictam, fieri posse super spiritualibus, qua pro his in compensationem detur aliquid temporale, quia aperte contineret Simoniam: *secus*, dictam impropriè, sumendo illam pro amicabili compositione partium, quo casu, ubi jus litigantium dubium est, dupliciter dari potest temporale uni ab altero; primo si unus alteri cedat totum jus suum, si quod sibi competeret, & alter, ut deinceps in pace vivant, vel alio fine honesto, sine respectu, & animo, vel pacto prævio compensandi jus cessum, offerret aliquid temporale; 2. si animo compensationis in utroque casu; si neutri appareat jus quæsitum, simoniam contineret; & ideo dixi: Si jus litigantium dubium est, utroque illud contendente sibi competere; aliud est, si uni jus esset quæsitum, & ab alio in eo inquietaretur; & in hoc casu videtur procedere c. *Nisi essent*; tum enim temporale non daretur pro beneficio, sed pro bono pacis, seu cessatione litis, amore concordiæ: quod vero dicitur in c. *Exhibita*, id non licere, intelligitur, ubi neutri parti erat jus quæsitum, sed utrinque dubium; & ideo datum temporale, ut alter colligitans cedat jus dubium, infectum erat simonia, consequenter invalidum.

1659 Ex hoc deducitur, cum jus decimandi (quod competit ex titulo Clericali) non possit permutari cum re temporali, multo minus posse vendi; quod etiam dicendum de venditione beneficii; nam, ut dictum est, talis permutatio, vel venditio apertè contineret simoniam: secus tamen est de permutatione *rei spiritualis cum spirituali*, exceptis beneficiis, modo neutri aliquid temporale sit annexum; colligitur ex c. *Quampio.* 1. q. 2. ubi Bonifacius Pontifex negat, posse accipi aliquid ex pacto pro ingressu, & receptione ad Religionem, ubi utrumque spirituale est; quod tamen intelligendum venit extra casum necessitatis, ut habetur in textu ibi: *Verumtamen sive stræ necessitati adeo est opportunus, quem reperistis, dum tamen omnis absit pactio, omnis cesset conventio, nullaque vestræ Ecclesiæ fiat distractio, accedat, gratis Deo servire incipiat, suique regiminis devote gestet obsequium, & postmodum Vos quasi subsidii gratia, aliqua suæ Ecclesiæ munera largiri fratrum solatio Romana permittit Ecclesia.*

QUÆ-

QUÆSTIO XX.

IN TITVLVM XX. DE FEVDIS.

1660 INter alienationes rerum Ecclesiasticarum, de quarum alienationibus licitis, vel illicitis, per complures jam titulos in præcedentibus actum est, numeratur etiam contractus feudalis, & emphyteuticus, quorum utroque transfertur in Vasallum, vel Emphyteutam, dominium utile ipsius rei, quæ illis in feudum, vel emphyteusim conceditur; de utroque in præsenti, quantum attinet ad hunc titulum in sacris canonibus, dicemus.

ARTICULUS I.

De contractu Feudali.

1661 QUæstio 1. est, quid sit *feudum?* ac unde dicatur? &c. Feudum, teste Molina tom. 1. D. 10. dici à fide, seu fidelitate, quam feudatarius domino servare debet, vel à fœdere, quod inter utrumque iniri solet; verum Azor tom. 3. lib. 10. c. 1. magis probat sententiam eorum, qui dicunt *feudum* esse vocabulum Gothicum, vel Longobardicum, quod forte deducitur à Germanica voce, *fedi* quæ significat bellum, seu militiam; prædia enim bello occupata victor suis militibus fruenda tradebat, ea lege, ut eum dominum agnoscerent; seque Clientes, præstito aliquo *personali obsequio* profiterentur.

1662 Lessius l. 2. de Just. c. 24. n. 5. ex Julio Claro de Feudo, q. 4. sic feudum definit: *est concessio rei immobilis, vel æquipollentis cum translatione utilis dominii, proprietate retenta, sub onere fidelitatis, & obsequii personalis repetendi*; unde ex eo præcipue differt ab Emphyteusi, quod in hac solvatur *pensio*; in puro feudo solum *obsequium personale*: Si vero aliquando solvatur aliquid in recognitionem dominii directi, ex hac parte declinabit ad emphyteusim. Feudatarius (ut exponit Molina tom. 1. D. 10.) est ille, cui feudum conceditur, qui alio nomine *Vasallus* nuncupatur; & ex his patet ad quæst. 1.

Altera quæstio est, quotuplex sit feudum? &c. Ex variis textibus citatis per P. Azor tom. 3. l. 10. c. 1. feudum dividi 1. in *proprium*, quod conceditur simpliciter, nulla certi temporis, aut certi obsequii determinatione; & *improprium*, quando certis temporibus, & certis locis, certum obsequium, vel officium designatur; si igitur officium, quod feudatario imponitur, sit procurare res Principis, dicitur *feudum* Castaldiæ, id est *procurationis*; si officium sit, certam aliquam arcem custodire, dicitur *feudum* Guardiæ, id est, *custodiæ*. 1663

Secundo in feudum *Regale*, quod conceditur ab Imperatore, vel Pontifice Romano, vel Rege, vel saltem à Principe non recognoscente superiorem, & semper annexam habet dignitatem, ducatûs, Marchionatûs, vel Comitatus, & Similes; & *non Regale*, quod conceditur à Rege, vel quocunque alio, ita tamen, ut nullam ex prædictis dignitatibus annexam habeat. Dividitur 3. in nobile, & ignobile; *nobile* dicitur, quod suum possessorem nobilem facit, aut ostendit, & solum ab Imperatore, vel à Rege conceditur; *Ignobile*, alio nomine. 1664

Burgense est, quod à plebe, vel privatis hominibus concedi solet. Dividitur 4. in Ecclesiasticum, & seculare: *Ecclesiasticum* est, quod Ecclesia dat alteri, vel ipsa accipit ab alio, vel quod 1665

in Clericum confertur, vel quod Clericus ut talis accipit; *Seculare* est, quod à civili Principe, vel quocunque alio laico accipitur.

Dividitur 5. in reale, & personale: *Reale* dicitur, quod perpetuum est, nec ad hæredes transmittitur; *personale* extinguitur cum persona, & ad hæredes non transit.

1666 Dividitur 6. in masculinum, & fœmininum; *masculinum* est, quod solum ad mares transit; *fœmininum* est, quod etiam ad fœminas ex pacto transire potest; fœmina enim in feudum non succedit, nisi id per pactum exprimatur.

Dividitur 7. in antiquum, paternum, & novum; *antiquum* est, quod majores communis agnationis supra quartum gradum habuerunt, quales tritavus, & alii superiores.

1667 *Paternum* est, quod parentes, seu progenitores usque ad quartum gradum habuerunt, quales avus, abavus, atavus; *Novum* est, quod habet initium in persona investiti, nec à progenitorum successione transmissum fuit. *Maternum* illud vocatur, quod à fœmina, cognationis capite, descendit, & juxta Baldum iisdem regulis tractatur, quibus antiquum, & paternum:

Dividitur 8. in dividuum, & individuum; *dividuum* est, quod admittit divisionem, qualia ea, quæ dignitatem non habent; *individuum* est, quod diversionem non admittit, qualia ducatus, Marchionatus, Comitatus, & reliqua, quæ dignitatem habent.

Dividitur 9. in Ligium, & non ligium: *ligium* est, cum quis jurat domino, se fidelem futurum contra omnem hominem, nullo excepto: unde videtur sortiri nomen, à ligatione, seu legalitate: *non ligium* est, quando in juramento fidelitatis excipitur aliquis, ut qui jurat se Duci, futurum fidelem, & excipit Imperatorem, vel Regem.

1668 Præter hæc dantur quædam feuda, quæ dicuntur *franca*, seu libera, quæ scilicet possideri non possunt, nisi per *homines* Francos, hoc est *liberos*, & nobiles, vel genere, vel Regis privilegio, eosque immunes ab omni onere contributionum &c. quibus obnoxii sunt ignobiles, & plebeis; alia, quæ dicuntur *emptitia*, quod à Domino pretio comparare possint. Hoc à ratione feudi recti, & simplicis, non deficit, nisi in eo, quod gratuitum non est; emptio tamen substantiam feudi non mutat. Feudum præterea aliud est *annale*, quod conceditur sub pacto, ut annum duret; *Conditionatum* authore Zasio, idem est, atque ad certum servitium adstrictum. *Degenerans* est, non rectum, sed id, quod à vera ratione legitimi, ac recti feudi degenerat, seu deficit. Vera autem, & compendiosa ratio, seu natura *recti feudi* hæc est: quod *ex gratuito beneficio domini originem ducat; quod ad hæredes transire postulat: quod constituatur in re immobili*; quod vasallus ad incerta servitia, fidelitatis sacramento, obstringatur; quod sine culpa amitti non debeat: quod sine Domini, vel agnatorum consensu alienari non possit.

Quamvis autem *Livellus*, seu Libellus, & contractus Libellarius (ut notat Lessius l. 2. c. 24. n. 6.) passim accipiatur tum pro emphyteusi, tum pro feudo (unde communiter id, quod datur in emphyteusim, vel feudum, dicitur dari in livellum) tamen annuente Molina tom. 2. D. 471. Livellus, seu contractus Livellaticus dicitur propriè, quando emphyteuta, vel Feudatarius rem eam, quam in feudum, vel emphyteusim accepit, scilicet contractu, tradit tertio, ut sit veluti *subfeudum*, vel *subemphyteusis*. Unde *livellare* est idem, ac *subinfeudare*, hoc est primum feudum acceptum dare in feudum; vel *subemphyteuticare*, hoc est primam emphyteusim acceptam dare in emphyteusim. Et hoc potissimum tradit ex variis Authoribus Benedictus Pereyra in Elucidario, l. 2. Elucidat. 13. sect. 2. à n. 993. ad rectam notitiam terminorum in hac materia frequenter occurrentium. 1669

Not. præterea, inter species feudorum etiam numerari feudum *hæreditarium*; feudum *ex pacto*, & providentia, & *mixtum*. Hæreditarium est illud, quod vigore investituræ accipitur pro se, & hæredibus, quibuscunque 1670

tam

tam suis, quam extraneis, sed maribus; Feudum *ex pacto, & providentia* est, quando accipitur pro se, & filiis, seu liberis, nulla facta mentione *hæredum*, qua talium; in quo feudo proinde non succedunt nisi descendentes masculi; & hæc species est maxime secundum naturam feudorum, quæ communiter sanguini conceduntur: vocatur etiam *familiare*; quia in familia primi acquirentis manet; *mixtum* feudum est, quod de utroque participat, quatenus accipitur pro se, liberis, & hæredibus etiam extraneis, sed masculis tantum.

1671 Not. 2. Inter præcipuas qualitates, seu proprietates de jure, vel consuetudine requisitas ad feudum proprie dictum, ac ei ipso jure insitas communiter numerari sequentes, ut sit res immobilis, vel æquipollens; ut ejus dominium utile transeat in accipientem; directum vero maneat penes concedentem: ut ad masculos descendentes transeat, idque in perpetuum: ut fidelitas jurata præstetur domino; ut ex illo servitium personale, & indeterminatum debeatur; ut gratis concedatur; ut sine consensu Domini alienari non possit, nec sine culpa vasalli ei auferri, & similia, quæ pleraque ex definitione, seu descriptione feudi elici possunt, ut tradit Rosenthall. tract. de feud. c. 2. concl. 52. Haunold. tom. 3. tr. 9. à n. 590. & alii.

1672 Not. 3. Ex prædictis conditionibus duas tantum pertinere ad substantiam feudi, videlicet ut in feudum detur res immobilis, vel quæ talis habeatur; & ut is, qui rem in feudum accipit, fidelitatem, & obsequium domino promittat, ac præstet, sive cum juramento, sive sine illo; & consequenter, ut dominium *directum* maneat penes dominum; & *utile*, in feudatarium transeat. Reliqua vero in feudo sunt præternaturalia, ac veluti accidentalia, quæ salva feudi substantia per pactiones mutari possunt. Sic Rosenthall. cit. c. 53. Haunold. cit. n. 590. Azor p. 3. l. 10. c. 3. q. 2. & alii; quibus præmissis potissimum nostri fori est agere de feudis Ecclesiasticis; Igitur:

§. I.

Quænam bona Ecclesiastica in feudum concedi possint?

COmmunis regula est, *quæ Ecclesia alienari non possunt, nec concedi posse in feudum*; feudum enim habet rationem alienationis, & quidem magis, quam emphyteusis, ideoque difficilius in rebus Ecclesiasticis Prælato permittitur: partim, quia feudum magis ad naturam beneficii, ac donationis, accedit, ut pat. ex lib. 2. Feud. tit. 23. §. *beneficium quid sit*; & §. *imprimis*; donatio autem specialiter prohibita est Prælato, quippe non domino, sed administratori tantum Ecclesiæ, c. 2. de donat. partim, quia feudum fermè difficilius, aut tardius ad Ecclesiam revertitur, quam emphyteusis: nam feudum est jus alieno prædio in perpetuum fruendi, quod pro beneficio dominus dat, ea lege, ut qui accipit, sibi fidem, & militiæ munus, aliudve servitium exhibeat, ut colligitur ex lib. 2. feud. Qualiter autem res Ecclesiasticæ alienari possint? constat ex tit. 13. à n. 1148. præsertim concessione in feudum à n. 1240. ubi diximus, quando res in feudum ab Ecclesia *concedi solita*, rursum similiter in feudum conceditur, in hoc casu non requiri solennitates juris, modo res illa, antequam fiat hæc concessio, non sit Ecclesiæ rursum incorporata; secus si foret concessio *nova*, & non *antiquæ continuatio*; de conditionibus porro requisitis, ne dicatur *nova*, diximus à n. 1243. his positis: 1673

Prima quæstio est, quæ veniant in 1674
consequentiam rei, cujus investituram in feudum quis accipit? R. venire illa, quæ tradi deberent emptori re vendita, cujusmodi sunt ea, quæ ibi reperiuntur tanquam ordinata ad percipiendam ex illa re plenam utilitatem, seu fructum. Hinc concessa in feudum (vinea v. g. vel sylva) censetur per consequentiam quoque concessum *solum*, juxta L. 13. ff. loquentem de servitutib. prædiorum Rustic. ibi: *certo generi agrorum acquiri servitus potest, velut vineis,*

quod ea, ad solum magis, quam ad superficiem pertinet: ideo sublatis vineis servitus manebit; sed si in contrahenda servitute (idem est in constituendo feudo) aliud actum erit, doli mali exceptio est necessaria.

1675 Quæstio est 2. an, si contingat vasallum Ecclesiæ decedere sic, ut feudum redeat ad Ecclesiam, liceat Episcopo talis Ecclesiæ feudum alii dare, sive de novo infeudare, non obstante juramento non infeudandi de novo inconsulto Pontifice? ad hanc quæstionem ab Archiepiscopo Mediolanensi propositam Innocentio III. ut habetur c. *Ex parte* 2. h. t. respondit Pontifex: *in hoc casu feudum decedentis libere, si videris expedire, concedas.* Ex hoc textu communiter deducunt Doctores, Prælatum (non obstante juramento de non infeudando non vasallo) antiquum feudum absque perjurii metu posse concedere; sic Navarr. de alienat. rer. Eccles. à n. 11. & alii. Unde juramentum, de non alienando sine Papæ licentia, non continet *solita alienari*, quæ inconsulto etiam Papa alienantur; sic Navarr. cit. & Gutierez. de juram. confirm. p. 1. c. 52. n. 4. quo habetur, quod res *consueta infeudari*, potest iterum concedi in feudum sine solennitate, ut per Menochium, de Arbitr. casu 81. n. 5. cum seqq. Gonzalez. ad 8. reg. Cancell. gloss. 6. n. 194. Ut autem verificetur, *rem esse solitam in feudum concedi*, sufficere unicam concessionem ante factam cum lapsu 40. annorum tradit Jason l. 2. consil. 155. col. 2. Rebuff. de reb. Eccles. non alienand. n. 33. & alii. Ubi tamen nota, quod diximus non procedere de *nova rei concessione*, quæ scilicet prius non fuit in feudum data; sed *concessionis continuatione*, seu jam alias in feudum datæ, nec ubi prima concessio exspiravit, & res ad Ecclesiam reversa est, eidem incorporatæ, prout dictum est à n. 1240.

1676 Ex eod. c. 2. habetur 2. Prælatum Ecclesiæ (si vasallus feudum, quod habuit ab Ecclesia, *licitè* alienavit,) in eodem posse filium ipsius, vel consanguineum, feudi consortem, investire, si viderit expedire; 3. si feudum licitè alienatum sit à Vasallo, ita, ut Prælatus Ecclesiæ (à qua tale feudum pendet) non possit facile illud recuperare, posse talem Prælatum id similiter concedere Laico ea lege, ut feudum recuperet, & ab Ecclesia in feudum recognoscat; sic Innocentius III. in dict. c. *Ex parte*; quod tamen semper accipiendum, ut supra monuimus, si, postquam feudum liberatum est, & redivit ad Ecclesiam, non sit eidem *incorporatum*; quia sic jus utile, rediens ad dominum directum, consolidatur cum dominio directo; & res, prius feudo subjecta, desineret esse *feudalis*; nam tali casu, si alteri concederetur, foret *nova* concessio; nec fieri posset sine juris solennitatibus, ut diximus à n. 1240. quod etiam dicendum, si Prælatus videret illam *subinfeudationem* Eccelesiæ non expedire, ut notatur in c. *Ex parte* ibi: *si viderit expedire*; aut si obstet pactum, vel conventio inter Prælatum, & Capitulum.

Quæstio 3. est, an Vasallis liceat, in- 1677
consulto Domino directo, feudum, sibi concessum, alienare, alienatione transferente rei dominium, & proprietatem in alium? R. negativam haberi ex L. 2. feud. tit. 52. per constitutionem Lotharii Imperatoris, ibi: *decernimus, nemini licere beneficia: quæ à suis Senioribus* id est dominis directis) *habent, sine ipsorum permissione distrahere, vel aliquod commercium adversus tenorem nostræ constitutionis excogitare, per quod imperii, vel dominorum minuatur utilitas?* Deinde adjicitur pœna privationis: *Si quis vero contra hæc nostræ legis saluberrima præcepta ad hujusmodi illicitum commercium accesserit, vel aliquid in fraudem hujus legis machinari tentaverit, pretio, ac beneficio se cariturum agnoscat.* Et Friderici Imperat. tit. 55. c. 1. ibi: *Sancimus, ut nulli liceat feudum* totum, vel partem aliquam vendere, vel pignorare, vel quocunque modo *distrahere, seu alienare, vel pro anima judicare sine permissione illius Domini, ad quem feudum spectare dignoscitur.* His juribus accedit etiam ratio; quia nemo plus juris transferre potest in alterum, quam ipse habeat; sed Vasallus non habet jus proprietatis in feudo sibi concesso, cum id maneat penes dominum directum: ergo.

Circa istas constitutiones not. 1. eas 1678
procedere, si alienatio illa fiat invito do-

domino directo, ut constat ex Lotharii L. 2. ibi: *Sine ipsorum permissione*; & Friderici ibi: *Sine permissione illius domini, ad quem feudum spectare dignoscitur*; Sufficit autem, si consensus Domini ex postfacto superveniat, ut tradit Mynsinger. cent. 4. observ. 87. Deinde, loqui textum de alienatione, qua, quocunque modo, feudum distrahitur; quamvis fructus feudi ad tempus vitæ suæ possit alteri obligare. Locare autem feudum Ecclesiasticum ad tempus longum, interdictum est in Extravag. *Ambitiosæ*, de reb. Eccles. alien. non autem *commoditatem*, de quo V. dicta à n. 1257.

1679 Dixi superius n. 1677. alienatione *transferente feudi proprietatem in alium*; Unde quæstio esse potest 1. an Vasallus inconsulto domino possit feudum dare in *pignus*? 2. An sub *pignoratione omnium bonorum* veniat etiam feudum? 3. An Vasallus possit de feudo *transigere*? 4. An Domini consensus Vasallo datus pro alienatione feudi transeat etiam *ad hæredes* Vasalli?

Ad 1. R. Per se loquendo non posse alteri, quam Domino; constat 1. ex Constit. Friderici Imperat. in n. 1677. ibi: *nulli liceat vel pignorare*; Deinde ex L. 2. feud. tit. 8. ibi: *nam nec pignus, quod consultum dicitur, fieri potest ex feudo*, præsertim, cum pignus junctum sit periculo alienationis quoad proprietatem; nam in casu, quo non redimitur, pignoratario jus est illud vendendi, ut sibi ex pretio satisfaciat; dixi: *alteri, quam domino*, nam domino potest, & ita quidem, ut ille fructus non teneatur computare in sortem per c. 1. h. t.

1680 Ad 2. R. Negativè. Nam Vasallus alteri oppignorans omnia sua bona non censetur pignori subjicere alia sua bona, quam, quæ licite potest; at licet feudum veniret etiam inter bona Vasalli, ut aliqui probabiliter existimant, arg. L. 4. ff. de V. S. quia tamen feudum inconsulto Domino per se loquendo Vasallo non licet in pignus dare alteri ex n. præcedenti, oppignorando *bona omnia*, non veniet sub tali pignore etiam *feudum*.

Ad 3. Non posse, transactione possessionem in alterum transferente; nam hæc esset distractio feudi in præjudicium domini, quod n. 1677. cit. constitutionibus Vasallo prohibita est.

Ad 4. R. Probabilius negari, si feudum hæreditarium non est; talis enim consensus est stricti juris, adeoque non debet extendi ultra personam Vasalli.

Quæstio 5. est, an Vasallus, absque 1681
consensu Domini, possit feudum sibi concessum *subinfeudare*? 2. An effectus subinfeudationis differat, si sit feudi novi, vel si antiqui? 3. An subinfeudatio etiam procedat in feudis Ecclesiasticis? 4. An liceat Subinfeudatio feudi subinfeudati? 5. Quid dicendum de subinfeudatione *Ecclesiæ*? 6. An ei locus sit in feudo jurisdictionis? 7. Quid juris, & oneris consequenter Vasallus ex subinfeudatione sibi facta? 8. An pereat subinfeudatio amisso feudo?

Ante resolutionem nota, quod *sub-* 1682
infeudatio nihil aliud sit: quam actus, quo Vasallus feudum, quod habet, vel totum, vel aliquam ejus partem, alii in feudum legitime concedit; Germani vocant: **Affter-Lehen.** Nota 2. in c. 19. de decimis, ex Concilio Lateranensi desumpto, sic statutum legi: *Prohibemus, ne laici decimam cum animarum suarum periculo detinentes, in alios laicos possint aliquo modo transferre.* Si quis vero perceperit, & Ecclesiæ non reddiderit, *Christiana sepultura privetur.* Ex quo textu communiter deducunt authores, quod, si quis ejusmodi decimas habeat per modum *feudi*, non possit in illis alium infeudare; *alium*, inquam, *Laicum*, aut privatam personam; bene tamen Ecclesiam, quod conceditur c. 7. de his, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli; ibi in fine: *Sufficit consensus Episcopi, ut licitum Ecclesiæ sit decimas de manibus recipere laicorum; hoc autem de illis decimis intelligimus, quæ Laicis in feudum perpetuo sunt concessæ*: quibus positis:

Ad 1. R. posse servatis tribus condi- 1683
tionibus; 1. Si dederint sincere, absque fraude; 2. Si ejusdem conditionis personæ: 3. Si eadem lege, vel pacto. Prima conditio colligitur ex L. 2. Feud. tit. 3. §. *Sed etiam res*, ibi: *per feudum tamen cuilibet dare potest, nisi fiat in fraudem nostræ constitutionis, de non alienando*.

do. Secunda tit. 26. §. *Vasallus.* ibi: *in feudum tamen recte dari potest, dum tamen militi detur*, & §. *similiter* tit. 34. ibi: *in feudum tamen recte dabit, si secunda persona sit talis, quæ feudo servire possit, ut si das miles sit, & ille, qui accipit feudum, inveniatur miles.* Tertia eod. §. *Vasallus*, paulo post, ibi: *Profecto ille, qui suum beneficium alii dat in feudum, non debet alia lege dare, nisi, qua ipse habeat*: Ut, si habeat sibi, suisque hæredibus (quod intelligi debet de solis masculis) non debet aliis dare, ut habeat ipse, & sui hæredes masculi, & fœminæ. Hæc tamen intellige, quando Vasallus non accepit feudum ea lege, ut ei proprio corpore insistat. Cœterum, esto constitutione Friderici Cœsaris Vasallo prohibita sit *omnis* alienatio feudi inconsulto Domino; non tamen intelligitur de subinfeudatione; quia non est proprie alienatio, seu translatio juris feudalis in subfeudatarium, cum extinctione oneris in subinfeudante; cum adhuc maneat Vasallus, & obstrictus ad onera feudi, quantumvis alteri subinfeudati.

1684 Ad 2. R. Esse hoc discrimen, quod, si feudum sit *antiquum*, mortuo Vasallo subinfeudante, per eos, qui jure vocantur in Successionem, possit feudum avocari à Subinfeudatario; Cum resoluto jure dantis, resolvatur jus accipientis, per L. 31. ff. de Pignorib. si autem feudum sit *novum*, & hæredes Vasalli subinfeudantis non velint, aut jure non valeant succedere in feudum, posse retineri ab eo, apud quem subinfeudatum est, si Domino directo præstare velit onera tali feudo imposita; nam iste subinfeudationis effectus est, ut dicemus n. 1687.

1685 Ad 3. R. Quod sic; cum jure Ecclesiastico nihil in contrarium dispositum sit extra casum, quem n. 1682. retulimus ex c. 19. de Decimis.

Ad 4. R. Quod sic, secluſa consuetudine, conventione, vel statuto restringente solum ad certum numerum generationum, vel personarum, prout constat ex §. *similiter* relato superius n. 1683. ibi: *& ut hoc dare liceat usque in infinitum.*

Ad 5. R. Ecclesiam, alicui concessam in feudum, non posse subinfeudari, ex L. 2. feud. tit. 13. §. *Si Clientulus.* ibi: *Inde præsumi potest, si Clientulus fecerit libellum in perpetuum de feudo suo alicui Ecclesiæ, non valet*: Ideo scilicet, quia nunquam reversurum sit ad Dominum, cum Ecclesia non desinat esse hæres; quod observandum est, & in privato ex natura perpetui libelli.

Ad 6. communiter affirmatur, si Vasallus habeat feudum, intra, vel extra curtem Domini, modo sit in territorio, quod subjacet jurisdictioni domini directi, quia jura non distinguunt; per *curtem* autem Domini intelligitur ejus Curia, ut notat Pereyra in Elucid. n. 1885. ex L. *Capitalium.* ff. de pœnis.

Ad 7. Resp. Subinfeudatarium ex sub- 1686
infeudatione consequi jus utile cum omnis commodi perceptione, subalternatum tamen, seu aliquo modo, nimirum mediatè subjectum domino directo, ut si subinfeudans in debitis obsequiis deficeret, ab isto exigi possent, ne Domino directo Subinfeudatio nullum omnino commodum ferat, quamvis Subinfeudatus (loquendo immediate,) Vasallus sit subinfeudantis.

Ad 8. Resp. Quæstionem procedere de casu, quo feudum perit in Vasallo *immediato*, ut revertatur in manus Domini directi, vel per *feloniam*, vel refutationem, quin per hoc ulli descendenti, vel agnato aperiatur? quo posito communior sententia negat ex l. 2. feud. tit. 9. §. si vero, ibi: *Si tamen sine hærede masculo descendente decedebat, vel feudum in manu Domini refutabat, aut alia forte ratione intercedente culpa amittebat, tunc omnis feudi alienatio ad irritum revocabatur, eo excepto, quod ille qui secundo loco feudum acceperat, non amittebat, si priori Domino servire, & ab eo feudum recognoscere velebat.*

Not. autem per *refutationem feudi* in- 1687
telligi ejusdem renunciationem, seu cessionem factam à Vasallo, quæ erit refutatio *propria*, seu realis, si fiat in manus Domini: *impropria* vero, si fiat agnatis: per *feloniam* autem intelligitur culpa injuriæ, propter quam Vasallus amittit feudum v. g. si tribus vicibus, legitimè citatus, fidelitatem præstare nolit: vel, si infeudavit alia lege, quam ipse ha-

habeat; vel talem Vasallum, qui feudo inservire non potest. V. Hostiens. in summ. de feudis.

1688 Not. 2. Quando dicitur, ad Subinfeudationem requiri, quod fiat *sincere*, & *absque fraude*, requisitam sinceritatem lædi, si fieret in re venditio, licet diceretur subinfeudari; vel à Vasallo vidente se paulo post decessurum sine liberis, & sic dominus directus cogeretur ex subinfeudatione sustinere novum Vasallum juxta n. 1687.

Not. 3. Per verba: *ejusdem qualitatis, & conditionis*, non denotari *nobilitatem*, quasi Comes esse debeat subfeudatus, si subinfeudans Comes sit; sed intelligi qualitatem, qua æquè onera feudi sustinere, & Dominus eadem, ac prius facilitate illa recipere possit.

Not. 4. Non valere subinfeudationem, quando Vasallus in investitura specialiter prohibitus fuit, *ne feudum alienet*; nam in tali, per jus commune illi aliunde interdicta est omnis alienatio proprie dicta; ergo, ut frustra non sint verba pacti adjecti in investitura, & consequenter aliquid operentur, intelligi debent etiam de subinfeudatione, licet strictè non sit alienatio.

§. 2.

An Ecclesia amittat feudum ex delicto, quod alias induxit privationem feudi?

1689 ANte resol. not. plures esse casus, quibus ex delicto feudum amittitur; primus est, si vendatur feudum absque consensu Domini, constat ex dict. à n. 1677. ibi: *pretio, ac beneficio se carituram agnoscat*. 2. Per feloniam, ex n. 1687. tertio neglectu infestituræ, per l. 2. feud. tit. 24. §. *prima*; quod tamen intellige, si hoc fiat Vasalli dolo, vel culpa per tit. 52. §. *fin.* petenda autem est, si feudum sit antiquum *intra annum, & diem*, si Vasallus sit paganus; intra annum, & mensem, si miles per cit. §. *Prima*, & L. 1. tit. 22. per investituram autem intelligitur solennis actus, quo Vasallus Domino ad fidem obligatur, & in rei feudalis possessionem mittitur, de quo v. dicenda à n. 1724. In feudo autem *novo* non committitur feudum à non petente investituram, nisi negligendo, cum Dominus urget.

Quarto feudum amittitur recusando 1690
fidelitatis juramentum per L. 2. tit. 24. §. *est*; quinto, si domino debita servitia non præstiterit, tit. 24. §. *item*; quod maxime consideratur, ut colligitur ex L. 1. tit. 5. sexto, si feudo abutatur per L. 2. tit. 27. §. *publici latrones*; septimo, si domino abneget feudum, vel ejus conditionem, aut pacta adjecta, per l. 2. tit. 26. §. *si Vasallus*; octavo, si egerit contra formam fidelitatis; nono si factus sit infamis infamia juris, per tit. 37. l. 2. plures ejus causas, ex quibus propter delictum Vasallus privatur feudo, videri possunt deductæ ex libris feudorum apud Haunold. tom. 3. tr. 9. à n. 851. Illud hic annotandum, quod idem author tradit n. 863. Vasallum feudo privari posse Judicis sententia non tantum ex causis in feudali jure expressis, sed etiam ex causis similibus, aut majoribus.

Ratio sumitur ex §. *Item qui*. tit. 24. 1691
ibi: *Sed quia natura novas deproperat edere formas, potest multis modis contingere, ut aliæ emergant causæ, quibus videatur justè adimi posse feudum; ideoque Iudex solers, & discretus, & æquitati obsecundare solicitus, cuncta similiter dispensans, provideat, si qua fuerit antiquioribus causis similis, seu major, ut proinde sciat, utrum beneficium sit amittendum, an nihilominus retinendum?* Sed nota hoc constitutum jure speciali in materia feudorum, non ad casus alios extendi debere, nisi etiam in iis expressè cautum sit, *quòd à similibus ad similia* procedi possit; quibus positis:

Ad quæstionem initio propositam 1692
distinguendum, an *Ecclesia* perdat feudum *ratione delicti ab ejus Prælato admissi?* an verò *Clericus* jure suo, non Ecclesiæ, habens feudum? Quare Resp. 1. Clericum, vel Prælatum in feudis patrimonialibus, paternis, aut privatis, *ad se* pertinentibus, æstimari tanquam Laicum, ut tradit Layman. D. de alien. rer. Eccles. thesi. 95. consequenter eo privari, si committat delictum, ex quo eodem priva-

privaretur Laicus, & ratio est; quia in materia talis feudi etiam Clericus conveniri potest coram Domino directo feudi per c. *Cæterum* 5. de Judiciis, ubi dicitur, quòd, si Ecclesia aliqua (v. g. Monasterium) quibusdam prædia concessit in feudum, & inter vasallos controversia oriatur circa feudum, tum ordinarius Judex v. g. Episcopus se immiscere non potest; Sed quæstio illa feudalis coram Domino feudi, qui in casu nostro est Abbas, agitari debeat, dummodo actor ibi justitiam consequi possit; alioquin Ordinarius loci adiri poterit; quo habetur, quòd Dominus feudi ordinariam habeat jurisdictionem, si inter vasallos orta sit controversia, feudum ab ipso acceptum concernens; ut habetur lib. 2. feud. §. *Præterea*, de prohibita feudi alienatione per Fridericum Imper. ad hoc autem duo requisita sunt. 1. ut controversia sit super feudo, seu jure feudali, ita, ut ex legibus feudorum lis decidenda sit; 2. ut uterque litigantium agnoscat se Vasallum, ut bene hic Decius n. 11. Si autem non Vasallus cum Vasallo contendat, tum ad ordinarium Judicem (si iste diversus sit à Domino feudi) recurri debet, ut colligitur ex lib. 2. feud. tit. 27. de pace tenenda. §. *Si duo*. V. dicta l. 2. tit. 1.

1693 R. 2. Si Prælatus Ecclesiæ, habens ratione suæ dignitatis Ecclesiasticæ feudum Ecclesiasticum, pertinens ad solam ejus mensam, delinquat, delicto, cui annexa sit privatio feudi, non propterea privari Ecclesiam, sed solum Prælatum, sic, ut, dum est in ejus administratione, careat omni ejus utilitate; quo tempore feudum redit ad dominum directum, *quoad fructuum perceptionem*, non tamen nisi dum alius in eadem dignitate succedat. Ratio primi sumitur ex reg. 76. in 6. ibi: *Quia delictum personæ non debet in Ecclesiæ detrimentum redundare*; ratio secundi, quia *pœna sequitur, & tenet authorem delicti, non alium*, ut habetur l. 2. feud. tit. 40. de Capitulis. §. *Item si Clericus*, propter rationem in præmissis.

1694 Dixi: Si pertineat *ad solam Prælati mensam*; nam si pertineret ad solum Capitulum, hoc propter delictum Prælati non punitur ex data regula 76. si ipsum delicti non sit particeps, ut colligitur ex c. *Damnamus*. 2. de summa Trinit. ubi ex errore Joachimi Abbatis, Monasterii Florensis, per Concilium damnato, nihil redundavit in ejus Monasterium: Si denique pertineret communiter ad mensam Prælati, & Capituli, propter solius Prælati delictum Capitulo staret jus fructuum ex feudo secundum portionem alias respondentem.

§. 3.

An Dominus directus, à Vasallo recipiens feudum in pignus debiti; teneatur fructus computare in sortem?

CAsus esse potest, si Vasallus ab Ecclesia accepit in feudum certas ejusdem possessiones; deinde contracto debito propter mutuum ab eadem acceptum, eidem in pignus debiti ex mutuo, cedit easdem possessiones: videtur enim in hoc casu Ecclesiam, seu dominum directum teneri, fructus, quos percipit ex pignore, compensare in sortem, ne committat usuram, vi mutui accipiendo aliquid ultra sortem, si hæc integra solvenda illi foret à mutuatario? Quæstionem hanc Innocentio III. proposuit Marienses Episcopus. 1695

Ad hanc quæstionem respondit Pontifex, quòd *gageria*, quam de feudo Ecclesiæ suæ Episcopus iste à quodam M. recepit, liberè possit ab illo detineri, *fructibus non computatis in sortem*, ita tamen, ut, quam diu Episcopus, fructus illos recipit, *in sorte minimè computandos*, idem M. à servitio, ad quod pro feudo tenetur, sit immunis; ubi nota *gageriam* linguâ veteri Germanorum idem significare, quod *pignus*, ut notat Glossa ibid. v. *eodem*. 1696

Difficultas est 1. quomodo id procedat, cum generaliter dicatur, *dominum non teneri fructus feudi computare in sortem*, si fructus excedant servitia, quæ feudo apud Dominum loco pignoris existente remittuntur? 2. an hoc etiam procedat de fructibus ex melioratione 1697

feudi

feudi per Vasallum facta ? 3. an hoc procedat non tantum, si Dominus directus sit Ecclesia; sed etiam, si secularis ? 4. an si feudum sit emptitium saltem ex parte? 5. an idem procedat, si Domino directo in pignus detur res emphyteutica?

1698 Ad 1. respondent aliqui, propterea Dominum posse tali casu percipere fructus feudi omnes (seclusis iis, quæ nascuntur ex melioratione Vasalli) quia hoc, *Speciali jure*, statutum est in favorem Ecclesiæ, quando vicissim Vasallo remittuntur servitia; verum textus probabilius procedit in feudo non tantum Ecclesiastico, sed etiam civili, seu seculari, ut constabit ex seqq. Nec in hoc attenditur *ratio Ecclesiæ*; si enim fructus pignoris illicitè non computantur in sortem, nec Ecclesiæ licebit; cum usura sit prohibita jure naturali, & divino. Si autem fit licitè, etiam in feudo seculari procedet.

1699 Alii censent, ubi feudum à Vasallo datur domino directo in pignus, illud consolidari cum dominio directo, consequenter à Domino fructus ejus percipi ex re sua, ubi nulla intervenit usura; pro hac opinione referuntur Abbas in dict. c. 1. h. t. n. 5. Imola n. 7. Fagnanus n. 2. Verum hanc consolidationem negat Covarr. l. 3. resol. c. 1. n. 4. Cum in jure nullibi dispositum reperiatur, feudo dato in pignus Domino directo, jus utile consolidari cum proprietate, seu redire ad dominum directum, aut eo casu jus percipiendi fructus feudi desinere in Vasallo.

1700 Vera ratio petitur ex natura, seu conditione feudi, quod alicui conceditur propter servitia, mutua conventione Domini directi, cedentis Vasallo jus utile, & Vasalli obligantis vicissim se ad servitia constituta illo pacto; unde sive excedant, sive minora sint fructibus feudi, hoc non attenditur supposito contractu feudali; & Dominus eos sibi capiet, quam diu Vasallus servitia præstare cessat ex hoc defectu, coactus Domino directo feudum oppignorare. Nam Vasallus jus percipiendi fructus ex feudo solum habet, quam diu non cessat à servitiis; Ita Zoësius h. t. n. 6. Barbos. in dict. c. 1. n. 2. & alii; id quod procedit, sive fructus excedant, sive minores sint servitiis debitis; si semel deductum est in pactum, jus utile Vasallo competere quoad perceptionem fructuum solum præstitis servitiis conventis.

Ad 2. &c. quod non, de illis fructibus, qui proveniunt ex melioratione feudi solum extrinseca per Vasallum facta; nam pro his constituta non sunt servitia; quia quamvis illa fructuum pars, quæ juxta viri boni arbitrium proportionabiliter servitiis respondet durante pignore, illis cessantibus ad dominum pertineat, illa tamen, quæ meliorationibus, aut expensis correspondet, in sortem principalem necessario computari debet; alias usura committitur. 1701

Ad 3. Resp. quod sic; juxta dicta n. 1700. excipitur tamen ab universali regula. 1. feudum *francum*, de quo n. 1668. nam in hoc Vasallus omnino liber est ab onere obsequiorum, ex natura, seu conditione talis feudi; ita Sylvester V. *Feudum* n. 3. ad 4. &c. qua parte feudum est emptitium, seu non gratis datum; sed pretio concessum, non esse feudum, proprio, ac ordinario, sed extraordinario modo concessum, de quo non agitur in dict. c. 1. consequenter fructus ex feudo, qua parte respondent emptioni, non posse sine usura non computari in sortem à Domino directo, si etiam eam partem feudi à Vasallo accepit in pignus; quia remissio servitiorum non relevat eam partem feudi à Vasallo, comparatam pretio, sicut alteram, adeptam pro servitiis. Quod autem dictum est in c. 1. de feudo, censent communiter etiam dispositum de emphyteusi, Fagnan. in cit. c. 1. h. t. & seq. ac alii. cum ambo in paucis differant, & argumento à feudo ad emphyteusim in hac materia legitimum tradat Everardus arg. legati *à feudo, ad emphyteusim.* 1702

§. 4.

An Clerici, tam seculares, quam Regulares, succedere possint in feudo?

1703 SI velimus inhærere apicibus juris, dicendum est, Clericos in sacris constitutos arceri à feudis per text. lib. 2. feud. tit. 30. ibi: *Ex hoc illud descendit, quod dicitur: Clericum nullo modo in beneficium paternum debere succedere, etiamsi, postquam habitum Religionis assumpserit, postposuerit; idem in omnibus, qui habitum Religionis assumunt, ut conversi: hi enim nec postea in feudo succedant: & si quod habent, perdant.* Deinde tam de Clericis istis, quam Religiosis professis extat textus eod. lib. 2. tit. 26. §. si quis ibi: *Qui Clericus efficitur, aut votum Religionis assumit, hoc ipso feudum amittat.*

1704 Stando igitur in hoc rigore juris feudalis nihilominus dicendum, 1. His textibus non comprehendi nisi Clericos in sacris; nam hi solum perpetuo inhabiles sunt ad obsequia feudorum secularium; non autem, constituti solum in prima tonsura, & minoribus; cum isti possint ex libitu redire ad statum secularem; 2. non procedere in feudo *franco*; quia in hoc servitia sunt remissa; 3. nec in Religiosis non professis, nec constitutis in sacris, cum & hi possint ex Religione dimitti, & ad seculum redire; consequenter impediti non sint *perpetuo*, ut tradit Haunoldus tom. 3. tr. 9. n. 792. quod à fortiori procedit *de Novitiis*.

1705 Quæstio est, an Clericus in sacris, vel Religiosus, ex dispensatione Papæ transiens ad statum secularem, esset capax feudorum, non obstante illo rigore juris feudalis? In hac quæstione distinguit Rosenthall concluſ. 30. n. 3. lit. D. apud Haunold. §. *Illud*; inter feuda post dispensationem oblata; & ante aperta, seu devoluta; & affirmat quoad oblata; non, quoad ante aperta, vel devoluta; cujus ratio est, quia supposita tali dispensatione, & facto transitu ad statum secularem, sublata est inhabilitas ad obsequia ex feudo debita, propter quam leges feudales, allatæ superius, eos excludunt à successione, vel acquisitione feudi; ante illam autem, adhuc stant. Et ideo etiam filius professus in Religione bonorum tam in communi, quam persona particulari, & omnis successionis incapace, esto excluderetur à successione paterna tam ex testamento, quam intestato, dum est in eo statu, posset tamen utroque modo succedere, si pater obiret, postquam translatus est legitime ad Religionem eorum bonorum, ac successionis capacem; sed hæc *de rigore* juris feudalis.

Spectata vero consuetudine in pluribus regnis, & provinciis aliter discurrendum est, cum hæc res tota sit meri juris positivi humani, adversus quod consuetudo legitime inducta jure prævalet; unde plures sunt casus excepti, ubi cum primis oppositum communibus feudorum legibus laicis secularibus observatur *quoad Clericos non Regulares*. Primo enim, ubi feudum annexum est dignitati Ecclesiæ, id transit in Successorem, ut constat ex usu Germaniæ, ubi Episcopi, qui succedunt in dignitate, cui feudum annexum est, succedunt pariter in feudum Imperiale; id quod etiam jure canonico receptum est c. 7. de foro compet. ubi etiam Clerici Domino directo feudi, esto secularis sit; & laici, Ecclesiastico (si feudi Dominus directus sit) in causis ad tale feudum pertinentibus, subjiciuntur. Deinde idem dicendum est 2. si feudum sit francum ex n. 1704. 3. Si servitium præstandum non dedecet statum Clericalem; 4. Si tantum sit reale servitium; 5. Si foret alienum à statu Clerici, sed à Domino directo permittatur præstare servitium per alium. 6. Si feudum sit hæreditarium ad quoscunque hæredes; &c. hæc de jure seculari. 1706

Nam spectato jure canonico secus est, 1707
ut colligitur 1. ex c. *Transmissa*. 6. de foro competente, ubi dicitur, quod si quæstio feudalis est inter Clericum, & Laicum, cognoscet Dominus feudi: sed eo negligente, cognoscet delegatus Papæ, etiam ante negligentiam datus; & c. *Verum*. 7. eod. ubi dicitur: per dominum feudi secularem, sive Ecclesiasti-

siasticum, quæstionem feudalem terminari debere, etiamsi Vasalli sunt Clerici; &, si plures prætendantur Domini, non posse unum cognoscere, maxime alio præsente, an feudum ad eum pertineat? Demum etiam c. *unico* de statu Regularium in 6. §. *verum*. ibi: Verum quando Abbatissa, vel Priorissa cujusvis monasterii pro feudo, quod monasterium ipsum tenet ab aliquo principe, seu domino temporali, sibi debebit homagium, vel fidelitatis sacramentum præstare, (nisi, quod per Procuratorem illud præstet, possit efficere apud eum) de monasterio cum honesta, & decenti Societate exire poterit eo casu licenter, homagio facto, quamprimum commode poterit, seu fidelitatis præstito sacramento, ad ipsum monasterium è vestigio reversura; sic, quod in fraudem residentiæ, sive moræ claustralis, nihil fiat omnino.

1708 Ex his enim juribus clare deducitur, spectato jure Ecclesiastico, Clericos, Religiosos, eorumque Monasteria, esse capacia, ut feuda habeant non tantum Ecclesiastica, sed etiam secularia, seu à Principibus Secularibus concessa, ita quidem, ut hoc etiam extendatur ad Monasteria Sanctimonialium; quo casu Abbatissa, vel Priorissa, quæ propter feudum tenetur præstare juramentum fidelitatis alicui domino seculari, si per Procuratorem illud præstare nequit, potest cum honesta societate exire, modo statim, præstito juramento, revertatur; ita Sanchez in præcepta Decalogi tom. 2. lib. 6. c. 15. n. 51. Bonac. de clausur. q. 1. punct. 9. n. 9. advertens in hoc casu superioris licentiam petendam esse; quod, si nulla causa ductus, illam deneget, hoc constito posse authoritate juris Abbatissam ingredi. Ex quo habetur, quod possit Vasallus ex consensu Domini juramentum fidelitatis ipsi domino feudi præstare per Procuratorem, habentem ad id speciale mandatum, Sanchez in præcepta Decalogi tom. 1. l. 3. c. 13. n. 21. ubi n. 17. Subdit, quod juramentum, quantumcunque personale sit, ex parte jurantis, possit præstari per procuratorem.

1709 Nec obstat ea, quæ allegantur in contrarium ex libris feudorum, de quibus n. 1703. nam illæ leges non loquuntur de feudis, quæ Clericus acquirit primum, postquam Clericus factus est; sed illis, quæ, cum adhuc laicus esset, habebat spe successionis, & ubi contingit casus, quo ad successionem vocaretur, non amplius est Laicus, sed Clericus, de quo V. dicta n. 1705. Deinde negandum est, respectu Clericorum, vel Religiosorum, dictis feudorum legibus Laicis, locum esse, quia consuetudines, seu leges feudales, quæ disponunt ut personæ Ecclesiasticæ, non modo feudum non acquirant, nec in eo succedant, sed etiam ut perdant, quod prius habebant, cum specifice disponant de rebus ad Ecclesias; vel Ecclesiasticas personas pertinentibus ratione utilis dominii, non valent ob defectum potestatis, ut constat ex c. *quæ in Ecclesiarum* 8. de const. nulla enim jurisdictio se potest extendere ultra limites. L. *ult.* ff. de jurisdict: & docet Fagn. in cit. c. *quæ in Ecclesiarum* n. 52.

Quæstio est, an si Vasallus profiteatur in Religione bonorum temporalium capaci, saltem in communi, feudum, quod habet, per consequentiam personæ transeat ad ejusmodi Religionem? R. quod sic, modo feudum tale sit, ut servitia, ratione illius debita, etiam à monasterio præstari possint, prout est in casibus allatis n. 1706. Dixi: bonorum temporalium capaci; secus enim facta professione transibit ad eos, qui jure vocantur, perinde, quam si vasallus naturaliter mortuus esset; ratio autem datæ resolutionis est, quia monasterium bonorum temporalium in communi habendorum capax, succedit ipso facto, jure personæ in istum translatæ, accessoriè, & per consequentiam personæ sine ulla exceptione alicujus juris, succedit in omnia bona sui professi, quæ ante ingressum habet, & de quibus ante non dispositum fuit; sed inter illius bona ponitur feudum cum oneribus præstabilibus à monasterio (ut ponitur in casu) ergo si de illo ante ingressum non disposuit, per consequentiam personæ, & accessorie transit in Monasterium: ergo religiosa professione non extinguitur; major probatur, nam monasterium habens jus bonorum in com- 1710

muni, & successionis, succedere in omnia Religiosi bona, de quibus ante professionem non disposuit, sive ab ipso ante professionem, sive post acquisita sint, sive titulo donationis, hæreditatis, aut quocunque alio acquisierit; constat aperte §. *ingressi.* & §. *si qua mulier.* C. de sacrosanct. Eccles. desumpt. ex §. *Illud quoque.* authent. de Monachis, & §. *si qua,* authent. de sanctiss. Episcop. item c. *si qua mulier* &c.

1711 Not. autem 1. has legum constitutiones non habere vim, quatenus solo jure civili inductæ sunt, ut recte notat Azor tom. 1. instit. moral. lib. 2. c. 8. q. 1. (quia expresse constituunt de Monachis) sed quatenus approbatæ sunt à potestate Ecclesiastica: eas autem approbavit D. Gregor. Papa l. 7. regist. ri indict. 2. epist. 7. quæ approbatio refertur in cit. c. *quia ingredientibus* ibi: *Sed res eorum ejusdem monasterii juris fiant, aperta legis definitione decretum est*; id, quod communi omnium Pontificum consensu receptum est. Hanc porro successionem in omnia jura sui professi, extendit Sanch. cit. l. 5. Decalogi c. 4. n. 6. ex privilegio Pii V. etiam ad casum, quando ante finem Novitiatus fit professio in articulo mortis.

1712 Ex hoc nota 2. quod professus in religione bonorum capaci per professionem non amittat jura *suitatis*, & *agnationis*; sed succedat tanquam *hæres*, eademque per consequentiam personæ in monasterium professione sua translatę secum ferat ad monasterium; ita Wadingus de contract. D. 5. d. 7. §. 2. n. 5. Sanch. cit. lib. 7. c. 12. n. 5. ex L. *fin.* C. de Episc. & Clericis, ubi annotat, ejusmodi professum perinde succedere, acsi Religionem ingressus non esset. Ex quo deducit, quod monasterium *sui professione nomine* retineat omnes qualitates, & prærogativas filiorum; cum ex n. dict. ad monastericum secum ferat omnia sua jura, quæ ante ingressum habuit.

1713 Sed hoc limitatur 1. ut non procedat de monasterio, nec bonorum in communi capace; nam in tali Religione, professio æquivalet morti naturali, quæ extinguit omne jus, vel communiter, vel particulariter habendi bona temporalia. 2. Ut solum procedat, quam diu professus naturaliter vivit; cum monasterium prædicta sui professi jura habeat, non suo, sed personæ in ipsum translatæ nomine. 3. Ut solum procedat in casu, quo Religiosi talis Religionis non habent in particulari bona; si enim illa habeant, in hæc non succedit monasterium, sed ipse Religiosus.

Not. 3. statutum excludens à parentum successione filium, religionem in- 1714
gressum, esse iniquum, & irritum; sic citatis in favorem hujus sententiæ plurimis legistis, & canonistis, expresse docet Sanchez cit. n. 18. Nam tale statutum Laicorum nequit unquam ejusmodi filium ligare; vel enim ligaret eum ante Professionem? vel emissa jam professione? De primo videtur certum, quod non; nam quovis instanti professionem antecedente manet successionis capax, utpote sui juris æque, ac non religiosus; in ipsa autem actuali professione, & post illam, nullo modo subest jurisdictioni Laicorum. Nam leges civiles, licet faveant Clericis, etiam expressam ipsorum mentionem facientes, nisi recipiantur ab Ecclesia, ipsos non ligant; cum ferantur in non subditũ.

Si dicas cum sententia contraria: etsi 1715
tale statutum sit irritum, si sic disponat: *ingressi religionem non succedat*, si tamen sic disponat: *ingrediens religionem non succedat*, valet; quia priori casu statutum afficit jam effectos Religiosos, in quos statutum laicorum jurisdictione caret, sicut & potestate ligandi Religiosos, & quascunque personas Ecclesiasticas: at in posteriori casu afficit eos ante ingressum, quo tempore seculares sunt. ita Bartol. L. *fin.* lectura 1. n. 6. C. de pactis. R. licet ejusmodi statutum fiat in Religiosos, *ante ingressum Religionis*; & consequenter tempore habili, quia tamen ejus effectus confertur in tempus inhabile, nimirum *in tempus post ingressum* (nam ante hunc non liget absolute, sed solum conditionate sub conditione, quæ ponitur, dum non subsunt amplius jurisdictioni) omnino irritum erit. *Idem* enim *est*, *aliquid fieri tempore inhabili*, *& ejus effectum conferri in tempus inhabile*, per L. *quod sponsa.* C. de donat. ante nuptias.

Not. 4. Monasterium accessoriè suc- 1716
ce-

cedens in bona sui professi, nimirum ratione personæ, religiosa professione in ipsum translatæ, non succedere, *ut hæredem proprie*, nec *jure hæreditario*, sed jure cujusdam acquisitionis naturalis, & accessoriæ personæ. Constat ex Authent. *Ingressi.* C. de sacrosanct. Eccles. ibi: *ipso ingressu se, suaque dedicat Deo*: ubi nota, lis *ipso ingressu*, idem esse ac *ipso facto*, ut constat ex authent. de Monachis. §. *Illud quoque* ibi: *ingredientem simul sequuntur res*; nam *hæredes* non acquirunt ipso facto hæreditatem relictam, vel possessionem, L. *cum hæredes* ff. de acquirenda possess. secus autem est in casu, quo monasterium succedit in bona professi, quæ habuit ante ingressum, ut dictum est; ita Sanchez l. 7. Decalogi c. 12. Wadingus de contract. d. 5. d. 7. §. 2. n. 3. & apud illum legistæ cum Bartolo in auth. *si qua mulier.* C. de sacrosanct. Eccl. Baldus L. *filium.* ff. qui sui sunt: volentes ejus bona per consequentiam Personæ transire in monasterium, sicut in arrogantem bona, & jura arrogati. Instit. de acquisit. per arrogat.

1717 Dixi, quando monasterium succedit *accessoriè*, nimirum ratione personæ in ipsum translatæ; secus enim quoad acquisitionem possessionis ipso facto fallit 1. si transferens se, suamque personam, sibi providit, expresse, & principaliter etiam transferendo bona, ita Sanchez cit. n. 25. nam tali casu absque traditione non acquirit monasterium dominium, & possessionem. Fallit 2. si monasterium tempore professionis contradicit acquisitioni bonorum. 3. Fallit in aliis bonis, quæ accedunt primo post professionem; nam in his ipso facto acquiritur solum dominium; sed possessio capienda est, ut docet Abbas c. *in præsentia.* de probat. n. 74.

1718 Ex hoc etiam sequitur, idem dicendum esse, si quis habeat usumfructum, cum pariter cum usufructuario transire in Monasterium per consequentiam personæ, si in eo usufructuarius legitimè professus sit, & monasterium sit capax habere bona temporalia in communi; hanc sententiam tuetur Cynus, Baldus, Salycetus, Bartolus, Sylvester, Molina, Azor, & plurimi alii, quos citat, & sequitur Thomas Sanchez l. 7. Decalogi c. 13. n. 48. ratio est eadem, quæ in n. 1710. de emphyteusi autem dicemus à n. 1741. si dicas usufructus est jus *personalissimum*, ac ita personæ cohærens, ut nec cessione, nec alio modo possit in alium transire; ergo extinguitur professione religiosa etiam in Religione successionis capaci; patet conseq. quia tali casu nec potest remanere in professo, cum sit redditus incapax cujuscunque proprii habendi; nec potest transire in monasterium, quia sic transiret in alium, quod juri *personali* repugnat: ergo. Nam R. trans. ant. N. conseq. & dico, quod tali casu transeat in monasterium per consequentiam personæ. Quare not. monasterium posse dupliciter comparari ad illum usumfructum recipiendum. 1. ratione sui, & non ratione personæ in ipsum translatæ. 2. non ratione sui, sed ratione personæ in ipsum translatæ; si consideretur hoc secundo modo, manifestum est, quod monasterium ratione sui professi per consequentiam hujus personæ habens usumfructum, non sit alia persona ab usufructuario; cum usufructuarius sit formalissimè illa persona, ratione cujus monasterium habet usumfructum, quamdiu ille naturaliter vivit. Quare in dato casu non est simpliciter verum: *monasterium habet usumfructum*; sed cum addito *per consequentiam personæ*, quo notatur jus personæ in ipsum translatæ esse in monasterio per ipsam personam translatam, non sine ipsa, sicut jus partis est in toto ipsam includente, sed non sine illa.

Dixi: trans. ant. Nam quando dicitur, quod usufructus sit *jus personale*, & non egrediatur personam, nec transeat in alium, verum est, si sermo sit de transitu *per cessionem*, vel *transmissionem in alterum*, auferentem ipsum à cedente, vel priori Domino; non autem si cum ipsa persona transeat in alium, illud habentem solum per consequentiam personæ, & acquisitione naturali; nam hoc ipso, quod leges cit. n. 104. concedant Monasterio sine ulla exceptione omnia jura, & bona professi, quando se Deo dedicat, eo ipso declarant usum fructum, *non sic esse personalem*, ut cum ipsa persona, & ratione illius, 1719

quam

quam diu hæc naturaliter vivit, esse nequeat in Religione, cui se dedicat, & in qua est ipsa persona usufructuaria, quia sic non abit à persona; sed stricto jure illud *habendi communiter* ab eadem retinetur etiam post professionem. Quia professio in religione bonorum capaci, non æquivalet morti naturali (ut malè supponit Julius Clarus L. 4. §. *Feudum*, q. 78.) nec professum reddit incapacem omnis dominii, alias faceret eum incapacem juris habendi communiter bona temporalia, quod est certè falsum; nam talis professus etiam post professionem retinet jus suitatis, & succedit Patri jure Suitatis, ut constat ex n. dict. & omnia bona possidet jure illa habendi communiter; unde non est *alia persona* tunc, quæ habet usumfructum; sed solum alius modus illum habendi; injussu non *jure singulari*, sed *jure Collegii*, vel alius, cujus est pars.

1720 Neque dicas: Usufructuarius, post professionem, nihil amplius disponere potest de illis bonis, sed disponit Prælatus, vel solus, vel cum Capitulo; nam hoc non arguit, illi per professionem ablatum esse jus disponendi, & habendi *communiter* usumfructum, vel illud esse penes monasterium aliter, quam ex pura consequentia personæ; hoc evidens est ex eo, quod professo naturaliter mortuo, nec Prælatus, nec Capitulum, nec ambo simul quidquam disponere valeant de tali usufructu. Deinde, immeritò dicitur, quòd usufructuarius, post professionem, non habeat jus disponendi *communiter*, quamvis hujus usum (ratione ipsius) administratoriè exerceat Prælatus cum Capitulo; imò esto usus prædicti juris illi professo, præcisè, vel prohibeatur, vel etiam annulletur, adhuc tamen in eo stat jus ad talem usum disponendi communiter, ut ostensum est superius. Ex quo tandem concluditur, monasterium in quod per consequentiam personæ in ipsum translatæ, simul transeunt hujus bona, quoad hunc juris effectum, non esse personam *aliam à professo*; Sed eandem, cum ejus jura habeat solum per consequentiam personæ.

1721 Dices 2. si usufructus, religiosa professione usufructuarii, non extingueretur, sed transiret ad monasterium, duraret 100. annis, sicuti usufructus concessus Ecclesiæ. Resp. N. sequelam; nam usufructus Ecclesiæ, vel Monasterio *directè*, & *ratione sui* concessus, durat 100. annis; non autem, concessus solum *indirectè*, *& per consequentiam personæ* in ipsum translatæ; hinc enim est, quòd in posteriori casu talis usufructus pendeat à vita naturali talis personæ, & extinguatur, illa naturaliter extincta; ita Bartolus in auth. *Ingressi* in 2. lectur. n. penul. & plures alii, quos citat, & sequitur Sanchez cit. c. 13. n. 50.

Instabis: dato, quòd, quando usufructuarius, in Monasterio bonorum capaci profitetur, usufructus obveniat monasterio; hic tamen usufructus non erit *translatus*, sed *novus*, qualiter fit, quando usufructus constitutus Titio, & suis hæredibus, illo mortuo transit ad hæredes, ut dicitur L. *Stipulatio ista*, §. *Sed & si quis*. de verb. oblig. & L. *qui usumfructum*, §. 1. ff. de usufructu, vel certè cum ab uno transit in alium de consensu Domini, ut habetur L. *usufructu*. ff. soluto matrimonio. Verum, quod assumitur, meritò negatur cum allata paritate: Nam in his casibus allatis propterea usufructus est *novus*, quia transit ad hæredes *facto hominis* (puta stipulatione, vel consensu Domini) non autem *per consequentiam personæ*, cui cohæret, qualiter fit in casu nostro. 1722

Not. 5. quando dicimus per consequentiam personæ Vasalli, professi in Religione bonorum temporalium saltem in communi habendorum capaci, feudum ejus, quod est ex pacto, & providentia transire ad monasterium, debere intelligi, 1. solum, quam diu vivit talis professus ut jam diximus sup. Deinde si habeant annexum aliquid repugnans statui Regularium (ut jurisdictionem criminalem) quo casu retinebit quidem monasterium dominium ejus utilo, dum vivit Vasallus professus; non autem quoad illam jurisdictionem, ut notat Fagnanus c. *quæ in Ecclesiarum* n. 102. & alii. 3. nisi in principio constitutum sit expresè, *tantùm pro Laicis*; vel ad incertum servitium; ita Sanchez cit. à n. 40. Dixi: feudum, *quod est ex pacto*, 1723

pacto, & providentia; nam si sit paternum, vel hæreditarium simpliciter, nimirum ad omnes hæredes, atque adeo est instar proprietatis, etiam transit in perpetuum ad Monasterium per mortem Vasalli, sicut alia ejus bona, quæ habuit jure proprietatis, ut tradit Felinus c. *in Præsentia.* 8. de probat. n. 48.

§. 5.

De investitura Vasalli.

1724 *Investitura* proprie dicta (quæ est realis quædam, & corporalis traditio, vel occupatio possessionis rei in feudum datæ) est solennis actus, per quem Vasallus domino ad fidem obligatur, & in rei feudalis possessionem mittitur; *abusiva vero* (seu, ut aliqui dicunt *ficta*) contingit, quando dominus alio modo, quam in rei feudalis præsentia, vel absque actuali traditione possessionis, gladium, hastam, vexillum, vel simile signum corporeum porrigit, & per hoc investituram se facere dict. lib. 2. tit. 2. de quo notat Gail. l. 2. observ. 152. n. 14. per istam investituram abusivam non induci *veram* possessionem; sed fingi, dari Vasallo licentiam propria authoritate apprehendendi ipsam possessionem. Unde non parit interdictum *Recuperandæ*; sed tantum *adipiscendæ* possessionis; quibus positis:

1725 Quæstio 1. est, quæ solennitas sit *de substantia* investituræ abusivæ? 2. an hæc solennitas etiam requiratur in feudo Ecclesiastico? 3. an etiam per investituram abusivam aliquando transferatur in Vasallum possessio? 4. quid operetur clausula: *propter merita & servitia præstita?* 5. quis ex pluribus hæredibus debeat investituram petere? 6. an aliquando renovatione investituræ opus sit? 7. quæ sit pœna neglectæ renovationis investituræ? 8. an renovatio possit fieri per Procuratorem? 9. à quo domino peti debeat renovatio investituræ? 10. an tunc dari debeat laudemium, vel, ut alii volunt *Relevium?* 11. ubi petenda? 12. an coram testibus? 13. intra quod tempus? 14. an possit mora purgari? 15. an minor restituatur contra neglectum tempus investituræ? 16. an feudum præscriptione acquiri possit?

Ad 1. &. quod probabilior Doctorum sententia habeat, exigi, quod fiat vel coram Paribus Curiæ, vel per instrumentum, ut videri potest apud Haunold. tom. 3. tr. 9. à n. 656. ad 2. distinguendum, an Clerici investiantur de bonis propriis? an de bonis Ecclesiasticis? in primo casu dicendum, affirmativè, ex L. 2. feud. tit. 32. c. 1. ibi: *præterquam quod de personis testium dictum est.* Cæterum ubi dominus non potest habere, vel non habet pares Curiæ, vel solum inhabiles, sufficiunt testes extranei. 1726

Ad 3. &. Quod sic; si ea investitura fiat in præsentia rei in feudum concessæ signis illis eo fine factis, ut in Vasallum etiam transeat possessio; arg. L. 1. §. 21. ff. de acquir. possess.

Ad 4. respondent communiter Doctores, quòd operetur hunc effectum, ut feudum Vasallo, aut ejus posteris, auferri non possit ob ullam feloniam. 1727

Ad 5. &. Singulos investituram petere, ac fidelitatem jurare debere, si habeant feudum indivisum; si autem ex divisione pertineat totum ad unum, hunc solum teneri per L. 2. tit. 26. §. *omnes filii*: Si pars ad unum, alia pars ad alterum, teneri singulos pro sua parte per L. 2. §. 55.

Ad 6. ante responsionem nota renovationem investituræ nihil aliud esse, quam feudi, legitimè acquisiti, ob dominum seu Vasallum mutatum, promissione fidelitatis interveniente, solenniter factam confirmationem; quo posito Resp. faciendam, si vel dominus feudi, vel Vasallus, aut mortuus sit, aut alia ratione mutatus, ut liquet ex hujus renovationis definitione.

Ad 7. &. Quod sit commissum feudi; seu, quod Vasallus cadat à jure feudi, ut constabit ex dicend. in seqq. controversum est, an si dominus tempore debito investituram petenti Vasallo concedere negligat, & ipse cadat jure dominii? Resp. quod communior quidem opinio affirmet, 1. ex hac ratione; quia hoc ipso, quod jus feudale Vasallum, ad petendam investituræ renovationem intra certum tempus sub pœna amissio- 1728

nis feudi adstringat, censetur etiam Dominum adstringere ad faciendam investituram; cum Dominum, & Vasallum ad paria teneri constet, ut mox dicetur; 2. ex l. 2. feud. tit. 6. c. *In Epistola*, ibi: *Dominus quoque in his omnibus vicem fideli suo reddere debet: quod si non fecerit, merito censebitur male fidus, sicut ille, qui in eorum prævaricatione, vel faciendo, vel consentiendo deprehensus fuerit, perfidus, & perjurus.* Verum hæc argumenta (secluſa authoritate extrinsecâ) non evincunt intentum; nam investitura principaliter respicit favorem domini directi, ut per eam à Vasallo, in feudum succedente, fiat recognitio dominii directi in eo, & præstetur obligatio fidelitatis; textus etiam nullam facit mentionem de privatione dominii; sed solum compellat eum perfidum.

Ad 8. Resp. posse (nisi vel consuetudine, vel Domini directi constitutione, aliud exigatur) saltem si Procurator habeat mandatum speciale, per L. 2. feud. tit. 3. c. 1. §. *Investitura*,

1729 Ad 9. Resp. quod à Domino immediato, & proximo, etiamsi sit pupillus: & etiamsi Vasallus jam ante fidelitatem successoribus juravit; Sufficit autem peti investituram ab eo, quem dominus ad hoc speciali mandato constituit; Solent enim Principes ad hoc constituere suos vice-dominos, aut Cancellarios; quod etiam procedit in Vasallo Vasalli, ut teneatur solum petere ab immediato respective domino, hoc est, Vasallo, à quo est subinvestitutus: nam huic soli tenetur præstare servitia. Not. per *Relevium* intelligi jus, quod in Cancellaria solvi debet, (ut notat Pereyra in Elucidar. n. 1828.) v. g. ut quis liber sit à solutione decimæ; quo posito. Resp. hoc non esse de natura feudi; cum id nullo jure definitum sit; quandoque tamen id habet consuetudo, cui parendum est, ubi legitimè inducta est, tacito saltem consensu Vasallorum, & Domini directi; *non scribarum & Cancellariæ*, detinentium expeditionem instrumenti investituræ, nisi taxa, quam cudunt, & augent ipsi arbitrio suo, deponatur, an justè? cum legem ferre non possint, nec consuetudinem præsertim, nixam avaritiæ cupiditate, legitimam inducere.

Ad 11. Regulariter petendam in loco territorii, & solitæ habitationis Domini directi; & cum sit actus jurisdictionis voluntariæ, concedi posse etiam extra territorium. 1730

Ad 12. Resp. requiri testes, spectato jure feudali; nam postquam l. 2. tit. 32. dictum esset, investituram novam, sine Paribus Curiæ, tanquam testibus, factam non valere: postea de veteris investituræ renovatione dicitur: *testes extraneos recipi*: quo tacite videtur supponi, hos esse necessarios.

Ad 13. Resp. aliud esse tempus præscriptum pro Paganis, aliud pro milite:

Pro paganis indulgetur *annus, & dies; pro milite, annus, & mensis*; colligitur ex lib. 2. tit. 24. ibi: *prima autem causa beneficii amittendi hæc fuit, & adhuc est in plerisque Curiis, quod, si Vasallus per annum, & diem, Domino suo mortuo steterit, quod hæredem Domini sui, investituram petendo, fidelitatem pollicendo, non adierit, tanquam ingratus existens, beneficium amittit; & è converso, si Domino superstite Vasallus decesserit, & filius ejus per jam dictum tempus neglexerit petere investituram, beneficio carebit*: De milite vero l. 1. tit. 22. ibi: *Sancimus, ut nemo miles ultra annum, & mensem vadat, ut investituram beneficii sui à filio, vel successore Domini sui petat, vel post mortem Domini sui, vel Patris sui, vel alterius, cui succedere debet, nisi justa causa intervenerit, quare non petierit, veluti mortis, vel capitales inimicitiæ, vel infantia* (alii legunt: *infamia*) *vel justa absentia, & si non petierit, damnetur.* 1731

Not. autem, quod non omnes, ad quos ex prima investitura feudum aliquo modo, nimirum jure successionis, pertinet, teneantur investituram petere, sed solum immediati, & proximi; quod aliqui probant ex L. 2. feud. tit. 55. c. *Imperialem*, §. 1. ratione autem ex eo, quia soli Vasalli tenentur ad ejus petitionem; remotiores autem agnati necdum Vasalli, nec jus feudi adhuc possident, nec ad illa servitia obligantur, igitur non est; unde teneantur ad petendam investituram. 1732

Ad 14. &. quod communior teneat, 1733

quod

quod non; nullibi enim in jure legitur, Vasallo concedi quod neglectam renovationem investituræ purgare possit celeri satisfactione contra leges superius relatas. Verum est, hoc jure canonico concedi Emphyteutæ, ut habetur c. 3. de Locati, si neglexit solutionem canonis debito tempore; sed ab hoc non fit paritas ad Vasallum proper leges in contrarium stantes, loc. cit. censent tamen aliqui cum Julio Claro q. 49. n. 9. concedendum ex æquitate.

Ad 15. Resp. quod sic, si neglectus investituræ non provenit ex contumacia, per L. 9. ff. de Minoribus. §. 5. ibi: *Si in commissum incidisse vectigalium dicatur, erit in integrum restitutio; quod sic erit accipiendum si non dolus ipsorum interveniat: cæterum cessabit restitutio.* Dixi: *si non provenit ex contumacia*; intellige *vera*; si enim ex *præsumpta* tantum, videtur etiam restituendus ex L. 8. ff. eod. ibi: *Minor etiamsi quasi contumax condemnatus sit: in integrum restitutionis auxilium implorabit*: intelligenda est, quando ob præsumptam, non veram contumaciam condemnatus. Unde quando dicitur, Minoribus ex delicto non subveniri; verum esse, si sit delictum ex natura rei, seu Theologicum; cum autem merè civile; quale est neglectus renovationis investituræ. Ad 16. constat ex lib. 2. de Præscript.

1734 Præter dicta not. 1. Vasallum ex successione, proximum pubertati, retinere feudum, nec ante completum 14. ætatis annum teneri ad petendam investituram, lib. 2. feud. tit. 55. c. *Imperialem*, §. 1. quo sensu etiam intelligendus venit textus lib. 2. tit. 26. §. *si quis*, ibi: *fidelitatem facere non cogatur, donec venerit in majorem ætatem*, nimirum pubertatis completæ, ubi §. sequenti additur, *si quis decesserit filio impubere relicto, fidelitatem nec ipse, nec alius pro eo facere cogitur; idem de servitio personali: alius tamen pro eo faciens servitium admittetur.* Sed in hoc attendenda est consuetudo; & hæc ætas attenditur etiam in fœminis, cum leges indefinitè loquantur.

1735 Not. 2. tempus, intra quod debet renovari investitura, incipere currere *à die scientiæ*, quod feudum sit apertum, seu per mortem Domini, seu per mortem Vasalli: & est quidem continuum quoad dies etiam feriatos; sed tamen utile, ita, ut si justum impedimentum interveniret, durantis impedimenti tempus non computaretur; colligitur hoc ex l. 1. feud. tit. 22. relato supr. ibi: *nisi justa causa intervenerit*; cum priori parte excipe casum, quo feudum est hæreditarium; tunc enim tempus non incipit currere à die notitiæ, ut dictum est; sed *post aditam hæreditatem*; nam antequam adeatur hæreditas, investitura peti non potest, cum necdum habeatur jus ad feudum. Unde, quando dicitur, quod *filius ipso jure sit hæres*, intelligitur hæres *in potentia proxima*; sed non *in actu*; cum possit non acceptari.

§. 6.

De juramento fidelitatis.

DUplex reperitur formula juramenti, 1736
quo Vasallus Domino directo jurat fidelitatem in investitura; prima reperitur lib. 2. feud. tit. 5. ibi: *Ego juro ad hæc Sancta Dei Evangelia, quòd quodammodo in antea ero fidelis huic, sicut debet esse Vasallus Domino, nec id, quod mihi sub nomine fidelitatis commiserit Dominus, pandam alii ad ejus detrimentum me sciente.* Altera lib. 7. ibi: *est & alia de novo super fidelitatis juramento forma inventa, & utentium approbata consuetudine, quæ hodie fere in omni Curia videtur obtinere*, cujus verba sunt: *Ego N. juro, super hæc Sancta Dei Evangelia, quod ab hac hora in antea usque ad ultimum diem vitæ meæ ero fidelis tibi Cajo Domino meo, contra omnem hominem excepto Imperatore vel Rege.*

Circa istam formulam juramenti dubi- 1737
tari potest 1. ad quid extendat sese vox illa: *ero fidelis?* 2. quænam sint *servitia*, ad quæ vi sui juramenti obligatur Vasallus? 3. quas obligationes reciprocas habeat Dominus?

Ad 1.&2. quod communiter explicetur his verbis: *Ego juro, quod nunquam scienter ero in consilio, vel auxilio, vel in facto, quod tu amittas vitam, vel membrum aliquod, vel quod tu recipias in per-*

persona aliquam læsionem, vel injuriam, vel contumeliam: vel quod tu amittas aliquem honorem, quem nunc habes, vel in antea habebis: &, si scivero, vel audivero de aliquo, qui velit aliquid istorum contra te facere, pro posse meo, ut non fiat, impedimentum præstabo; &, si impedimentum præstare nequivero, quam cito potero, tibi nuntiabo, & contra eum, prout potero, auxilium tibi præstabo: etsi contigerit, terem aliquam, quam habes, vel habebis, injusto, vel fortuito casu amittere, eam recuperare juvabo, & recuperatam omni tempore retinere; & si scivero te velle juste aliquem offendere, & inde generaliter, vel specialiter fuero requisitus, meum tibi, sicut potero, præstabo auxilium, & si aliquid mihi de secreto manifestaveris, illud sine tua licentia nemini pandam, vel per quod pandatur, faciam; & si consilium meum super aliquo facto postulaveris, illud tibi dabo consilium, quod mihi videbitur magis expedire tibi, & nunquam ex persona mea aliquid faciam scienter, quod pertinet ad tuam, vel tuorum injuriam vel contumeliam; sic exponitur apud Haunold. tom. 3. tr. 9. n. 694.

1738 Not. autem illa, *quod ero tibi fidelis contra omnem hominem excepto Imperatore, vel Rege*, debere restrictè intelligi *ad omnem hominem, contra quem salva conscientia, atque adeo pietate, esse licuerit*; juramentum enim intelligitur de his, quæ licite fieri possunt, & non repugnant naturali justitiæ, ac pietati; in casu autem, quo quis habet duplex feudum, & occurrit casus, quod domini directi inter se discordent, ac quivis petat obsequia Vasalli; censent aliqui teneri adesse illi, cui prius juravit, quod secundum juramentum intelligatur solum de his, quæ licitè potest, atque adeo non de assistentia contra dominum priorem, cui prius juravit; alii dicunt etiam primum juramentum esse tacitè conditionatum, si alio juramento non prohibeatur: alii demum volunt in tali casu præferendum dominum antiqui feudi, licet Vasallus in id primo successerit, postquam noviter accepit feudum aliud, ab alio.

1739 Ad 2. Resp. Servitia, seu obsequia, Domino à Vasallo debita, exprimi eod. lib. tit. 6. ibi: *qui domino suo fidelitatem jurat, ista sex in memoria semper habere debet: incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile*: & quidem, *incolume*, ne sit in damno domino suo de corpore suo; *tutum*: ne sit ei in damno de secreto suo, vel de munitionibus suis, per quas esse tutus potest; *honestum*: ne sit ei in damno de sua justitia, vel de aliis causis, quæ ad honestatem ejus pertinere videntur; *utile*: ne sit ei in damno de suis possessionibus; *facile*, vel *possibile*: ne id bonum, quod Dominus suus facere leviter poterat, faciat ei difficile: neve id, quod possibile ei erat, faciat impossibile; & quia non sufficit abstinere à malo, nisi fiat, quod bonum est, restat, ut in sex prædictis *consilium*, & *auxilium* Domino præstet.

Ad 3. Resp. inter præcipuas Domini 1740
obligationes esse, quod spectato jure cõmuni non possit jus suum Domini directi, invito Vasallo, in alium transferre, nisi proprietate, feudi Vasallo applicanda, cadere velit. §. *ex ead.* L. 2. tit. 34. Ex eadem lege descendit, quod dominus, sine voluntate Vasalli, feudum alienare non potest. Cœterum obligatio Domini, relate ad Vasallum, multo minor est obligatione Vasalli ad Dominum; nam Dominus non tenetur Vasallo jurare fidelitatem; Vasallus tenetur fructus pignoris à domino dati pro certo debito computare in sortem; dominus autem non, si feudum à Vasallo accepit in pignus debiti; dominus non amittit dominium directum feudi negligens in tempore dare investituram Vasallo; hic autem jus utile, negligens investituram renovare debito tempore &c. Hæc insinuâsse sufficiat, quantum est fori nostri.

ARTICULUS II.

De Emphyteusi.

SUpponendum 1. de Pereyra in Elu- 1741
cid. n. 991. *Emphyteusim* dici à Græco verbo *Emphyteuo*, quod est *insero, planto, quasi implantatio, insitio*. Nam in Emphyteusim accipit quis rem, ut exsterili, fertilem, quasi plantando, efficiat; ac

ac proinde melioret ; unde Accursius in Authen. de non alienan. §. *scire autem*, affirmat, Emphyteusim dictam *ab Emponemate*, quasi contractum meliorationis ; *emponema* enim, Græce, idem valet, atque latine *melioratio* : Molina tom. 2. D. 445.

1742 Suppon. 2. quod *Emphyteusis* communiter definiatur, contractus, quo res immobilis, quoad utile dominium, conceditur, sub reali pensione, statutis temporibus Domino proprietatis, ea de causa, solvenda : ponitur *contractus* pro genere : additur particula (*res immobilis*) quia, ut colligitur ex L. 2. C. de jure emphyt. contractus hic esse non potest, nisi de re immobili. Consulto non posuit Molina expressionem *temporis* ad vitandas opiniones de perpetuitate, & longitudine temporis ad emphyteusim requisita.

1743 Suppon. 3. exactius definiri à Lessio. l. 2. c. 24. n. 3. quod sit *concessio rei immobilis, cum translatione Dominii utilis, retento directo, sub onere certæ pensionis, proprietario solvendæ (idque vel in perpetuum, vel ad unius, vel plurium vitam) ad certum tempus, quod decennio non sit minus.* Unde differt *emphyteusis* à *locatione*, 1. quod illa solum possit constitui in re immobili, quæ possit cultura effici melior ; 2. quod per eandem transferatur *dominium utile* : 3. quod non fiat ad brevius tempus, quam decennii ; quorum nullum reperitur in locatione, stricte accepta.

1744 Suppon. 4. *Emphyteutam* dici, qui rem in emphyteusim à Domino directo, proindeque dominium utile rei immobilis prædicto modo accipit ; in Codice autem lib. 11. tit. 6. *Conductores* accipi pro emphyteutis, qui fundos utriusque patrimonii Principis in emphyteusim accipiunt, sive saltuenses sint, sive non.

1745 Suppon. 5. apud Azor tom. 3. l. 10. c. 4. *emphyteusim* dividi 1. in Ecclesiasticam, & secularem ; 2. in novam, & veterem ; 3. in hæreditariam, & non hæreditariam ; 4. in emphyteusim ex pacto, & providentia, ac eam, quæ est liberæ nominationis. *Ecclesiastica* dicitur, quæ constituta est in re, cujus proprietatem, seu dominium habet aliqua Ecclesia, monasterium, Collegium Canonicorum, hospitale, domus, quæ sit Religiosus locus ; dominium vero utile habeat sive laicus, sive Clericus : *Secularis*, (quæ etiam *Laica*, & *profana* dicitur) est constituta in re, cujus Dominium directum habet Laicus ; utile vero habet sive Laicus, sive Clericus ; solum enim habetur ratio proprietarii, seu habentis dominium directum.

Nova est, quæ pervenit *ad primum* emphyteuticarium, quamvis detur ea conditione, ut ad hæredes transferatur ; *vetus*, quæ, post finitum tempus primæ emphyteusis, pervenit ad secundum Emphyteuticarium : *Hæreditaria* dicitur, quæ ad hæredes, sive extraneos, & voluntarios ; sive necessarios, & naturales, transfertur : *Non hæreditaria* dicitur, quæ habetur vel donatione, vel venditione, vel permutatione, vel præscriptione, vel nominatione ; non autem, *ex vi hæreditatis.* 1746

Emphyteusis *ex pacto, & providentia* (quæ etiam dicitur *ex familia*, seu *familiæ*) nominatur, in cujus investitura, & concessione, nulla fit mentio hæredum ; & acquiritur pro se, & filiis ; vel, pro se, & descendentibus : emphyteusis *liberæ nominationis* est illa, in quam potest nominari quicunque ; ibi enim idem valet *libera nominatio*, atque *non necessaria* ; Necessaria enim est, per quam nominator cogitur ad nominandum certum, vel aliquem ex certis. 1747

Suppon. 6. quamvis *livellus*, seu *libellus*, vel *contractus Libellaticus* (ut notat Lessius l. 2. c. 24. n. 6.) passim accipiatur tum pro emphyteusi, tum pro feudo (unde communiter id, quod datur in emphyteusim, vel feudum, dicitur dari *in livellum*) tamen annuente Molina tom. 2. D. 471. *Livellus*, seu *contractus livellaticus* dicitur proprie, quando emphyteuta, vel feudatarius rem eam, quam in feudum, vel emphyteusim accepit ; (scilicet contractu) tradit tertio, ut sic veluti *subfeudum*, vel *subemphyteusis.* Unde *livellare* est idem, atque *subinfeudare*, hoc est, primum feudum acceptum, dare in feudum : vel *subemphyteuticare*, hoc est primum emphyteusim acceptã, dare in emphyteusim. 1748

1749 Suppon. 7. per *canonem* emphyteuticum, ut habetur L. *ult.* C. de jure emphyteut. intelligi certam pensionem, quæ in singulos annos solvitur ex re accepta in emphyteusim, ut emphyteutæ dominum semper recognoscat; *canon* enim in jure civili dicitur *anniversaria pensitatio*, seu *præstatio*, quæ à Provincialibus quotannis populo, vel Romano, vel Constantinopolitano gratis mittebatur. Dicitur *canon glebæ*, qui ratione glebæ præstabatur: *canon telonei*, qui ratione mensæ publicanorum pendebatur; per *Laudemium* autem intellige certam partem pretii, seu æstimationis rei venditæ, quæ (ut inquit Lesius cit. n. 57. jure communi est *quinquagesima*; consuetudine vero, *trigesima* quam emphyteuta solvit domino, quando ex ipsius consensu rem emphyteuticam vendit, donat, permutat, seu alienat; his in genere præmissis:

§. 1.

De constitutione emphyteusis.

1750 QUæstio 1. est, an emphyteusis Ecclesiastica necessario constituatur scripturâ? R. probabiliorem affirmare ex L. 1. C. de jure emphyteut. ibi: *pactionibus scriptura interveniente*; ubi nota duos ablativos absolute poni, qui denotant conditionem, ut sensus sit: *si scriptura intervenerit.* Et in L. 2. expresse dicitur: *pactiones in emphyteuticis instrumentis*; & L. 3. *si emphyteuticum instrumentum aliquas pactiones habeat*; esto verum sit, ante prædictas leges non fuisse requisitam, etiam privatam, quæ tamen hodie sufficit; licet Ecclesiastica *perpetua* requirat Scripturam *authoritate publica* confectam, ut constat ex Novella 7. Et hoc in emphyteusi Ecclesiastica *perpetua* communis tenet; circa alias emphyteuses dissentiunt Doctores; probabilior tamen affirmat, propter citates leges, quæ indefinite loquuntur.

Quæstio est 2. in quibus rebus constitui possit? R. quod in solis immobilibus, ex n. 1741. hinc in rebus mobilibus, ne quidem illis juribus, quæ immobilibus comparantur, ut sunt annui reditus perpetui, constitui potest; sic Haunoldus tom. 3. de Just. tr. 9. c. 4. n. 472. Emphyteusis probabilius est contractus *stricti juris*, ut notat Fachinæus l. 2. c. 99. quia, §. 58. Instit. de actionib. (ubi exactè referuntur contractus bonæ fidei) & inter eos non ponitur emphyteusis, quæ, cum propriam habeat naturam (ut dicitur §. 3. Instit. de Locat.) non potest ibi venire sub nomine Locationis, vel Conductionis.

Quæstio est 3. an constitui possit etiam 1752
in re Ecclesiastica? R. Id prohiberi Prælatis, quoad res Ecclesiasticas, non servatis solennitatibus, ut dictum est tit. 13. cum veniat sub nomine alienationis, ut constat ex Extravag. *Ambitiosæ* de rebus Eccles. non alienand. & per eam diminuitur jus Domini. Hæc prohibitio intelligenda est *de novo dando rem Ecclesiasticam in emphyteusim*; non autem, *cum semel data revertitur, ad Ecclesiam*, idque non obstante juramento, quo se obligavit ad res Ecclesiæ non alienandas c. 2. de Feudis; quia sic non tam alienat, quam non acquirit, vel utitur; modo perseveret eadem ratio, & causa concessionis; ea enim cessante rursum dare in emphyteusim esset alienatio prohibita, c. *ut super* 8. de reb. Eccles. non alien.

§. 2.

De obligatione solvendi canonem.

CUm tres communiter emphyteutæ 1753
obligationes recensentur (è quibus prima est solvendi canonis annui; c. 5. de Locat. altera, ne rem emphyteuticam alienet L. 3. C. de jure emphyteutico, quia Domini interest, rem apud alium esse propter actionem personalem, quam transferre invitus non tenetur: 3. ut rem meliorem reddat, secundum nomen, & concessionis rationem. De prima solvendi canonis annui obligatione dicendum, si emphyteuta biennio negligat solutionem canonis, emphyteusim Ecclesiasticam committi, per c. *Potuit.* 5. de locato, ibi: *emphyteuta cessando in solutione canonis per biennium* (nisi

(*nisi celeri satisfactione postmodum sibi consulere studuisset*) *juste potuisset repelli*; *non obstante*, *quod ei ut canonem solveret*, *non extitit nuntiatum: cum in hoc casu dies statuta pro Domino interpellet.* Ex quibus verbis etiam colligitur, jure canonico indulgeri purgationem moræ, satisfactione *celeri*; quæ vero satisfactio requisitam *celeritatem* habeat? non conveniunt Doctores; alii volunt eam *celerem*, quæ fit ante citationem judicialem, sed de hoc c. *fin.* non loquitur; alii dicunt *celerem*, quæ fit post lapsum terminum, interposito tempore modico, v. g. decem dierum, per L. *Promissor.* §. 1. ff. de constit. pec. alii definiunt eam Judicis, vel prudentis arbitrio, cum de illa jus nihil determinet; sic Glossa ad cit. c. *fin.* Zoësius h. t. n. 17. eam vocat *celerem*, quæ fit in continenti lapso biennio; quia, post hoc, Domino jus jam quæsitum est, declarandi rem commissam.

1754 Not. autem, quod neglectus Canonis non inducat rei commissionem, seu caducitatem ipso jure; primo, quia jure canonico mora purgari potest; 2. quia requiritur declaratio Domini per quam dicat, se rem habere pro commissa; vel judicialis, vel extra judicialis. L. 2. C. de jure emphyt. si tamen Dominus post tempus lapsum recipiat canonem debitum, censetur remittere caducitatem. Cæterum licet jus emphyteutæ committatur; domino tamen, ne sibi jus dicat, non licet emphyteutam expellere, authoritate propria, sed publica.

1755 Not. 2. per solutionem canonis solum in parte, non evitari commissionem totius arg. L. *Hæredes* 25. §. *Idem juris.* ff. familiæ Herisund. nec in hoc casu prodesse compensationem; hæc enim fit ipso jure; solutio autem Canonis petit factum hominis agnoscentis Dominium directum in concedente; nec sterilitatem; quia pensio annua non solvitur ratione fructuum: Sed recognoscendi dominii causa, quod etiam in sterilitate manet; re tamen in hostium potestatem redacta, vel alias perdita, emphyteuta liberatur à præstando canone, quia non est *cujus nomine* solvatur.

Not. 3. quod diximus de tempore 1756
solvendi canonis juxta sacros Canones, & pœna commissi ex ejus neglectu; *jure civili* aliter obtinere. Nam L. 2. C. de jure emphyteut. emphyteusis laica committitur neglectu Canonis non soluti *triennio*; nec moræ purgatio indulgetur; esto non foret interpellatus à Domino, nisi aliud deductum sit in pactum; quod aliqui volunt procedere, licet Ecclesia haberet emphyteusim communem, hoc est, non Ecclesiasticam; hoc tamen discrimine, quod illi concederetur beneficium restitutionis in integrum.

Not. 4. quantitatem Canonis, seu pensionis ab Emphyteuta solvendæ, pendere ex arbitrio contrahentium, considerata proportione fructuum sperandorum; constitui potest in pecunia; vel qualibet re alia æquivalente; anni tempus pro solutione non est certum, sed constitui potest conventione partium.

§. 3.

De venditione rei emphyteusi subjectæ.

ALteram emphyteutæ obligationem 1757
esse diximus, *ne rem emphyteuticam alienet*; sed hoc intellige de alienatione *perfecta per traditionem*; quamdiu enim res in bonis emphyteutæ manet, non potest dici alienata; hinc, sub alienationis nomine hic, venit quilibet actus, quo res dominum mutat; sic Zoësius de locato n. 21. excipitur tamen *mutatio per venditionem*; hæc enim citra pœnam commissi emphyteutæ licet, si prius domino venditionem denuntiet, &, ille vel emere recusat, vel post denuntiationem, bimestri Siluit. L. 3. C. de jure emphyt. & c. *fin.* de locat. at in tali casu venditionis domino debetur honorarium non pro libitu Domini exigendum; sed restrictum, per cit. L. 3. ad quinquagesimam partem pretii, vel æstimationis; quod honorarium, vulgo *laudemium* dicitur, quamvis jam Domini directi, in casu, quo res emphyteutica alienatur, exigant in multis locis partem decimam pretii, ut alibi diximus,

imo

imo & tertiam; sed de laudemio V. infra à n. 1763.

1758 Circa hunc casum de alienatione rei emphyteuticæ not. 1. Emphyteutam, absque periculo caducitatis, posse rem emphyteuticam, & meliorationes exponere venales ad explorandum, quanto pretio possit habere emptorem? ratio est, quia; quando illam vult vendere, debet attestationem Domino transmittere, & prædicere, quantum pretium ab alio revera accipi potest L. 3. C. h. t. & ut habetur c. *potuit*, de locato, ei nuntiare, quantum sibi ab aliis offeratur; atqui non posset hoc nuntiare, nisi prius exposuisset venalem rem, neque ad hanc expositionem faciendam requirunt jura consensum Domini; ergo. &c.

1759 Not. 2. Cum, recusante emptionem Domino, emphyteuta rem vendit alteri; hunc debere esse talem, ut à Domino ex alio capite non possit merito recusari, id, quod notatur L. 3. C. h. t. ibi: *his tamen personis, quæ non solent in emphyteuticis contractibus vetari ad hujusmodi venire emptionem.* De his V. Molin. D. 459. à n. 4.

1760 Not. 3. Si emphyteuta venderet rem, non observatis his, quæ ad hoc requisita esse præmisimus, eum incidere in commissum tam juris empiyteutici, quam meliorationum, & venditio esset nulla, quia jure prohibita L. 3. C. eod. in fine ibi: *sin autem aliter fuerit versatus, quam nostra constitutio disposuit jure emphyteutico cadat.*

1761 Not. 4. emphyteutam posse rem emphyteuticam oppignorare, vel ei servitutem imponere non requisito consensu domini; dummodo hinc nullum præjudicium immineat Domino. L. 16. §. 2. ff. de pignor. act. ibi: *etiam vectigale prædium pignori dari potest*; idem est dicendum de servitutis impositione, quæ tamen non diutius duret, quam emphyteusis utile dominium; hac enim ratione nemini, nisi sibi emphyteuta præjudicat.

1762 Not. 5. Eundem posse rem ad breve tempus locare pro pensione; imo etiam ad longum, non quidem rem ipsam (hoc enim esset Subemphyteuticare, quod non licet sine consensu domini, quia est alienatio, & contractus emphyteuticus novus, & ex communi tradit Molin. D. 445. seqq. & D. 461. n. 2.) sed commoditatem juxta factam explicationem supr. à n. 1257.

§. 4.

De solutione laudemii.

SUppon. debitum *Laudemii* (de quo n. 1749.) fundari in L. 3. C. de jure emphyteut. ubi postquam definitum est, quod Dominus directus emptorem juris emphyteutici, debite venditi, teneatur in possessionem suscipere, additur: *& ne avaritia tenti Domini magnam molem pecuniarum, propter hoc, efflagitent, non amplius eis liceat, pro subscriptione sua, vel depositione, nisi quinquagesimam partem pretii, vel æstimationis loci, qui ad aliam personam transfertur, accipere.* Ex hac juris communis constitutione coll. 1. Laudemium deberi, quando locus (intellige res emphyteutica) transfertur in aliam personam; 2. hoc laudemii debitum fundari in investitura *novi* emphyteutæ, ut habetur L. cit. 3. quantitatem laudemii præstandi lege taxari *ne propter hoc Domini ex avaritia magnam molem pecuniarum efflagitent*, esto hodie in multis locis etiam decimam pretii, vel æstimationis partem admittat consuetudo. 1763

Sed nota, hanc juris communis constitutionem limitari 1. ut non procedat, cum resoluto contractu, vel pacto de redimendo, res redit ad venditorem; ita Lessius lib. 2. de jure, & Just. c. 24. n. 57. Streinius p. 2. in summa juris can. tit. 10. §. 2. n. 4. Sylvest. V. *Emphyteusis* n. 28. ex Bartol. & aliis; sed intellige in casu, quo causa retrovendendi non est *nova*. Unde Haunold. tom. 3. tract. de emphyt. n. 550. universim docet (si concessum fuit emphyteutæ in prima constitutione, ut posset alium nominare) non deberi laudemium, esto emphyteusis relinquatur alteri titulo legati, hæreditatis, vel nominationis, quia non celebratur *novus* contractus. 1764

Limitatur 2. ut de jure non debeatur laudemium, quando rem emphyteuticam inter se dividunt hæredes; ita Lessius, 1765

sius, Sylv. Strem. cit. & alii; cum hæc alienatio sit necessaria; nam in casu alienationis *necessariæ*, jure communi, non deberi laudemium, passim docent legistæ, canonistæ, volentes deberi solum, cum alienatio est *voluntaria*, ut etiam docet Bartol. in L. *& ideo.* ff. de cond. furt. Sylv. Lessius, & expresse Sichardus cit. n. 35. alienationem vocans *necessariam*, ad quam me lex adigit; qui doctrinam suam firmat L. *fin.* de litig. ubi dicitur, *quod, licet nec res, actio litigiosa possit in alterum alienari sub pœna*, quæ ibi exprimitur; *illa pœna tamen non extendatur ad eos, qui alienant de necessitate* (nimirum lege ad hoc adigente) id quod apud Sichardum cit. n. 36. etiam docet Jason, affirmans non deberi laudemium in casu alienationis *necessariæ.*

1766 Limitatur 3. ut non debeatur laudemium, quando hæres necessarius rem emphyteuticam accipit titulo hæreditatis; ita Lessius, Sylv. Strein. cit. quia debitum laudemii fundatur in labore domini *novum* emphyteutam mittendi in possessionem; ita communis cum Sichardo cit. n. 32. & Gloss. in L. *fin.* de re emphyt. V. *æstimationis*; Sed hoc in dato casu non requiritur, cum talis hæres authoritate propria possit adire hæreditatem, ut dicitur in authent. de hær. & fa. §. *in omnibus.* ergo. Hæc limitatio universalis est ita, ut procedat, quotiescunque is, qui succedit, in priori investitura est comprehensus; nam laudemium eo tantum casu debetur domino directo, quo res emphyteutica transit in emphyteutam *novum*; sed qui in priori investitura comprehensus est, non est emphyteuta *novus*; ergo hic non cogetur solvere laudemium; ita in terminis Sichardus cit. n. 34. Streinius cit. n. 4.

1767 Limitatur 4. ut laudemium non debeatur, si transit res emphyteutica ad aliquam communitatem *per consequentiam personæ*, quam sequitur jus suum, eique cohærens, ita Sanchez l. 7. Decal. c. 15. n. 65. Tum quia sic manet idem emphyteuta, & communitas illum habens, habet jus emphyteuticum, ratione illius, non ratione sui, ut dictum est n. 1716. tum quia sic penes talem communitatem est jus emphyteuticum, non ex alienatione, sed ratione partis, seu personæ in istum translatæ, quo casu manifestum est, quod jus emphyteuticum in totam communitatem illam non transeat ex eo, *quod illud à se alienet pars in ipsam translata*, sed quod illud secum per consequentiam suæ personæ (cui, quam diu naturaliter vivit, cohæret) secum ferat, & de inserendo illi, secum inserat toti; & sic clarum est, non intervenire alienationem, vel mutationem; sed tantum naturalem acquisitionem, ob quam nullum deberi laudemium indubitabile videtur ex n. 1763. ergo.

Dices: limitationes istas procedere 1768
quidem de jure communi, sed non consuetudinario; nam per Cæsarea generalia, præsertim Ferdinandi II. de 9. August. 1624. per tota Styria concessum est, jus exigendi laudemium à quolibet, ubi fit *venditio*, vel *mutatio*, ibi: **Vnd die gnädigste Verwilligung gethan / daß von allen und jeden Pergrechtern / von nun an / in künfftigen Verkauffung / oder Veränderung / in dem gantzen Land Steyer der zehende Pfenning abgefordert / und eingenommen werden möge:** & ab his generalibus *nulla mutatio* (**Veränderung**) immunis est; nisi 1. cum parens, vel Mater unum tantum filium, vel filiam, nepotem, aut neptem relinquit. 2. si relinquat plures, quam diu manent in communione: hæc explicatio hujus vocis (**Veränderung**) facta est 1. per declarationem Ferdinandi III. de 8. Junii 1646. & rursum per declarationem Leopoldi I. de 21. Nov. 1659. Ex quo sequitur, etiam in eo casu laudemium deberi, pro quo *descendentes*, qui post obitum majorum suorum, vineam v. g. emphyteuticam indivisim possederunt, per divisionem à communione recedunt.

R. Verum esse, jus illud exigendi 1769
laudemium (quod in cit. rescriptis Ferdinandi III. & Leopoldi I. vocatur *privilegium*) à Ferdinando II. ut dictum est, *generaliter* concessum esse pro Styria:

ria: Sed not. 1. ex materia subſtrata, & natura reſcripti ad querelam principi depoſitam, ſenſum ejus eruendum. Propoſitum fuit ex vineis, quæ pluribus oneribus ſubjectæ fuerant, fieri alia novalia, vel econtra, & ab emphyteutis vinearum in venditione novalium, vel novarum vinearum ab emphyteutis domino directo laudemium negari &c. &c. ac inde longas naſci lites; econtra per duos directos verbum illud mutatio (**Veränderung**) nimium extrudi, ac laudemium exigi etiam in caſibus, ubi non intervenit *mutatio*, cui ſit annexum jus exigendi laudemium; cui malo poſiturus medium Imperator dedit reſcriptum ſupra citatum, & ſtatuit in caſu venditionis, vel *mutationis* deberi laudemium; quo habetur, per hoc reſcriptum verbum mutatio (**Veränderung**) in ſtatu juris communis relictum eſſe, & ſolum declaratam eſſe materiam, ſupra quam cadit *mutatio*, habens annexum onus pendendi laudemium; quare per hoc limitationes à n. 1764. poſitæ, non evertuntur, cum non verſentur circa materiam *mutationis*; ſed ipſam *mutationem*.

1770 Not. 2. quòd, cum domini directi, poſt ea generalia Ferdinandi II. publicata, illud verbum *alienatio*, vel *mutatio* (**Veränderung**) valde ampliaverint, & in emphyteutarum grave præjudicium extenderint, ſpecialiter reſpectu **der Erbfähl** / & in caſu hæreditariæ ſucceſſionis, ut expreſsè ponitur in omnibus reſcriptis Ferdinandi III. & Leopoldi Cæſaris, ſupplicatum fuerit Imperatori, ut pro communi tranquillitate dignaretur declarare ſenſum verbi *mutatio* (ſeu **Veränderung**) reſpectu **der Erbfähl** / & hæreditariæ ſucceſſionis; ad hanc ſupplicationem in præcit. reſcript. datam eſſe iſtam claram Cæſaris reſolutionem, quæ ponitur in object. quòd hoc verbum *mutatio* (**Veränderung**) de præſtando laudemio, locum non habeat vi generalis reſcripti. 1. **Wann ein Vatter oder Mutter nur ein Sohn / oder Tochter / oder ein Enckel unterlaſſen thäte**; 2. **Da mehr Kinder oder** Nepotes **vorhanden wären / welche den von ihrem Vatter oder Mutter / Oehul oder Andl ererbten Weingarten in** communione **behalten / und mit einander hauen und bauen würden**; quibus poſitis:

Reſp. dictam objectionem in n. 1768. & multas alias, ex eo Cæſaris reſcripto malè inferre; ergo *ut primum hæredes dividunt*, vel per ipſam diviſionem à communione recedunt, ex illa vinea hæreditaria debetur laudemium; nam huic ſequelæ expreſsè prævenit eſt, utriusque Imperatoris reſcripto, ubi declaratur, tunc ſolum deberi laudemium *per receſſum* ex communione, quando *non per ipſam diviſionem* hæredum, ſed *poſt diviſionem* vinea, vel ad unum ex his, qui erant in communione, vel ad extraneum, venditione perveniret, ibi: **So bald ſie aber / nach beſchehener Abtheilung / den ererbten Weingarten einem auß ihnen / oder einem Frembden verkauffen würden / ſolches alsdann für ein wahre Veränderung gehalten / und ſie alsdann / den 10. Pfenning darvon zu geben / ſchuldig ſeyn**; ergo non per qualemcunque receſſum à communione, vel per ipſam diviſionem; Sed tantum tunc, cum poſt factam diviſionem per venditionem tranſit ad unum ex illis, vel ad extraneum. Ex hoc autem clarè ſequitur prædictis limitationibus per hæc Cæſarea generalia non derogari; cum per ea circa juris communis conſtitut onem nihil ſit immutatum; ſed tantum declaratum, extenſionem illam (de qua quæſitum fuit) in propoſitis caſibus non habere locum, & laudemium etiam deberi in caſu, eſto vinea tranſierit in novale, ſi alienetur, vel econtra. 1771

§. 5.

An emphyteuſis cum Emphyteuta tranſeat ad Religionem?

HÆc quæſtio etiam proponi ſolet de uſufructuario Religionem profeſſo; & 1772

& quoniam, resoluta quæstione præsenti, facilè quoque statuetur de Emphyteusi; dicendum usumfructum non extingui usufructuarii professione in Religione bonorum capaci; hanc sententiam tuetur Cynus, Baldus, Salycetus, Bartolus, Sylvester, Molina, Azor, & plurimi alii, quos citat & sequitur Thomas Sanchez l. 7. Decalogi c. 13. n. 48. ante prob. not. 1. monasterium, habens jus bonorum in communi, & successionis, succedere in omnia religiosi bona, de quibus ante professionem non disposuit, sive ab ipso ante professionem, sive post acquisita sint, sive titulo donationis, hæreditatis, aut quocunque alio acquisiverit; Constat apertè §. *Ingressi.* & §. *Si qua mulier.* C. de Sacrosanct. Eccles. desumpt. ex §. *illud quoq;* Authent. de Monachis, & §. *si qua.* Authent. de sanctiss. Episc. Item c. *Si qua mulier*, & c. *quia ingredientibus.* 19. q. 3. de hac legum vi diximus à n. 1711.

1773 Probatur assertio in n. præced. Monasterium ipso facto, seu ingressu personæ in ipsum translatæ, accessoriè, & per consequentiam personæ, sine ulla exceptione alicujus juris, succedit in omnia bona sui professi, quæ ante ingressum habet, & de quibus ante non disposuit ex n. præced. Sed inter Professi bona, ususfructus est aliquod bonum, quod habuit ante ingressum, ut ponitur in casu; ergo si de illo ante ingressum non disposuit, per consequentiam personæ, & accessoriè transit in Monasterium; ergo religiosa professione non extinguitur; & ita docent Gloss. Auth. *ingressi* v. *dedicant.* Cynus, Baldus & alii, quos citat, & sequitur Sanchez cit. c. 13. n. 48.

1774 Ex hoc etiam p. ad principalem quæstionem in n. 1772. nimirum per professionem religiosam jus emphyteuticum cum emphyteuta transire in monasterium capax bonorum in communi; Loquimur autem 1. de homine, qui habet jus emphyteuticum ante ingressum in Religionem capacem bonorum in communi. Loquimur 2. in casu emphyteusis hæreditariæ, in cujus constitutione non est adjecta clausula, *ne transferatur in Ecclesiam*: quo posito, ratio nostri asserti est, quia Monasterium capax bonorum in communi per professionem Religiosam ipso facto succedit in omnia bona sui Professi ante ingressum habita, de quibus antè non disposuit, idque sine ulla exceptione, ut probatum est n. 1773. sed inter bona emphyteutæ professi, ante ingressum ponitur emphyteusis, de qua loquimur; ergo monasterium capax bonorum in communi per professionem religiosam emphyteutæ, ipso facto, seu ingressu succedit in ejus emphyteusim, si ante ingressum de illa non disposuit; ita sine limitatione tenet Laym. l. 3. tr. 4. c. 43. n. 15. Jason in L. 2. C. de jure emphyt. & alii, quos citat, & sequitur Streinius p. 2. Jur. can. tit. 10. §. 2. n. 6. ex c. *Beneficium* v. *conferendum* de Regularib. in 6.

Not. autem quod Abbas c. *In præsentia* de probat. & Jul. Clarus l. 4. receptar. §. *emphyteusis* q. 33. docent; emphyteusim non modò Ecclesiasticam, sed etiam secularem in hoc casu transire in Monasterium, sed revocabiliter, ita, ut sit in opinione domini directi, consentire translationi, vel cogere monasterium, ut alienet à se, transferendo illam in personam non magis privilegiatam, ac fuerit primus emphyteuta. Rationem dant, quia, si monasterium ad hoc non posset cogi, conditio domini directi redderetur deterior, quia periret Spes laudemii unquam sibi solvendi, & utilis dominii ad se redituri. 1775

Verum hæc clausula (sed *revocabiliter*) immeritò apponitur; cum omnia professi jura, sine ullius exceptione, clarissima legum dispositione, per canones recepta, sequantur personam professi Religionem capacem bonorum in communi, nec alio jure cautum sit, licere habenti dominium directum (præterquam Ecclesiæ) revocare rem emphyteuticam sic translatam; nam Ecclesiæ, tanquam aliquid speciale, concessa est facultas revocationis intra biennium §. 1. auth. de alienat. & emphyt. nec urget ratio in contrarium, qua dicitur, quod, si res emphyteutica, cum emphyta professo, non revocabiliter, transiret in monasterium, conditio domini directi fieret deterior, quia hoc fallit *quoad* 1776

laudemium ; nam dominus directus jus laudemii, recipiendi deinceps titulo hujus emphyteutæ semel ritè investiti, nec habet, nec habuit, nisi cum ab hoc jus emphyteuticum transfertur *in aliam personam*; sed hoc totum illi salvum manet, esto cum emphyteuta per consequentiam personæ transeat in monasterium, ut patebit ex sequent. ergo quoad hoc punctum, etiam stante asserto nostro, conditio Domini directi non evadit deterior.

1777 Sed nec evadit deterior ex altero capite, quòd deficeret spes utilis dominii ad se unquam redituri ; nam talis emphyteuta translatus in monasterium, vel habet jus utile sibi constitutum ad certum terminum ? vel sine termino ? si primum ? fit caducum lapsu præfixi termini; si secundum ? caducum erit juxta dicta. Cœterum, esto in dato casu, conditio Domini directi (negati illi jure revocationis) evaderet deterior, ipse sibi imputare debet, quòd hoc non deduxerit in pactum ; & ideo hanc sententiam apud Sanch. cit. tenent Baldus auth. *Ingressi.* n. 22. C. de ss. Eccles. Salycet. Decius, Sylv. v. *Religio.* 6. q. q. dict. 2. Azor Instit. Moral. tom. 1. L. 12. c. 8. q. 4. &c. Hinc, si emphyteusis concessa sit illi professo ante ingressum, pro se, & suis hæredibus, transire illam in monasterium perpetuò, & irrevocabiliter, sive secularis sit, sive Ecclesiastica, docet Bartol. authent. *ingressi.* in secunda lectura n. 37. Beroius c. *in præsentia.* de probat. n. 419. excipe nisi ex alio capite fiat caduca, v. g. non soluto canone ; ratio est, quia concedens potuit cogitare, quod talis emphyteuta habere possit, in hæredem, Monasterium, quod nunquam perit. Ex quo sequitur, idem dicendum, non tantum in casu emphyteusis à professo ante ingressum habitæ; sed etiam, post ingressum acquisitæ per hæreditatem.

1778 Dixi, quando non est adjectum pactum, *ne transeat in Ecclesiam*, vel *Monasterium*; hinc quæstio est, an ejusmodi pactum obstet, quò minus, emphyteutæ professione, transeat in Monasterium ? R. negativè cum Sanchez cit. c. 15. n. 65. contra Haunoldum tom. 1. de Just. tr. 4. n. 27. cujus ratio jam soluta est supra ; nam illa translatio, *in pactum deducta*, intelligitur de translatione *voluntaria*, & nascente ex facto hominis; non autem *necessaria*, seu inducta à lege, in consequentiam personæ translatæ, & pro ejus vita ; cujus ratio est; quia eo jure, ratione personæ translatæ, monasterium habet bona sui professi (quam diu ille naturaliter vivit) quo jure illa possessurus erat professus, si mansisset in seculo juxta dicta : Sed non obstante pacto, *ne alienet, vel transferat in Ecclesiam*, illa possessurus erat toto vitæ tempore : ergo illa similiter habere potest monasterium ratione personæ in ipsum translatæ, quam diu professus naturaliter vivit.

§. 6.

An, quando emphyteusis transit in dicto casu ad Monasterium, Domino directo debeatur laudemium?

QUæstio 1. procedit de tempore, quo 1779
emphyteuta naturaliter vivit? Resp. quod non ; ex L. *fin.* C. de re emphyt. relata superius n. 1763. sed in casu, quo transit ad monasterium per consequentiam personæ, seu ipsius emphyteutæ professi, non transit ad aliam personam, ut probatum est n. 1766. & confirmatur 1. ex dictis num. 1767. nam si monasterium recipiens emphyteusim ratione ipsius personæ, seu emphyteutæ professi, esset *alia* persona, non posset recipere usumfructum per professionem usufructuarii ; hoc autem falsum est ex dict. loc. cit. ergo. Confirmatur 2. quia laudemium non debetur, cum alienatio, vel mutatio est *necessaria* ex n. 1765. sed in casu, quo emphyteuta profitetur, & prius non dispositi, esto foret aliqua mutatio, ea tamen foret alienatio, vel mutatio solum *necessaria*, adigente ad hoc dispositione legum, tum civilium tum canonicarum, ut per se patet; ergo. Confirm. 3. ubi non est *novus* emphyteuta; non debetur laudemium, ut expressè docet Sichardus cum aliis relatus n. 1766. sed in hoc casu non est

novus

novus emphyteuta, quam diu professus naturaliter vivit, ut ostensum est n. 1779. maximè, si in prima investitura primo emphyteutæ, & ejus hæredibus jus utile, constitutum sit, ut notavimus ex Sichardo n. cit. ergo.

1780 Altera quæstio est, an debeatur laudemium, quando res emphyteutica, post professionem emphyteutæ, ad monasterium, successionis capax, devolvitur ex hæreditate paterna? Resp. quod non, quam diu talis professus naturaliter vivit; ratio est, quia monasterium successionis capax, & ratione sui professi ex paterna hæreditate succedens in rem emphyteuticam, eo ipso succedit jure suitatis, & ut hæres necessarius ex n. 1766. sed in tali casu non debetur laudemium ex n. cit. Ergo. & confirm. 1. cit. argumentis prioris §. Secundò ex hoc, quia monasterium habet omnia jura sui professi perinde, ac si iste religionem professus non fuisset ex n. 1778. sed si iste professus non esset, nullum directo domino deberet laudemium in casu, quo res emphyteutica ad illum deveniret *jure Suitatis*, ut passim docent authores; ergo etiam nullum debetur directo domino laudemium in casu, quo venit eodem jure ad monasterium ratione professi, post ingressum.

1781 Dices 1. *laudemium* debetur, quoties fit *vera mutatio* emphyteutæ, sed quando jus emphyteuticum transit ad monasterium, sive per professionem ipsius emphyteutæ, sive per hæreditatem paternam devolutam ad filium, jam professum in Religione, successionis capaci, fit vera mutatio emphyteutæ: ergo in utroque casu debetur laudemium. Min. pat. quia *mutatio* consistit in *translatione* rei emphyteuticæ v. g. vineæ; sed hanc professus per professionem transfert in Monasterium: ergo per professionem fit *mutatio*. Resp. 1. N. ma. universaliter, idque non tantum ex mente Doctorum, qui Religiosi sunt; sed etiam secularium, ut Bartoli, Sichardi, & aliorum plurimorum quos retulimus à n. 1763. quibus ex Religiosis accedit Ludovicus Engel. p. 1. l. 1. tit. 21. §. 3. n. 11. in editione 1671. & in Colleg. juris canon. l. 3. tit. 31. n. 37. Nec video, quomodo rejici possit hæc authoritas ex eo, quod sit *Doctoris Religiosi*; si rem controversam definiat fundamento liquido, & in jure fundato, nisi velis ex eo, quod sententiam suam dicat in favorem monasterii; sed sic ponis argumentum longè validius in omnibus, quoties Jurisconsulti favent seculo. Illa igitur major fallit de jure communi, cum mutatio est *necessaria*, vel fit *per consequentiam personæ*, ut notatum est à n. 1767. & seq. Neque his præjudicant in his terris generalia Principum, sed potius corroborant, ut ostensum est à n. 1768. ergo.

Hinc in forma dist. ma. laudemium 1782
debetur, quoties fit *vera mutatio* emphyteutæ *voluntaria*, trans. ma. *necessaria*, N. ma. sed in casu, quo emphyteusis per ipsum professum transit in Monasterium consequentia personæ inprimis nulla est *mutatio personæ* ex n. 1766. & si esset, esset mutatio solum *necessaria* ex n. cit. in casu autem, quo à Patre immediatè per hæreditatem paternam devolvitur ad filium post professionem, acquiritur jure suitatis, ut ostensum est n. cit. ergo. Quidam negat, filium post professionem religiosam in religione successionis, & bonorum in communi capace, jus suitatis retinere, *allegans*, se id nunquam legisse; sed hoc nihil probat, cum id expresse doceat notissimus Sanchez l. 7. Decal. c. 12. n. 5. ubi ait: *hoc passim teneri à Doctoribus, nemine, quem viderit, contradicente*; certum autem est à Thoma Sanch. & visos, & lectos esse quam plurimos, ut constabit inspicienti ejus opera sapientissima.

Ad. 2. Data majori in object. n. 1781. 1783
posita, n. min. ad prob. dico, mutationem, propter quam debetur laudemium, non esse qualemcunque translationem juris emphyteutici; sed translationem, qua desinat esse *in priori persona*, & constituitur *in alia*, constat ex n. 1763. & 1785. cum seq. at translatione rei *cum ipsa persona*, seu *solum per consequentiam personæ* non aufertur *à priori persona*, sed in illa remanens, cum ipsa transfertur in monasterium; ergo in hoc casu non fit *mutatio personæ* habentis jus utile, sed ad summum modus illud habendi, nimirum in hoc, quod antea jus utile habuerit cum potestate in illo disponen-

di per se ipsum immediatè, & post ingressum habeat jus de illo disponendi, sed dependenter ab eo, qui gerit administrationem bonorum pertinentium ad communitatem, cujus ipse est pars, id, quod etiam ad dies vitæ facere *non professus*.

1784 Negandum igitur est, quod per professionem religiosam, in religione bonorum in communi, & successionis capaci, fiat *vera mutatio*, in qua fundatur jus exigendi laudemium, vel professus sit *exutus* omni dominio, & *proprio, etiam in communi*; nam professio religiosa in ejusmodi religione, non æquivalet morti naturali, ut probatum est lib. 2. tit. 1. &, licet professus censeatur *mortuus spiritualiter*, (nimirum quoad propriam voluntatem, quam Dei causâ subdit alteri) non est tamen *mortuus civiliter* (proprie loquendo) nimirum, quoad effectus juris, nec in sensu juris perdit libertatem, sicut *servus*; alias enim nec de licentia Prælati posset stare in judicio, vel disponere de rebus, quas ante ingressum habuit &c. quod tamen passim negatur, & est contra notissimam praxim.

1785 Ex dictis coll. 1. negandum esse, quod jus utile in dato casu emphyteutæ professi, *ab hoc in alienum dominum transferatur*; esto verum sit, quod *cum ipse*, & per consequentiam personæ in monasterium transeat, sic tamen, ut solum ratione ipsius; non autem ratione sui, monasterium illud habeat, quam diu professus naturaliter vivit; igitur jus suum non transfert in monasterium, illud à se omnino alienando, sed tantum in communionem admittendo.

Coll. 2. esto transmittatur (si professus ante ingressum fratri suo relinqueret jus emphyteuticum, vel hic illi, aut Pater filio, alio titulo, quam hæreditatis) deberi laudemium; negari tamen, hoc deberi in casibus propositis 1. quia frater non habet ipso facto omnia jura fratris, sicut religio omnia jura sui professi ex n. 1780. secundo, quia ibi jus utile non transit ad alterum mutatione *necessaria*, vel per consequentiam personæ. 3. quia filius eo casu emphyteusim non haberet, *ut hæres suus*. Denique illud antecedens fallit in casibus expressis à n. 1768.

Coll. 3. ex eo, quod (si quis uxori 1786
suæ donaret vineam emphyteuticam) deberetur laudemium; nullam fieri paritatem & casum, quo emphyteuta illam per professionem secumfert ad monasterium. Nam 1. hæc translatio est *necessaria*, & per consequentiam personæ; non illa; 2. hæc translatio est per transitum emphyteutæ in communitatem, in qua se Deo dedicat; non illa 3. uxor per connubium, non est *eadem persona cum viro, juridice*, nec per hoc, quod conjuges sint duo in carne una, sunt eadem persona in juribus. Nec enim ex hoc uxor succedit in omnia bona viri sui, sicut monasterium in omnia jura sui professi ex n. 1780.

Coll. 4. Nec bene fieri paritatem ad casum, quo jus emphyteuticum ex hæreditate paterna post religiosam professionem devolvitur ad monasterium, ratione sui professi; quia monasterium ratione sui professi, tunc stat, ut hæres suus ex dictis: hinc sine ullo fundamento juris dicitur, quod filius jura, vel privilegia, filiis, aut descendentibus concessa ex rescripto Principis, per consequentiam personæ non ferat secum ad monasterium, in quo profitetur; Nam 1. manifeste id repugnat legibus allatis in supra, quæ clare dicunt, quod cum sequantur omnia sua jura, & res; nec statutum aut consuetudo ulla, ut notavimus n. 1774. (nisi legitima) illi derogare potest, quæ in his terris nulla extat, ex n. 1768. cum rescripta Principum pro his terris potiori jure firment sententiam nostram; nam licet ejusmodi rescriptum etiam in stricta interpretatione sumatur; certum tamen est, quod per professionem non desinat *naturaliter*, esse filius, ut manifestum est omnibus, sed nec *civiliter* desinit esse filius; quia professio religiosa in religione bonorum in communi, & successionis capaci, non habet vim extinguendi jus filii in professo (ut certum est apud omnes Canonistas, scribentes de jure Regularium) sed tantum ligandi eum, ut eo non utatur licitè, vel etiam validè, nisi dependenter à voluntate illius, qui nomine communi administrat bona talis monasterii.

Coll. 5. esto darem, quod in rescri- 1787
ptis

ptis pura veritas, non autem fictio inſpicienda ſit (quod tamen in plurimis fallit) in caſu tamen noſtro, profeſſum illum in religione (de qua loquimur) poſt profeſſionem æquè, ac ante, eſſe filium, & habere jura filii, veritas eſt, non juris fictio; nam jus filiationis per profeſſionem in ejusmodi religione non extinguitur; quia, cum certum ſit, incapacitatem dominii non eſſe *ex natura voti paupertatis*, etiam *ſolemniter* profeſſæ, ut conſtabit amplius ex dicendis; ſed tantum ſpeciali conſtitutione juris poſitivi, ut expreſſè definivit Gregorius XIII. in bulla *aſcendente.* edita 1584. 8. Calend. Junii, & alias habetur c. *unic.* de voto, in 6. eo ipſo in nullo profeſſo, vi ſuæ profeſſionis ulla, vel major incapacitas dominii, aut juris erit, quam Eccleſiæ conſtitutione definitum ſit; at in filiis; vi ſuæ profeſſionis, in religione bonorum, & ſucceſſionis capaci, extingui jus filiationis nullibi definitum eſt in jure; imo contrarium apertè conſtat ex dictis; ergo falſum eſt, quod profeſſus ſola *juris fictione*, & non *vere* retineat jus ſuitatis, & re ipſa, ex qualitate filii, receſſerit per profeſſionem: accedit, quod per Generalia Cæſarum, reſpectu Styriæ, non qualiscunque receſſus ex communione hæredum, ſed tantum receſſus *per venditionem rei*, poſt hæreditatis diviſionem, pariat obligationem laudemii ex n. 1771.

1788 Nec ex eo (quod, ſi profeſſus vellet, major autem pars nollet, vendi vineam v. g. ipſius ſuffragium nullum eſſet) recte ſequitur: ergo nullum habet dominium, quia juxta n. per uſum præciſè annullatum, non eſt annullatum jus; alias pupillus non eſſet rei dominus; quia, quando absque authoritate tutoris, extra caſum ſibi lucroſum, diſponit de re ſua, diſpoſitio eſt jure nulla; at ex hoc non recte arguitur, pupillum non habere illius rei dominium, licet ſit vinculatum; ergo etiam ex illo caſu non recte arguitur, profeſſum nullum illius rei habere dominium, quia, ut recte notat Wadingus de contractibus D. 2. d. 2. religioſi, qui adminiſtrationem non habent, aut licentiam Prælati, quoad ſuos contractus comparantur pupillis. 2. quia per hoc ſolum ſequitur, eum carere adminiſtratione, & jure diſponendi particulariter, non autem communiter, ut dictum eſt; ergo.

Coll. 6. eſto detur, quod, ſi monaſterio legâſſet vineam, hoc deberet laudemium ipſo *naturaliter* mortuo; non tamen idem ſequi, quando ipſe vineam emphyteuticam per religioſam profeſſionem, & conſequentiam perſonæ fert ad monaſterium, aut monaſterio obvenit hæreditate paterna, ratione filii profeſſi; nam in caſu legati monaſterium non habeat vineam *ratione perſonæ* in ipſum translatæ, ſed *facto hominis*, ſeu *diſpoſitione legantis*; ſecus in caſu, quo vinea ſequitur emphyteutam; nam in hoc caſu monaſterium non capit vineam, ut *hæres* ſui profeſſi, ex dict. nec in eo caſu legati monaſterium recipit vineam, ut *hæres ſuus*; ſecus in caſu vineæ poſt profeſſionem filii, obitu patris ad monaſterium, ratione profeſſi, devolutæ, ut dictum eſt n. 1780. 1789

Et ideo notandum, quod, quando dicitur, *monaſterium haberi, & eſſe loco filii*, non ſit ſenſus, quod monaſterium habeatur tanquam *filius, perſonæ in ipſum translatæ* profeſſione, eique ſuccedat, *ut filius ejus* (quia ſic monaſterium eſſet in poteſtate ſui profeſſi) ſed quod monaſterium eodem modo, ratione ſui profeſſi ſtet loco filii reſpectu ejus, reſpectu cujus ille profeſſus habetur filius; quia, ut dictum eſt, filius monaſterium ingreſſus nihil perdit ex illis juribus, quæ ante habebat, quoad ſucceſſiones in bona parentum, retinetque jura ſuitatis, & ſimilia; hinc monaſterium (ſi moriatur ſecularis parens profeſſi) intentat nomine ſui religioſi (qui adhuc vivit naturaliter) petitionem hæreditatis (ut fundatè docet Wadingus ibid. cit.) & ejus præteritione, teſtamentum rumpitur æquè, ac in caſu præteriti filii non religioſi. 1790

Dices 2. ſi ex eo, quod filius in monaſterio bonorum, & ſucceſſionis capaci profitendo, ſecum ad illud ferat rem emphyteuticam, non deberet ſolvi laudemium, fieret magnum præjudicium dominis directis; ergo tali caſu ſolvendum eſt laudemium; verum ex quo capite? an, quia per hoc fit mutatio? 1791

tatio ? in qua fundatur debitum laudemii ? sed hoc negatur ex dict. à n. 1779. an, quia eadem persona sed nunc religiosa vineam habet jure posſidendi bona communiter ? at per hoc non ostenditur, quod sit *novus* emphyteuta ex n. 1766. sed tantum, quod sit idē in alio statu & quidē in statu sacro, propter quod gravari religionem, quæ loco filii recipit illū emphyteutam, alienum est à recto, & omni juris æquitate. Accedit, quod in nullo præjudicetur domino directo, esto in dato casu non solvatur laudemium; quia per hoc nihil perdit, quod ei obvenisset, si emphyteuta non esset professus à n. 1766. nam ejus naturali morte secuta, monasterium pendet laudemium; quia tunc capit vineam, emphyteusi subjectam, ut hæres emphyteutæ defuncti, si eam (ante professionem) per ultimam voluntatem, in eventum suæ mortis *naturalis* monasterio cesſit; ante hanc autem monasterium eam non habet, ut hæres, sed acquisitione naturali, ut dictum est; ergo.

§. 7.

De melioratione rei emphyteuticæ.

1792 TErtiam emphyteutæ obligationem dixi n. 1752. esse obligationem faciendi rem meliorem, secundum nomen, & concessionis rationem; nam olim in emphyteusim dabantur agri deserti, & minus fertiles, redigendi ad culturam, sic, ut in eo peccans, fundo expelli posse videatur, arg. c. 3. h. t. & L. 3. C. Locati; hoc tamen intellige de cultura, & meliorationibus, quas communis diligentiæ colonus adhibere solet, & quibus non adhibitis res deterior fieret, v. g. si non putaret arbores, si tribulos, aliaque inutilia fruteta, non purgaret, si non plantaret arbores in locum demortuarum &c. & harum meliorationum æstimationem emphyteuta, etiam emphyteusi finita, non repetit.

1793 Communior igitur sententia habet, emphyteutam teneri ad rem meliorandam; sic Fachinæus lib. 1. c. 92. & alii; sed hoc posse dupliciter intelligi, 1. ut reddat meliorem ultra communem diligentiam coloni; 2. cum communi diligentia sic, ut ea prætermissa res deterioretur; & ad hanc meliorationem ex vi contractûs emphyteutici, emphyteutam teneri, communis tradit; & ejusmodi meliorationes emphyteutam non posse repetere à Domino, etiamsi sine ejus culpa emphyseusis finiatur; secus tamen est de illis, ad quos, vi talis contractûs, non tenebatur.

Cæterum emphyteuta non tenetur, 1794
sed potius Dominus directus restaurare ea, quæ absque culpa emphyteutæ penitus collapsa sunt, vel incendio, aut alio casu absumpta, ut domus, horrea, putei; ratio est; quia substantia fundi ab eo restituenda est, ad quem pertinet; deinde si emphyteuta ponat alias meliorationes, ad quas vi contractûs non tenetur, v. g. si domos: aut horrea, aut stabula, de novo ædificet, tunc resoluta emphyteusi, absque culpa emphyteutæ, potest horum æstimationem repetere; colligitur L. 7. §. 16. ff. *soluto matr.* ubi simile quid traditur quoad maritum, ibi in fine: *plane, si novam villam necessario exstruxit, vel veterem totam sine culpa sua collapsam restituerit, erit ejus impensæ petitio; simili modo, & si pastina instituit*: hæ enim impensæ, aut in res necessarias, aut utiles cedunt, pariuntque marito actionem; idem dicitur L. 7. C. de usufructu; L. 16. ff. locati; L. 55. §. 1. eod.

Quæstio nunc est, an emphyteuta incidat in commissum ob rem deterioratam? dicitur res deteriorari, cum evadit pejor, ut notat Pereyra in Elucidar. n. 1863. seu, quando ab eo statu, in quo prius erat, diminuitur; de emphyteusi Ecclesiastica videtur affirmandum ex Authen. qui rem. C. de ss. Eccles. (quæ desumpta est ex Novell. 120. c. 3.) ibi: *qui rem ejusmodi conductam, vel in emphyteusim acceptam fecerit deteriorem, aut emphyteuticam canonem per biennium non solverit, hac lege repelli potest, ut tamen solvat totius temporis pensionem, & id, in quo rem læsit, resarciat, non repeturus, si quid impendit nomine meliorationis.* 1795

Circa istum casum quæritur 1. an hæc pœna *commissi* locum habeat etiam in 1796

em-

emphyteusi seculari? 2. an sufficiat Deterioratio tantum *modica?* 3. an si non sit deterioratio perpetua *fundi*, sed tantum *fructuum?* 4. an eidem locus sit, ex qualibet emphyteutæ culpa? 5. an si excisis, v. g. arboribus plantâsset vineam? ad 1. &. probabilius esse, quod sic; cum sit læsio in obligatione, quæ est de substantia contractûs emphyteutici; ad 2. &. quod non, quia pœna est *gravis*; sufficit tamen deterioratio partis majoris; ad 3. &. quod non sufficiat deterioratio *fructuum*, sed *fundi*; nam diminutione fructuum, sibi, non *domino* nocet; ad 4. &. quod non; sed requiri culpam saltem levem ex dict. supr. cum iste contractus tendat in utriusque commodum; ad 5. &. id esse controversum inter Doctores; cæterum, si attenditur finis, cum obligatio petat melioration-em solum negativè, hoc est, ne res deterior fiat, & vinea rem meliorem reddat, videtur dicendum negativè.

§. 8.

De renovatione emphyteusis.

1797 QUæstio est, an resoluta emphyteusi, non per commissum, aut finem temporis, sed hæreditaria, vel ex pacto, & providentia, dominus directus teneatur ultimi possessoris successori renovare contractum emphyteuticum? &. probabilius esse, *non teneri*; quia ad id non tenetur quis ex vi contractus celebrati, præsertim stricti juris; quod non continetur in prima conventione (nam contractus legem accipiunt ex conventione) sed casus ponit, in conventione talis emphyteusis nihil contineri, quod à Domino directo renovari debeat emphyteusis ultimi possessoris successori, resoluta ea emphyteusi; atque adeo deficientibus descendentibus, cum ea solum se extendat ad descendentes, ex ipso casu talis emphyteusis: Ergo; præsertim, cum juxta communiorem Doctorum sententiam, contractus emphyteuticus sit stricti juris, & consequenter etiam pacta illis adjecta, ut tradit Fachinæus l. 2. Controv. juris c. 99. cum in §. 28. Instit. de action. ubi enumerantur accuratè contractus *bonæ fidei*, non contineatur, nec intelligi possit venire appellatione locationis strictè acceptæ, ubi L. 1. C. de jure emphyt. expressè dicitur: *Jus emphyteuticarium neque conductionis, neque alienationis esse titulis adjiciendum*; sed hoc jus, *tertium* esse constituimus, *ab utriusque memoratorum contractuum societate, seu similitudine separatum.*

Et quamvis aliqui in contrarium ad- 1798
ducant L. 1. ff. de aqua quotid. & æstiv. §. 41. ubi dicitur, quando alicui conceditur, aquam ex castello, vel ex rivo, vel ex alio loco publico ducere (quod datur interdum prædiis, interdum personis ibi: *Ab eo, ad quem dominium prædii transit, esse impetrabile, si docuerit esse prædiis suis aquam debitam, & si, nomine ejus fluxisse, à quo dominium ad se transiit, sic, ut hoc non sit beneficium; sed injuria, si quis fortè non impetraverit*: Hæc tamen lex nihil probat, quod Dominus directus ultimi possessoris, seu emphyteutæ successori, resoluta emphyteusi propterea, quod non adsint descendentes, ad quos ex prima conventione solum porrigitur, teneatur emphyteusim renovare; cum in dicta lege nullum verbum extet *de emphyteusi*; unde quando ibi dicitur: *Injuriam esse, si non impetraverit jus aquæ ducendæ ex publico rivo, ubi hoc exigit necessitas prædii, cujus dominium in successorem translatum est*, non denotat injuriam contra justitiam commutativam; sed potius legalem, quæ in principe providentialis est, postulante nimirum æquitate principis, ut qui suos æquitate æquali prosequi tenetur, & consequenter alteri non negare, quod exigente bono communi uni concessit; sed loquendo *de emphyteusi*, non agitur de concedendo aliquo ex eo, quod est *juris publici*, ut est *rivus*, vel *fundus publicus.*

Cæterum nec ex dato casu *ad em-* 1799
phyteusim arguitur, quam *ad locationem*; alias enim resoluto contractu locationis locator etiam successori Conductoris teneretur locationem domûs facere; unde in hunc finem potius servit, quam obstet L. 4. C. de locat. prædior. civil. ubi dicitur: *Congruit æquitati, ut veteres*

possessores fundorum publicorum novis conductoribus præferantur, si facta per alios augmenta suscipiant; nam ex hoc ipso textu, patet 1. nullam fieri mentionem obligationis, qua locator teneatur veteres possessores novis Conductoribus præferre; 2. non est sermonem de re immobili *privata*, locationi tradita; sed tantum *publicâ*, ibi: *fundorum publicorum*; cum tamen quæstio proposita solum agat hic de bonis *privatis* emphyteusi subjectis.

1800 Aliud est, si quis vocetur in successionem emphyteutis, vel feudi, tanquam inclusus in prima conventione; nam huic dominus directus non posset jure negare renovationem, propter rationem oppositam? quæstio tamen fieri hac occasione potest, an, quando in successionem feudi, vel emphyteusis aliquis vocatur, proximior, attendi debeat? ad hoc respondet Castropalaus tom. 7. de Just. commut. D. 5. p. 22. §. 4. n. 1. *in successione feudi proximiorem ultimi possessoris; non prioris acquirentis locum habere* juxta c. 1. de natura succeff. feudi; & idem esse in fideicommisso, & majoratu familiæ, seu agnationi relicto ex textu in L. *cùm ita.* §. *in fideicommisso.* ff. de legatis 2. de quo latè Covarru. pract. qq. c. 38. & docuit in materia retractûs. Molin. de Hispan. primog. lib. 3. cap. 9. n. 15. Matien. L. 8. gloss. 3. tit. 11. lib. 5. novæ collect. & ibi Azebedo; hinc fit, filium venditoris præferendum esse in retractu patruo suo, qui reputatur ei proximior, ut multis in materia primogenii comprobat Tiraquel. de primog. q. 40. à n. 17. & in specie retractûs advertit in præsenti Matienz. L. 8. tit. 11. l. 5. glossâ 20.

1801 Si autem quæras, quid dicendum, si feudum, vel emphyteusis taliter concedatur primo acquirenti, *ut, si Vasallus, seu possessor decedat sine legitimis masculis*, descendentibus *feudum fiat caducum, & revertatur quidem ad dominum directum: ex gratia tamen speciali* (vulgò **Lehens-Gnad**) *ab eodem recidat ad defuncti possessoris filiam, si quæ supersit; vel, si nec filia supersit, revertatur ad defuncti Vasalli, seu possessoris proximos consanguineos utriusq; sexûs* (**des verstorbenen Lehens-mann/ oder Besitzer nechste Befreundte beyderley Geschlechts**) an in hoc casu *filia defuncti* excludat *agnatum?* vel, *si non extante etiam filia defuncti, extet fœmina defuncto proximior, quam agnatus?* R. affirmativè; ratio sumitur ex L. 1. feud. tit. 8. de successione feudi, §. *filia verò* 2. ibi: *Filia verò non succedit in feudo, nisi investitura fuerit facta in Patre, ut filii, & filiæ succedant in feudum; (tunc enim succedit filia, filiis non extantibus) vel nisi investitæ fuerint*; at in tali feudo investitura fuit facta in patre, seu Vasallo defuncto, ut ponit casus, & filiæ investitæ sunt, non extantibus filiis legitimis à defuncto descendibus: ergo in utroque casu (filiis non extantibus) per filiam; vel hac non extante, per fœminam ultimo possessori proximius consanguineam, in tali feudo excluditur agnatus; talia porro sunt feuda, quæ concedunt suis Imperatores Austriaci, tanquam Archiduces Austriæ, prout expresse habetur instrumento, **der Lehens-Gnad**/ à me sæpius inspecto, & perlecto.

Hinc fit, in tali casu, illa verba (*quod* 1802
in casu, quo Vasallus, seu possessor decessit sine legitimis hæredibus masculis, feudum recidat ad filiam defuncti, vel, hac non extante, ad proximos utriusq; sexûs consanguineos defuncti Vasalli, seu possessoris) non rectè, sed immeritò, & contra omnem intentionem concedentis trahantur in hunc sensum: ut intelligantur, si non extent legitimi hæredes masculi *primi acquirentis*; nam concessio expresse loquitur *de ultimo Vasallo & possessore*, si decedat sine legitimis *masculis hæredibus*, & expresse non quibuscunque masculis hæredibus, sed in terminis: **Ohne ehliche männliche Leibs-Erben**; quales revera, respectu ultimi vasalli, & possessoris defuncti, nullatenus dici possunt omnes masculi descendentes *à primo acquirente*; & defuncto Vasallo ultimo *solùm agnati*; verè enim, ac propriè solum dici potest is decessisse **ohne männliche Leibs-Erben**/ qui non reliquit masculos *ex suo corpore descendentes*, esto adsint agnati; præterquam, quod hæc expositio contra clarum textum juris feudalis præced. n. relatum, cui si quid in casu particulari dubium eveniret, potius

Ju-

Judex in pronuntiando se conformare tenetur.

ARTICULUS III.

De reliquis ad hanc materiam pertinentibus.

1803 QUæri potest. 1. an si casu fortuito res emphyteusi subjecta pereat, pereat Domino, vel emphyteutæ ? R. id constare ex L. 1. C. de jure emphyteut. ibi: *Si tanta emerserit clades, quæ prorsus etiam ipsius rei, quæ in emphyteusin data est, faciat interitum: hoc non Emphyteuticario, cui nihil reliquum permansit; sed rei domino, qui, quod fatalitate ingruebat, etiam nullo intercedente contractu habiturus fuerat, imputetur. Sin verò particulare, vel aliud leve contigerit damnum, ex quo non ipsa rei penitus lædatur substantia, hoc Emphyteuticarius suis partibus non dubitet adscribendum.*

1804 Secundo, an teneant pacta inter dominum, & emphyteutam inita, etiam super fortuitis casibus ? Resp. idem in cit. L. 1. sic definiri, *constituimus, justum esse, validumq; contractum, in quo cuncta quæ inter utrasq; contrahentium partes super omnibus vel etiam fortuitis casibus, pactionibus scripturâ interveniente habitis placuerit, firmâ illibataq; perpetuâ stabilitate modis omnibus debeat custodiri*, ita, ut, si interdum ea quæ fortuitis casibus eveniunt, pactorum non fuerint conventione concepta.

1805 Tertio, an, si nihil pactum sit de pensione solvenda, vel apocharum exhibitione præstanda, Dominus emphyteutam possit expellere, si neutrum præstitit per totum triennium? Resp. ex L. 2. C. eod. ibi: *Si autem nihil super hoc capitulo fuerit pactum, vel per totum triennium, neq; pecunias solverit, neq; Apochas domino tributorum reddiderit, volenti ei licere eum à prædiis Emphyteuticariis repellere; nullâ ei imposterum allegatione, nomine meliorationis, vel eorum, quæ emponemata dicuntur, vel pœna opponenda: sed omnimodo eo (si Dominus voluerit) repellendo, neq; prætendente, quod non est super hac causa inquietatus*: cum neminem oporteat conventionem, vel admonitionem exspectare, sed ultro sese offerre, & debitum spontanea voluntate persolvere, secundum quod & anteriore lege nostri numinis generaliter cautum est.

Not. tamen, ibid. subjungi hanc limi- 1806
tationem : ne autem ex hac causa dominis facultas oriatur, emphyteutas suos expellere, & creditum minimè velle suscipere, ut ex hujusmodi machinatione triennio elapso, suo jure is, qui emphyteusim suscepit, cadat; *licentiam ei concedimus, attestatione promissa, pecunias offerre, hisq; obsignatis, & secundum legem dispositis, minimè dejectionis timere periculum.* Not. autem per *Apochas* hic intelligi Apocham, seu attestationem Quæstoris de solutis publicis tributis incumbentibus tali fundo; ejus enim utilitas hæc est, ut Dominus reverso ad ipsum fundo emphyteutico, de publicis illis pensionibus præstitis securus reddatur, ne denuo ab illo exigantur. Si ergo Emphyteuta ejusmodi Apochas, seu Quittantias negligat, statuitur in lege, quod non minus propterea rejici possit, quam ob non solutum canonem.

Quæres 4. quid intelligatur nomine 1807
vitalitii ? R. per hoc intelligi speciem quamdã emphyteusis, nimirum emphyteusim temporalem, quando prædium aliquod, aliave res immobilis vel æquivalenter talis, à Domino conceditur ad vitam unius vel alterius conjugum, ea lege, aut quemadmodum de emphyteusi quotannis pensio solvitur, ita etiam certum quid singulis annis de ejusmodi vitalitio solvatur, & Germanicè dici **Leibgeding**; sicut emphyteusis, seu bona in emphyteusim tradita, **Erblehen/Erbrecht/Erbbestandt/** vel **Erbzünß Gut**; simpliciter **Baurenlehen / Hoffguth**; Emphyteuta, seu Colonus **ein Erbrechter/ ein Güldbauer**; Dominus directus, **Grundherr**: canon, vel laudemium, saltem à rusticis, **Handlohn/ Aufzuggeld/Auff- und Abfahrt**; quamquam hoc etiam veniat nomine census emigrationis; sed de his hoc loco satis.

QUÆSTIO XXI.

IN TITVLVM XXI. DE PIGNORIBUS, ET ALIIS CAUTIONIBUS.

CUm contractus principales muniri soleant accessoriis, in securitatem conventionis, seu debiti; de his accessoriis contractuum, postquam de illis actum est, præsens titulus subjungitur; ejusmodi autem accessoria sunt pignus, hypotheca, aliæque cautiones; de quibus ea, quantum sunt præsentis tituli, potissimum respicientis res Ecclesiæ, breviter dicemus.

ARTICULUS I.

De Cautionibus, Pignoribus & hypothecis, in genere.

1808 *Cautio* in genere est quædam prudentia, qua avertimus, & vitamus, ne quid mali nobis accidat; apud Jurisconsultos sumitur multipliciter, nempe 1. pro actione L. 1. §. *si quis.* ff. de cloacis; 2. pro satisdatione L. 1. C. de procur. 3. pro instrumento L. *lecta.* ff. si cert. petat. 4. pro dilatione, authent. de litigan. §. *si vero pro cautela*; L. *quoniam liber* C. de testi; & 5. pro securitate, auth. de mandatis princ. neque autem. Cæterum in proprietate sermonis, & ut regulariter accipitur, est nuda promissio, ex qua inducitur firma obligatio, & securitas L. *sancimus.* C. de verb. signif. quando v. g. quis tenetur cavere de evictione, de vitiis, & morbis. Dixi: *nuda*, intellige à *fidejussoribus*, & *pignoribus*; sed non, *à stipulatione*; nam obligatus cavere, debet stipulatione cavere, ut obligatio sit firma. L. *pen.* §. *docere.* ff. ne quis eum, qui in jus voc. Sic notavit Alex. Scot. V. *cautio*; est igitur cautio, generaliter accepta, omnis securitas, qua quis securus redditur de eo, quod sibi promittitur, & dividitur in prætoriam, idoneam, chirographicam, hypothecariam, pignoratitiam, fidejussoriam, juratoriam, & fidei propriæ.

Cautio *Prætoria* est, quæ fit jussu Prætoris, quando scilicet Prætor jubet, 1809
pro collatione bonorum faciendâ, rectè caveri, L. 1. §. *jubet.* ff. de collat. bon. & debet fieri cum fidejussoribus, vel pignoribus; *idonea* (quæ etiam *sufficiens* appellatur ab Alberico v. eod. ubi de significatu hujus verbi *sufficit*) est fortior nuda cautione, proindeque fidejussoria, vel pignoratitia esse debet; ut, quando Creditor mandavit procuratori, ut reciperet *idoneam* cautionem à debitore (alias non daret dilationem) intelligitur cum fidejussoribus, vel pignoribus L. *si mandato.* §. fin. ff. mandati; nam vox *idonea* apponitur, ut cautioni nudæ firmitatem addat; sic etiam tradunt Molina tr. 2. D. 334. n. 4. & Sanch. lib. 10. Mat. D. 18. n. 35. Ubi addit, idem procedere, si cautioni adjiciatur particula *plena, competens*, vel *diligens*; hoc tamen limitat Alex. cons. 35. n. 11. lib. 4. ut procedat, *nisi materia repugnet*; quia juxta *subjectam materiam* intelligi debet.

Chirographica est, quæ fit accepto chi- 1810
rographo, vel charta; nam charta, in qua scribitur computatio, vocatur cautio. Luc. 16. *accipe cautionem tuam. Hypothecaria* datur, quando hypotheca supportatur; sicut *pignoratitia*, cum pignus datur. *Fidejussoria* est, quando principali obligationi intervenit fidejussor; hæ tres vocantur *satisdationes*; *juratoria* (quæ etiam *ad juratoria* appellatur) est,

est, quando promissio roboratur juramento; ut, si jures solemniter, te debere aliquid, vel impleturum; cautio, *fidei propriæ* interventu, dicitur, quæ fit per fidem præstitam sine solemnitate juramenti; sunt & cautiones, quæ nomen habent, vel ab authore, vel à materia, in qua versantur.

1811 His aliqui addunt cautionem *Mutianam*, ex L. *Hæres meus.* ff. de condit. & demonstrat. introductam à Mutio Jurisconsulto, ut testatur Molina tr. 2. D. 206. locum vendicat in ultimis voluntatibus potius, quam in contractibus; traditur per conditiones negativas, puta, *si stichum non manumiserit, si Capitolium non ascenderit*; item: *si Legatarius conditionem facturus sit, restituet rem legatam cum fructibus*; *Moratoria* est, quæ datur, ut quis differat, & exspectet; cautio nullo peccato est, cum quis tantam fidem tibi habet, ut contentus sit nuda promissione tua.

1812 Cautio demum *de evictione* dicitur, quando præstatur securitas emptori, à venditore, ut, si ab eo evincatur, venditor ei restituat æstimationem rei in duplum, vel simplum, prout convenerint; cautio *de usufructu* est, in qua de duobus cavetur, nempe, quod usufructuarius re non male utatur; &, quod, usufructu finito, restituat, quod ex re ipsa superextat.

1813 *Pignus* latinè, & *hypotheca* græcè, solis nominibus differre videntur; unde si *late* accipiatur pignus, cum hypotheca coincidit, & utrumque dupliciter sumi potest; 1. *pro re* subjecta pignori. 2. pro contractu pignoratitio. *In prima acceptione* sic definitur à Molina tom. 2. D. 528. est res subjecta obligatave, pro debito, ut nisi impleatur inde satisfiat, *in secunda* acceptione sic: est contractus, quo aliquid creditori in debiti solutionem obligatur, ut inde satisfiat, si aliter non sit satisfactum.

1814 Si vero pignus, & hypotheca *stricte* sumantur, definitionibus traditis aliquid addendum est, nempe definitioni *pignoris stricte accepti* hæc particula: *facta traditione creditori, aut alteri loco illius rei ita obligata*: definitioni autem *hypothecæ, stricte acceptæ*, hæc particula: *non facta traditione rei ita obligatæ*; nam *hypotheca* proprie fit per rem obligationi subjectam, quamvis non sit creditori tradita possessio; *pignus* vero fit per rem non solum obligatam, sed & creditori traditam; proindeque *pignus* consistit in rebus mobilibus, quæ non manent penes debitorem; nam propriè *pignus* dicimus, ut habetur L. 9. §. 1. ff. de pignorat. act. *quod ad creditorem transit*; hypothecam autem, *cum non transit, nec possessio ad creditorem*; hinc etiam verius est, differentiam utriusque non tam attendi, an res in securitatem tradita sit *mobilis*, vel *immobilis*, quam, *an sit tradita, vel non tradita Creditori?* si primum; erit *pignus*; si secundum; *hypotheca*. Unde Haunoldus tom. 4. de Just. tr. 10. c. 9. docet, pignus stricte sumptum *traditione*; hypothecam, *conventione* perfici.

Divisio pignoris quadruplex est; Con- 1815
ventionalis, Prætorii, judicialis, & legalis. *Conventionale* est, quod sola conventione partium, nempe inter creditorem, & debitorem, statuitur; ita Zoësius ad instit. de action. §. *ita serviana*. *Prætorium* est, quando à Prætore, seu Prætoris decreto mittitur Actor in possessionem propter contumaciam Rei in non comparendo ante litem contestatam, vel post: nam per talem immissionem (ut inquit Molina D. 528. comparat ille jus in rem, & ea res subit rationem pignoris prætorii.

Judiciale pignus est, quando unus con- 1816
tendentium, in executionem sententiæ (sic loquitur Molina cit.) prius latæ, aut in executionem obligationis Guarentigiæ, vel alterius, quod secum paratam affert executionem, non expectata Judicis sententia, mittitur in possessionem, seu tenentiam rei alterius, ut inde satisfiat. *Legale* est, quod ab ipsa lege inducitur, & *tacitum* appellatur, cujusmodi sunt bona debitorum Fisci, L. 2. C. in quib. caus.

Similiter *hypotheca* dividitur in expres- 1817
sam, & tacitam, 2. in universalem, & particularem. *Expressa* est, quæ verbis, aut signis aliis explicitis contrahitur, sive Conventione partium, sive authoritate, & decreto Judicis: *Tacita* est, quæ censetur constituta dispositione legis, atque adeo multipliciter, ut videre est

apud Molinam tom. 2. D. 526. & Less. l. 2. c. dub. 6. *Vniversalis* est, in qua omnia bona præsentia, & futura obligantur, & non impedit, quod res libere vendi possit: nam loco illius succedit pretium nempe hypothecatum: *Particularis* est, quando res certa obligatur, & semper afficit rem, ad quemcunque perveniat, donec debitum extinguatur.

1818 Præter hæc, propter modos loquendi de pignore, not. 1. *Repignorare* apud Ulpianum L. *si ut certo loco.* §. *nunc videndum.* ff. commodati, esse idem, ac pignus recipere soluto pretio; *Luere pignus* idem, quod liberare, seu repignorare; Instit. de leg. §. *sed etsi rem.* Unde luitio pignoris tit. 31. C. l. 8. est idem, atque pignoris liberatio; *absolvere pignus* apud Paulum lib. sent. 2. c. 5. est idem, atqu luere, seu liberare.

1819 Not. 2. *distrahere pignus*, ut habetur tit. 21. C. de capiendis, & distrahendis pign. lib. 10. & explicat ibid. Garcia, & Tolet: est pignus publicè vendere, seu auctioni exponere, ut ex pretio satisfiat Creditori: Unde distractio pignoris est hujusmodi venditio. Distrahere lites, seu controversias, est componere, dirimere. Cedere pignora apud M. Tullium in procem. lib. 3. de orat. sumitur pro vendere, seu auctione distrahere.

1820 Not. 3. *pignorare* idem esse, ac rem aliquam pro debito obligare creditori, ut securior sit de solutione debiti: seu est facere contractum pignoratitium; *Pignoratitia res* dicitur, quæ pignore data est; *Pignoratitius vir* est, cui pignus capere licet. *Pignorator* est, qui pignus accipit; *Nexa res*, & *nexa pignori* (ut sumitur ex L. 2. & 7. C. de dist. pig. & L. 1. §. *si quis.* ff. ne vis fiat) dicitur, quæ pignoris nomine obligata est; *Supponere*, est pignore obligare; & suppositum, est pignore obligatum, ut habetur auth. *ut immobilia ante nuptiales donationes.* §. 1.

1821 Not. 4. *redimere* pignus, esse oblato pretio recuperare, liberare; sicut redimere hæreditatem, est venditam hæreditatem iterum recipere: & redimere majestatem, vel jus suum, esse conservare; recolligere, ut habetur c. *significare.* de pign. idem ac redimere. Durare vincula pignoris L. 2. C. de Luition. pign. idem significat, ac permanere, perseverare. Pignus committi idem valet, atque pignus amitti per commissum aliquod: seu pignus devenire ad eum statum, ut debitor dominium pignoris amittat v. g. mutuavit Titius pecuniam Sempronio sub pignoris conditione, ut nisi præfixo die pignus lueret, vel redimeret debitum solvendo, pignus committeretur; id est, amitteretur.

ARTICULUS II.

De Pignoribus.

QUæstio 1. est, quænam res pignori, vel hypothecæ subjici possint? R. 1822 res, quæ absolutè, ac per se ipsas vendi non possunt, etiam non posse oppignorari, L. 1. ff. quæ res pignor. oblig. non poss. L. *fin.* C. de reb. alien. junct. gl. V. *vel hypothecam*, in addit. Ex hoc autem, si attendamus ad ea, quæ dicta sunt, quæ res vendi, vel non vendi possint, facile sequentur conclusiones particulares de pign. & hypoth. quo habetur, res Ecclesiæ, non nisi ex necessitate, vel utilitate in pignus dari posse Laicis, per c. 1. h. t. ibi: *Nullus Presbyter præsumat, calicem, vel patinam, vel vestimentum sacerdotale, aut librum Ecclesiasticum tabernario, vel negotiatori, aut cuilibet Laico, vel fœminæ, in validum dare, nisi justissima necessitate urgente,*

Dices: res aliena vendi potest per n. 1823 1428. ergo etiam in pignus dari; R. N. conseq. nam per pignus res ipsa obligatur sic, ut, si debitor non solvat, ea vendi possit; per venditionem autem non res vendita, sed solum venditoris persona obligatur; ut, si ea res evincatur, emptori à venditore satisfiat; hinc, quia nullus alteri in re non sua potest constituere jus reale; hoc autem fiat pignore, non autem venditione, merito anteced. dato N. conseq.

Ex hoc nota, Rectorem Ecclesiæ pro 1824 necessitate propria non personali, sed patrimoniali, non posse res Ecclesiæ in pignus dare c. *Ex præsentium.* 3. h. t. ubi agitur de sacerdote, seu Rectore Ecclesiæ, qui pro necessitate patrimoniali calicem

licem Ecclesiæ, & medietatem Breviarii oppignoravit; &, antequam redimeret, obiit; & ideo, quæstione mota, an successor in beneficio pignus illud, seu debitum, ab antecessore contractum, solvere teneatur? responsum est generaliter cit. c. 3. ibi: *unde quoniam indignum est, ut eidem Ecclesiæ res suæ* (præsertim, quæ sacris ministeriis deputatæ sunt) *taliter debeant deperire; mandamus, quatenus, si verum est, quod asseritur, filium ejus, qui ex successione ipsius patrimonii jus dicitur obtinere, moneas, & compellas, ut ea recolligat, & restituat Ecclesiæ memoratæ.*

1825 Quæstio altera est, an creditor fructus pignoris teneatur computare in sortem? pro resol. Suppon. 1. fructus pignoris *computare in sortem*, nihil aliud esse, quam computare in solutionem debiti; sic, ut quantum de fructibus percepit pignoratarius, seu Creditor; tantum de quantitate debiti detrahatur in solutione, qua pignus redimitur. Suppon. 2. per *sortem* intelligi *principale debitum*, v. g. accepisti mutuo centum, & obligasti quatuor pro centum per annum; si creditor ex pignore accepto tali anno percipit fructus v. g. 10. fl. licite accipit 4. fl. pro censu; sed sex reliquos non potest retinere, nisi computet in sortem, seu solutionem debiti principalis, quo casu debitor non amplius ad centum, sed tantum ad 94. tenebitur. his positis.

1826 R. Creditorem teneri in sortem computare fructus ex pignore perceptos, saltem quoad eam partem, quæ non debetur pro censu annuo, vel expensis in illud factis, exceptis tribus casibus L. 1. C. de pignorat. action; hoc etiam procedit de fructibus, quos percipere poterat, & sua negligentia non percepit L. *Creditor* C. eod. & L. 2. C. de pactis pignor. Gloss. in c. *Cum contra.* 6. h. t. V. *perceptum*; & constat ex verbis dicti c. ibi: *nos igitur attendentes, quod in talibus perceptio fructuum in solutione sortis accedat, cum secundum canonicas Sanctiones fructus restitui, & in sortem debeant computari; considerantes etiam, quod possessiones ipsæ jam extenuassent penitus totum onus, & debitum annullassent, ipsas tibi restituendas esse decernimus, & te per nuntium nostrum in possessionem induci fecimus corporalem.*

Quæstio 3. est, an Creditor rem, pignori acceptam, oppignorare alteri, vel aliter etiam uti possit? ad 1. Resp. cum Gloss. in c. *cùm contra.* 6. h. t. quod sic; ibi: *Cùm contra G. civem Anagninum super quibusdam possessionibus, quas quondam Pater tuus L. de Saul pro certa quantitate pecuniæ obligaverat, & ipsius Creditoris hæredes prædicto G pignoraverant.* Sed notandum, ut hoc procedat, sequentes conditiones observandas esse; primò, ut creditor non possit eam secundo in plus obligare, quam ei obligata fuerit à debitore primo. L. 1. & 2. C. si pignus pignori datum sit. 2. ut hoc non procedat ultra tres vices; adeoque, ut si dominus pignoris hoc dedit suo Creditori, iste secundo, & hic tertio; tertius non possit illam ulterius pignorare arg. c. 2. de rescript. in 6. 3. ut si solutione debiti jus primi Creditoris extinguatur jus pignoris etiam extinguatur in reliquis, esto hi suum debitum nondum solutum habeant. L. 2. C. si pignus pignori detur; quo casu pignoranti, contra Creditoris pignoratarios datur utilis actio pignoratitia (**rechtlicher Anspruch wegen eines Pfandts**) c. *Cùm contra* h. t. licet actio pignoratitia cæteroquin sit tantum personalis. Gloss. recepta in Rubric. tit. ff. de act. pignorat. Ad 2. R. quod, si Creditor invito debitore, pignore utatur, furtum committat, & ad restitutionem teneatur secundum æstimationem usûs, non pignoris. §. 6. Instit. de obligat. quæ ex delicto. 1827

Quæstio est 4. an Creditor possit pignus vendere, si ipsi tempore constituto debitum non sit solutum? R. (ut etiam de hoc dicetur aliquid n. 1867.) posse etiam invito debitore, licet de hoc expressè conventum non sit. L. 4. de pignor. act. & §. *Contra autem.* Instit. quibus alien. licet. Sed not. quod tunc pretium pignoris (sicut fructus) debeat computare in sortem; &, si excedat sortem, censum annuum, & sumptus tam necessarios, quam utiles in pignus factos, excessum pretii, debitori restituendum; sic Card. Lug. de Just. tom. 2. D. 32. n. 40. Si autem redemptori pignoris, faciendæ per solutionem debiti, terminus 1828

minus præfixus est, debitor tunc non solvens censetur esse in mora, etiam Creditore non petente, quia dies pro Creditore interpellat, L. *magnam* C. de contrahend. & Commit. stipul. Si autem dies non fuit præscriptus, mora incipit, quando elapso rationabili tempore interpellatur à Creditore, L. *si ex legati causa*. ff. de verbor. oblig.

1829 Creditor in venditione pignoris procedere debet bona fide, & vendere, quo majori pretio potest, adeoque subhastatione, L. *ult.* C. de jure dom. & si ipse debitor velit vendere, debet illi accepta cautione permittere; sic Lugo cit. n. 36. Creditor in casibus jure sibi permissis vendens pignus, ejus dominium transfert in Emptorem; quia, licet ipse non sit Dominus pignoris, est tamen in hoc casu debitoris Procurator à lege, vel Judice constitutus; sic Lugo n. 40.

1830 Quæstio est 5. an venditio rei in dubio judicanda sit contractus emptionis, vel pignoris, quando pacta venditioni adjecta, venditioni repugnant? ut, si adjiciatur pactum 1. quod res redimi debeat à venditore majori pretio, quam vendita sit, si Emptori placeat. 2. ut fructus inter tempus venditionis & redemptionis percepti computentur in sortem? Resp. debere judicari potius esse contractum pignoris pro mutuo; nam secundum pactum repugnat venditioni; & ex primo sequitur usura prohibita ex mutuo; c. 4. h. t. ubi dicitur, quod si usurarius emit rem eo pacto, quod post tempus eam restituat venditori, recipiendo aliquid ultra sortem, fructibus tamen in ea computatis judicetur contractus fœneratitius.

1831 Quæstio est 6. an in pignoribus *pro mutuo* licitum sit pactum antichresios? pro resol. not. contractui pignoris, dati pro mutuo, quandoque adjici solere pactum, ut Creditor fructus pignoris tam diu percipiat, & suos faciat, quin eos in sortem computare teneatur, donec solutione sortis eliberetur pignus, esto interim illi fructus debitum exsolvant, vel etiam excedant, & hoc *pactum* vocatur *antichresis*. Quo posito Resp. tale pactum esse illicitum, & usurarium; ita Canisius in L. 5. decret. tit. 19. c. 5. n. 14. Hamold. tom. 4. de Just. tr. 10. n. 928. cum comm. Theolog. Nam pactum usurarium est ipso jure nullum, & tam divinis, quam humanis legibus prohibitum est, ut constat ex toto tit. de usuris; hoc autem pactum est usurarium, si pignori adjectum sit; nam usura est, quidquid *in*, & *vi* mutui, *ultra sortem*, accipitur; sed in dato casu fructus pignoris acciperentur ultra sortem *vi mutui*; cum expresse c. 1. & 2. de usuris dicantur computandi in sortem, ut caveatur usura; ergo si secus, eorum perceptio erit usuraria; & quoniam fit vi pacti supponentis mutuum, seu ex virtute mutui eo pacto informati, eo ipso erit *vi mutui*.

Dices 1. licitam esse antichresim, propter incertum fructuum eventum, etiamsi fructus legitimum usurarum modum interdum excedant, ut dicitur L. *ex oleo*, L. *si pactione*, L. *si ea lege*. C. de usuris. 1832
Verum jure civili (ut constat ex toto tit. ff. & C. de usuris) etiam usuræ permissæ, non tamen propterea in conscientia licitæ sunt; cum certus sit usuras vi solius mutui peccatum esse; hinc nihil probatur, cum jus civile non possit in conscientia licitum reddere, quod jure divino, & canonico prohibitum est, tanquam peccatum.

Dices 2. quod fit præcisè causa proximi juvandi, non est illicitum; ergo si antichresis eo solum titulo contrahatur, non erit illicita: hoc autem sæpe contingit, quando proximus graviter eget pecunia; ergo sæpe licita est; sic Andr. Gail. l. 2. observ. 3. n. 5. Verum N. anteced. universaliter; quia, quod ex se malum est, nec proximi causa licet; alias liceret mentiri, quando proximus à periculo gravi liberari potest mendacio; & quæ, quæso, est charitas proximi, præcisè titulo mutui, aufferre proximo fructus pignoris? cum pecunia, per te mutuo illi data, cœteroquin otiosa fuisset, vel si alias otiosa non fuisset, alio titulo licitum sit interesse justum. 1833

Dices 3. fructus illos posse computari in vicem molestiæ, quam Creditor subit in colendo fundo, & credito non simul, sed per vices recuperando, quæ particularis solutio multa habet incommoda; ergo hoc titulo potest fructus ultra sortem recipere. Resp. non posse; 1834

quia

quia contractus initio quidem voluntatis sunt, postea verò necessitatis, ut dicitur L. *Sicut.* C. de act. & obligat. hinc Creditor sibi debet imputare, quòd, cum jure non cogeretur ad mutuandum, hanc sibi necessitatem injecerit ex fructibus rei pignoratæ sortem suam colligendi; quamvis, & hac molestia se liberare possit non recipiendo in se pignus, sed hypothecæ nomine relinquendo debitori, ut notat Canisius cit. n. 24.

1835 Dices 4. in dato casu fructus non reciperentur vi mutui; ergo non sunt usura; ant. patet; quia in dato casu sors non posset revocari, quod est contra naturam mutui. Resp. tunc fructus non percipi vi mutui *nudi*, sed *vestiti pacto* propter mutuationem præcedentem; hinc cum Creditor lucretur fructus pignoris, vi pacti, qua supponentis mutuum, meritò incidit in usuram divino, & humano jure damnatam c. 1. & 2. ac 10. de usuris; idem est, si dicas, donari donatione supponente mutuationem præcedentem; mutuo autem non obstat contrahi ad certum tempus, & in certum diem, adeoque nec illa irrevocabilitas.

1836 Ne autem in usurarium antichresis pactum temerè incidamus, prudenter monet Dominic. Soto de Just. & jure l. 6. q. 1. a. 2. apud Canis. cit. n. 29. ut creditor rem, quam alioquin debitor pignori destinaverat, certo pretio emat cum pacto reluitionis; nam tali casu fructus, aliæque obventiones lucro cedunt emptori licitè; cum jam eas percipiat *ex re sua*, L. *qui scit.* ff. de usuris; & hoc pactum revendendi esse licitum etiam in conscientia multis authoritatibus probat Tiraquellus, Navarrus, & alii apud Canis. loc. cit.

1837 Sed dices 1. antichresis, & emptio illa in eundem finem tendunt (videlicet ad fructus rei lucrandos) ergo si non licet antichresis, nec licebit illa emptio. Resp. esse diversitatem in modo; nam emptio est modus licitus lucrandi fructus; antichresis illicitus, & usurarius, quia ille tendit ad lucrandos fructus *ex re sua*, iste, *ex aliena*.

1838 Dices 2. etiam ille, qui per viam donationis, vel ususfructus lucratur fructus, tendit ad eos lucrandos ex re aliena, & tamen non est illicitus modus lucrandi. Resp. viam donationis & liberalitatis esse modum de se licitum; non autem viam vi solius mutui, cum in mutuo ea tantum res in obligationem veniat, quæ data fuit, non alia; quod autem eadem res rectè detur uno modo, & non altero, pat. nam hæreditas justè dari potest testamento; non autem, pactis. L. *hæreditatis.* C. de pactis. & L. *licet* C. eod.

Dices 3. antichresis etiam jure canonico (saltem aliquibus casibus) permittitur; ergo de se non est mala; ant. pat. nam Clericus potest beneficii sui fructus à Laico injustè possessi, & sibi pro mutuo obligati, licitè percipere, ut dicitur c. 1. de usuris. 2. Cum Domino feudi res feudalis in pignus datur, non tenetur fructus in sortem computare, c. *conquestus* eod. 3. gener fructus possessionum pro dote sibi obligatarum licitè non computat in sortem c. *salubriter.* eod. Resp. non permitti antichresim ex pignore; nam in 1. casu solum ab injusto possessore avocat Clericus possessionem *rei suæ*; non autem percipit via mutui fructus ex alieno. In 2. casu non est usura, cum fructus percipiat Dominus feudi ex re sua jam consolidata; feudum enim, cum à Vasallo in pignus datur domino, consolidatur, & Vasallus ab onere obsequiorum liberatur. In 3. casu percipiuntur fructus in defectum dotis, non sufficientis ad onera matrimonii supportanda, ut patet ex ipso textu; hinc simpliciter N. ant. de antichresi, quam rejicimus. V. Waldingum de contract. D. 6. d. 9. §. 1. & 2. 1839

Quæstio est 7. an in pignore pro mutuo licitum sit pactum legis commissariæ? per hoc intelligitur pactum contractui super mutuo adjectum, quo debitorem inter & Creditorem convenitur, ut, si ab illo non solvatur debitum intra certum tempus, pignus committatur, hoc est Creditori cedat, ad eumque pertineat, sic, ut à debitore amissum sit; pactum hoc jure canonico, & civili reprobatum est, ac illicitum, nisi fiat cum limitatione ad justum pretium, & solum secundum æstimationem debiti. prob. ex c. *significante* 3. de pignorib. 1840

ibi: *Cùm igitur pactum legis commissoriæ sit in pignoribus improbatum* ; ut etiam dicitur L. 3. C. de pactis pignorum; & ratio est; quia, cum pignus communiter plus valeat, quam debitum ex mutuo; eo ipso vi mutui, aut saltem vi pacti essentialiter supponentis mutuum, perciperetur aliquid ultra sortem, quod est usura; hoc autem non contingit, facta illa limitatione; ergo. v. Molin. D. 324. Wading. cit. D. 10.

1841 Ex dictis colligitur, nec pignoratorem, nec pignoratarium, strictè loquendo, habere plenum dominium pignoris; neuter enim habet omnem usum; *non primus*; cum non possit rem habere penes se; *non secundus*, cum non habeat proprietatem: quia tamen id, quo caret dominus pignoris, ethicè, & moraliter propè nihil est, ideo Molin. tr. 2. d. 3. n. 26. censet, nullum jus in re, residens in alio à proprietario, obstare, quò minus hic dicatur pleno jure dominus, præter usumfructum, maximè perpetuum, ut est in emphyteusi, feudo, superficie, perpetuis; Quare rem esse subjectam hypothecæ, pignori, servituti, censui, juxta hunc sensum, non facit, ut proprietarius, non sit rei plenus Dominus; sed moraliter, & ethicè, sic ille.

1842 Not. autem prohibitionem pacti legis commissariæ extendi 1. ut ei locus non sit, licet debitor renuntiaverit beneficio legis prohibentis tale pactum; quia hoc beneficium inductum est causa publicæ utilitatis; 2. prohiberi non solum hoc pactum adjectum pignoribus pro mutuo, sed etiam pro aliis debitis; quia tale pactum indefinitè prohibetur L. *fin.* C. de pact. pignor. 3. etiamsi tale pactum approbet consuetudo; cum adversetur juri naturali, & positivo divino, contra quam nihil potest consuetudo.

1843 Censent tamen aliqui licitum 1. si fiat contra fidejussorem; sic Azor tr. de pignoribus. p. 3. l. 7. c. 10. sed contrarium tenet Zoësius h. t. n. 20. quia hæc circumstantia non purgat vitium; 2. si sic fiat, ut, si debitor intra tempus præscriptum non solverit, pignus sit Creditori emptum, vel in solutum datum pro justo pretio, sive quanti tunc arbitrio boni viri, vel Judicis æstimabitur; L. *fundus.* §. *fin.* ff. h. t. quia sic debitor nihil perdit, & Creditor nihil accipit ultra sortem; & hoc modo pactum de committendo pignore pro dote non soluta intellectum, etiam licitum evadit favore doris; sic Azor cit.

Not. autem, soluto integro debito, 1844
pro quo res pignorata fuit, pignoranti competere actionem pignoratitiam, *directam*, & personalem contra Creditorem, vel hæredes ejus, ut pignus integrum cum fructibus restituat, nisi in debito fuerit compensatum. L. 11. C. de pignor. act. Creditori vero competere actionem pignoratitiam personalem *contrariam* ad id consequendum, quod sibi pignoris nomine probabiliter abest, vel damnificatus est ex pignore, L. 8. ff. de pignorat. act. & hæc vocatur actio, *quasi Serviana*, quæ cuivis Creditori, tam ratione pignoris in specie sumpti, quam ratione hypothecæ, in specie pariter acceptæ competit, diciturque *vindicatio*; qua Creditor persequitur res pignori, sibi expresse, vel tacite obligatas. L. 3. ff. de pignorib. Quando autem Creditor, vel Locator prædii rustici vindicat res coloni in fundum conductum illatas, vel invectas, & expressâ conventione pro mercede locationis, & deterioratione fundi pignori suppositas, ab earum quavis possessione repetit, & actio realis *prætoria*, (à servio Prætore inducta & ideo *Serviana* dicta.) Actionem autem Prætoriam Adamus Volckmannus p. 4. de reb. Remp. concernentib. tit. 14. c. 68. Lit. E. exponit germanice **ein rechtliche Forderung der Obrigkeit.**

Quæstio est 8. an, quando res venditur 1845
cum pacto reluitionis, seu revenditionis ad arbitrium Emptoris, talis venditio sit vera, & licita venditio? an vero contractus pignoris usurarius, si quid recipiatur ultra sortem? R. casum istum haberi in c. *Illo vos* 4. h. t. ubi, cum Titius, & Cajus pro 23. libris argenti, mutuo acceptis à Gertrude muliere, quasdam vineas pro securitate dedissent; eas vero postea repetentibus ex parte Gertrudis, & Hæredum ejus propositum esset, *prædictas terras non esse pignori obligatas, sed pure venditas*, Titio, & Cajo firmiter asserentibus, *fuisse solum pignori obligatas, non pure venditas*, idque

patere

patere ex eo, quod dationi talis conditio adjecta fuerit, ut, si à tempore contractûs intra duos annos emptio facta emptori displiceret, venditor, vel Pater ejus, intra annum post displicentiam emptionis, 26. libras (computatis perceptis fructibus in eis, id est in sorte,) solvere deberet; Judices delegati causam ad Innocentiam III. detulissent, inquirentes; an pura, & absoluta sit *venditio?* an præfatus contractus *pignus* debeat judicari?

1846 Pontifex quæstionem in hunc modum resolvit: *quod qualiscunque fuerit intentio contrahentium*, & ex forma contractûs *venditio* non appareat conditionalis, sed pura; quamvis per conditionem possit resolvi; ex duobus tamen, quæ in pacto fuerunt expressa (videlicet, quod fructus percepti deberent in solvenda pecunia numerari, & quod ultra summam receptam, 60. solidi deberent persolvi) contra ipsum emptorem præsumitur vehementer, præsertim cum usuras consueverit exercere.

1847 Ex hac decisione deducitur, quod contractus emptionis cum pacto, quod emptor post certum tempus possit illam venditori restituere recipiendo quid plus, quam pro ea emenda persolverit, præsumatur contractus *fœneratitius*, præsertim, si Emptor *solitus sit usuras exercere*, sic Vivianus in Ration. Juris Pontif. l. 3. pag. 188. Alagona in Compend. juris Canon. pag. 439. & alii; consequenter in re esse contractum *pignoris*, palliatum *venditione simulata* præsumptione fundata 1. in eo, quod intra certum tempus terræ fuerint redimendæ, cum emptio, & venditio soleat contrahi in perpetuum sine temporis definitione; 2. quod fructus computati fuerint *in sortem*; est enim insolitum, ut quis rem, emptam à se, redimi patiatur minori pretio propter fructus perceptos. D. quia ratione solutionis dilatæ aliquid ultra sortem debebat reddi, quod veluti usurarium merito damnatur à Pontifice. Cæterum si res, pro qua mutuanti mutuatarius deberet constituere securitatem mutui, non pignoretur, sed mutuanti vendatur cum pacto, ut mutuatarius deposita summa mutui, quam à mutuante accepit, possit eandem rem reluere, seu redimere, & contractus, & pactum licitum est, quia tali casu mutuans, fructus rei sibi venditæ percipit re sua; & in venditione vi pacti nihil recipit ultra sortem, ut notavimus n. 1837. modo pretium emptionis sit intra latitudinem justi pretii, secundum æstimationem rei relucibiliter venditæ.

ARTICULUS III.

De Hypothecis.

QUæstio 1. est, quid sit hypotheca? 1848
2. quotuplex? 3. in quo differat à pignore? 4. quæ res hypothecari possint? 5. ad quæ bona extendat sese hypotheca generalis? 6. quæ bona cadant sub hypothecam specialem? 7. an jus Patronatûs annexum fundo, hypothecæ subjecto, censeatur cum illo datum in hypothecam? 8. quibus dispositione juris competat hypotheca tacita? 9. quæ specialiter notanda circa tacitam uxoris hypothecam in bonis mariti? 10. an Ecclesia habeat tacitam hypothecam in bonis Prælati?

Ad 1. Resp. constare ex n. 1814.

Ad 2. Resp. id haberi n. 1817.

Ad 3. dictum esse n. 1814.

Ad 4. esse responsum in generali regula n. 1822. eadem enim etiam ratio est pro hypothecis; qualiter autem res Ecclesiæ in hypothecam dari possint? constat ex 1824.

Ad 5. Resp. quod extendat se etiam 1849
ad bona subsequente tempore acquirenda, quam diu debitum non extinguitur, esto horum expressa mentio facta non sit. L. *fin.* C. quæ res pign. obligari poss. item, ad merces mercatorum; Haunold. mox citandus; ad actiones, & nomina; hæc enim nomine nostrorum bonorum veniunt per L. 10. §. 1. ff. ad Senat. Consc. Trebell. imo quidquid auget patrimonium nostrum; adeoque ad servitutes, fructus natos ex hypotheca &c. non tamen prædium emptum ex illis fructibus. L. 29. ff. de pignoribus; sed excipe 1. bona, quæ hæres defuncti debitoris acquisivit per se, non ab illo. 2. quæ quis non hypothecasset verosimiliter, facta expressa eorum mentione. 3. quæ quis non

potest alienare. V. Haunold. tom. 4. tr. 10. n. 874.

Ad 6. Resp. quod sub hypothecam specialem cadant etiam ea, quæ nec designata per consequentiam accedunt fundo v. g. per alluvionem L. 16. ff. de pign. & hypoth. vel si rei quoad proprietatem obligatæ consolidetur ususfructus L. 18. §. 1. ff. de pignorat. act. & determinata, seu specificata, vel in omnibus bonis certi generis.

Ad 7. Resp. quod, qui toparchiam, vel arcem aliquam subjicit hypothecæ, non propterea etiam censeatur hypothecasse jus Patronatûs illi annexum c. 18. de sent. & re judicat. nam ex usu juris Patronatus nihil nascitur pretio æstimabile, quod aptum sit venire in partem debiti computandum, pro cujus securitate constituitur hypotheca; Haunoldus tom. 4. de Just. tr. 10. n. 903.

1850 Ad 8. Resp. hypothecam generalem, ac tacitam 1. competere Fisco in omnibus bonis debitoris L. 2. C. in quibus caus. pign. tacit. 2. pupillis, & minoribus in bonis Tutorum, & Curatorum L. 20. C. de administrat. tutor: imo etiam Vitrici, si Mater Tutrix prius nubat, quam liberis tutorem petierit, & reliqua persolverit. L. 6. C. ex quib. caus. pign. tacit. contrah. 3. pupillo in re, alteri empta, ex pecunia pupilli, hic enim habet hypothecam specialem pro pretio necdum soluto, & privilegiatam, ut omnes alios hypothecarios anteriores, etiam speciales præcedat, L. 7. ff. qui potiores. 4. Legatariis, & fideicommissariis in bonis Testatoris §. 2. Instit. de Legat. L. 1. C. communia delegatis; intellige tamen in bonis, quæ à testatore ad hæredem perveniunt, ut apud ipsum maneant. Haunold. tom. 4. de Just. tr. 10. n. 981. 5. uxori pro dote, ac ejus restitutione in omnibus bonis mariti. §. *fuerat.* Instit. de actionib. & c. *ex Literis.* 5. h. t. ibi: *mandamus, quatenus, si tibi constiterit ex his, quæ in præsentia tua fuere proposita, & probata, quod mulier dicit, viro dedisse in dotem, in prædictum R. de bonis fratris aliqua possidere: cum mulieribus favor multum in recuperandis dotibus debeatur, & cautum sit in jure, quod propter maleficium viri, mulier remanere non debeat indonata, cum etiam bona viri mulieri sint pro dote tacite obligata, & cum suo onere transierint ad quemlibet possidentem; R. prædictum eidem mulieri, ad restitutionem dotis eatenus condemnes, quatenus de bonis fratris sui præfati noscitur possidere.*

Ex hoc Resp. ad 9. Not. 1. hypothecam alicui rei impositam transire cum ipsa re in ejus possessorem vel exempto, vel ex alio titulo per cit. c. *Ex literis.* ibi: *cum suo onere transiverit ad quemlibet possidentem*, & L. 12. C. de distraction. pignor. etiamsi vendita esset mandato Judicis. c. *Ex tenore.* de for. Compet. c. *Cum super.* de sent. & re judic. L. 2. ff. ne quis in loco publico. Excipe tamen, nisi cum consensu Creditoris fundus, hypothecæ subjectus, alienatus sit. L. 8. & 11. ff. quib. mod. pignus solv. Not. 2. uxorem posse agere pro dote sua contra quemlibet possessorem, vel detinentem bona mariti, ut constat ex eod. textu. Not. 3. dictam uxoris hypothecam tacitam pro dote, non præferri alteri hypothecæ expressæ priori, etiam non privilegiatæ, juxta Barb. in L. 1. ff. solut. matr. p. 6. à n. 4. Verum circa hoc punctum V. dicenda §. seq. 1851

Ad 10. Resp. Ecclesiam in bonis Prælati, vel alterius administratoris bonorum Ecclesiarum, habere omnia ejus bona sibi tacito hypothecata in securitatem malæ administrationis; Ecclesia enim gaudet jure minorum; ergo sicut isti habent tacitam hypothecam in bonis Tutorum, & Curatorum; sic Ecclesia in bonis Prælati, & cujuslibet administratoris bonorum Ecclesiarum; antec. est ex c. 1. de in integr. restit. ibi: *Cum Episcopo ejus conditionem deteriorem facere non liceat, & Ecclesia jure Minoris debeat semper illæsa servari*, &c. *Auditis.* 3. eod. ibi: nos attendentes, *quod utraque Ecclesia fungatur jure Minoris*, æquitate pensata utramque restituimus contra reliquam ad probandam rationem omissam, ne alterutra pars, propter hujusmodi negligentiam, gravi jacturâ lædatur; de Minoribus autem etiam constat ex L. 20. C. de administrat. Tutor. ibi: *Pro officio administrationis, tutoris, vel Curatoris bona, si debitores existant, tanquam pignoris titulo obligata, minores sibimet vindicare minime prohibentur*; idem est, & si tutor, vel Curator quis constitutus res 1852

nu-

minorum non administraverit; his præmotatis:

§. 1.

De privilegio hypothecæ pro dote Uxoris.

1853 GEneralem hypothecam tacitam, hoc est lege constitutam, Uxori competere in bonis mariti, cum jure prælationis ante omnes hypothecas tacitas, non similiter privilegiatas, constat ex L. *in rebus* C. de jure dotium, ibi: *in rebus dotalibus, sive mobilibus, sive immobilibus, seu se moventibus, si tamen extant, sive æstimatæ, sive inæstimatæ sint, mulierem in his vindicandis omnem habere, post dissolutum matrimonium, prærogativam, jubemus; &, neminem Creditorum mariti, qui anteriores sunt, posse sibi potiorem causam in his per hypothecam vindicare, cum eadem res, & ab initio uxoris fuerint, & naturaliter in ejus permanserint* Dominio; & statim infra; volumus itaque eam in rem actionem in hujusmodi *rebus, quasi propriis habere & hypothecariam, omnibus anteriorem possidere, ut sive ex naturali jure ejusdem mulieres res esse intelligantur, sive secundum legum utilitatem ad mariti substantiam pervenisse videantur; per utramque viam, sive in rem, sive hypothecariam ei plenissime consulatur*; & L. 12. C. qui potiores in pign. §. 1. ibi: Sancimus, ex stipulatu *actionem, quam mulieribus jam pro dote instituenda dedimus, cuique etiam tacitam donavimus inesse hypothecam, potiora jura contra omnes habere mariti Creditores, licet anterioris sint temporis privilegio vallati.* De eadem materia, §. *Fuerat.* 29. Instit. de Actionib. dicitur: *fuerat antea & rei uxoriæ actio una ex bonæ fidei judiciis*; sed cum pleniorem esse ex stipulatu actionem invenientes, *omne jus, quod res uxoria antea habebat*, cum multis divisionibus in actionem ex stipulatu, *quæ de dotibus exigendis proponitur, transtulerimus*, merito rei uxoriæ actione sublata, *ex stipulatu actio, quæ pro ea introducta est, naturam bonæ fidei judicii tantum in exactione dotis meruit, ut bonæ fidei sit; sed & tacitam ei dedimus hypothecam; præferri autem aliis Creditoribus in hypothecis tunc censuimus, cum ipsa mulier de dote sua experiatur, cujus solius providentia hoc induximus.*

Circa istam juris dispositionem occurrunt sequentia dubia; 1. an mulier, vi sui privilegii, quoad suam hypothecam tacitam, sibi constitutam in bonis mariti habeat jus prælationis non tantum relate ad alios Mariti Creditores, habentes in ejusmodi bonis hypothecam *tacitam*; sed etiam *expressam?* videtur dicendum, quod non, 1. quia Fiscus, & Uxor in hac materia pari passu ambulant; sed Fiscus non præfertur Creditori *expressam* hypothecam habenti; ergo nec uxor. major est ex L. 2. C. de juribus Fisci; minor est ex L. 4. C. eod. ibi: *si fundum pignori accepisti, antequam reipublicæ obligaretur, sicut prior es tempore, ita potior es jure*; ergo nec dos præfertur; provisio enim hominis facit cessare provisionem legis; sed mulieri solum providet lex; Creditori autem provisio expressa hominis; ergo. 3. L. 29. C. de jure dot. dicitur, de muliere ratione suæ dotis vindicandæ: sed ita eam posse easdem res vindicare, vel à Creditoribus posterioribus, vel ab aliis, *qui non potiora jura legibus habere noscuntur*; ex hoc autem textu sequitur, quosdam esse Creditores, qui quoad hypothecam suam habent *potiora jura*, quibus uxor ratione suæ dotis non præferatur, ergo. 1854

Sed affirmativa probabilior est, exceptis casibus, de quibus à n. 1858. Ratio sumitur ex cit. §. *Fuerat.* in n. 1853. ubi *expresse*, ac *indefinite* præfertur aliis Mariti Creditoribus, hypothecam anteriorem habentibus; nec ratio urget restringendi dispositionem Legis ad hypothecarios *solum tacitos*; cujus ratio est, quia Creditor, cujus pecunia res empta; vel reparata est, præfertur habentibus hypothecam expressam, ut habetur L. 5. ff. qui potiores, ibi: *interdum posterior potior est priori, ut puta si in rem istam conservandam impensum est, quod sequens credidit, velut, si navis fuit obligata, & ad armandam eam rem, vel reficiendam ego credidero*; at uxor in dotis exactione præfertur Creditori, cujus pecunia res empta est, vel reparata, & ex Novella 97. c. 3. ibi: quæsitum est igitur, si mulier prætendens privilegium super antiqua dote, & 1855

augmentum, in quo etiam hoc servatur privilegium (sicut prædictum) prioribus voluerit præponi creditoribus, veniat autem, & alter creditor, posterior quidem, *prætendens autem pecuniis suis emptam, aut reparatam navem, aut domum, aut agrum* &c. *utrum oporteat dotem etiam talibus præponi*, &c. *plurimum igitur super his cogitantes, non invenimus, mulierem juste existentem, cedere alicui tali privilegio.*

1856 Ad rationes in contrarium in n. 1853. Resp. ad 1. N.ma. Fiscus enim non præfertur anteriori Creditori, *expressam* hypothecam habenti; nec etiam privato habenti hypothecam anteriorem, ex L. *si pignus*. 8. ff. qui potiores in pignore, ibi: *Si pignus specialiter res publica acceperit, dicendum est, præferri eam Fisco debere, si postea Fisco debitor obligatus est: quia & privati præferuntur.* Deinde, lex 2. in qua fundantur Contrarii, nihil aliud dicit, quam, quòd Fiscus *anteriorem hypothecam habens* præferatur mulieri, & viceversa. Cæterum quando dicitur, Fiscum non præferri aliis habentibus hypothecam *expressam*, procedit in bonis obligatis Fisco *ratione delicti*; non autem, *ex contractu*, per L. 28. ff. de jure Fisci, ibi: *Si qui mihi obligaverat, quæ habet, habiturusve esset, cum Fisco contraxerit, sciendum est, in re postea acquisita Fiscum potiorem esse debere, Papinianum respondisse, quod & constitutum est; prævenit enim causam pignoris fiscus.*

1857 Igitur universaliter negandum, in hac materia *parem esse conditionem* Fisci, & mulieris; nam si Fiscus, & mulier *inter se* comparentur, par est utriusque ratio, ut scilicet anterior vincat posteriorem, & sit locus regulæ, qui prior tempore, potior jure, cæteris paribus; si autem comparentur *cum privato*; privatus habens hypothecam anteriorem *vincit fiscum*; mulier autem *privatum*; & eo titulo, quod vincat istum, vincit etiam fiscum, juxta L. 14. §. 3. ff. de perpet. & temporal. præscript. ubi dicitur: *Si vinco vincentem te, multò magis ego te vincere debeo.*

1858 Ad 2. Resp. tunc solum, facta provisione hominis, cessare provisionem legis, quando super eadem re concurrit cum dispositione, non autem, quando hæc fit in defectum provisionis ab homine factæ. Ad 3. ex L. 29. Resp. exinde solum deduci, paucos aliquos casus, in quibus alii hypothecarii, propter speciales causas, vincunt etiam mulierem; primus est ex L. 4. C. ex quibus causis pignus tacitè contrah. ubi dicitur, quod, si ex malâ administratione primipilari factus sis debitor Fisci, non solum res tuæ obligentur tacitè Fisco, sed dos uxoris tuæ, ita videlicet, si bona mariti exhausta sunt, neque aliquid residuum invenitur.

Secundus est, quando cum Noverca concurrunt liberi prioris matrimonii in exactione dotis per L. 12. C. qui potiores §. 1. vers. *Exceptis*, ibi: *exceptis videlicet contra novercas anterioris matrimonii filiis, quibus pro dote matris suæ jam quidem dedimus hypothecam contrapaternas res, vel ejus Creditores: in præsenti autem similem eis prærogativam servamus, ne jus, quod posteriori datum est uxori, hoc anteriori denegetur, sed sic maneat eis jus incorruptum, quasi adhuc vivente matre eorum; duabus enim dotibus ab eadem substantia debitis ex tempore prærogativam manere volumus.* 1859

Tertius est in causa funeris, ubi, ne contra omnem humanitatem, cadavera insepulta jaceant, actio funeraria præfertur doti per L. 45. ff. de religios. & sumptib. fun. ibi: *Impensa funeris semper ex hæreditate deducitur, quæ etiam omne creditum solet præcedere, cum bona solvendo non sint.* 1860

Not. autem, per *primipilum*, seu primipiliarium, ut notat Pereyra in Elucid. n. 610. intelligi *Centurionem* annonæ inter milites distribuendæ; talis enim, ratione officii, obligatur Fisco, & non solum illius, sed etiam uxoris bona, in defectum bonorum mariti, fisco sunt oppignorata ratione administrationis suæ, propter ingens reipublicæ periculum ex mala talis officii administratione; propter quod causa uxoris censetur causa *privata*, cui meritò præferatur hæc, causa boni publici. 1861

Quæstio altera est, an hæc hypotheca tacita, cum prædicto privilegio, detur etiam hæredibus uxoris? Resp. distinguendum inter ejus hæredes *extraneos*; ac *ab illa descendentes*; nam inprimis hoc 1862

nega-

negatur, in L. *unic.* C. de privilegio dotis ibi: *Scire debes, privilegium dotis, quo mulieres utuntur in actione de dote, ad hæredem non transire*; quoad descendentes videtur obstare. 1. quòd privilegia *personalia*, non transeant ad hæredes, ne quidem liberos. Deinde §. *fuerat.* Instit. de actionib. ibi: *hoc privilegium solius mulieris providentia esse introductum*: Dicendum tamen, dari etiam hæredibus uxoris *ab ea descendentibus.* ratio sumitur ex L. 12. C. potiores. V. *Exceptis*, relata n. 1859. ubi expressè dicit Imperator, quòd *filiis anterioris matrimonii contra novercas, pro dote matris suæ in rebus paternis, jam providerit hypothecam*; nullam autem aliam dedit, quam istam, nimirum, ut gaudeat privilegio matris in rebus paternis contra Novercas, & alios Creditores; ergo. ad 1 in contrarium Resp. id n. intelligi de privilegiis concessis parentibus *intuitu liberorum*, sic personale beneficium competentiæ, quod L. 12. ff. soluto matrimonio, negatur hæredibus, non intelligitur nisi de extraneis; & descendentibus L. 18. ff. eod. conceditur; ex quo etiam habetur solutio ad L. *unicam.* ad 2. ex §. *fuerat*, Resp. etiam extensionem *ob descendentes* pertinere ad providentiam mulieris.

§. 2.

An uxor in bonis Mariti habeat tacitam hypothecam ratione aliorum bonorum.

1863 ANte resolut. not. aliud esse, *quòd uxor propter certa bona habeat tacitam hypothecam in bonis mariti*; aliud, *quod eam habeat cum privilegio prælationis ad anteriores Creditores*; quo prænotato ꝛc. uxori, etiam pro bonis *paraphernalibus*, quorum administrationem habet maritus, in bonis mariti habere tacitam hypothecam; sed, non cum privilegio prælationis; prima pars desumitur ex L. *ubi adhuc.* 29. C. de jure dot. ibi: ubi, adhuc matrimonio constituto, maritus ad inopiam sit deductus, & mulier sibi prospicere velit, resque *sibi suppositas pro dote, & ante nuptias donatione, rebusque extra dotem constitutis* tenere: *non tantum mariti res ei tenenti, & super his ad judicium vocatæ, exceptionis præsidium ad expellendum ab hypotheca secundum Creditorem præstamus*; Sed etiam, si ipsa contra detentatores rerum, ad maritum suum pertinentium, super iisdem hypothecis aliquam actionem secundum legum distinctionem moveat, non obesse ei matrimonium adhuc constitutum, Sancimus; sed ita eam posse easdem res vindicare, vel *à Creditoribus posteriorib*, vel ab aliis, qui non *potiora jura* legibus habere noscuntur, ut potuisset, si matrimonium eo modo dissolutum esset, quo dotis, & ante nuptias donationis exactio ei competere poterat. Ubi vides ex hoc textu idem dicendum de donatione propter nuptias; ut notat etiam Azor p. 3. l. 7. c. 3. & alii. Secunda verò pars videtur colligi ex illis verbis: *Vel à Creditoribus posterioribus, vel ab aliis, qui non potiora jura legibus habere noscuntur.*

Hæc tamen secunda pars à nonnullis 1864
traditur cum distinctione, an uxor agat præcisè pro donatione propter nuptias acquirenda? an pro illa acquirenda non utcunque, sed tanquam sibi tacitè hypothecata pro sua dote? in primo affirmant tacitam illi competere hypothecam etiam pro illis bonis, ut diximus præced. numero, sed sine privilegio prælationis: Secus, in secundo; quia tunc potius agit pro dote, comparatione cujus habet tacitam hypothecam cum privilegio ad alios Creditores etiam anteriores, quæstio esse potest, an dos, quam puellæ secumferunt ad monasterium, nullis bonis stabilibus vi suæ regulæ fundatum, sed ex sola dote ad censum applicata præbens alimenta suis, gaudeat privilegio prælationis ad alios anteriores Creditores in casu, quo bona debitoris non sufficiunt ad solvendos omnes Creditores?

Resp. etsi hoc claro jure civili non vi- 1865
deatur stabiliri posse; nihilominus rectius affirmari ex ratione. 1. quia causa pia in plurimis præfertur aliis; & cum de his agitur, non est judicandum secundum leges, sed sacros canones, ut constat ex dictis; in sacris autem canonibus matrimonium spirituale, consequenter

&

& dos, à spiritualiter nubente, monasterio allata, gaudet prærogativis matrimonii carnalis in hujus favorem à jure indulto, præsertim quoad dotem allatam ad sustentanda matrimonii onera, quod à fortiori tenet, cum stat loco alimentorum sponsæ; arg. c. *inter corporalia* 2. de translat. Episcopi; illud certum videtur, ubi concurrunt plures Creditores, tempore quantumvis posteriores, præferendos esse anterioribus, quando debita istorum non sunt liquida, hoc est, non habent causam debendi; eorum verò liquida sunt, & expressam habent causam debendi.

ARTICULUS IV.

De Cautionibus.

1866 QUid, & quotuplex sit *cautio*, diximus in principio hujus tit. à n. 1808. de aliis porro cautionibus particularibus, ibi non expressis, (ut sunt *de non offendendo, judicio sisti*, aut *judicatum solvi*, vel *rem ratam haberi*) egimus lib. 1. tit. 28. de Procuratoribus. Illud nota, cautionem *realem* esse omnium fere securissimam; nam *juratoria* sæpe violatur, vel ægrè non rarò ad executionem trahitur; *fidejussoria* etiam Creditores frequenter litibus implicat; quia tamen debitores, etiam cautionem realem, quandoque non redimunt cum damno Creditoris, quæstio est, an, & qualiter Creditor pignus possit vendere, si debito ipsi tempore debitum non sit solutum? R. posse ut dictum est à n. 1828.

1867 Hinc not. 1. si redemptioni pignoris faciendæ per solutionem debiti terminus præfixus est, debitorem tunc non solventem censeri esse in mora, etiam Creditore non petente; quia dies pro Creditore interpellat L. *magnam*, C. de contrahend. & committ. stipul. si autem dies non fuit præscriptus, moram incipere, quando elapso rationabili tempore interpellatur à Creditore L. *si ex legati causa*. ff. de verb. oblig. Creditorem autem in pignoris venditione procedere debere bona fide, & vendere, quo majori pretio potest, adeoque Subhastatione, L. *ult.* C. de jure dom. &, si ipse debitor velit vendere, debere illi accepta cautione permittere; sic Lugo cit. n. 36.

Not. 2. Creditorem in casibus jure sibi permissis vendentem pignus, ejus dominium transferre in Emptorem; quia, licet ipse non sit dominus pignoris; est tamen in hoc casu debitoris Procurator à Lege, vel Judice constitutus, sic Lug. cit. n. 40.

In c. *Cum constet* fin. h. t. fit specialis 1868
mentio de cautione, quam proprietarius exigere potest ab usufructuario; cum enim quidam reliquisset testamento proprietatem bonorum suorum Mariæ uxori Cajæ; usumfructum Joannæ Matrisuæ, uxori Augerii; *Maria* proprietaria, mortuo testatore, petiit ab Joanna uxore Augerii, præstari idoneam cautionem, quod utatur, & fruatur rebus immobilibus salva illarum substantia ad arbitrium boni viri; pecuniam verò, ac æstimationem bonorum, quæ consumuntur usu, & in hæreditate reperta fuerint, dictæ Mariæ, vel hæredibus ejus in morte sua restituat, super quibus ad cautionem præstandam; Pontifex illam compellimandat; hoc autem spectat propriè ad secundam partem hujus tituli, de cautionibus in genere, quod à se editum Gregorius IX. apponi voluit, ut corresponderet nigrum etiam alteri parti Rubricæ.

Ex hac Gregorii decretali deducunt 1869
communiter Canonistæ, istam conclusionem: *Usufructuarius cavere debet, quod utatur fruatur rebus immobilibus, salva earum substantia & finito usufructu eas restituet, si extent*; alias, *ipsarum rerum æstimationem*; id quod etiam jure civili merito cautum est; cum enim Usufructuarius deteriorem causam proprietatis facere non debeat, & æquum sit, reddi securum proprietarium, ideo Prætorem cavisse, usufructuarium cogere, cautionem præstare de utendo boni viri arbitrio & de restituendo, quod supersit, finito usufructu.

Circa hanc decretalem moveri potest 1870
quæstio ex illis verbis dicti canonis: cum *constet Ioannam, mulierem, Vxorem Augerii, quoad usum fructum filio suo successisse*; videtur enim ususfructus non posse continuari successione; cum morte finiatur, nec in eo detur successio, L. *Liber* 25. ff. de

de liber. caus. L. 1. §. *si impuberi.* 21. ff. de collat. bonor. §. *Finitur.* Instit. de usufruct. videtur tamen dicendum usumfructum ad Joannam Mulierem venisse, ipsa defuncti institutione; non autem *continuatam successione.*

1871 Altera quæstio est, an Testator, qui uni relinquit rerum suarum proprietatem, alteri earundem usumfructum, possit usufructuario remittere obligationem præstandi cautionem? &. L. 1. C. de Usufructu dici negativè, ibi: *Si ususfructus omnium bonorum testamento Uxoris marito relictus est: quamvis cautionem à te prohibuerit exigi; tamen non aliter à debitoribus solutam pecuniam accipere poteris, quam oblata secundum formam Senatusconsulti cautione*; aliud est de proprietario; is enim huic dispositioni juris, in suum favorem introductæ, renuntiare potest.

QUÆSTIO XXII.

IN TITULUM XXII. DE FIDEJUSSORIBUS.

1872 ALtera species post cautionem *pignoratitiam* (sub qua venit etiam *hypothecaria*) & *fidejussoria*; cum enim quandoque contingat, ei, qui cavere debet, nihil esse, in quo Creditori suo securitatem debiti constituere possit; proxima plerumque est, quæ fit per fidejussores, nimirum eos, qui promittunt, se solvturos, quod alius debet, si debitor principalis non solverit, ut notat Lessius l. 2. de Just. c. 28. D. 1. à n. 1.

ARTICULUS I.
Quid, & quotuplex sit fidejussio?

1873 SUppon. 1. *fidejussionem* sumi posse 1. *generaliter*; & sic omnes, qui alienam obligationem in se suscipiunt, fidejussores dicuntur, sed generaliter, & latè, 2. *specialiter*, proprie, ac stricte; & sic illi tantum fidejussores dicuntur qui alienam obligationem in fidem suam suscipiunt (**ich will gut darfür seyn**) manente nihilominus priore obligatione; ex quo vides per fidejussionem strictè sumptam, non fieri novationem, seu mutationem prioris in posteriorem obligationem, perempta priori; ita Sichardus in L. 8. C. Tit. 3. de Fidejussorib. in rubric. n. 4.

Suppon. 2. quod contractus fidejussionis juxta jus civile perficiatur *verbis*; & sine forma stipulationis non pariat actionem in foro externo, tanquam pactum nudum; sic Pereyra in Elucidario n. 1037. §. *juxta*; toto jure civili frequens mentio est de fidejussione, & fidejussoribus; de his enim est titulus 41. Codicis lib. 8. tit. 21. Instit. lib. 3. tit. 7. ff. lib. 27. & tit. 1. L. 48. Fidejussio autem dicitur à *fide*, & *jubeo*; ut enim constat ex L. *ubi autem.* ff. de verb. oblig. fiebat hac stipulatione: *fide tua id esse jubes*, hoc est, suscipis, & esse vis? ad quod se Titius mihi adstrinxit? respondebat alter: *fidejubeo*; sic igitur definitur à Lessio lib. 2. c. 28. n. 1. *est alienæ obligationis in se susceptio, quâse quis obligat ad eam implendam, si debitor principalis non solverit.* 1874

Suppon. 3. juxta jus *canonicum*, & in foro conscientiæ, ad fidejussionem sufficere consensum, verbis expressum cum quatuor conditionibus; 1. ut sic contractus *accessorius*, supponens alium debitorem, & aliam obligationem principalem; vel præsentem, vel futuram; 2. ut fidejussor non possit in plus obligari, quam principalis debitor; possit tamen obligari *arctius*, ut juramento, hypotheca, vel guarantigio, id est, instrumento publico, quod habet paratam executionem; 3. est, ut, 1875

si principalis obligatio debitoris est invalida, etiam fidejussoria invalida sit: ut, si quis fidejussit pro solutione usurarum: 4. ut fidejussor non possit conveniri, nisi facta *excussione* principalis debitoris constiterit, ipsum non esse solvendo; de quibus plura in seqq.

1876 Suppon. 4. ad fidejussores *generaliter* acceptos reduci 1. *sponsores*, illos scilicet, qui sponte, non interrogati, pro aliis intercedunt; 2. *expromissores*, qui scilicet alienæ obligationi non accedunt, sed novando se debitores principales constituunt, liberando debitorem ab obligatione, ac eam in se recipiendo; 3. *constitutores*, illos scilicet, qui, quod alius, vel ipse jam ante debet, se vel per epistolam, vel nudum pactum, solutores constituunt: 4. *Mandatores*, qui alicui mandant, vel eum rogant, ac illi auctores sunt, ut alteri pecuniam credat, vel illi tempus solutionis proroget, vel cum illo contractum ineat.

1877 Supp. 5. fidejussorem esse multiplicem; nam alius dicitur *extrajudicialis*, cum scilicet quis fidem suam obligat, se creditori soluturum, si principalis debitor non solverit; alius *judicialis*, seu in judicio, qui juxta Molin. tom. 2. D. 539. est duplex; alter, qui se obligat non solum sistere Reum, aut debitorem in judicio, quando opus fuerit, aut fuerit requisitus; sed etiam, quod solvatur, quod fuerit judicatum.

1878 Supp. 6. quòd sub prædictis contineatur Fidejussor *in rem suam Conditionalis*, *Assiduus* & *personalis*; Fidejussor *in rem suam* dicitur, qui fidejubet pro aliqua re in causa, quâ res ejus futura est, v.g. dedi Procuratorem ad defendendum in causa mea, & fidejussi pro eo, quòd *judicatum solvetur*; tunc ex L. *si defunctus*, ff. de procur. *fidejussor in rem meam* appellatur; *Conditionalis* juxta Bartolum in L. 1. ff. si certum petatur, est, qui sub conditione promittit, & nomine debitoris continetur; *assiduus* fidejussor est idem, atqui locuples; *personalis* fidejussio, de qua in auth. *de exhib. reis.* §. *sancimus*, est cautio *sistendi Reum in judicio*; & ideo dicta, quia est de præsentatione personæ.

1879 Suppon. 7. quid veniat Fidejussoris *idonei* appellatione? exponi à Jasone in L. 2. princip. ff. qui satisdare cogan. Tusch. pract. concl. tom. 3. lit. F. concl. 331. & tom. 7. lit. S. concl. 41. n. 1. & Surd. decis. 295. n. 11. asserentibus, illum esse, qui habet stabilia, vel multa mobilia, quæ æquivaleant valori litis, de qua agitur; &, quod sit facilis ad conveniendum: Surdus cit. n. 12. subdit, quòd debeat illa bona possidere in loco judicii; Farinacius autem in praxi crimin. q. 33. n. 50. quem citat Maurus tr. de fidejuss. p. 2. sect. 2. c. 2. docet non sufficere *possidere mobilia*; quia, cum hæc facilè asportari possint, pro idoneo non habetur.

Suppon. 8. Fidejussorem *indemnitatis*, 1880
teste Lessio lib. 2. C. 27. n. 8.) esse illum, qui spondet pro fidejussoribus prioribus, quando Creditor non putat se satis tutum variis fidejubentibus; eo, quòd nesciat, an satis habeant in bonis, & ille non potest conveniri, nisi post factam excussionem priorum.

Suppon. 9. *Excussionem* esse diligentem inquisitionem, ac detentionem re- 1881
rum, bonorumque principalis debitoris, factam per Judicem usque *ad purum* (ut dicunt) id est *novissimum quadrantem*; de hac latè Molina, tom. 2. D. 545. Unde *excutere debitorem*, est auctionem bonorum ejus facere, & experiri, an sit solvendo? *excutere* enim, præter vulgatam significationem, accipitur pro *scrutari*, *diligenter inquirere*, *& exactè expendere* L. *cùm proles*. §. *mandati*. ff. locati; sumitur interdum pro exigere nomen, & debitorem appellare; L. *Lucius*, de admin. tutor.

Suppon. 10. *satisdare* idem esse, ac 1882
securitatem per fidejussores dare; *satis-accipere*, accipere per eosdem eandem securitatem; unde *satisdatio* est cautio fidejussoria, vel etiam juratoria, si fidejussorem quis dare non possit; *Satisacceptio* est stipulatio, quæ ita obligat promittentem, ut expromissores quoque ab eo accipiantur, id est, qui idem promittant. L. 5. ff. de verb. oblig. *recipere in se periculum*, *fidejubere & nominare*, parum refert, ut habetur ex L. 1. ff. de Magist. conven.

Ad extremum not. *beneficium ceden-* 1883
darum actionum esse, per quod postulare possunt fidejussores, & alii, qui obligati

ligati alioquin, nisi cedatur eis, possunt recusare considejussores, & alios, qui sunt obligati in una obligatione, sibi cedi in alia contra solutiones; Instit. de satisdat. §. *sin autem*, & L. *Stichum*, §. *pen.* ff. de solution.

1884 Ex dictis colliges. 1. *fidejussionem*, esse obligationem accessoriam alteri obligationi principali, quam supponit, & sine qua consistere non potest; quare, si principalis obligatio sit omnino invalida, ita, ut nec naturalis, nec civilis obligatio adsit, etiam velut accessoria sit invalida, L. *qui contra.* 10. L. *fidejussor.* 16. in princ. L. *Si à Reo.* 70. §. *Si à furioso.* ff. de fidejuss. sequitur ex n. 1875. quod tamen intellige de obligatione vel præcedente, vel futura, ut si quis fidejubeat pro altero in quolibet ejus debito, quod contraxit, & contracturus est, L. 5. ff. h. t. Coll. 2. in omnibus contractibus, re, verbis, scriptura, vel solo consensu perfectis, admitti fidejussionem, §. 1. Instit. h. t. Sive talis contractus teneat naturaliter, & civiliter, sive naturaliter tantum, ex eod. §. 1. imò & pro ipso fidejussore, ut tradit Layman l. 3. summæ tr. 4. c. 29. n. 2.

ARTICULUS II.

Qui possint esse Fidejussores?

1885 REsp. fidejubere posse omnes, qui nec generaliter, nec specialiter prohibentur; quibus stipulari, vel contrahere prohibetur, illi *generaliter* prohibentur fidejubere; *specialiter* autem prohibentur 1. milites, nisi in rem suam fidejusserint, L. 8. §. 1. ff. qui satisdare cogantur; L. 31. C. de locat. & Conduct. excipe Veteranos milites, à militia honestè dimissos, & Sacramento solutos: de perpetuis præsidiariis consuetudo inspicienda est; Deinde pupilli sine Tutoris authoritate; &, si fidejusserunt, etiam pro Patre, restituuntur in integrum, licet debitor principalis solvendo non sit, L. 1. C. de filiofam. minore; tertiò Minores, habentes Curatorem; hinc quando L. 101. ff. de Verb. oblig. dicitur: *Puberes, sine Curatoribus suis possunt ex stipulatu obligari* (fidejussio autem fit stipulatu) respondetur: Legem intelligi solum in casu, quo id exigeret charitas, vel pietas (v. g. pro Patre incarcerato) vel gravis proximi necessitas, obligans ex charitate ad eum juvandum; quartò etiam servi L. 19. & 20. ff. de Fidejussoribus; intellige, si solvat ex dominica causa, secus, si ex peculiari. Quintò dubitari potest de fœminis? pro cujus expositione, not. fœminis ex Senatusconsulto Vellejano concessum privilegium, vi cujus à fidejussione, (si quam præstiterunt) se per exceptionem liberare possint, dicendo, & respondendo Creditori, solutionem exigenti, *vi privilegii se propter talem fidejussionem ad nihil teneri*, not. 2. quòd olim jure digestorum mulier pro aliquo fidejubens, & civiliter, & naturaliter teneretur, & Creditori adversus eam actio competeret, sic tamen, ut ex Senatus Consulto Vellejano ei competeret exceptio, qua Creditoris actionem ita elidere, seu repellere posset, ut utraque obligatio penitus tolleretur, adeoque illa nec in conscientia, vi factæ fidejussionis, teneretur.

Not. 3. quòd hodie, jure Codicis, sit 1886
constitutum, ut, si mulier fidejubeat pro alio, confecto publicè instrumento, à tribus testibus sublignato, contrahat quidem naturalem, & civilem obligationem, vi cujus contra illam Creditor agere possit; beneficio tamen Vellejani ei contra talem actionem exceptio detur L. 23. §. *fin.* C. ad Senat. Cons. Vellej. Si autem instrumentum careat illis solennitatibus non sit opus hoc beneficio; quia tunc Creditori non datur actio; hoc jure Codicis. Nam per Novellam 134. c. 8. (ex qua desumpta est authentica *si qua mulier* C. ad S. C. Vellejanum) novus casus adhuc exceptus est, ut scilicet, etiamsi mulieris fidejussio pro marito etiam cum prædictis solennitatibus facta sit, adhuc nihil valeat, *nisi manifestè probetur*, quòd pecuniæ creditæ in propriam ipsius mulieris utilitatem fuerint expensæ.

Ex hoc deducitur, primum effectum 1887
beneficii, competentis mulieri ex S. C. Vellejano, esse, quòd mulier ob fidejussionem, à se factam, nihil teneatur alterius loco (pro quo intercessit, seu

fidejussit) creditori solvere, eumque possit ab actione, intentata in judicio, repellere per exceptionem illius beneficii in omnibus illis casibus, in quibus locum habet beneficium S. C. Vellejani; & hoc beneficium transit etiam in hæredes mulieris, quia succedunt in ejus jura. Haunoldus tom. 3. tr. 9. n. 126.

1888 Quæstio autem est 1. an hoc beneficium ex prædictis constitutionibus, fœminæ, pro alio fidejubenti, concessum, locum habeat, etiamsi mulier non *se personaliter*, sed tantum *sua bona* Creditori obliget? R. quòd sic, ex L. 8. ff. de Fidejuss. ibi: *quamvis pignoris datio intercessionem* (intellige fidejussionem) *faciat*.

1889 Quæstio est 2. an licet consentiat marito oppignoranti res uxoris? R. quòd sic L. 5. & 7. de Senatus Consult. Vellejani; sed hoc limita, si consentiat sciente Creditrice; non autem, si calliditate ad mutuandum eam induxit consensu, vel potentia callida, quia calliditati non succurritur, sed infirmitati mulieris. Quæstio est 3. an, etiamsi mulier per res sibi oppignoratas pro alio apud Creditorem scientem esse pignoratas intercedat? R. affirmative ex L. 17. §. 1. ff. ad S. C. Vellej. Quæstio est 4. an quoque, si mulier per novationem, alterius obligationem in se transferat? R. quòd sic, L. 4. C. ad Senat. Consult. Vellej. idem est, si statim in initio se alterius loco obliget L. 8. §. 14. ff. eod. sed not. in casu fidejussionis per novationem factæ, Creditori, si mulier uti vellet beneficio Vellejani, concedi actionem rescissoriam dictæ novationis, seu restitutoriam contra eum, pro quo illa intercessit. Demum idem conceditur etiam fidejubenti pro muliere ex causa fidejussionis, L. 16. §. 1. ff. ad S. C. Vellej. L. 14. C. eod. aut si mulier ex errore solvisset id, pro quo fidejussit. L. 8. §. 3. ff. h. t.

1890 Cæterum in multis aliis casibus hoc Vellejani beneficium mulieribus negatur: 1. quando mulier pro alio solvit, secluså omni obligatione L. 5. ff. h. t. quia hoc beneficium supponit fidejussionem, quæ hic non intervenit. 2. quando in favorem tertii remittit jus pignoris in bonis alterius quæsitum; quia sic est *donatio*, non, *intercessio*, L. 4. §. 1. ff. eod. 3. si mulier emat hæreditatem, & æs alienum in se tanquam debitricem transferat, L. 13. ff. eod. quia sic non alterius, sed suum negotium gerit. 4. si promittat alicui, quòd velit ipsum indemnem servare adversus alium, qui fortè ipsam convenire poterit, ex L. 8. §. 1. ff. h. t. quia ipsa sibi facit obligationem, quin alienam, novam, vel veterem in se recipiat. 5. si fidejubeat apud Creditorem minorennem L. 12. ff. de Minoribus. 6. si fidejubeat, seu expromittat apud Dominum, ut manumittat servum pro pretio libertatis deducto in pactum, L. 24. C. h. t. 7. si fidejubeat pro dote promissa, L. *fin.* C. h. t. probabilius autem procedit hoc solum de dote promissa ante matrimonium contractum. 8. si mulier fidejubeat animo decipiendi Creditorem L. 30. eod.

Nonò, si integro biennio, à prima ob- 1891
ligatione elapso, pignus dedit, aut obligationem ratificavit L. 22. C. h. t. 10. si pretium pro fidejussione accepit, tale saltem, quo tanquam justo alius periculum fidejussionis vendere posset. L. 23. C. h. t. 11. si fidejussit in rem, utilitatemque suam, v. g. pro suo Creditore, L. 13. ff. h. t. & C. L. 2. eod. 12. si Beneficio Vellejani legitimè renuntiavit, quod ipsum facere posse communiter tenent Authores, ut videri potest apud Covar. ad c. *quamvis*. p. 2. §. 3. n. 8. de Pactis, & Andr. Gail. l. 2. observ. 77. Nam, licet nemo privatus favori concesso in gratiam certi statûs renuntiare possit, intelligitur tamen, nisi oppositum pro certo favore sit expressum; hoc autem in passu concessum est aviæ, vel Matri, etiam ante agnatos, volenti tutelam subire, ut possit, si Vellejani auxilio renuntiaverit, & aliis nuptiis, auth. Matri & aviæ, C. quando mulier officio tutelæ fung. simile quid habetur L. *fin.* de S. C. Vellejan.

De personis Ecclesiasticis quæri potest 1892
1. an Prælatus Ecclesiasticus fidejubere possit? 2. an alius Clericus? 3. an Regularis? ad 1. respondet Pirhing h. t. n. 11. Prælatum Ecclesiasticum v. g. Episcopum, vel alium Prælatum sive Secularem, sive Regularem, pro alio posse fidejubere ex reditibus mensæ suæ, etiam non requisito Capituli, aut Conventûs consensu, dummodò id fiat ex justa causa,

causa, & non in magna quantitate, neque cum notabili detrimento Ecclesiæ; nam talis facultas ad liberam potestatem administrandi, quam Prælatus habet, pertinere videtur; & cum fidejubere sit officium charitatis, ac beneficentiæ, non debet censeri ab Ecclesiæ Prælatis alienum, Sylvest. v. *Fidejussor.* q. 4. Sanchez lib. 6. Moral. c. 14. n. 39. Hoc tamen videtur intelligendum de fidejussione, quæ non importat onus, in defectum debitoris principalis, pro fidejussione præstanda, etiam de bonis mensæ suæ faciendi alienationem non licitam sine solennitatibus juris; & hoc videtur intelligi, quando de Episcopo in 11. q. 1. c. *te quidem* 29. dicitur: *Te quidem oportet irreprehensibiliter vivere, & summo studio niti; ut omnes vitæ hujus occupationes abjicias, ne fidejussor existas, ne advocatus litium fias, nec in ulla alia occupatione prorsus inventaris mundialis negotii occasione perplexus.* Cæterum, si Prælatus Ecclesiæ, hujus nomine, ex justa causa fidejussit pro alio, Ecclesia, vel Monasterium, ex tali fidejussione, non obligatur ad satisfaciendum pro debito ex bonis materialibus de jure; & si in aliis exinde læderetur, gauderet beneficio restitutionis in integrum, prout oportet implorato, contra læsionem ab Administratore causatam.

1893 Ad 2. R. affirmativè, si loquamur de fidejussione ex bonis, de quibus liberam habet dispositionem etiam ad usus profanos; sic enim habet liberum, & nulla ratione vinculatum eorum dominium; si autem ex superfluis, quæ habet intuitu Ecclesiæ, secus dicendum est, nisi fidejubeat in pia causa, prout colligi potest ex dictis supra; nam fructus illi superflui, vel non sunt sub domino Clericorum, ut notavimus alibi, juxta satis probabilem, præsertim antiquorum sententiam, vel sunt sub onere vinculante, seu obligante illos non exponendi in usus profanos, ut vult communior Recentiorum de quibus diximus alibi. Cæterum, quod Beneficiarius fidejubere possit ex causa, vel urgentis necessitatis, vel alterius rationabilis motivi, saltem pro Clerico, constat ex c. *Pervenit.* 2. h. t. ubi fidejussio Clerici pro Cancellario Archiepiscopi Cantuariensis, tempore Concilii Lateranensis facta, non improbatur, sed solum præcipitur, ut à moroso debitore liberetur à molestationibus Creditorum; qua occasione Barbosa in dict. c. 2. n. 3. notat, fidejussorem simpliciter se obligantem pro contractu, vel debito alieno, teneri ad usuras, ac interesse proveniens ex natura obligationis principalis. Dixi: *fidejussorem simpliciter*, hoc est eum, qui fidem suam interponit pro alterius debito sine respectu *ad certam quantitatem* sortis, seu sine determinatione quantitatis; non autem secus. V. Stephan. Gratian. discept. forens. c. 30. n. 28. & c. 117. à n. 5.

Ad 3. R. de hoc agi in c. *quod quibusdam.* 1894
4. h. t. ubi Innocentius III. *quod quibusdam Religiosis*, inquit, *à S. de Apostolica est prohibitum, volumus*, & mandamus, *ad universos extendi*, ne quis videlicet Religiosus, absque majoris partis Capituli, & Abbatis sui licentia, pro aliquo fidejubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuam accipiat ultra summam, communi providentia constitutam: *aliòquin non teneatur Conventus pro his aliquatenus respondere: nisi forte in utilitatem domus ipsius manifestè constiterit redundâsse. & qui contra istud statutum venire præsumpserit graviori disciplinæ subdatur.* Ex hoc textu deducitur 1. quod Religiosus fidejussor existere non possit absque Prælati, & majoris partis Capituli licentia; sic Azor Instit. moral. p. 1. lib. 12. c. 11. q. 2. Rebellus de obligat. justit. p. 2. lib. 16. q. unic. de fidejuss. n. 13. intellige, si in tali Religione sit usus, & consuetudo convocandi Capitulum in negotiis; secus, ubi non agitur Capitulariter; & ideo nec Prælatus id potest absque consensu majoris partis Capituli, neque ipse absque eo consensu majoris partis Capituli facultatem fidejubendi concedere, Sylvest. v. *fidejussor.* q. 4. & Angel. eod. verbo. n. 7. Armill. n. 4. ac Leffius de Justit. lib. 2. c. 28. dub. 2. n. 20. Sanchez in Decal. tom. 2. l. 6. c. 14. à n. 38. quod adeo verum est, ut, si de facto fidejubeat Religiosus absque prædicta licentia, irrita sit fidejussio; sic Molina de just. tr. 2. D. 340. Azor cit. q. 2. Sanch. cit. n. 41. idem ex eodem textu sequitur, si Religiosus sine dicta licentia mutuum accipiat; &, si secus fiat, conventus non tenetur, nisi aliquid in ipsius utilitatem probetur conversum; sic Molina cit. D. 300. n. 2. Rebellus

lus de obligat. justit. p. 2. l. 8. q. 2. sect. 3. latè Menoch. de arbitr. casu. 432. à n. 2. & alii; censent tamen aliqui, quod Creditor non debeat probare versionem in utilitatem Ecclesiæ, quando pecunia à Prælato cum Capitulo recepta est mutuo; sic Anton. Genuens. in practic. Eccles. q. 139. n. 2.

1895 Præter hæc not. verba m: *quod quibusdam*; & illa: *mandamus ad universos extendi*; nam cum lex, de qua fit mentio in c. *Quod quibusdam*, porrigeretur tantum *ad certos, & quosdam Religiosos*, ne possent fidejubere, in aliis locum non habebat, etiam data similitudine rationis, ut tradit Suarez de legibus, l. 6. c. 13. n. 12. quem citat, & sequitur Barbos. in dict. c. *Quod quibusdam*, n. 2. Pontifex volens etiam porrigi *ad alios*, novo canone fecit extensionem, ut in præsenti c. *quod quibusdam*.

§. 1.

An Fidejussor plus obligari possit, quam debitor Principalis?

1896 NOtand. in hac quæstione ly *plus* dupliciter intelligi posse; 1. an *fortius?* seu majori vinculo? & ad hoc diximus affirmativè; Deinde, an *etiam ad usuras?* & de hoc constat à n. 1893. 3. an ad aliam rem, vel ad quid amplius obligari possit, quam debitor principalis: & ad hoc 2. quod communis regula neget, ut habetur L. 8. §. 7. & 8. ff. h. t. & §. 5. Instit. de Fidejussor: ibi: *Fidejussores ita obligari non possunt ut plus debeant, quam debet is, pro quo obligantur; nam eorum obligatio accessio est principalis obligationis, nec plus in accessione potest esse, quam in principali re;* at ex diverso, *ut minus debeant*, obligari possunt; itaque si Reus decem aureos promiserit, Fidejussor in quinque recte obligatur: contra vero obligari non potest; item, si ille *pure* promiserit, fidejussor *sub conditione* promittere potest: contra vero potest; non solum autem in quantitate, sed etiam in tempore, minus, aut plus intelligitur; plus est enim, *statim aliquid dare*; minus est, *post tempus dare*. Hinc ubi principalis obligatio nullo modo est, nec est obligatio Fidejussoris, si autem fidejussor se ad plus obligaret, quam Principalis, valeret quoad debitum principale (nam stipulans quærenti ad 10. respondens de 20. tenetur ad 10. L. 11. & 12. ff. de constitut. pecun.) non quoad excessum; hinc quando cit. L. 8. §. 7. dicitur, tales *omnino non obligari* idem est, ac *non obligari in solidum*.

Not. autem, quando dicitur, *accessionem* 1897
fidejussionis nullam esse, non existente obligatione, cui intendit accedere; debere intelligi; non existente saltem illa, etiam jurisfictione; alias verum non esset, pupillum, pubertati proximum, ex contractibus sine Tutoris authoritate celebratis, ne quidem naturaliter obligari, cujus tamen fidejussor obligetur; nam licet ille pupillus, privilegio juris, naturaliter non obligetur, tamen ex natura rei, potuisset obligari, nisi leges restitissent; leges autem nolunt favere fidejussori, adeoque non irritant illam pupilli obligationem *in ordine ad fidejussorem gravandum* (possunt enim obligationes tolli quoad unum effectum, & relinqui quoad alium) recte inferimus, obligationem naturalem in pupillo fictione juris existere.

§. 2.

An culpabilis mora Debitoris noceat fidejussori?

1898 REsp. Quod, cum obligatio Fidejussoris reipsa pendeat ab intentione, & *animo se obligandi*, saltem in foro conscientiæ, ad id solum tenebitur, ad quod se intendit obligare. Cæterum, si res, quæ sub obligatione est, culpabili mora debitoris principalis pereat, fidejussor æquè, ac principalis ad ejus æstimationem tenebitur, quia præsumitur in totum intercessisse. L. 58. ff. de fidejuss. ibi: *cum facto suo Reus principalis obligationem perpetuat, etiam Fidejussoris durat obligatio, veluti si moram fecit in Sticho solvendo, & is decessit.* & L. 91. §. 4. ff. de V. O. ubi ratio redditur, *quia in totam causam spoponderunt.*

Quæstio est, an in tali casu Fidejussor 1899
teneatur ad usuras, vel alias accessiones, aut pœnam à debitore principali adjectam? R. quod non, etiamsi expresse, saltem generaliter, *ad omnem eventum*. se ob-

obligaverit, L. 68. §. 1. ff. h. t. ibi: *Pro Aurelio Romulo conductore vectigalis, centum annua Petronius, & alii fidejusserant: bona Romuli Fiscus, ut obligata sibi occupaverat, & conveniebat fidejussores, tam in sortem, quam in usuras qui deprecabantur, lecta subscriptione fidejussionis; quoniam in sola centum annua se obligaverant, non in omnem conductionem; decrevit fidejussores in usuras non teneri: sed quidquid ex bonis fuisset redactum, prius in usuras cedere, reliquum in sortem*: & ita in id, quod defuisset, fidejussores conveniendos; & L. 10. C. eod. & L. 54. ff. locati; hinc leges contrariæ, quæ volunt moram nocere fidejussori, intelligendæ sunt juxta primam partem; negantes vero, juxta secundam partem, datæ responsionis.

§. 3.
Quibus obligationibus accedere possit Fidejussor?

1900 AD hoc Resp. ex §. 1. Instit. h. t. ubi habetur: *in omnibus obligationibus adsumi possunt*, id est, sive re, sive verbis, sive literis, sive consensu contractæ fuerint; at nec illud quidem interest, *utrum civilis, an naturalis sit obligatio, cui adjicitur fidejussor*, adeo quidem, ut pro servo quoque obligetur, *sive extraneus sit* qui fidejussorem à servo accipiat, *sive ipse dominus*, in id, quod sibi naturaliter debetur: quibus positis:

1901 Quæstio est 1. an fidejussio semper supponat obligationem naturalem debitoris principalis? 2. an alius fidejubere possit pro altero fidejussore? 3. an etiam pro debito ex delicto? 4. an etiam pro debito conservandi dotem? Ad 1. Resp. ex n. 1884. quod sic, saltem existentem fictione juris, ut notavimus n. 1897. Ad 2. Resp. affirmativè, ex dict. supr. per L. 8. §. fin. ff. h. t. ibi: *pro fidejussore fidejussorem accipi, nequaquam dubium est*; tales porro sunt Fidejussores *indemnitatis*, de quibus n. 1880. Ad 3. Resp. posse, si debitum non sit ad pœnam corporalem sanguinis, exilii, triremium; quando autem aliqui etiam in hoc sentiunt contrarium ex L. 1. ff. de Custod. & exhibit. Reorum, intelligendi sunt de fidejussione obligante *ad factum sistendi Reum*, vel *præstandum interesse*; Ad 4. Resp. quod non, ex L. 1. C. ne fidejussores, aut Mandatores dotium dentur, ibi: *sive ex jure, sive ex consuetudine lex proficiscatur, ut Vir Vxori fidejussorem servandæ dotis exhibeat, tamen eam jubemus aboleri; ne scilicet causa præsidiæ in connubio eorum generetur*, ut dicitur ibid. L. 2. sed forte aliud habet consuetudo, præsertim in periculo dilapidationis.

§. 4.
Quænam actiones competant Creditori, & exceptiones Fidejussori?

AD 1. Resp. quod Creditori contra Fi- 1902
dejussorem competat condictio certi; vel actio ex stipulatu; nam, cum Fidejussio sit stipulatio, si stipulatio est *rei in certæ*, datur actio ex stipulatu; si *rei certæ*, datur condictio certi; per *condictionem certi* (ut videre est apud Ulpianum L. *certi conductio*. ff. si certum pet.) intelligitur actio, quæ competit ex omni causa, & omni obligatione, ex qua aliquid certum petitur, sive ex certo contractu, sive ex incerto agatur; unde plane innotescit, quod condictio concurrit cum actione mandati, depositi, & cæteris, ubi quid certum petitur.

Not. autem 1. quod si Creditor, præter 1903
fidejussionem, etiam pignus accepit, quin illa in subsidium, seu defectum pignoris præcisè accepta sit, in Creditores sit optione, an, omisso pignore, fidejussorem velit convenire? L. 51. §. 3. ff. h. t. L. 17. C. eod. vel pignus distrahere? Not. 2. si fidejussio acceptata sit in subsidium *pignoris*, non liberari fidejussorem, esto pignus casu perierit, per L. 52. ff. h. t. ibi: *amissa ruina pignoris, damnum tam fidejussoris, quam Rei promittendi periculum spectat: nec ad rem pertinebit, fidejussor ita sit acceptus*; Not. 3. quod, sicut conventio fidejussoris non liberat pignora, L. 8. C. de pign. ita nec persecutio pignorum Fidejussorem, saltem quoad residuum L. 9. C. h. t. ibi: *etiamsi de jure obligationis pignorum actum fuerit, fidejussoribus obligatio non contingit*.

Ad 2. Resp. quod fidejussor habeat o- 1904
mnes exceptiones reales, quibus se tueri contra eum posset debitor principalis, L. 7. §. 1. ff. de Except. ibi: *Rei autem exceptiones etiam fidejussoribus competunt, ut rei judicatæ, doli mali, juris jurandi, quod metûs*

causa

causa factum est; quia, quod ab iis petitur, id ab ipso debitore peti videtur, quia mandati judicio redditurus est eis, quod ii pro se solverint: quaratione, & si de non petenda pecunia pactus quis cum reo fuerit, placuit perinde succurrendum esse per exceptionem pacti conventi illis quoque, qui pro eo obligati sunt, acsi etiam cum illis pactus esset, nec ab eis etiam pecunia peteretur; ut habetur §. *fin.* Instit. de Replicat.

1905 Dixi: *reales*; non autem, *pure personales*, quæ in favorem personæ debitori principali concessæ sunt, ut est exceptio, *si bonis cesserit*, L. 7. ff. de Excépt. ibi: *exceptiones, quæ personæ cujusque cohærent, non transeunt ad alios: veluti ea, quam socius habet exceptionem, quod facere possit, vel parens patronusve, non competit fidejussori*: Sic mariti fidejussor, post matrimonium solutum datus (nam constante matrimonio dari non potest) *in solidum, dotis nomine*, condemnatur; excipe tamen, nisi *specialiter* etiam concedantur Fidejussori; nam exceptio competens mulieri ex S. C. Vellejani, competit etiam fidejussori; idem est de exceptione filiofamilias concessa ex S. C. Macedon.

ARTICULUS III.

De ordine Creditori servando inter Debitorem, & Fidejussorem.

1906 SUppon. quod Creditor, jure antiquo, potuerit, nullo ordine servato, convenire primo loco, quem maluerit; jure tamen Novellarum nunc constitutum esse, ut, si fidejussor primo loco conveniatur, possit creditori opponere exceptionem dilatoriam Judicii, vi cujus solvere non teneatur, nisi prius excusso debitore principali; vel, notorie constet, hunc non esse solvendo, Novell. 4. c. 1. & auth. *Præsente* C. de Fidejuss. ibi: *præsente tamen utroque non permittitur intercessorem conveniri, priusquam Reus inventus est minus idoneus, sive in totum, sive in partem; absente autem reo præsens intercessor jure quidem convenitur; ipso tamen desiderante, judex definiet tempus, intra quod deducat Reum primo conveniendum, ipso in subsidium reservando; nam transacto tempore compellitur intercessor satisfacere, cessis sibi à Creditore actionibus, absque distinctione contractûs, sive intercessionis.*

§. 1.

De beneficio excussionis.

QUæstio est 1. an, si fidejussio fiat jurata, per hoc fidejussor renuntiaverit beneficio ordinis, seu excussionis? 1907
Resp. probabilius esse quod non; quia, ut suppono, non aliter cavent etiam juramenta, quam, si debitor principalis defecerit, ut coll. ex c. 9. de Jure jurando, ibi: *ideoque mandamus, quatenus tam Abbatem, quam Monachos, quam V. & uxorem ipsius monere curetis, ut, sicut jurârunt, eandem conventionem faciant adimpleri.*

Quæstio est 2. an beneficium ordinis, 1908
& excussionis semper, & cuivis fidejussori competat? Resp. hoc beneficium denegari 1. illis, qui fidejubent pro aliquo, qui *civiliter* conveniri non potest; ubi enim non est actio, nec est exceptio. 2. quando debitor principalis latet, vel est extra territorium, in quo judicium institutum est, vel sit alias difficilis conventionis; 3. denegari illi, qui, cum negasset se fidejussisse, mendacii convictus est; quia mendacium necat privilegium, per L. *penult.* C. si contra jus, vel utilitatem, ibi: *Et si legibus consentaneum sacrum oraculum mendax precator attulit, careat penitus impetratis*; 4. si fidejussor non generaliter, sed specialiter huic beneficio renuntiavit, L. 4. §. 3. ff. si quis cautionibus.

Quæstio est 3. an hoc beneficium, ante 1909
litis contestationem, opponi debeat? affirmativam sequuntur multi cum Ferdinando Vasquez l. 1. illustr. controvers. c. 3. n. 7. quia est exceptio dilatoria judicii; negativam, quæ benignior est, sequuntur Berlichius, Hunnius, Gail. l. 2. observ. 27. nam oppositum, pro se, nihil firmum habet ex jure civili; hinc in isto casu optimum erit attendere consuetudinem; sic Haunold. tom. 3. de Just. tr. 9. n. 108. fin.

Quæstio est 4. quid dicendum de be- 1910
neficio *divisionis*, concesso Fidejussoribus? R. quando plures pro eodem debito apud eundem Creditorem fidejusserunt, jure antiquo singulos in solidum conveniri potuisse, & unum præ aliis conventum totum solvere fuisse obligatum; nunc autem, illis concessam exceptionem, vi cujus Creditor cogatur actionem dividere, & singulos Fidejussores, si solvendo sint, pro virili parte con-

convenire juxta §. 4. Instit. de Fidejuss. & L. 10. §. 1. C. h. t. ex quo patet, *beneficium divisionis* nihil aliud esse, quam expositam exceptionem; hoc beneficium divisionis, seu exceptio, opponi potest usque ad sententiam ex cit. §. 4. concessum est à divo Hadriano Imperatore; conceditur Fidejussoribus non tantum immediatis, sed etiam mediatis, hoc est Fidejussoribus indemnitatis. L. 7. ff. de fidejussorib. Tut. & extenditur etiam ad Correos promittendi, qui sunt principales debitores, Novell. 99. c. 1. & refertur in auth. *Hoc ita*, C. de duobus Reis: facta divisione, periculum non ad Confidejussores, sed ad Creditorem spectat, quando unus ex illis purè fidejussit, & antequam solvat, solvendo esse desinit, L. 51. §. 4. ff. h. t. & hoc verum est, licet Creditor esset Minorennis; quia hoc casu nec ætatis auxilio defendetur, ut ibid. dicitur; Si autem fidejusit solum sub conditione, & existente conditione desiit esse solvendo, creditori datur actio, contra eos, qui purè fidejusserunt, L. 27. ff. h. t.

1911 Quæstio est 5. quid dicendum de beneficio *cedendarum actionum?* R. quòd, (si contingat Fidejussorem debere solvere totum debitum, vel quia alii tunc non sunt solvendo, vel quia hic, & nunc debitum dividi non potest, aut non debet) succurratur ei per remedium, seu beneficium *cedendarum actionum*, tam adversus Creditorem, quàm alios Confidejussores, ut non possit prius ad solvendum compelli, quam Creditor illi cedat omnes actiones, quas habet adversus debitorem principalem, & alios Fidejussores, tam personales, quam reales, etiam hypothecarios, cum exhibitione instrumenti principalis in cessione; colligitur hoc ex L. 17. ff. h. t. L. 36. cod. L. 41. cod. L. 2. C. cod. contra debitorem autem principalem Fidejussori, postquam ejus loco solvit, competit actio mandati, & negotiorum gestorum; c. *fin.* h. t.

ARTICULUS IV.

Quomodo Fidejussor ab obligatione liberetur?

RESP. cum liberari primo, si debitori à 1912
Creditore legata est liberatio; tunc enim etiam fidejussor liberatur L. 4. 9. ff. h. t. Secundò, quando inter Creditorem, & Debitorem fit *novatio* obligationis principalis, in quam Fidejussor non consensit, nec de novo fidejusit; tunc enim iste, vi prioris fidejussionis, non obligatur, L. 4. C. h. t. tertiò, si Creditor, adveniente tempore solutionis, negligat solutionem accipere, etiam monitus à fidejussore, iste liberatur, si debitor principalis postea non sit solvendo L. 62. ff. h. t. Not. autem 1. si fidejussor fiat hæres debitoris principalis, vel econtra, manere obligationem principalem L. 5. ff. h. t. L. 14. & 21. cod. Not. 2. si Creditor proroget debitori terminum solutionis, non liberari fidejussorem; L. *fin.* ff. de Novationib. quia per hoc nulla fit Novatio. Not. 3. liberationem fidejussoris per vim, vel metum obtentam non valere; quia tenetur se in obligationem reponere ff. L. 10. Quod metûs causa. Not. 4. Fidejussorem tantum *promissum*, non autem *actualiter datum*, vel stipulatione constitutum, liberari, si Creditori offeratur alius æquè idoneus; quia Creditori in primo casu, secus in secundo, nondum est jus quæsitum in talem determinatam personam. Not. denique 5. obligationem Fidejussoris transire ad ejus hæredes. §. 2. Instit. h. t.

QUÆSTIO XXIII.

IN TITULUM XXIII. DE SOLUTIONIBUS.

1913 POstquam præcedentibus titulis actum est de cautionibus tam in genere, quam in specie, quæ præstari solent Creditoribus in securitatem debiti, subjungitur titulus *de solutionibus*, quæ habent rationem peculiaris modi extinguendi debitum ante contractum; & quamvis debitum extingui possit variis modis (nimirum Novatione, Delegatione, Compensatione, & acceptilatione, de quibus egimus superius à n. 1032.) speciali tamen titulo in jure nostro agitur de modo extinguendi debitum *per solutionem*, de qua in seqq.

ARTICULUS I.

De Solutionibus in genere.

1914 PRima quæstio est, quid, & quotuplex sit *Solutio?* &. ex n. 1058. *Solutionem* latè sumptam, esse quamlibet liberationem; strictè autem, esse ejus, quod in obligationem deductum est, præstationem. *Solutione*, obligationem tolli, constat ex Instit. h. t. ibi: *Tollitur autem omnis obligatio solutione ejus, quod debetur*; textum v. n. 1058. Quæstio autem est, quid requiratur, ut solutio, ritè facta, tollat debitum? & ad hoc constat ex dict. n. 1059. Quæstio altera est, an obligatus in diem possit extinguere debitum, seu obligationem solutione anticipatâ? vel antequam dies veniat? &. probabilius posse, nisi dies specialiter adjectus sit in favorem Creditoris; de quo v. dicta à n. 1060.

1915 Quæstio 3. est, quibus personis fieri possit solutio cum effectu, nimirum, ut censeatur Creditori facta? sed ad hoc constat à n. 1061. quæstio est 4. quale debitum censeatur extinctum in casu, quo debitor ex pluribus titulis obligatus Creditori (v.g. ex empto centum, centum ex mutuo, centum ex legato) præstat Creditori centum, non exprimens, cui debito satisfacere velit ea præstatione? &. de hoc jam esse responsum à n. 1063. sicut etiam n. seq. an solutio partis rectè fiat, & liberet à debito, invito Creditore? Demum, quem effectum præstet oblatio rei debitæ, vel verbalis, vel realis? de quo à n. 1065.

1916 Contra id, quod supra dictum est, posse quem solvere aliud pro alio, consentiente Creditore, videtur esse de L. 33. C. de donationibus, ubi dicitur, quod, si quis argentum donaverit, certumque pondus nominaverit, non autem alias, vel generaliter, vel specialiter expresserit, necessitatem ei imponimus omni modo præfatum pondus argenti dare, sive in vasis, sive in æstimatione; igitur etiam non consentiente, sed invito Creditore; cum etiam pro certa auri materiâ legata æstimatio ejus ab hærede præstari possit, ut habetur L. 35. ff. de auro, & argento: sed hoc probat solum excipi donatorem propter meritum liberalitatis, quæ meretur, & cum eo, quam aliis debitoribus, mitius agatur.

ARTICULUS II.

An Ecclesia teneatur ad solutionem debiti, ab ejus Rectore, vel Antecessore contracti?

AD utrumque colligitur responsio ex 1917
c. *ad hoc* 1. h. t. ubi Alex. III. Decano, & Capitulo Norvicensi scribens, *sicut filius*, inquit, *debita Patris solvere tenetur; ita Prælatus sui Prædecessoris, pro Ecclesiæ necessitate, contracta*; nam ex hoc textu habetur successorem teneri ad solvenda debita, quæ *pro necessitate Ecclesiæ* contraxit; Solutio autem ista fieri debet ex bonis Ecclesiæ, in cujus necessitatem, vel utilitatem debitum contractum est; si autem excesserit limites suæ potestatis, Ecclesia ad nihil tenebitur, nisi quantum in ejus commodum pervenit, per Auth. *Hoc jus porrectum*, C. de ss. Eccles.

Cæterum, quamvis Ecclesia teneatur 1918
solvere debitum, à Prælato, vel Rectore suo contractum, juxta dicta; universis tamen Ecclesiarum Prælatis inhibitum est, c. *si quorundam.* 2. eod. ne Ecclesiam sibi commissam pro alienis gravent debitis, aut literas alicui, seu sigilla concedant, quibus Ecclesiæ possent obligari; si secus fuerit attentatum, ad solutionem Ecclesias decernit non teneri; *contra decætero facientes, ab administratione spiritualium, & temporalium se noverit suspensum.*

Circa hæc not. similitudinem inter *hæ-* 1919
redem, & *successorem* in beneficio, de qua in dicto c. 1. stare in eo, quod, sicut *hæres* succedit in universum jus defuncti (per L. *Hæreditas* de petit hæred.) sic *successor* in beneficio in universum jus Ecclesiæ juxta Gloss. in c. *Ad sedem*, de restitut. spoliat. consequenter comparationem inter eos fieri, *quoad onera sustinenda* per prædecessorem facta cum aliquo tamen discrimine; nam hæres acquirit jus à defuncto, & tenetur ad onera undecunque à defuncto contracta; Successor autem in beneficio accipit jus ab institutione, & tenetur solùm ad debita *contracta pro Ecclesiæ necessitate.*

Not. 2. inter debita pro Ecclesiæ neces- 1920
sitate, vel utilitate contracta, numerari etiam debita contracta pro necessaria, ac docente sustentatione personæ sui antecessoris, sic Abbas in cit. c. 1. n. 2. addens Successorem teneri solvere etiam debita, quæ antecessor contraxit in infirmitate, ex

ex qua decessit, si defunctus nec bona patrimonialia reliquit, nec reditus Ecclesiasticos ex beneficio; quia licet ei sufficientes assignati sint ab Ecclesia, per accidens non percepit v. g. ob annorum sterilitatem, vel hostium incursionem; si autem patrimonialia reliquit, ex his infirmitatis, & funeralium expensæ solvi debent; arg. c. *Ex præsentium.* 3. de Pignor. vel si sciens, quòd reditus non sufficientes beneficium ferat, nihilominus illud accepit, tunc enim hæredes ejus ex propriis, vel matrimonialibus defuncti solvere tenentur.

ARTICULUS III.

De beneficio competentiæ.

1921 QUæstio est, an Clericus, qui non habet, unde solvat contracta debita, à Creditoribus molestari possit super solutione, vel per incarcerationem, vel similes modos? &. non posse, si talis Clericus gaudeat *beneficio competentiæ*, c. *Odoardus.* h. t. Unde Clericus, gaudens hoc beneficio, à suo Creditore conveniri non potest in plus, quam facere possit, deductis scilicet alimentis, ne egeat cum dedecore statûs Clericalis; nam *beneficium competentiæ* nihil aliud est, quam privilegium, vi cujus Clericus, non habens unde contracta debita solvat, eximitur à potestate Creditorum, eum, vel per se, vel alios molestandi super debitis, modò cautionem præstet idoneam de solvendis, cum ad pinguiorem fortunam venerit; hoc privilegium ejusmodi Clericis conceditur. c. *Odoardus.* 3. de Solutionibus.

1922 Quæstio est 2. quid requiratur, ut Clericus gaudeat beneficio competentiæ? Resp. exigi 1. quod saltem summariè probet suam inopiam, & impotentiam, nisi aliunde notoria sit; 2. ne sit affectus aliqua circumstantia, ex qua hoc beneficium Clericis negatur; prima pars habetur ex c. *Odoardus* ibi: *si constiterit, quod prædictus Odoardus in totum, vel pro parte non possit solvere debita prædicta*: altera vero sequitur ex natura rei; nam ubi deficit circumstantia, quam supponit concessio privilegii, deficit ipsa concessio: licet autem Clericus non possit carcerari pro causa civili, neque conveniri ultra, quam facere potest, poterit tamen compelli ad præstandam cautionem de solvendo, cum ad pinguiorem fortunam venerit; sic Aloysius Riccius in praxi post resolut. 255. n. 54. & aliis; & habetur ex textu ibi: *recepta prius idonea cautione, si ad pinguiorem fortunam devenerit, debita prædicta persolvat.*

Quæstio est 3. an omnes Clerici hoc 1923
beneficio gaudeant? Resp. quod non; primo enim juxta nonnullos eo non gaudet Clericus debitor pensionis; sic Carolus de Graffis, Riccius, & alii, quos citat, & sequitur Barbosa in dict. c. *Odoardus* n. 6. Sed verius est oppositum, quia nemo tenetur, ultra, quam potest; sic Covarr. lib. 2. variar. c. 1. n. 9. Deinde non gaudet Clericus, si ejus creditor esset ipso pauperior, 3. Clericus in minoribus, nisi Ecclesiæ deserviat proprio ministerio in divinis; sic Barbosa cit. n. 8. sed contrarium sentit Fagnanus hic à n. 24. modo clericaliter incedat; quarto Clericus conjugatus. 5. Clericus perjurus. 6. suspectus de fuga, cum debitum descendit ex dolo. 7. Clericus, qui negavit debitum, nec postea agnovit, ante sententiam. 8. Laicus Fidejussor Clerici. 9. Clericus debitor ratione depositi, penes se facti. 10. Clericus conventus pro debito ex delicto, vel quasi delicto. 11. Clericus condemnatus post tres sententias conformes. 12. Clericus, qui dolosè cum Creditore egit. 13. Clericus hæres non confecto inventario. 14. Clericus, qui ludo, vel luxuriosè vivendo bona sua consumpsit. 15. qui administravit aliena bona, &c. de quibus Barbosa in cit. c. *Odoardus.*

Not. præterea 1. hoc beneficium reite- 1924
rari posse; ut, si quis semel eo usus, postea locupletior factus, rursus in paupertatem sit lapsus; sicut beneficium cessionis bonorum; sic Fagnanus in cit. c. *Odoardus* n. 64. Deinde dictum beneficium competentiæ Clericis non dari, si pro debito conveniatur actione *reali*; quia hoc beneficium est *personale*, & excludit tantum actionem *personalem* contra Clericum, ut constat ex casu in c. *Odoardus*, ubi (cum Odoardus Clericus proposuisset, quod, cum P. Clericus, D. Laicus, & quidam alii ipsum coram officiali, & Archidiacono Remen: super quibusdam debitis convenissent, idem in eum recognoscentem hujusmodi debita, sed propter rerum inopiam solvere non valentem, excommunicationis sententiam promulgavit) Pontifex respondit: *si constiterit, quod prædictus O. in totum, vel pro parte non possit sol-*

solvere debita supra dicta sententiam ipsam sine difficultate qualibet relaxetis; ubi appareret, solum removeri excommunicationem, quæ tendit *in personam*. Not. 3. magis receptam esse opinionem, quod Clericus renuntiare non possit beneficio *competentiæ*; cum hujusmodi beneficium *pauperibus Clericis* concessum sit, ne cogantur mendicare in opprobrium totius *ordinis Clericalis*; sic Covarru. l. 2. variar. c. 1. n. 38. Marta de jurisdict. p. 4. casu 42. n. 21. & alii, dissentiente Molina de Just. tr. 2. D. 571. à n. 25.

ARTICULUS IV.

De solutione indebiti.

1925 SUppon. *indebitum* esse, quasi contractum, re initum, quo is, qui rem indebitè, per errorem solutam accepit, ad eandem reddendam obligatur; §. *item is, cui*, Instit. de oblig quæ ex quasi contractu ibi: *is, cui quis per errorem non debitum solvit quasi ex contractu debere videtur*; potest autem aliquid *tribus* potissimum *modis esse indebitum*; 1. indebitum naturaliter, & civiliter; 2. indebitum naturaliter, sed debitum civiliter; 3. indebitum civiliter, sed debitum naturaliter: his præmissis: Quæstio est, qualiter, qui solvit indebitum, repetere possit solutum? de hac quæstione aliquid habetur in c. *fin.* h. t. ubi Gregorius IX. sic loquitur: *is qui conqueritur indebitam pecuniam se solvisse, probare tenetur, quod indebite sit soluta, nisi ejus adversarius, solutionem inficians, exinde convincatur: tunc enim diffitenti onus incumbet probandi, quod debitum accepisset; seu id, quod accepit, debitum fuisse*; sic Gregorius.

1926 Ad resolvendam porro quæstionem traduntur communiter sequentes regulæ; *prima* est; quod, qui ex errore solvit indebitum *naturaliter*, & *civiliter* possit solutum condicere, seu repetere, L. 1. & seq. ff. de condict. in deb. ibi: *& quidem si quis indebitum ignorans solvit per hanc actionem condicere potest sed si sciens se non debere, solvit, cessat repetitio.*

1927 Secunda est, quod, qui solvit indebitum *naturaliter* sed debitum *civiliter* solutum repetere possit, Gloss. in c. *fin.* h. t. V. *Indebitum* quod procedit, sive solverit ex ignorantia facti, sive juris; sic Abbas in dict. c. *fin.* n. 14. & Gloss. ibid. V. *indebitum*; tertia est, quod, qui per errorem facti solvit indebitum civiliter, debitum tamen naturaliter, possit solutum condicere; secus si per errorem juris; prima pars est ex L. 6. & 8. ff. de juris, & facti ignorantia; secunda vero ex L. 10. C. eod. junct. Gloss. V. *cum quis* ex L. 2. ff. eod.

Quarta est, quod, qui habet exceptionem perpetuam favorabiliter (qualis est exceptio Vellejani) repetere possit solutū per errorē, sive juris, sive facti, L. 26. & 40. ff. de cōdict. indeb. quinta est, quod sciens indebitum, & tamen solvens, solutum repetere non possit, L. 1. & 26. ff. eod. L. 9. C. eod. quia præsumitur purè donare; sexta est, quod, qui debet sub conditione propriè dicta, & ante illius eventum solvit per errorem, condicere possit solutum, tanquam indebitum, L. 16. ff. eod. Septima est, quod condictio indebiti competat etiam in casu, quo quis dubitans an debeat? solvit, *revera indebitum*, L. *fin* C. de condict. in deb. & competit etiam hæredi, & contra hæredes, L. 12. ff. de condict. indeb. si dominus dedit domino indebitum, competit illi contra istum; si Procurator Procuratori, competit Procuratori contra Procuratorem, L. 6. ff. eod. potest tamen huic actioni renuntiari, ut late probat Haunoldus cit. n. 1168. Ex his coll. quod error debeat esse in solvente, ut condictio indebiti locum habeat; nam si in accipiente esset scientia indebiti, solventi per errorem competeret condictio furtiva, l. 18. ff. de condict. furti. 1928

Hæc condictio indebiti cessat 1. quando ex causa juramenti aliquid solutum est, quod re ipsa fuit indebitum; nam tale juramentum habet vim transactionis, & servari potest; secundo, si sine dolo fuit transactum, L. 65. §. 1. ff. de condict. indeb. tertio, si indebitum solutum est ex causa judicati; Haunoldus tom. 4. tr. 10. n. 1157 quarto, si solutum est ex causa declinandi periculum, quod quis subiret, si negans debitum convinceretur debitor, & gravius puniretur; quia talis videtur transigere voluisse; quinto, si quid solutum est ex causa pietatis; L. 32. §. 2. ff. de condict. indeb. sexto, si naturaliter obligatus, sed in judicio absolutus, postquam sententia transivit in rem judicatam, nihilominus solvat, L. 28. ff. de condict. indeb. septimo, quando quis debet hoc vel illud, alternativè, & per errorem putat se debere copulativè, adeoque utrumque solvit, electio in conditione est debitoris solventis, non Creditoris, L. 10. C. de condict. indeb. 1929

QUÆ-

QUÆSTIO XXIV.

IN TITVLVM XXIV. DE DONATIONIBUS.

1930 *Donatio*, quasi doni datio, est *liberalitas, nullo jure urgente facta*, seu, ut loquuntur Jurisconsulti, *est rei licita, nullo jure cogente, mera liberalitate, facta collatio*; nam Julianus L. 1. ff. de donat. *dat aliquis*, inquit, *ea mente, ut statim velit accipientis fieri, nec ullo casu ad se reverti & propter nullam aliam causam facit, quam, ut liberalitatem, & magnificentiam exerceat.* Non dissimiliter à Theologis, duce S. Thoma in 1. d. q. 1. a. 2. sic definitur: est *datio liberalis, incredibilis*: id est (ut exponit Molina tr. 2. D. 273.) *non in commutationem pro re alia, quæ retribuatur*; inter promissionem, & donationem est discrimen, quòd *promissio*, natura sua, & præciso jure positivo, non habet vim transferendi dominii: at *donatio*, ex vi propria dominium solis verbis transferret, nisi obstaret jus positivum, requirens traditionem; ille, cui fit donatio, *Donatarius* appellatur. Communis divisio donationis in genere est in donationem *inter vivos* & *in donationem causa mortis*, de utraque, & ulterioribus donationis divisionibus dicemus in seqq.

ARTICULUS I.

De donatione inter vivos.

1931 *Donatio inter vivos est*, quæ fit absque ulla causa mortis; & dividitur 1. in absolutam, conditionalem, modalem, & causalem; *absoluta* quæ & *pura* dicitur, est, quæ fit simpliciter, ita, ut res donata statim fiat accipientis, *conditionalis* fit sub conditione, ut, *cum mihi donas equum, si Titius ex Asia venerit*; de qua V. Lib. 4. tit. 5. à n. 886. *Modalis* (quæ donatio *sub modo* appellari solet) est, quæ modum adjectum habet: ut, si dicas: *dono Petro fundum meum, ut Paulo alimenta præstet*; hæc statim valet, quamvis modo deficiente revocari queat, L. 1. C. de Donat. sub modo: at illa (nempe *conditionalis*) suspenditur, usque ad impletam conditionem, *Causalis*, seu *ob causam* fit, quando res donatur ad aliquem destinatum finem: ut si dones Petro equum *ad bellum*, vel librum *ad studium*, vel pecuniam *ad spectacula* populo exhibenda, si dones aliquid *ad nuptias*, vel ad *susceptionem ordinis*, vel *ingressum Religionis*.

Dividitur 2. in remuneratoriam, & 1932
simplicem; *remuneratoria* est, quæ fit alicui pro obsequio, & industria in eorum remunerationem; *simplex* habetur, quando aliquid liberaliter donatur, ita, ut præcipua causa motiva sit *exercere liberalitatem*, quamvis interveniat peculiaris affectio, & amor erga donatarium. Præter has variæ sunt aliæ donationum species; nam alia est *colorata donatio*, de qua L. *ab Anastasio* §. 1. C. mandati, ubi alio nomine *figurata* dicitur, & est idem atque *simulata, occulta, clandestina*, & non sincera: alia *inofficiosa donatio*, quæ fit contra officium, nempe obsequium pietatis, v. g. quia filii, vel parentes excluduntur à bonorum subsidio, sive ex intentione donantis, sive re ipsa, L. 1. C. de inoff. donat. quod sufficit ad revocationem, L. *si liqueat*, C. eodem.

Præter hæc not. 1. *donationis* appella- 1933
tione in materia statuti, venire donationem *rigorosè*, ac *proprie* sumptam, nimirum simplicem, quæ fit ex mera liberalitate, non autem, quæ fit ex causa; ita sim. de Pretis l. 2. f. 109. n. 1. & alii, volentes, quod, si statutum mandat, insinuari *donationem* à centum supra, quia est contra jus commune, intelligi de propria, & vera donatione, quæ est ex liberalitate; Tuschus practicar. conclus. tom. 2. lit. D. con. 621. n. 20. post Bald. cons. 341. n. 3. lib. 1. qui addit renuntiationem pignoris non esse donationem n. 23. illud quoque, quod donat Pater filio usque ad legitimam, non esse donationem, & n. 24. cum Bald. cons. 371. repudiationem hæreditatis donationem non esse.

Not. 2. donationis appellatione in pro- 1934
hibitivis, nec venire donationem *causa mortis*, ut ex L. *filius fam.* §. *sed eum* ff. de donat. tradi à Natta cons. 645. n. 3. l. 4. Quod vero statutum, vel constitutio prohibens minorem *donare sub quacunque forma*, vel alienare, nisi servata certa solennitate, non comprehendat *donationem causa mortis*,

sis docet Baldus con. 169. junct. casu. l. 4. ut refert Tusch. cit. conc. 622. n. 21. *Obligationis nomine*, quam irritat Trident. sess. 25. de reg. c. 16. venire *donationem*, quæ proinde non valet sine solennitatibus ibi requisitis, docet Sanchez l. 7. Decal. c. 5. n. 20. *renuntiationem* autem, non esse proprie donationem tradit Salas de Leg. D. 15. n. 75. quia *donatio* est de re propria; *renuntiatio* vero tantum de approprianda per acceptationem; unde Fernandez absolutè, & sine ulla limitatione dixit, hæreditatem, aut legatum renunciatum, in fraudem fisci, non revocari.

1935 Not. 3. donationem inter vivos factam pure, seu absolute, ac simpliciter, esse proprie donationem, & statim, cum eam acceptat donatarius, transferre rei dominium in donatarium, facta rei vera, vel ficta traditione; ante acceptationem autem non parere actionem; secus acceptatum; §. *aliæ autem* Instit. de donat. & ea actio tendit ad rei traditionem.

1936 Not. 4. donationem inter vivos fieri etiam posse *sub conditione* suspensiva; sed tunc ante conditionis eventum non obligat; vel *sub modo*, nimirum cum onere, v. g. ut donatarius rem donatam applicet ad pios usus: vel *ad certum diem* v. g. ut res sit donatarii post annum; vel ob causam, ut supr. dictum est, & pluribus diximus lib. 4. Donatio porro *sub modo* statim valet, & obligat, nec suspenditur propter adjectum modum; revocari tamen, & donatum repeti potest modo non impleto. L. 1. C. de donat. sub modo. §. 1. de insinuatione donationis.

1937 Not. 5. ex donationibus inter vivos quasdam esse, quæ requirunt *insinuationem*; hæc, ut sumitur in L. *Lata*. C. de donat. definitur à Juristis apud Alex. Scot. V. *eod. scriptura facta in præsentia publicarum personarum & in actis*. ubi superfluum est testes adhiberi, cum publica monumenta sufficiant; à Theologis autem duce Molina tom. 2. D. 278. & Lessio lib. 2. c. 18. n. 97. sic describitur: *est simplex suæ mentis declaratio qua quis declarat judi. i. se libere donare huic tantum, vel tantum atque tabellione redigente id in actis*; ad quam non opus est causæ cognitio, vel facultas à Judice, vel quod in loco judicii fiat: sed sufficit, Judicis præsentia, & quod donator per suum procuratorem præsens sit.

Not. 6. ad illas porro donationes inter vivos olim insinuationem fuisse necessario requisitam, quæ ducentos; postea, quæ recentos solidos excedebãt. §. *aliæ autem*; Inst. h. t. & L. 34. C. eod. hodie autem illas tantũ, quæ quingentos solidos excedunt, §. *aliæ autem*; omissa vero insinuatio invalidat donationẽ quoad excessum tantum; non autem quoad reliquam summam L. *sancimus* 34. C. h. t. & cit. §. *aliæ autem*. ubi adverte, per *solidum* in jure intelligi aureum Italicum, quorum 72. libram auri conficiunt ut notat Pirhing h. t. n. 5. qui ex Mysingero, & Scheidevvino recte addit, ex generali, & jam recepta consuetudine per *solidum* nunc intelligi aureum Ungaricum, seu ducatum. 1938

Not. 7. ab illa regula, quòd donatio excedens quingentos solidos, insinuanda sit, excipi 1. donationem factam in reparationem ædium, L. *pen.* C. h. t. 2. factam pro redemptione captivorum, cit. L. *penult.* 3. factam Ecclesiæ, Monasterio, vel loco pio, aut ad pias causas; quia jus civile nequit disponere in præjudicium piæ causæ, ut recte, ac pluribus exemplis demonstrat Cardenas in Crisi Theol. tr. 2. D. 21. c. 8. n. 162. 4. Donationem remuneratoriam, si non excedat merita, sic Clarus cit. q. 16. 5. denique omnem donationem, quæ fit *ob causam*; quia tales donationes non sunt donationes stricte, & constat ex n. 1935. his præmissis: 1939

Quæstio 1. est, an Episcopi, Prælati, aut Rectores Ecclesiarum, *de rebus Ecclesiæ, Collegii, vel Monasterii*, possint facere donationes merè gratuitas, nimirum nullo alio, quam meræ liberalitatis titulo subnixas? de hoc agitur c. *Fraternitatem*. 2. h. t. ubi Alexander III. *Fraternitatem tuam* ait, *credimus non latere, quod cum Episcopus, & quilibet Prælatus, Ecclesiasticarum rerum sit procurator & non Dominus, conditionem Ecclesiæ melior are potest: facere vero deteriorem non debet*: accepimus autem, quod prædecessor tuus *graves donationes* in rebus Episcopatus fecit, *in detrimentum Ecclesiæ*, suis Canonicis *inconsultis* Unde, quoniam donationes *hujusmodi* de jure *non tenent*, indulgemus tibi, ut liceat donationes hujusmodi tam à Clericis, quam à Laicis legitime revocare. 1940

Ex hoc textu deducitur, Prælatos, & Rectores Ecclesiarum de harum bonis 1941

non

non posse licitè, & validè facere donationes propriè dictas, nimirum pure liberales sine consensu Capituli, & aliis de jure requisitis, pro quo not. quòd *antidorum* sit contraria donatio juxta Gloss. ad L. *sed & si.* §. *consuluit.* ff. de pet. hæred. & interpretatur *remuneratio*, seu *retributio*; hinc antidoralis obligatio apud Sanchez lib. 2. Decal. c. 23. n. 30. non est de rigore justitiæ; sed politica ex gratitudine, & urbanitate, quæ correspondet beneficiis, proindeque (ut habetur §. *consuluit* legis citatæ) dicitur obligatio, non efficax ad agendum; sed equitate subnixa, ad excipiendū.

1942 Not. 2. dictum c. intelligi quoad donationes, *immodicas*, & *magni pretii*, nam modicas potest cum consensu Capituli vel etiam sine, ubi consuetudo est, c. *Cæterum.* h. t. ubi dicitur, quod in considerando, an valeat donatio facta per Prælatum? debet attendi *quantitas rei donatæ*, & *loci consuetudo*, inhærendo literæ donationes autem modicas etiam merè liberales, nec sacri canones, nec consuetudo reprobat; Cœterum, etiam sine consensu Capituli, & Solennitatibus juris, ob causam pietatis, vel misericordiæ, seu titulo eleemosynæ facere possunt, c. 1. h. t. imò, & remuneratorias magnorum beneficiorum, quæ Ecclesiæ, vel Prælato, ejus intuitu præstita fuerunt 12. q. 2. c. *Quicunq;* 66. ibi: *quicunq; Episcopi, suffragio cujuslibet, aliquid Ecclesiasticæ utilitatis providerint, & pro eo quodcunq; commodum in remunerationem promiserint, promissi solutionem eos exsolvere oportebit, ita, ut id ad Concilium Provinciale deferatur, ut eorum conniventia confirmetur; quia* (sicut Paulus ait) *dignus est operarius mercede sua.* & c. *Per tuas.* 5. h. t. ubi titulo remunerationis certa terræ portio in feudum Laicis ab Episcopo concessa approbatur ab Innocentio III. quod tamen intellige, servatis iis, quæ dicta sunt in Tit. de rebus Eccles. non alien.

1943 Quæstio est 2. qualis in dubio fieri debeat interpretatio in donationibus inter vivos? R. quod latissima in favorem donatarii, ut expressè dicitur in c. *Cum dilecti.* 6. h. t. ubi etiam dicitur, quod *clausula onerosa*, post multas donationes apposita, tantum proximam donationem afficiat; sic tamen, ut fiat secundum mentem disponentis; sic Barbosa ibidem; quod tamen limita, ut procedat, quando agitur de præjudicio disponentis; non autem, quando agitur de præjudicio tertii L. 2. C. de precib. Imper. offerend. vel cum derogatur juri communi. Gloss. in c. 3. de offic. Jud. ord. in 6. v. *Dispensationes.*

Quæstio est 3. quid censeatur concessum, quando Episcopus, *consentiente Patrono*, Religiosis concedit aliquam Ecclesiam his verbis: *concedo vobis istam Ecclesiam*; utrum concessa videatur *in eorum usum*, vel *jus tantummodo Patronatûs?* hoc dubium Episcopus Heliensis proposuit Innocentio III. qui eidem rescripsit: Si Episcopus conferat Ecclesiam, cum consensu Patroni; *Patronum* videri conferre, *quod suum est*, jus videlicet Patronatûs; Episcopum autem id, quod temporaliter obtinet, nimirum *fructus* in Religiosorum usus convertendos; si verò nulli proventus ad ipsum pertinent, *omnes proventus* (præter cathedraticum) videri in usum eorum convertendos; sed ad hoc ab Episcopo Capituli consensu esse requirendum; sic c. *Pastoralis.* 7. h. t. quo habetur verbum *concedo* non inferre ex se, *omnimodam dominii translationem*; ideoq; in dubio referri ad jus singulare, si quod habet Episcopus in Ecclesia, & similiter ad jus Patronatus, quod habet Patronus, si tali concessioni consentiat: Secus quando Episcopus nullum jus singulare redituum, vel pensionis, obtinet in Ecclesia; tunc enim videtur concedere *omnes* reditus in usum Religiosorum, vel aliorum, quibus Ecclesiam concedit, ne concessio videatur frustratoria; quia non appareret ratio, cur magis concedere debeat aliqua, quam omnia, cum omnia sint ejusdem conditionis, & qualitatis arg. c. *Cum in tua.* de decimis; sic Panormitanus in dict. c. *Pastoralis* n. 8. excipe tamen *cathedraticum*, & *procurationes* in visitatione, propter alibi dicta. 1944

Quæstio est 4. an Episcopi habeant speciale privilegium donationes faciendi? R. habere, ut dicitur in c. *Apostolicæ.* 9. h. t. ubi habetur, quod donatio quinquagesimæ, vel centesimæ, quam facit Episcopus de rebus Ecclesiæ, cui præest, si fiat cum gravi Ecclesiæ suæ detrimento, possit legitimè revocari; nec etiam possit ultra quinquagesimam, vel centesimam conferre, etiam cessante læsione Ecclesiæ 1945

siæ, sine auctoritate Superioris. Circa hoc not. istud privilegium donandi quinquagesimam, aut centesimam Ecclesiæ alteri, esse proprium *Episcoporum*; non inferiorum Prælatorum, quia jura solum faciunt mentionem *Episcoporum*, c. *Bonæ rei*, & c. *Si Episcopus.* 12. q. 2. restringitamen ad propriam Parochiam, sive Diœcesim; nam, nomine *Parochiæ*, Diœcesis venit in hoc textu, & c. 1. de raptoribus, ut notat hic Panormitanus: igitur non poterit Episcopus, vi hujus privilegii, de bonis Ecclesiæ suæ donare quinquagesimam, aut centesimam redituum partem, monasterio, aut Ecclesiæ sitæ *extra suam Diœcesim.*

1946 Quæstio est 5. an donatio inter vivos semel perfecta, & acceptata, revocari possit? R. etiam nondum facta traditione non posse *regulariter* L. 2. & fin. C. de revocand. donat. vel rescripto Principis. L. 5. vel amissione instrumenti donationis L. 2. C. eod. dixi *regulariter*, nam aliqui casus sunt excepti, ut habetur L. *fin.* C. h. t. & c. fin. eod. ibi: *Propter ejus ingratitudinem, in quem liberalitas est collata donatoris persona, de rigore juris eam potuit revocare, si forte in ipsum impias manus injecerit, aut sibi atroces injurias, seu grave rerum suarum damnum, vel vitæ periculum inferre præsumpserit; quod tamen donatoris, qui hoc tacuit, non extenditur Successores.*

1947 Ab hac tamen regula (quod donatio revocari possit propter *ingratitudinem donatarii*) excipe 1. donationes *ob causam* L. *penult.* §. *Si quis.* junct. gloss. v. *Irrevocabilis*, & L. *Aquilius* ff. h. t. 2. factas *piæ causæ*; cum factæ sint Deo; & delictum administratoris non debeat in detrimentum Ecclesiæ retorqueri, nisi directè forent in commodum ipsius Prælati, 3. factam *causâ dotis* post contractum matrimonii. L. 24. C. de jure dot. 4. collationem beneficii; quia collator non liberaliter, sed ex necessitate officii confert.

1948 Præter hæc not. 1. hoc jus revocandi donationem non extendi ad hæredem Donatoris, qui non potest revocare donationem factam à defuncto propter ingratitudinem in se commissam, aut in ipsum defunctum; rationem rectè assignat Panormitanus; quia donatio fit ex mera liberalitate donantis, & intuitu Donatarii, non hæredis; ideo ingratitudo consideratur solum respectu donatarii, non hæredis; sunt enim merita, & demerita personalia, ideoque per se non transeunt ad hæredem, ut optimè notat Panormitanus n. 4.

Not. 2. si Collator sciens ingratitudi- 1949
nem commissam, tacuit, nec declarando suam voluntatem revocandi, jus revocandi non transire ad ejus hæredes, c. *fin.* h. t. Secus, si ignoravit, vel à revocatione impeditus, vel morte præventus fuit, arg. c. *cum in veteri*, de elect. & L. *fin.* ff. de dilat. fa. in quo poneranda sunt hæc verba: *quando donator tacuit*; neque enim dicitur tacuisse, qui ignorat, vel non habet tempus competens ad agendum.

Not. 3. ut revocatio donationis ob in- 1950
gratitudinem rectè fiat, advertendum, eam non ipso jure fieri, sed per sententiam Judicis, L. *fin.* C. de revoc. donat. 2. in dato casu (probata ingratitudine, & lata sententia pro donatore) revocari primo omnia donata, quæ adhuc sunt penes donatarium, non autem illa, quæ ante litem, ipsi motam, desiit possidere; 2. etiam fructus perceptos post litem contestatam; sic Zoësius in ff. h. t. n. 103.

Alter casus, quo donatio inter vivos 1951
revocari potest, est, si non sit impletus modus, seu obligatio, sub qua donatum est, ut constat ex n. 1931. tertius, si quis, non habens liberos, vel omnia sua bona, vel partem, inter vivos purè gratuitò donavit, & postea inopinè, & præter spem liberos suscepit, tunc enim tota donatio revocari potest L. *si unquam.* 8. C. de revoc. donat. sed intellige, de liberis *naturalibus*, & *legitimis*, non *illegitimis*, licet Principis rescripto legitimatis; sic Pirhing. h. t. n. 45. Sed excipe 1. nisi Donator expressè juri revocandi renuntiaverit, ut vult Clarus cit. q. 22. quamvis valde probabile sit, talem renuntiationem esse in præjudicium liberorum, quorum favorem lex illa, *si unquam* respicit, adeoque invalidam esse; 2. donationem ob causam, quæ respicit commodum donatoris; sic enim non est merè liberalis; 3. donationem ad causam piam; hæc enim in dato casu non tota revocatur, sed solum in ea parte, quæ ad legitimam jure naturæ liberis debitam necessaria est, sic Abbas in c. *fin.* h. t.

Quartus casus est in donatione inoffi- 1952
ciosa, quæ scilicet facta liberis, uni, vel alteri,

teri, aut extraneo, contra officium paternæ pietatis, si scilicet per hoc legitima reliquis jure debita, vel auferatur, vel diminuatur, L. 1. 2. 5. & 7. C. de inoffic. donat. Si petas, an donatio inter vivos revocari possit ob alias causas ingratitudini Donatarii, vel pares, vel majores? R. negativam esse conformiorem juri, cum in cit. L. *fin.* dicatur: *Ex his tantummodo causis donationes everti concedimus*; affirmativam autem æquitati. v. Less. l. 2. de Just. c. 18. n. 104.

1953 Quæstio sexta est, an valeat inter vivos donatio omnium bonorum? præsentium, & futurorum? corporalium, & incorporalium? R. 1. non esse illicitam jure naturæ; quia fieri potest etiam summè laudabiliter, ut patet in his, qui relicto seculo, bona omnia donant pauperibus, vel ad alias pias causas, & in Religioso statu Deo serviunt; cum in tali donatione nihil omnino dissonum rectæ rationi contineatur; ex quo etiam sequitur jure naturæ validam esse talem donationem, loquimur autem de donationibus inter vivos.

1954 Resp. 2. dictam donationem jure civili prohibitam, & invalidam esse, L. *stipulatio hoc modo concepta* ff. de verb. oblig. L. *omnes* §. *Lucius*. ff. quæ in fraudem Creditorum: cum adimat facultatem testandi, præbeat causam captandi mortem donantis, & Subditos Reipublicæ reddat miseros; Loquimur autem de donatione inter vivos; ita tenet communissima sententia, & ferè etiam praxis Tribunalium, ut notat Wading. de contr. D. 3. dub. 12. §. 1. Haunoldus tamen tom. 3. tr. 9. n. 167. ait talem donationem nullo jure videri prohibitam; ubi leges, & canones in contrarium dissolvit, & complures etiam, pro sententia sua Doctores affert, satis probabiliter; si tamen retineatur prior opinio; ab ea excipietur. 1. donatio ob causam, cum non sit donatio strictè. 2. donatio omnium bonorum, reservato tamen usufructu (jure usufructuarii donanti salvo) qui sufficiat pro alimentis, & facultate testandi de fructibus; sic Castropalaus cit. §. 3. n. 2. 3. donatio omnium bonorum facta ad pias causas; nam his præjudicare non possunt leges, ut diximus alibi: 4. donatio omnium bonorum causa mortis; cum enim revocabilis sit, non aufert facultatem testandi; nec donantem miserum reddit.

1955 Not. autem 1. sub nomine *omnium bonorum, mobilium, & immobilium*, vi verborum, non venire *jura*, & *actiones*, L. *à Divo Pio.* §. *in venditione*. ff. de re judic. L. *quod Tuberonis*. §. *in peculio*. ff. de peculio; Secus sub nomine *bonorum incorporalium*; nota 2. nec sub nomine omnium bonorum *in tali loco* venire jura, & actiones: quia jura, & actiones *loco* non continentur; L. *Cajus*. ff. de Legat. 2. L. *si fideicommissum*; ff. de Judiciis. Jul. Clar. §. *Donatio*. q. 19. nota 3. donatione *hæreditatis*, sub hoc nomine intelligi etiam *jura*, & *actiones*; nam nomine *hæreditatis* universum jus defuncti intelligitur, L. *aliud*. ff. de verb. signif. quando autem donatur *hæreditas*, intelliguntur sola bona *præsentia*, nam hæreditas *contractu inter vivos* dari non potest, L. *hæreditas*, C. de pact. conventis. L. *pactum, quod de tali*, C. eod. & L. *Exeo*. C. de inutil. stipulat. an autem donatio omnium bonorum, quam jus commune invalidat, appositio juramento confirmetur, sic, ut valeat vi pacti, & obliget in vi Justitiæ? resolvi potest ex dictis l. 1. ad tit. de pactis, ubi diximus, quod pacta, jure positivo irrita, appositio juramento obligent *in vi juramenti* & *religionis*; non autem *in vi pacti*, seu *justitiæ*; sic Castropalaus P. 7. D. 2. p. 24. §. 2. n. 1. contra Haunoldum tom. 3. tr. 9. n. 165.

ARTICULUS II.

De donatione causâ mortis.

1956 DOnatio causâ mortis, de qua latè in jure L. 1. & L. *Senatus*. ff. de mortis causa donat. & Instit. de donat. sic describitur à Molina tr. 2. dist. 287. Donatio causa mortis est, quando gratis aliquid traditur, aut promittitur, ut donantis morte absolutè, aut ea sola morte, quæ de proximo, quando donatio fit, timetur, secuta, ante donatarii mortem, res irrevocabiliter donatarii fiat; cum deambulatoria donantis usque ad ipsius mortem facultate revocandi omnino eandem donationem; discrimen inter testamentum, & donationem causa mortis constituit Covarr. 3. p. in rubric. de testam. n. 13. quòd in testamento non requiratur præsentia hæredis L. *cùm Pater* §. *Surdo*. ff. de legat. 2. at in donatione causa mortis requiratur præsentia donatarii L. *si inter mortis*. ff. de donat. causa mort. adeo, ut alius nequeat donationem nomine alterius acceptare, nec acceptatio postea facta per donatarium prosit.

1957 Ex hoc deducitur donationem causa mortis sic fieri, ut res donata, primum secuta donantis morte donatarii fiat; hinc, ante mortem donantis, semper revocari potest; quod intellige, si donet absolute in tempus; & hoc exprimendum est; nam alias præsumitur facta donatio causa mortis *præsentis*, nimirum facta sub conditione, casu quo *nunc* mors eveniat, de quo Castropalaus cit. p. 13. n. 3. Hæc donatio convenit cum donatione inter vivos quoad initium, & productionem; hinc indiget acceptatione donatarii. L. *inter mortis*. ff. de mortis causa donat: quoad effectum autem convenit cum legato, & dispositione ultimæ voluntatis; hinc requirit solennitatem testium, necessariam ad Codicillum L. *ult.* C. de donat. mort. caus. & revocari potest à donante, quam diu vivit, L. *si mortis causa*, ff. eod. & ex illa debetur Falcidia, sicut ex legatis, L. *cum Pater*. ff. de legat. 2. L. *si mortis*. C. ad legem Falcidiam; & sufficit capacitas in donatario tempore mortis, donantis L. 1. ff. de legat. 3. junct. gloss. ac si facta est in testamento, vel Codicillo, his ruptis, & illa rumpitur; sed hoc sub opinione est, ut notat Castropalaus n. 5. his præmissis:

1958 Dubitari potest 1. unde dignosci queat, donationem factam esse *causa mortis*, vel inter vivos? 2. qui donare possint causa mortis? 3. in specie, an id possit mulier? 4. an Usurarius manifestus? 5. an valeat donatio inter conjuges causa mortis? Ad 1. R. id pendere ex intentione donantis, & quidem non esse censendam causa mortis, si concepta sit absque ulla mentione mortis, tametsi facta sit ab infirmo, & morti proximo, L. *Seia*. §. *fin*. ff. de donat. Deinde etiam donatio inter vivos censeri debet, quando mentio mortis solum fit pro executione donationis, ut, si infirmus dicat: dono Titio centum, quæ illi post mortem meam præstentur; nam hic mentio mortis fit pro tempore, quo fieri debet executio, consequenter non donationi, sed executioni adjicitur; sic Fachinæus l. 5. controvers. c. 22. ex hoc autem, quòd donator promiserit se non contraventurum donationi causa mortis, non constituit donationem inter vivos. Ad 2. R. filium familias, puberem, etiam absque consensu Patris, donare posse causa mortis de bonis castrensibus; & quasi castrensibus, ratio est, quia, cui testamenti factio permissa est, ei etiam permissa est donatio causa mortis, ut tradit Molina de jure, & justitia. D. 288. §. *quid de hac re*; Castropalaus cit. p. 16. n. 1. & alii; & probatur ex L. *Filius*. ff. de donationibus, §. *hæc omnia*, 6. ibi: *Cæterum, qui habent castrense peculium, vel quasi castrense, in ea conditione sunt, ut donare, & mortis causa, & non mortis causa possint, cum testamenti factionem habeant.* Præter hæc not. probabilius etiam causa mortis à filiofamilias donari posse cum expresso consensu Patris de bonis adventitiis; quia sic contrahere potest; talis autem donatio magis accedit contractibus, quoad suam productionem, quam testamento; minores autem absque Curatoris authoritate non possunt donare mortis causa, prout colligitur ex L. *filius familias*. ff. de donat. ibi: *pari autem ratione, qua donare filius familias prohibetur, donare causa mortis prohibebitur*; at minori prohibita est donatio inter vivos absq; curatoris interventu; ergo censenda est prohibita mortis causa donatio absque eo consensu; unde, quando dicitur: *cui conceditur testamenti factio, conceditur donatio causa mortis*, subintelligenda est, nisi à jure alia quæ specialis solemnitas pro donatione requisita fuerit, uti comparatione minoris requiritur Curatoris Authoritas.

Ad 3. R. mulierem nuptam absque consensu viri donare posse mortis causa affirmari à Fachinæo, l. 5. controvers. c. 60. quia potest testari; ergo, nisi alicubi specialiter derogatum sit, statuto, vel jure municipali, vel in tali persona exigatur alia solennitas, spectato jure communi poterit donare causa mortis; quia per L. *cum hic status*. §. *similes*. ff. de donat. inter virum, & uxorem, cui permissum est facere testamentum, permissa etiam est donatio causa mortis. Ad 4. R. probabilius, nullam ejus donationem causa mortis valere absque legitima cautione prævie data de solvendis usuris; ratio est regula Glossæ in L. *tam is*, ff. de mortis causa donationibus, ubi, prohibita testamenti factione, prohibetur mortis causa donatio; à qua regula solus filius familias excipitur; sed Usurario manifesto prohibita est testamenti factio absque præstita cautione de restituendis usuris c. *Quanquam*, de usuris in 6. accedit, quod donare causa mortis, 1959

sit

sit mandare de rebus suis; & taliter donatum, sit quasi legatum; at ejusmodi usurarius per c. *Quanquam*, nihil mandare potest per ultimam voluntatem; & cum testari nequeat, nequit etiam legare; ergo. Ad 5. 8. affirmative; de quo lib. 4. tit. 20.

QUÆSTIO XXV.

IN TITVLVM XXV. DE PECVLIO CLERICORUM.

1960 HOc titulo specialiter agitur de bonis Clericorum per ordinem potissimum ad sequentes titulos, ut constet, quo jure possint, aut non possint ea transmittere in alios, præsertim per ultimam voluntatem; vel, ubi decedunt, ab intestato. Non agimus hic de peculio filiorum familias quadruplici; sed Clericorum, quæ habent, vel communi titulo cum Secularibus; vel, speciali ratione sui ministerii, aut intuitu Ecclesiæ, cui deserviunt. Cœterum *peculium* in genere, ac vi vocis, est pusilla pecunia, seu pusillum patrimonium L. *depositi*. ff. de peculio; est etiam eorum, qui sui juris sunt; tum eorum, qui alterius sunt potestatis, sive sint servi subditi suis dominis, sive sint filii subditi suis parentibus: de quibus in seqq.

ARTICULUS I.

De bonis Clericorum Secularium.

1961 BOna Clericorum Secularium sunt in triplici differentia; nam, quæ habent ex hæreditate, donatione, vel aliis contractibus civilibus, dicuntur *bona patrimonialia*: quæ acquirunt arte, vel industria propria, *non Ecclesiastica*; quæ verò habent, tanquam stipendia suorum laborum, officiorum, & ministeriorum Ecclesiasticorum, dicuntur *quasi patrimonialia*; talia sunt, quæ acquirunt celebrando, prædicando, sacramenta ministrando, vicarium temporalem agendo, quo etiam reducuntur funeralia, & secundum aliquos, distributiones quotidianæ, ut notat Pirhing. h. t. n. 2. quæ denique habent, ex suis beneficiis Ecclesiasticis, dicuntur bona mere *Ecclesiastica*.

1962 Cum autem alias, ubi sermo est de filiofamilias, sit quadruplex peculium, profectitium, advententium, castrense, & quasi castrense; in Clericis Secularibus bona patrimonialia etiam dicuntur *Castrensia*; quasi patrimonialia, *quasi castrensia*: mere Ecclesiastica verò *profectitia*; hujusmodi sunt annui reditus, ex fundis, seu prædiis, & bonis Ecclesiasticis ratione Decanatûs, Canonicatûs, vel alterius beneficii Ecclesiastici, quo etiam reducuntur decimæ Parochiarum; & de his in præsenti potissimum quæritur; nam alia bona, nempe patrimonialia, & quasi, sunt sub libera, & plena dispositione Clericorum Secularium.

Cœterum peculium castrense filiorum familias nomen habet à castris, & dicitur, quod in militia, vel occasione militiæ, comparatur, qualia stipendia, spolia, donativa Ducum, vel commilitonum: hæreditas, & legatum occasione militiæ; unde si consanguineus cum alio versetur in bello, & ei relinquat aliquid, præsumitur relictum causa militiæ L. 4. C. de castren. pecul. mil. item præsumitur datum causa, & intuitu militiæ omne genus armorum, & quidquid in serviens bello, ut subeat rationem peculii Castrensis; sola mobilia, quæ donantur filio eunti ad bellum, vel à Patre, vel à Matre, vel à quacunque persona, *Castrensia* esse possunt; immobilia nequaquam: cum vero castrum in jure etiam regis palatium significet, bona castrensia vocantur, quæ in regis palatio acquiruntur L. *unic.* C. de Castrens. palat. pecul. lib. 12. Denique, quæ ex talibus bonis, mediante aliquo contractu proveniunt, castrensia reputantur. 1963

Quasi castrense est, quod habet privilegium Castrensis, quale omne id quod ex beneficio Ecclesiastico comparatur: imo quidquid acquiritur post Clericatum, etiamsi alias esset adventitium; sic habetur expresse in authen. *Presbyteros*, C. de Episc. & Cleric. sunt enim Clerici milites spirituales; item, quidquid acquiritur officio publico, (non mechanico) ut Ju- 1964

dicis, Advocati, Tabellionis, Medici, vel professione alicujus artis liberalis, & munere docendi, concionandi, vel consulendi in scientiis superioribus, quales sunt Theologia, jus Canonicum, & civile L. *similiter*. ff. de Castrens. pecul. item, quod datur intuitu talis functionis; ut, si dentur libri, ut quis profiteatur artem liberalem: & quod liberalitate principis: denique quod ab aliquo confertur filiofamilias, ut sit tanquam castrense.

1965 *Adventitium* est, quod non provenit à patre, respectu cujus dicitur adventitium, nec patris intuitu principaliter datur; sed successione, vel donatione alius intuitu facta, vel industria propria, vel fortuitò ei obvenit: unde adventitia erit successio in bonis maternis, inventio thesauri, & lucrativa negotiatio; adventitium in jure dicitur, quod fortuitò, & aliunde, quam ex usitata consuetudine manat; unde adventitiam dotem dicimus, quæ aliunde, quam à Patre profecta est.

1966 *Profectitium* peculium est, quod de rebus paternis proficiscitur, seu quod provenit à parente vivo, vel principaliter, & proxime ejus intuitu confertur, ita, ut nec sit castrense, nec quasi castrense; hujusmodi sunt, quæ à parentibus conceduntur filiis, ut ea administrent; & quæ dantur filio ab aliis ob amicitiam, & obsequiũ parentũ; secus, si ob amicitiam, & obsequium filii L. 6. C. de bonis, quæ lib. sic Alex. Schot. V. *peculium*, vocat paganicum profectitium, quod de rebus paternis, vel dominicis proficiscitur, & filio, vel servo datur, ut in eo negotietur, & istud est patris quoad proprietatem; sed filii, quoad usum fructum; nam filius *in profectitio ordinario* nec habet dominium directum, nec utile; *in adventitio* habet directum, non utile: *in castrensi*, & *quasi castrensi* habet utrumque; unde citatus author V. *Paganicum* affirmat, illud esse adventitium peculium, quod ex prospera fortuna advenit, veluti ex testamento cognatorum, vel etiam agnatorum; his præmissis:

ARTICLUS II.

An Clerici jure dominii habeant reditus suorum beneficiorum?

1967 QUæstio procedit de Clericis *Secularibus*, etiam Episcopis, Canonicis, aliisque Beneficiatis; 2. de reditibus, quos accipiunt ex suis beneficiis; atque adeo non de patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus, sed *mere Ecclesiasticis*, seu (ut notavimus n. præcedente) *profectitiis*. Nam eos esse veros dominos bonorum suorum patrimonialium, & quasi patrimonialium, certum est, ac de illis posse libere disponere constat ex communi DD. Loquendo autem de reditibus mere Ecclesiasticis, in quantum illis debiti sunt *in sustentationem* sufficientem, & decentem, pariter dicendum, eos habere verum dominium; adeo quidem, ut, si ex propria parsimonia de illis aliquid redundet, habeant liberam facultatem, etiam de his disponendi inter vivos, ut tradit communis cum D. Thoma 2. 2. q. 185. a. 7. in corp. Covarr. c. *cum in officiis* de testam. n. 2. de dispositionibus autem per ultimam voluntatem, V. tit. 26. & seq.

Quæstio potissima est, *de fructibus congruæ, ac decenti eorum sustentationi superfluis*; 1. an etiam eorum fiant veri domini? 2. an hoc admisso habeant eorum dominium liberum? & sine omni onere, illos ex obligatione expendendi in pios usus? vel certè possint licitè de illis disponere etiam ad causas profanas? 3. an, si habeant dominium eorum vinculatum, nimirum sub onere illos exponendi solum in pios usus, *exponendo in usus profanos*, peccent contra justitiam, consequenter cum onere restituendi? 1968

Ad 1. & 2. duplicem in ea quæstione esse 1969
sententiam; prima, inter Recentiores satis communis, affirmat, Clericos Seculares esse veros dominos proventuum merè Ecclesiasticorum sufficienti, ac decenti eorum sustentationi redundantium, & superfluorum; ita Pirhing h. t. n. 5. P. Robertus König h. t. §. 7. n. 12. dicens, hanc sententiam Doctorum animis profundius impressam à Tridentino sess. 23. c. 1. & sess. 24. c. 12. de Reformat. dum decernit Clericos, diu absque necessitate absentes, aut professionem fidei intra præscriptum tempus emittere negligentes, *non facere fructus suos*; unde à contrario fortiter inferri videtur, quòd alii faciant *fructus suos*, seu *dominium eorum acquirant*: Secus enim, nulla foret absentium, & non profitentium pœna, *fructus non facere suos*; alii hoc etiam probant ex c. *unico*, de Clericis non resid. in 6. ubi absentes

res, sine causa legitima, dicuntur *quotidianas distributiones non facere suas*: ad textus in contrarium, respondet Haunoldus tr. 4. de jure, & just. c. 22. controv. 7. n. 74. in illis vel esse sermonem de superfluis bonis ante factam bonorum Ecclesiasticorum divisionem; vel, si loquuntur de posteriori bus temporibus, loqui per quandam exaggerationem; quo pacto etiam divites Laici, pauperibus eleemosynam negantes, homicidæ pauperum appellantur: vel accipiendos esse de bonis Ecclesiæ, super quibus Clerici tantum administrationem habent, & quorum dominium est penes Ecclesiam.

1970. Contrarium tamen inter antiquos tam Canonistas, quàm Theologos receptum erat, nimirum, *stando in rigore juris*, Clericos non esse dominos fructuum, ex proventibus merè Ecclesiasticis redundantium congruæ ipsorum sustentationi; quorum sententiam secutus sum in tract. Theol. de jure, & just. dominio Clericorum, nam olim jus alicujus portionis ex proventibus Ecclesiasticis, quos nunc percipiunt Clerici, certò erat penes pauperes; & ab hoc eos esse dejectos, idque in Clericos esse translatum, non probatur, vel confusione bonorum in erectis beneficiis, vel commutatione in alios fines pios à Clericis præstandos, vel aliis argumentis ex Tridentino desumptis, prout fusius loc. cit. ostenditur: ergo.

1971. Si dicas: nemo spoliari debet possessione, & dominio rerū, nisi cōstet esse alienas, aut lege justitiæ alteri debitas; sed reditus beneficiorum superfluos possident Clerici; neque constat, illos esse alienos; aut lege justitiæ alteri debitos; ergo: ma. est ex recepta in utroque jure regula; tum quia nemo in dubio spoliandus est jure suo, quod possidet: tam quia in pari causa melior est conditio possidentis: Min. etiam patet; quia id nec ex mente Ecclesiæ, nec fidelium convincitur. R. 1. hoc argumentum instari pro pauperibus contra arguentes; nam jus alicujus portionis olim certò erat penes pauperes, & non constat, eos unquam hoc jure spoliatos; eos autem dejectos esse ab hoc jure, dicitur quidem in erectione beneficiorum, sed non probatur; cum ipsi fatentur, non esse sublatam *obligationem exponendi eos reditus in usu pios*; nullus certè juris textus afferri potest, *concludenter* ostendens, certum illud jus pauperum, ab his, in Clericos translatum esse; nam quod assumitur ex Tridentino, intentum non probat; mala enim est consequentia: *Clericus non facit fructus suos, si absit; ergo omnes facit suos, si præsens sit*: sicut malè sequitur: *Hæres de bonis defuncti nihil facit suum non adita hæreditate; ergo omnia facit sua ea adita*; nam legata non facit sua, cum hæc ab eo, qui legavit, ad eum, cui legavit, recta via transeant. L. *Aulo Titio*. ff. de furtis; & fructus eorum ex eo tempore, quo lis contestata est, à Legatario exigi posse, manifestum est (L. *legatorum*, C. de Usuris, & fructibus legatorum) non autem ex die mortis, L. *in Legatis*. C. eod. Solum enim sequitur, quod Clericus, per suam præsentiam, *eos fructus facit suos, qui ei ob præsentiam destinantur*; Sed unde probas, quod etiam fructus superflui, & congruæ illius sustentationi redundantes, ejus dominio subjiciantur propter præsentiam? certè, nisi habeas aliud fundamentum, injustè agis, contra certum jus pauperum, his negando, illis concedendo, jus justitię.

Ad 2. R. dato etiam, quod Clerici fiant 1972
veri domini, etiam superfluorū; nihilominus tamen hoc dominium manere affectum onere, ac obligatione illas non exponendi, nisi in usus pios; & graviter peccare, si in magna quantitate exponant in usus profanos; hæc sententia est omnium fermè Canonistarum, & plurimorum Theologorum, præsertim antiquorum, teste Navarro tract. de reditib. Eccles. q. 2. monito 7. n. 1. & ex recentioribus Theologis sequitur Tanner. tom. 3. dis. 4. de justit. q. 6. dub. 8. n. 215. ubi ait: *Illam esse multo probabiliorem* imò speculativè, & ex propriis principiis, *unice veram*; eandem etiam tanquam absolutè veram, amplectitur Layman cit. l. 4. tr. 2. c. 3. n. 3. ita etiam, Pirhing hoc tit. n. 6. dicens: Hæc sententia non tantum est valde probabilis, & sacris canonibus admodum conformis: Sed etiam tanquam tutior omnibus beneficiariis in praxi consulenda est, ut fatetur etiā Lessius l. 2. c. 4. à n. 39. licet alias contrariam sententiam sequatur. Ubi nota prædictos authores non tantum docere, *exponere illos reditus in usus profanos*, esse peccatum; sed, peccatum *cum onere restitutionis*; quod arguit non qualecunque pec-

catum, sed contra justitiam propriè dictam, Hinc.

1973 Ad 3. R. cum prædictis aa. illos reditus exponere in usus profanos esse peccatum contra justitiam; consequenter importare obligationem restitutionis, sic etiam tradidi in eodem tract. Theolog. de jure, & just. Nam, si Clerici peccant, erogando fructus illos superfluos in usus profanos cum onere restitutionis, eo ipso peccant contra justitiam; sed ita est, quod peccent ex dictis; & quidem cum onere restitutionis; ergo. Major constat ex præced. n. & ratio est, nam nulla alia virtus per transgressionem obligat ad restitutionem, quam justitia; ad prob. min. not. 1. reditus Ecclesiasticos olim fuisse quadrifariam divisos, sic, ut una pars cederet Episcopo, altera Clerico, 3. fabricæ, 4. pauperibus; habetur in decreto Gelasii Papæ, relato c. *Vobis.* c. *Concesso.* 12. q. 2. & decreto Simplicii c. *de reditibus*, ead. q. 2. item statuit Gregorius c. *cognovimus*, & c. *mos est* ead.

1974 Not. 2. cuique suam portionem sic assignatam fuisse, ut si alius eam sibi usurpavit, eam *restituere* debuerit; nam postquam Gaudentius Episcopus tres aliorum portiones sibi sumpsisset; re delata ad Simplicium Papam, hic, *specialiter*, inquit, *præcipimus, ut tres illas portiones, quas triennio sibi dicebatur tantummodo vendicâsse, restituat.* Ubi glossa V. *triennio*, ait, illum in eis portionibus *furtum commisisse*, & ideo res illas mobiles non usucepisse secundum dicta lib. 2. de Præscript.

1975 Not. 3. quod Justinianus Imperator, qui maximas fundationes pias fecit, & reditus Ecclesiasticos plurimum auxit, *sancte caverit, ne hi in alia, quam opera pia referantur*, ita, *ut si secus factum fuerit, conscientias Clericorum iis abutentium sub peccato gravatas & ad restitutionem obligatas voluerit. Sciant autem*, inquit Imperator, *Deo amabiles œconomi, & qui nunc, & pro tempore futuri sunt; quia, si quid præter hæc* (nimirum prædicta) *egerint, & divinis supplicius subjacebunt, & de substantia sua indemnitatem SS. præstabunt Ecclesiæ.* Authent. ut determinatus sit numerus Clericorum.

1976 Respondent communiter aliqui; hic onerari solum eos Clericos, qui œconomiæ, tanquam administratores præerant tempore, quo Clerici, voto paupertatis ligati, vivebant in communi, ut nunc religiosi; non autem nunc, ubi ille modus vivendi desiit: sed immeritò dicitur; nam status Clericorum, in commune viventium, & consequenter illi œconomi, non amplius erant, sed dudum ante desierant, quam hæc authentica conderetur; status enim illorum desiit Anno Christi 470. quando scilicet erecta sunt beneficia, ex quibus sua Clericis singulis portio proveniret; & authentica condita est uno, vel altero anno, postquam Justinianus imperium adiit, Anno Christi 527. ut testatur Baronius in annalibus ad hunc annum; ergo responsio hæc nulla est.

Ex cit. auth. vides, sub hoc modo, & 1977
onere (ut proventus Ecclesiastici in divinos, non profanos usus impendantur) donationes Ecclesiis esse factas à Justiniano; &, si non servent modum appositum, *de substantia sua indemnitatem SS. Ecclesiæ præstent*; non enim minorem curam eorum, qui SS. præsunt Ecclesiis, quam ipsiusmet animæ suæ se habere testatus est piissimus Imperator; in fin. cit. auth. & quis credat, reliquos fideles alia mente, & modo, fecisse tot fundationes pias? V. §. *fin.* cit. auth. c. 5.

Dices: textus citatos non amplius ha- 1978
bere locum hoc tempore, ubi beneficia erecta sunt; quia volunt, per hoc jus pauperum vel extinctum esse, vel in alia opera pia commutatum; sed contra est, quia quando certum est, aliquem habuisse jus aliquod, tamdiu in eo permittendus est, quam diu non probatur de illo jure dejectus, (nam in hoc melior est conditio possidentis) sed certum est, pauperibus olim fuisse debitam ex justitia portionem aliquam, ut ipsi fatentur, & constat ex dict. àn. 1972. neque ullo jure probari potest, eos de jure suo fuisse legitimè dejectos; prima pars min. confirm. ex c. *quod autem* 23. q. 7. ibi: *bona Ecclesiæ non sunt nostra, sed pauperum quorum procurationem gerimus*; secunda pars etiam constat, quia nullo textu juris id probatur.

Contra est 2. quia immerito dicitur, 1979
jus pauperum extinctum esse commutatione in alia opera pia 1. quia hoc citra ullum juris fundamentum dicitur, & solum divinatur; 2. quia, qui alteri negat jus, antea certum, tenetur ad probatio-

nem

nem positivam; hoc ipsi non præstant; ergo. 3. vel commutata est obligatio prior, vel solum debitor? primum nullo jure ostenditur; secundum autem facit, alia opera pia successisse in jus pauperum; ergo adhuc peccatur contra justitiam, non dando operibus piis.

1980 Confirm. quia nulla per Ecclesiam facta est commutatio, quæ sustulisset obligationem in conscientia, non erogandi superflua in usus profanos; ergo etiam nulla, quæ sustulisset obligationem justitiæ, quæ prius fuit; antecedens est ex confessione adversariorum, cum ipsimet doceant, tunc à Clericis peccari, saltem contra aliam à justitia virtutem; unde ergo habent, quod obligatio justitiæ extincta sit per ullam commutationem, si per nullam extincta sit obligatio conscientiæ, quæ prius fuit, vel ergo per beneficiorum erectionē inducta est novæ virtutis obligatio? & hoc, ne agant in præjudicium certi juris, quod ante fuit, tenentur probare; vel servata est prior? at hæc fuit justitiæ olim, ut fatentur, ergo. Deinde quæso, hæc commutatio facta, à quo est facta? ubi? quando? in quæ opera? certè nihil authenticè ostendunt.

1981 Econtra pro jure pauperum militant clari textus Sacrorum canonum, & SS. Patrum, ut in præmissis ostensum est; unde illorum explicatio, quæ affertur ex Hauholdo supra in n. 1969. est prorsus violenta, ex arbitrio potius, quam claro jure fundata. Quid clarius eo, quod dicit Sanctus Bernardus serm. in illud: *ecce nos reliquimus omnia*; qui sanctè loquitur: *Res pauperum non dare pauperibus par sacrilegii crimen esse cognoscitur. sane patrimonia pauperum, facultates Ecclesiarum, & sacrilega illis crudelitate surripitur quid quid sibi ministri, & dispensatores (non utique domini, & possessores) ultra victum accipiunt, & vestitum*; ubi nota, ly *non domini, non possessores*. Certe Clemens, vicinus ipsi S. Petro l. 2. t. 8. de const. Apost. jubet ea omnia egentibus cum justitia distribui; & Symmachus Papa c. *in Canonibus* 16. q. 1. sub anathemate obligat eos, *ad restitutionem*, qui res Ecclesiæ suis quasi hæreditarias reliquerunt.

1982 Ad probationes vero desumptas ex Trid. de quibus n. 1969. jam respondimus n. 1971. illud autem, quod desumitur ex c. *unic.* de Clericis non resid. in 6. loquitur *de distributionibus quotidianis*, quæ juxta veriorem sententiam non veniunt sub bonis Clericorum profectitiis, seu *merè Ecclesiasticis*; sed *quasi Castrensibus*, de quibus hic non est sermo. Quando autem opponitur, quod, si Clerici ponantur veri domini redituum etiam superfluorum, eo ipso non possint obligari ex justitia ad iis utendum aliquo casu, quo posito peccent *contra justitiam*; cum ratio veri dominii sit ad omnem usum in commodum libertatis propriæ, & utens jure suo, nulli faciat injuriam; id in multis facit, ut patet ex Dominio rei, *acquisito per confusionem, accessionem*, &c. in fideicommissis, in quibus plures possessori concedunt dominium plenum, ut alibi diximus, sed vinculatum etiam obligatione justitiæ transmittendi post mortem ad eum qui jure vocatur in successionem; denique, quod quis etiam utendo jure suo, quandoque faciat alteri injuriam, probavimus pluribus in cit. tract. de jure & just. q. 1.

ARTICULUS III.

Cujus sint bona, quæ Clerici comparant post promotionem ad beneficium Ecclesiasticum?

1983 NOn est novum, Clericos seculares, antequam ad beneficia, & dignitates Ecclesiasticas promoverentur, nihil, vel parum habuisse, de bonis patrimonialibus; successu vero temporis, ubi ad ejusmodi beneficia, Prælaturas, & dignitates promoti sunt, abundare, coëmere bona, mobilia, immobilia &c. ex hoc ante nascitur quæstio, cujus ea bona sint post ejus mortem? si comparata sint ex bonis, seu proventibus mere Ecclesiasticis? hoc est, intuitu Ecclesiæ acquisitis, ut exposuimus n. 1961. contingit autem sæpius, hoc ipsum esse dubium, an ea bona, & opes, comparatæ sint ex bonis mere Ecclesiasticis? an ex aliis, de quibus eis liberum est etiam per sacros canones ex arbitrio disponere; in casu porro tali dubio, quid censendum, vel judicandum? præsens quæstio est.

1984 De hac quæstione sunt plures canones; primo enim 12. q. 5. c. *fixum*, post-

quam

quam in Concilio Hispalensi statutum fuit, *fixum abhinc, & perpetuo mansurum esse debere, ut Episcopus rebus sui juris, quas aut ante Episcopatum, aut certe in Episcopatu hæreditaria successione acquisivit, secundum auctoritatem canonicam, quidquid vult faciat, & cui vult eas conferat*; subjungitur: *postquam autem Episcopus factus est, quascunque res de facultatibus Ecclesiæ, aut suo, aut alterius nomine, qualibet conditione, comparaverit, decrevimus, ut non in propinquorum suorum sed in Ecclesiæ, cui præest, jura deveniant.*

1985 Deinde c. *Investigandum* 1. h. t. ad quæstionem, *cujus juris bona sint*, quæ *Presbyter emit, postquam promotus est ad Ecclesiasticum ordinem, prius, nihil patrimonii habens?* respondet Concilium Arelatense, *quòd Ecclesiæ, ad quam nihil habens promotus est, esse debeant, juxta canonicam authoritatem*; unde in eodem Concilio, ut habetur c. *Presbyter*. 2. eod. statuitur, quod Presbyter, cum Diœcesim tenet: de his, quæ superemerit, *ad ipsius Ecclesiæ nomen scripturam faciat, aut ab ejus ordinatione discedat*; & ideo, prout constat ex epistola Pii Papæ 1. *unusquisq; Presbyter res, quas post dies consecrationis acquisierit, propriæ Ecclesiæ relinquere tenetur*, per c. 3. eod.

1986 Hoc adeo verum esse volunt sacri Canones, ut, si quis Presbyterorum, de reditibus Ecclesiæ, vel oblationibus, vel votis fidelium alieno nomine res comparavit, nihilominus empta per illum ex proventibus Ecclesiasticis, quantumvis emerit nomine alieno, efficiantur res Ecclesiæ, ut habetur c. *Inquirendum*. 4. eodem, ubi ratio redditur, quia sic, ut nec suo, ita nec alieno nomine Presbyter fraudem, facere de facultatibus Ecclesiasticis debet, *quoniam hoc sacrilegium est, & par Crimini Judæ furis, qui sacras oblationes asportabat, & furabatur*; aliud est, *si quis Clericorum agella, vel vineolas in terra Ecclesiæ sibi fecisse probabitur sustentandæ vitæ causâ*; tunc enim usque ad diem obitûs sui ea possidere illi licet; *Sed post suum discessum Ecclesiæ restituere debebit; nec testamento, aut successoris jure, cuiquam hæredum, prohæredumve relinquere, nisi forsan, cui Episcopus, pro servitiis, ac præstatione Ecclesiæ, largiri voluerit.*

1987 Ex his juribus deducitur 1. quòd acquisita à Rectore Ecclesiæ, tempore promotionis nihil habente, in dubio præsumantur acquisita de bonis Ecclesiæ; ita communiter Doctores, cum Menoch. de præsumpt. l. 5. præs. 53. à princip. Bellel. disquisit. Cleric. p. 1. tit. de bonis Clericorum, §. 2. n. 3. in fine, Mascard. de probat. concl. 202. n. 2. ubi a. 4. dicit, quòd, si dubitetur ex cujus bonis acquisita per Prælatum defunctum sint, in dubio pro Ecclesia præsumantur, & n. 6. quod Clericus post Clericatum in dubio præsumatur acquisiviſse *intuitu beneficiorum, & Ecclesiæ*; & ideo ea, tali casu esse relinquenda Ecclesiæ, ut statuitur cit. 3. id, quod procedit, sive illa comparaverit nomine suo, sive alieno; unde licet Clericus in tali casu de bonis Ecclesiæ (hoc est acquisitis ejus intuitu) Capellam, vel Ecclesiam ædificet, non tamen propterea sibi, sed Ecclesiæ jus Patronatus acquirit; quia sic non ipse suis, sed sumptibus Ecclesiæ debitis construxit, & colligitur ex c. *Apostolicos* in fin. & ibi Glossa v. *Contraxisse*, 12. q. 2. ubi Archid. n. 4.

Dixi: *in dubio sic præsumi*, præsumptione 1988
nimirum juris Canonici; si enim constaret oppositum, præsumptio cederet veritati, & ideo, si Clericus ante promotionem ipse habuit bona patrimonialia, & beneficium, ad quod promotus est, non sit multum pingue, potius ex illis, quàm ex hujus proventibus præsumerentur comparata, quæ accreverunt; præsertim, si constaret, talem Clericum, parcè usum proventibus sibi ad decentem sustentationem concessis; & post promotionem ad beneficium, esto prius nihil, aut parum habuerit, durante administratione beneficii, vel dignitatis, propter insignia talenta, quæ ostendit, multis aliis generibus munerum, & officiorum fructum, largis inde proventibus auctum; quo casu hi veniunt sub bonis quasi castrensibus. Deducitur 2. licet bona ex proventibus merè Ecclesiasticis empta in casu, de quo in præmissis, relinquenda sint Ecclesiis, quarum intuitu acquisita sunt; usumfructum tamen eorum, tali clerico permitti ad dies vitæ, uti etiam post dimissum beneficium, & de voluntate Episcopi etiam concedi posse illius hæredibus pro merito, & servitio ab illo tali Ecclesiæ præstito, ut constat ex c. *Inquirendum*. 4. h. t. de quo n. 1986.

QUÆ.

QUÆSTIO XXVI.

DE TESTAMENTIS, ET ULTIMIS VOLUNTATIBUS.

1989 POſt varios contractus inter vivos, de quibus præmiſſis titulis actum eſt, deſcenditur nunc ad ultimas voluntates, quibus etiam ineſt vis, & efficacia transferendi dominium in eos, quibus id per ejuſmodi voluntatem conſtituitur, unde hoc titulo plura in quæſtionem veniunt. 1. De ultima voluntate, 2. De Teſtatore, 3. De hæredibus & hæreditate, de Legatis, &c. quæ verò conſequuntur (ut ſunt Sepulturæ, ac expenſæ funerum) ut & de ſucceſſionibus ab inteſtato, dicemus ſuis titulis, qui ſubſequuntur præſentem.

ARTICULUS I.

Quid ſit ultima Voluntas? quid Teſtamentum?

1990 ULtima voluntas, prout definitur à Molina *tom. 1. de jure & juſt. D. 124.* eſt gratuita Diſpoſitio de bonis, in tempus poſt mortem diſponentis; dicitur *ultima*, non reſpectivè ad aliam priorem, ſed, quia firma eſt, ſuumque ſortitur effectum, irrevocata perſiſtens uſque ad ultimum terminum vitæ diſponentis, atque adeo qua non dantur aliæ poſteriores voluntates, per quas ſua vi privetur; ſic accepta habet ſe per modum generis, & continet ſub ſe quinque ſpecies, ſeu diſpoſitiones, ut not. Gloſ. *ad authen. de hæred. & Falcid. §. quia verò*, ſcilicet teſtamentum, codicillum, legatam, fideicommiſſum, & & donationem cauſâ mortis, de quibus in ſequentibus nobis agendum eſt.

1991 *Teſtamentum*, ut habetur Inſtit. de teſtam. initio, dicitur *quaſi mentis teſtatio*, vel (ut placet Covar. *in rub. de teſtam. p. 1.*) dicitur, *quaſi teſtamen*, ut ſit Teſtatoris de ſua ultima voluntate teſtimonium, apud Ulpian. *L. 1. ff. qui teſt. fac. poſſ.* ſic definitur: *Teſtamentum eſt voluntatis noſtræ juſta ſententia, de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri vult*; volunt aliqui huic definitioni nihil addendum eſſe, per quod à Codicillo, & reliquis ultimis voluntatibus diſcernatur, quaſi in illa particula (*juſta ſententia*) quæ intelligitur plena perfecta, & ſolemnis, contineatur *inſtitutio hæredis*, per quam diſcernitur, tamen cautius videtur ex Gloſſa Accurſii, Molina *D. 124.* & Leſſio *lib. 2. c. 19. dub. 1.* addere particulam (*cum directa hæredis inſtitutione*) loco generis ponitur (*ſententia*) hoc eſt decretum exterius prolatum; additur (*voluntatis*) ad differentiam ſententiæ Judicis, qui non debet juxta voluntatem proferre ſententiam; ſed juxta allegata, & probata; dicitur 2. *voluntatis noſtræ*, nimirum non alienæ, nam teſtamenta ex alieno arbitrio pendere non debent. L. *Illa 32. ff. de hæred. inſtit.* & ideo, qui alium arbitrio ſuo de rebus ſuis diſponere ſinit, nihil agit, perinde, acſi nullum teſtamentum factum eſſet; ſed hoc intellige juxta dicend. à n. 2116. Dicitur 3. *ſententia juſta*, hoc eſt legitima, & juris diſpoſitioni ita conformis, ut valorem habeat; particula (*de eo, quòd quis poſt mortem ſuam fieri vult*) diſtinguit teſtamentum à donatione inter vivos, & reliquis contractibus; poſtrema (*cum directa hæredis inſtitutione*) diſtinguit illud à reliquis ultimis voluntatibus, quia nulla ex illis continet hæredis inſtitutionem.

Codicillus, quaſi parvus codex, juxta *Gloſſ. ad L. fin. C. de Codicill. eſt Scriptura vel litera, in qua Teſtator ſuam voluntatem figurat, nullâ indigens ſolemnitate.* Juxta Spiegel: v. *eod.* eſt voluntatis noſtræ ſententia, de eo, quod poſt mortem fieri volumus abſque hæredis inſtitutione. Hinc Codicillus differt à teſtamento 1. Quod Codicillus non fiat ad inſtituendum 1992

hæredem, nisi aliquando ex privilegio, quale conceditur militi. *L.* 36. *ff. de milit. test.* sed fiat ad aliquid in testamento explicandum, vel mutandum, addendum, vel detrahendum; 2. Quòd secundùm jus commune in codicillo sufficiant quinque testes, etiamsi nec sint rogati, nec masculi, at in testamento requirantur septem rogati masculi, & puberes. *Codicillaris* clausula est illa, qua significat Testator se velle suam dispositionem valere per modum, vel testamenti, vel Codicilli, vel meliori modo, quo potest; habet eam vim, ut, si testamentum non valeat, quà testamentum (nempe quoad institutionem hæredis ex defectu solemnitatis) valeat, quà Codicillus. Ex quo fit 1. ut legata tali testamento relicta solvi debeant; 2. Si Testator, habens liberos, instituat extraneum hæredem, institutio illa directè habeat vim substitutionis fidecommissariæ: nam frater, vel alius, qui succederet ab intestato, tenebitur illi tradere hæreditatem retentâ solùm quarta ejus parte, quam vocant Trebellianicam: 3. Si verè habeat liberos, *illi habeant solùm legitimam*; extraneus autem sic institutus habeat reliqua; hæc ex Lessio *l.* 2. *c.* 19. *dub.* 1. & Molin. *D.* 132.

1993 De Legatis dicemus infra n. 2033. *de fideicommiss. eod.* De donatione causâ mortis constat ex *dict. à n.* 1956. Inter testamentum, & donationem causâ mortis ponunt aliqui hoc discrimen, quòd in testamento non requiratur præsentia hæredis, L. *Cùm Pater. §. Surdo ff. de legat.* 2. at in donatione causâ mortis requiratur præsentia Donatarii, L. *Si inter mortis. ff. de donat. caus. mort.* adeo, ut alius nequeat donationem nomine alterius acceptare, nec acceptatio postea facta per donatarium prosit, ita Covaru. 3. *p. rubr. de test. n.* 13.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Testamentum?

1994 SUppon. olim ab antiquitate duas tantùm testamenti species fuisse agnitas, unam, quæ dicebatur testamentum *calatis comitiis*, & fiebat coram populo, & ratificabatur attestatione Quiritium, *calatus*, hoc est, *vocatis Comitiis* bis in anno, juxta Gellium *lib.* 3. *c.* 27. alteram, quæ dicebatur *procinctum*, de quo Justin. *Instit. de testament. §.* 1. & fiebat, quando milites in prælium essent prodituri; sic appellatum ab habitu militari, *procinctus* enim dicitur, qui accinctus est, & paratus ad confligendum cum hoste. Ne verò ante comitia homines morte præventi sine testamento decederent, tertium quoddam excogitatum est, quod (teste Conano *l.* 9. *Comment. c.* 1. *n.* 4.) fiebat per *imaginariam emantipationem*, seu venditionem: nam per id temporis mines nullum agnoscebant Contractum præter venditionem, atque adeo in Commerciis & quibuscunque actibus, eo usi fuerunt, ut in adoptionibus, manumissionibus, emancipationibus, & hæredum institutionibus; sed hæc antiquorum divisio jam abolita est, ut constat ex L. *Quoniam, C. de Testament. & §. Præterea, Instit.* quibus modis jus patriæ potestat. & tradit. Brisonius *l.* 1. *selectorum. c.* 7.

Hodie testamentum, ratione finis 1995
aliud est *ad pias causas*, aliud, *ad causas profanas*; 2. Ratione objecti, aliud est *inter liberos*, aliud *in extraneos*; 3. Ratione causæ efficientis aliud est *paganicum*, & *militare*. 4. Principaliter aliud est *scriptum*, aliud, *nuncupativum*; quorum quodlibet, si fiat cum solemnitatibus jure requisitis, dicitur *perfectum*, & *solemne*, si secùs, *imperfectum*, & *minus solenne*, ut contingit in testamentis *privilegiatis*, qualia sunt testamenta ad pias causas, inter liberos &c. quæ scilicet privilegio eximuntur ab onere, vel omnium, vel saltem aliquarum solemnitatum, ut patebit ex seq. Sub prædictis continentur complures aliæ species, de quibus per decursum.

Inter illas enim venit testamentum 1996
holographum, quod scilicet manu ipsius Authoris, seu Testatoris totum scriptum & subscriptum est; *captatorium*, quod confertur in alterius arbitrium; ut, si Testator dicat: *Instituo hæredem bonorum meorum quem, vel quos Titius voluerit*, item, *Instituo Sempronium, si Titius voluerit*. Idem procedit, si dicat: *lego centum ei, quem Titius voluerit, vel Sempronio, si Titius voluerit*, L. *Illa institutio*, & L. *Captatorias. ff. de hæred. instit.* apud Molin. *tom.* 1. *D.* 157. & Less. *lib.* 2. *c.* 19. *n.* 10. dicitur *captatorium* à ca-

à captando, quia Testator remanet captus, id est deceptus; Captio enim est deceptio, L. *si fundo ff. de act. empt.* nam captare, est illecebris, obsequio, donis, aut spe aucupari. *In officiosum testamentum* est, quod contra officium pietatis confectum est, scilicet erga personas extraneas, filiis sine legitima culpa exhæredatis; unde *in officiosa testamenti querela* dicitur, qua filii contra parentes agunt, ut, qui eos, vel sine justa causa, vel justa, sed non probata exhæredârint; *querela* igitur propriè nec est actio, quia non agit, ut quid detur; nec accusatio; quia neminem super punitione accusat; sed est jus quoddam rescindendi testamentum, & aperit mediam quandam viam succedentibus.

1997 Testamentum *destitutum*, ut habetur *Instit. de hæred. quæ ab intest. §. Cùm autem*, idem valet, atque *desertum*, *ex* quo nullus est hæres. *Ruptum*, quod quovis modo perimitur; nam *rumpere* testamentum est illud infirmare, rescindere, & pro non facto habere; sumitur ex L. *posthumo. C. de bon. poss. & instit.* quibus modis testam. infir. ubi sic habetur: *Testamentum factum usque eo valet, donec rumpatur, irritumve fiat*; Testamentum porro *subreptitium* est, quod in fraudem hæredum, seu Legatariorum, & libertorum non palàm prolatum est; quod, si non latet tales personas, non judicatur suppressum. Præter hæc *not.* testamenti appellatione non venire contractum, nisi impropriè, & largo modo; & *prohibitum* alienare testando, vel codicillando, non prohiberi per contractum, nec per donationem inter vivos. Testamentum enim non est contractus, ut docent Barbos. L. *divortio. §. si vir. n.* 36. *ff. solut. matr.* & Rebuff. *ad L.* 29. *ff. verb. signif. pag.* 420.

1998 Cæterùm *testamenti* appellatione venit quælibet ultima voluntas; ita Glossa v. *ita omnes* in *L.* 2. *C. de constit. pecun.* atque adeo venit donatio causâ mortis: &, quod largè accepto vocabulo veniant codicilli, ex variis textibus tradunt Sim. de Prettis, *de interpret. ult. volunt. l.* 2. *solut.* 4. *n.* 4. Surdus *cons.* 258. *n.* 6. & Sanchez *præcep. Dec. to.* 2. *l.* 7. *c.* 5. *n.* 14. Ultimæ voluntatis appellatione contineri omne testamentum, sive militare, & privatum solemne, vel nuncupativum, habetur etiam ex *Gloss. V. Cujuslibet. in Clem. unic. c. de testament.*

Præter *dict. Not.* 1. hanc vocem *tabula*, à Juristis usurpari pro testamento vel pro Scriptura testamenti, L. *unicæ C. de tabul. exhib. ubi Gloss.* atque adeo per illas semper intelligi testamentum in Scriptis signatum. & perfectum; hinc frequens ille modus loquendi: bonorum possessiones habere *secundùm tabulas*, *& contra tabulas*; hinc etiam primæ & secundæ tabulæ, sicut primæ & secundæ ceræ, apud Budæum, pro prima & secunda charta, seu folio testamenti, nam veteres ante usum chartarum, *in tabulis* scribebant; hodie verò, ut sumitur ex *L.* 1. *ff. de bon. poss.* intelligimus *per tabulas testamenti* omne testamentum scriptum, sive in charta, sive in membrana, aut Corio, aut ligno, aut quavis alia materia. 1999

Not. 2. *Publicationem testamenti* esse manifestationem illius, factam authoritate Judicis ad petitionem eorum, quorum interest, 3. *subsignare*, idem esse, ac subscribere, & propriè dici de testibus vocatis, & subscribentibus; quartò *sigillare*, ut habetur L. *si quis*, *ff. quemad. test. aper.* esse, illud sigillo munire; *resignare testamentum*, ut sumitur ex L. *si testam.* esse idem, ac referare seu aperire; *dicere de inofficioso*, apud Scævolam *L.* 20. *ff. de inoffic. testam.* idem valere, atque inofficiosum testamentum dicere; *adscribere sibi* in testamento dicuntur (ut ait Alex. Scot. v. *eod.*) qui alieno in testamento sibi aliquid, quasi à Testatore attributum, vel sua, vel eorum, qui in sua parte sunt, manu adscribunt, unde Rubric. de his, qui sibi in testam. adscribunt; his in genere præmissis; cùm in hoc titulo frequens mentio fiat Testatoris, & Hæredum, & plurium aliorum terminorum, ut constabit ex sequentibus pro faciliori dicendorum intelligentia dicemus etiam de his, quæ opportuna esse possunt. 2000

§. 1.

De Testatore.

Testator est, qui testatur, seu qui testamenti Author est; eâdem ratione 2001

testatus, pro testatore accipitur, ex opposito *intestatus* dicitur, qui testamentum non condidit, *intestato* adverbialter, sine testamento; quæstio autem est, quotis modis, quis *intestatus* decedat? Ad hoc R. ex Sylvestro V. *Intestatus*, & Molina *de Just. to.* 1. *D.* 162. quod communiter, quatuor modis, 1. si testamentum non fecit, vel quia noluit, vel quia de jure facere non potuit, qualis pupillus, 2. si fecit testamentum nullum, seu irritum ex defectu alicujus solemnitatis; 3. Si fecit validum quidem ex se, sed postea corruit, vel quia testator ipse revocavit, vel natus est filius in eo omnino præteritus, vel arrogatione, & adoptione alicujus, in filium, vel testatoris crimine: 4. Si ex testamento nulli sint hæredes; his addit Sylvester cit. duos alios modos, quos vocat *ex post facto*; prior est, si per querelam expugnetur testamentum: posterior per bonorum possessionem contra tabulas. *Intestabilis* autem dicitur, tum qui testamentum facere nequit, tum qui testimonium dicere non potest. L. *cùm lege. ff. de testam.* imò & is, cui alius testimonium dicere non valet. L. *Is, cui. §. ult.* & L. *Cùm lege. ff. eod.*

2002 Quæstio altera est, quid spectet ad Testatorem? R. quòd *instituere* & *substituere*; hæredes *instituere*, est facere, & creare; *substituere* est subrogare, seu loco prioris instituti sufficere; nam prius hæres dicitur *institutus*; secundus hæres dicitur *Substitutus*, L. *cùm proponas. C. de hæred. instit.* semper enim præcedere debet *institutio*, tanquam primus gradus, & creatio prioris hæredis, & postea sequi *substitutio*, ut gradus secundus; est enim *substitutio*, secunda institutio conditionalis, quæ licet procedat in infinitum, cùm sit post primum, semper nomen substitutionis retinet; *substituendi* & *instituendi* verba, (ut notat Spiegel *v. eod.*) in ultimis voluntatibus ex communiter accidentibus, *universalem successionem respiciunt.* Unde, qui hæres generaliter ordinatur, *institui*, & is, qui sequenti loco subordinatur, *substitui* dicitur in successione particulari; quamvis verbum *substituere* ad legata, & donationes causâ mortis accommodetur, tamen verbo *instituere* testatores, nec in legatis, nec in donationibus utuntur, quamvis sine improprietate uti possent.

Quæstio 3. est, quid sit *Substitutio*? 2003
R. ex Molina *to.* 1. *D.* 182. *& Covarr. in* c. Raynutius *de testam. §. 5. n.* 1. quòd sit unius, aut plurium in alterius, aut aliorum locum ad rem aliquam ultimâ voluntate facta vocatio. Quæstio est 4. quotuplex sit *substitutio* in genere? R. quòd duplex nimirum directa & indirecta. *Indirecta*, quæ alio nomine *obliqua*, & alio *fidei commissaria*, & alio *precaria* dicitur, est quando hæreditas defertur Substituto per alterum, qui eam illi restituat; v. g. Si Titius instituatur hæres, & gravetur, hæreditatem totam, vel partem aliquotam (scilicet dimidiam, aut tertiam, aut quartam) restituere Sempronio. *Directa* est, quando hæreditas à Testatore immediatè defertur Substituto, quin fides, ministerium, vel actus cujuscunque alterius requiratur; est tamen inter utramque discrimen etiam hoc, teste Molinâ *to.* 1. *D.* 182. quòd in Substitutione *indirecta*, seu fideicommissaria locum habet detractio *Trebellianicæ*, non verò in Substitutione directa, utraque fieri potest in legatis, & donationibus causâ mortis; sed tunc Trebellianica locum non habet.

Quæstio est 5. qualiter Substitutio, & 2004
in quas species subdividatur? R. quòd in quinque species, vulgarem, pupillarem, exemplarem, reciprocam & compendiosam. *Vulgaris*, nomen habet à vulgo, quasi nihil speciale habens, & sic definiri solet: *Est directa Substitutio quæ à quocunque testatore, & comparatione cujuscunque hæredis fieri potest*, aptius & clarius definitur sic: *Est Substitutio directa, & simplex, qua quis absque particulari Privilegio hæredem sibi substituit*; nam est illa, quæ quivis jure non prohibitus à quovis testatore substitui potest; in ea hæc conditio (*si is, qui testamento, vel ab intestato successurus erat, nolit, aut non possit esse hæres*) vel exprimitur, ut si dicat Testator (*Titium instituo hæredem, & si is hæres non erit, substituo Sempronium*) vel subintelligitur, ut si dicat: (*Titium instituo hæredem, & substituo Sempronium.*)

Pupillaris nomen habet à pupillo, 2005
cui sit, & sic definitur: *Est substitutio directa,*

directa, & ſimplex, qua teſtator filio impuberi, in poteſtate ipſius conſtituto, neque per mortem ipſius in poteſtatem alterius recaſuro, hæredem inſtituit, qui impuberi ipſi hæres; cùm enim ante pubertatem nemo teſtari poſſit, jus conceſſit, ut pater loco impuberis teſtaretur, directè ſubſtituendo ei hæredem, ſi ante pubertatam deceſſerit, ut autem hæc ſubſtitutio validè fiat, duo requiruntur, *unum* ut teſtator eum, cui ſubſtituit, habeat in ſua poteſtate, ex quo non poteſt Mater pupillariter ſubſtituere: *alterum*, ut pupillas, cui ſubſtitutio fit, non recidat per mortem teſtatoris in alterius poteſtatem, ex quo non poteſt avus nepoti aliquem pupillariter ſubſtituere, ſi Pater vivit. Nepos enim de jure communi eſt in poteſtate avi, quo mortuo in poteſtatem patris recidit.

2006 *Exemplaris* definitur: quod *ſit ſubſtitutio directa, ac ſimplex, qua ad exemplum pupillaris, pater, aut mater, cæterique aſcendentes, ſecundùm ſui gradûs prærogativam, liberis mente captis, aut ſimili modo teſtari prohibitis, hæredem inſtituunt*, ſi filius amens, cui Pater ſubſtituit hæredem, ſit impubes, ſubſtitutio erit etiam pupillaris, tamen evaneſcet, ſi filius redeat ſanam mentem, ne cito recidat in inſaniam.

2007 *Reciproca* alio nomine *breviloqua* dicitur ex eo, quod duobus fiat reciprocè, quaſi rétroducta, repetita; & reflexa, poteſt ſic definire: *eſt ſubſtitutio directa, quâ inſtituti ſibi invicem ſubſtituuntur*, ut ſi teſtator dicat: *inſtituo Scium, & Cajum meos hæredes, & eos invicem ſubſtituo*, hìc ad minimum ſunt duæ ſubſtitutiones vulgares: ſi autem uterque eſt impubes, ſunt duæ vulgares, & duæ pupillares. *Compendioſa* denique dicitur ſubſtitutio, quæ comprehendit plures ſubſtitutiones, quoad diverſa tempora, ita ut poſſit complecti omnes hæredes, & omnes eorum ætates. v.g. ſi teſtator dicat: *inſtituo filium meum hæredem, & quandocunque ex vita deceſſerit, ſubſtituo ei Filium.* Nam ſi filius moriatur ante Patrem, vel alia de cauſa non fiat hæres, & moriatur in ætate pupillari, Filius ſuccedet *ex pupillari*; ſic filius moriatur poſt pupillarem ætatem, ſuccedet ex fideicommiſſaria, detracta legitima, & quarta Trebellianica, ſi filius fiat amens, ſuccedet ex exemplari. Hæc ex Covar. ad c. 16. de teſtam. & Antonio Gomezio tom. 1. rer. variar. c. 3. usque ad 8. tradunt Molin. to. 1. D. 182. & Leſſius. l. 2. c. 19. dub. 7. Illud etiam not. teſtatoris voluntatem dici *ambulatoriam usque ad mortem*, L. *quod ſit*, ff. de adimend. legat. idque propterea, quod, ut certa, fixaque conſiſtat, nullâ lege coërcetur: imò juxta leges retractabilis eſt: atque adeo ambulatoria eſt, quaſi ambulare ſeu tranſire poſſit.

§. 2.

De hæredibus.

HÆres dicitur, à nonnullis quaſi *herus* 2008
ſeu dominus hæreditatis; nam apud veteres, ut habetur §. *fin.* Inſtit. de hæred. qualit. *hæredes*, pro dominis habebantur: unde ibidem, *pro hærede genere*, eſt pro domino genere; rectius tamen *hæres* dicitur ab hærendo, quaſi proximus hæreat illi, cujus hæres eſt, apud Sylveſtr. V. *hæreditas* 3. *n.* 1. ſic definitur: *hæres eſt, qui ſuccedit in univerſum jus defuncti* (L. *ſuus hæres*, ff. de diverſ. & temporal. præſcript.) vel *dominus hæreditatis*, qui in voluntariis aditione ferat à cohærede, exhærede, & prohærede. *Cohæres* enim dicitur, qui ſimul hæres inſtitutus eſt; *Cohæredis* appellatione, ut ſumitur ex L. *Pater filium*, §. ĝn. ff. de legat. 3. aliquando continetur fidei commiſſarius. *Exhæres*, apud Tullium 1. de orat. dicitur privatus hæreditate, quæ ad ipſum pertinebat. *Prohæres* dicitur, qui putat ſe hæredem eſſe, cùm non ſit L. Prohærede ff. de pecul. hæred. Item deſcendentes, poſt primum vocantur *prohæredes* juxta Gloſſ. in *c. fin.* de pecul. Cleric.

Quæſtio eſt, quotuplex ſit hæres? 2009
quòd multiplex, ut conſtabit ex ſequentibus. *Teſtamentarius hæres*, qui ex teſtamento ſuccedit, & eſt duplex, alter *univerſalis*, qui inſtruitur in ſolidum, vel in certa quota, alter *particularis*, qui inſtituitur in re certa, & propriè Legatarius vocatur. *Legatarius* hæres dicitur, qui legatum accipit, vel cui legatum factum eſt, *legitimus* hæres, eſt, qui ex conſtitutione juris, etiam ſine teſtamento ſuccedit defuncto, qualis agnatus proximus. Inſtit. de legit. agn. ſucc. in prin. &

propterea legitima hæreditas, latè quidem, sed non impropriè dicitur, quæ ex testamento defertur, L. 1. de verb. sign. propriè tamen strictè dicitur, quæ ab intestato defertur L. 1. De suis, & leg. eam enim lex ipsa, absque facto hominis, defert.

2010 *Suus hæres* (alio nomine domesticus) dicitur filius, qui est in potestate Patris, tempore mortis ipsius Patris, notat enim Molina tom. 1. D. 179. ad hæredem *suum*, duo requiri, alterum, ut tempore mortis ejus, cui hæres existit, in ejusdem fuerit potestate, excipitur tamen posthumus, qui (per jus Instit. de hæred. quæ ab intest. §. *posthumi*) ex eo censetur *suus*, quia statim, ac natus, foret in potestate parentis, si parens viveret, alterum, ut nullus alius in eadem linea sit interpositus, qui in potestate prædicti existat; hinc quàm diu filius est hæres *suus*, nepos, qui ex tali filio descendit non est hæres *suus* respectu avi, esto in potestate avi existat; mortuo autem, aut emancipato filio, nepos ex ipso genitus, manet hæres *suus* respectu avi, est igitur hæres *suus*, qui est in potestate morientis tempore mortis, dum eum alius non præcedit. Suitas porrò est illa qualitas, & Conditio, quam habet *suus* hæres.

2011 Hæres *necessarius* dicitur ille, qui necessariò hæres est, scilicet qui, sive velit, sive nolit, cogitur hæreditatem adire, ut satisfaciat Creditoribus: qualis olim erat servus institutus hæres à domino suo paupere, ex eo, quòd suspectas facultates suas haberet, ac proinde timeret, quòd extraneus nollet adire hæreditatem, & quidem servus ad eam adeundam cogebatur, ut famæ domini sui succurreret erga Creditores. Instit. de hæred. quæ ab intest. defert. *Extraneus hæres* appellatur, qui testatoris potestati subjectus non est, etiam filius emancipatus. Instit. de hæred. qualit. & diff. §. *certi*; interdum sumitur pro non attinente, hoc est, neque consanguineo, neque affine.

2012 Præter hæc not. 1. *substitutum* hæredem dici, qui hæredi instituto substituitur; *fidei commissarium*, cui ex fidei commisso hæreditas danda relinquitur; *secundum hæredem*, qui post primum sequitur, etiamsi ordine decimus sit; *certum*, sicut sumitur ex L. *Pannonius Avitus*, §. 1. ff. de acquir. hæred. ut adire possit, qui probabiliter vehementi quadam opinione credit sibi delatam hæreditatem; *heredem ex asse*, qui solus est hæres.

Not. 2. hæredem *in re certa* esse illum, qui v. g. instituitur in aliquo designato prædito, seu parte certa hæreditatis, & quamvis juxta Rolandinum *to.* 8. *tract. fol.* 196. *n.* 11. nec sit universalis hæres, nec Legatarius; tamen de utroque participat: *de legatario*, duo, nempe, quòd in eum non transeunt actiones, & quod patitur Falcidiam L. *quoties* C. fam. herciscund. *de universali*, tria, scilicet quod habet jus accrescendi, quod ejus aditione confirmentur relicta in testamento, & quod poterit de manu sua capere hæreditatem, juxta Baldum. 2013

Not. 3. hæredis appellatione venire hæredem simpliciter, & verum, non secundum quid juxta Ant. de Butrio, cont. 20. quem refert Tuschus *to.* 8. *lit. V. Conclu.* 92. *n.* 14. *Not.* 4. hæredum appellatione venire omnem hæredem, quando non apponitur nomen hæredis proprium, juxta Ancharan. cons. 130. an autem veniant tam extranei hæredes quàm descendentes, ubi facta est mentis dispositivè hæredum? quæstio est, quam multis adductis authoribus disputat, & multis ampliationibus, ac limitationibus, resolvit Augustinus Barbos. tract. de appell. Verbo appellat. 113. *à n.* 4. 2014

Observandum autem inter *narrata dispositivè*, ac *enuntiativè*, discrimen esse; nam dispositivè narrata habent vim, & obligandi, & causam disponendi, adeo, ut ea, quæ substantiam respiciunt, mutari, emendarive nequeant, præsertim, si pro eo faciant, L. *cùm præcum* C. de lib. cau. enunciativè narrata non habent talem vim, unde, si dicam: *peto à Titio, qui est hæres Sempronii*, quamvis ille non sit hæres, procedit libellus, L. *qui familiæ*. ff. familiæ herisc. 2015

Not. 5. quando fit mentio hæredum conditionaliter, v. g. dicente testatore, *si institutus decesserit sine hæredibus, substituo Titium*, tunc conditionem intelligi de hæredibus sanguinis; aliàs non extantibus descendentibus, non deficeret conditio fideicommissi, ita Monach. *cons.* 958. *n.* 3. Mentica *de conject. ult. vol. l.* 8. *tit.* 14. *n.* 5. & Fusarius *de fideicom.* q. 339. 2016

q. 339. *à n.* 78. & ampliat *n.* 78. ut nec extranei hæredes veniant, quamvis ponatur conditio cum verbis universalibus, qualia sunt: *si decesserit sine hæredibus quibuscunque*; nam adhuc intelligetur, *de descendentibus*. *Not.* 6. hæredis appellatione in dubio venire hæredem universalem, non verò hæredem in certa; ita Simon de Prætis, de interpret ult. volunt. *fol.* 178. *n.* 11. Peregrin. *de fideicom. art.* 32. *n.* 8. quia adeunte hærede universali, institutus in re certa, habetur loco legatarii. Hæredis appellatione venire fœminam L. *hæredis* appell. ff. V. *signif.* apud Mantic. de tacitis, & ambiguis *convent. lib.* 22. *tit.* 14. *n.* 22.

2017 *Not.* 7. ubi fit mentio hæredum, *qui vocati sunt*, venire hæredes hæredum, ita Tuschus *to.* 4. *lit. H. concl.* 74. Nam quæ hæredem gravant, dicuntur gravare hæredem hæredis. L. *annuam.* ff. de annuis leg. Item hæredi factâ prohibitione alienationis, dicitur facta, & hæredi hæredis, juxta Tiraq. de retract. conven. §. 1. *Gloss.* 6. *n.* 24. Hæredum *suorum* appel. strictè veniunt habentes jus suitatis; latè veniunt non habentes tale jus: latissimè veniunt omnes; vide hæc, & plura apud Barbosam citatum.

2018 *Not.* 8. Hanc vocem *Successor* in ultimis voluntatibus latius patere, quàm terminum *hæres*; quamvis enim omnis hæres sit successor, tamen econtra non omnis successor est hæres, & quidem successores universales non hæredes recenset Molina *to.* 1. *D.* 217. Imprimis enim sunt executores hæreditarii, qui vicem tenent hæredum: ut si quis in hæredem animam suam relinquat, instituendo simul aliquem suæ ultimæ voluntatis executorem universalem: hic enim dicetur Successor; similiter usu fructuarius universalis bonorum relictus à defuncto: pater, qui jure peculii occupat bona filii familias: monasterium occupans bona ingredientis religionem propter ingressum, & fiscus occupans bona ejus, cui propter delictum confiscantur.

2019 *Not.* 9. *Successorem*, juxta Sylvestrum V. *eod.* esse duplicem, alterum *singularem*, qui in re certa instituitur: alterum *universalem*, qui in tota hæreditate, vel reliqua: successoris appellatione venit solùm *universalis*, & non *singularis*; quod procedit, ubi subjecta materia id patitur, & nisi testator vocasset *quoscunque* successores: tunc enim veniret etiam singularis, ita Fusar. *de substit. q.* 341. *n.* 4. & 7. Item *q.* 343. *n.* 1. addit successorum appellatione venire omnes.

Not. 10. *Succedere* idem esse, ac in alterius locum venire; absolutè prolatum intelligi *ab intestato*, ut ex L. 3. §. de illo ff. pro Socio. Cæterum est verbum commune, & adjunctum universati bonorum, vel quotæ, importat titulum hæreditarium, secùs si adjungitur rei particulari, quod autem sit *succedere in capita*, & *succedere in stirpes*, ut planè intelligatur illud Justinian. *lib.* 3. *Instit. tit.* 1. *conveniens esse, non in capita, sed in stirpes hæreditatem dividi* exponunt Hostiens. in sum. de success. ab intest.

Igitur *succedere in capita* est idem, 2020
atque succedere *viriliter*, nempe æquis portionibus in capita distributis; seu, *succedere in capita*, est, pluribus, qui sunt ejusdem gradûs, hæreditatem in æquales partes dividendam competere, sic filii dicuntur succedere Patri suo mortuo in legitimis portionibus: *succedere in stirpes* (quæ successio dicitur *stirpalis*, alio nomine *parentalis*) est, filios parentum suorum partem hæreditatis adipisci, quam ipsi parentes consequerentur, si superstites forent; sic succedunt filii parentibus qua filii præmortuorum in eam partem, quam ipsi parentes erant habituri, si viverent, unde, si quis ex vero filio unum nepotem habuerit, & ex alio filio decem, tantùm capiet unus ex parte una, quàm decem ex parte altera.

Not. 11. ex Molina Jurista de pri- 2021
mogenit. *l.* 11. *c.* 8. *n.* 6. aliud esse quod defertur alicui *jure hæreditario*, aliud quod *jure sanguinis*: illud, inquit, dicitur *jure hæreditario* deferri, quod non nisi hæredi, jureque hæreditario competit, illud autem dicitur deferri *jure sanguinis*, in quo is, qui hæres non est, vel etiam, qui hæres est, ex solâ agnatione, seu cognatione, vel speciali vocatione, non autem jure hæreditario succedere potest, quia ratione inter feuda quædam *familiaria*; quædam verò *hæreditaria* dicuntur, eo, quòd in familiaribus, solo jure sanguinis; in hæreditariis, jure hæreditario succedatur.

Not. 12.

2022 *Not.* 12. Succeſſionem *legitimam* eſſe, quæ fit ſecundùm leges, qualis ex parte patris; ſucceſſio *naturalis* fit naturaliter non attentâ lege poſitiva, qualis ex parte Matris juxta Gloſ. in tit. C. unde vir. & uxor. Similiter juxta Azon. in ſumma de ſucceſſ. edict. C. & ff. eod. tit. L. 1. Datur ſucceſſio interdum *de capite in caput*, & interdum *de gradu in gradum*. Succeſſio de capite in caput eſt, cùm deficiende primo capite liberorum, oritur ſecundùm caput agnatorum, & iſto deficiente, ſuccedit tertium caput cognatorum, & cognatis deficientibus, ſucceditur quarto per ordinem; unde vir, & uxor C. eod. tit. ſcilicet ſuccedit Vir Uxori vel Uxor viro, excluſo fiſco. Succeſſio de gradu in gradum eſt, quando plures perſonæ ſunt in eodem capite in diverſis gradibus, una prior, & alia poſterior: nam pro priori repulſa, vel reputatione, vel aliter, ſequens ſuccedit L. 1. ff. ſucceſſ. edict.

§. 3.

De hæreditate.

2023 *Hæreditas* in contractu inter vivos ſumitur pro bonis, & facultatibus; ut, ſi quis dicat: *do tibi hæreditatem meam*, intelligitur dare ſuas facultates juxta Bart. in L. *quandoque* §. ſi ſervum. ff. de legat. 1. Unde *hæreditas* venit appellatione *rerum*: Nam juxta eundem Bart. in L. *licet*, C. de pactis; ſi bona relinquuntur ſub appellatione *rerum*, continetur *tota hæreditas*: ſumitur verò à Molina *tom.* 1. *tract.* 2. *D.* 2. pro jure, quod ad bona defuncti habet, & quo denominatur *hæres*, & computatur inter res incorporales, & quidem in ultimis voluntatibus; unde juxta Bartol. in Rubric. de hæredit. acquirend: Sic definitur: *eſt ſucceſſio in univerſum jus, quod defunctus habebat.*

2024 *Not.* autem 1. quod tota hæreditas *Aſſis* appellatione comprehendatur, L. *nihil aliud*, & L. *hæreditatis*, ff. de verb. ſignif. Dividitur *As* in duodecim partes æquales, quas *uncias* dicimus ab uno; dividitur etiam in duodecim partes *inæquales*, quarum nomina ſunt unica ſexcunx, ſextans, quadrans, triens, quincunx, ſemis, ſeptunx, bes, Dodrans, Dextrans, & Deunx.

Not. 2. quòd *unica* ſit duodecima 2025
pars ex æqualibus *aſſis*, & primà ex inæqualibus; ſic dicitur, quòd nati ex concubinis in domo, ſuccedant in duabus *unciis*, id eſt in duabus partibus duodecim partium *aſſis*, ſi alii legitimi non ſuperſunt; *ſecunx* eſt unica cum ſemiuncia, *ſextans* habet duas uncias, & eſt ſexta pars aſſis; *quadrans* habet tres uncias, & eſt quarta pars aſſis, *triens* habet quatuor unicas, & eſt tertia pars aſſis. *Quincunx* habet quinque uncias; *ſemis*, habet ſex uncias, & eſt dimidium aſſis, *ſeptunx* habet ſeptem uncias, *bes* habet octo uncias, *dodrans* habet novem uncias, *dextans* habet decem uncias, *deunx* habet undecim uncias.

Not. 3. varias eſſe voces, quibus 2026
hæreditas nominatur, nam *fiduciaria*, alio nomine *Fideicommiſſaria* (ut habetur L. *certa* ff. ſi certum) dicitur à fide hæredis, cui committitur; *legitima* dicitur, cùm ſit ſucceſſio ex teſtamento, *honoraria prætoria*, cùm bonorum poſſeſſionem accipimus, *communis*, quæ ad utrumque æqualiter lege venit, *juſta* quæ jure legitimo obvenit, id eſt cognationis nomine *commiſſa* vocatur hæreditas, in qua id commiſſum eſt, propter quod alteri debeatur.

Dicitur etiam *transmiſſa*, quod idem 2027
eſt, ac translata à domino ipſius hæreditatis moriente in ipſius hæredes, unde cùm hæres (ut inquit Molina *to.* 1. *D.* 180.) eo ipſo, quod hæreditatem adit, ſuam illam efficiant, manifeſtum eſt, ſi hæreditate aditâ ex hac vita decedat, illam transmittere ad quosque ipſius hæredes, non ſecùs, atqui alia ſua bona, hæreditas non adita (ut habetur ex L. *quoniam*, C. de jure delib. regulariter ad alios non transmittitur. *Locuples hæreditas* (apud Azonem in Rub. C. de bo. lib. §. *petitur*) cenſetur illa, quæ major eſt centum aureis: aliter explicatur à Gloſſa ad L. *ſi quis mihi*, §. 2. ff. de acq. hæredit. V. *hæreditatem*, & ponitur diſcrimen inter *opulentam*, & *locupletem*, quaſi opulenta dicatur, quæ affert *opes ſine vexatione*, ſed locuples, *quæ etiam vexationem habet*, ſeu quæ affert opes incommodis annexas.

Not. 4. inter hæreditatem delatam, 2028
jacentem, & aditam, eſſe connexionem cum diſcrimine, nam *delata* dici-

tur,

tur, quando quis eam adeundo conſequi poteſt, L. *delata, ff. de v. ſignif.* & tripliciter defertur, ſcilicet jure hæreditario, ab inteſtato, & jure honorario, id eſt bonorum poſſeſſione; *Jacens* dicitur, quando nondum à quoquam adita eſt, & quamdiu ſine Domino eſt, & ſic apud Ulpianum *L. 1. ff. de bonis poſſeſſ. furt.* dicuntur bona hæreditatis *jacere*, quando jacet vacua ſine dominio; *adita* dicitur, quando acceptatur, quia *adire hæreditatem* nihil aliud eſt, quàm velle illam habere, & in nuda & ſola voluntate conſiſtit, *§. fin. Inſtit. de hæred. qualit. & differ.*

2029 *Not.* 5. Hæreditatem dici *expilatam*, cùm quis committit crimen expilatæ hæreditatis: ſi quis enim (inquit Molina *to.* 3. *D.* 681. *n.* 9.) ex hæreditate, quæ ad ipſum non pertinet, aliquid indebitè uſurpet, ſive hæreditas adhuc jaceat, quia à legitimo hærede nondum eſt adita, ſive ab eo ſit adita, eaque aditione comparaverit dominium, ſed nondum poſſeſſionem illius obtinuerit, is non dicitur *fur* preſsè, neque in pœnas *furti* à jure ſtatutas incidit; ſed incidit in crimen aliud, quod vocatur *expilatæ hæreditatis*, *L. 2. ff. de crim. expil. hæred.* & L. *ult. C. eod. tit.* Deinde *commiſſam*, quando cadit in commiſſum, ſeu quando ex pœna contracta debetur alicui, ſic merces commiſſæ dicuntur, quæ ob non ſolutum vectigal, Publicanorum ſunt factæ.

2030 *Not.* 6. *Cadere hæreditate* idem valere, atque hæreditatem perdere, ut, quando Teſtator ait, *ſi hæres non impleat voluntatem meam, hæreditate cadat*, ita Barboſ. *tr. de diction. dict.* 50. In eadem ſignificatione accipitur, quando dicitur quis *cadere cauſâ*, cùm litem *perdit. L. Stichum §. penult. de ſolut.* quando dicitur *cadere dominio*, cùm dominium amittit; *reſtituere hæreditatem* non eſſe idem, ac ſolvere, L. *non enim. ff. ad Trebell.* ſed, & *reddere*, v. g. quando hæreditas fidei commiſſaria eſt, ut ſumitur ex L. *Cùm hæreditas ff. ad Trebell.* & tunc, ſive reſtituat hæres re ipſa, ſive verbo, ſemper reſtituere videtur.

2031 *Not.* 7. Hæreditatem *avocari*, ſi Teſtator, ut inteſtatus moreretur, incidit tabulas, & hoc approbaverint ii, qui ab inteſtato venire deſiderant; *repudiari*, cùm is, ad quem delata eſt, adire recuſat: nam repudiatur ea tantùm, quæ jam delata eſt *L. 1. §. Decretalis, ff. de ſucceſſ. edict.* Dicitur verò hæreditas *amitti*, quando hæres excluditur ſe ab ea tempore paſſus eſt: Omittens hæreditatem (ut ait Albericus v. *eod.*) non minuit ſua bona, *abſtinere* ſe hæreditate, & *retinere* hæreditatem contraria ſunt, & in iis ſolis ponuntur, qui ſui, & domeſtici hæredes appellantur, nam extranei, vel adire, vel repudiare dicuntur; unde eſt titulus *lib. 6. C. de repudianda*, vel *abſtinenda hæred.* Dicitur etiam *cedere* hæreditatem, qui renunciat; nam verbum *cedere* hac ſignificatione accipitur in c. *quàm periculoſum. 7. q. 1.*

Not. 8. *Erciſcere*, verbum antiquum, 2032 idem eſſe, ac *dividere* (fortè derivatum à verbo *arceo*) eſt, quod in diviſione hæreditatis, altera ab utraque, vel altera arceatur, id eſt ſeparetur. 9. per *viriles partes* in hæreditate intelligi *partes æquales*, quæ ſcilicet pro numero perſonarum, & in capita conſtituuntur, ut tot ſint, quot ſunt & perſonæ, L. 1. §. *nunc tractemus. ff. de tut. & rat. diſt.* per *collationem bonorum* juxta Molin. *tom.* 1. *D.* 237. intelligi collationem in communem bonorum parentis defuncti acervum, ex quo legitima debetur eorum perfectitiorum bonorum, quæ afferentis effecta erantur, cum aliis, tanquam hæres, in eo ſuccedat; hanc definitionem ibidem latè exponit; de hac collatione bonorum eſt titulus in Codice, apud Azon. *in ſum. C. de collat.* dicitur collatio, quaſi in commune latio, & eſt jus, quo res quædam non hæreditaria fit hæreditaria, id eſt, redigitur in commune.

§. 4.

De Legatis, & Fideicommiſſis.

QUæſtio 1. eſt, quid ſit *legatum*? R. 2033 quòd juxta Florentinum in L. *Legatum eſt, ff. de legatis*, 1. ſit delibatio hæreditatis, qua Teſtator exeo, quod univerſum hæredis foret, alicui quid collatum velit, vel juxta Modeſtinum, in L. *legatum, ff. de leg.* 2. eſt donatio, teſtamento relicta; vel, ut latius declarat Juſtinianus §. *Legatum itaque. Inſtit. de legat. Legatum eſt donatio quædam, à defuncto relicta, ab hærede præſtanda*; intellige mediatè, vel immediatè, ut hac definitione contineatur fideicommiſſum particulare, quod Legatarius gravatur alicui alteri dare.

Quæſtio altera eſt, quid ſit *fideicom-* 2034

missum particulare? R. ex Molina *tom.* 1. *D.* 193. quòd hodie fideicommissum *particulare* solùm in hoc à legato, præsè sumpto, differat, quòd, quando verba Testatoris diriguntur ad legatarium (ut, si dicat: *Lego, aut relinquo Petro hoc, vel illud*, dicitur *legatum*; quando verò Testator dirigit ea verba *ad hæredem*, aut hæredes, quibus rogat, aut præcipit, *ut hoc, vel illud dent Petro*, aut cuivis alteri, dicitur *fideicommissum particulare*; Cœterùm in effectu legatum, & fideicommissum particulare omnino æquantur, sublataque est inter utrumque, omnis differentia, ut habetur *§. sed non usque. Instit. de legat.* V. Parlador. *diff.* 17. de discrimine inter legatum & fideicommissum.

2035 Quæstio est 3. Quid sit *prælegatum*? R. hoc dici ex verbo *prælegare*, quod est uni ex hæredibus præter partem hæreditariam, legare, ut sibi præcipuum habeat; unde illa prælegati verba, fuere verba solemnia, *hæres meus præcipito: præcipuum habebo*, unde prælegatum à legato distinguitur 1. quia illud solis hæredibus; hoc verò iis tantùm qui hæredes non sunt, adscribitur 2. quòd illius in hæreditatis restitutione nulla portio restituitur, hujus restituitur, L. *in fideicommissaria*, *ff. ad Trebellian.* Accipitur enim *prælegare* pro eo, quod alicui rem, quæ jam quodammodo ipsius erat, legare: unde prælegari filiæ dos dicitur L. Balbius *ff. de pact. dotal.* item prælegari peculium filio, servoque L. 1. *§. Si servus ff. de except. rei vend.* Dicitur etiam maritus prælegare dotem, cùm eam purè legat, propterea, quòd eam ante solvi jubet, quàm ab hærede debeatur; nam dos olim annua, bima, trima die debebatur tantùm L. 1. *ff. de dot. præleg.* ubi *prælegationes* accipiuntur pro *prælegatis*.

2036 Quæstio est 4. quotuplex sit legatum? R. esse multiplex, ut videri potest apud Molin. *tom.* 1. *D.* 205. nam legatorum quædam sunt *pura*, quædam *in diem*, quædam *sub causa*, legatum purum tum dicitur, quando fit simpliciter non adjecto die, aut tempore futuro, in quo solvendum, neque apposita conditione, modo, demonstratione, aut causa. Legatum in diem tunc dicitur, quando aliquid legatur solvendum in diem, aut tempus futurum post mortem Testatoris, modò talis dies, aut tempus certum sit, alioquin, si dies incertus sit, legatum est conditionale, L. *dies incertus*, *ff. de condit. & demont.*

Quæstio est 5. Quid intelligatur per 2037
legatum *quantitatis*, & legatum *speciei*? *pro resol. not.* per *speciem* apud Juris-Consultos singula corpora significari, *L.* 54. *ff. de verbor. oblig.* separarique interdum in quantitate, id est ab his, quæ pondere, numero, & mensura constant, L. 6. *ff. de cert. pet.* Cùm enim apud Juristas *species* sit idem, atque apud Philosophos *individuum*, tunc datur legatum *speciei*, quando Paulus v. g. legat Petro aliquod certum individuum, v. g. talem equum, tunc datur *legatum* quantitatis, quando legat tot v. g. modios tritici, vel tot pondera sacchari, qui tunc non attenditur *ad hoc numero* triticum, vel ad hoc numero saccharum.

Præter hæc *not.* dari adhuc legata 2038
quæpiam, quæ speciali nomine gaudent, nimirum legatum *annuum*, quod in singulos annos, hoc est omni anno debetur, L. *legatum. §. vini. ff. de ann. legat. Legatum pium*, quod religioni, bonis literis & paupertati relinquitur; Legatum *vendicationis*, seu per vendicationem dicebatur, quod legatarius post mortem Testatoris, non etiam spectato hærede, statim sibi aut præsumebat, aut defunctus ad hæredem ejus transmittebat, unde in eo exspectanda non est traditio hæredis, seu ipse legatarius possessionem accipit, quam *in remissionem* (ut dixit Alciatus) videtur Justinianus appellasse *L.* 1. *in princ. C. com. de leg.* fiebat his verbis: *Stichum servum tibi do, lego*, vel, *illam rem tibi præsume, habe, vendica.* Inter Legatum *operarum*, & *usumfructus* differentia in eo est, quòd sit facti, & ad rem potiùs referatur, ut quàm diu ipsa durat, tam diu debeatur, at ususfructus jus est personæ fructuarii tam conjunctum, ut cum eo extinguatur, & multis aliis casibus intercat, ut capitis diminutione, & non utendo Conan. *lib.* 4. *c.* 1. *n.* 9.

Dicitur autem legatum caducum præ- 2039
ceptionis, præsens, per sinendi modum legatum dulce, integrum &c. *Integrum* dicitur, quod ab hærede traditur absque Falcidiæ detractione; Tuschus *concl.* 297. *n.* 8. Alex. *cos.* 133. *n.* 4. *lib.* 5. Unde si Testator mandet, legata *integra* solvi legatariis, videtur prohibere hæredi detractionem Falcidiæ, ut dicunt citati Authores. *Dulce* dicitur

cadu-

caducum, sic appellatum, quod jucundum est Substituto, legatum caducum accipere, quasi rem minimè speratam; *per sinendi modum*, quod fiebat his verbis: *hæres meus rem illam Titio permitte sumere*; unde hæres tale legatum non tenetur *tradere*; sed vendicanti legatario non permittitur resistere, legatum *præsens* dicitur *purum*, & conditionali oppositum *L. 1. ff. de condit. appos.* Legatum *præceptionis*, non nisi uni ex hæredibus dari potest, ut aliquid ex hæreditate præcipuum habeat; & videtur coincidere cum prælegato; quod, si conjunctim multis, aut divisim singulis relinquatur, omnibus una tantùm res, quæ nominata est, sicut & in Legato vendicationis debetur, *L. si pluribus. ff. de leg. 1.*

2040 *Caducum* legatum (sicut hæreditas *caduca*) dicitur, quod ad Fiscum defertur, vel ad Substitutum, de quo *L. una C. de caduc. tollendis.* Unde caducum Legatum erat, Lege Papiâ, relictum sub conditione quadam deficiente, quod vivo, vel mortuo Testatore, cedebat & redibat, vel ad Testatorem vivum, vel ad Substitutum eo mortuo, unde est *tit. in C. Justin. de tollend. caduc.* variis deinde modis accipitur, & accidit legatum *caducum*. 1. si relinquatur defuncto, quem Testator in vivis esse putabat, aut ei, qui prius, quàm Testator decesserit; 2. quando res, quæ relicta est, atque legata, non invenitur; 3. si graves inimicitiæ inter utrumque oboriantur. 4. si Legatarius legatum respuat. 5. Si conditio, sub qua sit relictum, desit.

2041 Quæstio est 6. quid *Fideicommissum*? Rc. de hoc agi *§. 1. Instit. de Fideicommiss. hæredit.* & sic appellari, quia nullo vinculo juris sed tantùm pudore eorum, qui rogabantur, continetur, dicuntur igitur fideicommissa, quæ demandantur fidei hæredis, restituenda alteri, quæ licet pendeant à fide hæredum (unde sumpsêre nomen) tamen S. Augustinus ea ad juris necessitatem retracta dixit, ne humanæ perfidiæ locus esset; fiunt verbis precariis, erga gravatum; qualia sunt, *rogo, peto, volo, mando, deprecor, cupio, injungo, desidero, impero, §. fin. Instit.* de singulis rebus per *fideicomm. relict.* Fideicommissorum alia sunt *universalia*, hoc est ad hæreditatem pertinentia, quibus patrimonium, vel ejus partem, hæres alii restituere cogatur; alia *particularia*, seu singularia, quæ ita vocantur, quia sunt rerum singularium *L. 1. commun. de leg.* Ex his etiam habetur, quòd literas fideicommissaria sit illa, quam Testator non directè impertit, sed per manumissionem alterius, vel hæredis, vel Legatarii, cujus fidei commisit; *Fideicommissaria hæreditas* dicitur, quam alii restituere hæres rogatus est; *Fideicommissarius* is, cui ea hæreditas restituitur, qui Trebellianus *Fideicommissarius* appellatur *l. 15. §. 1. ff. ut leg. seu fideicom. nom.* causa.

Quoniam verò in hac materia com- 2042
muniter etiam fit mentio *quartæ Falcidiæ*, & *quartæ Trebellianicæ*, quarum illa in Legatis, hæc in fideicommissis locum habet, notandum, quòd *Falcidia*, de cujus expositione latè Molina *tom. 1. D. 213.* dicitur in jure illa quarta pars, quam hæredes, beneficio legis *Falcidiæ* retinent ex Legatis, si fortè amplius dotrante in iis consumptum est à Testatore, nam in bonum Testatoris, ut hæres invitaretur ad adeundam hæreditatem, statuit lex, ut hæredes, non obstantibus Legatis, possint sibi retinere quartam partem bonorum defuncti, ita, ut si hæreditas tota legatis foret exhausta, detrahere possent de legatis quartam partem: si verò hæredibus aliquid remaneret, sed non integra quarta pars, detrahere pro rata possent à legatis, quod deesset, ut ipsis quarta pars bonorum defuncti remaneret; quòd, si quarta pars, aut aliquid amplius ipsi remaneret, integra solvere legata tenerentur, appellatur *lex* illa *Falcidia* à Falco, hujus remedii inventore, *Instit. de leg. Falcidia & C. ac ff. ad L. Falcidiam.*

Similiter quarta *Trebellianica*, quam 2043
exponit Molina *tom. 1. D. 187.* (& modò sic appellatur Pegasiana) olim fuit. Nam Pegasiano S. C. institutum est, ut qui fideicommissum, sive universale, sive particulare restituere deberet, quadrantem sibi retinere posset, *§. sed quia de fideicom. har.* unde facilè innotescit id, quod ex Falcidia est in legatis, Pegasianum esse in fideicommissis; nam sicut hæres, in cujus hæreditate plus dodrante legatum est, usque ad quadrantem integrum retinere potest, eodem modo is, qui plus dodrante (continet dodrans novem uncias) sive multis reddere sit rogatus, quartam sibi retinere poterit. V. Parlad. *diff.* 20. de discrimine inter Falcidiam & Trebellianicam.

2044 Quæstio est 7. quid intelligatur per transmissionem Legatorum? & quando dies legati cedat? ad 1. R. quòd, sicut datur transmissio hæreditatis ad hæredes instituti, quando hic post aditam hæreditatem mortuus est; ita detur transmissio Legatorum ad hæredes Legatarii, quando hic post aditam hæreditatem mortuus est, & de hac transmissione agit Molina *tom.* 1. *D.* 181. Unde nihil aliud per eam significatur, quàm quòd mortuo legatario, si eo adhuc vivo dies cessit, legata ipsi facta transeant ab ejus morte ad hæredes.

2045 Ad 2. R. à Juris-Consultis tunc dici *cedere diem*, quando incipit obligatio seu quando incipit, *deberi*, v. g. pecuniam, legatum, &c. sic Ulpianus, L. *si quis.* 13. *ff. de operis libert.* sic igitur *cedere diem in legato solvendo ad certum diem*, dicetur, quando talis dies effluxit, & Legatum deberi cœpit. De hoc aliquid dicitur L. 1. de legatis annuis, vel fideicommissis ibi: *si competenti Judici annua legata, vel fideicommissa, tibi relicta, probaveris ab initio cujusque anni exigendi ea, habebis facultatem*; sed hoc procedit, quando terminus designatus est, ex quo legatum debeatur. Cœterùm omnia, quæ testamentis sine die, vel conditione adscribuntur, ex die aditæ hæreditatis præstanda sunt, ut habetur L. *omnia* 32. *ff. de legatis* 2. hoc autem potius significat *diem venire*, quàm *cedere.*

2046 Unde Glossa in dictam L. *omnia*, *cit. D.* notat ex Baldo, quadruplicem *cessionem legatorum* considerari posse, primam, *quoad transmissionem*, L. *unic. §. 5. C. de caduc.* Secundam, *quoad dominii translationem L. 86. §. 2. sup. de leg.* 1. Tertiam, *quoad actionem nascentem*, quartam *quoad præstationem*, *& lit. E.* (postquam in L. *omnia* dictum est, *dicta legata ex die hæreditatis aditæ deberi*) subjungit;) *ante igitur non debentur legata* (quod sonat, *ante diem non cedere*) *nec præstantur*; quod improbat ante aditam hæreditatem, *diem non venire.*

2047 Porrò in L. *unic.* §. 5. hìc habetur: *In novissimo autem articulo, ubi propriè caduca fiebant, secundùm quod prædiximus, etiam clausis tabulis tam existere hæredes, quàm posse adire, sive ex parte sint, sive ex asse instituti, censemus, & dies legatorum, & fideicommissorum* (secundùm quod prædiximus) *à morte defuncti cedere; hæreditatem enim, nisi fuerit adita, transmitti, nec veteres concedebant, nec nos patimur, exceptis videlicet liberorum personis, de quibus Theodosiana lex super hujusmodi casus introducta loquitur: his nihilominus, quæ super his, qui deliberantes ab hac luce migrant, à nobis constituta sunt, in suo robore manseris*; *lex verò* 86. §. 1. sic loquitur: *Si tibi homo, quem pignori dederas, legatus ab alio fuerit, actionem ex testamento habebis adversus hæredem, ut pignus tuatur*; hæc, cùm spectent potissimùm ad significationem juridicam vocum, & terminorum, quorum notitia spectat ad rectam intelligentiam legum in hac natura disponentium, quarum usus frequenter occurrit, præmittenda duximus, potissimum desumpta ex Elucidario Patris Benedicti Pereyra *l.* 2. *Eluctdat.* 15. *sect.* 1. *& seqq.*

ARTICULUS III.

De Solennitatibus jure requisitis in Testamento.

2048 ULtima voluntas hominis cum directa hæredis institutione, vel scriptò, vel nuncupatione, seu viva voce declarata à Testatore, testamentum dicitur, & quidem *solenne*, seu *perfectum*, si simul habeat solennitates de jure adhibendas; &, si iis careat, *non solenne* appellatur; quamvis earum defectus in certis quibusdam casibus, privilegio suppleatur (quæ perinde vim habent, ac ea, quæ perfecta sunt, & solennia. Ex hoc autem apparet, testamentum *solenne*, aliud est *scriptum*, seu in Scripturam reductum; aliud *nuncupativum*, aliud *privilegiatum.*

§. 1.

De solenni Testamento in Scriptis.

2049 QUantum spectat ad solennitates jure civili exigitas ad testamentum in Scriptis ad hoc, ut sit *perfectum*, secluso privilegio eximente à solennitatibus, vel omnibus, vel aliquib°, ut constabit ex seqq. Potissimùm attendenda est lex. *Hac consultissima.* 21. *C. h. t.* Illa autem sic loquitur:

hâc

hâc consultissimâ lege sancimus, licere per scripturam conficientibus testamentum, si nullum scire volunt, ea, quæ in eo scripta sunt, consignatam, vel ligatam, vel tantùm clausam, in volutamque proferre scripturam, vel ipsius testatoris, vel cujuslibet alterius manu conscriptam, eamque rogatis testibus, septem numero, civibus Romanis, puberibus, omnibus simul, offerre signandam, & subscribendam: dum tamen testibus præsentibus, testator suum esse testamentum dixerit, quod offertur, eique ipse coram testibus, suâ manu in reliqua parte testamenti subscripserit: quo facto, & testibus uno, eodemque die, ac tempore subscribentibus, & consignantibus, testamentum valere, nec ideo infirmari, quòd testes nesciant, quæ in eo scripta sunt testamento, quòd si literas testator ignoret, vel subscribere nequeat, *octavo subscriptore pro eo adhibito,* eadem servari decernimus, in omnibus autem testamentis, quæ præsentibus, vel absentibus testibus *dictantes,* superfluum est, *uno, eodemque tempore* exigere testatorem, & testes adhibere, & dictare suum arbitrium, & finire testamentum; Sed licet alio tempore dictatum, scriptumve proferatur testamentum: sufficit uno tempore, eodemque die, nullo actu extraneo interveniente, *testes omnes,* videlicet *simul, nec diversis temporibus,* scribere, signareque testamentum, *finem autem testamenti subscriptiones, & signacula testium esse decernimus, non subscriptum autem à testibus, ac non signatum testamentum pro infecto haberi convenit.* Ex *imperfecto* autem testamento, *voluntatem tenere defuncti, (nisi inter solos liberos à parentibus utriusque sexûs habeatur) non volumus.* Si verò in hujusmodi voluntate liberis alia *sit extranea mixta persona:* certum est, eam voluntatem defuncti, *quamtum ad illam duntaxat permixtam personam,* pro nullo haberi, sed liberis adcrescere.

2050 Ex hoc textu deducitur, ad testamentum *solenne scriptum,* dispositione juris civilis, tanquam 1. solemnitatem exigi, *ut expressis verbis hæres instituatur, ac ejus nomen,* vel propriâ manu Testatoris in eo scribatur, vel, si testamentum aliena manu subscriptum sit, Testator ei manu probriâ subscribat coram testibus, vel, si ipse scribere nesciat, octavum testem adhibeat, qui nomine, & locò illius subscribat, & sub hoc illud ipsum sive propriâ manu Testatoris, vel alienâ manuscriptum (etiam clausum) ostendat testibus, eisque dicat, *in eo contineri suam ultimam voluntatem.* Circa istam solennitatem *not.* 1. quando ipse Testator testamentum, atque adeo Nomen hæredis, manu propriâ scribit, & subscribit, cum expressione, quòd ipse manu suâ per totum scripserit, non requiri octavum testem, ex claro juris textu, ibi: (*sancimus, si quis sua manu totum testamentum, vel codicillum conscripserit, & hoc specialiter in scriptura reposuerit, quod hoc sua manu confecit, sufficiat ei totius testamenti scriptura*) relato ab Hannoldo *tom. 2. tr. 6. n. 19.* & habitur L. *cum antiquitas* 28. C. de Testament. 3. *cùm autem* 1. ubi attitur, *& non jam alia subscriptio requiratur, neque ab eo, neque pro eo ab alio.*

Altera solennitas est, quod adhi- 2051
beantur *septem testes, idonei, ad hoc rogati,* seu vocati, & invitati, ut habetur in dict. L. *hæc Consultissima,* ibi. *eamque rogatis testibus, septem numero,* & L. *Hæredes.* 21. ff. qui testamentum facere possunt ibi. *in testamentis, in quibus testes rogati adesse debent, ut testamentum fiat;* debere autem illos esse *idoneos,* igitur tum ab exemplo legis ibi: *Civibus Romanis;* tum ex natura actûs testificandi, ex hoc habetur 1. servos non esse testes idoneos in testamento, L. *qui testamento* 20. ff. qui testamentum facere, §. ibi: *servus quoque meritò ad solennia adhiberi non potest;* nec impuberes cùm expresse textus requirat *puberes,* nec furiosos, surdos, mutos, prodigos, damnatos ob crimen famosum §. *possunt* 5. Instit. de testament. ordinand. nec mulieres, per L. *qui testamento* 20. §. 6. ibi: *mulier dicere testimonium in testamento quidem non poterit:* nec ipsum hæredem, per cit. L. *qui testamento* ibi: *qui testamento hæres instituitur, in eodem testamento testis esse non potest; quod in legatario, & in eo, qui tutor scriptus est, contra habetur; hi enim testes possunt adhiberi, si aliud eos nihil impediat, ut puta, si in potestate sit testatoris;* ex quo habetur Legatarium, ac eum, qui Tutor scriptus est, posse testem testamentarium esse.

2052 Sed propter postrema verba (*si in potestate sit testatoris*) sequitur, excludi ab idoneitate testis in testamento ejus, qui sunt sub Testatoris potestate, ubi tamen §. 1. subjungitur: *potestatis verbum non solùm ad liberos, qui sunt in potestate, referendum esse; verùm etiam, ad eum, quem redemit ab hostibus, quamvis placeat, hunc servum non esse; Sed vinculo quodam retineri, donec pretium solvat*, quibus §. 3. subjungitur: *quæ autem in testamento diximus, super perhibendis testimoniis eorum, qui in potestate sunt, in omnibus testimoniis accipias, ubi aliquid negotii geritur, per quod acquiratur.* Ex quo per contrarium colligitur, *& Patrem ejus, qui de Castrensi peculio potest testari*, testem esse posse, & ejus fratrem, ut habetur ibid: §. 1. Sed de hoc V. in seqq.

2053 Monachi autem, & Religiosi (in Pirhing. h. t. n. 3.) licet aliàs in jure æquiparentur servis, possunt esse testes in testamento cum licentia superioris sui, pro quo citat Julium Clarum. §. *Testamentum* 55. *n.* 7. In hoc ei, quòd possint esse legitimi testes in testamento cum sui superioris assensu, omninò assentior; quoad alterum verò (*quòd aliàs in jure æquiparentur servis*) sic indefinitè prolatum, videtur negandum; nam ex eo, quod dispositione juris unus, vel alter actus negetur Monachis, aliisque Regularibus, qui etiam negantur servis, non rectè videtur indefinitè dici eos *æquiparari servis*, cùm longe plures prærogativas habeant; quarum nec una in jure conceditur *servis*, de quo plura dixi *lib.* 2. *tit.* 1. de judiciis. Dicitur etiam communiter, *Domesticos Testatoris*, vel *Hæredis*, non posse testes esse in testamento, ratio sumitur ex §. *In testibus.* 9. Instit. de testam. ordinand. ibi: *in testibus autem non debet esse is, qui in potestate testatoris est, sed si filius familias de Castrensi peculio post missionem faciat testamentum, nec Pater ejus rectè adhibetur testis, nec is, qui in potestate ejusdem Patris est, reprobatum est enim in ea re domesticum testimonium*, & §. 10. ibi: *neque hæres scriptus, neque is, qui in potestate ejus est, neque pater ejus, qui eum habet in potestate, neque fratres, qui in ejusdem Patris potestate sunt, testes adhiberi possunt*, quia hoc totum negotium, quod agitur testamenti ordinandi gratia creditur hodie inter testatorem, & hæredem agi.

Ad hoc exponendum not. *Domesticorum* nomine hic solùm venire illos, quorum alter in alterius patria potestate, vel ambo in patria potestate tertii sunt, adeoque filius familias non potest esse testis in testamento Patris, nec econtra; nec frater in testamento fratris sub eadem secum potestate constituti; non ergo arcentur à testimonio maritus, frater emancipatus, libertus, socius, famulus conductus, quæ omnia colliguntur ex juribus proximè relatis, unde dictum, quòd Pater ejus, qui de Castrensi peculio potest testari, in testamento ipsius testem esse posse, imò, & fratrem illius, intelligendum venit, *si sint extra patriam potestatem*, secùs, si testator, & frater ejus sint sub patria potestate, tum enim nec Pater ejus, nec frater in alterius fratris testamento testis idoneus est, prout colligitur ex dictis §. §. & etiam ex §. 10. Instit. de testam. ordin. ibi, *Licet autem veteres hæredi, & iis, qui per potestatem ei conjuncti fuerant, concedebant testimonia instrumentis præstare* (esto suaderent, ne hoc jure abuterentur) *tamen nos eandem observationem corrigentes, & quod ab illis suasum est, in legis necessitatem transferentes, ad imitationem pristini familiæ emptoris, meritò, nec hæredi* (qui imaginem vetustissimi familiæ emptoris obtinet) *neque aliis personis, quæ ei* (ut dictum est) *conjunctæ sunt, licentiam concedimus, sibi quodammodo testimonia præstare, ideoque nec ejusmodi veteres constitutiones nostro Codice inseri permisimus.* 2054

Tertia solennitas est, ut omnes, & singuli testes nomen suum subscribant propriâ manu, per L. *singulos* 30. ff. qui testamentum facere, ibi: *Singulos testes, qui in testamento adhibentur, proprio chirographo adnotare convenit, quis, & cujus testamentum signaverit*, deinde, idem, subsignent annulo, characteres habente sive suo, sive alieno, etiam à testatore accepto, per L. *ad testium* 22. ff. eod. ibi: *si ab ipso testatore annulum accepero, & signavero, testamentum valet, quasi alieno signaverim*, & §. *possunt autem* 5. Instit. de test. ordin. ibi: *possunt autem omnes testes, & uno annulo signare testamentum*, 2055

quid

quid enim si septem annuli una sculptura fuerint, secundùm quòd Papiniano visum est? *sed & alieno quoque annulo licet signare testamentum.* Hæc porrò subscriptis, & subsignatio fieri debet *conjunctim*, hoc est ita, ut non sufficiat sola subscriptio sine obsignatione, & vicissim; aliàs enim testamentum habetur pro infecto, ut constat ex L. Hac consultissima, de qua *n.* 2049. & cit. L. *ad testium §. si quis* 4. ibi: *si quis ex testibus nomen suum non adscripserit, veruntamen signaverit, pro eo est, atque si adhibitus non esset, & si,* (ut multi faciunt) *ad scripserit se, non tamen signaverit, adhuc idem dicemus,* ubi §. 5. subjungitur, *signum autem, utrum annulo tantùm impressum adhibemus, an verò, & si non annulo, verùm alio quodam impresso* (variè enim homines signant) *& magis est, ut tantùm annulo quis possit signare: dum tamen habet formam, insculptamque signis imaginem,* & §. 6. *posse & nocte signari testamentum, nulla dubitatio est.* Ubi autem signa turbata fuerint à Testatore, non videri signatum, cit. L. ad testium. §. 3.

2056 Quarta solennitas requisita ad testamentum in scriptis, est, ut totum negotium testandi peragatur uno eodemque loco, & tempore, unoque contextu, id est, nullo actu alieno, sive extraneo (qui ad testamenti factionem non pertineat) interveniente, nisi ob urgentem necessitatem ad modicum intervallum interruptis aliqua facta sit, ea enim non obest cit. L. *hac consultissima*, de qua n. 2049. & L. *cùm antiquitas* 28. de testament. ibi: *si quid autem necessarium intervenerit &c.* & L. *Hæredes* 21. §. *fin.* ff. qui testamentum facere, &c. ibi: *uno contextu actus, testari oportet:* est autem uno contextu, nullum actum alienum testamento intermiscere, quòd (si) aliquid pertinens ad testamentum faciat, testamentum non vitiatur. Præter hæc not. non requiri ad testamentum in scriptis quòd testes sciant contenta in scriptura, quis hæres institutus? quis legatarius? &c. constat ex L. hac Consultissima in *n.* 2049. not. 2. testamentum conscribi posse, vel propriâ manu testatoris, vel alienâ de ipsius voluntate, L. cit. *Not.* 3. quando dicitur testes debere esse *rogatos*, & alterius rei causâ rogatos ad testandum non esse idoneos, sic accipiendum esse, ut, licet ad aliam rem sint rogati, vel collecti, si tamen ante testimonium certiorentur ad testamentum se adhibitos: posse eos testimonium suum rectè perhibere, ut habetur L. *Hæredes* 21. ff. qui testamentum facere. §. *in testamentis* 2.

Not. 4. etsi requiratur, quod testa- 2057
tor testibus præsentibus testamentum subscribendum, & signandum offerens, dicat, *in ea scriptura contineri suam ultimam voluntatem*, non propterea testamentum infirmari, quod testes nesciant, quæ in illa contineantur, vel scripta sunt, L. *hac consultissima. Not.* 5. quando dicitur, uno contextu (sine interventu actûs extranei non necessarii) debere fieri testamentum, intelligi *de actu testium* ut colligitur ex dictis; non autem de actu scribendi testamentum simul cum subscriptione, & subsignatione testium, ex L. *Hac consultissima* in n. cit. *Not.* 6. si testamentum, quod resignaverit testator, iterum signatum fuerit septem testium signis, non fore imperfectum; Sed utroque jure valiturum, tam civili, quàm prætorio, per L. *si testamentum* 23. ff. qui testamentum facere; *Not.* 7. unum testamentum pluribus exemplis consignare quem posse, idque interdum necessarium esse, fortè, si navigaturus, & secum ferre, & relinquere judiciorum suorum testationem velit, per L. *unum* 24. ff. eod. *Not.* 8. eundem, qui testimonium alterius conscripsit, in eo posse testem esse per L. *Domitius.* 27. ff. eod.

§. 2.

De Solenni testamento nuncupativo.

DE testamento nuncupativo agitur L. 2058
hâc consultissimâ 21. C. de testam. §. *per nuncupationem* 2. ibi: *per nuncupationem quoque, hoc est, sine scriptura, testamenta, non aliàs, valere sancimus, quam, si septem testes ut supra dictum est, simul, uno, eodemque tempore collecti, testatoris voluntatem, ut testamentum sine scriptura facientis, audierint.* & L. *in testamentis.* 26. C. eod. ibi: *in testamentis sine scriptis faciendis omnem formalem observationem penitus amputamus, ut postquam septem testes convenerint, satis sit, voluntatem testatoris, vel testatricis, simul omnibus manifestam significantis, ad quos substantiam suam pervenire velit, vel quibus legata dare, vel fidei-*

fideicommissa, vel libertates disponere, etiamsi non ante hujusmodi dispositionem prædixerit testator, vel testatrix illa formalia verba, ideo eosdem testes convenisse, quòd sine scriptis suam voluntatem, vel testamentum componere censuit,) ac demum §. *fin.* Instit. h. t. ibi: sed hæc quidem de testamentis, quæ *scriptis* conficiuntur, sufficiunt: *si quis autem sine scriptis voluerit ordinare jure civili testamentum, septem testibus adhibitis, & sua voluntate coram eis nuncupatâ, sciat hoc perfectissimum testamentum, jure civili, firmumque constitutum.*

2059 Ex his colligitur, ad solenne testamentum *nuncupativum* non requiri tot solennitates, quam in testamento solenni, quod conficitur *in scriptis*; requiri tamen, quòd testator suam ultimam voluntatem tam circa hæredis institutionem, quàm legata, & alia, palam, distinctâ voce (nimirum ut intelligi possit) coram septem testibus idoneis (prout exposuimus supra) simul uno, eodemque tempore declaret, quin ad hoc opus sit speciali verborum formâ; prout ordinavit Constantinus Imperator L. *quoniam* 15. C. de Testam. ibi: *quoniam indignum est, ob inanem observationem irritas fieri tabulas, & judicia mortuorum: placuit, ademptis his, quorum imaginarius usus est, institutioni hæredis verborum non esse necessariam observantiam, utrum imperativis, & directis verbis fiat, aut inflexis, nec enim interest, si dicatur: hæredem facio, vel instituo, vel volo, vel mando, vel cupio, vel esto, vel erit; sed quibuslibet confecta sententiis, vel in quolibet loquendi genere formata institutio valeat, si modò per eam liquebit voluntatis intentio, nec necessaria sunt momenta verborum, quæ fortè feminecis, & balbutiens lingua profudit, & in postremis; ergo judiciis ordinandis amota erit solennium verborum necessitas, ut qui facultates proprias cupiunt ordinare, in quacunque instrumenti materia, conscribere, & quibuscunque verbis uti, liberam habeant facultatem.*

2060 Colligitur 2. non obstare testamento nuncupativo, si, postquam ritè factum est, redigatur in scripturam, solùm memoriæ, ac facilioris probationis causâ 13. non requiri, quòd testes subscribant, cùm scriptura possit omnino abesse 14. potissimam differentiam testamenti nuncupativi à scripto consistere in eo, quòd de illius essentia sit hæredis nuncupatio, seu manifestatio, qua indubitanter hæres innotescat testibus, quod quidem communiter fit, si testator voce articulatâ proferat nomen hæredis, sive deinde nomen proprium exprimat, sive alio modo circumscribat, ut intelligatur, de quo loqui velit; sufficeret etiam, si in præsentia testium, propria manu hæredem illis spectantibus scriberet, vel prius scriptum, legendum exhiberet, & indubitabilibus signis indicaret, hunc se velle hæredem esse; nam esto testamento in scriptis condito non officiat, quòd hæredis nomen manifestetur testibus; id tamen non esse de substantia, seu essentia illius testamenti solennis, ut constat ex L. *Hac Consultissima* cit. supr. n. 2049.

Difficultas est, an testes in testamento *nuncupativo* requisiti, debeant esse rogati, sicut supra requiri diximus in solenni testamento *in scriptis*? affirmativam, tanquam probabiliorem, sequitur Pirhing. h. t. n. 6. juxta authent. *Rogati* C. de Testibus, quæ generaliter, & indistinctè ait, *testes debere esse rogatos*, accedente Glossa in §. *ult.* Instit. h. t. v. *adhibitis*: non desunt tamen, qui hoc negent, desumpto argumento ex L. *In testamento* 26. C. h. t. ibi: *etiamsi non antè hujusmodi Dispositionem prædixerit testator, vel testatrix illa verba formalia: ideo eosdem testes convenisse, quòd sine scriptis suam voluntatem vel testamentum componere censuit.* 2061

Altera difficultas est, an defectus istarum solennitatum aliquando suppleri possit, v. g. privilegio, vel ultimam voluntatem suam declarando apud acta, aut precibus Principi oblatis? R. quòd sic, & primum de privilegio constabit dicendis, reliqua verò ex L. 19. C. de Testament. ibi: *omnium testamentorum solennitatem superare videtur, quòd insertum meritá fide precibus, inter tot nobiles, probatasque personas, etiam conscientiam Principis tenet*; sicut ergo securus erit, qui actis cujuscunque Judicis, aut municipium, aut auribus privatorum mentis suæ postremum publicavit judicium: ita nec de ejus unquam successione tractabitur, qui nobis mediis, & toro jure (quod in nostris est scriniis constitutum) teste succedit. 2061

Tertia

2063 Tertia difficultas eſt, an de ſubſtantia teſtamenti ſolennis ſit, ut citetur annus, menſis & dies? R. quòd non, nam id nullo jure cautum eſt, ut conſtat ex legibus hactenus allatis, præſertim L. *Hac Conſultiſſima.* Suadendum tamen eſt omnino; quia, cùm quandoque homines plura conficiant teſtamenta, nec rarò in poſteriori mutent, quæ in priori diſpoſuerunt; interdum etiam quoad ipſam hæredis inſtitutionem, ſi à morte Teſtatoris producantur plura ejuſmodi teſtamenta, nec conſtare poſſit aliunde, quod prius, quod poſterius ſit? (hoc enim illi derogat) ad cavendas multiplices lites, perquam utiliter fiet, ſi annus, menſis, & dies apponatur; ex hoc enim ſtatim reſolvi poterit, cui ex pluribus, tanquam poſtremæ Teſtatoris voluntati, ſit deferendum?

2064 Propter hanc cauſam in teſtamento *imperfecto*, inter liberos, ea expreſſio exigitur in *authent. Quod ſine C. h. t.* ibi: *quod ſine ſcriptione ita procedit, ſi parens literas edoctus, manu propria, non ſignis, ſed literarum conſequentia declaret, & tempus, & liberorum nomina, item, & unciarum numerum, ſeu ſigna rerum ſpecialium.* Dubitari autem poteſt, an in hoc teſtamento expreſſio *temporis*, &c. ſit forma ſubſtantialis? an merè probatoria? R. cùm in Novella 107. (ex qua deſumpta eſt authentica, *quod ſine*) non fiat mentio, niſi *ad cavendas lites inter liberos, & tollendam dubitationem probationis*, non exigi tanquam formam ſubſtantialem, ſed potius *merè probatoriam.*

§. 3.

An teſtamentum ſine præſcriptis ſolennitatibus conditum, etiam in foro conſcientiæ ſit nullum?

2065 CAſus eſſe poteſt: Cajus condidit teſtamentum, & hæredem inſtituit *Titium*, ſed prætermiſit ſolennitates jure civili neceſſarias, idque ſine ullo privilegio, eximente illum ab onere ſervandi ſolennitates; mortuo Cajo Sempronius, qui jure vocatur ab inteſtato ad capiendam Caji hæreditatem, ſciens, Titium à Cajo hæredem inſtitutum, opponens nullitatem teſtamenti, *ſine ſolennitatibus conditi*, repellit Titium, & tanquam hæres ab inteſtato occupat bona defuncti. In hoc caſu quæſtio eſt, an bonâ conſcientiâ Sempronius excludat Titium? & hic pariter in conſcientia obligetur hæreditatem relinquere Sempronio, licet certus ſit fuiſſe ultimam defuncti voluntatem, ut ipſe Titius, quem expreſsè hæredem inſtituit, haberet hæreditatem? quæſtio igitur eſt, an defectus ſolennitatum irritet teſtamenta ſine illis condita, ſecluſo privilegio, ut non tantùm in foro externo, ſed etiam interno, ſeu foro animæ ſint nulla, ſic ut perinde ſe habeant, ac ſi nullum teſtamentum à defuncto conditum extaret?

Tota difficultas reſolvitur in hanc quæ- 2066
ſtionem, an Legislator irritans teſtamentum nec ſolenne, nec privilegiatum, ſic irritet, ut ne quidem in conſcientia jus tribuat hæredi per tale teſtamentum inſtituto, vel obligationem imponat hæredi ab inteſtato? variæ ſunt Authorum opiniones in hac materia, de qua jam aliquid egimus *lib. 2. tit. 23. de Præſumptionib. à n.* 1962. ubi agitur de quæſtione, qualiter obliget lex fundata in præſumptione? Prima porrò ſententia cenſet hujuſmodi teſtamentum non ſolenne, nec privilegiatum, valere in conſcientia, conſequenter hæredi ex eo inſtituto tribuere jus in foro conſcientiæ, & hæredi ab inteſtato obligationem, illum non repellendi à capienda hæreditate; pro hac ſententia ſtant plures Theologi apud Haunold. *tom. 2. de juſt. tr.* 6. *n.* 29. ubi citantur etiam Molina, Leſſius, Wadingus, & Legiſtæ, Jaſon, Julius Clarus, Sichardus, & alii; altera ſententia ſequitur negativam, pro qua ibidem referuntur Bonacina, Becanus, Dicaſtillo, & alii, quorum opinionem tanquam probabiliorem ſequitur etiam Haunoldus *loc. cit. n.* 30.

Ratio negantium eſt, quia, quando- 2067
cunque verba legis ſunt abſolutè irritantia contractum aliquem, & non explicant alibi, *ſi nolle tollere obligationem naturalem*, tunc cenſenda ſunt etiam pro foro interno irritare; atqui teſtamentum inſolenne, hoc modo irritatur, ergo, *Min. prob. ex L. Hac Conſultiſſima* ſuperius recitata, in qua poſt deſcriptas ſolennitates hæc ſubjunguntur: *Ex imperfecto autem teſtamento, voluntatem tenere defuncti (niſi inter ſuos liberos à parentibus utriuſque ſexûs habeatur) non volumus.*

Si verò hujusmodi voluntate liberis alia sit persona extranea mixta, certum est eam voluntatem defuncti, quantum ad illam duntaxat permixtam personam, *pro nullo haberi*, sed liberis accrescere; nam ex his verbis clarè habetur: voluntatem defuncti nullam esse; consequenter & testamentum; cùm id stare nequeat sine voluntate Testatoris, igitur nullum jus ex ejusmodi Testatoris voluntate, ac testamento tribuitur hæredi ex eo instituto.

2068 Pro *resol. suppon. ex dict. l. 2. tit. 23. de præsumpt. n.* 1979. in utroque foro locum esse sacris Canonibus irritantibus absolutè aliquem actum, contractum, aut dispositionem sine præscriptis solennitatibus, quando procedunt ex præsumptione, quòd illis omissis communiter deficiat aliquid, sine quo nec jure naturali subsistit actus, contractus, vel talis dispositio, licet quandoque contingat in aliquo particulari defectu, non intervenire talem defectum; secundò ex n. 1980. quando absolutè irritant ex præsumptione communis periculi gravium peccatorum, si actus sine solennitatibus debitis celebratus valeret: Tertiò ex n. 1981. ibid. Si ex ejusmodi præsumptione subditum reddit inhabilem ad celebrandum aliquem actum sine præscriptis solennitatibus: Quartò ex ibid. dictis n. 1982. quando lex procedens ex generali præsumptione decernit aliquem actum etiam vel sine talibus circumstantiis habendum, vel censendum esse validum, vel invalidum legi non esse locum in foro conscientiæ, ubi constat etiam in casu particulari de veritate, nimirum interveniisse omnia, quæ ad illius valorem naturaliter requiruntur; quibus positis:

2069 R. ad quæstionem propositam, si certò constet de voluntate Testatoris ex testamento etiam non solenni, nec privilegiato, hæredi instituto per hoc tribui jus in foro poli, & obligationem hæredi ab intestato, consequenter voluntatem defuncti ex lege civili testamentum non solenne, nec privilegiatum irritante non esse naturaliter nullam, quamvis per Judicis sententiam hæres, institutus ex testamento cogi possit ad cedendam hæreditatem alteri ab intestato, si nulla fraus, aut deceptio in ea institutione intervenit; nam tali casu (nimirum ante Judicis sententiam) non est locus dispositioni talis legis in foro poli, cùm solùm decernat, defuncti voluntatem, consequenter ejus testamentum *habendum*, seu *censendum* in tali casu esse invalidum, ut constabit ex seqq. & ita tenent communiter Theologi, ut notavimus in prima sententia, & diximus lib. 2. n. 1985. id quod etiam tradunt alii ibid. relati. n. 1969.

Confirmari hoc potest ex eo, quia 2070
hæres Fiduciarius tenetur ei hæreditatem consignare, cui voluit Testator, si ei constet de voluntate Testatoris, esto ea voluntas careat præscriptis alioquin solennitatibus, ut dicitur L. *si utiliter*, & L. *quæstionem*, *C. de fideicommiss.* ibi: *Si Testator fidei hæredis sui commisit, ut vel hæreditatem, vel speciale commissum restituat, & neque ex Scriptura, neque ex quinque testium numero possit res manifestari, tunc si hæres perfidia tentus adimplere fidem recusat, negando rem ita esse subsecutam, si Fideicommissarius jusjurandum ei detulerit, cùm prius ipse de calumnia juraverit, necesse eum habere, vel jusjurandum subire, quod nihil tale à Testatore audiverit, vel recusantem ad fideicommissi, vel unviversalis, vel specialis solutionem coarctari, ne depereat ultima voluntas Testatoris fidei hæredis commissa*; ergo idem erit in testamentis.

Si dicas 1. per hanc legem plus probari, 2071
quàm intendatur; probatur enim etiam pro foro externo non requiri ultimatè illas solennitates, sed illis deficientibus offerri posse juramentum hæredi ab intestato, *sibi non constare, nec se audivisse à defuncto, quasi vellet alium esse hæredem*, quod tamen adversarii non admittunt, nec in praxi observatur. Dices 2. illas leges non loqui de testamento, & hæredis institutione, sed de fideicommissis, in quibus, quia Testator fidei hæredis, vel legatarii committit aliquid solvendum, vel restituendum, tunc etiam deficientibus solennitatibus statur fidei ejusdem hæredis, vel ejus, qui solvere debet, qui delato juramento, si fateatur eam fuisse defuncti voluntatem, solvere compellitur: si verò jurare renuat, pro confesso habetur. Ratio autem cur hoc specialiter statuatur in fideicommissis, redditur in ipsis legibus ex ethymologia nominis, quia Fidejussorum cunabula à fide hæredum pendent, & tam nomen, quàm substantiam acceperunt.

Confir-

Confirmari potest ex L. *non dubium C. de testament.* ibi: *qui ex testamento, vel ab intestato hæres extiterit, etsi voluntas defuncti circa legata, seu fideicommissa, seu liberalitates legibus non sit subnixa, tamen si suâ sponte agnoverit, implendi eam necessitatem habeat.*

2072 Ad 1. ℟. neg. Sequelam; nam ex hoc, quòd leges talem defuncti voluntatem non irritent, non tantùm pro foro animæ, sed etiam pro foro externo; fundatur in eo, ut fatentur Contrarii, quòd Testator id fidei hæredis committat; cùm ergo id non contingat in hæredis institutione, non rectè infertur, quod de fideicomissis dictũ est, in ordine etiam ad forum externum, sequi etiam de testamentis, quoad forum externum. Sufficiens ergo discrimen est, quòd negetur hæredi instituto pro foro externo, quod pro eodem foro ex dictis legibus concedatur hæredi fideicommissario; quamvis pro utroque in ordine quoad forum internum teneat paritas. Hinc sicut hæres fiduciarius in foro externo non nisi post Judicis sententiam tenetur alteri restituere, quod suæ fidei alteri tradendum commissum est; sic nec hæres institutus ex tali testamento hæreditatem tenebitur restituere hæredi ab intestato, nisi post Judicis sententiam, ut diximus *loc. cit.*

2073 Ad 2. ℟. Verum esse, quòd illæ leges non loquantur expresè de testamento, & hæredis institutione, sed fideicommissis, & legatis; sed in ratione, quam afferunt Contrarii, non fundari decisionem earum; dum enim dictæ leges dicunt valere voluntatem Testatoris, etiam sine solennitatibus *in fideicommissis* pro foro externo, & suæ definitionis reddunt rationem, non respiciunt unicè *fidem ejus*, cui commissa est rei traditio; sed *ne pereat ultima voluntas Testatoris* fidei hæredis commissa, quod fieret, si in foro externo cogi non posset ad juramentum, quod nihil tale à Testatore audiverit, vel non præsumeretur confiteri, si juramentum recusaret; unde licet iste favor pro foro externo non militet pro hæredis institutione ex testamento imperfecto (quamvis contrarium in multis locis, etiam in hoc foro usitatum sit, modò constet de ultima voluntate Testatoris defuncti) pro foro tamen conscientiæ idem dicendum erit, propter maximam æquitatem naturalem, ne omnino pereat ultima voluntas Testatoris, si certò de illa constet.

Confirmatio ex L. *Non dubium*, admittitur; sed solùm hoc intenditur, idem hæredis institutioni ex testamento imperfecto concedendum saltem in foro conscientiæ, quod hæredi fideicommissario ex imperfecta institutione fideicommissi pro foro externo; si enim ubi constat de voluntate, quantumvis imperfecta, in fideicommissis, etiam in foro externo valet, ne pereat ultima voluntas Testatoris (quamvis imperfecta ex defectu solennitatum) hæredi fiduciario commissa; æquum sanè, ac juri naturali planè consonum videtur, ut, si constet de voluntate Testatoris quoad hæredis institutionem, etiam hæc valeat, saltem in foro interno, licet ea voluntas imperfecta sit ex defectu solennitatum. 2074

§. 4.

An valeat nuncupatio hæredis cum relatione ad Schedam?

CAsus est: Titius manu propriâ in aliqua Scheda descripsit claris ac distinctis verbis nomen ejus, quem post mortem suam velit esse hæredem; deinde coram testibus ad testamentum nuncupativum solenne requisitis, distinctâ voce profert: *Ego illum constituo hæredem meum, cujus nomen reperitur à me descriptum in tali Scheda*, & sub hoc moritur: Quæstio est, an tale testamentum vim habeat nuncupativè, ut talis? non autem agimus hic de illius valore spectato jure naturali, & gentium, vel etiam statutis particularium locorum, ubi constat, etiam in foro externo recipi quamcunque dispositionem per ultimam voluntatem, etiam sine solennitatibus, modo constet de voluntate defuncti, sed quid dicendum sit attento jure civili communi? Olim affirmantium sententia erat communissima, teste Julio Claro *§. Testamentum, q.* 36. qui & ipse eam sequitur cum Harprechtio in *h. t. Instit. n.* 141. Georg. Everhardo *Volum.* 2. *Consil.* 43. *à n.* 5. Berlichio *p.* 3. *concluss.* 4. *resol.* 22. *§. & quidem*, contrarium sentit Haunoldus *tom.* 2. *de Just. tr.* 6. *n.* 46. volens, id certum esse inspecto jure scripto, & præscindendo à praxi, pro eadem opinione ibid. referens Cardinalem de Lugo, Ferdinandum Vasquez, Gilkenium, Rath. & Nanzium cum Sichardo in L. *Hac Consultissima.* 2075

Fundamentum negandi validam ejus- 2076
modi voluntatem in vim testamenti nuncupativi, desumunt 1. ex L. *Hac consultissima*,

ma, §. 2. ubi sic statuit Imperator: *Per nuncupationem quoque*, hoc est sine Scriptura, *testamenta non aliàs valere sancimus, quàm si septem testes* (ut dictum est) *simul uno eodemque tempore collecti, Testatoris voluntatem, ut testamentum sine Scriptura facientis audierint*; hæc verba, si attentè conferantur cum verbis præcedentis §. ubi dixit, testamentum scriptum ideo inventum esse, ut possit *testes latere* hæres, & tamen debet *Testibus dici, hoc esse suum testamentum*, profectò clarè colligitur, quòd pro differentia nuncupativi requirens, *ut testes audiant voluntatem Testatoris*, non loquatur de implicita illorum auditione; sed de tali auditione, *quâ hæres in propria persona innotesceret testibus.*

Secundò ex L. 49. Codice de testamentis ibi: sin autem forsan ex morbi acerbitate, vel literarum imperitia hoc facere minimè potuerit, testibus testamenti præsentibus, *nomen, vel nomina hæredis, vel hæredum ab eo nuncupari, ut omnimodo sciant testes*, & non tantùm eo modo, quo etiam sciunt testes testamenti scripti, qui sint scripti hæredes, & ita certè hæredis nomine successio procedat; si enim talis est Testator, qui neque scribere, nec articulatè loqui potest, mortuo similis est, & falsitas in elogiis committitur. Quare, ut exul fiat à republica nostra, maximè testamentorum confectione, cupientes *hanc edictalem legem* in orbem terrarum ponimus, quod, si non fuerit observatum, *& nomen hæredis, vel hæredum non fuerit manu Testatoris scriptum, vel voce coram testibus nuncupatum, hoc testamentum stare minimè patimur.*

Tertiò ex *L.* 21. *ff. qui testam. facere*, ibi: *hæredes palàm ita, ut exaudiri possint, nuncupandi sunt*, licebit ergo testanti, vel nuncupare hæredes, vel scribere: *sed, si nuncupat, palàm debet.*

2077 Affirmantes nituntur, *L.* 6. *ff. de rebus creditis*, ibi: *Nihil refert, proprio nomine res appelletur, an digito ostendatur, an vocabulis quibusdam demonstretur, quatenus mutua vice funguntur, quæ tantundem præstent*, deinde *L.* 58. *ff. de hæredib. Instit.* ibi: *nemo dubitat, rectè ita hæredem nuncupari posse: hic mihi hæres esto, cùm sit coram, qui ostenditur*; ergo etiam sufficiet, si dicatur, ille hæres esto, qui in charta apud talem vel talem existente scriptus est.

Tertiò in testamento scripto potest relatio fieri ad Codicillum non obstante, quod requiratur in Codice, *ut nomen hæredis scribatur in testamento L.* 77. *eod.* ibi: *asse toto non distributo ita scriptum est: quem hæredem Codicillis fecero, hæres esto, Titium Codicillis hæredem instituit; ejus quidem institutio valet, ideo, quòd, licet Codicillis hæreditas dari non possit, tamen ex testamento data videtur*; ergo idem de testamento nuncupativo dici poterit: quartò *L.* 9. §. 8. *ff. h. t.* habetur: *Si quis nomen hæredis quidem non dixerit, sed indubitabili signo eum demonstraverit, quod penè nihil à nomine distat, valet institutio*, ergo quodcunque signum sufficiet; ergo etiam relatio ad Schedam.

Tota difficultas recidit in eam quæstio- 2078
nem, an vi legum, quibus nititur sententia negantium, *valere tale testamentum in vi nuncupativi*, debeat testibus *expressè* nominari hæres voce clarâ, & distincta (hoc est ritè perceptibili) quoad *nomen sic*, ut *ex ipsa voce loquentis eis immediatè innotescat?* R. si speculativè loquamur, esse affirmandum, quòd voce nomen hæredis exprimendum sit ad hoc, ut ea Testatoris voluntas ultima procedat in vi testamenti nuncupativi, quà talis; quia id satis apertè dicitur in *L.* 49. de qua n. 2076. ibi: *Si non fuerit observatum, & nomen hæredis, vel hæredum coram testibus nuncupatum, hoc testamentum* (loquitur autem de nuncupativo) *stare minimè patimur*; 2. quia sic exigitur in testamento nuncupativo nomen hæredis *vocaliter* exprimi, sicut in testamento scripto exprimendum est scripto; at in hoc distinctè exprimendum est, ut *ex ipsa scriptura* sciatur hæredis persona, ergo etiam ibi, ut *ex ipsa nuncupatione*; ne admittamus etiam in solenni testamento per relationem suppleri posse solennitates ad illud aperto jure requisitas, præsertim, quia cum ista relatione ad Schedam facilè fieri potest fraus, substituendo unam pro alia, ut, si Testator plures ejusmodi Schedas diversis temporibus confecisset, prout in contingentia facti re ipsa casus iste disputatus in judicio fuit ex concursu ejusmodi Schedarum ab obitu Testatoris repertorum.

Dixi, *loquendo speculativè*, nam in execu- 2079
tione, si Schedula, ad quam se refert, est extra dubium, sic, ut nulla prudens dubitatio de vera manu Testatoris, aut nomine, ac hæredis institutione, vel etiam suppositione

tione aliqua, opponi possit, in manu ultimæ voluntatis, quæ perquam est favorabilis, videtur valde probabiliter sustinenda talis voluntas ultima in vim testamenti nuncupativi. Unde ad leges contrarias dici potest, & 1. ad id, quod desumitur ex L. *Hac consultissima. §. per nuncupationem.* ibi solùm requiri, quòd testes voluntatem Testatoris, simul, uno, eodemque tempore audiverint, quod sufficienter verificatur, si coram testibus dicat, & illi audiant: *illum constituo hæredem meum, cujus nomen descriptum est in scheda,* expressè addita circumstantia loci, quo reposita sit, maximè si tali loco, qui aliis non patet.

2080 Hinc negandum est, in testamento *scripto* non valere relationem, qua suppleatur in testamento scripta expressio hæredis instituti. Nam in L. 77. C. de hæred. Instit. dicitur: *Asse toto non distributo ita scriptum est: quem hæredem codicillis fecero, hæres esto. Titium codicillis hæredem instituit, ejus quidem institutio valet, ideo, quòd* licet Codicillis hæreditas dari non possit, tamen *ex testamento data videtur*; Unde quamvis aliqui velint, etiam hoc immutatum esse jure Codicis, requirente *scriptionem nominis in testamento*, immeritò tamen inducitur hæc jurium correctio, cùm utrumque salvari possit dicendo: requiri scriptionem nominis *in testamento vel ipso, vel relato ad Codicillum.*

2081 Nec etiam juvat discrimen, quod assignant aliqui dicentes: quòd *relatio ad Codicillum* sit relatio ad scripturam solennizatam, & sic non mutetur forma testamenti *scripti*, nam dato, quod dicitur, adhuc tamen strictè loquendo non verificatur nomen hæredis *scriptum esse in testamento*, sumpto secundùm se, sed solùm *in testamento relato* ad codicillum; ergo etiam valebit alterum, licet ex ipsâ nuncupatione secundùm se non intelligatur, vel sciatur, quæ persona instituta sit; modò id sciatur vi nuncupationis relatæ ad schedam: nec enim obstat, quòd ibi *& relatum*, & *id, ad quod* sit relatio, sit scriptura solennizata; in altero autem casu, solum *relatum* sit nuncupatio, seu vocalis expressio voluntatis, non autem id, *ad quod* sit relatio, cùm ponatur solùm scriptura, seu Scheda; nam stando in rigore verborum Codicis, & legum collatarum secundùm adversarios, non sufficit qualiscunque scriptura etiam solennis, sed *solennis scriptura testamentaria*; Sed scriptio in testamento, in eo casu est totum complexum ex testamento scripto & codicillo, & hoc non est scriptura solennis *testamentaria*, seu *solennitate testamenti*; hanc enim non habet *Codicillus*, & tamen valet; ergo similiter, cùm ut dicitur L. 9. (relata supra) *si quis nomen hæredis non dixerit, sed indubitabili signo demonstraverit, quod penè nihil à nomine distat, valeat institutio.*

Tametsi autem ad hoc contrarii re- 2082
spondeant, dicendo, valere institutionem, si quis nomen hæredis demonstret infallibili signo *vocali*, concedendo; *non vocali* negando; totum tamen reponitur in casu testamenti relati ad Codicillum. Nam scriptura *testamenti*, non exprimens hæredem institutum nisi per relationem ad codicillum, valet in vi testamenti *scripti*, ut constat ex L. 77. licet scriptura testamenti se sola non sit infallibile signum *solennitate testamenti scripti* demonstrans nomen hæredis, sed *solùm cum codicillo*, atque adeo non habeat solennitatem *testamenti scripti*: ergo similiter, licet nuncupatio se sola non sit infallibile signum solennitate nuncupationis scilicet *vocis*, tamen valebit in vim testamenti nuncupativi, sicut enim hìc exigitur ut testatoris *voce* exprimatur hæres, sic exigitur ibi, ut exprimatur *in testamento*, at ut hoc verificetur, sufficit, quod exprimatur per relationem ad id, quod non est testamentum: sic in isto casu sufficienter verificabitur expressum esse nuncupatione, si exprimatur per relationem ad id, quod non est nuncupatio.

Ex hoc deducitur, satis probabiliter 2083
dici à Julio Claro cit. q. 4. n. 3. Valere testamentum, si testator coram testibus clausam Schedam tenens, & ostendens illis, distinctâ voce dicat: *ego illos constituo hæredes meos, quorum nomina in his tabulis, vel in hac Scheda descripta continentur*; quamvis contrarium sentiat Hanoldus *tom. 2. tract. 6. n. 55.* ex ista ratione: nam ad nuncupativum testamentum requirunt leges, ut testes intelligant *explicitè, & determinatè*, quis sit hæres; & de hoc debeant ab ipso testatore immediatè edoceri, & non primùm postea per inspectionem Schedæ, prout fit in testamento scripto; uno verbo: in testamento

nuncupativo non debet post factam nuncupationem latere hæres; sed independenter ab omni instrumento debet per testes posse probari. Hoc enim argumentum 1. reponitur eidem in testamento scripto, quod in n. 53. respondens ad L. 77. de qua n. 2080. transmissivè admittit, valere per relationem ad codicillum; Nam in dato casu non exigitur, ut hæres institutus *ex ipso testamento scripto immediatè* innotescat, sine inspectione Codicilli, licet leges apertè petant nomen hæredis *expressum esse in testamento*, ergo similiter. Quare negatur, quod assumitur, ad testamentum nuncupativum à legibus requiri, ut testes intelligant explicitè, ac determinatè, quis sit hæres? sic ut de hoc *immediatè* à Testatoris voce edoceantur, & non primùm postea per inspectionem Schedæ: hoc enim leges non dicunt sub his terminis, & per leges in contrarium allatas illæ sufficienter explicantur, si voce clara edoceantur de infallibili signo illis manifestante nomen hæredis, ut hactenus dictum est.

2084 Concedimus igitur inter testamentum solenne Scriptum, & Nuncupativum esse discrimen, quòd in illo non requiratur, ut testes sciant, quis sit hæres? secùs, in isto; convenire tamen in hoc, quòd in scriptura solennis testamenti scripti debeat requiri nomen hæredis *scriptò* sic expressum, ut ex ipsa deinde constare possit eis, quorum interest, *quis sit hæres?* & in solenni testamento nuncupativo ipsa nuncupatione, seu voce testatoris coram testibus debeat nomen hæredis esse sic expressum, ut ex ipsa constare possit testib⁹, quis sit hæres? Quia verò nullibi in legibus dicitur, quod hoc necessarium sit ad valorem, ut *immediatè, ex sola scriptura testamenti scripti*, vel *immediatè ex sola nuncupatione secundùm se præcisè*, & aliæ claræ leges dicant sufficere, si ex eo per relationem ad aliud signum infallibile, modò id constet, vel Testibus innotescat: in re, quæ in jure est magni favoris (prout est ultima voluntas decedentium ex hac vita) rectius videtur dici, leges non accipiendas in eo rigore, quem vult Haunold. in supra, cum correctione jurium aliorum; & accipiendas potius in sensu, cum aliis concordante; quod utique etiam juri conformius est, præsertim, cùm *ultima voluntas defuncti modis omnibus conservari debeat*, ut ait B. Gregorius relatus 13. q. 2. c. *Ultima* 4. si possit stante legum conciliatione, hoc enim sonat *modis omnibus*.

§. 5.

An testamentum in ratione scripti cœptum, sed defectu alicujus solennitatis invalidum, valeat saltem in vim nuncupativi?

SUpponendum est, nos agere de casu, 2085
quo testamentum à Testatore legitimè conscriptum, cùm hæredis instituti expressione, coram testibus publicatum est, sic, ùt nonnullum contineat defectum alicujus ad testamentum *nuncupativum* requisiti; laboret tamen defectu alicujus requisiti ad valorem testamenti *in scriptis*. Communior sententia, quam sequitur Julius Clarus §. *Testamentum*. q. 4. n. 2. Menochius de præsumpt. L. 4. præsumpt. 2. n. 6. & alii, tenet affirmativam, sive habeat, sive careat adjunctâ clausulâ, *ut, hoc testamentum subsistat meliore modo, quo potest*. Ante probat. *Not.* in his, quæ à nobis hoc vel illo modo, fieri possunt, præcipuè attendendam esse intentionem eligentis unum modum, ut actus, si non valeat eo modo, quo fit, valeat saltem eo modo, quo potest, si habeat requisita ad hoc, ut *aliquo modo* valeat, hinc esto miles, volens testari, potens concedere testamentum jure communi, vel jure speciali concesso militibus, elegerit testari jure communi, valebit nihilominus in vi testamenti *militaris*, si habeat omnia ad hoc requisita; quia, ut dicitur L. 3. ff. de milit. testam. *qui voluit jure communi testari, non statim beneficio militis renunciavit, nec credendus est, quisquam genus testandi eligere ad impugnanda sua judicia, sed magis utroq; genere voluisse propter fortuitos casus.*

Hujus ulterior ratio est, *quia quoties in* 2086
actionibus, aut exceptionibus ambigua est oratio, commodissimum est, id accipi, quo res, de qua agitur, magis valeat, quàm pereat, verba sunt L. 12. ff. de rebus dubiis, quod maximè procedit in causis favorabilibus testam. ultimarum voluntatum, matrimoniorum, &c. *humanius enim erit sequi ejus partis sententiam, quæ secundùm testamentum spectavit*, L. 10. ff. de inoffic. testam, quod confirmari potest ex Novella 42. Leonis Imperatoris Occidentis, qui etiam Orientalibus legem tulit, cùm ejus Novellæ corpori juris communis insertæ sint, & quoniam valde rationabiles sunt, magnam authori-

thoritatem habent. In illa autem postquam perplexitatem antiquorum humanis rebus noxiam vidit, sic loquitur imperator: *Nos itaque perplexitatem hanc adeo esse rebus humanis nocumento videntes, in benigniorum Judicum sententiam pedibus imus, veterisque legis caliginem, & ambiguitatem, in simplicem, atque apertam cognitionem convertimus, ac sancimus, ut, quod testamentum respectu eorum, quæ scripto testamento adesse debent, imperfectum est, si tamen nuncupativi testamenti testimonio non indigeat, vigore nuncupativi testamenti firmum* sit, quibus positis:

2087 Ratio datæ resolutionis est, testamentum habens omnia requisita ad valorem testamenti vitali spiritu, meritò valet in vim testamenti talis in specie; Sed testamentum illud, de quo est controversia, habet omnia requisita ad valorem testamenti *in specie nuncupativi*, ut ponit casus, ergo meritò valet in specie nuncupativi. Maj. est clara, cùm *valere totum*, & *adesse omnia constitutiva*, *ut valeat totum inesse totius*, idem sint; hinc negandum est, in nostro casu deficere voluntatem *testandi nuncupativè*; nam voluntas testandi jure communi ut valeat, valeat eo modo, quo potest, non excludit voluntatem testandi nuncupativè, ut ostensum est in præmissis, talis autem est intentio condentis testamentum, uno modo, quando potuit alio, ut constat ex iisdem legibus, ergo.

2088 Unde pro his, quæ opponuntur in contrarium not. quod aliqui dicunt ex Bartholo in L. 1. *§. si quis ita.* ff. de V. O. dicente, in his, quæ pendent à voluntate unius, *si non valet, ut agit, non etiam valere, utpotest*, dictum illud indefinitè prolatum in multis fallere, consequenter negandum universaliter; nam in casu, quo quis contrahit matrimonium sub conditione turpi, vel impossibili, esto talis contractus non valeat sub ejusmodi conditione, valet tamen contractus purè, & rejecta conditione per conditionem reflexam, si conditio directa obstaret valori, ut diximus *l.* 4. *tit.* 5. *de condit. appos. à. n.* 823. Unde eod. *lib.* 4. *n.* 84. ad illud Bartoli pronuntiatum respondimus, id procedere quando ratio invaliditatis, propter quam actus non valet eo modo, quo fit, etiam invenitur in altero, quo aliàs valere potest, unde sicut testamentum scriptum, à milite conditum, cùm fit jure communi, non valet in vi testamenti jure communi, quia caret solennitate jure communi requisita in testamento jure communi, nihilominus valet in vi testamenti militaris, quia non caret solennitate requisita ad testamentum militare; sic testamentum ab aliquo conditum *in scripto*, valebit in vi testamenti *nuncupativi*, si non careat solennitate testamenti nuncupativi, licet careat solennitate testamenti scripti.

Dices: etiamsi aliquod testamentum, 2089
carens aliquâ solennitate testamenti, habeat omnes solennitates requisitas *ad Codicillum*, nihilominus, nisi adjiciatur expressè clausula *Codicillaris*, ut, si non potest valere ut testamentum, valeat ut Codicillus, non valebit ut Codicillus; ergo etiam in casu nostro nisi adjiciatur clausula, non valebit ut testamentum nuncupativum: antecedens habetur in L. 1. ff. de jure Codicill. ibi: *sæpissime rescriptum, & constitutum est, eum, qui testamentum facere opinatus est, nec voluit quasi codicillos id valere, videri nec codicillos fecisse, ideoque quod in illo testamento scriptum est, licet quasi in Codicillis poterit valere, tamen non debetur.*

Tota difficultas est in eo, quare Legis- 2
latores non præsumant in Testatore voluntatem, ac intentionem, ut, si testamentum, quod fecerunt, non valeret in *vim testamenti* eo modo, quo fecerunt, saltem valeret eo modo, quo potest, nimirum *in vim Codicilli*, si habeat omnes solennitates *codicilli*? econtra verò in Testatore, qui fecit testamentum *in scripto*, præsumant voluntatem, ac intentionem, ut si testamentum eo modo, quo fecerunt, non valeret in vim testamenti *scripti*, valeret nihilominus eo modo, quo valere potest, nimirum in vim testamenti *nuncupativi*, si habeat omnes solennitates *nuncupativi*? In legibus nulla affertur ratio, cur illud sic? alterum aliter constituerint? non est tamen dubitandum, motos rationabili causâ, ut sic in uno, aliter in altero disponerent, quin ab uno ad alterum ducatur argumentum; diversas discriminis rationes esse potuisse non est dubium, de quibus Authores discrepant. In præsens sufficiat, in indistinctè expressis, ac definitis à lege, definitione discriminante unum ab altero, non rectè fieri argumentum, cùm sic argueretur à diverso ad diversum.

§. 6. An

§. 6.

An solennitates jure civili requisitæ ad solenne testamentum, etiam jure canonico requirantur?

2091 EPiscopus Hostiensis Pontifici coram proposuit, talem in sua Diœcesi consuetudinem obtinere; & ex eo quæsivit, an, quod jure civili constitutum est in materia solennitatum ad solennis testamenti valorem in foro requisitarum, etiam teneat, & observandum sit etiam in foro Ecclesiastico? cui respondit Alexander III. *quia à divina lege, & SS. Patrum institutis, & à generali Ecclesiæ consuetudine id noscitur esse alienum, cùm scriptum sit, quòd in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum: præscriptam consuetudinem improbamus: & testamenta, quæ Paræciani, coram Presbytero suo, & tribus, vel duabus aliis personis idoneis; extremâ fecerint voluntate, firma decernimus permanere; Sub interminatione anathematis, prohibentes, ne quis hujusmodi audeat rescindere testamenta*; Sic c. *Cùm esses.* 10. h. t.

2092 Deinde cùm ad eundem Pontificem relatum esset prout habetur in *c. Relatum* 11. eod. quòd, cùm examen ad judices Laicos (Velletrenses) *super relictis Ecclesiæ causis* deducitur, ipsi, nisi *septem*, vel *quinque* idonei testes intervenerint, inde post ponant judicare; ad hos scripsit Pontifex (ut habetur in tota lectione) *cùm hujusmodi causæ de judiciis* (hoc est relictis Ecclesiæ) *non secundùm leges, sed secundùm canones debant tractari, & in ipsis, divinâ scriptura testante, duo aut tres idonei testes sufficiant*, mandamus, *quatenus cum aliqua causa talis ad vestrum fuerit examen deducta, eam non secundùm leges, sed secundùm decretorum statuta tractetis, tribus, aut duobus legitimis testibus requisitis.*

2093 Ex his juribus deducitur 1. quòd testamenta, quæ fiunt coram Presbytero Parochiali, & duobus, vel tribus testibus, valeant si non addita sit solennitas juris humani, id est subscriptio à quinque, vel septem testibus, & qui rescindit talia testamenta, est excommunicatus non obstante consuetudine contrariâ.

2094 Deducitur 2. quòd duo, vel tres testes sufficiant pro relictis Ecclesiæ, vel legatis piis; quia in his non est judicandum secundùm leges, sed secundùm Canones, distat hic textus (in c. *Relatum* 11. h. t.) ab eo, qui habetur in c. *Cùm esses* 10. eod. quòd in illo agatur de testamento ad *pias causas*, in isto autem ad *profanas*; id, quod aperte colligitur ex eo, quia in testamento *ad pias causas* duo testes sufficiunt per hunc textum: in altero verò, præter duos testes, etiam Parochi præsentia requiratur, sicut constat ex c. *Cùm esses.*

Ex hoc communiter desumitur ista 2095
conclusio, quòd ultima voluntas, *pietatis causâ facta coram duobus, aut tribus testibus* valeat, non obstante juris Civilis dispositione de *septem*, vel *quinque testibus* adhibendis, ita Clar. in §. *testamentum*, q. 6. n. 2. Cost. in c *si Pater* p. 1. *V. in suo testamento* n. 8. & seqq. Tiraq. de pia causa, privileg. 2. & 164. Lessius *de just.* l. 2. c. 19. d. 2. Molin. *de just. D.* 134. n. 4. & alii, quia multa piis causis privilegia conceduntur; hinc in eis sola subscriptio manu testatoris, sine testib' facta, vim testamenti obtinet. Tiraq. de privileg. piæ causæ. *privileg.* 4. Aceved. l. 1. n. 31. *tit.* 4. l. 5. novæ recep. Valasc. Consil. 67. n. 8. Cabed. Lusit. *decis.* 129. n. 12. p. 1. & in testamentis ad pias causas non est necessaria solennitas *rogitus testium*, ut per Covarru. hic n. 4. *Clar.* q. 6. n. 3. §. *secundò infertur.* his præmissis:

Quæstio est 1. an, quod in hoc jure sa- 2096
cro dicitur c. *Cùm esses*, testamenta, quæ fiunt præsentibus, Parocho, & duobus, vel tribus testibus idoneis, valida sint, & firma, obtineat etiam *in foro civili*, ita, ut per illam Pontificis constitutionem derogatum sit juri seculari, exigenti ad valorem testamenti solennis *septem testes*, aliasque solennitates? Paulus Comitolus respons. moral. *lib.* 7. q. 1. n. 8. dicit textum in præsenti generalem esse, & ubique eandem vim obtinere.

Alii volunt, in ditionibus Ecclesiæ, id 2097
est Romano Pontifici, quoad *utramque jurisdictionem*, tam temporalem, quàm spiritualem subjectis, & quoad utrumque forum, tam Ecclesiasticum, quàm seculare, locum habere hujus textûs decisionem; non verò in terris Imperii, sive alterius Principis, in quibus jus civile de septem testium numero observandum est.

Communis Doctorum tenet, Ponti- 2098
ficem hìc voluisse recedere à solennitate juris civilis *circa testium numerum* quamvis consuetudine Episcopatûs, de quo agit, fuisset recepta; & insuper, formam dedisse,

ad te-

ad testamentorum factionem in suo foro canonico observandam; unde textus hìc non solùm observabitur in terris Ecclesiæ, ut communiter volunt Doctores citandi, sed etiam in aliis quibuscunq; , *in suo tamen foro*; & ideo leges civiles in hac materia in terris imperii, in viridi maneant observantia , & in foro seculari omnino servandæ erunt; & hæc est mens communis Doctorum, qui textum hunc interpretantur, ut tantùm procedat in Provinciis Ecclesiæ temporaliter subjectis, non verò in illis, quæ in dominio, & jurisdictione Imperatoris sunt, sic Glossa *penult. in dict. c. Cùm esses.* Scotus, *de Justit. l. 4. q. 5. a. 3.* Clarus *§. testamentum, q. 6. & 57.* Vivian. *tom. 1. commun. opin. 343.* Molina *de Just. D. 133.*

2099 In hac quæstione probabilius videtur 1. Pontificem non abrogare generaliter leges civiles (quoad dictas testamentorum solennitates) quæ in suo foro, & inter suos subditos, plurium testium numerum requirunt, sed solùm negare illas esse observandas in terris temporali Ecclesiæ dominio subjectis, qualem constat esse Episcopatum Ostien. de quo in præsenti, ut patet ex superscriptione juncto textu ibi: *in tuo Episcopatu*, indeque colligitur in terris Principis secularis decisionem hujusmodi observandam non esse, quatenus contineret dispositionem ad causas *profanas*, quod addo propter dicenda in seqq.

2100 Videtur probabilius 2. vi hujus constitutionis etiam Judices Ecclesiasticos (quantumvis extra temporale territorium Pontificis existentes) debere judicare de valore testamentorum, quæ ad ipsorum spirituale forum pertinent; nam Judex Ecclesiasticus in causis ad suum forum pertinentibus non secundùm leges, sed sacros canones procedere debet, quando de illis specialiter disponunt canones; aliud enim est, si nihil in Jure Canonico de talibus causis ritè terminandis in sacro jure definitum esset: at in præsenti casu Jure Canonico definitum est, testamenta firmitatem obtinere. Si habeant solennitatē in c. *Cum esses præscriptam*: ergo.

2101 Quæstio altera est, an per dictum c. *Cùm esses*, ubi ejus dispositioni locus est, solennitatibus jure civili exigitis *solum derogetur quoad numerum testium*? an etiam quoad eorum qualitatem, & alias circumstantias, v.g. ut sint *rogati, masculi, subscribant, subsignent, uno contextu* &c. loquendo de testamentis ad causas profanas, nam si sint ad causam piam, constabit ex seqq. Utramque sententiam, & affirmantem, & negantem aliqui censent probabilem; *negantem ex eo*, quia non debet induci repugnantia inter Jus Canonicum, & civile, quando non reperitur aliqua constitutio, seu dispositio juris civilis mutata, aut abrogata per Jus Canonicum, *arg. c. 1. de novi oper. nunciat.* Covarr. *cit. l. 9. n. 14.* Clarus *cit. §. Testamentum, q. 55. n. 3.* Zoësius *ff. h. t. n. 47.* Fagnan. *in cit. c. cum esses n. 36.* hinc censent etiam valde probabile, testes duos, vel tres, qui secundùm Jus Canonicum requiruntur, ad testamentum, debere esse *rogatos*; quia dispositio juris civilis id requirens non est expressè correcta per Jus Canonicum, quin potius videtur probata in c. *Relatum. 11. in fine*, ibi: *tribus, aut duobus legitimis testibus requisitis*, id est rogatis, h. t. ideoque lex civilis etiam quoad hoc servanda est in foro Ecclesiastico. Fagn. *c. l. n. 18. affirmantem*, quia dispositio *cit. c. Cum esses*, in quo rejicitur numerus testium jure civili requisitus, fundatur in jure civili, ac gentium, secundùm quod etiam fœminæ possunt esse testes, nec opus est ut rogentur, vel subscribant, modò sint idonei testes de jure naturali, & gentium.

In hac quæstione videtur probabilius, 2102 de jure canonico, ubi locus est dispositioni hujus c. *Cùm esses* (de quo jam diximus à n. 2091.) atque adeo in terris temporali dominio Papæ subjectis; & ubi testamenta in foro Ecclesiastico coram Judice Ecclesiastico producuntur, non tantùm non requiri *numerum testium* à jure civili exigitum, sed nec eorum *subscriptionem*; ut patet ex textu, cùm Pontifex expressè reprobet consuetudinem, quòd testamenta, quæ fiunt in ultima voluntate, penitus rescindantur, *nisi cum subscriptione septem, vel quinque testium fiant, secundùm quòd leges humanæ decernunt.*

Et quamvis probabiliter dici possit, 2103 non reprobari consuetudinem pro testamenti valore exigentem *subscriptionem testium*; sed tantùm testium *in tali numero*, videtur tamen textus accipiendus etiam *pro consuetudine exigente ipsum actum subscribendi*; colligitur ex eo, quòd in eodem textu Pontifex sub anathematis interminatione prohibeat, ne quis audeat rescindere testamenta, quæ *Paræciani co-*

ram Presbytero, & tribus, vel duobus aliis personis idoneis extrema fecerint voluntate, ubi nota, testamenta sub his expressis circumstantiis censeri, ac decerni *sic firma debere permanere*, ut sine anathematis, seu excommunicationis incursu rescindi non possint: at inter circumstantias expressas non exprimitur, quòd testes *subscribant, subsignent, sint rogati*, cùm jure gentium id non exigatur, & dispositio dicti c. velit in hoc puncto formam, quæ desumitur à testibus in testamento requisitis; sequi videatur solùm eam, quæ est juris naturalis, & gentiũ.

2104 Difficultas tamen esse potest ex eo, quòd exigat testimonium *Presbyteri sui* (nimirum Testatoris) non exigi tum jure naturali, vel gentium, & præter hoc trium, vel duorum testium idoneorum, quo movetur difficultas altera, an spectata dispositione hujus c. *fœmina* veniat hic appellatione testis *idonei* in ejusmodi testamento? & quia textus loquitur de testamentis conditis *in extrema testantium voluntate*, tertia difficultas nascitur, an idem procedat de testamentis conditis *extra infirmitatem?* quartam denique difficultatem movent, quòd alleget testimonium scripturæ, dicentis in ore duorum, vel trium stare omne verbum, & tamen videatur etiam jure hujus canonis exigi major numerus.

2105 Ad 1. ℟. dispositionem dicti c. *Cùm esses*, non esse merè, seu tantùm *reprobativam* illius consuetudinis, vi cujus rescindebantur testamenta condita *sine subscriptione* 5. vel 7. testium; sed etiam *dispositivam*; quatenus exigit præsentiam duorum, vel trium testium *idoneorum cum proprio Testatoris Parocho*, nimirum, ut testamenta sic condita debeant firma permanere; an autem hæc dispositio sic exigat præsentiam proprii Presbyteri, ut secùs testamentũ non sit firmum? esse sub opinione Doctorum. Nam sine illo testamentum esse nullum, resolvit Marcus Anton. Genuensis *in practic. Eccles. q.* 660. apud Barbos. *in dict. c. Cùm esses, n.* 6. quamvis probabilius alii censeant præsentiam Parochi, posse suppleri per alios duos testes *idoneos* (sic ut sufficiant universim *quatuor*) sic Mascardus *de probat. conclus.* 1352. Clarus §. *Testamentum, q.* 57. *n.* 3. & alii, nam duo testes cæteroquin, in quacunque materia gerunt vicem unius *arg. c. à nobis.* 28. de Testibus, juncto c. *Universis* 13. *& c. Licet.* 47. §. *Cùm secundùm. eod.* nisi requiratur cum decreto irritanti, qualiter id contingit, ubi ad valorem matrimonii jure novo Trident. exigitur præsentia Parochi.

Ad 2. fœminam esse testem idoneum in 2106
hoc testamento, affirmat Abbas in c. *Cùm esses n.* 3. *& c. Relatum.* 11. *eod. n.* 3. cujus opinionem esse communem affirmat Jason in L. *hac consultissima n.* 9. & sequuntur Cretius, Menochius & alii apud Barbos. *cit. n.* 7. §. *utrùm*: negativam autem tenet Covarr. in *dict. c. Cùm esses. n.* 24. Id quod videtur insinuari in ipso textu per ea verba: *personis idoneis*, quia videtur Pontifex exigere non quoscunque testes; sed *idoneos*; idoneus autem attento jure civili, quod in hoc puncto nullibi reperitur emendatum, non est fœmina, ut constat ex dict. Cùm ergo circa idoneitatem *fœminæ* in hac materia nihil dispositum sit à sacris canonibus, ne sine lege recedamus à jure civili, cùm illud (ubi nihil est de hoc illi contrarium à canonibus ordinatum) Pontifices in dubio censeantur amplecti c. 1. de novi oper. nunciat. probabilius dici videtur: in hoc puncto *fœminam* non esse testem idoneum; sic etiam Jul. Clarus *cit. q.* 55. *n.* 3. & plures alii.

Ad 3. ait Cenedus apud Barbos. *cit. n.* 8. 2107
dispositionem c. *Cùm esses* eò tantùm casu reprobare, & corrigere consuetudinem, & leges civiles, ampliorem numerum testium requirentes ex ea ratione, quia infirmus non ita facilè semper potest convocare testes; sed, ut potest, voluntatem suam explanet Parocho, qui ut Medicus, & Judex animæ suæ in eo vitæ periculo, & conflictu frequenter adest cùm infirmo; sed oppositum videtur probabilius; quia illa verba textûs, *quæ Paræciani extremâ fecerint voluntate*, non explicant testamentum solùm *in infirmitate extrema* conditum; aliud enim est *extrema voluntas*, aliud *extrema infirmitas*, nam *extrema* voluntas, idem est, ac ultima, id quod habet testamentum etiam à sano conditum, si eam voluntatem usque ad obitum non mutet, sed in ea usque ad finem vitæ inclusivè perseveret; ut constat ex dictis.

Ad 4. ℟. quòd quamvis numerus *duo-* 2108
rum testium sit approbatus non solùm jure humano, sed etiam naturali, & divino; non tamen inde sequatur, quòd *amplior numerus* sit reprobatus; quia nec lex naturalis, nec divina prohibet, quin, ex causa, plurium aliquando fides sit necessaria. Quare non

re non est præceptum jure divino, non posse exigi plures testes in lege gratiæ ex gravi, & justa causa, unde quod dicitur *in ore duorum, vel trium stare omne verbum*, non pertinet ad præcepta divina *moralia*, quæ etiam hodie vim habent; sed ad *judicialia* legis veteris, & per adventum Christi, ac Evangelii prædicationem, mortua sunt, teste S. Thoma 1. 2. *q.* 105. *a.* 2. *in corp. & q.* 70. *a.* 2. *ad* 8. & habetur ex c. *Translato de Const.* Unde nec Christus, illud allegans, vim legis *Evangelicæ* illi tribuit sed solùm tanquam exemplar à Summo Pontifice adducitur ad justificandam legem humanam, ut ostenderet, eam justam ex conformitate cum iis, quæ olim Dominus ad justitiam servandam in judicio, stante lege veteri, præcepit.

2109 Ex dict. coll. 1. testamentum factum coram duobus testibus & Parocho, validum esse de jure Canonico, sive ad *causas pias*, sive *profanas*, & constat ex *dict. coll.* 2. probabiliter etiam dici, quòd spectato jure communi Clerici, etiam in terris Imperii, aliorumq; Regnorum, possint condere testamenta, secundùm dispositionem, & formam Juris Canonici, traditam in *cit. c. Cùm esses*, ita, ut ubique servanda sit *in foro Ecclesiastico*, ut asserit Clarus *cit. q.* 57. *n.* 2. Ratio est, quia, cùm per formam septem, vel quinq; testium jure civili præscriptam, valde restringantur ultimæ voluntates, ideo ad illam, tanquam odiosam & onerosam *Clerici* non videntur esse obligati, sed conformare se possunt dispositioni Juris Canonici, etiam in causis profanis. Rectius tamen attenditur *consuetudo Provinciæ*, quando testantur ad causas profanas, & testamenta eorum in foro laico produci debent, de quo V. Layman *lib.* 1. *Summæ. tr.* 4. *c.* 13. *à n.* 1.

§. 7.

An valeat testamentum ad pias causas factum sine solennitatibus juris civilis?

2110 QUæstio procedit de qualibet ultima voluntate, 2. de facta ad pias causas, quæ scilicet principaliter, ac directè ob honorem DEi ac Sanctorum, vel spiritualem animæ salutem fiunt, & Ecclesiis, Monasteriis, vel aliis piis locis, vel ad redimendos captivos, alendos pauperes, etiam consanguineos, aut Religiosos, vel pro suffragiis mortuorum sunt relicta, seu donata. Resolutio porrò datæ quæstionis communiter deducitur ex c. *Relatum* 11. *h. t.* quod retulimus superius n. 2092. in eo enim Alexander III. expressè statuit, quòd, quando ad Judices defertur causa super his *quæ per ultimam voluntatem relicta sunt Ecclesiis*, *hujusmodi causa de judiciis* (seu relictis, ut supra exposuimus) *Ecclesiæ*, *non secundùm leges*, *sed secundùm Canones debeat tractari*, & his, divinâ Scripturâ testante, duo, aut tres idonei testes sufficiant ibi: Discretioni vestræ per Apostolicæ Sedis potestatem mandamus, quatenus, cùm *aliqua causa super testamentis Ecclesiæ relictis* ad vestrum fuerit examen deducta, *eam*, *non secundùm leges*, *sed secundùm decretorum statuta tractetis*, & tribus, aut duobus legitimis testibus requisitis, quoniam scriptum est *in ore duorum vel trium testium stat omne verbum*; sic habetur in integra lectione hujus c. 1.

Ex hoc textu communiter deducitur, in 2111 relictis Ecclesiæ, vel legatis piis, per ultimam defunctorum voluntatem, non requiri aliam solennitatem, quam voluntatem Testatoris, *duobus*, *vel tribus testibus probatam*; & hocideo, quia in his judicium fieri non debet secundùm leges; sed sacros Canones, fundatos in divino eloquio, de tali numero ad rectum in hac materia judicium sufficiente, imitatione nimirum præcepti judicialis in testamento veteri, quo hæc sacrorum Canonum decisio justificatur, ut diximus superius. Hæc sententia est communis Doctorum apud Julium Clarum §. *Testamentum q.* 6.

Difficultas est, an testes, de quibus loqui- 2112 tur c. 11. ad ultimam voluntatem in causis piis pertineant ad formam ejus *substantialem*, vel tantùm *probatoriam*? v. probabilius esse, requiri tantùm ad formam probatoriam (nimirum, ut de ultima disponentis voluntate constare possit) non tanquam formam substantialem, seu sine qua invalida foret ejusmodi dispositio ultima; si, esto nullus etiam testis adesset, vel interveniisset, si tamen constaret aliunde de disponentis ultima voluntate, in piis causis nihilominus valeret, hanc sententiam cum primis sequitur communis Theologorum, tum etiam ex Juristis Ferdin. Vasquius *l.* 3. §. 22. Covarr. *in dict. c.* 11. *n.* 12. Riccius *p.* 2. *resol.* 61. Fagnanus *in cit. c.* 11. *n.* 8. Barbos. *l.* 3. *univers. juris Canon. c.* 27. *n.* 68. & alii communiter cum Recentioribus.

Ratio autem videtur desumi ex eo, quòd 2113 Pontifex in *dict. c. Relatum*, postquam dixit

ultimas voluntates *ad piam causam*, seu quæ disponunt *de relictis Ecclesiæ*, non debeant judicari secundùm leges; reddat rationem: *quia in ore duorum, vel trium stat omne verbum*, per hoc insinuans, in istis dispositionibus plus non exigi, quàm ut constet de mente disponentis; & ad pias causas valeat, quod olim jure gentium exigebatur; hoc autem jure sufficienter constabat, quocunque argumento res patefieret, puta duobus testibus, scripturâ, de qua non erat dubium esse manum propriam ejus, &c. ergo. Nec obstat, quòd etiam in c. *Cùm esses.* præter duos testes exigatur præsentia Parochi, licet utatur illis verbis: *in ore duorum, vel trium* &c. quo volunt aliqui, vi argumenti à nobis adducti esse dicendum, etiam in testamento ad pias causas requiri *præsentiam Parochi*, non inquam, obest, quia c. *Cùm esses*, differt in eo à c. *Relatum*, quòd in illo agatur de testamentis ad *causas profanas*, in hoc, *ad causas pias*; quo posito *not.* Pontificem hoc ipso, quòd in c. *Relatum.* Judicibus prohibuerit, ne causam testamentorum *de relictis Ecclesiæ*, seu *ad pias causas* definiant secundùm leges, intimare voluerit; in his, nihil exigendum, nisi, quod constat de voluntate disponentis, propter favorem causæ piæ, quæ utroque jure pluribus privilegiis gaudet, & ad hunc finem adducta esse verba: *quòd in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum*, hunc autem favorem non habet dispositio ad causas *profanas*; ergo.

2114 Dices: ergò saltem duo testes semper erunt necessarii in testamento ad causas pias, aliàs non est ratio cur Pontifex jubeat requiri duos testes, quod non supperet alia probatio, ut notat Haunold. *tom.* 2. *tr.* 6. *n.* 97. R. N. illatum, aliud est, quòd *sufficiunt*; aliud, quòd *necessarii sint*; primum admittitur, non secundum. Hinc in c. *Indicante.* 4. *h. t.* etiam ad solius mariti testimonium approbatur ultima voluntas uxoris, quòd scutellam argenteam cuidam monasterio reliquerit, & pluribus aliis personis; & constat ex *L. ult. C. h. t. subtilitates solennitatum juris remittuntur*, ut dicemus in seqq. Ubi Imperator causam saltem impulsivam allegans ait: *ad DEI humanitatem respiciens* &c.

2115 Quòd autem causa pia magnis gaudeat favoribus in comperto est, ea enim, & Ecclesia in jure æquiparantur, ut tradit Cardenas in *Crisi Theol. tr.* 2. *D.* 21. *c.* 8. *n.* 183. Hinc gaudet iisdem privilegiis, quibus Ecclesia, per Tiraquell. de causa pia *privil.* 140. Ideo causa pia non solvit vectigalia, ut tenet communis sententia, & servat praxis. V. Card. de Lugo *tom.* 2. *de Just. D.* 36. *S.* 6. *n.* 102. imò nunc etiam communiter docetur, quòd jus civile nequeat disponere in præjudicium causæ piæ; sic Carden. *cit. c.* 8. *n.* 162. ubi pluribus hoc exemplis demonstrat; Confirmari potest hoc etiam jure proprio Austriæ Superioris per Augustissimum Imperatorem Leopoldum confirmato, specialiter favente testamentis ad pias causas, in der neuen Land-Gerichts-Ordnung/ *p.* 3. *à* 11. *§.* 6. ibi: Wann der selbst-Mörder ein Testament/ oder andern letzten Willen hinterlassen/ soll derselbe/ ausser der Geschäfft/ zu gottseligen Wercken/ nicht gültig seyn/ jedoch daß solches Geschäfft/ denen Kindern/ ihren gebührenden Erbtheil/ wie auch dem Land-Gerichts-Herrn an seinem Anfall nichts entziehe.

§. 8.

An testamentum in alienum arbitrium conferri possit?

POtissima quæstio nobis est, an valeat testamentum ad pias causas, quod Testator commisit in arbitrium alterius? v. g. instituo hæredes meorum bonorum *pauperes*, quos Titius elegerit: satis communis est opinio, ut sustineatur hæredis institutio, saltem de jure civili, non sufficere, aliquem esse hæredem institutum; sed, amplius desiderari, ut *ipse Testator eum*, quem vult, *designet, & instituat*, & ideo de jure civili hæredis institutio in arbitrium alterius conferri non debeat *l.* 32. *ff. de hæred. instit.* sic non valeret, si Testator dicit, *volo eum hæredem, quem Cajus nominaverit*, sic enim illa voluntas non foret justa sententia de eo, quòd *Testator* post mortem suam fieri *velit*, sed de eo, quòd *velit Cajus*; ita Perez ad *l.* 6. *tit.* 24. *n.* 6. ubi tamen hoc limitat ad institutionem, quæ *expressè* confertur in arbitrium alterius, non autem si fiat *tacitè*, ex *l.* 68. *ff. eod.* Idem tradit Zoësius *lib.* 6. *Cod. tit.* 24. *q.* 1. ex L. *si quis Sempronium.* 68. *ff. eod.* volunt enim leges testamentorum jura firma per se esse, & ex aliorum arbitrio non dependere *L. illa* 32. *ff. eod.* quod censet ita verum, ut ne quidem in arbitrium boni viri conferatur, cùm leges hoc nullibi admittant, & hoc, quatenus *expressè* confertur in arbitrium alterius; aliud est, si tacitè conferatur, veluti 2116

Mævius

Mævius esto hæres, si Titius capitolium ascenderit. L. 68. nam *sæpe expressa nocent, quæ non expressa non nocerent*, *L. nonnunquam* 52. *ff.* de condit. & demonst. Nec obstat huic, quod dicitur, posse alterum conjugum testari de bonis alterius, ejus consensu; Nam quòd hìc dicitur, *dependere ab alieno arbitrio non posse*, est, quia ea *potestas* ab alio daretur; hic autem non datur, sed tantùm *licentia* disponendi de bonis, tanquam de suis, quæ licentia magis facti est, quàm juris; Sed hæc, spectato jure civili.

2117 Circa hanc ipsam dispositionem juris civilis *Not.* 1. quando jure civili dicitur: *testamentorum jura non posse ab alieno arbitrio pendere*, ut habetur L. 32. ff. h. t. intelligi de testamento *quoad ipsam substantiam*, ita, ut directè penes ipsum sit facere, ut testator decedat testatus, vel non testatus; unde testamentum sic factum ad causas profanas omnino invalidum esse, censet Haunold. *tom.* 2. *tr.* 6. *n.* 316. dixi directè 1. quia negari non potest, institutionem aliquo modo pendere ab arbitrio hæredis; semper enim subest conditio, *si ipse voluerit*, excepto servo, qui potest obligari. 2. quia potest hæres institui sub conditione illi libera. Unde testamentum sic factum ad causas profanas, si testator sic diceret: *Instituo Titium, si Cajus bonâ fide, & sub juramento assertorio id expedire judicaverit*; quia sic non pendet ex alterius arbitrio, & conditio est valde honesta. Et ideo existimant aliqui, cùm dicitur testamentum non posse pendere ab alieno arbitrio, intelligi de *arbitrio sumpto pro libera voluntate*, non autem *sumpto pro judicio boni viri*, ut colligitur ex L. 11. §. 7. de Legatis 3. ibi: *non enim plenum arbitrium voluntatis hæredi dedit; sed quasi viro bono commissum, relictum.* Ex quo habetur, aliud esse *arbitrium voluntatis*; aliud, *arbitrium intellectûs*.

2118 Quæstio autem est, quid in hoc puncto dicendum *de jure Canonico?* an hoc jure valeat testamentum ad pias causas? Negativam sequitur Zoësius *cit. q.* 2. cum Sarmiento selectarum *Quæstion. n.* 33. & aliis: rationem dat; quia si hoc jure valeret ejusmodi testamentum, foret ex c. 13. h. t. mox referendo; Sed ex hoc id non probatur: cùm enim in dicto c. nulla fiat mentio *piæ causæ*, verius videtur, non velle ibi Pontificem dicere, *talem esse simpliciter testatum*, sed, *haberi pro tali*, in aliquo casu scilicet ad exclusionem Episcopi, cui decedentium ab intestato bonorum dispositio est mandata, c. *cùm tibi* 18. de verb. sign. qui frustra dispositionem arrogabit commissam jam alteri per defunctum, qui eatenus non est intestatus.

Affirmativam autem (nimirum testa- 2119
mentum *ad pias causas* in alienum arbitrium conferri posse de jure canonico) sequuntur plures, ac eam colligunt ex c. *Cùm tibi.* 13. h. t. cujus integra lectio apud Gonzalez sic reperitur: cùm tibi de benignitate Sedis Apostolicæ sit indultum, quòd ordinatio rerum Clericorum, *ab intestato decedentium*, liberè in tua potestate, ac dispositione permaneat, volens omnem materiam scandali removere (quod aliquando inter te, & tuos est subortum) super duobus nos consulere voluisti; primò, an appellatio vocabuli *Clericorum* tam ad Canonicos, quam ad non Canonicos extendatur? secundò, *an illi, qui in voluntate, & dispositione alterius suam committunt ultimam voluntatem, nihil per se penitus ordinantes, vel determinantes (quid, cui loco, vel personæ conferri debeat?) dicantur decedere intestati?* primæ igitur consultationi tuæ duximus respondendum, quòd appellatio *Clericorum* non solùm alios, sed & Canonicos comprehendat: *in secunda verò dicimus, quòd qui extremam voluntatem alterius dispositioni committit, non videtur decedere intestatus*; sic Innocentius Altissiodorensi Episcopo.

Ex hac lectione deduci potest verus sen- 2120
sus hujus literæ; nam ex ea constat, quòd, cùm Altissiodorensis Episcopus à Sede Apostolica impetrasset privilegium disponendi de rebus *Clericorum* ab intestato decedentium, duo quæsivit ab Innocentio III. primum an hoc privilegium ad *Canonicos* extenderetur? & affirmativè respondit Innocentius in c. *Cùm tibi* de verb. sign. secundò quæsivit, an eo privilegio comprehenderentur bona illorum, *qui Supremam voluntatem alterius dispositioni* committunt? & Innocentius negativè respondit, quia *intestatus non videtur decedere, qui suam ultimam voluntatem, in alterius dispositionem committit*, id eoque privilegio non esse locum.

Ratio, propter quam in secunda sua 2121
quæstione dubitaverit Episcopus, videtur illi fuisse, quòd præcipua testamenti pars

sit hæredis institutio, à qua testamentum vires capit, L. 1. ff. de hæred. instit. §. *ante hæredis*. Instit. de Legat. & *qui sine hærede decedit, ab intestato moritur*, L. 1. ff. de suis, & legitimis. L. *Intestatus* 64. ff. de Verb. signif. sed in præsenti specie, *Clerici*, nec hæredem instituerant, nec testamentū fecerant; igitur dicendum videbatur, *ab intestato decessisse*, & ita dispositionem bonorum ad Episcopum spectare: contrarium tamen decrevit Innocentius, quia in simili casu defunctorum voluntates præcipuè attenduntur. L. *in Conditionibus*. ff. de condit. & demonstr. idcirco latior in ultimis voluntatibus fit interpretatio, *c. cùm dilecti*. de donat. L. *in testamentis* ff. de R. J. ut testantis suprema voluntas effectum habeat ob publicam utilitatem, cui convenit extrema hominum judicia exitum habere, L. *vel negare*. 5. ff. quemadmodum testam. summâ ergo nixus æquitate Innocentius, Episcopo Altissiodorensi negavit dispositionem bonorum eorum Clericorum, qui in alterius voluntatem dispositionem suam reliquerunt, inquiens, *non videri eos intestatos decedere*.

2122 Ex his deducitur 1. probabiliùs affirmari universaliter, valere testamentum de jure canonico, tametsi hoc conditum sit ab alio, in cujus arbitrium defunctus voluntatem suam ultimam commisit, sumendo arbitrium non pro mera libertate, sed prudenti dispositione, præviâ consultatione, & deliberatione matura, ut notavimus *n.* 2117. & ita ex *cit. c.* 13. deducunt Julius Clarus §. *testamentum q.* 6. *n.* 6. Tiraquel. de pia causa privileg. 64. & complures alii apud Barbos. in *dict. c.* 13. *à. n.* 2. ratio videtur assignari posse ex ipso textu: nam, cùm dictus Episcopus, ex vi privilegii sibi concessi, habuerit facultatem disponendi de rebus Clericorum ab intestato decedentium, eo ipso fuisset locus privilegio in secunda quæstione Innocentio proposita; nimirum in casu, quo Clerici (de quibus ibi) decesserunt sine ullo testamento *à se* condito, sed tantùm in alienum arbitrium commisso; Sed Pontifex negavit ei locum esse: ergo etiam negavit tale testamentum jure canonico invalidum esse; Si enim jure canonico non valuisset, decessissent *intestati*, & fuisset locus privilegio, sed Pontifex dixit, quòd non decesserint intestati, ergo valuit jure canonico.

Deducitur 2. valere testamentum ad 2123
pias causas, licet commissum sit in alterius arbitrium; & primò quidem id procedit probabiliùs in foro Ecclesiastico, ut constat ex n. præced. 2. esto in jure civili ejusmodi testamenta penitus irrita forent, quoad causas *profanas*, adhuc tamen contrarium dicendum esset de tali testamento condito ad pias causas; & sic judicandum etiam in foro seculari, ratio est, quia Judices de causa testamenti continente relicta Ecclesiæ, vel concernente pias causas, tenentur judicare *non secundùm leges, sed secundùm sacros Canones*, sed testamentum juxta sacros Canones non est irritum, esto commissum sit in alienum arbitrium, ut dictum est, licet contrarium foret jure civili, ergo. Ma. est ex *n.* 2091. minor ex *n.* 2122. Confirmatur: jus civile nihil validè disponit in præjudicium causæ piæ, ut notavimus supra & constat ex *l.* 1. *tit.* 2. de Constit. nec Ecclesia ejusmodi præjudicium recipit, ergo esto jure civili testamentum in alterius arbitrium commissum foret irritum, & defunctus relicto solùm tali testamento diceretur decessisse intestatus, quando disposuit ad causas *profanas*; contrarium tamen dicendum esset, si ad causas *pias*.

Ex dictis Coll. 1. nullo teste in testamen- 2124
to ad pias causas opus esse, quantum est ad formam testamenti, sed tantùm ad probandum, si non adsit alia probatio cit. c. *Relatum*. sic Layman *lib.* 3. *tr.* 5. *c.* 2. *n.* 3. Deinde, hæredes ab intestato, quibus constat voluntas testatoris ad pias causas, non posse bonâ conscientiâ negare relictum piæ causæ in testamento, propter defectum solennitatum reprobato, quia pia causa his non eget. Coll. 2. in testamento ad pias causas sufficere, & censeri testes idoneos, qui tales habentur jure naturali, & hoc procedere in utroque foro juxta Covarruv. in cit. c. *Relatum n.* 4. Clarum cit. q. 6. Coll. 3. quamvis testamentum solo nutu, sine scriptura, vel voce regulariter non valeat per L. *Jubemus* 29. C. h. t. secùs tamen esse de testamento *ad pias causas*, atque adeo, testamentum etiam nutu, & signis tantùm conditū de jure canonico valere ad pias causas, sic tradit etiam Barb. in dict. *c.* 13. *n.* 4. quo etiam habetur, licet testamentum minus solenne, quoad hæredis institutionem sit invalidum, legata tamen in eo ad piam cau-

sam

sam subsistere; nam propter defectum solennitatum, in quantum disponit ad pias causas, non infirmatur per textũ c. *Relatum.*

2125 Coll. 4. juxta Clarum *cit. q. 6. n. 8.* & Molin. *tr. 2. D. 134. n. 3.* testamentum ad pias causas non indigere hæredis institutione, & incertas personas (v. g. pauperes, vel Ecclesiam intra urbem, ubi plures sunt) bene posse institui hæredes; Barbosa, in *c. 13. h. t. n. 5. Coll 5.* testamentum minus solenne *ad pias causas*, valere etiam quoad legata profana, quia subsistente principali, subsistit etiam accessorium. Pirhing. hìc *n. 22.* & legata ad pias causas esse solvenda, licet hæres hæreditatem non adierit, vel non acceptando, vel prius moriendo; quia legata pia dispositioni juris civilis non subjacent, per cit. c. *Relatum*; Coll. 6. licet testamentum, à testatore inchoatum, sed non absolutum (quia morte præventus non potuit absolvere) aliàs invalidum sit, per L. *si quis* 21. ff. h. t. valere tamen quoad legata pia, in illa imperfecta dispositione relicta, & expressa, ratio est eadem, quæ prius, sic Layman. *cit. l. 1. tr. 4. c. 17.* Denique irritum esse statutum Laicorum, impediens facultatem testandi pro anima, vel ad pias causas, Abbas in *cit. c. Relatum n. 5.* cum communi Canonistarum.

ARTICULUS IV.

De his, qui testamentum facere possunt.

2126 IN hac quæstione generalis regula est, quòd possint omnes, qui nec naturâ, nec lege aliqua prohibentur, L. 1. C. de SS. Eccles. *Iniquum* enim *esset, auferre testamenti factionem homini sanæmentis, L. ex facto* 43. ff. de vulg. & pupill. substit. intellige, nisi ob gravem causam prohibeatur jure naturali, vel positivo. *Naturâ* prohibentur carentes usu rationis, ut infantes, amentes, furiosi, §. *item furiosi.* Instit. quibus non est permissum 2. Carentes judicii maturitate, ut impuberes 3. Carentes facultate voluntatem suam exprimendi, scripto, vel voce; quando autem sufficiant nutus, & alia signa, dixi *n.* 2124. 4. Cœcus, saltem in scriptis. Jure positivo prohibentur 1. Servus, seu mancipium 13. *q. 6. c. illud* 5. *L.* 16. *ff. h. t.* 2. Prodigus ab administratione bonorum per judicem interdictus, §. *item prodigus.* Instit. quibus non est permissum & L. 18. ff. n. t. 3. Captivus, vel obses apud hostes detentus, quamdiu talis est: L. 8. & 11. ff. cod. 4. Filius familias sub potestate Patris etiam cum hujus consensũ de bonis adventitiis L. 6. ff. qui testamentum facere; secùs est de castrensibus, & quasi castrensibus. 5. Usurari⁹ manifestus ante præstitam satisfactionem c. 2. de Usuris in 6. 6. Excommunicatus ob hæresin, de quibus V. Pirhing h. t. n. 25. quib⁹ in genere præmissis:

§. 1.

An, & qualiter Prælati Ecclesiarum & Clerici seculares testari possint?

AD hoc resolvendum *not.* 1. Gregorium 9. Pontificem, cùm, ut habetur in *c. quorundam* 1. h. t. quorundam relatione accepisset Attellanæ Civitatis Episcopum, condito testamento, in octo unciis substantiæ suæ nurum hæredem instituisse, Ecclesiam verò suam in residuis quatuor; idem scripsisse ad Antonium Subdiaconum, hortando eum, ut solicitè discutiat, & quid quid ipsum habuisse paruerit, à qualibet persona detineri nullatenus patiatur, *nisi hoc solum, quòd eum ante Episcopatûs ordinem, proprium habuisse constiterit. Quid quid verò Ecclesiæ ante ipsius consecrationem, fuisse cognoverit, vel in Episcopatûs ordine prædictum Episcopum acquisivisse, in ejusdem Ecclesiæ dominio conservetur.* 2127

Secundò, cùm quædam Abbatissa certi Monasterii (etsi nunquam induerit habitum Monachalem) condito testamento, diversa fecisset legata; idem Pontifex necessarium judicavit, postquam in Abbatissam ordinata est, & in monasterio per annos plurimos, usque ad obitum *præfuit*, vestis qualitatem ad culpam fortè Episcopi pertinere; qui eam sic esse permisit; *non tamen potuisse præjudicium monasterio irrogare; Sed res ipsius eidem loco, ex quo illic ingressa, & Abbatissa constituta est, de jure competere, c. Quia ingredientibus 2. h. t.*

Tertiò in c. *Cùm in officiis* 7. h. t. quod desumptum est ex Concil. Lateran. dicitur: *cùm in officiis charitatis primo loco illis teneamur obnoxii*, à quibus beneficium nos cognoscimus recepisse; e contra, quidam Clerici, cùm ab Ecclesiis suis multa beneficia perceperint, *bona per eas acquisita, in alios transferre præsumant*, hoc igitur, *quia antiquis canonibus constat inhibitum, nos indemnitati Ecclesiarum providere volentes, sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint, penes Ecclesias eadem bona præcipimus remanere.*

Idem habetur c. *Quia non* 9. eod ibi: 2128

de his

de his tamen quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, nullum de jure possunt facere testamentum, &, cùm Alexandro III. proposita fuisset quæstio, *an, quando in Concilio Lateran. statuitur* (ut bona per Eccles. acquisita, ad eam in Clericorum obitu devolvantur) *sit intelligendum de immobilibus tantùm, vel etiam de mobilibus?* respondit, *quòd generaliter bona qualibet, per Ecclesiam acquisita, eis debent, juxta Lateran. Concilium, post acquirentis obitum, remanere*, nomine autem *Ecclesiæ* non *Episcopus*, vel *Successor Clerici* morientis, ubi est collegium Clericorum, sed *communis Congregatio intelligatur*, quæ rerum illarum debet canonicam distributionem, & curam habere, ubi autem in loco defuncti tantùm est unus ordinandus, is ea bona (sicut & alia ipsius Ecclesiæ) in DEI timore dispenset, sic etiam c. *Relatum* 12. eod.

Subjungit deinde textus, *quòd, licet mobilia per Eccles. acquisita, de jure in alios, pro morientis arbitrio transferri non possint, consuetudinis tamen non est improbandæ, ut de his, pauperibus, & religiosis locis, & illis, qui viventi servierant, sive sint consanguinei, sive alii, aliqua juxta servitii meritũ conferantur.*

Quartò in c. *ad hæc* 8. eod. statuit Alexander III. quòd, licet Clerici, de mobilibus, quæ per Eccles. sunt adepti, de jure testari non possint; *viventes tamen, & sui compotes, moderatè valeant, aliqua de bonis ipsis* (*non ratione testamenti*) *sed eleemosynæ intuitu, erogare in ægritudine constituti*, & c. *Quia non* 9. eod. quòd Clerici *de his, quæ paternæ successionis, vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, aut amicorum* (non habito respectu ad Ecclesiam) *pervenerunt ad ipsos, libere disponere valeant*, id, quod etiam dicitur cit. c. *Relatum* 12. eod. ibi: *cæterum quæ ex hæreditate, vel artificio, aut doctrina proveniunt, distribuentur pro arbitrio decedentis.*

2129 Ex his juribus deducitur, Episcopum, & quemlibet Clericum non Regularem, de bonis propriis (quæ scilicet habuit ante Clericatum, putà hæreditate, legato, donatione, &c.) atque adeo patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus, posse liberè testari, *non autem* de bonis Ecclesiæ, ac ejus intuitu acquisitis. Idem quoad primam partem habetur ex 12. q. 1. c. *Episcopi* 19. ibi: *Episcopi de rebus propriis, vel acquisitis, vel quid quid de proprio habent, hæredibus suis, si voluerint, derelinquant, quid quid verò, de provisione suæ Ecclesiæ fuerit, sive de agris, sive de fructibus, omnia in jure Ecclesiæ reservare censuimus*, & caus. ead q. 5. c. *fixum* 4. ibi: *fixum adhinc, & perpetuò mansurum esse decrevimus, ut Episcopus rebus sui juris, quas aut ante Episcopatum, aut certò in Episcopatu, hæreditaria successione acquisivit, secundùm auctoritatem Canonicam, quid quid vult, faciat, & cui vult, eas conferat; postquam autem Episcopus factus est, quæcunque res de facultatibus Ecclesiæ, aut suo, aut alterius nomine, qualibet conditione comparaverit, decrevimus, ut non in propinquorum suorum, sed in Ecclesiæ, cui præest jura deveniant.* Quoad secundam partem constat etiam ex his ipsis canonibus, & c. *quorundam*, de quo à n. 2127. & c. *cùm in officiis* c. *ad hæc* ibidem.

Præter hæc *not.* 1. etsi Clerici *non Regulares* testari, aut per ultimam voluntatem disponere non possint de rebus intuitu Ecclesiæ acquisitis, ut dictum est, concedi tamen illis de jure communi, primò, quòd de bonis illis, *intuitu Ecclesiæ acquisitis*, in vita, *dum sani sunt, donare possint, quantum voluerint de sibi superfluis, ad pias causas, ac titulo eleemosynæ*, ex c. *fin.* 16. *q.* 1. *ibi: quoniam*, quid quid habent Clerici, *pauperum est*, & domus illorum omnibus debent esse communes; susceptioni peregrinorum, & hospitum, invigilare debent, *maximè curandum est illis, ut decimis, & oblationibus, cœnobiis, & xenodochiis, qualem voluerint, & potuerint, sustentationem impendant*, liberum est enim, Monachis, & spiritualibus viris, Deum timentibus, & colentibus, decimas, & oblationes, cunctaque remedia concedere, & de jure suo in dominium illorum, & usum transferre, *nec tam in pauperibus paupertatem, quàm religionem attendere.* Deinde de iisdem posse illos in ægritudine constitutos, si adhuc sui compotes sint, *non* quidem *per viam testamenti*, sed *eleemoysinæ*, facere donationes moderatas *pauperibus*, vel aliis *locis piis*, aut *ad pios usus*, c. *ad hæc* 8. h. t. supr. atque adeo consanguineis, si pauperes, vel indigentes sint pro suo statu; sic Covarru. in dict. c. *cùm in officiis n.* 5. & alii. Quare in hoc casu non est locus, regulæ 84. de regul. juris in 6. *cùm quid unà viâ prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti*, 2130

nam

nam hæc non habet locum, ubi res prohibetur non simpliciter, sed solùm, *ne fiat tali modo*, unde licet Clerici de reditibus *intuitu Ecclesiæ acquisitis* prohibeantur disponere *per viam, & modum testamenti*, vel ultimæ voluntatis, non prohibentur tamen *omni modo, etiam per modum Eleemosynæ.* Dicuntur autem *bona* Clericis *acquisita intuitu Ecclesiæ*, quæ ab Ecclesia, seu ex Ecclesiasticis titulis, sive, quæ intuitu non personæ, sed consideratione Ecclesiæ acceperunt, sive ipsis donata, aut relicta sint, ratio autem secundæ partis patet ex dictis.

2131 *Not.* 2. Clericum secularem, sub patria potestate constitutum (à qua Clericatus non liberat,) posse nihilominus testari de bonis patrimonialibus, & aliis, quæ ut Clericus acquisivit, suo tamen labore, & industriâ; cùm illa ad quasi Castrense peculium pertineant; de quo filius familias testari potest, Zoës. *ff.* qui testamentum facere poss. *n.* 24. *Not.* 3. Clericos seculares beneficiatos, etiam de reditibus Ecclesiasticis (videlicet decimis, & fructibus fundorum ad Ecclesiam, cui succedunt, pertinentium, qui ex justitiæ lege, & propriâ beneficiorum institutione, ipsis beneficiariis, tanquam justum stipendium, debentur, quatenus ii, ad honestam, & decentem sustentationem eorum, consideratis etiam laboribus & meritis erga Ecclesiam, ac statu personæ sunt necessarii,) tanquam absolutos dominos liberè, tum inter vivos, tum per testamentum, seu ultimam voluntatem posse disponere; *si quid per propriam parsimoniam ex illis sibi reservârunt, & collegerunt*, ut cũ S. Thoma 2. 2. *q.* 185. *art.* 7. *in* ℣. *ad* 2. docet Cov. *in cit. c. Cùm in officiis* 7. *n.* 2. *§. Tertiò. h. t.* & est communiter recepta sententia, sed *non de superfluis* congruæ ipsorum sustentationi; nam hæc tenentur expendere *solùm in pias causas, & usus* (ut tenet communis Theologorum, & tradidimus *in tr. Theol. de jure. & just.*) non in profanos.

2132 *Not.* 3. dictos Clericos seculares, tam per testamentum, & ultimam voluntatẽ, quàm donationes inter vivos, liberam habere facultatem disponendi de his, quæ habent ex donationibus fidelium, oblationibus, & distributionibus quotidianis, quæ tanquam vitæ stipendium accipiunt, quia Missas celebrant, divina officia cantu peragunt, vel talibus ministrant, aut recipiunt ex funeralib⁹ exequiis, Capellaniis, etiã ad nutum amovibilibus, &c. nam isti proventus, propriè loquendo, non sunt, saltem principaliter, fructus beneficiorum; sed, potius justum stipendium debitæ sustentationis, at de his, quæ sunt ex beneficio, tanquam stipendiũ, si quæ sunt superflua, disponere possunt libere ad pios usus, quæ verò sunt quasi castrensia, non sunt acquisita intuitu Ecclesiæ, sed personæ laborantis, & ita tenent comuniter Abbas in c. *Cùm in officiis* 7. *h. t. n.* 8. Cov. ib. *n.* 4. Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 9. *q.* 10. & alii.

Not. 4. Prælatum, vel Clericum secularem, 2133
in certis casibus, tam inter vivos, quàm ultimam voluntatem, posse libere disponere etiam de reditibus superfluis sui beneficii; primus est, si de suis patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus labore acquisitis, vel congruæ sustentationi detractis, aliquid impendit in talis Ecclesiæ utilitatem, v. g. emendo illi bona, utiliter ædificando, &c. colligitur ex 12. *q.* 2. c. *Si quis* 56. ib: *Si quis qualibet conditione de rebus Ecclesiæ aliquid alienare præsumpserit, si de suo proprio tantum Ecclesiæ contulerit, quantum visus est abstulisse, tum demum illud licebit; & ead. caus. q.* 5. *c.* 5. ib: *Si Episcopus condito testamento aliquid de Ecclesiastici juris proprietate legaverit, aliter non valebit, nisi tantundem de juris proprii facultate suppleverit*; sic Navarr. *tract. de reditib. Eccles. q.* 3. *monito* 4. & alii.

Alter casus est, quem refert Pirhing *h. t.* 2134
n. 34. quòd, si Prælatus, vel alius Beneficiari⁹ ex iisdem bonis suis patrimonialib⁹ in pauperes, vel pias causas quippiam expendit, possit deinde ex reditibus Ecclesiasticis superfluis tantundem, tanquam proprium retinere, & prout voluerit de eo, sive inter vivos, sive per ultimam voluntatem disponere *cit. c. Si quis caus.* 12. *q.* 2. *& cit. c. Si Episcopus. ead. caus. q.* 5. Sic enim tantundem de reditibus superfluis ex proventibus sui beneficii stat pro summa ex patrimonialibus in ejusmodi pios usus impensa, cùm aliàs de his eadem eleemosynas licitè fecisset.

Tertius casus apud eund. ex glos. in c. 2135
Conquerente, de Cleric. non resid. v. *sufficientia*, refertur, quòd, etsi Prælatus, vel alius beneficiari⁹ nihil ex suo patrimonio, vel quasi patrimonio in Eccles. contulit, si tamen beneficia Ecclesiæ præstitit labore suo, vel doctrina, vel consiliis &c. ita, ut benemerit⁹ de Ecclesia censendus sit, tum ex reditibus Ecclesiasticis, etiam iis, qui excedunt suam decentem sustentationem, possit tanquam sibi debitos accipere, & in quoscunque usus, etiam profanos, illos expendere, quod quidem rectè dicitur, si beneficia Ecclesiæ præstita, propriè talia sint; hoc est,

non aliunde debita, vi officii, vel obligationis erga talem Ecclesiam; & hæc ad quæstionem, qualiter testari possint Clerici, qui habent beneficia cum administratione, & Cura Ecclesiæ, Capellæ, vel Altaris.

2136 Altera quæstio est de illis, qui nullam administrationem habent, sed simplicem Canonicatum, vel præbendam, an, & qualiter isti testari, vel per ultimam voluntatem disponere possint de reditibus, intuitu suæ Ecclesiæ, vel beneficii, (seu ex ejus Ecclesiastico titulo) acquisitis? ad hanc quæstionem (loquendo de his bonis, quæ redundant, seu non necessaria sunt in decentem Beneficiati sustentationem) ℟. constare ex c. *Relatum* 12. *h. t.* quo nimirum habetur non posse illos de his disponere per ultimam voluntatem, sive mobilia sint, sive immobilia, conceditur tamen, ut notavimus n. 2128. ut aliqua de illis bonis pauperibus, & religiosis locis, & illis, qui viventi Beneficiario inservierant, sive consanguinei sint, sive alii, juxta merita servitii ipsorum, conferantur.

2137 Ex eodem c. deducitur, bona intuitu Ecclesiæ acquisita, quæ Prælati, vel Clerici Beneficiarii, habentes administrationem, vel curam Ecclesiæ, aut Capellæ, relinquere tenentur Ecclesiæ, cujus intuitu acquisita sunt, devolvi ad Successorem in eo munere, non ut sibi retineat, sed fideliter administret in utilitatem Ecclesiæ, cujus curam, vel administrationem habent juxta dicta: si verò non habeant administrationem, vel curam aliquam Ecclesiæ, sed tantùm simplicem Canonicatum, vel præbendam in aliqua Ecclesia Collegiata, distinguendum est, penes quem sit administratio talis Ecclesiæ? ac bonorum ejus? si enim ea relicta sint ex portione de bonis communibus Capituli, dari solita, devolvuntur, non ad Successorem in Canonicatu, vel Præbenda; sed ad Capitulum penes quod est administratio ejusmodi bonorum communium, eâ tamen ratione, ut Capitulum ea vel distribuat inter singulos Præbendarios, vel Canonicos simplices, vel reservet futuris necessitatibus, sic Abb. *in dict. c.* 12. *n.* 5. Covarr. *ib. n.* 2.

2138 Bona verò, quæ non ex communibus Capituli proventibus pervenerunt, sed ipsius Ecclesiæ, post mortem beneficiarii, devolvuntur ad Ecclesiam, unde sunt profecta; & ideo dari debent illis, qui bonorum, seu redituum ejusdem Ecclesiæ curam, & administrationem habent, videlicet Prælato, Archidiacono, Præposito, qui separatos reditus habent non assignatos ex bonis communibus Capituli, vel Rectori Ecclesiæ Parochialis, vel alii beneficiario habenti administrationem; si autem defunctus plura beneficia (seu Canonicatus) in diversis Ecclesiis habuit ab Ecclesiis profecta, sive non patrimonialia, aut quasi patrimonialia bona ejus, inter Ecclesias, vel Successores in administratione, secundùm proportionem sunt dividenda, ita, ut plus perveniat ad illam Ecclesiam, à qua Beneficiarius plus reddituum accepit; sed hoc intellige in dubio, an ex hac, vel illa Ecclesia tales proventus ab eo percepti, nam ubi constaret, quòd percepta ab una ex dictis Ecclesiis, etiam redundantia expenderit omnia in suam sustentationem, & pios usus, vel dum viveret, vel dum in infirmitate existeret, quantumvis abundantia fuerint, bona relicta ad solam alteram Ecclesiam pertinebunt, sic Abbas in cit. c. *Relatum à n.* 11.

§. 2.

An consuetudine obtineri possit à Clericis facultas testandi etiam ad usus profanos?

2139 ANte responsionem *not.* 1. sermonem hìc esse de facultate per ultimam voluntatem *ad usus profanos* disponendi de bonis superfluis, ac redundantibus decenti Clericorum sustentationi, intuitu Ecclesiæ acquisitis, quæ cæteroquin, post obitum Benefic. debentur tali Eccles. ut hactenus dictum est; dixi, *ad usus profanos*, nam eos inter vivos, vel etiam, dum in ægritudine constituti sunt, donare posse ad pios usus, vel etiam remunerationis gratia, jam dictum est, sed non, disponendi per ultimam voluntatem, unde prima quæstio est, an consuetudine obtineri possit facultas etiam *disponendi ad pios usus per ultimam voluntatem* de talibus bonis? 2. an etiam ad usus *profanos*.

2140 Ad 1. ℟. *posse*; sic Abb. in c. *Cùm in Offi-ciis n.* 5. Molin. *D.* 147. *n.* 25. & alii communiter, quod enim ad pias causas de dictis bonis superfluis per ultimam voluntatem disponere non possint, est prohibitum solo jure Ecclesiastico, hoc autem abrogari potest consuetudine contraria, legitimè inducta, de quo diximus *l.* 1. *tit.* 2. *de Constit.* nec obstat, quòd ratio negandi Clericis facultatem per ultimam volunt. disponendi etiã ad causas pias, fuerit, ut illis præscinderetur finis congregandi divitias, & opes in eum finem, quo post suum obitum relinquerent grandem sui memoriam, atque adeo potius inter vivos expenderent ad pias causas;

nam

nam dato, Canones intendisse hunc finem laudabilem; non propterea tamen illaudabilis est etiam alter finis non vanus, qui est etiam à morte benefacere piis causis, cùm ille finis totam adhuc legis intentionem relinquat intra terminos meri juris humani.

2141 Dices: prohibitionem de bonis, quæ Clerici sunt adepti per Ecclesiam, *disponendi ad pias causas per ultimam voluntatem* solùm intelligi de *bonis comparatis* à Clerico ex fructibus immediatè perceptis intuitu obsequii præstiti tali Ecclesiæ; non autem *de ipsis fructibus* immediatè perceptis; ergo de his testari poterunt saltem ad pias causas, ant. probatur ex *c. fin.* de peculio Clericorum, ibi: *si quis sanè Clericorum agella, vel vineolas in terra Ecclesiæ sibi fecisse probabitur sustentandæ vitæ causâ, usque ad diem obitus sui possideat; verum, post suum decessum, Ecclesiæ restituat, nec testamentario aut successorio jure cuiquam hæredum, prohæredumve relinquat, nisi forsan, cui Episcopus, pro servitiis, ac præstatione Ecclesiæ, largiri voluerit*; ergò solùm prohibentur testari de bonis comparatis ex reditibus. R. N. ant. nam textus à nobis allati à n. 2127. expresè loquuntur de omnibus bonis per Clericos acquisitis intuitu Ecclesiæ, non necessariis congruæ ipsorum sustentationi; sed ea etiam, quæ de reditibus immediatè acquisitis intuitu Ecclesiæ comparârunt, sive mobilia, sive immobilia sint, sunt bona per Clericos acquisita intuitu Ecclesiæ; ergo. Nec obstat, quòd in dict. *c. fin.* solùm fiat mentio *de agellis, & vineis*; hoc enim propterea factum est, quòd dubitaretur in hoc casu speciali, an meliorationes factæ per Clericum in rebus Ecclesiæ sint meliorantis? consequenter dè illis disponere possit? ad hoc enim responsio data est, quòd sint meliorantis, dum vivit, etiamsi dimittat beneficium; testari tamen de illis non possit; qua responsione nihil præjudicatur aliis juribus, de quibus à n. 2127.

2142 Ad 2. R. à pluribus affirmari, Clericos per consuetudinem obtinere posse facultatem de superfluis disponendi etiam ad usus *profanos* per ultimam voluntatem; pro hac sententia apud Pirhing *h. t. n.* 39. referuntur Covarr. *in cit. c. Cùm in officiis* 7. *n.* 9. *h. t.* Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 9. *q.* 1. Garcias *tr. de benef. p.* 2. *c.* 1. *n.* 16. & seqq. Lessius *lib.* 2. *de Just. c.* 19. *n.* 43. Zoës. *in comment. ad Decret. n.* 7. *h. t.* Barbos. *in collect. in cit. c. Cùm in officiis n.* 6. & 7. & alii apud illos, qui ajunt id consuetudine receptum esse in Gallia, & Hispania, quoad Clericos Beneficiarios, Episcopo inferiores, ita ut ipsi de dictis reditibus licitè in foro conscientiæ testari possint ad usus profanos, modò non sint vani, & inutiles, & relinquere bona suis consanguineis, etsi divitibus, qui etiam ab intestato in eisdem bonis succedere possint, his accedit Haunold[2], qui *tom.* 2. *de Just. tr.* 6. *n.* 257. docet, posse consuetudine induci, & ab Ecclesia permitti, ut hujusmodi testamenta valeant, adeo, ut qui inde aliquid accepturi sunt, sine scrupulo ea possint retinere, esto Clerici peccent sic disponendo.

Hujus doctrinæ probationem videtur 2143
fundare in duplici capite; primò ex supposito, quòd Clerici bonorum superfluorum sint Domini, ex quo sic arguit: quamvis Clerici inter vivos bona superflua obligentur non expendere in usus profanos, si tamen expendant, valet actus, & qui accipiunt, per se non peccant, nec tenentur restituere: suppositum autem illud tradit *tom.* 1. *tr.* 4. *n.* 71. *ex Trid. Sess.* 23. *de Ref. c.* 1. ubi dicitur, quòd Clerici pro rata temporis absentiæ fructus suos non faciant; unde arguit: ergo, si non absint, fructus faciunt suos, hoc autem sonat dominium acquirere.

Deinde ex eo, quòd obligatio non ex- 2144
pendendi proventûs superfluos in usus profanos non sit juris naturalis, vel divini, sed tantùm humani, ergo contra hanc obligationem legitima consuetudo (sicut contra plures alias leges juris tantùm humani) prævalere potest, *ant. prob. tom.* 1. *tr.* 4. *n.* 82. *§. negativam*; quia si esset juris naturalis, vel divini, nulla consuetudine potuisset induci facultas testandi ad causas profanas de his bonis, quam tamen consuetudinem esse, negare non possumus, scientibus, & non improbantibus Superioribus Ecclesiasticis, prout fusè prosequitur Aug. Barb. *lib.* 3. *jur. Eccl. c.* 17. *& seq.* contra Molin. Deinde nullo solido fundamento probatur hæc obligatio naturalis in eo sensu, quo videtur à suis Authoribus asseri.

Confirmat hoc ib. n. 85. ex constitutio- 2145
ne Pauli V. edita 8. Apr. 1602. quæ incipit, *In eminenti*, in qua tribuit omnimodam facultatem incolis, & civibus Urbis Romæ, qui in ea, vel ejus districtu infra decem milliaria, non tamen extra debitâ residentiâ decesserint, liberè & licitè, pro libito voluntatis

disponendi de omnibus suis bonis *etiam provenientibus ex quibuscunque fructibus, reditibus, proventibus, juribus, obventionibus, & emolumentis Ecclesiasticis, etiam decimalibus Ecclesiarum, & beneficiorum quomodolibet qualificatorum, quæ in titulum, vel commendam, aut administrationem, vel aliàs quomodolibet, etiam ex dispensationibus Apostolicis obtinent, seu ante obtinuerint, vel imposterum obtinebunt, cujuscunque qualitatis, quantitatis, & valoris existant, per eos acquisitis, vel acquirendis in eadem urbe, & illius districtu, infra decem milliaria consistentibus, tam inter vivos, quàm in ultima voluntate, in favorem consanguineorum, & affinium suorum, & quarumvis aliarum personarum, etiam penitus extranearum*; insuper decrevit, ut iisdem decedentibus ab intestato eorum bona ex bonis, & reditibus Ecclesiasticis supra dictis provenientia per eos acquisita ad eorum hæredes ab intestato venientes liberè deveniant. Idem prius statuit Julius III. in Const. quæ incipit: *Cupientes, ut alma urbs nostra*, edita 6. id. Maji 1549. sicut ergo hoc fieri potest ab his ex speciali indulto, potest per consuetudinem fieri in aliis. Hæc sententia omnino probabiliter affirmat, posse consuetudine à Clericis obtineri facultatem de bonis etiam superfluis testandi validè etiam ad usus profanos.

2146 Certum autem est, Clericos reditus superfluos, sive sint, sive non sint eorum Domini, non posse licitè expendere in usus profanos, sine indulto, seu dispensatione Summi Pontificis, id, quod multis tradidimus in *Tract. Theol. de jure, & just.* & tenet communis, patetque ex *Trid. Sess. 25. de Reform. c. 5.* ibi: Sancta Synodus omnino interdicit Episcopis, *ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant, cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ DEI sunt, consanguineis donent; sed, si pauperes sint, iis, ut pauperibus distribuant*; & paulò post, *quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscunque beneficia Ecclesiastica tam sæcularia, quàm regularia obtinentibus, pro gradûs sui conditione observari, sed & ad Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit.*

2147 Difficultas est, an hæc prohibitio sit juris tantùm humani? an naturalis, vel divini? si enim primum dicitur, videtur meritò concedi, posse consuetudine acquiri facultatem expendendi reditus superfluos tam per dispositionem inter vivos, quàm ultimam voluntatem etiam ad usus profanos; si secundum? negari; cùm adversus jus naturale, & divinum nulla consuetudo prævalere possit, ut tenet communis, dictam obligationem esse juris naturalis & divini censent Abbas in c. *Cùm in officiis n.* 5. Navar. *tr. de reditib. Eccles. q.* 1. *monito* 53. *& q.* 3. *monit.* 1. 2. & 3. Molin. *cit. dis.* 147. *n.* 31. Tanner. *tom.* 3. *dis.* 4. *q.* 6. *dub.* 8. *n.* 249. Laym. *in cit. Disput. thes.* 124. Canisius *in c.* 1. *h.t. n.* 18. Card. de Lugo apud Haunold. *tom.* 1. *tr.* 4. *n.* 83. ratio est, quia ex ipso jure naturali indecens est, oblationes sanctas, & sacras, piâ fidelium voluntate unicè datas Ecclesiis in DEI cultum, & sic ab eisdem acceptatas, expendere in usus profanos; sed res Ecclesiæ, & reditus ex eis, ex pia fidelium voluntate unicè datas esse in DEI cultum, & sic ab eisdem acceptatas esse, certum est: ergo jure naturali indecens est, ejusmodi res Ecclesiæ, & reditus expendere in usus profanos, præsertim in sententia valde probabili (de qua alibi) negante dominium redituum superfluorum etiam hodie esse penes Clericos.

Quòd autem res, bona, & proventus Ec- 2148
clesiastici sint oblationes sanctæ, ac sacræ videtur probari ex eo; quia sunt res DEI, hoc est ad divinum cultum destinatæ, non quasi dominium earum sit penes solùm DEum, sed quatenus fideles illa bona donarunt Ecclesiæ, quasi personam DEI in terris gerenti, his oblationibus volendo honorare DEum, cupientes, ut Ecclesia de illis disponat non aliter, quàm ad DEI cultum inducendum, conservandum & promovendum tanquam fidelis administratrix, & domina, nam posita talium oblationum acceptatione ab Ecclesia facta, oblationes illæ revera evaserunt sanctæ, ac sacræ, non minus, ac alia per Ecclesiæ deputationem: quibus præmissis:

Dicendum, nullâ consuetudine posse ob- 2149
tineri facultatem à Clericis, vel inter vivos, vel per ultimam voluntatem disponendi *ad usus profanos* de acquisitis intuitu Ecclesiæ reditibus, iisque congruæ ipsorum sustentationi redundantibus, & ita tenent Authores jam relati n. 2147. ratio est, quia nulla consuetudo prævalere potest contra jus naturale, & divinum, at ne Clerici de talibus bonis aliter disponant, quàm ad pios usus, non seculares, & profanos,

fanos, præsertim illicitos, est juris naturalis, & divini per *n.* 2147. nec videtur posse rectæ rationi esse consonum, ad seculares, & profanos usus redire tanta quandoque bona, quæ pia Fundatorum intentione unicè ad DEI cultum, & Ecclesiæ conservationem, atque decorem oblata sunt; quis enim prudenter cogitare, aut sibi persuadere potest, Fundatores unquam, vel leviter consensisse, ut ex oblationibus suis, tam liberaliter DEO factis, ditentur Clericorum consanguinei non egentes, sed aliunde locupletes, impendantur ad luxum, vanitatem &c.

2150 Ad rationes in contrarium, & ad 1. in *n.* 2143. R. 1. negando illud suppositum, quod Clerici habeant Dominium redituum superfluorum, ut ostendimus in tr. de jure, & just. Deinde dato, quòd haberent eorum dominium, nihilominus hoc esset vinculatum, ut non possint eas, nisi ad pios usus convertere, ut constat ex ibid. dict. Nec juvat, quod ibid. affertur ex Trid. concedo enim textum, quo dicitur Clericos, *fructus pro rata absentiæ, non facere suos*, hoc est, non acquirere eorum dominium, dist. tamen conseq. ergo per præsentiam faciunt *suos*, qui necessarii sunt ad decentem eorum sustentationem, etiam superfluos; N. conseq. Nec enim sequitur: *absentes, nullos fructus faciunt suos*; ergo *præsentes omnes faciunt suos*, cùm argumentum sic sumatur à contrario ad contrarium, inter quæ datur medium, quòd, si præsentes sint, aliquos faciant suos, nimirum eos, qui ordinati sunt in congruam eorum sustentationem. Responderi etiam potest 2. cum dist. conseq. ergo si præsentes sint, omnes faciunt suos atque adeo etiam superfluos, sed *cum onere illos expendendi in causas pias* C. sine tali onere N. de quo V. dicta superius, *n.* 1971.

2151 Quòd dicitur de constitutione Pauli V. in *n.* 2145. non obstat, nam non propterea, quòd aliquid acquiri possit speciali privilegio summi Pontificis, eo ipso etiam acquiri potest consuetudine immemoriali, ut pluribus jam locis ostendimus. Deinde, quando dicitur, si obligatio fructus superfluos non expendendi ad usus profanos, esset juris naturalis, & divini, nec Pontifex ad hoc posset concedere facultatem, R. cum dist. nec Pontifex ad hoc concedere posset facultatem bono Ecclesiæ id non exigente, & Seclusâ bonorum illorum administratione sibi commissâ, C. bono Ecclesiæ id exigente, & demandatâ illi eorum bonorum administratione N. illatum: summo autem Pontifici demandatam esse bonorum Ecclesiasticorum administrationem secundum quod id exigit Ecclesiæ necessitas, vel utilitas, constat ex c. *Licet* 2. de præbend. in 6. ibi: *Licet Ecclesiarum, Personatuum, Dignitatum aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere, ita, quòd non solum ipsa, cum vacant, potest de jure conferre; verum etiam jus ipsis tribuere vacaturis. &c.* quo etiam habetur, oblationes fidelium sic acceptatas esse, ut is, cui Christi vicariâ potestate competit universalis eorum administratio, exigente bono Ecclesiæ, de iis possit disponere, prout Ecclesiarum necessitas, vel singularis utilitas postulaverit: Pontificem autem in dato casu suæ Constitutionis de qua *n.* 2145. sic processisse, dubitari non debet, hæc autem cessio Fundatorum, *quoad alios, summo talium bonorum administratore inferiores*, ut idem & illi possint viâ usûs sibi tam graviter interdicti, præsumi nec potest, nec debet. Cœterum, quòd Pontifex taceat ad usurpantes sibi jus ex tali consuetudine, probat *patientiam* Ecclesiæ, ne mala graviora fiant; non *approbationem*, juxta illud quod habetur in integra lectione c. *Cùm non ignores* 15. de præbend. ubi Alexander III. scribens Archiepiscopo Genuensi: mirabile, inquit, gerimus, & indignum, quòd uni personæ locum in pluribus Ecclesiis velis concedere, vel in Episcopatu tuo inducere consuetudinem Ecclesiæ Gallicanæ: quæ, *cùm unum ad plura recipiat beneficia, contra Sanctorum Canonum instituta, non approbatur à nobis, licet non possit, præ multitudine delinquentium, emendari.*

Præter dicta not. testamentum Clerici 2152
non subjacere querelæ inofficiosi, vel nullitati ex causa præteritionis, Barbosa in c. 9. h. t. *n.* 3. *Not.* 2. in quæstione, si beneficiatus intra annum decedat, & beneficium alteri sit collatum, qualis sit facienda fructuum divisio inter hæredes, & successorem in beneficio? R. quòd communior sit sententia, fructus pendentes, aut necdum ab Antecessore collectos, aut exactos, per-

tinere ad successorem, separatos verò, & collectos pertinere ad hæredes. Molina tamen *D.* 635. *n.* 7. & Filliucius *tr.* 41. *c.* 6. *q.* 6. *n.* 44. existimant, fructus inter Beneficiati hæredes & successorem esse dividendos, quod idem dicendum est de Beneficiato renunciante intra annum; quia beneficium datum est propter officium, & servitium Ecclesiæ præstitum. Cœterum apud Haunoldum *tom.* 1. *n.* 103. fit mentio Bullæ Julii III. 1550. editæ, qua disponitur, fructus, ubi non spectant ad Cameram, tanquam spolia, spectare ad successores, dummodo realiter, & cum effectu necdum percepti fuerint ab antecessore, & aliis propriis bonis incorporati, quantumvis Beneficiatus omni diligentia conatus sit illos etiam judicialiter obtinere; sed hæc Bulla non est ubique recepta; an in Germania recepta sit? mihi non constat, & usus consulendus est.

2153 Ut autem intelligatur, quæ sint *spolia Clericorum*, not. ex Azor. *tom.* 2. *l.* 8. *c.* 1. *q.* 1. *&* 2. & Pereyra in Elucidar. *n.* 845. per illa intelligi, *ea bona Clericorum*, quæ ipsis vita functis, Romani Pontificis authoritate Fiscus Apostolicus accipit, ne ad eorum hæredes, futurosvè in beneficio successores transmittantur: & sic possunt definiri, seu potius describi, ut sint ea bona à Clericis quibuslibet, etiam Religiosis, ratione, & jure Ecclesiæ acquisita, vel ex negotiatione contra Canones comparata, & post obitum relicta; hinc *spoliorum ad R. Cameram Apostol. spectantium nomine* (ut ex variis constit. & text. probat Augustin. Barbosa tr. de appell. verb. appell. 247.) *continentur bona Ecclesiasticarum personarum, sine licentia Sedis Apostolicæ de eis disponentium:* item, *acquisita ob illicitam negotiationem; deinde relicta illegitimis: nec non bona vacantia: fructus similiter anteliterarum Apostolicarum expeditionem, aut aliàs malè perceptis: item bona Regularium decedentium extra claustra: bona Clericorum morientium extra residentiam, denique fructus Beneficiorum Italiæ Sedi Apostolicæ reservatorum, vel affectorum, dum vacant*; at, non continentur ornamenta, & paramenta Ecclesiarum, nec supellectilia domestica, nec bona Clericorum, qui beneficia, aut pensiones non excedentes summam ducatorum triginta habuerunt; sic illi.

§. 3.

An, & qualiter Regulares testari possint?

2154 R. quantum est ex jure communi, Religiosos *solenniter professos paupertatem*, non posse validè testari etiam ad pias causas; cùm non habeant proprium, & sint incapaces dominii in sua propria persona, seu habendi nomine suo. c. *Quia ingredientibus.* 19. *q.* 3. *c.* 2. *h. t.* Incapax autem dominii, est etiam incapax testamentum faciendi, cùm testari sit actus dominii Sanchez. *l.* 7. *Moral. c.* 8. *n.* 2. id, quod etiam extenditur ad Codicillos, & quamcunque dispositionem per ultimam voluntatem, ut constat ex c. *Quia ingredientibus* 2. h. t. & ratio est, quia, cùm nihil habeat suum in particulari persona, omnis ejus dispositio est sine potestate disponendi; quod tamen intellige, sine concessione summi Pontificis; sic enim non exercet usum repugnantem voto paupertatis solenniter professæ in illis scilicet rebus, quarum administrationem habet.

Circa Religiosos Soc. JEsu (nam de aliis Ordinibus, si quid præter, vel contra jus commune in hac materia facultatis habent, ex peculiaribus eorum constitutionibus desumendum erit) 2155 *not.* 1. non tantùm Professos, sed etiam Coadjutores tam spirituales, quàm temporales formatos incapaces esse testandi, seu per ultimam voluntatem disponendi, licet non sint professi, cùm ex speciali constitutione Gregorii XIII. quæ incipit: *Ascendente Domino*, reddantur incapaces omnis dominii, *habendi nomine suo.*

Not. 2. Scholasticos Societatis JESU, 2156 quàmdiu non sunt professi, vel Coadjutores formati, esse capaces dominii, *habendi nomine suo*, ut constat ex cad. Constit. Greg. XIII. adeoque posse validè de omnibus, quorum dominium habent, tam inter vivos, quàm per ultimam voluntatem disponere, de quibus V. Sanchez. *cit. c.* 8. *n.* 2. & alii. Idem dic de nostris fratribus laicis, quàmdiu non sunt in Coadjutorum formatorum gradu constituti.

Si quæras, quid in hoc dicendum de Re- 2157 ligionum Novitiis? R. tales, cùm nec dum, in potestatem alterius, voluntatem suam remiserint, bonisque se exuerint, nec Regulæ aut religioni se obligaverint (nam solus habitus non facit Monachum c. 2. h. t.) habere plenum arbitrium disponendi de rebus suis, per Trid. tamen Sess. 25. de Regula-

gularib. c. 16. ubi loquens de Novitiis aliquid moderationis in hoc puncto constitutum est, dum ita loquitur: *nulla quoque renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque causæ pia valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus vicarii fiat, intra duos menses proximos ante professionem, ac non aliàs intelligatur effectum sortiri, nisi secutâ professione, aliter verò facta, etiamsi cum hujus favoris expressâ renuntiatione etiam jurata, sit irrita, & nullius effectûs.*

2158 Circa hoc decretum Concilii Tridentini *not.* 1. in hac prohibitione annullante dispositiones, seu renunciationes à Novitio factas ante bimestre professionis sine præscripta juris solennitate, in hoc decreto non comprehendi Novitios Societatis JEsu, quò minùs *juxta pium eorum institutum*, à Sancta Sede Apostolica approbatum, domino, & ejus Ecclesiæ inservire possint; sed juxta institutum Societatis est, ut etiam novitii *possint* se bonis suis abdicare, ergo; sic Barbos. *in cit. loc.* Trid. *n.* 41. Zoës *h. t. n.* 17.

Not. 2. testamenta, Codicillos, vel donationem causâ mortis factam à Novitio sub hoc decreto non comprehendi; sic Barb. *cit. n.* 14. cum plurimis aliis ibid. citatis, adeoque solum renunciationes, cessiones, & donationes inter vivos sub illa prohibitione intelligi; Sanchez *lib. 7. consil. c. 5. n.* 20. & alii cum Barbosa *n.* 2.

ARTICULUS V.

De his, qui hæredes instituí possint, vel debeant.

2159 QUid sit hæredem instituere? diximus à n. 2008. est enim designatio successoris in universum jus, quod defunctus habuit tempore mortis, dicitur autem *designatus*, qui scriptus est in testamento in scriptis facto, vel nuncupatus in testamento, quod sine scriptis fit, L. 1. §. 1. ff. de hæred. instituend. dixi in *testamento*; nam hæres non codicillis, aut alio genere, quam testamento institui potest, sic Perezius *l. 6. C. tit. 24. n.* 1. debet etiam hæredis institutio esse *expressa*, nam tacita reprobatur, sicut & nutu facta (ubi tamen excipitur pia causa) nam institutio hæredis debet esse *certa*, quæ profecto talis non erit, nutu, vel signis facta; Perez. *cit. n.* 2. quamvis hic idem author *l. 6. C. cit. 24. n.* 2. doceat, valere hanc institutionem: *illum hæredem instituo, qui nominatus invenietur in charta, quam apud Titium deposui*, ex L. 77. ff. de vulgari; pari modo valet, si testator scripsit: *Cujus nomen Codicillis scripsero, ille mihi hæres esto* L. 10. de condit. Instit. sic ille. & quoniam hæres est, & Successor universi juris, quod defunctus habuit, ut dictum est, non potest prius instituí ex re certa, veluti ex fundo, intellige, si quis solus sit hæres institutus; nam si alius sit cohæres scriptus, vel universaliter, vel ex certa parte, vel simpliciter sine parte, scriptus ex re certa pro Legatario habetur; L. 13. h. t. Idem Perez cit. *n.* 10. ubi etiam docet, si plures sint hæredes scripti, significati in re certa, hanc rejici (eodem modo, sicut quando tantùm unus sit scriptus) & singulos æquis portionibus succedere, perinde, acsi ea res certa non esset adjecta, ex L. 10. ff. h. t. his præmissis:

De quæstione proposita communiter 2160
traditur hæc regula: quemlibet hominem posse hæredem instituí, nisi aliquo jure prohibeatur, §. *hæredes*. Instit. de hæredib. instituend. & L. *non minus* 31. ff. eod. ibi: *non minus servos quàm liberos hæredes instituere possumus, si modo eorum scilicet servi sint, quos ipsos hæredes instituere possumus, cum testamenti factio cum servis ex persona dominorum introductum est.* Ex hoc deducitur 1. omnes ordines Religiosos, eorumque domos, & Ecclesias (capaces bonorum temporalium in communi) posse in testamento hæredes instituí; adeoque etiam quemlibet eorum in particulari, licet professum, sed eâ lege, ut is non sibi, sed monasterio acquirat. L. 55. §. *hoc etiam* C. de Episcopis, & Clericis, & coll. ex Clement. *unic.* §. *quia igitur* de Verb. signif.

Not. autem 1. omnes ordines Regula- 2161
res, etiam Mendicantes, esse capaces bonorum temporalium in communi, *exceptis Fratribus Minoribus de observantia & Capucinis*, eorumque domibus, ut videri potest in Trid. S. 25. c. 3. de Regularibus: ex quo deducitur 2. nullum professum, domum, vel monasterium Fratrum Minorum de observantia, vel Capucinorum, capacem esse hæreditatis, vel ex testamento, vel ab intestato, cùm sint incapaces non tantùm dominii etiam in communi, sed etiam specialiter incapaces hæreditariæ successionis, quod etiam dicendum de ipsorum Ecclesiis, ita Sanchez *l. 7. moral. c. 25. n.* 14. ne quidem sic, ut eorum dominium acquiratur Ecclesiæ Romanæ; hoc enim fieri non potest, nisi mediante Religione, quæ tamen incapax omnis dominii ponitur. Barb. *in Trid.*

in Trid. Sess. 25. de Regularibus *c.* 3. *à n.* 2.

2162 Circa domos, & personas Societatis JEsu *not.* 2. Collegia, & domos probationis, imò, & domum professorum, capacem esse capiendæ hæreditatis ex testamento in quo ejusmodi Domus hæres instituitur; quia licet domus Professorum sint incapaces, ut *stabiliter* habeant bona immobilia, ut mox dicemus; nullibi tamen, vel in Constitutionibus, vel jure Ecclesiastico incapaces redduntur hæreditariæ successionis ex testamento ad effectum bona sibi relicta vendendi, prout statim dicemus: sic Barbos. *n.* 10.

2163 *Not.* 3. si in hæreditate domui Professorum per testamentum relicta, sint bona immobilia, eam quidem hæc acceptare posse; sed eâ lege, ut oblatâ opportunâ vendendi occasione vendat, pretium in usus necessarios convertendo. Excipiuntur tamen bona immobilia, quæ Professorum usui, & habitationi servire possunt, hæc enim illis retinere licet, ut rectè docet Sanchez *l.* 7. *moral. c.* 27. *n.* 15. Nam aliàs Domus Professorum, nec in particulari, nec in communi illos reditus annuos, aut bona stabilia retinere possunt, præter ea, quæ habitationi necessaria sunt, vel conducentia, ut dicitur *p.* 6. *Constit. c.* 2. §. 5.

2164 *Not.* 4. nec Domum Professorum, nec Domum Probationis, neque Collegia Societatis vel ex testamento, vel ab intestato, *nomine, vel ratione sui Religiosi*, posse succedere, ita Sanchez *lib.* 7. *c.* 27. *n.* 16. ratio est, quia Professi, & Coadjutores Formati, omnis successionis hæreditariæ, sive ex testamento, sive ab intestato incapaces sunt, juxta prædicta, ut patet ex *p.* 2. *Constit.* §. 12. & tradit Sanchez *cit. c.* 27. *n.* 24. Secùs est de Scholasticis, & Coadjutoribus nondum Formatis; hoc tamen intellige, si talis Professus, vel Coadjutor Formatus, *ratione sui* consideratus, hæres institueretur, nam sic est incapax hæreditariæ successionis; secus, *si intuitu ipsius Societatis*, ut, si *principaliter ipsa Domus* Professa, vel Collegium instituatur, tunc enim valeret institutio, ita Sanchez *cit. l.* 7. *c.* 13. *n.* 61. &, in dubio, institutionem sic esse factam, præsumi debet, si Testator scivit Professum per se incapacem esse hæreditariæ successionis, quia in dubio dispositionem sic interpretari oportet, ut potius valeat, quàm pereat. arg. L. *ult.* C. de usufruct. c. *Abbate* de V. signif. & L. *quoties* 13. ff. de reb. dub. & hoc suadet favor ultimæ voluntatis, in qua plenior, & latior fit verborum interpretatio, per L. *in testament.* 12. ff. de reg. jur. & c. *dilectus.* 6. de donat.

Dices: qui nec in communi, nec in particulari sua persona capax est, *habere dominium bonorum temporalium, non est capax successionis hæreditariæ*; Sed domus Professæ non sunt capaces habere Dominium bonorum temporalium, etiam in communi, ergo: min. patet, saltem *de bonis immobilibus*, nam *p.* 6. *Constit. c.* 2. §. 5. in declarationibus lit. E. sic dicitur: *aliarum rerum mobilium* (*ut pecuniarum, vel librorum, vel earum quæ ad victum, vel vestitum pertinent*) *potest in communi Societas proprietatem ad usum suum habere*, ergo à contrario sensu nequit *immobilium* dominium habere, aut jus civile ad ea repetenda in judicio, & Molina *tom.* 1. de justitia *D.* 195. *col.* 2. *vers. à regula proposita*, sic ait: *bona immobilia, quorum dominium domus professa habere non possunt, si ipsis relinquantur, vendi debent.* 2165

R. N. min. & primò, de *mobilibus* constat ex facta probatione; de *immobilibus* autem constat ex *p.* 6. *Constit. c.* 2. §. 5. in declarat. sub *lit. E.* ibi: *quia, ut in literis Apostolicis dicitur: non est habitura Societas jus civile ad rem ullam stabilem, nisi ad ipsius habitationem, & usum esset opportuna, quid quid stabile sibi datum fuerit, teneatur vendere*, ubi clarè datur *jus civile ad rem stabilem necessariam ad usum, aut habitationem*, & clarius in literis Apostolicis Julii III. in prima ejus Bulla, qua Societatis institutum confirmavit, ad quas constitutio illa se remittit, ibi: *sed nec ad ulla bona stabilia* (*præter ea, quæ opportuna erunt ad usum proprium, & habitationem*) *retinenda, jus aliquod civile acquirere*, ubi *ad reditus* omnino *jus civile* denegatur, eorumque dominium; si verò necessaria non sint, hæc denegantur non absolutè, sed, *ad ea retinenda*, habet ergo ad ea *vendenda* jus, & dominium; nec obstat, quod affertur ex Molina in n. priori, hic enim non negat domui Professæ dominium, & proprietatem rerum *immobilium*, nisi earum, *quæ domus professa habere non possunt*, nimirum *retinendo*, cujusmodi sunt, quæ ipsi opportuna non sunt ad habitationem, & usum. 2166

Si autem casus contingat, quòd domui Professæ obveniat dispositione alicujus defuncti bonum aliquod immobile, non est dubium, 2167

dubium, illi competere dominium, ac proprietatem ejus ad illud, *non quidem retinendum*, (si ad ejus habitationem, vel usum opportunum non sit) sed *ad divendendum*, atq; adeo, *etiam actionem civilem* ad illud jure repetendum ab hæredib⁹ defuncti, quia talis dominii, seu juris, etiam strictè civilis, nullo jure est incapax, ut dictum est: difficultas tamen est, qualiter intelligendum veniat, cùm dicitur: quòd domus professa *ad rem ullam stabilem (habitationi suæ, vel usui non opportunam,) non sit habitura jus civile; sed, si quid tale ipsi datum fuerit, teneatur vendere?* præsertim si non statim adsit emptor, vel, esto sit, qui nolit *emere pretio justo*, quo res digna est? *quanto nimirum tempore rem illam retinere possit in talibus circumstantiis*, vel verò teneatur nihilominus statim, v. g. *intra annum* divendere, etiam infra pretium justum? &c. non ex mente mea, sed Patris Th. Sanchez *cit. l. 7. in Decal. c. 27. n. 22.* (ubi refert à P. N. responsum, *percipere reditus earum rerum* (pro quibus divendendis non invenitur opportunitas Emptoris) *adversari paupertati domuum Professorum, quando id longo tempore duraturũ est; secùs, quando modico*) cujus rationem, *loc. cit.* subjungit Sanch. quia retinere reditus *modico tempore* non repugnat paupertati nostræ, nec Fratrum minorum; secùs, *longo tempore*, tempus autem *breve*, seu *modicum*, de quo in præsenti, censet idem Sanch. n. 6. & 23. cum Viris aliis doctissimis, *quod est minus decennio*, nam utroque jure *longum tempus* reputatur, *decennium*.

2168 Dices etiam exigui reditus domui professæ interdicti sunt, sed in tali casu, quo rem immobilem frugiferam (propter defectum Emptoris) retineret ad tempus minus decennio, & perciperet ex illa reditus, contrarium ageret; ergo. major probatur, ex Bulla Gregorii XIII. incipiente *Ascendente Domino*, ibi: *in domibus verò Professorum, nullos omnino reditus habere possint*, quod idem dicitur *p. 6. Const. c. 2. §. 2. quantumvis exigui sint reditus*, quod adeo verum est, ut nec integrum sit Societati nostræ, habere hos reditus applicatos Sacristiæ, aut Fabricæ Ecclesiæ, ex Const. Julii III. qua confirmavit Institutum Soc. Jes. & Constitut. eorund. *p. 6. c. 2. §. 2. & §. 5. & §. 6. & §. 1. in Declar.* lit. A. ubi explicando votum (quod in Societate JEsu emittunt professi, *non assentiendi relaxationi paupertati ejus*) dicitur, *tunc relaxari paupertatem*, & iri contra hoc votum, *quando admitterentur reditus, aut possessiones in proprium usum, vel ad Sacristiam, vel ad Fabricam Ecclesiæ, vel ad aliquem alium finem domus professæ.*

Rs. 1. per Constitutiones Societatis non 2169
omnino prohiberi domui Professorum, *reditus perpetuos accipere*; sed tantùm, *accipere jus aliquod civile ad illos recuperandos, & administrationem illorum habere*, ut constat ex *p. 6. Const. c. 2. §. 6.* ubi, agendo de eleemosynis his perpetuis & annuis Societatis, vel ejus Ecclesiæ, aut fabricæ relictis, sic dicitur: *Si aliquis sponte suâ eas relinqueret, nullum jus civile ad eas petendas in judicio acquiritur. sed, cùm ad id charitas propter DEum eos moverit, tunc eas elargiuntur*, & *§. 2. in domibus, vel Ecclesiis, quæ à Societate ad auxilium animarum admittentur, reditus nulli, ne Sacristiæ quidem, aut fabricæ applicati, haberi possint; sed neque ullâ aliâ ratione, ita, ut penes societatem eorum ulla dispensatio sit*; & ibi in Declar. lit. B. sic dicitur: *Si aliquis ex Fundatoribus domorum, vel Ecclesiarum vellet reditus aliquos, ad fabricæ usum relinquere, (dummodo nec dispositio eorum ad Societatem pertineat, nec sit unde ei competat actio in illos, quamvis id illi curæ esset, ut is, cui tale munus commissum est, suum officium faceret, & sic in rebus similibus non est id à paupertate Societatis alienum.*

Ad hæc Sanchez *cit. n. 9. Ecce*, inquit, 2170
quàm clarè in Constitutionibus sola administratio, & actio denegentur, nec absolvatur hæres ab ea obligatione, quare, si hæres voluntate Testatoris gravaretur, ut Societati, domui Professorum, vel ejus Ecclesiæ, aut Fabricæ, quot annis persolveret certam summam, hæres in foro conscientiæ teneretur ad solvendum, & domus professa posset accipere ab hærede solvente, ex vi illius obligationis; sic tamen, ut domui professæ *sola actio*, & *administratio* denegetur, ita Sanchez cit. n. 9. qui n. 10. subjungit: quòd, quamvis actio non competat Nostris ad hujusmodi legata recuperanda; poterit tamen Civitas, aut ejus Syndicus, aut quilibet de populo agere, ut ea solvantur, tanquam pauperibus relicta, vel uterque Judex ex officio cogere hæredem.

Rs. 2. *Cum dist. ma.* etiam exigui reditus, 2171
domui professæ interdicti sunt, *quando id longo tempore duraturum est*, unde illi competat actio, & administratio, data ma. Si solùm ad tempus modicum, & breve, nimirum minus decennio, vel ubi nec actio, nec

administratio illi competat, N. ma. at in casu, quo ad tempus, infra decennium, reditus percipit ex re immobili legata, cùm ob defectum Emptoris divendere non potest, non durat longo tempore, & quando hæres gravatus annuatim pendit summam in qua gravatus est, quin domui professæ competat actio, vel administratio, nullum jus civile ad rem stabilem habet: ergo neutrum repugnat paupertati ejus etiam ad tales reditus, id quod apertè etiam tenet Sanchez, ut constat ex dictis.

2172 Quoad alteram tituli partem (*qui hæredes instituti debeant*) advertendum, hæredes ex testamento alios esse *necessarios*, alios *voluntarios*, seu liberos, qui & *extranei* nuncupantur, de quibus agitur *in Instit.* de hæredum qualitate & differentia, *necessarii* olim dividebantur, in necessarios *suos*, & necessarios *non suos*; necessarii in genere illi erant, qui nolentes, volentes, debebant adire hæreditatem; *necessarii sui*, qui debebant necessariò hæredes *instituì*, vel nominatim *exhæredari*, & hi, erant existentes in patria potestate defuncti, tempore mortis filii, vel filiæ, & in filiorum defectum Nepotes, vel Neptes. Isti hæredes *sui* ex duplici capite olim dicebantur *necessarii*: 1. quòd tenebantur adire hæreditatem, 2. quòd debuerint hæredes instituì, vel nominatim exhæredari: hodie autem possunt hæreditatem recusare, & ideo cessat primum necessitatis caput; hæredes necessarii *non sui* olim erant mancipia, hæres autem *extraneus*, & voluntariº, ut possit hæreditatem repudiare, habet jus deliberandi, vel inventarii perficiendi.

2173 Advert. 2. jus, quo hæres *suus* gaudet, ut, nisi nominatim exhæredetur, necessariò hæres instituì debeat, vocari *Suitatem*, & hoc jus etiam posthumis convenire, fingente jure, quòd jam fuerint in potestate, ut habetur §. 2. *Inst. de hær.* quæ ab intestato deferuntur, per *Suitatem* autem intelligitur *hæredum qualitas, qui primum locum in patria potestate tenent, continuationem dominii, necessitatemque successionis, ipso jure inducens*, ad hanc autem requiritur 1. ut quis sit in patria potestate, 2. ut sit conjunctus in primo gradu, hoc est, non habens alium magis immediatè conjunctum existentem. Eâdem juris fictione *Suitatem* retinet filius, factus Episcopus, vel Monachus, & probabiliter etiam competit Nepoti posthumo, concepto vivo avo, & post mortem Patris nato, de quibus Haunoldus *tom. 2. tr. 6. à n.* 379.

Advertend. 3. filios, etiam emancipatos gaudere jure Suitatis quoad *hoc*, quòd debeant hæredes instituì, unde quoad illos, & non emancipatos, quoad istum effectum sublata est differentia, an autem quoad alios etiam effectus in materia successionis inter eos sublata sit omnis differentia, controversum est, de quo Haunoldus cit. n. 377.

Advert. 4. quosdam fieri *suos* fictione ju- 2174
ris, quatenus nimirum finguntur fuisse in patria potestate alicujus, cùm revera nunquam fuerint, veluti posthumus. Ex his prænotatis colliges, quis sit *hæres suus*? hoc est necessariò *hæres instituendus, vel nominatim exhæredandus*? nam aliàs testamentum est nullum per *Inst. de exhær. lib.* sed hoc intellige, *quoad institutiones*, non autem quoad reliqua, ut habetur in Auth. *Non licet C. de lib. præter.* Nec obstat, quòd quis non possit *partim testatus, partim intestatus* decedere; nam hoc verum est, quantum est ex libera voluntate Testatoris; secùs, quantum est ex dispositione juris, & hoc, jure novo etiam ad fœminas extenditur, quòd & ipsæ hæredes instituì, aut nominatim exhæredari debeant juxta §. 5. *Instit. eod.*

Unde advert. 5. hanc juris solennitatem 2175
observandam esse non tantùm à Patre, & Avo paterno, sed probabiliº etiam à Matre, & Avo Materno, saltem eo casu, quo testamento non inserta est causa præteritionis, si verò inserta sit, ea sufficientem habet formam exhæredationis, sic Clar. q. 47. & alii, & probatur ex Nov. 115. c. 3. ex qua desumpta est authentica *Non licet. C. de lib. præter.* id, quod Haun. cit. extendit etiam ad casum, quo liberi emancipati in testamento sunt præteriti, ut etiam tunc testamentum sit nullum ex causa præteritionis, deinde etiam ad adoptatos, qui permanserint in adoptione *l.* 10. *C. de adoption.* 3. ad naturales, quòd à Matre debeant instituì, vel nominatim exhæredari, 4. ad legitimatos post factum testamentum; si enim sint præteriti, rumpunt testamentum Patris.

Dicitur autem *præteritus*, qui cùm sit hæ- 2176
res *suus*, in testamento nec institutus, nec nominatim exhæredatus est; &, *testamentũ rumpi*, cùm, testatore in eodem statu permanente, vitium incurrit in testamentum, ut, si testatori, etiam vivo, post factum testamentum, natus sit posthumus naturalis simul, & legitimus, ex justis scilicet nuptiis, qui in testamento sit præteritus; ubi *not.* hic *posthumum* sumi latè pro nato post testamentum conditum, etiam vivo Testatore; sic Haun. n. 158. *ex* §. 1. *Inst. de exhær. lib.* ubi

dici-

dicitur: *natione posthumi totum testamentum infirmari*, quod procedit etiam de legatis in eo contentis, cùm in hoc jus antiquum mutatum non sit per Nov. 115. quæ loquitur de præteritis, natis ante conditum testamentū.

2177 Advert. 6. ad hoc, ut filius (qui nec institutus, nec nominatim exhæredatus est in testamento) non censeatur *præteritus*, non sufficere, quòd ei aliquid in testamento sit relictum per modum legati, vel alio modo, quàm institutionis, etiamsi illud legitimam excederet, ut habetur Novell. 115. c. 3. Nec etiam per hoc, quòd indirectè substitutus esset hæredi, ut habetur ib. imò, licet etiam directè, per *l.* 43. §. 2. *ff. de vulg. subst.* 3. nec per hoc, quòd, præter unicum, reliqui omnes essent instituti sine ullo extraneo; nam non præteritio hæredis *sui* est de substantia testamenti inter liberos, non autem reliquæ solennitates, quæ in liberorum favorem in tali testamento remissæ sunt, & ideo testamentum inter liberos privilegiatum est, Haun. *cit. n.* 404.

2178 Advert. 7. esse multorum sententiam, *testamentum ex causa præteritionis, scienter factæ, nullum, adjectâ clausulâ codicillari valere in vim codicilli sic, ut præteritus succedat ab intestato, sed gravatus, ut hæreditatem tradat hæredi scripto*; sic Jul. Clar. §. *Test. q.* 46. Peckius *de Test. Conj. l.* 5. *c.* 21. *n.* 2. & alii, contrarium tamen rectius dicitur cum Fachinæo *l.* 4. *c.* 11. & aliis, nam si testator scivit, testamentum suum *ex causa præteritionis* esse nullum, ut ponit casus, & in hunc finem, ut illud validaret, adjecit illam codicillarem clausulam, dupliciter malè egit, nimirum ex affectu improbo erga filium, quem scienter præteriit, ut eum ab hæreditate excluderet; &, in fraudem legis, per talem clausulâ intendens fulcire, contra legis intentionem, suum pravum animum, ne filius, cujus tamen causâ, lex improbat, & annullat ejusmodi testament. ex causa præteritionis succederet.

2179 Accedit, quod sic omne testamentum inter liberos, in quo Pater præteriit unum ex liberis, sustineretur, quod tamen cōmunis negat; seq. probatur, quia in testamento inter liberos semper intelligitur clausula codicillaris, etiamsi non apponatur; ergo si hæc sanat testamentum à defectu nullitatis, ex causa præteritionis, sustinebitur omne testamentum inter liberos, in quo Pater præteriit unum ex liberis; non negatur, magnam esse vim clausulæ codicillaris, per leges ipsi concessam in favorem ultimæ voluntaris; *sed rationabilis, & à legibus non improbatæ*, quæ cæteroquin ex defectu alicujus solennitatis irrita redderetur, nisi sustentaretur virtute talis clausulæ, in præsenti autem casu ea voluntas ultima, qua præteritur filius, maximè *scienter*, legibus improbatur, nec rationabilis est; ergo.

Ratio 1. partis est, quia licet in testamento inter liberos non requirantur solennitates aliis testamentis *communes*, requiruntur tamen *specialiter* ad testamentum paternum *institutio* vel *exhæredatio*, ut constat ex *Instit. de exhær. liber. in princip.* ibi: *Sed qui filium in potestate habet, curare debet, ut eum hæredem instituat, vel exhæredem eum nominatim faciat; alioquin, si eum silentio præterierit, inutiliter testabitur, adeo quidem, ut, si vivo Patre filius mortuus sit, nemo hæres ex eo testamento existere possit; quia scilicet ab initio non constiterit testamentum.* Unde, quòd aliæ solennitates non requirantur, introductum est in favorem liberorum: & quòd requiratur *non præteritio*, est etiam introductum in favorem liberorum: ergo ille prior favor non debet huic præjudicare, sed debent ambo sustineri, & conciliari. 2180

Ratio secundæ partis est; nam, si testator, qui scienter præterivit filium, adjecit clausulam codicillarem, ut præteritus nihilominus consequeretur Trebellianicam, imò & legitimam, opus non erat, ut tam imperitè procederet prætereundo filium *contra legum intentionem; cùm agendo juxta leges* (si non procedit ex improbo affectu contra filium, animo illum excludendi ab hæreditate, sed ex rationabili fine) potuisset eum directè instituere in legitima; in reliquis eum gravare fideicommisso, in quo nulla fuisset difficultas. 2181

Præter dicta *not.* 1. quando dicitur testamentum ex causa præteritionis esse nullum debere intelligi juxta auth. *Ex causa, C. de lib. præterit.* ibi: *ex causa exhæredationis, vel præteritionis irritum est testamentum, quantum ad institutiones, cætera namque firma permanent*; nec obstat, quòd nemo possit partim testatus, partim intestatus decedere; nam hoc verum est, quantū est ex parte testatoris, non autem quantū est per legē, ex n. 2174. 2182

Not. 2. non licere penitus Patri, vel Matri, aut avo, vel aviæ, proavo, vel proaviæ, suum filium, vel filiam, vel cæteros liberos præterire, aut exhæredes facere in suo testamento, nec si per quamlibet donationem, vel legatum, vel fideicommissum, vel alium quemcunque modum eis dederit legibus debitam portionem, *nisi forsan probabun-*

tur ingrati, & ipsas nominatim ingratitudinis causas parentes suo inseruerint testamento, sic in terminis Novella 115. c. 3.

2184 *Not.* 3. Imperatorem, post priora verba, & enarratas causas, ob quas liceat exhæredare, ib. sic concludere: *Sive igitur omnes memoratas ingratitudinis causas, sive certas ex his, sive unam quamlibet, parentes in testamento suo inseruerint, & scripti hæredes veram esse monstraverint unam ex his, testamentum suam habere firmitatem decernimus; si autem hæc observata non fuerint, nullum exhæredatis liberis præjudicium generari, sed, quantum ad institutionem hæredum pertinet, testamento evacuato, ad parentum hæreditatem liberos tanquam ab intestato ex æqua parte pervenire &c.*

2185 Ex hoc videtur legitimè sequi contra communem aliàs sententiam (quæ vult valere testamentum, si ei causa exhæredationis, vel præteritionis *inseratur*, licet postea *non probetur*, & hæredi tantùm succurri per querelam inofficiosi testamenti,) sequitur, inquam, utrumque requiri ad valorem talis testamenti, *& causam esse testamento insertam, & probatam*, & in textu non tantùm sermo est de exhæredatis, sed etiam præteritis, ut patet ex verbis *c.* 3. *in n.* 2183. & deinde subjicitur clausula: *& hæc quidem* (quòd scilicet requiratur causa *expressa*, & *probata*) *de parentum ordinavimus testamentis*; igitur non tantùm ubi liberi *exhæredati*, sed etiam *præteriti* sunt; nec obstant leges antiquæ, si quæ sint in contrarium; nam responsio nostra fundatur in *supr. cit.* Novella, ubi c. 4. Imperator disertis verbis ait: *Si quid huic parti contrarium in veteribus legibus occurrat, nolle se id valere, aut ratum habere.*

2186 *Not.* 4. quando dicitur: testamentum esse nullum *ex causa præteritionis*, probabilius intelligi, si *scienter* facta sit; non autem, quando filium præterivit *ignorans*, vel esse natum, vel putans esse mortuum, tum quia Novella vult irritum testamentum ex causa præteritionis, ne liberi in substantiis parentum *circumscriptionem* patiantur, qui autem ignorat, non præsumitur *circumscribere* voluisse; tum quia talis ignorans non potest præsumi voluisse præterire absolutè, sed solùm sub conditione, si non extet talis hæres suus, qualiter etiam donatio inter vivos, si præter spem liberi superveniant, revocari potest, quia donator præsumitur donâsse sub ea conditione, si non superveniât liberi.

2187 *Not.* 5. aliud esse, quòd testamentum *ab initio sit nullum*, aliud, non esse nullum statim ab initio, *sed postea rescindi*; *not.* 6. quando testamentum statim ab initio nullum est, quòd hæres suus in eo præteritus fuerit; præterito dari remedium juris civilis, quod vocatur *jus dicendi nullum testamentum, not.* 7. olim testamentum, in quo emancipati liberi sunt præteriti, non fuisse *nullum ab initio*, §. 3. *Inst. de exhær. liber.* ib: *emancipatos liberos jure civili neq; hæredes instituere, neq; exhæredare necesse est, quia non sunt sui hæredes.*

Not. 8. his emancipatis, in testamento præ- 2188
teritis, olim non fuisse concessum remedium juris civilis, seu *jus dicendi testamentum nullum* (quod durat 30. annis, nec citius contra illud præscribitur) sed remedium aliud, quod dicitur *Bonorum possessio contra tabulas*; ut habetur *cit.* §. ibi: *hoc autem remedium, nisi intra annum à die notitiæ præteritionis assumatur, cessat*; dubium autem est, an jure saltem novo emancipatis concessum sit illud privilegium civile, *dicendi testamentum nullum?* R. hanc differentiam inter hæredes *suos*, & *emancipatos* jure novo sublatam, & consequenter etiam testamentum, in quo emancipati præteriti, causâ præteritionis non expressâ, vel si expressa sit, non probatâ esse nullum, & ab illis dici posse nullum, probabilius videri.

Ratio est, quia ex §. 5. *de exhær. liber.* cla- 2189
rè habetur, *ea, quæ in hoc puncto vetustas introduxit, sublatam esse, quoad hæredes suos, & emancipatos*, ib: *sed hæc quidem vetustas introducebat: nostra verò constitutio inter masculos, & fœminas in hoc jure nihil interesse existimans, &c. simplex, an simile jus, & in filiis, & in filiabus, & in cæteris descendentibus per virilem sexum personis non solùm jam natis, sed etiam posthumis introduxit, ut omnes sive sui, sive emancipati sint, vel hæredes instituantur, vel nominatim exhæredentur: & eundem habeant effectum circa testamenta parentum suorum infirmanda*, si autem dicas, ibi solùm sermonem esse de testamento *infirmando* vel *rescindendo*, quod non significat testamentum *invalidum*, sed *invalidandum*, R. intelligi non de rescissione *tollente valorem*, sed solùm *declarante nullitatem*; nam quando Imperator in *cit. Nov. c.* 3. dicens, *legata deberi*, quæ facta sunt in ejusmodi testamentis, ob præteritionem, vel exhæredationem illegitimè factis, & in ordine ad ea testamenta illa, *tanquam in hoc non rescissa, vult obtinere quoad legata*, hæc verba referuntur ad omnia testamenta superius reprobata;

sed

sed inter illa etiam ipsi adversarii fatentur, quædam esse *ipso jure nulla*, ergo non loquitur de rescissione *annulante* valorem præexistentem; sed solùm *declarante* esse nullũ.

2190 *Not.* 9. Si testator habeat descendentes, non esse obligationem instituendi ascendentes, cùm hi excludantur ab illis in successionibus ab intestato, in defectu autem descendentiũ, nisi instituantur, vel exhæredentur, causâ præteritionis expressâ & probatâ competere illis subsidium civile dicendi testamentum nullum per Novellam 115. *c.* 4. ibi: *Sancimus itaque, non licere liberis parentes suos præterire, aut quolibet modo à rebus suis, in quibus habent testandi licentiam, eos omnino alienos facere, nisi causas, quas enumeravimus, specialiter in suis testamentis nominaverint, vel descripserint,* & §. 9. *si autem hæc omnia non fuerunt observata, nullam vim hujusmodi testamentum, quantum ad institutionem hæredum, habere sancimus; sed, rescisso testamento* (per declarationem nullitatis) *eis, qui ab intestato ad hæreditatem defuncti vocantur, res ejus dari disponimus: legatis videlicet, & aliis capitulis suam obtinentibus firmitatem.*

2191 *Not.* 10. Si tali casu uterque parens vivat, utrumque instituendum esse, non tamen ex obligatione in plus, quam in legitima, cùm nec in minori quantitate teneretur instituere descendentes; in eo autem, quod est ultra, posse institutionem fieri in portionibus inæqualibus, sicut id potest Pater quoad filios: & quia in ascendentibus non habet locum *repræsentatio*, sicut in descendentibus, si existat sola Mater, & avus paternus testatoris, non tenebitur instituere avum, excluderetur enim in successione ab intestato per testatoris matrem.

2192 *Not.* 11. in casu, quo Testator nec haberet ascendentes, nec descendentes, sed tantùm collaterales (v.g. fratres) eum non teneri, lege justitiæ, aliquid illis relinquere; his tamen, si personam turpem (v.g. concubinam, infamem, jure, vel facto vilem, improbis moribus, lenonem, meretricem &c.) illis præteritis, instituisset, competere jus, non quidem dicendi testamentum nullum, sed rumpendi testamentum per querelam inofficiosi (de qua n.) per L. 27. C. de inofficios. testamento ibi: *fratres, vel sorores uterini ab inofficiosi actione contra testamentum fratris aut Sororis penitus arceantur, consanguinei autem durante agnatione vel non, contra testamentum fratris sui, vel sororis de inofficioso quæstionem movere possunt, si scripti hæredes infamiæ, vel turpitudinis, vel levis notæ maculâ aspergantur*; ubi nota, legem istam hoc jus concedere *solis fratribus germanis, & consanguineis.*

Difficultas est, an in tali casu, per ejusmodo querelam, testamentum rumpi possit in totum? R. quòd communior sententia teneat affirmativam, si tali casu nihil illis relictum esset, ne quidem nomine legati; secùs, si aliquid, &, si hoc adæquet legitimam, satis esse, si enim minus? posse agere ad supplementum, quam sententiam Julius Clarus dicit esse communem, ac æquiorem. 2193

Not. 12. in jure *posthumum* dici, non tantùm eum, qui post mortem testatoris natus est; sed etiam illum, qui post factum testamentum nascitur, vivo testatore, vel jure civili per adoptionem fit filius; fingitur enim natus esse post factum testamentum; ex his alius, est *suus*; alius, *alienus*: alius *quasi posthumus*, & in divisione *suus* describitur §. Instit. de hæred. quæ ab intestato ibi: *posthumi quoque, qui, si vivo parente nati essent, in potestate ejus futuri forent, sui hæredes sunt*; *Sive alienus* dicitur, qui, si testamenti tempore natus fuisset, non fuisset in potestate Patris; quia v. g. natus est ex filio emancipato, vivo; & à fortiore, nepos, qui ex fratre, natus est, posthumus alienus patrui, quia in ejus potestate nunquam esset. 2194

Quasi posthumus vocatur, qui quidem natº est ante confectum testamentum, sed primum post testamentum incipit esse *suus* §. 2. Instit. de exhæred. lib. ibi: *posthumorum autem loco sunt & hi qui in sui hæredis locum succedendo, quasi adgnascendo fiunt parentibus sui hæredes: ut ecce, si quis filium, & ex eo nepotem, neptemve in potestate habeat, quia filius gradu præcedit, is solus jura sui hæredis habet, quamvis nepos quoque & neptis ex eo in eadem potestate sint, sed si filius ejus vivo eo moriatur, aut qualibet ratione exeat de potestate ejus, incipit nepos, neptisve in ejus locum succedere, eo modo jura suorum hæredum, quasi agnatione nanciscuntur*: itaque hujusmodi nepos, cùm natus est, non est suus hæres, quia tamen suus hæres fieri potest, sublato filio, dicitur esse natus inter suos, ut notat Perez *h. t. C. n.* 1. 2195

ARTICULUS VI.

De exhæredatione.

CUm in præcedenti articulo dictum sit, testamentum vel esse nullum, vel sal- 2196

tem rumpi, præteritione illorum, qui alioquin instituendi erant, vel exhæredandi, quæstio nunc est, qualis esse debeat *exhæredatio*, ut jure subsistat, ut testamento non præjudicet? & 1. an facienda sit nominatim? 2. an sufficiat, si fiat solùm conditionatè? 3. an sufficiat, si solùm fiat à certa parte bonorum? 4. an necesse sit quòd excludatur ab omnibus etiam Institutis? 5. an valeat, si in testamento hæres aliquis institutus non sit, seu institutus hæreditatem non adiit? 6. an exigatur, ut exhæredatio fiat ex causâ legitima, seu legibus approbata? 7. an jure novo sufficiat, quælibet causa ex illis, quæ sufficiebat olim, & jure antiquo? 8. an exhæredato, neganti se causam exhæredationis dedisse, incumbat probatio suæ innocentiæ? 9. quæ sint causæ, propter quas fieri potest exhæredatio? 10. an quod dicitur de his causis, extendi possit ad alias, vel similes?

2197 Ad 1. R. affirmativè per textum *L. 2. Instit. tit.* 13. de exhæredat. liberorum in princip. ibi: *qui filium in potestate habet, curare debet, ut eum hæredem instituat, vel exhæredem eum* nominatim *faciat*; alioqui, si eũ silentio præterierit, *inutiliter* testabitur, adeo quidem, ut, si vivo Patre, filius mortuꝰ sit, nemo hæres ex eo testamento existere possit; quia scilicet ab initio non constiterit testamentum: sed non ita de filiabus, & aliis per virilem sexum descendentibus liberis, utriusque sexûs, antiquitati fuerat observatum: sed, si non fuerant scripti hæredes, scriptæve, vel exhæredati, exhæredatæve, testamentum quidem non infirmabatur, jus tamen adcrescendi eis ad certam portionem præstabatur, sed nec nominatim eas personas exhæredare parentibus necesse erat, sed licebat inter cœteros hoc facere.

2198 Ad 2. R. quòd non, per L. *etsi* 3. §. *Purè autem* 1. ff. de liberis posthumis hæred. instit. ibi: *purè autem filium exhæredari Iulianus putat: quâ sententiâ utimur.* Sed circa responsionem ad 1. nota, sufficienter censeri *nominatim* exhæredatum, si sic exprimat, ut sciri possit, quem velit excluſum, esto proprium ejus nomen non exprimat, ut colligitur ex cit. L. 3. ibi: *etsi pepercerit filium dicere, ex Seja autem natum dixit, rectè exhæredat, & si cum convitio dixerit, non nominandus, vel non filius meus, latro, gladiator, magis est, ut rectè exhæredatus sit, & si ex adulterio natum dixerit.* Circa responsionem 2. nota, quòd filius exhæredatione dignus, possit, sub certa conditione hæres scribi, & sub apposita exhæredari per textum L. 4. C. de Instit. ibi: *si Pater filium, quem in potestate habebat, sub conditione, quæ in ipsius potestate non erat, hæredem scripsit, nec in defectum ejus exhæredavit, jure testatus non videtur.*

Ad 3. R. non sufficere; per L. *Cùm quidam* ff. de liber. & Posthum. ibi: *cum quidam filiam ex asse hæredem scripsisset, filioq; quem in potestate habebat, decem legasset, adjecit, & in cætera parte exhæres mihi erit, & quæreretur an rectè exhæredatus videretur? Scævola respondit, non videtur*: & in disputando adjiciebat, ideo non valere, *quoniam nec fundi exhæres esse jussus*, rectè exhæredaretur, aliamque causam esse institutionis, quæ benignè acciperetur. Nec obstat, quòd quis possit instituì in re certa, sic ut detracta rei certæ mentione, intelligatur institutus in omnibus, ex hoc enim non fit argumentum, quòd similiter fieri possit exhæredatio; nam *institutio* favorabilis; *exhæredatio* autem odiosa, quæ proinde interpretatione benignâ non est juvanda. 2199

Ad 4. R. ut exhæredatio, prout hic oportet, legitimè fiat, necessarium esse, quòd excludatur ab omnibus institutis ab eo, ut nulli etiam sit substitutus, de quo cit. L. 3. *§. fin.* Ad 5. tali casu rem redire ad causam intestati, si enim hæres scriptus hæreditatem non adeat, nihil horum, quæ in testamento scripta sunt, valet, adeoque nec exhæredatio, hinc exhæredatus potest ab intestato bonorũ possessiones contra tabulas petere per textum L. 20. ff. de bonorum possess. contra tab. ibi: *sed cùm exhæredatio non aditâ hæreditate, ex testamento nullius sit momenti.* 2200

Ad 6. R. affirmativè; nam dispositio irrationabilis, vel ex causâ non legitima, non parit effectum civilem, præsertim alteri præjudicantem. Ad 7. R. nullam sufficere, nisi sit una ex expressis in Authent. *Ut enim de appellatione*, collat. 8. c. aliud quoque capitulum, ubi textus sic habet: *Sancimus igitur, non licere penitus Patri, vel Matri, aut Avo, vel Aviæ, proavo, vel proaviæ*, suum filium, vel filiam, vel cœteros filios præterire, aut exhæredes in suo facere testamento, nec, si per quamlibet donationem, vel legatum, vel fidei commissum, vel alium quemcunque modum eis dederit legibus debitam portionem, *nisi forsan probabuntur ingrati, & ipsas nominatim ingratitudinis causas parentes suo inseruerint testamento.* 2201

Sub-

Subjungit deinde: *Sed quia causas, ex quibus ingrati liberi debeant judicari, in diversis legibus dispersas, & non apertè declaratas invenimus*: quarum aliquæ nec dignæ nobis ad ingratitudinem visæ sunt, aliquæ verò, cùm essent dignæ, prætermissæ sunt: *ideo necessarium esse prospeximus, eas nominatim præsenti lege comprehendere*, ut, præter ipsas, *nulli liceat ex alia lege ingratitudinis causas opponere*, nisi, quæ in hujus constitutionis serie continentur; causas autem justas ingratitudinis decernimus esse has. De quo V. à nobis dicta *l. 4. Decret. à. n.* 488.

2202 Ad 8. ℟. quòd non; sed in eo casu incumbit probatio hæredi scripto; nam iste stat loco Testatoris ex tali causâ hæredem, cæteroquin jure instituendum, repellentis, quod ei cum effectu non est permissum causâ non probatâ, unde si hæres scriptus defecerit in probatione, exhæredatio nulla est, & exhæredatus potest agere contra testamentum per querelam inofficiosi (de qua n. 2222.) vel etiam *per dicendo*: *testamentum nullum*, ex præced. Ad 9. ℟. eas causas jure novo approbatas, ut propter illas justè fieri possit exhæredatio, à nobis esse singillatim relatas *lib. 4. Decret. à. n.* 490. Ad 10. ℟. negativè propter clarum textum in contrarium relatum n. priori, ibi: *præter ipsas, nulli liceat ex alia lege ingratitudinis causas apponere* &c. id quod fusius dedimus *lib. 4. à n.* 495. contra Fachinæum l. 5. Controvers. juris c. 78. & ideo etiam Haunoldus *tom. 2. tr. 6. n.* 464. negativam, standoin puncto juris, ait esse verissimam, cui etiam subscribit Antonius Perez, Molina, Card. de Lugo, & alii apud eundem citati.

ARTICULUS VII.

De legitima.

2203 LEgitima est quota, seu certa pars vel portio, juris dispositione, tituloque legitimæ successionis definita est, potest autem *legitima* dupliciter considerari 1. prout debita jure naturæ, & sic stat vice alimentorum, 2. prout debita dispositione juris civilis, & sic dispositione juris antiqui erat quadrans, seu certa pars hæreditatis relictæ deducto ære alieno, & funeris expensis, ut habetur §. ult. Instit. de inoffic. testam. jure autem novo, si sint tantùm quatuor, vel pauciores liberi, est *triens* hæreditatis, respectu descendentium, adeoque tertia pars bonorum Patris, vel Matris inter eos, æqualiter dividenda; Si verò sint plures, quàm quatuor, legitima est *semis*, seu media pars bonorum Patris, vel Matris, avi, cui succeditur juxta Authent. *de triente*, & semisse. Novell. 18. §. 1. auth. *Novissima* C. de inoffic. testam. cùm Glossâ in c. *Raynutius* h. t. V. *Quartam partem*; advertendum autem, de reliquis bonis, quæ sunt ultra legitimam, posse Patrem, vel avum liberè disponere prout vult, quin teneatur hæredibus, etiam *suis*, ea relinquere, modò illis relinquat *legitimam*; quibus positis:

Quæstio 1. est, an legitima sit pars *bono-* 2204
rum, vel *hæreditatis*? 2. an filius repudiatâ hæreditate possit nihilominus consequi legitimam? 3. quibus debeatur legitima? 4. quanta esse debeat? 5. quomodo accrescat? 6. quo titulo relinquenda? 7. an crescentibus bonis paternis augeatur etiam legitima? 8. ex quibus, & à quo possit designari? 9. qualiter sine gravamine relinquenda? 10. an, & qualiter filius sibi possit in legitima præjudicare? 11. quo juris remedio legitima, non relicta, possit obtineri? 12. quo supplementum non relictæ integræ?

Ad 1. ℟. distinguendum inter *Bona*, & 2205
Hæreditatem; Bonorum nomine veniunt illa, quæ remanent deducto ære alieno; Hæreditatis autem cumulus omnium relictorum post mortem, etiamsi obnoxia sint Creditoribus; prima pars constat ex L. 39. §. 1. ff. de V. S. ibi: *Bona intelliguntur cujusque, quæ deducto ære alieno supersunt*; altera ex dict. à n. 1823. ubi tamen nota, *hæreditatem* sumi materialiter, & formaliter: *materialiter*, prout diximus, pro omnibus relictis post mortem, licet obnoxia sint Creditoribus; *formaliter* pro illis, quæ carent omni gravamine, ac onere: quibus positis ad 1. quæstionem ℟. legitimam esse *partem bonorum*, ratio sumitur ex L. 8. §. 9. ff. de inoffic. testam. ibi: *quarta autem accipiatur deducto ære alieno, & funeris impensis*, quo habetur, legitimam esse partem relictorum post mortem, *non includentium onus æris alieni*, at hoc onus non includunt *Bona*, includit autem *hæreditas* ex L. 119. ff. de V. S. ibi: *Hæreditatis appellatio sine dubio continet etiam damnosam hæreditatem*, ergo. Unde, quando dicitur, *quid quid titulo institutionis relinquitur, aut relinquendū est, est quota hæreditatis*; sed legitima sic relinquenda est; ergo est pars, seu quota hæreditatis. ℟. majorem concedi de hæreditate *materialiter*, non autem, *formaliter* accepta, &, sub hac distinctione, admitti consequentiam; cùm enim *legitima* sit quota, seu pars *Bonorum*,

norum & *bona* sint quota, seu pars *hæreditatis materialiter acceptæ*, etiam *legitima* erit quota, seu pars *hæreditatis materialiter acceptæ*.

2206 Ad 2. R. affirmativè, nam ex n. præced. legitima est pars bonorum, & Bona sunt pars hæreditatis; sed potest quis renuntiare *hæreditati*, quin renuntiet *Bonis*: ergo etiam, quin renuntiet legitimæ: minor ex eo est, quia renuntiare toti, *quà tali*, non est renuntiare cuilibet ejus parti. Deinde Creditor à suo debitore institutus hæres, potest repudiare hæreditatem, non repudiato debito ex alio titulo L. 5. C. de hæredit. action. sed legitima est naturæ debitum, & tanquam æs alienum per Novell. 1. §. 2. ergo.

2207 Ad 3. R. legitimam deberi 1. liberis utriusque sexûs, etiam emancipatis, & Religionem (capacem bonorum temporalium, & successionis) ingressis, si sint naturales, & legitimi; 2. etiam legitimis tantùm, seu adoptatis, vel arrogatis, sive antè, sivè pòst nati sint adoptanti liberi, ut colligitur ex L. *fin.* ff. siquid in fraudem, ibi: *Constitutione Divi Pii cavetur de impubere adoptando, ut ex bonis, quæ mortis tempore illius qui adoptavit, fuerunt, pars quarta ad eum pertineat, qui adoptatus est*, sed & bona ei, quæ acquisivit Patri, restitui jussit, si causâ cognitâ emancipatus fuerit, quartam perdit; *si quid itaque in fraudem ejus alienatum fuerit, quasi per Calvisianam, vel Favianam actionem revocandum est*, quod intelligendum venit etiam de postea legitimatis ab eo, qui potuit iis constituere jus natalium legitimorum etiam ad temporalia; Qui verò illegitimè nati, nec legitimati sunt, deberi legitimam à Matre, non autem Patre, tradit Haunoldus *tom.* 2. *tr.* 6. *n.* 487. in defectu autem filiorum, & filiarum legitima debetur nepotibus succedentibus in locum, parentum, saltem, si isti non fuissent legitimè exhæredati.

2208 Ad 4. R. id constare ex dict. à n. 2203. hæc alii complectuntur his versibus: *Quatuor, aut infra dant Natis jura trientem; Semissem verò dant Natis quinque, vel ultra: arbitrium sequitur substantia cætera Patris*, sic Authent. *Novissima*, C. de inoffic. testam. desumpta ex Novell. 18. c. 1. ibi: *Novissima lege cautum est, ut si quatuor sunt filii, vel pauciores, ex substantia deficientis, triens, si plures sint, semis debeatur eis quoquo relicti titulo, ex aquo scilicet inter eos dividendus; cujus portionis, nec usufructu, defraudari liberi à parentibus possunt.*

2209 Ad. 5. R. loquendo de accrescentia portionis, ex triente (ubi sunt filii pauciores, quàm quinque) respondentis alioquin uni ex illis exhæredato, eam fieri cœteris; &, si ex eis unus sit cohæres universalis, non hæredi, sed cœteris, quantumvis in re certa, vel in sola legitima institutis, id, quod pluribus probat Haunoldus *cit. à n.* 493. tunc enim exhæredatus non numeratur, quo posito trientem in pauciores distribuendo, sine dubio plus uni venit, quam si etiam in eum distribueretur.

Ad 6. R. Legitimam esse relinquendam 2210
titulo institutionis; per Novell. 115. c. 3. & quidem sic, ut si relicta esset eo titulo solùm in parte, posset agere ad ejus supplementum; unde id, quod dicitur in Novella 18. c. 1. ubi habetur: *sive quis illud institutionis modo, sive per legati, idem est dicere* correctum est per Novellam 115. quæ quinque annis post priorem edita est, anno salutis 541. quæ tamen solùm loquitur de legitima debita liberis *à parentibus*, non autem à fratre fratri, & hoc, quod diximus, etiam procedit in testamento inter liberos; ne cœteroquin, quod illis concessum est in favorem (*ne in hoc opus sit observare solennitates*) constitutio de relinquenda legitima titulo institutionis, illis ab hoc exclusis, favor ille cedat in detrimentum.

Ad 7. R. legitimam esse metiendam ex 2211
quantitate *Bonorum*, prout tempore mortis reperitur; ergo si tempore mortis bona Patris aucta, vel diminuta reperiantur, etiam aucta, vel diminuta erit legitima. Quare, si, dum Pater filio Religionem ingredienti, vel nubenti, sponte dedit legitimam, v. g. trientem, seu tertiam partem assis, nimirum ex 12. millibus bonorum suorum, quæ tunc essent, ex quibus desumi debebat triens, & deinde post mortem Patris aucta sint in duplum, ut sint 24. millium, triens erit auctior, v. g. Octo millium. ant. sumitur arg. L. 6. C. de inofficios. testam. ibi: *cum quæritur, an filii de inofficioso Patris testamentum dicere? si quartam partem bonorum mortis tempore testator reliquit, inspicitur*; & hoc verum est, esto accepta semel triente prius, quàm bona Patris aucta essent, renunciasset sine juramento, de quo casu Videri potest L. 35. §. 1. C. eod.

Pro hac quæstione ulterius exponenda 2212
not. 1. Patrem ante mortem suam per se loquendo non teneri liberis dare legitimam; posse tamen dare, si velit, cùm nullo jure prohibeatur, si tamen civiliter moreretur,

sic

sic, ut sub hoc nullius dispositionis capax esser (puta, si Religionem profiteretur successionis incapacem) filius statim posset agere ad legitimam, &, quia esto professus esset Religionem successionis capacem, ipse nihilominus evadit incapax omnis dominii, & dispositionis juxta Jus Canonicum, idem probabilius dicendum foret.

2213 *Not.* 2. dupliciter augeri posse bona, extrinsecè & intrinsecè. *Extrinsecè* augentur, v.g. partu ancillæ, alluvione, reditu servorum ex captivitate, &c. *Intrinsecè* verò, quando rerum æstimatio augetur & crescit, prout secundùm diversa tempora, frumentum, & alia jam minus, jam plus valent, imò, & ipsa moneta. *Not.* 3. augmentum extrinsecum sic distinguendum esse, ut attendatur augmentum bonorum, vel ex causa de novo posita, prout fit in exemplis allatis; vel ex causa jam posita, dum Testator viveret v. g. si quis ex debitoribus hæreditatis non erat solvendo, & ideo ejus debitum non numerabatur in bonis Testatoris, post mortē verò factus est locuples, & solvendo.

2214 *Not.* 4. quando dicimus: augeri legitimam auctis bonis, ex quibus desumitur non debere intelligi de augmento extrinseco, sive causa præexstiterit, sive non; sed de intrinseco; ratio primi sumitur ex textu, de quo n. 2211. ubi dicitur, *quoad legitimam* inspici tempus mortis secundùm quantitatem bonorum, *quæ tunc sunt*; & quamvis ibi sermo sit de quarta parte assis; hodie tamen est triens, seu tertia, ut supra diximus. Deinde si ex bonis, quæ mortis tempore fuerunt, debitam partem dedit libertus in hæreditate, vel legato, servus tamen post mortem liberti reversus ab hostibus augeat patrimonium, non potest Patronus propterea queri, quòd minus habeat in servo, quàm haberet, si ex debita portione esset institutus, verba sunt l. 44. §. 2. *ff.* de bonis libertorum: ratio secundi est; quia legitima pertinet ad filium *statim*, post mortem Patris secundùm quantitatem bonorum, ex quibus debetur, *quæ tunc erat*, sed debetur secundùm eam quantitatem, quam habent tempore mortis; ergo si tempore mortis sunt ab æstimatione hominum majora, quàm ante, major erit legitima, sed incrementum istud, qua res crescit ex æstimatione hominum est intrinsecum; ergo, antecedens est ex *l.* 36. §. 1. *C. de inoffic. test.* ibi: *quia nostra Constitutio omnem dilationem, omnemque moram censuit esse subtrahendam, ut quarta pars pura, & mox, filio restituatur.*

Contra id, quod à n. 2211. dictum est, 2215
opponi potest *l.* 42. *ff. ad leg. Falcidiam*, ubi dicitur, quòd servi, qui apud hostes sunt, post mortē Testatoris reversi, quod ad Falcidiam pertinet, locupletiorem faciant hæreditatem; ergo etiam portionem legitimæ. R. quòd servi post mortem Testatoris reversi augeant hæreditatem quoad Falcidiam, probari ex *l. cit.* sed non quoad legitimæ portionem; cùm stet in contrarium §. 3. ib. quo habetur, nihil legatariis prodesse, si ante aditam hæreditatem per servos hæreditarios, aut ex partu ancillarum hæreditariarum, aut ex fœtu pecorum tantum accessit hæreditati &c. idem habetur in *l.* 30. *ff. ad leg. Falcid.* rationem dat Glossa, quia, ut post eorum reditum non sit locus detrahendæ Falcidiæ eo modo, quo fuisset, si non rediissent, servi post reditum, finguntur nunquā fuisse capti, adeoque jam extitisse in patrimonio defuncti tempore mortis, hæc autem fictio propter oppositum textum in cit. §. 3. admitti non potest quoad portionem legitimæ.

Ad 8. R. à Testatore posse assignari legi- 2216
timam in aliqua re certa, si adæquet pretium legitimæ, sit paris utilitatis, ac res cæteræ hæreditariæ, nec sit obnoxia certis oneribus, quæ meritò molesta, & gravia sint filio; posse etiam in pecunia numerata, non tamen in solo usufructu, nullâ proprietate relictâ, per *Nov.* 19. *c.* 3. *in fine*. Ad 9. R. constare ex *l.* 32. & 36. §. 1 *C. de inoffic. Test.* legitimam esse relinquendam *sine gravamine*. lex 32. sic habet: quoniam in prioribus sanctionibus illud statuimus, ut, si quid minus legitimâ portione his derelictum sit, qui ex antiquis legibus de inofficioso testamento actionem movere poterant, *hoc repleatur*; ne occasione minoris quantitatis testamentum rescindatur; hoc *in præsenti addendum esse censemus, ut, si conditionibus quibusdam, vel dilationibus, aut aliqua dispositione moram, vel modum, vel aliud gravamen introducente, eorum jura, qui ad memoratam actionem vocabantur, imminuta esse videantur, ipsa conditio, vel dilatio, vel alia dispositio moram, vel quodcunq; onus introducens tollatur & ita res procedat, quasi nihil eorum testamento additum esse.* Sic Justinianus Imperator.

Lex autem 36. §. 1. ita: Cùm autem quis 2217
extraneo hærede instituto, restituere eum filio suo hæreditatem suam, cùm moriatur, disposuerit, vel in tempus certum restitu-

rionem distulerit, *quia nostra constitutio, quæ antea composita est, omnem dilationem, omnemq; moram censuit esse subtrahendam, ut quarta pars pura mox filio restituatur, in hujusmodi specie, quid faciendum sit dubitatur? sancimus itaque quartæ quidem partis restitutionem jam nunc celebrari, non expectata, nec morte hæredis, nec temporis intervallo*: reliquum autem, quod post legitimam portionem restat, tunc restitui, quando Testator disposuit: sic etenim filius suam habebit portionem integram, & qualem leges, & nostra constitutio definivit, & scriptus hæres commodum, quod ei Testator dereliquit, cum legitimo moderamine sentiet.

2218 Ex his legibus habetur, legitimam esse relinquendam sine gravamine, nisi insit ipsi rei, & non minuat valorem ejus, quod pro legitima debitum est; quare uxori non potest Testator relinquere usumfructum in legitima filio debita, cùm in hac filius, & proprietatem, & usumfructum habeat, per Authent. *Novissima. C. eod.* ibi: *novissima lege cautum est, ut, si quatuor sint filii, vel pauciores, ex substantia deficientis triens; si plures sint, semis debeatur eis*, quoquo relicti titulo ex æquo, scilicet inter eos dividendus: *Cujus portionis, nec usufructu defraudari liberi à parentibus possunt*, &c. sic de aliis oneribus.

2219 Ad 10. ℟. filium posse sibi præjudicare per renuntiationem legitimæ, nam per renuntiationem, vel repudiationem hæreditatis non eo ipso repudiari legitimam, constat ex n. 2206. Cœterùm esto filiæ renuntiatio post acceptam dotem, quòd hâc contenta esse velit, jure civili non teneat; tamen accedat juramentum, *vi hujus* tenebitur renuntiationi stare, secundùm dicta l. 1. Decret. Si autem authoritate propria legitimam occuparet, proprietatem ejus perderet in pœnam per *L.* 7. *C.* Unde vi, *& L.* 2. *C.* quando, & quibus quarta.

2220 Ad 11. ℟. Si quarta ad aliquem arrogatum deferatur ex constitutione Divi Pii, quia hic neque hæres, neque bonorum possessor sit, utile fore familiæ erciscundæ judicium necessarium; sic colligitur ex L. 2. §. 1. ff. famil. erciscund. quod intellige, si tota legitima petatur, competit etiam hæreditatis petitio, quia cùm relinqui debeat titulo institutionis, accipitur tanquàm hæreditas, consequenter quà talis peti potest; unde cùm diximus superius, legitimam esse partem *Bonorum*, non *hæreditatis*, sub data inibi distinctione accipiendum est, ut procedat de hæreditate formaliter accepta; quantum est ad incommoda hæreditatis, non autem acceptæ materialiter.

Ad 12. ℟. posse obtineri conditione per 2221
L. *omnimodo* 30. C. de inoffic. testam. ubi Glossa lit. C. *olim filius, inquit, habens minus legitimâ, querelâ inofficiosi utebatur ad testamenti rescissionem, hodie non rescindit, sed tantùm agit ad legitimam, aut ad ejus supplementum*, ex hoc habetur, cur ista condictio ex lege (qua agitur ad supplementum legitimæ) non præscribatur, nisi 30. annis, licet succedat in locum querelæ inofficiosi, quæ durat solùm quinquennio; nam illa tendit ad conservandum testamentum, & ideo inducta est in odium querelæ, quæ illud penitus subvertebat, consequenter illa continet favorem, ista odium, ante non oportebat, ut in hoc casu quoad durationem superet naturam querelæ cui subrogata est.

ARTICULUS VIII.

De querela inofficios.

2222 *I*Nofficiosum *testamentum*, ut notavimus supra *n.* 1996. quod confectum est contra officium pietatis, scilicet erga personas extraneas, filiis sine legitima causa exhæredatis; seu, ut alii dicunt: quod certis personis immeritò exhæredatis, non officio pietatis factum videtur, cujus impugnandi remedium extraordinarium jure civili introductum est *querela inofficiosi*, qua quis petit ejusmodi testamentum rescindi; per ly *certis personis* notantur illæ, quæ saltem in aliquo casu debent hæredes institui, non ponitur ly *silentio præteritis*, sed *exhæredatis*, quòd hæc querela non omnibus *præteritis* competat, dicitur remedium *extraordinarium*, quod non detur, nisi deficiente *omni alio remedio*, quo, salvo testamento, possit hæreditas, vel legitima obtineri, an autem hæc querela sit propriè *actio*, an solùm *imploratio* officii Judicis? sub opinione est, quibusdam volentibus hoc secundum, ut notatum est *n.* 1996. aliis affirmantibus primum, quia est jus persequendi in judicio, quod sibi debetur, quæ est definitio actionis, his præmissis:

2223 Dubium 1. est, an hodie inter ascendentes, & descendentes locus sit Querelæ? 2. ad quos transeat Querela? 3. contra quos detur? 4. in quibus casibus cesset? Ad 1. ℟. Si testamentum inofficiosum inter eas personas

sonas est nullum, non esse locum *Querelæ*; quia tunc non est necessaria ejus rescissio; si autem valeat, esse locum, & in ordine ad hoc resolvendum, difficultas est, an valeat testamentum, quo Pater exhæredavit filium propter causam in jure agnitam ut legitimam, in testamento expressam, sed non probatam ab hærede? in hac quæstione, ut testamentum valeat, necesse est, quòd exhæredatio legitimè facta sit, secùs enim nullum est, per dicta supra, quia verò etiam diximus, hodie requiri, quòd & causa jure agnita debeat *esse expressa in testamento, & probata*: sequitur, testamentum, de quo in præsenti, esse nullum, consequenter, querelæ non esse locum, & ita tenet Hunnius, & Rath, apud Haunold. *tom. 2. tr. 6. n. 616.* nam in dato casu ponitur causam exhæredationis *non esse probatam*, quia tamen etiam in dato casu Querelæ locum esse, tenet communis Doctorum, saltem in praxi, ut notat iste; *theoricè* probabilior quidem erit opinio, quam retulimus in responso nostro, *in praxi* autem sequenda consuetudo. Quarè supponendo hanc opinionem, in praxi receptam, in tali casu dari locum querelæ, saltem in foro fori, secundum eam, quæstiones reliquas hic resolvemus.

2224 Unde sequitur 1. Querelæ locum esse 1. quando liberi cujuscunque sexûs à Patre non legitimè sunt exhæredati, vel in testamento Matris, aut avi materni sunt præteriti, id quod etiam procedit de emancipatis ex Novell 118. c. 1. ubi sine discrimine liberi ad paternam successionem vocantur, sive hæredes instituantur, sive nominatim exhæredentur pari effectu circa testamenta parentum suorum infirmanda &c. Sequitur 2. eidem esse locum non tantùm, cùm liberi testamentum Patris accusant de inofficioso; sed etiam cùm parentes testamenta liberorum §. 2. Institut. h. t. 3. si fratres, vel sorores præteritæ accusent de eodem in statu, quo turpes personæ institutæ sunt §. 1. Instit. eod. & hoc quidem ita, ut jure repræsentationis idem possint eorum filii, vel filiæ, saltem ita, ut rescisso testamento per alium (v. g. fratrem, vel sororem sui Patris) cum eo, & ipsi possint succedere.

2225 Ad 2. &. jus Querelæ inofficiosi transire tam ad hæredes *suos*, quàm ad extraneos, sed ad illos etiam non præparata, ad istos autem solum præparata, hoc per litis contestationem, vel intimationem, ut habetur L. 34. C. h. t. & L. 36. ibid: ibi *Si decesserit filius, hujusmodi querelam, licet non præparaverit, ad suam posteritatem transmittet*: ad extraneos verò hæredes tunc tantummodo, quando antiqui liberis insertam præparationem faciet. Ad 3. autem &. dari contra illos, qui hæreditatem ex tali testamento inofficioso adiverunt; nam, si præteritus vel exhæredatus ipse est in possessione illorum bonorum, ab hærede conventus potius per modum defensionis, vel exceptionis, contra ipsius petitionem opponet querelam ex L. 8. §. 13. ff. h. t. Ad 4. &. numerari communiter sequentes casus 1. si suppetit remedium ordinarium hæreditatem obtinendi; 2. si exhæredatio legitimè facta sit; 3. quando exhæredatus ipse sponte renunciavit; 4. si saltem aliquid titulo institutionis acquisivit, quo casu solùm aget ad supplementum.

ARTICULUS IX.

De substitutionibus.

QUid, & quotuplex sit *substitutio?* dixi- 2226
mus *à n.* 2003. ubi communiter notatur, hæredem directè institutum (qui etiam quando gravatur, ut ad alium hæreditatem transmittat, vocatur hæres *fiduciarius*) fieri verum hæredem, non autem fideicommissarium, & hunc non acquirere jus, antequam ille adeat hæreditatem, unde, si ille ante testatorem moritur, exspirat fideicommissum, & succedunt hæredes ab intestato, quibus positis, pauca solùm insinuabimus, 1. de certorum terminorum in hac materia usurpatione, & singularum substitutionum (de quibus à n. 2003.) peculiari effectu.

§. 1. *De Substitutione vulgari.*

LOquendo igitur de prima specie Substi- 2227
tutionis, nimirum *vulgari*, expòsita n. 2004. *not.* hanc fieri posse à quolibet Testatore, & ideo dici, ut loco cit. notavimus, substitutionem directam, & simplicem, quâ quis, absque particulari privilegio, hæredem sibi substituit. *Not.* 2. præcipuum substitutionis *vulgaris* effectum esse, ut, si hæres institutus non potuit, aut noluit adire hæreditatem, Substitutus succedat in bonis propriis Testatoris, *l. quàm diu* 69. *ff. de acquirend. & amittend. hær.* non autem in bonis propriis hæredis instituti, Sylvester V. *hæreditas* 4. *q.* 4. Hæc autem substitutio exspirat 1. Si Institutus hæreditatem adeat, cùm enim sit conditionalis (*si institutus non erit hæres*) in dato casu deficit conditio,

adeoque substitutio. *L. post aditam 5. C. de impub. & aliis Substit.* quod procedit etiam per bonorum possessionem, sic Haun. *tom. 2. tr. 7. n. 21.* sed intellige, si non negligat, etiam post aditam hæreditatem intra annum exequi voluntatem defuncti; secùs enim per leges hæreditate privatur: exspirat 2. *Si substitutus moriatur ante Institutum*, nimirum antequam conditio substitutionis expleatur, ut notat Haun. *tom. 2. tr. 7.* ubi rectè docet, *spem non transmitti ad hæredes*, vel ante aditam ab ipso hæreditatem. Et tali casu Substitutus nullum jus ad hæredes suos transmittit *L. unica. §. in novissimo C. de caduc. toll.* ratio hujus est, quia jus, quod necdum habuit defunctus, nisi in spe, & quod in bonis ejus non fuit, non potest transmitti ad hæredes illius; hinc quando dicitur: *venditio rei alienæ non valet*; R. cum distinct. non valet, *quoad hoc*, ut venditor in emptorem transferat rei dominium, vel in præjudicium veri Domini, C. ut emptor *licitè possideat*, vel in præjudicium venditoris pro casu evictionis N. Sichard. in *l. 3. C. tit. 33. l. 3.* nemo enim plus juris ad alterum transferre potest, quàm ipse habeat, *L. Nemo. ff. de reg. jur.* & hæreditas non adita ab instituto potuit deferri substituto præmortuo; sic Molina *tr. 2. D. 183. àn. 7.* & ideo rectè docet Cardinalis de Lugo *Consil. l. 4. d. 4. n. 2.* quòd Societas prætendere non possit hæreditatem ab intestato, nomine Professi, qui ante Professionem omnia sua jura cessit Collegio, contrà Castropal. *tom. 3. tr. 16. D. 1. p. 18.* fine; jura primò contingat, post professionem.

Not. 3. Quando autem propter verborum ambiguitatem, vel obscuritatem dubium est, an substitutio sit directa, vel indirecta, præsumendam esse directam *c. 1. de testam. in 6.* Si Testator Instituto alium substituat *expressè in eventum*, quòd institutus non sit hæres *ex capite impotentiæ* substitutio non extenditur, si hæres non sit *ex capite voluntatis*; nec e contra, ut constat ex *L. 101. ff. de condit. & demonstr.* Nam in conditionibus testamentorum, voluntatem potius, quàm verba considerari oportet, ut ibid. dicitur; si autem Testator non expressit, quod substitutionem faciatin eventum, quòd institutus non sit hæres, ex uno prædictorum capitum, substitutio intelligitur ex quocunque illorum contingat, eum hæredem non esse, sic Haunoldus *tom. 2. tr. 7. n. 15.*

§. 2. De Substitutione pupillari.

2228 ALtera species substitutionis est substitutio *pupillaris*, cujus definitionem retulim' *n. 2005.* dicitur enim substitutio directa, & simplex, qua testator impuberi, in ipsi' potestate constituto, neq; per ipsius mortem in alterius potestatem transituro, hæredem substituit, qui impuberi ipsi sit hæres, si in annis impubertatis decedat, L. 2. ff. h. t. Nota autem, quod Pater, hanc substitutionem facere debeat in suo testamento; quo fit, ut in suo testamento, etiam faciat testamentum impuberis in sua potestate constituti, ut habetur initio Instit. de substitutione pupill. & L. 2. ff. eod. *Not.* 2. quòd Mater non possit *pupillariter substituere*, cùm careat potestate *patria* in liberos, nam ad valorem talis substitutionis requiritur, ut ille, cui quis pupillariter substituitur, tempore mortis patris sit in potestate Testatoris, vel saltem sit posthumus existens in utero Matris, si enim sublata est patria potestas, evanescit substitutio, L. 41. §. 2. ff. h. t. *Not.* 3. tale testamentum paternum cum substitutione pupillari, quandoque vocari tantùm *unum*, L. 20. ff. de pupill. substit. quandoque *duplex testamentum*, alterum *Patris*, alterum, *filii*, tanquam si ipse filius hæredem instituisset. §. 2. Instit. h. t. quo casu, si filius, hæres à Patre scriptus cum pupillari substitutione, patre mortuo non fiat hæres, substitutus sit hæres Patris; si filius fiat hæres, sed moritur ante pubertatem, substitutus sit hæres filii, Instit. de pupill. substit. & L. 2. ff. eod. *Not.* 5. Cùm dicitur, corruente testamento Patris, corruere etiam testamentum filii impuberis in eo contentum, debere intelligi, si illud corruat ex defectu solennitatis, non autem, si ex alio capite, ut videri potest apud Haunold. *tom. 2. tr. 7. n. 59.*

Not. 6. per pupillarem substitutionem 2229 expressam, cùm institutus obit ante pubertatem, excludi Matrem, & omnes ascendentes per lineam maternam, etiam quoad legitimam, quam alioquin filius eis relinquere teneretur, & succedere substitutum, quamvis extraneum, ita Pirhing. de testam. 66. ex c. si Pater, 1. de Testam. in 6. L. *Lucius* 45. ff. de vulg. & pupill. substit. L. *Precibus* 8. C. de Impuberib. & aliis substit. L. *Papinianus* 8. ff. de inoffic. Testam. & hoc procedit quoad omnia, undecunque acquisita. Ex hoc *nota* 7. quòd, cùm impuberes, sibi testamentum facere nequeant, possint

sint sibi hoc factum à Patre, in cujus potestate sunt, adeoque Patrem illorum loco posse testari perinde, acsi ipsi testati fuissent, si eorum testamentum à Patre fiat, ut dictum est prout colligitur ex princ. Instit. de pupill. substit. & L. 1. ac 2. ff. de vulg. & pupill. Molina *D.* 182. *n.* 10.

2230 *Not.* 8. Si Pater in testamento minus solenni (non tamen nullo ex causa præteritionis, aut illegitimæ præteritionis) habente tamen omnia, quæ sufficiunt ad testamentum inter liberos, faciat ejusmodi substitutionem, valere substitutionem pupillarem, si substitutus sit de familia; non autem si sit extraneus; colligitur ex L. *hac consultissima* §. *Ex imperfecto.* C. de testam. *Not.* 9. ad substitutionem pupillarem jure antiquo requiri, ut ille, cui alius substituitur, hæres institueretur, ut habetur L. 2. ff. h. t. sed jure novo authenticorum, pupillariter substitui posse filio impuberi, etiamsi esset præteritus, aut non legitime exhæredatus, imò licet testamentum corruat, eò, quòd filius sit præteritus, quod etiam habetur *c.* 3. §. *fin.* de Test. V. Haunold. *cit. tom.* 2. *tr.* 7. *n.* 59.

2231 *Not.* 10. posse substitui pupillariter omnibus liberis in patria potestate constitutis, qui sunt naturales, & legitimi: non solùm primi, sed etiam ulterioris gradus; 2. in posthumis per *L.* 2. *ff. h. t.* 3. etiam legitimis tantùm, nimirum arrogatis, & adoptatis, qui transeunt in potestatem adoptantis *L.* 10. §. 6. *ff. eod.* sed probabilius, solùm quoad bona, quæ habet ab arrogante, vel adoptante; secùs tamen est, quoad filios naturales tantum, nisi sint legitimati voluntate Patris, quia non sunt in patria potestate; Haunoldus *cit. tom.* 2. *tr.* 7. *n.* 60.

2232 *Not.* 11. primum, & valde æstimabilem effectum esse, quòd substitutio pupillaris *expressa* contineat *tacitam vulgarem*, & econtra, expressa vulgaris, contineat tacitam pupillarem, *per se loquendo*, juxta *L.* 4 *ff. de subst. pupill.* alter effectus est, quòd per illam succedat Substitutus pupillo, ante pubertatem mortuo, in omnibus bonis ipsi, sive à Patre, sive à Matre, aut à Conjugatis, aut aliunde acquisitis, quasi ab ipso institutus esset; *in princ. Inst. de subst. pupill. & L.* 10. §. *ad Substitutos, ff. eod.*

2233 *Not.* 12. hanc substitutionem finiri 1. adveniente pubertate, hoc est, completo anno 14. in masculo, & 12. in fœminis, §. *Masculo*, Instit. de pupill. substit. nam annus ultimus, quo pubertas adepta dicitur, debet esse completus, L. 5. ff. qui testam. Controversum tamen est, an adveniente pubertate exspiret unà cum substitutione pupillari, etiam tacita vulgaris comprehensa in vulgari, ut dictum est superius. De hoc videri potest Pirhing de Testam. *à n.* 68. Haunoldus *tom.* 2. *tract.* 7. *à n.* 99. ubi is negativam, ut probabiliorem defendit ex præsumpta voluntate Testatoris. *Not.* 13. finiri 2. per emancipationem pupilli, per quam exit è patria potestate, in qua esse debet, non tantùm tempore conditi testamenti, sed etiam mortis Testatoris Zoësius in ff. de vulg. & pupillari substit. *n.* 57. ubi plures refert effectus. Circa hunc ultimum effectum quædam notatu digna sunt apud Haunold. *tom.* 2. *de Just. tr.* 7. *à n.* 54. præsertim pro casu, quo impuberes liberantur à patria potestate per professionem sui Patris in Religione.

§. 3. *De substitutione exemplari.*

TErtia species est substitutio *exemplaris*, 2234
quæ, ut notavimus *n.* 2006. sic dicta est, quòd sit introducta ad exemplum pupillaris, ob id, quasi pupillaris vocari solita, & describitur substitutio simplex, & directa, per quam Pater, vel Mater, aut alius ex ascendentibus, liberis furiosis, mente captis, hæredes substituunt L. 9. C. de Impub. substit. & §. 1. Instit. de pupillar. substit. Communior tamen affirmat de furiosis; de prodigis autem secùs est, quia non est vitium naturæ, sed voluntatis; de mutis, & surdis, esto idem affirmet Molina *D.* 182. alii negant, cùm non sint simpliciter intestabiles, L. *discretis* 10. C. qui testamentum facere poss. nisi à natura tales sint, ut vix à mente captis differre videantur.

Præter hæc *not.* 1. Si Pater, & Mater di- 2235
visim eidem diversos substituerent exemplariter, velle aliquos hæreditatem in bonis adventitiis inter substitutos dividendam; in reliquo, substitutum à Patre in paterna, & substitutum à Matre in materna bona debere succedere, sic Bartolus in L. 43. ff. h. t. esto alii putent eo casu prævaliturum substantiationem à Patre factam. *Not.* 2. Si furiosus, vel amens non habet fratres, vel descendentes (nam hi, si essent, juxta cit. L. 9. *illi exemplariter* substituendi forent) illi à Patre substitui debere Matrem, juxta Molinam cum Gomez; sed negari à Wadingo, & Covarruv. quia hoc in cit. LL. Imperator non jubet, & quia exemplaris substitutio imitatur pupillarem, illis excep-

ptis, in quibus jura inducunt diversitatem.

2236 *Not.* 3. Si filius, mente captus, habeat plures descendentes, Patrem non posse unum ex illis substituere, reliquis omninò præteritis; ita Sichardus, & alii; quià hoc est contra pietatem. Ut autem hæc, quæ dicta sunt, rectius intelligantur, apponimus verba §. 1. *Instit. de pupill. substitut.* quæ sic habent: *Humanitatis intuitu parentibus indulgemus*, ut, si filium, nepotem, vel pronepotem cujuscunque sexûs habeant, nec alia proles descendentium eis sit; iste tamen filius, vel filia, nepos, vel neptis, pronepos, vel proneptis, mente captus, vel mente capta perpetuò sit; vel, si duo, vel plures isti fuerint, nullus verò eorum sapiat, licet iisdem parentibus legitima portione ei, vel eis relicta, quos voluerint, his substituere, ut occasione hujusmodi substitutionis, ad exemplum pupillaris, querela nulla contra testamentum eorum oriatur, ita tamen, *ut, si postea resipuerit, vel resipuerint, talis substitutio cesset; vel, si filia, aut alii descendentes ex hujusmodi mente capta persona sapientes sint, non liceat parenti, qui, vel quæ testatur, alios, quàm ex eo descendentes, unum, vel certos, vel omnes substituere; sin verò etiam liberi Testatori, vel testatrici sint sapientes, ex his verò personis, quæ mente captæ sunt, nullus descendat, ad fratres eorum unum, vel certos, vel omnes, eandem fieri substitutionem oportet.*

2237 *Not.* 4. Substitutionem exemplarem probabilius non exspirare, nisi amentiâ radicitus sublatâ, vel ita, ut prudenter judicari possit, non redituram; nam in casu opposito rectius censetur perpetua; an autem, & quando exemplaris substitutio contineat alias, pendet à verbis, quibus exprimitur.

§. 4.

De substitutione reciproca, seu breviloqua, & compendiosa.

2238 QUarta species substitutionis est *reciproca*, quà Pater, duos, vel plures hæredes instituit, eosque sibi invicem substituit, §. *& plures*, Instit. de vulgari substit. Non est substitutio *simplex*, sed *mixta*, plures sub se substitutiones continens, ut notat Pirhing *h.t.n.* 64. & à nobis dictum est supr. *n.* 2007. nec diversam ab aliis substitutionibus speciem constituit, quia solùm in modo, & qualitate ab aliis differt. L. *nam hoc jure* 4. *ff.* de vulg. substit.

Substitutio compendiosa (de qua diximus supra *n.* 2007. quod constituit quintam speciem) dicitur, quæ verborum compendio plures in se substitutiones continet, secundùm diversa tempora, & ætates. Hinc siquis dicat: *hæredem meum instituo Filium, & si is decesserit, substituo illi Cajum*; Cajus succedet ex *vulgari* substitutione, si filius non aditâ hæreditate, vel ante testatorem obierit; si filius aditâ hæreditate, sed ante pubertatem obeat, Cajus succedet ex *pupillari*; si post pubertatem, locum habet substitutio *fideicommissaria*: si denique post pubertatem filius amens fiat, Cajus succedet ex substitutione *exemplari*, sic Covarruvias in c. Raynutius de Testam. §. 9. 2239

Not. præterea, sæpius dubitari posse, quas substitutiones simplices in se contineat substitutio reciproca, seu breviloqua? dicendum id ex qualitate personarum, & circumstantiis colligendum esse, si non sint plures substituti in eodem gradu, nam verbum *substituo*, est verbum *commune*, tam directum, quam obliquum sensum recipiens, & quia alioquin sæpe talis substitutio inutilis esset, quia altero non adeunte hæreditatem, hoc ipso alteri pars ejus accrescit absque substitutione: ergo pro hoc casu esset substitutio inutilis: ergo ut sit utilis, debet esse pro casu, quo alter adit hæreditatem; ergo debet prodesse, ut fideicommissaria; ratio ulterior est, quia censetur favere voluisse substituto; ideo, si huic magis expediat, substitutionem esse *vulgarem*, talis præsumetur facta: sin verò expediat esse *fideicommissariam*, præsumetur talis facta esse. 2240

Ex hoc habetur, quòd substitutio reciproca, seu breviloqua contineat duas *vulgares*, & nullam *pupillarem*, si duo impuberes, sed emancipati substituantur invicem; emancipatis enim non potest pupillariter substitui, quia non sunt in patria potestate. Deinde quòd non contineat duas pupillares, & non vulgares, si filiis impuberibus exhæredatis invicem substituatur; tunc enim vulgares includi non possunt, quia exhæredati non possunt esse hæredes, atqui deberet alteruter posse esse hæres, ut vulgaris substitutio locum haberet. 2241

Not. autem à nonnullis addi sextam speciem, nempe *militarem*, quam definiunt, quòd sit substitutio directa, & simplex, quâ quis ex solo privilegio hæredem sibi substituit; per particulam: *ex solo privilegio* 2242

exclu-

excluditur *vulgaris* substitutio; hic modus specialis stat in eo, cùm quis duos hæredes instituit quoad tempus, primum usque ad tempus, sive certum, sive incertum, ut ad decem annos, vel ad tempus vitæ; alterum verò ex eo tempore, v.g. post decem annos, vel post mortem prioris, vi cujus substitutionis secundò institutus capit hæreditatem adveniente tempore, immediatè à Testatore, neque primò institutus potest aliquid deducere, sicut potest hæres fiduciarius, seu gravatus. De hoc agitur *L. 15. ff. de vulg. subst. & L. 5. ff. de testam. milit.*

§. 5.

De Substitutione indirecta.

2243 SUbstitutio indirecta, seu quod idem est, *fideicommissaria*, in genere dicitur, quæ alicui per intermediam personam, sive per ministerium, & quasi manum alterius relinquitur. Ex quo vides per fideicommissum hæredem ab intestato, vel etiam ex testamento gravari, seu obligari à Testatore, ut hæreditatem, vel totam, vel aliquam ejus partem alteri restituat, quam scilicet Testator ad hoc expressit. Fideicommissum duplex est, aliud *universale*, quando hæres gravatus rogatur, vel jubetur *totam* hæreditatem, vel ejus partem (puta dimidiam, vel quartam) alteri restituere; aliud *particulare*, quando hæres tantùm unam, vel alteram rem particularem ex hæreditate dare jubetur, de quo in Instit. est Titulus de rebus singulis per Fideicommissum relictis. Hoc in plerisque sequitur naturam legati, & jure novo ab illo re ipsa non distinguitur, ut notat Zoësius in *ff. ad S. C. Trebellian. n. 9. Not.* autem hæredem directum, substitutione fideicommissariâ gravatum, vocari hæredem *fiduciarium*, eum verò, cui hæres directus hæreditatem restituere tenetur, vocari hæredem *indirectum*, *& fideicommissarium*, quibus positis.

2244 Quæres 1. quis sit effectus substitutionis fideicommissariæ: R. quòd sit iste, ut si hæres directus, fideicommisso in testamento, vel etiam ab intestato, gravat⁹ in Codicillo, hæreditatem alteri relinquendam nolit adire, officio judicis cogi possit, ut adeat, & aditam alteri restituat *§. ergo.* Instit. de fideicom. hæred. Unde si Testator hæredem directum gravet fideicommisso, censetur illi hoc onus imposuisse sub hac conditione tacita, *si sine liberis decesserit*, (nisi oppositum exprimat) ex L. 102. ff. de condit. & demonstr. & L. 30. C. de fideicommiss. Quarè, si hæres Fiduciarius liberos suscipit, quilibet substitutus extraneus, & uxor, excluditur, sic Zoësius *cit. n.* 30.

Quæres 2. an filius substitutione fidei- 2245
commissariâ gravatus, ut, si moriatur *sine liberis*, hæreditatem v.g. Titio relinquat, per hoc, quòd fiat Religiosus, censeatur mortuus, ad effectum faciendæ transmissionis in alterum, & hoc ipso hæreditas fiat substituti? R. 1. ex jam alibi dictis per ejusmodi substitutionem substituto ante conditionis eventum nullum jus acquiri, nisi spem, seu jus conditionatum, *si institutus sine liberis decesserit*, quia taliter substitutus est secundò institutus sub conditione suspensivâ.

R. 2. si Substitutus moriatur ante insti- 2246
tutum, substitutionem exspirare quoad illum; quia jus illud nunquam in eo fieri potest absolutum, non quàm diu substitutus vivit, vivo instituto, capace juris temporalium, vel in se, vel in communitate, in qua naturaliter vivit; quia sic nec naturaliter, nec civiliter mortuus est ad effectum retinendi fideicommissum, ut magis patebit ex dicendis; *non etiam*, postquam substitutus mortuus est, quia sic non est capax ullius juris; ergo. Sic Thomas Sanchez. L. 7. summæ. *c.* 16. *n.* 10.

R. 3. Substitutionem sub conditione, *si* 2247
institutus decesserit sine liberis, non sortiri effectum *per mortem civilem instituti*; quia *mortis* appellatione venit tantùm *mors naturalis*, quando sumus in conditionali dispositione, vel fideicommissaria; ita Surdus, Tuschus, & alii, quos citat, & sequitur Barbosa de Appellativis, appellat. 157. *n.* 6. & seq. quia conditio purificari debet *in casu vero, non ficto*, L. *qui hæredi. §. Mævius.* ff. de condit. & demonstrat. Mors autem *civilis*, est mors *ficta*, & *non vera* per L. 1. §. *fin* ff. de bonorum possess. contra tabulas; ita Surd. citatus: per totum; ubi expresè habet substitutum *pro casu mortis* non admitti per mortem *civilem instituti*; & ideo mors civilis non æquivalet morti naturali in conditionibus implendis, vel in materia fideicommissaria, ut pluribus ostendit Barbosa in tract. de locis communibus argumentorum juris, loco 74. n. 2. sed de hoc jam alibi actum est.

R. 4.

2248 R. 4. directè ad propositam quæstionem 2. instituto, taliter gravato, profitente in Religione capaci bonorum temporalium in communi, prorsus exspirare illud fideicommissum; ac ea bona in perpetuum transire ad monasterium, excluso penitus substituto; juxta dicenda in sequentibus & ita tenet Sanchez *tom.* 2. in decalog. l. 16. *à. n.* 1. quia hoc expressè decisum est in §. *Sed & hoc præsenti.* Authent. de Sanctiss. Episcopis, ex qua desumpta est authent. *Nisi rogati* C. ad S. C. Trebellian. prout etiam habetur c. *In præsentia.* 8. de Probat. ubi dicitur, *evanescere fideicommissum, seu substitutionem, & hæreditatem applicari monasterio, si rogatus restituere totam hæreditatem, si sine liberis decedat,* ingressus religionem decedat sine liberis. Authentica verò, *nisi rogati,* sic habet: *Nisi rogati restituere datum dotis causa, vel propter nuptias donationis, vel relictum sub conditione nuptiarum, vel liberorum, monasterium, vel alium locum venerabilem ingrediatur: sive restitutio, aut substitutio fiat sub prædictis conditionibus, sive in redemptionem captivorum, seu in egentium alimenta.*

2249 Authentica verò altera, ex qua desumpta est prior, in codice meo habetur *cit. loc. c.* 37. & sic habet: *Si quis sub conditione nuptiarum, sive liberorum, sive dotis causâ, sive antenuptialis donationis donaverit, sive reliquerit suis liberis, sive alii cuicunque personæ hæreditatem, sive legatum, aut ab initio purè relinquens eis, oneret eos substitutione, aut restitutione, aut sub una prædictarum conditionum reliquerit, vel donaverit, substitutiones verò, vel restitutiones eis fecerit, adjectis conditionibus quibuscunque ex iis, quæ superius enumeratæ sunt,* sancimus, *si personæ talibus conditionibus subjectæ, sive masculi, sive fœminæ Monasteria ingrediantur, aut Clerici, aut diaconissæ, aut ascetriæ fiant, tales conditiones invalidas, & pro non scriptis esse.*

2250 Ex hac tam clara juris dispositione satis videtur probata responsio nostra in n. 2248. & quamvis aliqui (inter quos est Alciatus & Rebellus citati à Sanchez dict. n. 1.) velint, hanc juris dispositionem (quæ ipsis videtur nimis exorbitans) procedere solùm *in foro fori,* non autem *poli,* & *conscientiæ;* meritò tamen rejicitur hæc illorum opinio; cùm eadem juris dispositio recepta etiam sit *in foro Ecclesiastico,* quod utique nihil approbat contrarium foro Conscientiæ. Quarè hoc in utroque foro tenendum est, quàm diu non constat de contraria mente Testatoris, quantumvis utriusque juris dispositioni innitatur præsumptio, qua jus præsumit in favorem Religionis, quod Testator æquè cum filiis gravati dilexerit monasterium, & consequenter in casu, quo instituti carent liberis, (quia Religionem professi sunt,) conditionem appositam (*si decesserit sine liberis*) voluerit habere pro non scripta; pro qua sententia cum, & apud Sanchez *cit. n.* 8. stant complures utriusque Juris Doctores & Theologi.

Illud tamen notandum, tametsi, ut dictum est, complures sint, qui hanc sententiam, juxta decisionem authenticæ *cit.* tueantur, in ratione tamen ejus tradenda non omnes convenire; nam aliqui volunt, eam dispositionem procedere ex eò, quia tunc *monasterium* habetur *loco filii,* seu *liberorum,* fundantes se in verbis c. *in præsentia* ibi: *intelligendum non erat sine hærede decedere, quia monasterium sibi hæredem instituit;* sed hoc dici non potest; quia in textu non dicitur: monasterium *haberi loco filii,* sed loco *hæredis;* unde negandum est, quod illis verbis à parte, non à Pontifice, allegatis, decisio in *dict. c.* innitatur; aliàs enim non posset jure dici, eam conditionem, *si sine liberis decesserit,* haberi pro non scripta, cui tamen utrumque jus innititur; deinde, si gravatus sub ea conditione profiteretur in religione, & monasterium haberetur *loco filii,* excluderetur causa pia, quæ illi fuisset substituta, prout non minus, quàm si talis haberet filium verum; at hoc est contra expressum jus in *cit.* Authent. si quis, ibi: *si tamen in redemptionem captivorum, aut egentium alimenta sub prædictis conditionibus substitutio, aut restitutio fiat, ex nullo memoratorum modo eam excludi permittimus.* 2251

Ex dict. coll. quoties substitutus excluditur per monasterium, ipsum in perpetuum excludi, ut constat ex *cit.* Auth. de SS. Episcopis, §. *Sed & hoc præsenti,* ibi: *nil spectet, ac si non esset.* Colliges 2. quamvis sententia eorum, qui docent in dato casu Substitutum excludi, quando religionem ingreditur, licet moraliter, vel etiam expressè constet Testatoris voluntatem, adjicientis eam conditionem (*si absque liberis decesserit*) esse, ut substitutus per monasterium 2252

sterium non excludatur, adhuc excludi substitutum in perpetuum, satis gravibus fundamentis nitatur, & à plurimis sustineatur apud Sanchez *cit. n.* 11. contrarium tamen probabilius esse, quia tali casu cessat præsumptio de voluntate Testatoris; quòd in hoc casu eam voluerit habere pro non scripta.

2253 Colliges 3. cùm dicimus substitutum in perpetuum excludi, quando gravatus monasterium cum effectu ingredilitur, intelligi debere de monasterio *successionis capaci*. Unde, si taliter gravatus ingrederetur monasterium incapax successionis; probabilius est, statim à die professionis ea bona pertinere ad substitutum; non autem ad alias pias causas, vel hæredes professi, quàm diu hic naturaliter vivit, cùm de voluntate Testatoris constet, quòd substitutum instituti hæredibus prætulerit.

2254 Si quæras, quid dicendum in casu, quo taliter gravatus emitteret vota simplicia in Soc. JEsu? R. Satis probabiliter dici substitutum perpetuò excludi, si gravatus renuntiavit bonis suis in favorem societatis. Nam, ut fideicommissum in dato casu exspiret, & gravamen cesset, sufficit, quòd gravatus verè Religionem ingrediatur, seu Religiosus fiat, & Religio successionis hæreditariæ capax sit, hoc autem totum eveniret in isto casu, ut constat ex dictis, ergo; & ita tenet Sanchez *cit. à n.* 20.

2255 Præter dicta ulterius quæri potest, an hæres *suus*, universali fideicommisso gravatus, deducere possit legitimam simul, & Trebellianicam? ante resolutionem nota, quòd hæres universali fideicomisso gravatus hæreditatem alteri restituere, ex illis bonis possit, quæ restitutioni obnoxia sunt, detrahere, & sibi reservare quartam partem, quam Juristæ vocant Trebellianicam à J.C. Trebelliano, à quò id adjunctum est, ut hæredes instituti, sed ejusmodi fideicommisso gravati, libentius adirent hæreditatem, & Testatorum voluntas ultima securius effectum sortiretur. Hoc inprimis constat ex c. *Raynutius h. t.* deinde etiam ex §. *sed quia stipulationes*, & §. *hoc autem interest*. Instit. de Fideicommiss. hæredit. his præmissis, non est dubium, gravatum posse deducere Trebellianicam locò legitimæ; difficultas autem est, an possit utrumque?

2256 In hac quæstione extant duo Canones h. t. & primus habetur c. *Raynutius* 16. ubi dicitur: In bonis Patris, Matris & Aviæ *habet quis debitum jure naturæ*, in qua gravari nequit; & filius *rogatus de restituenda hæreditate sub conditione, detrahit debitum jure naturæ, & Trebellianicam*, in qua computantur fructus post litis contestationem percepti. Et c. *Raynaldus* 18. *eod.* ibi: *Filius rogatus restituere hæreditatem, detrahit tertiam jure naturæ, & quartam Trebellianicam, in quibus potest legata relinquere, hæredes instituere, & pœnam imponere.* Sed his non obstantibus in diversas opiniones discedunt Authores, nihilominus dicendum videtur, probabilius esse, filium universali fideicommisso gravatum, *præter legitimam*, etiam attento *utroq; jure*, licitè ex hæreditate gravata deducere *Trebellianicam*.

Quod taliter gravatus licitè deducat le- 2257
gitimam constat ex L. *Papinianus.* §. *quoniam.* & §. *quarta.* Item *L. cùm quæritur. L. parentibus* ff. de inofficios. Test. & §. *ultimo* Instit. eod. Quoad secundam verò partem patet ex c. *Raynutius* & c. *Raynaldus* de testam. hoc juris civilis interpretes procedere volunt, quando hæres fiduciarius gravatur sub hac conditione, *si sine liberis decesserit*; non autem, *si purè*. Verùm decisio Papæ in *cit. c.* fundatur in eo, quòd *quilibet, etiam extraneus, deducere possit Trebellianicam*, & quòd legitima gravari non potuerit: at hoc procedit, sive gravatus sit conditione, sivè purè; ergo utroque casu (spectato jure Canonico) post detractam legitimam deducit insuper licitè quartam Trebellianicam.

Unde hoc non obstante dicendum ulte- 2258
rius, idem in utroque casu licitè fieri etiam de jure civili; Sic Fachinæus lib. 3. controvers. c. 2. Ratio est, quia quilibet hæres gravatus, ut hæreditatem alteri restituat, ex hæreditate restitutioni obnoxia licitè deducit *quartam Trebellianicam*; §. *Sed quia*, Instit. de fideicommiss. hæredit. ubi hoc conceditur, ne hæres alioquin ob nullum, vel modicum lucrum recuset adire hæreditatem (habetur etiam §. *nihil autem* Instit. cod.) sed illud solum est hæreditas restitutioni obnoxia, quod supereſt detractâ legitimâ (ut dicitur Novella de restitut. §. *quam ob rem*) ergo ex eo, quod supereſt detractâ legitimâ, licitè deducitur quarta Trebellianica, idque de jure civili (Con-

firm. quia filius sic gravatus per institutionem non privatur jure proprio; sed jure proprio potest deducere legitimam, & jure institutionis, Trebellianicam; ergo.

2259 Hinc negandum est 1. *legitimam* computari pro *Trebellianica*; nam in hanc ea solùm computantur, quæ hæres habet *solo jure institutionis*: non ea, quæ habet *jure filii*, hinc L. *Pater familias.* ff. ad L. *Falcidiam* dicitur: *filiam Falcidiam jure quidem hæreditario; dotem autem, jure proprio habituram.* Negandum est 2. rectè concludi: in aliis, ubi quarta conceditur, unius adeptio, excludit alterum; ergo etiam hìc, nam illud est juris antiqui, circa quod hodie nihil immutatum est: circa nostrum autem casum, jure novo aliquid immutatum est, nempe, ut legitima non veniat in hæreditate restitutioni obnoxia. Negandum est 3. in jure cit. haberis, filium qui deduxit legitimam, cœteras partes hæreditatis integras restituere debere fideicommissario, ut falsò allegatur ab Hotomanno nobis contrario 2. esto haberetur, intelligi potest, reddendas esse, juxta dispositionem legis, Trebellianicam concedentis.

2260 Negandum est 4. duas causas lucrativas non posse convenire in eundem hominem *ex diverso jure*, ut patet ex n. præcedente. Deinde hìc non petitur, nec debetur idem, *bis*. Nam legitima habetur pro excepta ab hæreditate tradenda; Semel ergo debetur *legitima jure proprio*; Semel *quarta Trebellianica*, *jure institutionis*. Negandum est 5. Sic testatori auferri facultatem testandi concessam lege 12. Tabularum; Quia licet hæres gravatus possit deducere legitimam, & quartam, adhuc manet, quòd testator possit alteri relinquere octo uncias, seu bessem, sed juxta legis dispositionem, scilicet, ut quarta pars inde computetur in Trebellianicam.

ARTICULUS X.

De legatis, & fideicommissis particularibus.

2261 QUid sit *legatum*, & *fideicommissum particulare*? constat *à. n.* 2033. ubi etiam *à. n.* 2036. exposuimus, *legatorum* multiplicitatem, ac singulorum definitionem. Cœterùm, *legatum* acceptum non pro re legata, sed actu legandi est donatio quædam à defuncto relicta, & ab hærede præstanda; quamvis jure hodierno non tantùm in testamento, sed etiam in codicillis relinqui possit, & præstari non tantùm ab hærede, sed etiam à legatario, & hæredis hærede, imò etiam à Testatore, à fideicommisso particulari non differt quoad rem, & effectum, sed solùm quoad verborum formam, quòd in hoc verba dirigantur ad *legatarium*, & sic res ei relicta dicatur *legatum*, in isto autem, ad ipsum *hæredem*, quo casu erit fideicommissum particulare, his præmissis:

Dubitari potest 1. àn res aliena legari 2262
possit, quæ scilicet spectet ad omnino extraneum, qui nec hæres sit, nec Legatarius? affirmativa habetur in §. *non solùm. Instit. de Legat. & L. cùm rem alienam ad C. eod. & c. Si Episcopus.* 12. *q.* 5. ibi: *Si Episcopus condito testamento aliquid de Ecclesiastici juris proprietate legaverit, aliter non valebit, nisi tantundem de juris propris facultate suppleverit.* Sed hoc non procedit, si Testator ignoravit, esse alienam, ut habetur *cit.* §. *non solùm*: excipe nisi legasset personæ conjunctæ v. g. uxori; quia in hoc casu præsumptio, quòd non legasset extraneo, si sciviſſet alienam, eliditur per aliam præsumptionem, quod adhuc legaturus fuisset, esto sciviſſet alienam, ex *L. cùm rem.* 10. *C. de legatis.* Cœterùm, si Testator scivit, esse alienam, valet legatum, & eo casu hæres gravatus manet, vel rem legatam à Domino comparatam pretio, vel ejus æstimationem legatario præstare ex eodem §. *non solùm.*

Dices, contrarium haberi in L. *Filius* 5. 2263
h. t. ubi Gregorius IX. ait, querelam ad se delatam à Florillo, quòd quondam Pater suus aliqua Ecclesiæ (causâ sepulturæ in ea) juris alieni reliquerit, & quamvis lege seculi hoc habeant, quod hæres ad solvendum cogatur, si Auctor ejus rem legaverit alienam, *quia tamen lege DEI, non autem lege hujus seculi, vivimus, valde mihi videtur injustum, ut res tibi legatæ, quæ cujusdam Ecclesiæ esse perhibentur, à te teneantur, qui aliena restituere debuisti*; sic ille scribens Episcopo Ecclesiæ, quæ tale legatum tenebat; ad hoc respondetur juxta plurium expositionem, quando in hoc textu reprobatur *legatum rei alienæ*, nihil absolutè mutari circa legatum rei alienæ sed esse casum specialem, quòd Testator *rem unius Ecclesiæ legaverit alteri Ecclesiæ, sepulturæ causâ, filiis modicâ hæreditate, & exigue*

parti-

patrimonio relicto, in quo Pontifex filios noluit obligari ad præstandam æstimationem legati rei alienæ.

2264 Alii autem per hunc textum dici, juxta Jus Canonicum Legatum rei alienæ *tunc* non valere, quando Testator, qui sciebat rem esse alienam, scienter illam detinebat, & non jussit in suo testamento vero Domino restituere, sed potius illam alteri legavit; tunc enim præsumitur contra illum, quòd voluerit eam omnino *usurpare*, & ejus proprietatem legare, ac proinde legatum non valet *quoad ipsam rem*, quia est aliena, neque quoad æstimationem; quia repugnat voluntati Testatoris, qui non æstimationem, sed rem ipsam legare voluit, & sic Legatarius retinendo, vel petendo Legatum, faceret contra legem DEI.

2265 Dubitari potest 2. qualiter intelligendum veniat, quod dicitur L. *legatum* 15. *ff. de legatis.* 2. *& §.* 1. *Instit. eod.* esse donationem quandam testamento, vel melius à defuncto relictam, *ab hærede præstandam*, &c. cum hodierno jure legata relinqui possint, non solùm in testamento, sed etiam in codicillis instar fideicommissorum (*L. & in epistola.* 22. *C. de fideicom.*) & non tantùm ab hærede, sed etiam à legatario, & hæredis hærede, imò etiam Testatore legata interdùm præstentur (*L. hujusmodi.* 84. *§. si Titio. ff. de legat.* 1.) ideo existimare quosdam Doctores cum Zoësio *in ff. de legatis. n.* 9. verba illa (*ab hærede præstanda*) suppositicia esse, & expungenda; quippe, quæ juri antiquo magis, quàm hodierno conveniant.

2266 Dubitari potest 3. qualiter legata relinqui possint? ante resolut. nota legata posse relinqui vel in testamento, vel ab intestato, v.g. codicillo, vel nuncupativè sine alia hæredis institutione; quo casu hæres ab intestato tenetur ea præstare, quia sic defunctus ostendit se velle intestatum decedere, nimirum absque hæredis institutione, & hæredis fideicommittere legatorum præstationem; Sic Abbas in c. *Indicante* 4. *h. t. n.* 3. & in tali casu nulla testium solennitas requiritur, modò constet de voluntate defuncti L. *fin.* C. de fideicommiss. cum Gloss. in dict. c. 4. V. *nudis verbis*, sive legata sint ad pias causas, sive ad profanas, ut habetur dict. c. 4. mox referendo.

2267 Ex hoc habetur, legata etiam ad causas *profanas* relinqui posse sine testamento scripto, *nudis verbis*, sine ulla hæredis institutione, per c. *Indicante* 4. *h. t.* ubi Gregorius Pontifex, scribens Petro Subdiacono Siciliæ, ait, se cognovisse, Romano referente, quòd Uxor Redempti, moriens unam concham argenteam nudis verbis dixerit venumdari, & libertis suis tradi; scutelam quoque argenteam monasterio cuidam reliquerit, & quia dictus Petrus dubitavit, an hæc legata sic relicta præstanda forent? eidem respondit Gregorius: *in utrisque voluntatem ejus per omnia volumus impleri, ne, ex rebus minimis, peccata majora capiamus*; quæ postrema verba videntur insinuare peccatum esse non implere voluntatem defunctorum; etsi non observatis solennitatibus juris eam declaraverint; id, quod probari potest ex 13. *q.* 2. *c.* ultima voluntas. 4. Ubi Gregorius Pontifex: *ultima* inquit, *voluntas omnibus modis conservari debet*, & c. *Cùm esses.* 10. *h. t.* ubi *sub anathematis interminatione prohibetur, ne quis testamenta, quæ Parœciani coram Presbytero suo, & tribus, vel duabus aliis personis idoneis* (in ordine ad perhibendum testimonium) *extrema fecerint voluntate, audeat rescindere*; V. L. Fideicommissum, de condict. indebit.

Ex dict. porrò c. 4. deducitur, legata de- 2268
beri, quamvis nudis verbis relicta; ubi nota, legatum, relictum *nudis verbis*, idem esse, ac relictum *sine Solennitatibus*; nam quæ sine testamento, & Solennitatibus relinquuntur, quia illis opponuntur, *nudis verbis* relicta dicuntur; ut *nuda* voluntas dicitur, in *L.* 1. *ff. de testam. militis*, quia opponitur *solenni*, & in *L. rem legatam, ff. de adimend. legat. nudus* consensus, quia adversatur *solenni*; *& in L. videamus ff. de usuris*, *nuda* proprietas, quæ opponitur *plenæ*, *& in L. Juris* 7. *§. Sed cùm nuda. ff. de pactis*, *nudum* pactum dicitur, quod opponitur *solenni*; similiter igitur in præsenti specie legata *nudis verbis relicta* dicuntur, quia nec *solenniter*, nec *solennibus verbis*, relicta fuerunt.

Hinc verius dici videtur in præsenti casu, 2269
Uxorem Redempti, testamentum fecisse, in eoque Ecclesiam hæredem instituisse; & postea, cùm decederet, legata reliquisse *nudis verbis*, id est solennitate in verbis, aut in ipsa ultima dispositione non observatâ; & hæc juxta decisionem in dict. c. 4. non obstante, defectu Solennitatum, præ-

standa esse; nec enim obstat, quòd legata non nisi testamento, aut codicillo testamentis confirmatis relinqui possint, *L. ab hæreditate.* 126. *ff. de legat* 1. *L. illud.* 13. *§.* 1. *in fine. L. quidam.* 14. *in princip. ff. de jure codicill. L. legatum.* 36. *ff. de legat.* 2. & non quibuscunque verbis, sed solennibus, *L. in legatis* 21. *C. de legatis*, *§. sed olim. Instit. eod.* Nam illud discrimen versatur inter legata, & fideicommissa, quòd legata verbis directis, & legitimis, fideicommissa verò verbis precativis, & obliquis relinquantur *L. penult. ff. de legatis.* 1. *L. proponebatur* 64. *ff. de legatis* 3. *L. nutu* 21. *ff. de legat.* 3. respondetur enim 1. hoc procedere in legatis, quibus faciendis præscripta est servanda *certa verborum formula* juxta diversitatem legatorum, v. g. manumissionis, emancipationis, & similibus; non autem *universim*, ac indefinitè, prout pluribus ostendit Brissonius apud Gonzalez in *dict. c.* 4. *n.* 11. Deinde responderi potest 2. id procedere non de quibuscunque legatis, sed iis tantùm, quæ facit defunctus volens *testari*; non autem si voluit *intestatus* decedere; quod ipsum tamen (si voluit *testari*) non procedit in legatis piis, ut mox dicemus.

2270 Responderi potest 3. id procedere solùm de legatis illis, in quibus locus est dispositioni legum; at hoc non contingit in legatis piis, ut jam alibi dictum est; & confirmari potest ex Concilio Lugdun. canon. 21 ibi: *Si quorumcunque Religiosorum voluntas, aut necessitate, aut simplicitate, aliquid à legum secularium ordine visâ fuerit discrepare, voluntas tamen defunctorum debeat inconcussa manere.*

2271 Ex quo habetur, legata ad pias causas relicta in testamento non pendere ab ejus valore; sed nihilominus præstanda esse, sive testamentum ab initio irritum fuerit ob defectum solennitatum, vel postea irritum fiat, aut rumpatur; quia v. g. hæres institutus, mortuus est, non aditâ hæreditate; vel, quia illam repudiavit, vel ob aliam causam, & hanc sententiam confirmat praxis non tantùm in terris Ecclesiæ, sed Romani quoque imperii recepta, prout tradit Abbas in c. *Relatum* 11. *n.* 6. *h. t.* Covarr. in c. *Raynaldus* 18. *§.* 3. *n.* 11. casu 4. cod. Clarus *§. Testamentum q.* 6. & alii.

2272 Dubitari potest 4. an valeant legata, relicta loco, vel personæ *incertæ*? v. g. quia duo eodem nomine appellantur, nec colligi potest ex conjecturis, aut circumstantiis, cui illorum potius Testator voluerit relinquere? R. jure civili per L. 11. & 28. ff. de rebus dubiis, talia corruere; Sed hoc non procedere in legatis *ad causas pias*, per Authent. *Si quis in nomine*, de Ecclesiast. titulis collat. 9. c. 9. ibi: *Si quis in nomine magni DEI, & salvatoris nostri JEsu Christi hæreditatem, aut legatum reliquerit, jubemus Ecclesiam loci illius, in quo testator domicilium habuerit, accipere, quod dimissum est, si quis autem unum sanctorum hæredem scripserit, aut legatum ei reliquerit, & non specialiter nominaverit locum, in quo est venerabilis domus, inveniantur autem in eodem loco, aut civitate plura oratoria ejusdem Sancti: illi magis domui, quæ pauperior est, quod relictum est, præbeatur; si autem non est in civitate Basilica nominati sancti, inveniatur autem in territorio ejus, illi detur: si autem neque in territorio ejus reperitur hujusmodi domus, tunc Ecclesiæ civitatis, in qua Testator domicilium habuerit, quod dimissum est, præbeatur.*

Dubitari potest 5. an, & qualiter ex legatis detrahi possit *Falcidia*? ante *resolut. vot. per L.* 12. *Tabul.* olim Testatoribus fuisse licentiam legandi, etiam totum patrimonium; deinde hoc restrictum esse per legem Furiam, quæ prohibuit, uni legatario legari ultra 1000. aureos, postea per *L. Vaconiam*, quæ prohibuit, ne quis plus alteri, quàm hæredi relinqueret: quia tamen sæpe ob modicum lucrum (ob legatorum copiam) hæreditatem adire recusabant, novissimè per *L. Falcidiam* fuisse cautum, ne plus legare liceat, quàm dodrantem totorum bonorum, adeoque, ut ita temperentur legata ex tota hæreditate, quo hæredi conservetur quarta pars patrimonii adeo, ut si plus legatum fuerit, quarta pars legatis defalcetur, eamque hæres non solùm per retentionem, sed etiam per vindicationem consequi valeat, *L.* 1. *ff. ad L. Falcidiam*, quæ non à Consule Falcidio, vel à falce; sed à Cajo Falcidio Tribuno plebis denominata est; quibus positis: 2273

Quæres 1. in quibus casibus locum habeat, vel non habeat Falcidia? R. quòd non habeat locum in testamento *militis, L.* 12. *C. de Testam. milit.* 2. nec in legatis *privile-* 2274

vilegiatis per authent. Sed in ea C. h. t. ibi: *Sed & in eare cessat Falcidia, quæ ita relicta est, ne alienetur, sed remaneat apud Successores ejus, cui relicta est*; ubi tamen nota, id, quod aliàs ex his detraheretur, detrahi tanquam æs alienum; hinc *Falcidia* non detrahitur, nisi prius deductis etiam legatis, in quibus Falcidia non habet locum; ut notat Pirhing *de Testam. n. 92. in fine.* 3. hi hæres intra tempus, & juxta formam à jure præscriptam, inventarium non conficit. 4. Si hæres à Judice admonitus, intra annum, Testatoris voluntatem executus non est. 5. Si aliquid surripuit, aut negavit, detraxit, vel occultavit de bonis hæreditariis, quo casu in pœnam negatur detractio Falcidiæ. 6. Si Testator prohibuit detractionem Falcidiæ, hoc enim jure fieri posse constat ex authent. *Sed cùm Testator. C. ad leg. Falcidiam, & Novell.* 1. *c.* 2. id, quod etiam de prohibitione *Trebellianicæ* intelligi debet; cùm & hujus deductio à Testatore prohiberi possit. Potest autem detrahi non solùm ab aliis legatis, sed etiam à Fideicommissis particularibus *L.* 2. *C.* ad legem Falcidiam, quia sunt legatis exæquata, *L.* 1. *ff. de legatis.* 1. imò etiam ex donationibus mortis causâ factis, *L. penult. C. eod. & L.* 2. *C.* de mortis causa donat.

2275 Quæres 2. quomodo detrahenda sit Falcidia? ante *resolut. not.* 1. in computanda hac quarta spectandam esse quantitatem *hæreditatis* relictæ à defuncto secundùm tempus mortis ejusdem; quia tunc hæreditas defertur hæredi tanquam Domino, & ad illud tempus aditio retrahitur. *L. omnis hæreditas.* 138. *& L. omnia* 193. *ff. de Reg. Jur.* & tunc etiam *cedit dies legati*, hoc est, *jus ad legata acquiritur*, Pirhing de testam. *n.* 91. *Not.* 2. prius quam Falcidia detrahatur à legatis, deducendum esse omne æs alienum defuncti, & expensas funeris, & quod in morbum est impensum, & quod ipsi hæredi debetur tempore mortis, nisi Testator expressè prohibuerit; nam legata solvenda sunt ex *bonis* debitoris; *bona* autem non intelliguntur, nisi deducto ære alieno; imò nec ipsa legata sine hoc debentur. Igitur, his omnibus deductis, si hæres hæreditate aditâ inventarium confecit, & legata solvere paratus est, quartam partem totius reliquæ hæreditatis, si sit unius hæres ex asse, vel si plures sint, portionem, in qua institutus fuit, jure deducere potest, habetur ex §. *fin.* Instit. hoc tit. ibi: *Cùm autem ratio legis Falcidiæ ponitur, antè deducitur æs alienum, item funeris impensa, & pretia servorum manumissorum, tunc demum in reliquo ita ratio habetur, ut ex ea quarta pars apud hæredem remaneat, tres verò partes inter legatarios distribuantur, pro rata scilicet portione ejus, quod cuique eorum legatum fuerit.*

Advertendum autem, licet in hoc §. 2276
non dicatur expressè, detrahendum esse, quid quid hæredes in testamenti insinuatione, in conficiendo inventario insumpserint, aut ratione hæreditatis quocunque modo necessario expenderint; hoc tamen revocari posse ad debita, his igitur detractis detrahuntur legata privilegiata; ab eo denique, quod residuum est, detrahitur quarta pars pro hæredibus, & reliquæ tres partes distribuuntur.

Præter hæc *not.* 1. si quid à Testatore re- 2277
lictum sit hæredi etiam titulo legati, etiam ex hoc posse detrahi Falcidiam in casu, quo aliàs ei locus est, per *L.* 91. *ff. ad legem Falcid. Not* 2. esse in Controversia inter Doctores, an legata pia sint *privilegiata* contra Falcidiam? affirmativa conceditur communiter, quando causa pia simul est hæres; difficultas est, si non sit hæres, sed veniat solùm titulo Legatarii? Communior tamen affirmat ex authent. *similiter C. ad L. Falcidiam*, ibi: *similiter Falcidia cessat in his, quæ ad pias causas relicta sunt.*

Hæc authentica desumpta est ex Novell. 2278
131. c. 12. quæ sic habet: *Si autem hæres, quæ ad pias causas relicta sunt, non impleverit, dicens relictam sibi substantiam, non sufficere, ad ista, præcipimus omni Falcidiâ vacante, quidquid invenitur in tali substantia, proficere provisione Sanctissimi locorum Episcopi ad causas, quibus relictum est; Si autem legatum ab aliquo ad pias relinquitur causas, jubemus intra sex menses, ab insinuatione testamenti, numerandos, hoc, modis omnibus, præberi, quibus relictum est; si autem distulerint, qui in hoc onerati sunt, hujusmodi præbere legatum, & fructus, & usuræ, & omne legitimum exigatur augmentum à tempore mortis ejus, qui hoc reliquit.*

Cùm autem authenticæ, relatæ in Co- 2279
dice, desumantur ex Novellis, eatenus obtinent, quatenus istis congruunt, &

vim earum retinent; textus autem authenticæ illius *indefinitè* dicat, quòd Novella 131. *Solùm* dicat *restrictè*, ut patet ex ipso utriusque textu; non adeo certum est, universim hoc procedere ex vi illius textûs, quia tamen communis sententia stat pro causis piis, & detractio Falcidiæ potissimum fundatur in dispositione juris civilis, quæ in causis piis non attenditur, in quantum illis præjudicat, in judicando recedendum non est à communi sententia, ut tradit Zoësius in ff. ad L. Falcidiam; præsertim cùm lex Falcidia contra voluntatem Testatoris inducta sit, ut habetur in *cit. c.* Raynaldus 18. *h. t. in fine.*

ARTICULUS XI.

De portione Canonica, debita Episcopis, ex legatis piis.

2280 DE hac quæstione agitur in c. *Requisisti* 15. *h. t.* quia verò hanc quæstionem ex professo tractamus à n. 3422. eò me remitto; in præsens solùm pauca hic annotando. 1. hanc portionem Episcopo competere ex legatis piis non tantùm factis Ecclesiæ suæ *Cathedrali*, sed etiam *aliis*, non modò Ecclesiis inferioribus, verùm piis quoque locis *in sua Diœcesi existentibus*; ubi nota, signatè dici *Ecclesiis*, & *locis piis*, ne procedat etiam de his, quæ directè fiunt *personis* Ecclesiasticis intuitu suarum personarum, prout ipsum c. *Requisisti* distinguit.

2281 Deinde, per privatam voluntatem aliquid legantis Ecclesiæ, vel personæ Ecclesiasticæ, intuitu ipsius Ecclesiæ, non posse prohiberi, ne portionem suam detrahat Episcopus; hæc enim introducta est per Jus publicum sacrorum Canonum, cui pactis privatorum derogari non potest, *arg. L. Jus publicum.* 38. *ff. de pactis*; nec ullibi reperitur cautum contrarium; nec obstat, quantumvis jure publico introducta sit detractio *Falcidiæ*, vel *Trebellianicæ*, illam voluntate Testatoris prohiberi posse, nam de hoc specialiter cautum est in jure.

2282 Quòd enim detractio Falcidiæ possit prohiberi, habetur in authent. sed *cùm Testator. C. ad L. Falcid.* ibi: *Sed cùm Testator hoc expressim vetuit, non ignarus, quis modus sit sui patrimonii, cessat Falcidia*, &, *si hæres in hoc defuncto non pareat, deferetur hæreditas personis enumeratis Substituto de legatis, & fideicommissis.* Item *Nov.* 1. *c.* 2. *in fine: Si verò expressim designaverit, non velle hæredem retinere Falcidiam, necessarium est Testatoris valere sententiam, &, aut volentem eum parere Testatori, aut, si parere noluerit, eum quidem recedere ab hujusmodi institutione, locum verò fieri Substitutis, & Cohæredibus, & Fideicommissariis, & Legatariis, & Servis, & iis, qui ab intestato sunt, & aliis secundum prius à nobis inventam in talibus viam.*

De detractione *Trebellianicæ* idem de- 2283
ducitur ex verbis cit. Novellæ 1. quia in illo textu Imperator sub nomine *Falcidiæ*, etiam intellexit *Trebellianicam*, ergo sicut illius, ita hujus detractio, vi ejus Novellæ, à Testatore prohiberi potest; ant. probatur; si enim eam non intellexisset sub nomine *Falcidiæ*, Justinianus non bene recensuisset illos Fideicommissarios, qui succedunt, nolentibus parere Testatoris prohibitioni, non enim censendus est loqui de casu Successionis, cui nunquam sit locus; at, si Trebellianica ibi non censetur prohibita, nunquam potest esse locus Successioni Fideicommissario; cùm hæres volendo detrahere Trebellianicam, nec contra legem, nec contra voluntatem Testatoris agat, si ab hoc ejus deductio prohiberi nequeat.

Annot. 3. quando dicitur, portio- 2284
nem Episcopo deberi ex piis legatis, quæ Testator Ecclesiis, vel locis piis reliquit, addi circumstantiam restringentem in cit. c. *Requisisti*, ibi: quæ Testator *pro anima sua legat*, &c. *in nostra.* 10. *de Sepultur.* ibi: *pro anima sua in ultima dispositione*, consequenter non deberi ex legatis *alio titulo*, factis, v. g. ex gratitudine pro obsequiis sibi præstitis, pro ornamentis Ecclesiæ, pro lumine perpetuo &c. de quibus plura v. à n. 3422.

ARTICULUS XII.

De Codicillis.

PRæter testamentum ultimis voluntati- 2285
bus annumerantur donatio causa mortis, de qua jam diximus *à n.* 1956. & *Codicilli*, de quibus in sequentibus. *Codicillus* igitur (ut diximus *n.* 1992.) est species ultimæ voluntatis, quo nec hære-

dias

ditas directè dari, nec aufferri alicui potest, §. *Codicillus autem.* Instit. de Codicill. nec directè substitui, neque hæredi scripto conditio adjici, §. *Codicillus autem*) est ultima voluntas, minus solennis, (Pirhing *h. t. n.* 7.) fieri potest, vel scripto, vel nuncupatione, seu suæ voluntatis ultimæ declaratione per verba. Si fiat in scriptis, sufficiunt quinque testes, qui necessariò sint rogati, vel masculi, adeoque etiam fœmina esse potest; quia in *Codicillis* solennitates *ad testamentum* requisitæ sunt remissæ. §. *fin.* Instit. de jure Codicill. & si fiat in scriptis, testes subscribere debent; non autem necessariò suum sigillum apponere, L. *fin.* & L. *Divi.* 6. ff. de jure Codicill. si autem nuncupatione, pariter sufficiunt 5. Testes cit. L. *fin.* §. *ult.* C. eod.

2286 In Codicillis res singulares tantùm relinquuntur, non hæreditas (intellige directè) quæ est universum jus defuncti. L. 62. ff. de reg. jur. Potest tamen in Codicillis relinqui fideicommissum, adeoque *indirectè* institui hæres. §. *Codicillis autem* Instit. de Codicillis. L. 2. C. de jure Codicill. Hæreditas autem in Codicillo *directè relicta* trahitur ad Fideicommissariam institutionem perinde, acsi hæres ab intestato succedens, rogatus esset, restituere hæreditatem ei, qui scriptus est in codicillo. L. *si quis* ff. de jure Codicill. Et hoc ideo, ut sustineatur ultima voluntas eo modo, quo potest, Zoesius ff. eod. n. 7. Qualiter Codicillus differat à testamento constat *à n.* 1992.

2287 Præter hæc nota, posse fieri ab eodem plures codicillos, qui omnes valeant; Si tamen in aliquo contrarii sint, priorem per posteriorem revocatum censeri. §. *fin. Instit. de Codicill.* Deinde, in Codicillo exprimi posse causam privandi hæreditate, quo casu portio adjudicatur fisco; colligitur ex *L.* 4. *C.* de his, quibus ut indignis, ibi: *hæreditas testamento data per epistolam, vel Codicillos adimi verbis directis non potuit*; quia tamen *Testatrix voluntatem suam non mereri, unum ex hæredibus suis declaravit, meritò ejus portio non jure ad alium translata, fisco vindicata est.*

2288 *Not.* 3. in Codicillis *inter liberos* sufficere duos testes; nullibi enim plus requiritur ad Codicillum, quàm ad testamentum ejusdem rationis: atqui ad testamentum inter liberos non requiruntur nisi duo testes; ergo etiam ad Codicillum sufficient. *Not.* 4. Solennitatem testium in Codicillis probabilius requiri solùm causa probationis; nam juxta §. 3. *Instit. h. t.* dicitur: *Nullam solennitatem ordinationis desiderari*, tum, quia, si adversarius fateretur, hanc fuisse mentem Testatoris, vel Codicillantis, etiam deficientibus testibus judicandum esset pro valore Codicilli, tum quia si Codicillus testamento confirmatus sit, ne quidem testes probationis requirerentur, quæ enim talibus Codicillis relinquuntur ipso testamento relicta censentur *L.* 77. *ff. de hæredib. instit.*

Dices in dicta lege haberi, quòd, si 2289
asse toto non distributo, ita scriptum sit: *quem hæredem Codicillis fecero, hæres esto*, institutionem valere; ergo hæreditas Codicillis dari potest, R. N. conseq. ibi enim solùm dicitur talem institutionem *valere ideo*, quia licet Codicillis dari hæreditas non possit, *tamen ex testamento data videtur*, sed hoc tantùm ex hæreditate habebit, quantum ex asse residuum mansit. Ex hoc textu habetur aliud esse: *Codicillo hæreditatem dari, vel hæredem instituti*, aliud, *hæredis jam in testamento instituti personam in Codicillo declarari*: textus loquitur de secundo, non de primo; nam *declarare datum*, non est *dare*; sed hæreditas ponitur jam in testamento data illi, qui Codicillo scriptus fuerit, & hoc solùm fit declaratio personæ: ergo.

Not. 5. eos, qui de jure testamen- 2290
tum facere non permittuntur, nec Codicillos facere posse *L.* 6. §. 3. *ff. h. t.* Codicillos is demum facere potest, qui & testamentum facere potest. *Not.* 6. Codicillos posse fieri etiam nullo facto testamento; nam & intestatus potest cum Codicillis decedere, *L.* 4. *C. h. t.* ibi: *Non idcirco minus, quòd intestato, te absente, Codicillos Mater tua fecit, hi, quibus precariis verbis adscripta sunt, relicta capiunt.*

Not. 7. Codicillos testamento con- 2291
firmari tam prius, quàm postea facto, si expressè eorum mentio fiat per *L.* 6. *C. h. t.* ibi: *Sive initio, quæ fuerat Codicillis relicturus generaliter, sive novissimè relicta servari mandaverit, confirmatione munitus, nullam justam gerere solicitudinem potes.*

Dixi: *Si expressè eorum mentio fiat*; si 2292
autem secùs, distinguendum videtur, &

idem

idem dicendum, si codicillus factus est post testamentum confirmari per L. 3. §. 2. C. eod. ibi: *testamento facto, etiamsi codicilli in eo confirmati non essent, vires tamen ex eo capient*: Si autem codicillus factus est ante testamentum, resolutio constat ex §. 1. Instit. h. t. ibi: *Sed cùm ante testamentum factum codicilli facti erant, Papinianus ait, non aliter vires habere, quàm si speciali postea voluntate confirmentur; sed divi Severus, & Antoninus rescripserunt, ex iis codicillis, qui testamentum præcedunt, posse fideicommissum peti, si appareat eum, qui testamentum fecit, à voluntate, quam in codicillis expresserat, non recessisse.*

2293 *Not.* 8. quòd, *Codicillum vires accipere à testamento*, nihil aliud sit, quàm, *quod sic innitatur testumento, ut sequatur jus illius*, adeoque consistente isto, & ipse consistat; & cadente, cadat; quod tamen sic intellige, ut procedat de testamento, quod *ab initio* validum erat, & postea rumpitur; non autem, quod ab initio invalidum erat; nam codicilli dicuntur pars testamenti (per L. 11. ff. Testam. quemadmodum aperiantur) non qualiscunque, sed principio validi, & ab hoc confirmantur, seu pendent, ut supra dictum est; ex quo habetur, quòd, si hæreditas ex tali testamento non adeatur, nec valeat fideicommissum in codicillo relictum per L. 3. §. 2. H. h. t. &c.

ARTICULUS XIII.

De executione testamenti, & aliarum ultimarum voluntatum.

2294 SUpponend. Executores Testamenti alios esse *Testamentarios*, qui dantur à Testatore in testamento; alios *legitimos*, qui à lege; alios *dativos*, qui dantur à Judice, sicut jura loquuntur de Tutoribus. Supponend. 2. dari Executores testamenti posse, sive laicos, sive clericos, etiam Religiosos, si non sint Fratres minores de observantia, accedente tamen authoritate Superioris, c. *fin.* h. t. in 6. ibi: *Religiosus executor ab aliquo in sua voluntate ultima deputatus, non potest (cùm velle, vel nolle non habeat) hujusmodi officium suscipere, vel exequi, nisi à Superiore suo petitâ super hoc licentiâ, & obtentâ*; imo etiam Prælatos Regulares Clementina unicâ eod. ibi: *etiamsi Prælationis fungantur officio*, item mulierem per c. 3. h. t. ibi: *cujus desiderium à T. religiosa fœmina, ejus hærede protrahitur, & Uxorem defuncti quæ hoc jus non perdit, esto ad secunda vota transeat.* Covarr. c. *Tua. h. t. n.* 3. & Minorem, si sit 17. annorum. *c.* 35. §. *fin.* de procurat. in 6. quibus positis:

Quæres 1. quodnam sit munus ejus- 2295
modi Executorum? R. quòd adimplere Testatoris jussionem intra tempus assignatum, aut eo non assignato intra annum; aliàs ad Episcopum devolvitur executio, *c.* 3. *h. t.* & hic eos compellere potest, ut citius exequantur; Covar. in *c.* 6. *h. t. n.* 4. Quòd verum est, licet illi Executores sint Regulares, ut Prælati etiam exempti, ut habetur Clement. *unic. h. t.*

Not. autem 1. quando nullo hærede 2296
instituto deputantur Executores, ipsi censentur hæredes instituti cum onere distribuendi in pias causas, juxta Barb. *in c.* 13. *h. t. n.* 3. *Not.* 2. quando nullus Executor est nominatus à Testatore, executionem testamenti, vel alterius ultimæ voluntatis pertinere ad hæredes Testatoris, etiam quoad legata pia, ex *c.* 3. & 6. *h. t.* ibi: *si hæredes jussa Testatoris non adimpleverint, ab Episcopo loci illius omnis res, quæ eis relicta est, canonicè interdicatur cum fructibus, & cæteris emolumentis; ut vota defuncti adimpleantur.*

Not. 3. licentiam, ut Religiosus sit 2297
Executor testamenti, dari posse à Prælato immediato, si ordo sit exemptus, nisi aliud habeat consuetudo, vel constitutiones ordinis *c.* 2. *h. t. in* 6. In nostra Societate nullus superior, præter P. Generalem, hanc licentiam concedere potest. *p.* 6. *Constit. c.* 3. §. 7. *in decretal. lit. B.* Si vero Religio non sit exempta, licentiam dare potest Superior immediatus, vel Episcopus, de quibus plura Sanchez *l.* 6. *moral. c.* 11. Fratribus tamen minoribus de observantia omnino prohibitum est, executores esse testamenti adeo, ut neque illorum Superiores dispensare, seu licentiam eis dare possint. Clem. 1. §. *Cùmque dicti ordinis Professores.* de V. S.

Not. 4. Religiosos (intellige claustra- 2298
les) etiam Exemptos, qui Executores Testamentorum constituti sunt, teneri, rationes reddere Ordinariis locorum, & ab ipsis, si in hoc deliquerunt, puniendos esse per Clement. *unic. h. t.* debere autem voluntatem defuncti exequi intra tempus

ab eo

ab eo designatum L. *post mortem* 12. C. de Fideicommiss. Si nullum designavit, debent intra annum, aliàs devolvitur ad Episcopum, si post præviam monitionem, saltem unam, à Judice sive Ecclesiastico, sive Laico factam, non exequantur, Glossa in c *si hæredes* 6. §. *adimpleverint h. t. & t. Nos quidem p.* 3. *eod.*

2299 *Not.* 5. Si hæres ultimam voluntatem defuncti, post Judicis admonitionem, intra annum adimplere negligit, eum amittere totam hæreditatem, ut nihil commodi ex rebus, à defuncto sibi relictis, percipiat, per Authent. *hoc amplius* C. de fideicomm. &, si, cessante legitimo impedimento, negligat solvere legata pia *intra sex menses*, à die insinuationis testamenti numerandos, in pœnam legata restituere debet cum omnibus fructibus, & augmento, seu emolumento, quod à tempore mortis Testatoris ex iis percipi potuit, de quo V. Layman *l.* 3. *tr.* 6. *c.* 11. *n.* 13. Abbas in c. *si hæredes.*

2300 *Not.* 6. Si præmissâ binâ monitione, per Episcopum factâ, adhuc pia legata exequi negligat, etiam ante annum elapsum, privari omnibus commodis, ex testamento ipsi delatis, per Authent. *de Eccles. §. si quis autem pro redempt. c.* 11. *collat.* 9. Denique, si perperam neget, *legatum esse Ecclesiæ, aut aliis locis piis*, & in illa negotiatione persistat usque ad sententiam, condemnandum esse in duplum. §. *item juxta. Instit. de actionib.* & præter hoc tam hæres, si ipse sit Executor, quàm etiam Extraneus in dato casu negligentiæ prædictas pœnas incurrit, & Executoris munere privatur; Colligitur ex *L. si Patroni. ff. ad S. C. Trebell.*

2301 Quæres 2. an Executores possint à justa, & licita Testatoris voluntate discedere, vel eam in aliud, quamvis melius opus, commutare? R. quòd non, nisi interveniat auctoritas Summi Pontificis, vel Supremi Principis Secularis ex justa, & necessaria causa. Constat ex c. *Conquestus.* 16. *de foro compet. & c.* 3. *h. t. Clement.* 2. *de Relig. domib. Trid. Sess.* 22. *de reform. c.* 6. *L.* 1. *&* 4. *ff. de administr. rer. ad civit.* pertinent.

2302 Quæres 3. an Executore mortuo officium ejus transeat ad hæredem? R. negativè ex c. 2. §. *Sanè h. t. n.* 6. Si autem Executio commissa sit Prælato sub nomine sui Officii, *Prælaturæ*, vel *Dignitatis*, eo mortuo transit ad ejus Successorem, nisi aliud colligatur ex verbis, vel circumstantiis, v. g. quia fuit propinquus, specialis amicus &c. quia tunc potius præsumitur commisisse personæ.

ARTICULUS XIV.

De Testamentis privilegiatis.

EX dict. à n. 1994. constat ex testamentis aliud esse, quod dicitur *non solenne*, nimirum *specialiter privilegiatum*, ita, ut aut nullas, aut saltem non omnes solennitates, jure communi præscriptas, exigat. Sub hoc primo loco venit *testamentum Militis*; circa quod nota 1. hoc, factum in expeditione, validum esse sine omni solennitate, modò constet de ipsius voluntate, ut habetur ex *L.* 1. *§.* 1. *ff. de Testam. milit. L.* 5. *&* 15. *C. eod. & Instit. in princip. eod.* hoc privilegium jure communi (*in L.* 16. *eod.*) extenditur etiam ad eos, qui castra sequuntur pro militum obsequiis, aut militiæ causâ, ut sunt Medici, Chirurgi &c. Cœterùm Miles, qui testari vult, dum versatur extra castra, & in expeditione, communi jure utitur §. 3. *Instit. eod.* ac *L. penult. C. eod.* Quæstio est, an hæres scriptus in testamento militari hæreditatem consequi valeat, si Testator moriatur intra annum post suam à militia liberationem, si testamentum prius conditum fuit jure militari? 2. an etiam, si moriatur post annum à sua liberatione? R. ex *L.* 38. *ff. eod.* & quidem ad 1. affirmativè, ad 2. autem negativè, nisi appositâ fuerit conditio, quæ primum evenit etiam post mortem defuncti, elapso jam anno suæ liberationis. 2303

Secundò venit *Testamentum paternum inter liberos legitimos*; hoc enim consistit nuda parentum voluntate, qua ipsi hæredes instituuntur per *L. inter omnes* 26. *C.* Familiæ erciscundæ, ibi: *Inter omnes duntaxat hæredes suos, qui ex quolibet venientes gradu tamen pares videntur esse, vel emancipatos, quos Prætor ad Successionem vocat, sive cœptum, neq; impletum testamentum, vel Codicillus, seu epistola Parentis esse memoretur. Sive quocunque alio modo scriptura, quibuscunque verbis vel indiciis inveniantur relictæ, judicio familiæ erciscundæ, licet ab intestato ad Successionem liberi* 2304

vocentur, servato Senatûs consulti auxilio, defuncti dispositio custodiatur, etiamsi solennitate legum hujusmodi dispositio fuerit destituta, si verò in hujusmodi voluntate, designatis liberis, alia sit mixta persona, certum est eam voluntatem, quantum ad illam duntaxat personam permixtam, pro nulla haberi; quod intellige, dummodo clarè constet de Testatoris voluntate.

2305 Item habetur L. *hac consultissima* 21. C. de Testam. §. 1. ibi: *ex imperfecto autem testamento voluntatem tenere defuncti, nisi inter solos liberos à parentibus utriusque sexûs habeatur, non volumus. Si verò in hujusmodi voluntate, liberis alia sit extranea mixta persona; certum est eam voluntatem defuncti, quantum ad illam duntaxat permixtam personam pro nullo haberi, sed liberis adcrescere.*

2306 Ex his deducitur testamentum paternum inter liberos valere sine aliis solennitatibus, modò Testator (si testari velit in scriptis) manu propriâ, (si literas sciat) tempus facti testamenti declaret, filiorum nomina propria, & unciarum modum, in quibus eos vult hæredes; sic enim quidam volunt accipi textum in Novella 107. c. 1. exinde colligentes, non valere testamentum inter liberos, nisi *suâ manu*, suisque liberis parens scripserit *nomina liberorum*, *tempus*, & *unciarum modum*. Verum mens Justiniani potius hæc fuit, ut sive scribat testamentum parens, sive alius pro eo, illud *literis* præscribatur, non *notis*, alioquin testamentum non valere, & patet ex textu, ibi: *non signis numerorum significandas, sed per totas literas declarandas: ut undique claræ, & indubitatæ consistant.*

2307 Deducitur 2. in casu, quo non in scriptis, sed nuncupativè parentes testari volunt inter liberos, sufficere duos testes idoneos, sine eo, quòd sint rogati, sine alia qualitate à jure cæteroquin in hoc puncto testamentorum requisita, modò sint idonei ad deponendum de ultima voluntate defuncti; cùm in testamento inter liberos jus gentium, non civile, quoad solennitates consideretur per L. *ult.* C. famil. heriscund. & auth. *Quod sine* C. h. t.

2308 Deducitur 3. quando dicimus, valere testamentum *paternum inter liberos* sine solennitatibus juris civilis, dictum procedere *quoad liberos* in eo institutos, non autem quoad personas extraneas, nam quoad has non valet, & quod illis relictum est, liberis accrescit, ut dictum est excit. juribus *n.* 2305. quod tamen accipe, nisi adhibiti sint *duo* testes (esto alii rectius velint *quinque*) per Novellam 107. c. 1. ibi: *si tamen aut uxori, aut extraneis personis aliquibus voluerit relinquere legata, aut fideicommissa, aut libertates, & hæc propria scripta manu, dictaque à Testatoribus coram testibus, quoniam omnia consequenter in dispositione posita ipsi, & scripserunt, & volunt valere, sint firma: nihilo minuenda eo, quod videantur in charta scripta, reliquam observationem testamentorum non suscipiente, sed hoc solùm immutetur, quòd ejus manus, & lingua habet, omnem veritatem chartæ prabitam.*

Tertio loco est testamentum *ad pias causas*, quod nimirum conditum est à defuncto pro salute animæ suæ, ad DEI cultum, favorem Ecclesiarum, Xenodochiorum, pauperum, erigendorum pro juventute studiorum, &c. In hoc testamento non requiri omnes juris civilis solennitates constat ex dict. *à n.* 2110. & quamvis de jure canonico exigantur duo testes; id tamen non pertinet ad *formam* talis testamenti substantialem; sed tantùm *probatoriam*, ex *n.* 2112. nec enim de his, quæ relicta sunt piis causis, judicari debet secundùm leges, sed Sacros Canones, constat ex c. *Relatum* 11. *h. t.* 2309

Quarto loco est testamentum Rusticici, de quo L. *fin.* C. de Testam. ubi dicitur: ab antiquis retro Principibus semper Rusticitati consultum, & in multis legum substitutionibus strictam observationem eis remissam esse, quòd homines rustici, & quibus non est literarum peritia, non possint tantam legum subtilitatem custodire in ultimis suis voluntatibus. Quare pro testamentis istorum Sancita sunt seqq. & 1. in illis locis, in quibus rarò inveniuntur homines literati, per præsentem legem Rusticanis conceditur, antiquam eorum consuetudinem, legis vicem obtinere, ita tamen, ut, ubi scientes literas inventi fuerint, septem testes (quos ad testimonium convocari necesse est) adhibeantur, & unusquisque pro sua persona subscribat; secundò, ut, ubi non inveniuntur septem testes, etiam sine scriptura testimonium adhibentes admittantur. 2310

Tertiò,

2311 Tertiò, ut, si in illo loco minimè inveniantur septem testes, sufficiant quinque, non autem pauciores; quartò, ut, si unus, aut duo, vel plures fuerint literati, liceat eis, pro ignorantibus literas, præsentibus tamen subscriptionem suam interponere, sic tamen, ut ipsi testes cognoscant Testatoris voluntatem, & maximè, quem, vel quos hæredes sibi relinquère voluerit, & hoc post mortem Testatoris jurati deponant; concludit demum his verbis, *quod igitur quisque Rusticorum (sicut prædictum est) pro suis rebus disposuerit, hoc omnimodo, legum subtilitate remissâ, firmum validumque constat.* Circa quam legem illud adverte, quod dicitur *de numero Testium*, subscriptione &c. intelligi solùm de locis, in quibus habentur homines literati; secùs antiquam rusticorum consuetudinem *legis vicem* obtinere.

2312 Demum etiam testamentum condi-tum tempore pestis, privilegiatis annumeratur, de quo Imperator *L. Casus. 8. C. h. t.* Casus, inquit, majoris, ac novi contingentis ratione adversus timorem contagionis, quæ testes deterret, licet aliquid de jure laxatum sit, non tamen prorsus reliqua testamentorum solennitas perempta est; *Testes* enim *hujusmodi morbo oppressos eo tempore jungi, atque sociari remissum est*, non etiam conveniendi numeri eorum observatio sublata est; ubi tamen communiter notant interpretes duos sufficere, moti c. Cùm esses de testam. Sed & Spiræ ita probatum esse testamentum, refert Minsingerus 1. *Obs.* 96. & cum in hostico testantibus duo testes sufficiant *L. 1. ff. de bon. possess. milit. L. ult. ff. de testam. milit.* & in rusticanis testium numerus legitimo minor requiratur. *L. ult. ff. eod.* Cùm necessitas legem non habeat; ut notatur *ibid. lit. D.*

QUÆSTIO XXVII.

IN TIT. XXVII. DE SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO.

2313 *Intestatus*, inquit Justinianus princ. Instit. h. t. decedit, *qui aut omnino testamentum non fecit, aut non jure fecit, aut id, quod fecerat, ruptum, irritumve factum est, aut si ex eo nemo hæres extiterit*; quod brevius reddendo, idem est, ac decedere sine hærede testamentario. Unde si quis ita decedat, illi ab intestato succedere dicuntur, ac eo ordine, qui à lege in talem successionem vocantur; quia verò aliqui decedunt sine hærede testamentario, quod facultatem testandi non habebant, alii verò, qui habebant, sed non condiderunt, aliqui censent impuberes, & alios facultate testandi carentes, quæstio est, an hi dici possint intestati? Sed hoc solvitur ex L. 1. ff. de suis, & legitimis, ibi: *planè, qui testari non potuit, propriè non est intestatus, puta impubes, furiosus, vel cui bonis interdictum est; sed hos quoque pro intestatis accipere debemus, nec à consuetudine, qua etiam tales intestati appellantur, recedendum, quamvis primi possint dici negativè, alii, privativè* intestati.

ARTICULUS I.

De Ordine Successionis ab Intestato.

ANte resolut. suppon. 1. dupliciter 2314
posse hæreditatem deferri ad alium, vel ex testamento, sive justâ ultimâ voluntate defuncti, vel ab intestato, *§. fin.* Instit. per quas personas nobis acquiri; & priorem successionem vocari *testamentariam* L. 3. *§. de illo* ff. pro socio, posteriorem *legitimam successionem* dici, L. *legitimam* 8. ff. de petit. hæred. quia per illam ex lege hæreditas defertur. Utraque successio in multis convenit, 1. quia in qualibet succeditur in jus universum defuncti, L. *hæreditas.* 62. ff. de reg. Juris, 2. in qualibet detrahitur Falcidia. L. *Filius familias.* 18. ff. ad legem Falcid. 3. in quavis opus est hæreditatis aditione. L. *si ex pluribus.* 9. ff. de suis, & legit. hæred. quia aliàs hæreditas non transmittitur ad transversales hæredes, L. *quoniam* 7. C. de jure deliber. neutra tamen ex pacto, vel contractu acquiri potest, L. Hæreditas 5. C.

de pact. convent. 4. in qualibet fideicommissum relinqui potest. §. *Præterea*, Institut. de fideicomm. hæred. suppon. 2. in successione legitima computationem graduum fieri juxta computum juris civilis; cùm in hoc casu, *quoad hæreditates*, deferatur hæreditas juxta gradûs prærogativam, sic, ut proximior in gradu, prior sit in successione, & remotiorem excludat §. *Si plures*, Institut. de legit. agnat. succes.

§. 1.

De Gradibus Cognationis.

2315 IN hac quæstione nomen *Cognationis* sumitur generaliter, nimirum pro *consanguinitate*, unde sub eo veniunt tam *Agnati*, quàm *Cognati* strictè, ac specificè accepti; hi enim sunt, qui ab aliquo, per *sexum fœmineum*; illi, qui per *virilem* mediatè, vel immediatè descendunt. Triplex communiter constituitur linea cognationis, seu consanguinitatis, quia triplici modo contingit aliquos nobis consanguineos esse, vel enim sunt Parentes nostri, aut Avi, Aviæ &c. nimirum illi, qui nos genuerunt, **unsere Eltern/ und Vor-Eltern/** & constituunt *lineam*, seu ordinem *ascendentium*; vel sunt, quos nos genuimus, vel, qui à nobis per generationem immediatam, vel mediatam descendunt, ut Filii, Filiæ, Nepotes, Neptes, &c. & hi constituunt *lineam descendentium*, **die Kinder/ und Kinds-Kinder/** vel sunt, qui neque nos genuerunt, neque ex nobis geniti sunt, stipitem tamen, seu radicem communem nobiscum habent (**die eines Stammen/ und Herkommens seyn**) & hi constituunt *lineam*, seu ordinem *transversalem*; quibus observatis, quilibet sibi facilè constituere potest arborem, seu ordinem suæ cognationis, seu consanguinitatis, tam in linea ascendente & descendente, quàm laterali, seu transversali. *Not.* autem per *gradum* hic aliud non intelligi, quàm transitum de proximo in proximum cognatum, per *cognationem* autem, conjunctionem plurium in uno stipite.

2316 Ut autem in casu, quo duo, vel plures contendunt de hæreditate ab Intestato, lis dirimi facilius possit, an alter altero proximior sit defuncto? consequenter remotiorem excludat? videtur 1. facilius, 1. si cuique cum defuncto constituatur arbor cognationis, quo posito, ad rectum computum juxta jus civile, *generalis* regula est, quòd tot sint gradus, quot sunt diversæ, & remotiores generationes, ut exponemus in seqq. Secunda est *specialis*, quando quæritur, in quo gradu lineæ ascendentium, vel descendentium quis alteri cognatus sit? & sic habet: *in linea recta ascendentium, vel descendentium tot sunt gradus, quot sunt personæ, una demptâ, de cujus cognatione quæritur, vel à qua incipit numeratio*; Tertia etiam est specialis in linea collaterali, quæ sic habet: *in linea collaterali tot sunt gradus, quot sunt personæ, dempto stipite.* Per *stipitem* autem hic intelligitur illa persona, à qua cæteræ, de quarum conjunctione quæritur, descendunt, & originem ducunt. Ut autem has regulas legitimè in praxim deducas, suppon. 1. debere construi arborem cognationis, seu cognationis ejus, cui alii volunt succedere ab intestato, & illius, qui vult succedere, & quidem sic, ut si volentes eum hæreditare, sint descendentes ab illo, constituatur linea descendentium; si ascendentes, ascendentium; si collaterales, collateralium; habita porrò cognationis arbore, si vis scire, quo gradu sis cognatus defuncto in linea recta (ut si defunctus sit Petrus) si tu es cum eodem in linea ab ipso descendente (v. g. ejus nepos) statue ipsum in capite, seu principio lineæ, deinde filium ejus, post hunc nepotem, ac tandem ejus pronepotem, &c. Sub hoc numera incipiendo vel à te, qui es nepos ejus, sursum versus usque ad Petrum inclusivè; vel à Petro deorsum usque ad te pariter inclusivè, qui es nepos, & cùm in tali numeratione Petrus, ejus filius, ac nepos faciant tres personas, Petroque dempto remaneant tantùm duæ, eris defuncto, (nimirum Avo tuo) cognatus in secundo gradu, juxta jus civile in linea recta descendente. Eodem modo, si tibi succedere ab intestato vellet Avus tuus, (idem dic de Avia) tibi pariter in linea ascendente cognatus esset ille in secundo gradu, & hoc quidem ita, ut si unus tantùm sit in ordine descendentium, hic solus succedat; si plures ejusdem gradûs, æqualiter succedant.

Ex hoc habetur 1. quòd jus etiam civile in ordine ad hæreditatem in linea recta ascendentium, & descendentium 2317

servet eandem gradûs computandi regulam, qua in ordine ad matrimonium utitur in eadem linea jus Canonicum; unde Pater, & Filius primo gradu juncti sunt; avus, & nepos, secundo; proavus, & pronepos, tertio, & sic deinceps. §. *primo gradu*, & seqq. Institut. de gradibus cognationum.

2318 Habetur 2. in linea laterali, sive æquali, sive inæquali in computu graduum quoad hæreditates esse differentiam à jure canonico computante gradus in ordine ad matrimonium; nam *jure civili* in dicta linea tot censentur esse gradus consanguinitatis, quot sunt personæ dempto stipite, numeratis omnibus collateralibus; atque adeo, *quot sunt personæ collaterales*; & quia collaterales numerum exprimunt, in hac linea, juxta jus civile, nullus est primus gradus, secus, de jure canonico relatè ad matrimonia.

2319 Ex hoc habetur 3. juxta jus civile, duos fratres, vel duas sorores, vel fratrem, & sororem esse consanguineos in secundo gradu; fratrem, & fratris filium, vel filiam in tertio; fratrem, & pronepotem ex fratre, vel sorore, in quarto gradu; & sic deinceps; nam in primo gradu sunt duæ tantùm personæ collaterales; in secundo, tres, in tertio, quatuor: consequenter etiam tot sunt gradus; nam collaterales per se non conjunguntur, sed tantùm ratione stipitis communis utrique ac proximi, duo fratres v.g. ratione Patris, vel matris; frater, & nepos ex fratre, vel sorore, ratione avi, vel aviæ, & sic deinceps; quia verò stipes non numeratur, eo dempto remanent soli collaterales, juxta quorum numerum erit numerus graduum.

§. 2.

Quo ordine succedant ab intestato parentibus liberi?

2320 QUid sit *alteri succedere?* quid succedere in *capita*, & *stirpes*? &c. exposuimus à *n.* 2019. *Not.* autem tres esse ordines succedentium ab intestato; primus est *descendentium*, seu liberorum; alter deficientibus liberis, seu descendentibus, est *ascendentium*, seu parentum: tertius demum in horum defectu, *collateralium*, nempe fratrum, sororum, & post istos aliorum cognatorum, qui jure vocantur ad hæreditatem, prout dicitur §. *Cùm filius.* Instit. de hæred. quæ ab intestat. deferuntur, L. 3. junct. authent. *in successione* C. de suis, & legit. liberis, ac demum in authent. de hæredib. ab intestat. venient. collat. 9. c. 1. quibus positis?

Prima regula in hac quæstione est, 2321
quòd *filii naturales*, *& legitimi*, *primi gradûs*, *utriusque sexûs*, *non tantùm in patria potestate constituti*, *sed etiam emancipati*, *sive Clerici*, *aut Religiosi*, *sive Laici sint*, *præponantur aliis*, qui sunt de linea ascendentium, vel collateralium, ut habetur Novella 118. *c.* 1. ibi: *Si quis igitur descendentium fuerit ei*, *qui intestatus moritur cujuslibet naturæ*, *aut gradus*, *sive ex masculorum genere*, *sive ex fœminarum descendens*, *& sive suæ potestatis*, *sive sub potestate sit*: *omnibus ascendentibus*, *& ex latere cognatis præponatur*, licet enim defunctus sub alterius potestate fuerit, tamen ejus filii, cujuslibet sexûs sint, aut gradus, etiam ipsis parentibus præponi præcipimus, quorum sub potestate fuerit, qui defunctus est, in illis videlicet rebus, quæ secundùm nostras alias leges patribus non acquiruntur.

Subjungit deinde seqq. nam in usu harum rerum, qui debet acquiri, aut servari, nostras de his omnibus leges parentibus custodimus, sic tamen, *ut*, *si quem horum descendentium*, *filios relinquentem*, *mori contigerit*, *illius filios*, *aut filias*, *aut alios descendentes in propriis parentis locum succedere*, *sive sub potestate defuncti*, *sive suæ potestatis inveniantur*, *tantam de hæreditate morientis accipientes partem*, *quanticunq; sint*, *quantam eorum parens*, *si viveret*, *habuisset*, quam Successionem in stirpes vocavit antiquitas; *in hoc enim ordine gradum quæri nolumus*, *sed cum filiis & filiabus ex præmortuo filio*, *aut filia nepotes vocari sancimus*, *nulla introducenda differentia*, *sive masculi*, *sive fœminæ sint*, *& seu ex masculorum*, *seu fœminarum prole descendant*, *sive suæ potestatis*, *sive sub potestate sint constituti. Et hæc quidem de Successionibus descendentium disposuimus.*

Ex his juribus habetur firmata regula 2322
n. 2321. proposita, circa quam tamen *not.* 1. quando plures sunt liberi primi gradûs, eos succedere *in capita*, si autem unus eorum, qui est paris cum aliis gradûs defunctus reliquit liberos, istos succedere avo, non *in capita*, sed *in stirpes*,

hoc est, solùm in eam portionem, quæ respondisset patri eorum, si vixisset; quo habetur, quòd próximiores gradu non excludant remotiores, qui descendunt ab eo, qui, si viveret, foret in pari gradu cum illis proximioribus, sed eo modo, quo jam exposuimus.

2323 *Not.* 2. dictæ regulæ locum esse non tantum in liberis naturalibus, & legitimis; sed etiam legitimatis; nam hi in allodialibus, quantum est ad successionem, æquiparantur naturalibus legitimis per dicta *l.* 4. *decret. à n.* 1422. an autem etiam in feudalibus; ibid. *n.* 1427. respondimus affirmativè. *Not.* 3. eos, quos diximus avo suo solùm succedere *in stirpes*, habere jus suum fundatum *in repræsentatione personæ*, à qua descendunt, & dici succedere *jure repræsentationis*, quia in hoc assumunt gradum eorum, à quibus descendunt; ut si *Petrus* genuit *Jacobum*, & *Annam*, Jacobus *Bertam*, & hæc *Paulum*, & *Joannem*, si, cùm moritur *Petrus* solum supersit Anna, & Nepotes Jacobi, isti, quoad Successionem stabunt cum Anna in pari gradu, eo nimirum, quo esset Jacobus avus, vel Berta Mater.

2324 Quæstio autem est, an, si tales descendant ab iis, qui, si vixissent, successissent *in capita* Titio defuncto, succedant *in stirpes* non obstante, quòd ipsi sint gradu inæquales? v. g. *Titius* genuit Cajum, & Bertam, *Cajus*, Sejum; *Berta* Stichum, & iste *Titiam*, an, cùm moritur *Titius*, Sejus & Titia non obstante, quòd sint inæqualis gradûs succedant in portionem, quam cæteroquin habuisset *Cajus*, & *Berta*, si vixissent, dum mortuus est *Titius*? &c. quòd sic; nam Sejus filius Caji, & Titia proneptis Bertæ, repræsentant *Cajum* & *Bertam*, si Stichus decessit, & consequenter assumunt eorum gradum relatè ad *Titium*, in quo, respectu ejus, erant *Cajus* & *Berta*, igitur Sejus succedet in portionem *Caji* Parentis, & *Titia* in portionem Bertæ Aviæ, non obstante inæqualitate graduum inter *Sejum* & *Titiam*; colligitur ex dict. Novell. 118. ibi: *Cujuslibet gradûs*.

2325 Ex hoc deducitur 1. quòd, quando cum liberis primi gradûs concurrunt Nepotes ex liberis primi gradûs præmortuis, nepotes isti succedant in locum defunctorum, à quibus descendunt, & consequenter Avo succedant cum liberis primi gradûs; at non *in capita*; sed, *in stirpes*; nepotes enim, esto sint plures, non accipiunt singuli tantam portionem, quantum liberi primi gradûs, sed omnes simul eam solùm, quam habuisset is, quem repræsentant.

Deducitur 2. quando quis moritur præ- 2326
mortuis omnibus liberis primi gradûs, sed ex diversis suis prædictis liberis, extantibus nepotibus, istos Avo succedere non in capita, sed stirpes; Si enim *Titius* genuit *Petrum* & *Annam*, isti autem præmortui reliquerunt, *Petrus* filiam, *Anna* tres filios, isti tres filii non accipient nisi portionem *Annæ* divisam inter se æqualiter, filia autem portionem integram *Petri*, si non sint alii hujus liberi, si autem horum descendentes ponas in gradu inæquali, ex n. 2324. constat, quid dicendum sit.

Præter hæc *not.* 1. filios, *legitimos tan-* 2327
tùm, adoptanti (si extraneus sit) succedere in capita cum naturalibus, & legitimis. §. *Institutorum*, & §. *Sed & omnia. Inst. de hæreditat. quæ ab intest. L. penult. §. Sed ne articulum C. de adopt.* si verò adoptans sit ex ascendentibus, v. g. Avus paternus, si hic filium, ex quo descendit nepos adoptatus, emancipavit, emancipatus statim transit in potestatem Avi, & pari jure, succedit Avo cum suo Patre naturali, *cit. L. penult. §. Si verò*, denique is, qui sui juris se ipsum arrogandum dedit, arroganti succedit, sicut filius naturalis, ut habetur *L. fin. §. ult.*

Not. 2. illegitimos naturales non succe- 2328
dere Patri ab intestato, nisi in duabus unciis, si nati sint ex concubina domi uxoris loco retentâ, & non extent legitimi descendentes, & uxor legitima, per auth. *quibus modis natural. §. disertis. collat.* 7. *& auth. Licet. C. de natural. liber. Not.* 3. alios illegitimos (nimirum natos ex concubitu damnato, & per leges pœnæ subjecto) nec ad Patris, nec ad Matris hæreditatem admitti, *cit. auth. Quibus modis, §. ult. c.* 15.

Not. 4. alios illegitimos ex concubina do- 2329
mi retenta, vel etiam meretrice, & concubitu vago, cùm eorum Mater certa sit, succedere Matri cum aliis legitimis. §. *Novissimè. Inst. de Senat. Consf. Orfic. L.* 1. §. *sed & vulgo. ff. eod.* hoc tamen limitatur, ut non procedat, *si Mater sit illustris*, *L.* 5. *C. eod.* nisi careat aliis legitimis liberis *arg. cit. l.* 5. an autem etiam istæ Successiones Jure Canonico etiam procedant, dubitari potest, cum eo jure omnis concubitus sit interdictus?

ctus? ſed in hoc, quoad Succeſſiones, jure civili, & legibus introductas, nihil ſtatuit in oppoſitum.

§. 3.

Qualiter aſcendentes ſuccedant ab inteſtato liberis?

2330 DE hoc ita loquitur Novella 118. *c.* 2. ſi defunctus deſcendentes quidem non relinquat hæredes, *Pater* autem, aut *Mater*, aut *alii parentes* ei ſuperſint, *omnibus ex latere cognatis, hos præponi ſancimus, exceptis ſolis fratribus ex utroque parente conjunctis defuncto*; Sicut per ſubſequentia declarabitur. Si autem plurimi aſcendentium vivunt, hos præponi jubemus, *qui proximi gradu reperiuntur*, *maſculos*, & *fœminas*, ſive *paterni*, ſive *materni ſint*, ſi autem *eundem habeant gradum*, *ex æquo inter eos hæreditas dividatur*, ut medietatem quidem accipiant omnes, à patre aſcendentes, quanticunque fuerint; medietatem vero reliquam à matre aſcendentes, quantoscunque eos inveniri contigerit: ſi vero cum aſcendentibus inveniantur fratres, aut ſorores ex utrisque parentibus conjuncti defuncto, *cum proximis gradu aſcendentibus* vocabuntur; ſi, & pater, aut mater fuerint, dividenda inter eos quippe hæreditate *ſecundùm perſonarum numerum*, uti & aſcendentium, & fratrum *ſinguli æqualem habeant portionem*, *nullum uſum ex filiorum, aut filiarum portione in hoc caſu valente patre ſibi penitus vindicare*: quoniam pro hac uſus portione hæreditatis jus, & ſecundùm proprietatem per præſentem dedimus legem: differentia nulla ſervanda inter perſonas iſtas, ſive *fœmina*, ſive *maſculi* fuerint, qui ad hæreditatem vocantur: & ſive *per maſculi*, *ſive per fœmina perſonam copulantur*: & ſive *ſuæ poteſtatis*; ſive *ſub poteſtate fuerit is*, cui ſuccedunt.

2331 Ex hoc textu ſequitur, quòd hæreditas defuncti ab inteſtato, ſi non relinquit deſcendentes, deferatur jure communi aſcendentibus tam mediatis, quàm immediatis, ſi liberi ante parentes è vita decedant; ubi nomine *parentum* veniunt etiam avus, avia, & ſic in infinitum aſcendendo; ſed notand. 1. etſi jure antiquo *Mater* nec *ſecundo loco* (id eſt in defectu deſcendentium) ſucceſſerit liberis ſuis, vel non niſi in certis caſibus: ſecus tamen eſſe jure Novell. cit. nam vi hujus ſuccedit illis æqualiter cum Patre, & conſtat ex L. 14. C. de legitimis hæred. ibi: *cum ad ipſarum mulierum ſucceſſionem maſculi jure agnationis vocentur, quis patiatur earum quidem hæreditatem ad eos legitimo jure deferri, ipſas verò nec invicem ſibi, nec maſculis eorum jure poſſe ſuccedere, ſed propter hoc ſolum puniri, quòd fœminæ natæ ſint.*

Not. 2. hoc procedere de liberis tam 2332
de *emancipatis*, quam *non emancipatis*. *Novell.* 118. *c.* 2. ſupr. etiam legitimatis reſcripto Principis, cùm in hoc ut dictum eſt, æquiparentur naturalibus, & legitimis, idem de adoptivis ex *n.* 2327. & filio poſthumo, cùm & hic veniat inter deſcendentes, de quorum ſucceſſione parentibus competente loquitur textus: cæterùm adoptans, ſi ſit extraneus, non ſuccedit adoptato *L. penult.* §. 1. *C. de adopt.* Nec arrogator arrogato in impubertate mortuo, ut colligitur ex *cit. L. Penult.* ſecùs eſt mortuo completâ pubertate, ſi non reliquit liberos legitimos, cit. §. Inſtit. de acquiſ. per arrogat.

Not. 3. in caſu, quo ad Matrem ſpe- 2333
ctat impuberi providere de Tutore, & filius decedit impubes, à Matre non proviſus de Tutore, eam privari jure ſucceſſionis. §. 6. *Inſtit. de S. C.* Tertyllian. & *L.* 6. *C. eod.* *Not.* 4. in caſu, quo extant ſoli parentes primi gradûs, nullis extantibus defuncti deſcendentibus, vel fratribus, & ſororibus, eos æqualiter ſuccedere liberis defunctis, etiam non emancipatis; Si autem extant fratres, defuncto ex utroque parente conjunctis, etiam hi æqualiter cum parentibus ſuccedunt, quin ex portione per hos accepta Patri eorum ſit ullus uſus, ut apertè habetur in textu in n. 2331. Si autem aſcendentes ſint in gradu inæquali, is, qui propinquior eſt, excludit remotiorem, v. g. Pater Avum maternum, quin remotiori competat jus repræſentationis, prout contingit in deſcendentibus juris privilegio, conſtat ex *cit. Nov. in n.* ibi: *hos præponi jubemus, qui proximi gradu reperiuntur.*

Ex hoc ſequitur, quòd, eſto nepos ex fra- 2334
tre remotior ſit ab Avo, quam patruus, tamen in materia Succeſſionis reſpectu Avi jure repræſentationis conſtituitur in eodem gradu cum fratre defuncti fratris ſui, conſequenter cum patruo ſuccedat Avo in ea portione, quam habuiſſet Pater, ſi vixiſſet,

set, dum ille decessit, secùs autem contingit in ascendentibus. Nam esto verum sit, quòd Pater, & Mater æqualiter succedant filio, vel filiæ nullis relictis descendentibus; Avus tamen maternus non gaudet jure repræsentationis, quo reponatur in gradum Matris defuncti nepotis, unde si in hoc casu extaret solus Pater defuncti, & Avus maternus, hic per illum excluderetur juxta dicta.

2335 *Not. 5.* esse sub opinione, an, quando hæreditas liberorum devolvitur ad ascendentes gradu proximos, & pares (v. g. Pater, & Mater) Successio intelligatur de omnibus defuncti filii bonis, & quidem æqualiter? ut dictum est. Dubitatio autem non est de bonis ejus castrensibus, quasi castrensibus, & profectitiis ab extraneo; nam in his conveniunt Doctores, quòd succedant æqualiter; nec etiam versatur in quæstione, an succedant in bonis, quæ procedunt à Patre, vel Matre, vel linea paterna, vel materna, & adhuc pleno jure sunt Patris; sed solùm de illis, quæ pleno jure filio sunt appropriata?

2336 Probabilior videtur opinio affirmantium, quam sequitur Cardinalis de Lugo *D. 24. Sect. 8. §. 3. n. 182.* Fachinæus *lib. 6. controvers. juris c. 4.* & alii, ratione desumpta ex *cit. Novell. 18.* ibi: *si autem eundem habuerint gradum, ex æquo inter eos hæreditas dividatur, ut medietatem quidem accipiant omnes à Patre ascendentes, quanticunque fuerint; medietatem verò reliquam à matre ascendentes*; sic Imperator Justinianus *sine distinctione* bonorum quæ erant pleno jure defuncti; quod utique non fecisset sapientissimus Legislator, si voluisset separationem bonorum, quam prætendit sententia opposita, nimirum, ut Pater defuncti filii excludat Matrem in bonis ex linea paterna; aut econtra Mater Patrem, in bonis ex linea materna profectis ad filium, & pleno jure illi appropriatis; præsertim, quia sic contra expressum textum etiam remotior excluderet proximiorem gradu, puta, si filio defuncto in bonis, ex linea materna profectis ad ipsum, facienda esset separatio, ut in his non admitterentur æqualiter parentes in linea masculina, quia tunc extante solum avo materno, & Patre defuncti, succederet ille isto excluso, hoc est, remotior gradu, excluso proximiore inter ascendentes.

Unde licet verum sit, quòd, quando defunctus habet superstitem uterinum tantùm, vel fratrem consanguineum tantùm, uterinus in maternis; Consanguineus in paternis succedat, ut dicitur L. 13. C. de hæred. legit. ex hac tamen dispositione pro linea collateralium non rectè duci argumentum ad lineam ascendentium; nam ad filios bona parentum veniunt *ex voto* parentum; à filiis autem ad parentes non ex voto filiorum, sed *commiseratione*, §. *fin. Instit.* Si Tabulæ testam. nullæ exstab. Quando autem §. 1. Instit. per quas person. nobis acquiri dicitur: *Si quid extra Patris filio obveniat, totum hoc secundùm antiquam observationem acquiri parenti*, procedit de bonis à Patre profectis ad filium, quæ illi non erant appropriata pleno jure. 2337

Illud etiam hìc nota, quando in casu, 2338
quo ascendentes, pares in gradu proximo, succedunt defunctis liberis, & cum eis etiam vocantur æqualiter defuncti fratres, vel sorores, ipsi ex utroque parente conjuncti, istorum descendentibus concedi, ut, si ipsorum parentes decesserunt, ipsi eorum loco cum illis ascendentibus succedant, non quidem in capita, sed in stirpes, v. g. *Titius* defunctus est extante adhuc in vivis Patre, Matre, sorore, & nepotibus ex fratre, ex utroque parente sibi conjunctis; in hoc casu *Titio* ab intestato succedunt non tantùm ejus Pater, & Mater, sed etiam soror, & nepotes relicti ex fratre; si & soror, & frater defunctus ipsi ex utroque parente conjuncti sunt.

Prima pars de Patre, & Matre est ex *n.* 2339
2330. secunda, de sorore, quæ habet communem Patrem, & Matrem naturalem cum fratre defuncto, de cujus successione agitur, tertia autem est ex Novella 127. c. 1. ubi primum dicit Imperator, quid statuerit in Novella 118. & sic loquitur *c. 1. nostras leges emendare nos non piget, ubi & utilitatem subjectis invenire volentes.* Meminimus igitur, scripsisse legem, per quam jussimus, ut, si quis moriatur relinquens fratres, & alterius fratris filios præmortui, ad similitudinem fratrum, & præmortui fratris filii ad hæreditatem vocentur, paternum ingredientes gradum, & illius ferentes portionem; si verò moriens relinquat ascendentium aliquos, & fratres *ex utrisque parentibus conjunctos sibi*, & filios ex præmortuo

mortuo fratre, fratres quidem jussimus per ipsam legem cum parentibus vocari, *fratris verò filios exclusimus.*

Deinde c. 2. ibid. *prædictæ* Constitutionis subjungit *emendationem* his verbis: *hoc itaque justè corrigentes, sancimus, ut si quis moriens relinquat ascendentium aliquem, & fratres, qui possint cum parentibus vocari, & alterius præmortui fratris filios*: cum ascendentibus, & fratribus *vocentur etiam præmortui fratris filii, & tantam accipiant portionem, quantam eorum futurus erat Pater accipere, si vixisset.* Hoc verò sancimus *de illis filiis fratris, quorum Pater ex utroq; parente jungebatur defuncto*; & absolutè dicimus: ordinem, quando cum solis vocantur fratribus eundem eos habere jubemus, & quando cum fratribus, vocantur aliqui ascendentium ad hæreditatem.

2340 Circa istum casum specialem, quo corrigitur Nov. 118. quæstio est, an dispositioni Novell. 127. locus sit, si extantibus ascendentibus primi gradûs non supersint fratres ex utroque parente conjuncti defuncto, sed tantùm illorum liberi, isti cum ascendentibus succedant defuncto æquè, ac si extaret unus adhuc frater, & alterius solùm filii, seu ejus, qui decessit nepotes ex fratre, de quo casu agit Nov. 127. Quæstio igitur est, an in casu, quo nulli extarent fratres, sed meri filii defuncti fratris, an, inquam, hi concurrerent cum ascendentibus, vel potius ab istis excluderentur, sicut excluduntur alii transversales?

In hac quæstione pro & contra militant Authores. Cæterùm etiam in hoc casu locum esse dispositioni Nov. 118. Suadetur ex Rubrica hujus Novellæ, indefinitè nigrum, sex textum ejus explicantis his verbis: *ut fratrum filii succedant pariter ad imitationem fratrum etiam ascendentibus extantibus* Deinde etiam ratione, quia, ubi conceditur jus repræsentationis, non attenditur, an existant aliqui in pari gradu cum eo, in quo fuit, qui repræsentatur, ut apparet in Successione descendentium. 3. quia specialitas hujus novæ dispositionis non est in eo, quòd existant ipsius defuncti fratres ex eodem Patre & Matre illi conjuncti, sed in eo, ut filiis fratris defuncti concederetur, quod eis negatum fuit per Novell. 118. nimirum, ut jam non excluderentur à jure repræsentationis, sicut exclusi fuerunt per Nov. 118. habito autem semel jure repræsentationis, non curatur ex natura rei, an existant, vel non existant alii fratres, defuncto conjuncti ex utroque Parente, ergo.

§. 4.

De Successione Collateralium.

DE hoc ita constitutum est in Novella 2341
118. *c.* 3. ibi: si defunctus, neque descendentes, neque ascendentes reliquerit, *primos ad hæreditatem vocamus fratres, & sorores ex eodem Patre, & ex eadem matre natos*: quos etiam cum patribus ad hæreditatem vocavimus; *his autem non existentibus*, in secundo ordine illos fratres ad hæreditatem vocamus, *qui ex uno parente conjuncti sunt defuncto, sive per Patrem solum, sive per Matrem*; Si autem defuncto fratres fuerint, & alterius fratris, aut sororis *præmortuorum* filii, vocabuntur ad hæreditatem *isti, cum de Patre, & Matre thiis masculis, & fœminis: & quanticunque fuerint, tantam ex hæreditate percipient portionem, quantam eorum parens futurus esset accipere, si superstes esset.* Unde consequens est, ut, si fortè præmortuus *frater, cujus filii vivunt, per utramque partem nunc defunctæ personæ jungebatur*, superstites autem fratres per Patrem solum forsan, aut Matrem ei jungebantur: *præponantur istius filii propriis thiis*, licet in tertio sint gradu (sive à Patre, sive à Matre sint thii, & sive masculi, sive fœminæ) sicut eorum parens præponeretur, si viveret, & ex diverso, siquidem superstes frater, *ex utroque parente* conjungitur defuncto, præmortuus autem per unum parentum jungebatur, hujus filios ab hæreditate excludimus, sicut ipse, si viveret ab hæreditate excludebatur; hujusmodi verò privilegium in hoc ordine cognationis *solis* præbemus *fratrum masculorum, & fœminarum filiis, aut filiabus*, ut in suorum parentum jura succedant: *nulli* enim *alii* omninò personæ, ex hoc ordine venienti, hoc jus largimur.

Et subjungitur: *Sed, & ipsis fratrum filiis, tunc hoc beneficium conferimus, quando cum propriis judicantur thiis, masculis & fœminis, sive paterni, sive materni sint*; si autem cum fratribus defuncti etiam ascendentes (sicut jam diximus) ad hæreditatem vocantur, nullo modo ad successionem ab intestato fratris aut sororis filios vocari permittimus, neque, si ex utroque

Parente eorum Pater, aut Mater defuncto jungebatur; quandoquidem igitur fratris, & sororis filiis tale privilegium dedimus, ut in propriorum parentum succedentes locum, soli in tertio constituti gradu, cum iis, qui in secundo gradu sunt, ad hæreditatem vocentur; illud palam est, quia thiis defuncti masculis & fœminis, sive à Patre, sive à Matre, præponuntur, si etiam illi tertium cognationis similiter obtineant gradum: Si verò neque fratres, neque filios fratrum (sicut diximus) defunctus reliquerit, omnes deinceps à latere cognatos ad hæreditatem vocamus, secundùm uniuscujusque gradûs prærogativam, ut viciniores gradu, ipsi reliquis præponantur; si autem plurimi ejusdem gradûs inveniantur, secundùm personarum numerum inter eos hæreditas dividatur, quod *in capita* nostræ leges appellant.

2342 Ex dictis juribus sequitur 1. quòd in defectu descendentium, & ascendentium, defuncto succedant ejus fratres, & sorores conjuncti eidem ex utroque parente, exclusis etiam conjunctis in uno tantum, per textum, ibi: *primos ad hæreditatem vocamus*; his autem non existentibus fratres, & sorores eidem conjuncti ex uno parente, nimirum Patre, vel Matre; sic clarè expressum est in textu relato n. 2341. ibi: *in secundo ordine fratres &c.*

2343 Sequitur 2. si defunctus reliquit solùm fratres consanguineos, vel uterinos, & filios, vel filias ex fratre præmortuo, sed ex utroque parente conjuncto, istos prius vocari ad successionem defuncti exclusis illis; nam filii fratris germani jure repræsentationis constituuntur in gradu, & jure sui parentis; ergo, si concurrunt cum aliis defuncti fratribus ei conjunctis ex uno tantùm parente, idem jus successionis habent, quod haberet eorum parens, si viveret; sed hic (cùm ponatur defuncto conjunctus ex utroque parente) excluderet alios defuncti fratres, & sorores ex uno tantùm parente conjunctos, ut dictum est; ergo, idem est, si extarent istorum liberi; hi enim excluderentur sicut ipsorum parentes à filiis extantibus præmortui fratris germani.

2344 Sequitur 3. si defunctus reliquit Thios, seu Thejajos (hoc est, ut exponit Haunoldus *tom.* 1. *tr.* 5. *n.* 485. patruos, avunculos, amitas, aut materteras) & germani fratris liberos, istos præ illis vocari ad successionem defuncti, si illi cum istis sint in eodem gradu; ratio sumitur ex *cit. Nov.* 118. *c.* 3. *§. illud palam est*, ibi: *illud palam est, quòd Thiis defuncti, masculis & fœminis illi, sive per Patrem, sive per Matrem conjunctis, filii germani prædefuncti præponantur, si etiam illi tertium cognationis similiter obtineant gradum.*

Dices: si filii defuncti germani fratris ex- 2345
cluderent thios, seu patruum, vel amitam &c. esset ex eo, quòd hi sint in tertio gradu, illi autem in secundo jure repræsentationis, eò, quòd privilegio juris repræsentent suum Patrem, qui jure civili suo fratri defuncto conjunctus est in secundo gradu; sed hoc dici non potest 1. quia textus ipse dicit: Si etiam illi tertium cognationis similiter obtineant gradum, at sic non obtinerent: 2. quia repræsentatio solùm est pro casu *in jure expresso* in lege (cùm sola juris fictione inducatur) sed in jure solùm datur, quando filii fratris defuncti concurrunt *cum ejus fratribus* adhuc viventibus, non autem quando concurrunt *cum patruo*, R. majorem admitti ab aliquibus, sed, quid quid sit de majori; vera ratio sumitur ex ipsa dispositione juris expressa in *§. illud palam est*, de quo n. præced. verùm secunda probatio minoris negatur; nam jus repræsentationis illis simpliciter conceditur, ad 1. autem probationem minoris, R. illa verba: *si etiam illi*, idem importare, ac, licet, vel *quamvis illi tertium cognationis gradum obtineant*, spectati *secundùm se*; quia juris privilegio, & repræsentatione, sunt in secundo.

Instabis, in *§. illud palam est*, solùm di- 2346
citur filios præmortui fratris germani præponi thiis defuncti, masculis, & fœminis, ergo non extantibus, & ad huc superstitibus. R. in textu non poni, nisi per errorem *thiis defunctis*, sed in exemplaribus non mendosis, & correctioribus legi *thiis defuncti*, nimirum ejus, de cujus hæreditate agitur, & sic etiam legitur in corpore juris, ex quo desumpsi textum, edito Francofurti ad Mœnum, 1663. Typo Hieronymi Polichii, de quo idem observat Haunoldus *cit. n.* 493. ubi adducit plures illius editiones, in quibus error ille notatus, & emendatus est.

Not. autem in dicta Novella (ut constat 2347
ex *n.* 2344.) expressè ipsis fratrum filiis tunc istud beneficium *repræsentationis* conferri,

ferri, quando cum propriis judicantur thiis masculis, & fœminis; ex hoc resolvi potest quæstio, an non extantibus thiis, aut germanis, sed solùm istorum liberis (ex uno, tribus; ex altero, duobus, uno ex tertio) isti defuncto patruo succedant *in capita*, an *in stirpes?* videtur enim dicendum eo casu successionem fore in capita; hoc enim jure antiquo sic erat, ut habetur L. 2. §. 2. ff. de suis, & legit. hæredib. ibi: *duos fratres habui, unus ex his unum filium, alius, duos reliquit, hæreditas mea in tres partes dividetur*; & L. *penult.* C. de legit. hæred. ibi: illud procul dubio observando, *ut successio non in stirpes, sed in capita dividatur, & is gradus in legitimum ordinem transferatur*, loquitur autem lex de filiis fratrum, & sororum: at hæc juris antiqui dispositio nullibi correcta est; igitur etiam hodie in vigore manet.

2348 Dices: filii fratrum succedunt in hoc casu suo patruo jure repræsentationis per dict. Novell. ergo non *in capita*, sed *stirpes*, pat. conseq. quia jus repræsentationis id tantùm tribuit, quod haberet, si viveret is, qui repræsentatur; sed hic non haberet nisi suam partem, v. g. tertiam, ergo etiam cum repræsentantes liberi: hoc tamen non staret, si isti succederent *in capita*, sic enim (hæreditate in tres partes divisa) ex duobus filii unius fratris præmortui, singuli haberent unam tertiam, & unus alterius, pariter unam tertiam. R. N. ant. quia filii fratrum succedunt suo patruo jure repræsentationis, tunc, quando *concurrunt cum thiis defuncti*, ut apertè constat ex textu in princip. num. præced. sed in isto casu *non concurrunt cum thiis defuncti*, ergo in isto casu non est locus repræsentationi etiam salva dispositione illius Novellæ, consequenter stat in hoc dispositio juris antiqui de successione *in capita*.

2349 Præter hæc *nota* 2. id, quod in cit. Novella 118. c. 3. §. *sed & ipsis*, subjungitur: à successione in hæreditatem *patrui* excludi liberos etiam germanorum fratrum (si concurrant cum ascendentibus) postea correctum esse per Novellam 127. ut jam exposuimus *à n.* 2339. *Not.* 3. esse in controversia, an facienda sit divisio bonorum, quando uterini, & consanguinei succedunt fratri, sic, ut uterini succedant in solis bonis maternis, & consanguinei in solis paternis? vel verò sine discrimine bonorum succedant uterini, & consanguinei non extantibus ascendentibus, & liberis præmortui fratris germani? pro facienda divisione stant complures, quorum opinionem exercitu Doctorum munitam ait Haunoldus *cit. n.* 514. at stando in jure communi, & attenta mente Imperatoris Justiniani, negativam esse conformiorem juri in Novella 118.

Ratio hujus videtur ex eo rectè sumi, quòd Justinianus, non obstante notitia juris antiqui, facientis in contrarium, ad hoc, ut jus succedendi inter collaterales liquidum esset, nec obnoxium innumeris litibus propter ingentem difficultatem dijudicandi, *quæ bona paterna, vel materna sint?* sine ulla mentione ullius divisionis bonorum, indefinitè, ac universaliter, ad hæreditatem defuncti (qui decessit, nullis descendentibus, vel ascendentibus relictis) primo loco vocat fratres, & sorores illi, *ex utroque parente conjunctos*; & *deinde* istis non extantibus primùm *secundo loco* conjunctos illi *ex uno parente, sive per Patrem solum, sive per Matrem*, nam si voluisset in his observari divisionem bonorum, non debuisset accuratissimus Imperator vocare *conjunctos sive per Patrem solum, sive per Matrem*, sed potius *conjunctos per Patrem, si bona sint paterna*, vel, *si materna, conjunctos per matrem*: at hoc noluit Imperator, cùm expressè vocet conjunctos ex uno parente sine distinctione, an per Patrem, an per Matrem, ergo.

Confirmari potest ex eo, quia vi hujus 2350
Novellæ Titio defuncto non relictis descendentibus, vel ascendentibus, nec relictis germanis, vel eorum liberis, succedunt fratres, vel sorores Titio conjuncti ex uno parente, sive ista conjunctio sit per paternam, sive per maternam lineam, ut expressè loquitur textus: sed stante necessitate divisionis bonorum hoc non fieret, nec fieri posset, nam in casu, quo Titius defunctus haberet tantùm bona paterna, non possent illi succedere fratres tantùm uterini, seu conjuncti ex sola Matre; & si haberet tantùm materna, non possent illi succedere fratres tantùm consanguinei, seu conjuncti ex solo Patre, contra claram dispositionem cit. Novellæ 118. ergo.

Not. 4. deficientibus fratribus & sororibus, eorumque liberis ad successionem 2351
vocari reliquos promiscuè agnatos & cogna-

cognatos, obſervatâ gradus prærogativâ, ſublatâ omni differentia collateralium ſuperiorum, & inferiorum, ipſoque etiam jure repræſentationis; ſucceſſio autem iſtorum ſic accipienda eſt, ut ſecundùm perſonarum numerum inter eos hæreditas dividatur, ita textus in Novella 118. relatus ſupr. quarè in hoc nihil operatur, quòd unus ex duplici vinculo conjunctus ſit defuncto præ aliis, plus accipiat v. g. duas hæreditatis partes; quia ſic falſum evaderet, quòd hæreditas ſecundùm perſonarum numerum inter eos dividatur.

2352 *Not.* 5. iſtam collateralium ſucceſſionem juxta ſententiam antiquorum porrigi ſolùm ad 10. gradus, deſumpto *arg. ex §. fin. Inſtit. de ſucceſſ. cognat.* ubi admitti jubentur agnati uſque ad ſeptimum gradum tantùm; at ubi inter agnatos & cognatos ſublata eſt diverſitas quoad jus ſuccedendi, inferri videtur ſucceſſionem ſimpliciter ſe extendere ad decem gradus. Quia tamen in Novella 118. *c.* 3. §. *Sed & ipſis*, dicitur: *omnes deinceps à latere cognatos ad hæreditatem vocamus ſecundùm uniuscujuſque gradûs prærogativam, ut viciniores gradu ipſi reliquis præponantur*; rectius dici videtur extendi in infinitum, ſicut in deſcendentibus; hoc enim denotant verba: *omnes*, & *ſecundùm uniuscujuſque gradûs prærogativam.*

§. 5.

De Succeſſione Conjugum & Fiſci.

2353 DE iſta ſucceſſione extat *L. unica C.* Unde Vir & Uxor, quæ ſic habet: *Maritus & Uxor ab inteſtato invicem ſibi in ſolidum, pro antiquo jure ſuccedunt, quoties deficit omnis parentum, liberorumve, ſeu propinquorum legitima, vel naturalis Succeſſio, Fiſco excluſo*; quod procedit, eſto matrimonium eorum ſit ratum tantùm; ſic enim verè ſunt *Conjuges*; & lex non diſtinguit, an ſint Conjuges ex matrimonio *rato tantùm*, vel etiam *conſummato*; ſed diſpoſitionem dictæ legis accipe, ut non procedat, ſi inter eos præceſſit divortium perpetuum legitimè, ac jure factum, per Novellam 117. *c.* 5.

2354 *Not.* Præterea, ſi Uxor Viro nullam dotem attulit, & eo mortuo, non haberet ſuſtentationem, eam admitti ad ſucceſſionem cum liberis, juxta præſcriptum authenticæ, *Præterea. C.* unde Vir & Uxor, quæ ſic habet: Præterea *ſi Matrimonium ſit abſque dote, Conjunx autem præmoriens locuples ſit, ſuperſtes verò laboret inopiâ, ſuccedet unà cum liberis communibus, alterius ve matrimonii in quartam, ſi tres ſint, vel pauciores.* Quòd, *ſi plures ſint, in virilem portionem*; *ut tamen ejuſdem matrimonii liberis proprietatem ſervet, ſi extiterint: his verò non extantibus, vel, ſi nullos habuerit, potietur etiam dominio, & imputabitur legatum in talem portionem. Not.* 2. hanc ſucceſſionem Conjugum poſſe variari pactis dotalibus, eſto aliàs non valeant pacta mutuæ ſucceſſionis in præjudicium eorum, qui jure vocantur ad ſucceſſionem, *L.* 61. *ff.* de verborum *obligat. L.* 15. *& fin. C. de pactis*; nam de pactis dotalibus contrarium uſu receptum eſt.

Not. 3. Nemine, ex deſcendentibus, 2355
aſcendentibus, vel collateralibus pro ſucceſſione comparente, ſic conſtitutum eſſe *L.* 4. *C.* de bonis vacant: *vacantia mortuorum bona tunc ad fiſcum jubemus transferri, ſi nullum ex qualibet ſanguinis linea, vel juris titulo legitimum reliquerit inteſtatus hæredem*; hæc autem hæreditatis devolutio ad Fiſcum non fundatur in jure aliquo *hæreditario*, ſed potius in quadam ſuperioritate, & vi regalium. *Not.* 4. aliquos in jure vocari ſucceſſionis *incapaces*, alios, *indignos*: illi ſunt, *nati ex damnato concubitu*, vel *rei læſæ majeſtatis*, iſti, *qui teſtatorem occiderunt*; *cauſam mortis præbuerunt*; mortem ejus intra terminum à judice dandum ulciſci neglexerunt; ejus judicium, ſeu ultimam voluntatem probroſo nomine impugnant; eum gravis delicti reum faciunt; ei ſtatûs controverſiam movent; qui contra tabulas inique petunt bonorum poſſeſſionem; *qui, uxorem contra leges duxerunt*; inimicitias capitales cum defuncto exercuerunt, aut illi maledixerunt; uxorem ejus corrupuerunt; in fraudem juris promittunt reſtituere perſonæ, quam capere fas non eſt; qui hæreditatem compilarunt; in quantum compilarunt; qui de hæreditate viventis improba facta fecerunt; denique (ſed horum portio non cedit fiſco) qui ſe à tutela teſtamentaria excuſant; de quibus agitur in *ff. & C. Tit.* de his, qui, ut *indignis* auferuntur.

Not. 5. *Incapaces* ſucceſſionis haberi, ac 2356
ſi non eſſent; conſequenter eorum portionem deferri ad eos, qui proximi ſunt, *indignorum* autem portionem cedere Fiſco,

ſco excluſis aliis. *de peregrinis* autem, jure communi dicitur: *omnes peregrini, ſi inteſtati deceſſerint, ad hoſpitem nihil perveniet, ſed bona ipſorum per manus Epiſcopi loci, ſi fieri poteſt, hæredibus tradantur; vel, in pias cauſas erogentur*, &c. ſic Authent. *omnes peregrini.* C. Communia de Succeſſionib. de *proſcriptorum* autem, & ob alia delicta damnatorum bonis, atque ſucceſſione ſic loquitur anthent. de bonis proſcriptorum: *bona damnatorum, vel proſcriptorum non fiant lucro judicibus, ſed aſcendentibus, & ex latere usque ad tertium gradum, ſi ſuperſint; Uxores verò eorum dotem, & ante nuptias donationem accipiant, ſi verò ſine dote ſint, de ſubſtantia mariti accipiant partem legibus definitam, ſive filios habeant, ſive non*; ſed, *ſi neminem prædictorum habent, qui deliquerunt, eorum bona fiſco ſociantur.* In Majeſtatis verò crimine condemnatis, veteres leges ſervari jubemus.

ARTICULUS II.

Qualiter Eccleſia ſuccedat ab inteſtato in Bona Clericorum.

2357 REſp. in bona illorum patrimonialia, vel quaſi (de quibus liberè teſtari potuiſſent) ſi non extent, qui jure cognationis ſuccedant, Clerico ab inteſtato decedenti ſuccedere Eccleſiam, cui ſervivit tempore mortis; Si tunc nulli Eccleſiæ ſervivit, & tamen gaudebat privilegiis Clericorum, ea devolvi ad Fiſcum Eccleſiæ illius loci, in quo deceſſit; & tunc ea diſtribuenda eſſe ab epiſcopo ex arbitrio in pias cauſas: prima pars ſumitur ex *c.* 1. *h.t.* ubi textus, loquens de Epiſcopis, Presbyteris, clericis, & dicens, *eos de dictis bonis poſſe diſponere ex arbitrio*, ſubjungit: *ſin autem antea obierint, quàm firmiter perfecerint, altari, cui ſerviunt, omnia perpetuò ſanctificentur, & in jus tradantur.*

2358 Ratio ſecundæ partis ſumitur ex jure civili, cùm de hoc nihil ſpecificè conditum ſit à ſacris canonibus; nam nullis extantibus, qui jure vocantur ad ſucceſſionem defuncti, ſuccedit fiſcus ſecularis, ut dictum eſt in præced. tanquam in bonis vacantibus Laici defuncti, ergo etiam fiſcus Eccleſiaſticus in bonis defuncti Clerici, non obſtante, quòd ea bona, non ſint bona Eccleſiaſtica, aliàs enim, ſi ſervi laicorum, à dominis manumiſſi ordinentur ſacerdotes, & moriantur inteſtati, Laici ipſis ſuccederent contra expreſſum textum in *c. Sancto* 2. *h.t.*

Cùm enim ad Concilium Triburienſe relatum eſſet, quod quidam Laici improbè agant contra Presbyteros ſuos, ita, ut de morientium Presbyterorum ſubſtantia partes ſibi vendicent, ſicut de propriis ſervis; Concilium interdixit, ne hoc ulterius fiat; ſed, *ſicut liberi facti ſunt ad ſuſcipiendum gradum, & agendum officium divinum, ita nil ab eis, præter divinum officium exigatur*; peculium verò ipſorum dividatur in quatuor partes, quarum una, *Epiſcopo*; altera, *Eccleſiæ*; tertia, *pauperibus*: quarta, parentibus aſſignetur, &, ſi non ſint idonei parentes, Epiſcopus eam recipiat, & in uſum Eccleſiæ diligenter diſtribuat, *& ſi quis contra hoc præſumſerit, anathematizetur.*

Ex hoc textu colliges, quòd, licet jure 2359
legum Patronus liberto (quem ſcilicet manumiſit è ſervitute) decedenti ſine liberis, ſuccedat, ut habetur §. *ſed noſtra* Inſtitut. de ſucceſſionib. Libertor: hoc tamen fallat, ſi libertus, Presbyter ordinatus, moriatur. Ex iſto extiam textu junctо *c.* 3. de ſervis non ordinand. notabile diſcrimen aliqui advertunt, *inter libertos Eccleſiarum* ad ſacros ordines promotos; *& inter libertos privatorum* eisdem ordinibus inſignitos, ut ſcilicet Eccleſia patrona in omnibus bonis liberti inteſtati ſuccedat per *c.* 3. privatus verò Patronus nihil ex illis bonis temporalibus vendicare poſſit, per textum in præſenti. Sed ex vi hujus textûs ſolùm ſequitur, patronum (ſive ſit Eccleſia, ſive privatus aliquis) nihil poſſe ſibi habere ex bonis *liberti*, qui, poſtquam *abſolutè*, ac *ſimpliciter* manumiſſus eſt à ſervitute, factus ſacerdos, deceſſit ſine liberis; ſecùs, ſi ſolùm *ſub conditione*, ut bona ejus temporalia pertineant ad Patronum, ſi decedat ſine hæredibus ſuis, nam de illo caſu hic textum agere, colligitur ex illis verbis: *liberi facti ſunt.*

Ad id, quod in *cit. c.* 2. dicitur de divi- 2360
ſione bonorum defuncti in 4. partes, notat Pirhing. *h.t.* 29. *notat.* 3. ex gloſſa in dict. c. 2. V. *morientium*, non videri hodie locum habere; ſed, ſi talis Clericus manumiſſus, conſanguineos habeat, *in illis, quæ immitu Eccleſiæ acquiſivit, eos illi ſucceſſuros*

ab intestato, successiurâ cœteroquin Ecclesiâ, videtur tamen rectius (& ad ea, quæ ipse tenet ex *cit.* 1. *h.t. n.* 26. conformius) dicendum: in acquisitis *intuitu Ecclesiæ*, ab intestato illi succedere Ecclesiam, si alicui servivit tempore mortis; vel, si secùs, fiscum Ecclesiasticum: in patrimonialibus autem, vel quasi, si quæ sint, consanguineos, secundùm dicta.

2361 Præter dicta *not.* 1. per dispositionem ultimam, *ad pias causas*, excludi successionem ab intestato, colligitur ex c. *cùm dilectus* 3. *h.t.* ubi, postquam sufficienter probatum est, quòd Archipresbyter defunctus, se, & sua, pietatis causâ, monasterio de Brusio obtulerit, ac propterea ultra hanc dispositionem, circa sua bona nihil ordinaverit; sed, in ea hac voluntate decesserit, Episcopus Edversis, qui Successionem ab intestato prætendebat pro Ecclesia sua cathedrali, perpetui silentii condemnari à delegatis debuit, si non probaverit, Archipresbyterum non fuisse sanæ mentis, quando ultimam veluti voluntatem declaravit.

2362 *Not.* 2. Professo in Religione bonorum temporalium incapace, si prius de bonis suis nihil disposuit, succedere illos immediatè, qui jure in successionem vocarentur, si decessisset naturaliter; secùs verò est, si ipsum monasterium sit capax bonorum temporalium in communi. Ratio primæ partis est, quia eo casu, & professus fit incapax, ut possit ea retinere, & monasterium ponitur incapax, ut valeat in ea succedere, ita Lessius *lib.* 2. *de Instit. c.* 41. *d.* 10. *n.* 86. cum communi: ratio secundæ partis est ex dictis à n. 1773. Hæc tamen secunda pars limitanda est, ut non procedat in domibus & Collegiis Soc. JESU, quæ jus succedendi ab intestato in bonis suorum Religiosorum per speciales suas constitutiones non habet, ita Lessius cit. n. 81.

2363 *Not.* 3. Eum, qui profitetur Religionem, si habeat liberos, seu descendentes, eis teneri relinquere legitimam etiam post professionem, si ante non fecit. Auth. *Si qua mulier. C. de SS. Eccles.* relata in c. *Si qua mulier.* 9. *§. Sed si persona.* 19. *q.* 3. ibi: *Si qua mulier, aut vir monasticam elegerit vitam, & intraverit monasterium, liberis non extantibus monasterio, quod ingreditur, res ejus competere jubemus*; sed, *si persona, liberos habens, antequam de rebus suis inter eos disponat, monasterium intret, liceat ei postea inter eos dividere, legitimâ non diminutâ, & quod eis non dedit, monasterio competet.*

Not. 4. *in eod. c. ex dict. authent.* dispositum esse 1. quòd si omnem substantiam inter filios dividere voluerit, suâ personâ filiis connumeratâ, partem sibi retineat, quæ monasterio competere debet. 2. quòd, si post ingressum moriatur, antequam inter eos dividat, filii legitimam percipiant, reliquâ substantiâ monasterio competente. Advertendum autem, quòd in casu, quo dicitur, *professum etiam post professionem*, si liberos habeat, posse inter eos bona dividere, id non agat *jure dominii* (cùm eo se sponte in persona sua particulari privaverit per professionem) sed *jure administrationis bonorum* ad hunc effectum sibi jure constituto, de quo v. Sanchez *l.* 7. *Decalog. c.* 9. *à n.* 10. 2364

Not. 5. Esse in quæstione, an filiis, 2365
vel descendentibus statim post professionem Patris (qui eis necdum constituit legitimam) ista debeatur? an verò primùm post mortem naturalem Patris? hanc secundam partem non esse improbabilem, censet Pirhing *h.t. n.* 37. dicens: idem teneri à pluribus Doctoribus apud Sanchez *cit. c.* 10. *à n.* 3. & Lessium *cit. n.* 83. quo casu à monasterio, habente bona professi, deberent ex eisdem alimenta illis præstari, sicut aliàs deberent à Patre ipsorum.

Cœterùm, pro prima parte stare videtur c. *Cùm simus.* 14. *de Regularib.* nam in tali casu filius *jure potest petere* legitimam, ergo *jure debetur*, ant. prob. nam, cùm quidam miles se cum filio necdum annos discretionis habente, & suis bonis, ad quoddam monasterium contulisset, & filium suum fecisset suscipere habitum monachalem, is autem propter asperitatem vitæ, postquam ad annos discretionis pervenit, habitum retinere nollet, & ad seculum regressus, bona paterna, quæ ipsi ex successione proveniunt, postularet; non obstante, quòd consanguinei se opponerent: Cœlestinus III. respondit; *si esse liberum, ea bona postulare*; quod utique non dixisset, nisi tunc jure posset, etiam adhuc naturaliter vivente parente in Monasterio.

Not. 6. Quando dicimus omnia 2366
bona,

bona, & jura professi (de quibus antè non disposuit) cum ipso transire in monasterium, capax bonorum temporalium, hanc transitionem fieri *per consequentiam personæ in monasterium translatæ*; non autem, per viam successionis hæreditariæ. ant. exposuimus superius, & constat ex Authent. *Ingressi cit.* ibi: *ipso ingressu se, suaque dedicat DEO, & authent. de Monachis. §. illud quoque* ibi: *ingredientem namque simul sequuntur res*; ratio autem ulterius est, quia in *hæredem*, quà talem, non transeunt bona defuncti per consequentiam personæ; sed, vel voluntate defuncti, vel juris dispositione aliquem vocantis in successionem ab intestato.

2367 *Not.* 7. quando dicimus, professum, suis descendentibus, si quos habet, etiam post professionem posse, ac debere bona sua dividere, si prius id non fecit, debere intelligi 1. *quantum exigit eorum legitima*; nam in ordine ad hunc effectum illi à lege jus factum est, ut jam diximus; ulterioris enim dispositionis, emissâ semel professione legitimâ, non amplius capax est. 2. debere intelligi de bonis, quæ habuit *ante* professionem, non illis, si quæ *post* acquisivit; hæc enim, suppositâ professione, non sibi, sed monasterio acquirit, quando istud capax est bonorum temporalium saltem in communi. Ratio sumitur ex dict. supra, nam omnia professi jura, de quibus ante non disposuit, cum eo transeunt in Monasterium.

Ex hoc habetur, quòd, si professo jure hæreditario, vel successionis, obveniret hæreditas, hæc immediatè obveniret monasterio bonorum temporalium capaci; non autem, personæ ipsius Professi, nisi quatenus est pars communitatis, in quam ipse cum juribus suis translatus est; nam ipse in propria sua persona, & *jure singularis personæ*, seu *in se* (suppositâ professione) non est Capax successionis; secùs jure competente tali communitati, in quam ipse per professionem translatus est.

2368 *Not.* 8. cùm constet *à n.* 2330. parentes de jure communi esse filiorum hæredes *necessarios* in casu, quo decedunt sine descendentibus, si filius, carens descendentibus, ante professionem religiosam, non reliquit parentibus portionem legitimam; etiam post professionem illis teneri relinquere. Nam esto authentica, *si qua mulier*, solùm exprimat divisionem bonorum *inter liberos*, permitti taliter professo; non propterea censenda est loqui *restrictè ad solos liberos*; sed intelligenda venit etiam *de parentibus* propterea, quòd & hi sint hæredes *necessarii*, ipsâ lege sic statuente. Unde, cùm dicitur (*non expressum in lege, haberi pro omisso*, vel etiam *negato*) verum est, quando nec aliâ lege dispositum est de casu in altera lege non expresso; at parentibus relinquendam esse legitimam à filiis, qui decedunt non relictis descendentibus, aliâ lege expressum est, cùm, ut notavimus, illo casu sint hæredes *necessarii*, ergo, & ita tenet Sanchez *in Decal. l. 7. c. 10. n. 3.* Abbas c. *in præsentia*, de probat. *n. 59.* & alii. Hinc negandum est, monasterium in tali contingentia haberi *loco filii*, relatè ad ejusmodi professum, hæc enim juris fictio in nullo canone, vel lege fundatur; ita Lessius *l. 2. de Just. c. 41. n. 83.* & alii.

Not. 9. quando dicimus, quòd filius, 2369
carens descendentibus, & ante professionem parentibus non relinquens legitimam, debeat hanc illis relinquere etiam factâ professione, intelligendum esse *de bonis acquisitis ante professionem*, nam post illam non acquirit sibi, ut diximus, sed Monasterio, temporalium bonorum capaci, quod tamen sic accipiendum est, ut non intelligatur de his, quæ post professionem acquisivit, seu ad eum devolvuntur *jure sanguinis*, puta, si hæreditas ab intestato ad eum jure sanguinis veniret; nam hæc, *jure ante professionem competente*, illi obveniunt, atque adeo censentur prius acquisita in radice, ita Sanchez *cit. l. 7. c. 9. n. 22.* Layman *l. 3.* Summæ *tr. 4. c. 3. n. 9.*

Not. 10. quòd monasterium, Novi- 2370
tio, ante professionem decedenti, non succedat ab intestato; ratio hujus est; quia Novitius, ante professionem, nihil juris transfert in Monasterium, non, *quàm diu vivit non professus*, ut ponit casus; *non per mortem ante professionem*; quia translatio jurium in Monasterium, de quibus quis ante professionem non disposuit, contingit solùm *per consequentiam personæ* in illud translatæ secutâ professione, ut sæpius dictum est, sed hæc ponitur non secuta; ergo, ita Zoësius *h. t. à n. 8.* Ex quo ulterius habetur, si quis, alteri substitutus, profiteatur in Monasterio bonorum temporalium

poralium capaci, & ante institutum moriatur, nihil deberi monasterio, cùm jus successionis, in bona instituti, substituto competat solùm sub conditione, *si naturaliter supervivat instituto*; hæc autem conditio non evenit, sed planè oppositum, ergo jus istud substitutus non acquisivit, dum viveret, consequenter tunc nec per consequentiam personæ in Monasterium transtulit; sed nec acquisivit tempore mortis, tum quia tunc est incapax, tum quia, præmortuo substituto, jus substitutionis extinctum est per eventum oppositi, ergo.

2371 *Not.* 11. Si contingat, professo in Monasterio, bonorum temporalium & successionis capaci, obvenire hæreditatem, vel ex testamento, vel ab intestato, illam non acquiri ipsi professo in sua persona particulari (ponitur enim in sua persona particulari post suam professionem incapax, ut acquirat *directè in commodum suum*) sed immediatè monasterio. Nam in hoc transtulit omnia jura sibi competentia, de quibus ante professionem non disposuit, ergo etiam jus acquirendi hæreditatem ex testamento, vel ab intestato delatam, quo non exuitur per professionem; sed jure acquirendi hæreditatem ex testamento, vel ab intestato delatam *directè in commodum Monasterii*, per professionem non est exutus, quando Monasterium est capax bonorum temporalium nomine communi; ergo tali casu Monasterium immediatè, jure sibi competente, acquirit ejusmodi hæreditatem, volente, & acceptante communitate, ubi consensus communis requiritur, ita Sanchez *in Decal. l. 7. c. 12. n. 36.* Covarr. *c. 1. de Testam. n. 21.* & alii.

2372 Dices: ex hoc sequi, quòd Professus alteri substitutus, etiam jus substitutionis, in casu, de quo n. 2370. transtulerit in Monasterium; ergo esto Substitutus ante institutum naturaliter decedat, monasterium nihilominus succedet in bona instituti; quia monasterium stat etiam naturaliter extincto instituto; anteced. prob. quia jus hæreditatis acquirendæ *jure sanguinis* transfert in monasterium, esto ei solùm competat sub conditione, dum profitetur; ergo etiam jus *jure substitutionis* succedendi instituto, cui quis Substitutus est, esto ei solùm competat sub conditione, dum profitetur, ꝛ. cũ dist. si non sit sermo de conditione *suspendente* ipsum j° successionis, transire de conditione *suspendente* ipsũ j° successionis N. ant. & conseq. quia *jus succedendi vi substitutionis* non inest Substituto purè, sed sub expressa conditione suspendente, si naturaliter supervivat instituto; unde si moriatur ante institutum nihil transmittit ad hæredes, nisi expresè substitutus sit *ipse, & hæredes ejus*; at *jus succedendi jure sanguinis* purè competit consanguineis; unde in id etiam post mortem Patris in idem succedunt ejus descendentes, ergo; ex hoc habetur ratio negatæ conseq. cum discrimine inter utrumque, propter quod etiam simpliciter negari potest antecedens; nam in antecedente solus *usus juris* pendet *à conditione*; non ipsum *jus* fundatum in jure sanguinis; in consequenti *ipsum jus* successionis fundatum in substitutione pendet à conditione, non autem *solus usus juris*. Ex hoc

ꝛ. 2. Cum distinctione sequelæ: & concedo sequi, quòd professus alteri Substitutus etiam jus substitutionis in casu, de quo dictum est n. 2370. transtulerit in monasterium, eo modo, quo ipse habuit; non autem secùs: at Substitutus non habuit *purè* jus successionis in bona instituti, sed tantùm *sub conditione*, si naturaliter superviveret instituto, ergo in Monasterium non transtulit jus successionis *pure*, sed tantùm *sub conditione, si naturaliter superviveret instituto*; hæc autem conditio verificata non est vivente Substituto, ut ponit casus; nec etiam ipso naturaliter præmortuo ante institutum; ergo monasterium non habet jus successionis in bona instituti nisi conditionatum, & pendens à conditione, quæ nunquam evenit, & deinceps naturaliter evenire non potest; hinc N. *conseq. ad prob. ant. ꝛ. cum dist. ant.* professus jus acquirendæ hæreditatis *jure sanguinis* transfert in Monasterium, esto ei solùm competat sub conditione suspendente *usum talis juris. C. ipsum jus. N. ant.* & *jus substitutionis* Substituto convenire sub conditione suspendente; non autem *solus usus*, ut dictum est.

Not. 12. Irritum esse statutum Lai- 2373
corum, quo liberi, Religionem ingredientes, jubentur esse contenti solâ legitimâ, vel aliquo vitalitio, cæteroquin excludantur à successione in bona parentum, jure illis competente, si manerent in sæculo; ita Sanchez *cit. lib. 7. c. 12. n. 18.* Abbas c. *Ecclesia. 10. de Constitut. n. 35.* & com-

complures alii. Ratio hujus est ex defectu potestatis in statuente; nam tale statutum dirigitur in tempus, quo is, quem excludit à jure sibi competente, non est subditus statuentis; probatur, nam talis non redditur vi ejusmodi statuti successionis incapax, nisi sub conditione *assumpti statûs religiosi*; ergo non dirigitur in talem, nisi *pro tempore*, quo is *opere assumpsit statum religiosum*, secutâ nimirum professione, seu emissione votorum, quibus verè ac propriè constituatur Religiosus; sed tunc non est subditus potestati laicæ, ut pluribus ostensum est *lib. 1. tit. 2. de Constit.* idque non tantùm de Jure Canonico, sed etiam civili, & valde probabiliter etiam divino, prout ibidem ostensum est.

2374 Quare non infringitur argumentum dicendo: tales Principi laico non subesse quidem in spiritualibus; secùs in temporalibus; 2. dispositionem talis statuti non tendere directè in Professum, sed ejus Parentes statuenti subjectos; 3. Id induci posse consuetudine, ut taliter excludantur ingressi Religionem; ergo & statuto. 4. Id usu, & consuetudine plurium locorum jam esse receptum, & consequenter Canonibus in contrarium nitentibus esse derogatum. Ad hæc enim omnia jam respondimus *lib. 1. tit. 2.* unde negatur, quòd tale statutum liberos religionem profitentes inhabilitans ad successionem non tendat in eos *directè*, accedit, quòd sub pœna excommunicationis, nec indirectè quidem in præjudicium talium personarum à Laicis statui possit. Quod de Consuetudine dicitur, R. universim, consuetudinem in materia, quæ inepta sit, ut possit esse materia legis, esto etiam ineptam, ut recipiatur *loco legis*, aut habeatur *pro lege*, ut diximus *loc. cit.* illa porrò consuetudo passim reprobatur à sacris Canonibus, & potius est usus, *coactè*, contra Ecclesiasticorum, imò & ipsius Ecclesiæ voluntatem præceptivam introductus, de qua certum est, non posse salvâ conscientiâ recipi *pro lege*.

QUÆSTIO XXVIII.

IN TIT. XXVIII. DE SEPULTURIS.

2375 HIc titulus habetur etiam in Sexto, Clementinis, & Extravagantibus; subjungitur prioribus, quibus actum est de successionibus tam ex testamento, quam ab intestato. Sepultura verò tripliciter sumi potest, 1. pro loco, in quo quis sepultus, vel sepeliendus est; 2. pro jure, quod quis habet, ut sepeliatur in tali loco; 3. pro ipso officio, seu actu sepeliendi, quod tumulandis cadaveribus impenditur. Sepultura primo modo sumpta idem est, quod sepulchrum, quo continetur omnis sepulturæ locus; dicitur non à *seorsim pulchro* propter recordationem doloris, sed à sepeliendo, sicut simulachrum à simulando; denotat enim locum, in quo corpus, ossaque hominis sepulta sunt, L. 2. *§. purus autem ff. de relig. & sumpt. fun.* Ex sepulchris alia sunt *familiaria*, quæ quis sibi, familiæque suæ constituit, *L. 5. ff. de relig.* alia *hereditaria*, quæ quis sibi hæredibusque suis constituit: vel quæ paterfamilias jure hæreditario acquisivit, *L. 5. & 6. ff. eod. tit.* his præmissis:

ARTICULUS I.

De Sepultura Ecclesiastica.

SI loquamur de sepultura, in quantum 2376
sumitur pro ipso loco, in quo cadaver hominis defuncti sepultum, aut sepeliendum est, supponend. 1. eum locum jure civili dici *Religiosum*, in quem, domino sciente, & non contradicente, illatum est corpus hominis mortui, ut in eo perpetuò sepultum maneat, *L. 2. C. de Relig. & sumpt. fun. §. Nullius* & *§. Religiosum. Instit. de rer. divis.* sed ex hoc non habetur sepultura Ecclesiastica; nam jure canonico tunc solùm locus aliquis evadit *Religiosus*, hoc est, obtinet rationem sepulchri,

pulchri, seu sepulturæ Ecclesiasticæ, quando Episcopi authoritate publicâ deputatur ad fidelium sepulturam, Gloss. communiter recepta, c. *in Ecclesiastico.* 13. *q.* 2. *V. si terram*, & colligitur ex *c.* 4. *de Relig. domib.* Suppon. 2. olim fuisse prohibitum, Christianos sepelire intra Ecclesiam, c. *Præcipiendum* 13. *q.* 2. nisi essent Episcopi, Abbates, vel aliæ insignes personæ, arg. c. *nullus.* 13. *q.* 2. ubi per *Fideles Laicos* intelliguntur illi solùm, qui cum opinione sanctitatis decesserunt: hodie autem quilibet Fidelis in Ecclesia sepeliri potest, ut colligitur ex usu jam recepto.

§. 1.

In quo loco quis possit, aut debeat sepeliri?

2377 DE hac quæst. extat. c. *Nos instituta* 1. *h. t.* ubi dicitur: nos instituta Majorum Patrum considerantes, statuimus, *unumquemque in majorum suorum sepulchris jacere*, ut Patriarcharum exitus docet. *Nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam, & etiam alienam*, dominus enim & magister alienam elegit, ut propriam. Ex hoc textu habetur, eum, qui habet sepultura familiarem, & hæreditariam, extra parochiam suam, esse in illa sepeliendum, nisi elegerit sibi aliam, prout in textu conceditur; sed advertendum, in hoc casu sic ei permitti eligere alienam, ut nihilominus Ecclesiæ suæ parochiali teneatur solvere *partem sui judicii*, nimirum canonicam, de qua dicemus infra, ut dicitur cit. c. 1. ibi: *quia dignus est Operarius mercede sua, tertiam partem sui judicii illi Ecclesiæ dari censemus, in qua cœlesti pabulo refici consuevit, ut juxta Apostolum sint consolationum socii, ut fuerint passionum*: & *sic* demum *ubicunque libitum* fuerit, eligat sepulturam. *Aliter ne fiat*, auctoritate Domini nostri, qui per Prophetam locutus est, dicens: ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui, sub anathematis vinculo detestamur, & contradicimus; ubi not. quòd textus volens Ecclesiæ *parochiali* persolvi partem sui judicii canonicam, loquatur de casu, quo quis *relictâ majorum sepulturâ* sibi eligit alienam; igitur non in casu, quo sepelitur in sepultura majorum suorum, quantumvis illa non sit parochialis; id, quod patet ex illis verbis: & sic demum: *ubicunque libitum fuerit, eligat sepulturam*; quæ subjunguntur illis: nulli negamus propriam eligere sepulturam, vel alienam, postquam dictum est, *unumquemque in majorum suorum sepulchro jacere statuimus*; loquitur ergo de eligente aliam, non autem suorum Majorum.

Not. autem 1. per *Majores* hìc intelligi 2378
ascendentes in linea recta, ut avus, & alii superiores, juxta L. *Majorum ff. de Verb. signif.* *Not.* 2. per *partem sui judicii*, intelligi portionem Parochialem, ut communiter tradunt DD. cum Gonzalez in dict. c. 1. V. *Tertiam partem n.* 1. *Not.* 3. quando dicitur, unumquemque in Majorum suorum sepulchris tumulandum esse, intelligi solùm, *si decesserit non electâ sibi sepulturâ.* *Not.* 4. si contingat, quòd defuncti Pater, & avus elegerit sibi, suisque aliam sepulturam, nimirum non Majorum suorum, filium defunctum sepeliendum in sepulchro Patris & avi; non autem proavi, vel tritavi; nam hi sunt remotiores à defuncto; & in priori jam verificatur ratio *sepulchri majorum*, secùs, si uno loco jaceret tantum *pater*, in alio *avus*; sic enim neuter locus est sepulchrum *Majorum.*

Quæstio autem est 1. ubi sepeliri de- 2379
beant illegitimi, & naturales? 2. spurii? 3. adoptivi? Ad 1. respondet Sylvester V. *Sepultura. q.* 8. *dict.* 4. sepeliendos in sepultura Patris, nisi hujus dignitas obstet, vel elegerint alibi sepulturam; spurios autem in sepulchro Matris, nisi foret illustris, ex quo patet ad 2. Ad 3. verò ℟. si decederent adhuc vivo adoptante, vel arrogante, tumulandos in ejus sepulchro; secus eo mortuo; quia tunc sublata est adoptio.

Quæstio 4. est, ubi sepeliendus sit, qui 2380
non elegit sepulturam, nec etiam habet sepulturam Majorum; aut si habet, in ea commode sepeliri non potest? ℟. quòd in Ecclesia sua Parochiali, vel ejus cœmiterio, colligitur 1. ex. c. 1. h. t. nimirum ea, in qua recepit, aut recipere debet Sacramenta. Apertius autem ex *c.* 1. *h. t. in* 6. ubi Bonifacius VIII. prohibet universis Religiosis, & secularibus Clericis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub maledictione æterna, ne aliquos *ad vovendum*, vel *jurandum*, *vel fide interpositâ*, *sive aliàs ad promittendum inducant, ut apud eos sepulturam eligant*

eligant, vel jam electam ulterius non immutent. Si secus actum fuerit, electionem decernit irritam, & ut taliter eligentes nec apud electas Ecclesias, nec alibi possint eligere sepulturam, sed sepeliantur apud illas Ecclesias, apud quas sepeliendi erant, si fortassis aliàs sepulturâ non electâ decessissent. Religiosos verò & Clericos contravenientes, tam ad restitutionem corporum (si petantur) quàm *omnium, quæ occasione sepulturæ ad ipsos pervenerunt, intra decem dies vult esse obligatos.* Quod nisi fecerint Ecclesiæ, & Cæmiteria, ubi sepulti fuerint, eoipso sunt, & tamdiu manent Ecclesiastico supposita interdicto, donec omnia plenarie restituerint. Ex hoc enim habetur, tales haberi perinde, acsi nullam haberent sepulturam propriam, nec ullam etiam elegissent, adeoque sepeliendos, ubi aliàs de jure debuissent, quib' scilicet debent relinquere *partem sui judicii*, seu *canonicam portionem*, at hæc debetur soli Ecclesiæ parochiali: ergo. De reliquis, quæ continentur in cit. textu, constabit *à n.* 2388.

2381 Quæstio 5. est, ubi sepeliendus sit, qui fuit in duplici parochia? 6. quando quis habens Parochiam in oppido, vel civitate, moritur in arce sua v. g. vel villa sua, ubi rusticationis, vel recreationis causâ morabatur? 7. quando quis moritur in loco, ad quem venit non animo ibi perpetuò manendi, substitit tamen ibidem per notabile tempus? Ad 5. R. eo casu dari locum præventioni, & si Parochi litigarent, Episcopi judicio standum esse, Molin. *tr.* 2. *de Justit. D.* 214. *n.* 13. is enim est eorum Judex ordinarius. Ad 6. R. si non elegit sepulturam, vel in sepulchro majorum suorum, vel in Parochia sui ordinarii domicilii sepeliendum esse, si sine periculo illuc deferri possit, *c.* 3. *h. t. in* 6. ibi: *is, qui habens domicilium in civitate vel castro, quandoque* ad villam ruralem se transfert recreationis causa, vel ut ruralia exerceat in eadem: *si non electâ sepulturâ decedat ibidem, non in Ecclesia dictæ villæ, sed in sua paræciali, vel in capotius, in qua majorum ipsius ab antiquo, sepultura extitit, sepeliri debebit; dummodo absque periculo, ad ipsam valeat deportari.* Ad 7. R. si aliam sepulturam non elegit, sepeliendum in parochia illius loci, ut tradit Abbas *in c.* 1. *h. t. n.* 4. Et ideo peregrini, & advenæ, si moriantur in loco, per quem transeunt, & non possunt comodè ad suam parochiam reduci, nec alibi sepulturam elegerunt, sepeliendi sunt in Ecclesia, à cujus Rectore Sacramenta tunc acceperunt.

Præter hæc not. Famulos domesticos 2382
Ordinum Mendicantium, sepeliri posse in eorum Ecclesiis, vel Cœmiteriis etiam Parocho loci invito, si intra septa eorum moriantur, licet sibi non elegerint sepulturam in illis; Rodriquez *tom.* 2. *q.* 68. *n.* 2. Nam tales sunt proprie illorum familiares; unde quamvis ejusmodi Monasteria sita sint *in* aliqua parochia, non tamen sunt *de illa* parochia, quo fit ejusmodi famulos domesticos gaudere immunitate locali, quam habent eorum, quibus famulantur, Monasteria per ordinem ad suos familiares, inter quæ etiam est jus sepulturæ, ut constat ex Comp. Privil. nost. Societ. V. *Familiares.*

Quæstio est 8. ubi sepelienda sit Uxor 2383
vidua? 9. quid si habuit plures successivè Maritos? Ad 8. R. si sibi non elegit sepulturam, in sui mariti, non autem majorum suorum sepulchro sepeliendam esse, c. 2. 13. intellige de uxore legitima (non mera sponsa de futuro) & non separata à Viro per divortium ob adulterium, Sylvest. V. *Sepultura. q.* 8. *dicto* 5. Ad 9. R. sepeliendam esse cum viro ultimo per *c. is, qui* 3. *h. t. in* 6. §. *Mulier*, ibi: *Mulier autem, quæ plures viros habuit successivè, si sepulturam non eligat, est cum viro ultimo, cujus domicilium retinet & honorem, tumulanda.*

Quæstio est 10. quibus sit concessa liber- 2384
tas eligendi sibi sepulturam, etiam extra suam parochiam? R. concessam esse cuilibet, utriusque sexus, modò pubes sit, & habeat usum rationis, si secularis, seu non Regularis sit; per *c.* 1. *h. t. de quo n. & c.* 3. *eod. in* 6. relato *n.* 2377. *Impuberibus* autem liberis Pater sepulturâ eligit, si ita ferat consuetudo loci, aliàs non, c. 1. *h. t. & c.* 4. *eod. in* 6. ibi: *licet Pater minores filios, qui nequeunt, antequam ad annos pubertatis perveniant, eligere sepulturam, possit* (si consuetudo terræ id habeat) *quo voluerit sepelire:* hoc tamen non potest, ubi consuetudo hujusmodi non habetur, sed sunt cum suis majoribus, vel in paroeciali Ecclesia tumulandi. Quamvis autem filiusfamilias absque Patris assensu, sibi possit liberè eligere sepulturam, pro anima tamen sua præter ipsius assensum (nisi peculium castrense, aut quasi castrense habeat) aliquid *judicare* non potest, ubi nota ly *aliquid judicare non potest*, nimirum *disponere* de bonis non castrensibus, aut quasi; ex quo habetur intellectus verborum:

rum: *partem sui judicii*, de quo n. 2377. in c. 1. per eam enim intelligitur pars bonorum suæ dispositioni liberæ subjectorũ.

2385 Dixi, *si non sit Regular*. Nam Religiosi sepeliendi sunt in suis Monasteriis, vel Ecclesiis, nisi longius ab illis absint; per c. *Religiosi. 5. h. t.* in 6. ibi: *Religiosi, nisi à propriis Monasteriis adeò forsitan sint remoti, quòd ad ea, cùm moriuntur, commodè portari non possint, nequeunt* (cùm velle, vel nolle non habeant) *sibi eligere sepulturam, sed sunt apud Monasteria tumulandi.* vel (ut Glossa in *c. fin. h. t. V. non habeant*, notat) *nisi extra claustrum Monasterii beneficiis sint præpositi.* Aliud est de Prælatis Regularibus, quibus permittitur electio sepulturæ, ut tradit Pellizarius in *Manual. Regular. tom. 2. tr. 8. c. 5. n. 126.* Censetur autem hic Religiosus in *loco remoto* à suo Monasterio mortuus, quando ex illo uno die nec ad suum, nec ad aliud ejusdem Ordinis Monasterium, vel non nisi ægrè, ac cum incommodo deputari potest; sic Bordonus *tom. 2. resol. 51. n. 161.* Cœterùm, *Novitii* Religionum possunt sibi eligere sepulturam; nam hæc electio solùm interdicta est *Religiosis*; sub quo nomine in odiosis non veniunt Novitii, per sensum contrarium c. *ult. h. t. in 6*, nam hoc solùm loquitur de *Religiosis:* Tertiarii autem collegialiter, aut claustraliter viventes; item Tertiariæ, quæ Virginalem, cælibem, aut castam vidualem sub expresso voto, & habitu Tertiariorum vitam ducunt, possunt, & debent etiam invito, ac minimè requisito Parocho in Fratrum suorum Ecclesiis sepeliri; Barbos. n. 27. *Congr. Episc. & Reg. 11. Dec.* 1615.

2386 Quæstio est 11. an Regularibus, vel Clericis secularibus liceat voto, juramento, vel etiam promissione facta inducere aliquem, ut in ipsorum Ecclesiis sepulturam eligat, vel jam electam ulterius non immutet? R. negativè ex c. 1. *h. t. in 6.* ibi: *Universis Religiosis, & secularibus Clericis cujuscunque status, vel conditionis existant*, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub interminatione maledictionis æternæ, districtissimè prohibemus: ne aliquos ad vovendum, jurandum, ut fide interposita, seu aliàs promittendum inducant, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent. Imò talis electio penitùs irrita est; & si alibi tales non elegerunt sepulturam; non in loco, ad quem sic inducti sunt, sed ibi, ubi aliàs de jure debebant, sepeliendi sunt, cit. c. 1. ibi: *Nos enim* (si secus actum fuerit) *electionem talem decernimus nullius penitus existere firmitatis.* Statuentes, ut ii, qui sic elegerint, nec apud sic electas Ecclesias ullatenus sepeliri, nec alibi (ne contra votum, juramentum, aut promissum hujusmodi à se factum materiam habeant veniendi) possint eligere sepulturam: sed contradictione quacunque cessante sepeliantur omnino apud illas Ecclesias, apud quas sepeliendi de jure fuissent, si aliàs sepulturâ non electâ forsitan decessissent.

Si autem illi, qui alios sic induxerunt, 2387
nihilominus cadaver defuncti in Ecclesiis suis habeant, intra 10. dies restituendum est Parochiæ suæ, si petitur, cum omnibus occasione sepulturæ perceptis; & interim Ecclesiæ, & Cœmiteria eorum manent ipso facto interdicto subjecta, donec omnium restitutio fiat, cit. c. 1. ibi: *si verò iidem Religiosi, vel Clerici* prædictos in suis Ecclesiis, vel cæmiteriis præsumserint sepelire: ad restitutionem tam sepultorum corporum (*si petantur*) quam etiam omnium, quæ occasione sepulturæ illorum pervenerint quomodolibet ad eosdem, intra decendium integraliter faciendam ipsos obligatos esse censemus. Quam, *nisi fecerint*, Ecclesiæ ipsæ, apud quas sepulti fuerint, nec non & cœmiteria earundem, ex tunc eo ipso sint, & tamdiu maneant Ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria omnium prædictorum.

Circa istam constitutionem *not.* 1. huic 2388
constitutioni non esse locum, si quis *solis precibus* inductus in eorum Ecclesia sine ullo pacto sepulturam eligat 2. esto alium inducat, ut juret, sepulturam se electurum *in alia, quàm inducentis Ecclesia.* 2. si inductio *non est sortita effectum*, 4. si juravit *sponte, non inductus*, vel persuasus, 5. si tantùm unus, vel alter induxisset, & reliqui hoc ignorantes bona fide defunctum sic inductum sepelivissent; nam in dictis casibus non verificantur verba hujus dispositionis pœnalis, ut patebit consideranti.

Quando autem inducentes ad eligen- 2389
dam sepulturam in propria inducentium Ecclesia, excommunicantur, Clement. *Cupientes. §. fin.* de pœnit. intelligendum venit de inducentibus ad eligendam sepulturam *cum obligatione irrevocabili* v. g. voto, juramento, vel interposita fida, qua eligens manet obligatus, ut non possit mutare ele-

re electionem; non autem purè hortando, vel suadendo etiam precibus adhibitis, quin intendamus eum obligare, ut mutare non possit, sic Pasqualigus, decisione 372. *n.* 2. *&* 4. cum, & apud eum Rodriquez, Portel. Suarez, Navarr. D. Antonin. & alii.

ARTICULUS II.

Quibus Ecclesiis competat jus sepulturæ?

2390 COmmunis habet, quòd de jure communi jus sepulturæ competat Ecclesiis populum habentibus, vel curam animarum, quales sunt Parochiales; sic tradunt aliqui ex Clement. *Dudum §. Verum h. t. & 13. q. 1. c. 1.* Unde quidam Neotericus *h. t. §. 4. n. 5. ait.* Monasteria, quæ populum, & jus parochiale non habent, posse quidem habere cæmiterium, sed pro suis duntaxat, & pro Religiosis hospitibus ibi morientibus, *c. 1. caus. 16. q. 1. c. fin. h. t. in 6.* & licet defunctus elegerit sepulturam in alia Ecclesia, vel monasterio, propterea tamen admitti non debere; cùm ad hoc ipsum, (ut v. g. Monasterium possit sepelire aliquem, qui ibidem ultrò sepulturam elegit) speciali privilegio opus sit, juxta *c. in nostra. 10. h. t.* quale privilegium concessum est ordini Prædicatorum, & Minorum, in cit. Clem. *dudum §. hujusmodi* imò de facto omnibus Monasteriis Regularium vel ex privilegio, vel ex consuetudine jus sepeliendi defunctos competere, ex Lancelloto refert P. Engl. *h. t. n. 4.*

2391 Verùm contrarium etiam de jure communi videtur colligi ex c. *Fraternitatem. 3. h. t.* ubi Innocentius III. Genuensi Archi-Episcopo scribens, *Fraternitatem*, inquit, *tuam non credimus ignorare, mortuorum sepulchra, & cæmiteria apud illas Ecclesias, & Monasteria ex antiquo esse dispositа, in quibus religiosorum fratrum conventus sunt constituti*, & orationes atque Missarum solemnia, tam pro vivis, quàm pro defunctis frequentiùs celebrantur: *unde ipsorum devotioni, & extremæ voluntati, qui apud hujusmodi Ecclesias sepeliri desiderant, minimè contradicendum est*; ubi nullum verbum de Monasterio *habente populum*, vel *curam animarum*, sed in quo est *Religiosus cœtus constitutus*, frequens oratio, & Missarum celebratio tam pro vivis, quam defunctis; quòd utique magis contingit in Ecclesiis Regularium; quàm Parochialibus; non igitur verificatur illud: *de jure communi solis Ecclesiis Parochialibus* competere jus sepulturæ. Sed nec id rectè deducitur ex Clement. *Dudum, cit. §. verum*; ibi enim solùm dicitur, si quis elegerit sepulturam in Ecclesia Regularium, parochiali nihilominus solvendam ex relictis dictæ Ecclesiæ, quartam funeralem: & hanc sententiam expressè tradit Passevinus de Statibus *homin. tom. 2. q. 187. a. 4. à n.* 137. Bordonus *resolut. 51. n. 6.* & Fagnanus *in dict. c. 3. à n. 5.* de quo infra n. 2402.

Quod adducitur ex *16. q. 1. c. placuit. 1.* 2392 ubi dicitur: præcipimus, ut aliquis Monachus pœnitentiam nemini tribuat, nisi sibi invicem, ut justum est: *mortuum non sepeliat, nisi Monachum in Monasterio secum morantem*: vel, *si fortuito quemquam advenientium fratrum ibi mori contigerit*; non evincit intentum *de omnibus Regularibus, etiam non Monachis*; textus enim expressè loquitur de *Monachis, quà talibus*, ut patet ex ipso textu cit. c. *Placuit*, ibi: Placuit omnibus residentibus in sancta Nicæna Synodo, *ut Monachorum conversatio, & vita, secundùm etymologiam nominis ab omnibus discrepet. Monachus enim græcè, latinè singularis dicitur.* Unde *Monachum per omnia singulariter agere oportet.* Quamobrem firmiter, & insolubiliter omnibus præcipimus, *ut aliquis Monachus*-ut supra; unde D. Hieronymus ad Riparium Presbyterum adversus Vigilantium: *Monachus*, inquit, *non docentis, sed plangentis habet officium: qui vel se, vel mundum lugeat, & Domini pavidus præstoletur adventum*; quo innuitur, *Monachis* non competere *ex officio sepelire mortuos non suos*; ex quo non sequitur *eorum Ecclesias* jure communi non esse capaces alios recipere ad sepulturam; quamvis etiam hodie Monachi Clericorum officia, & jure, & cum magna ædificatione obeant in pluribus locis, de quo in cad. causa *16. q. 1. c. 2. & seqq.*

Frustrà verò affert *c. fin. h. t. in 6.* nam 2393 in eo nec verbum habetur, quòd *solæ* parochiales Ecclesiæ *de jure communi* habeant sepulturam, seu jus sepeliendi; verba illius c. retulimus supr. Denique neque *c. 10 h. t.* illi favet: Ibi enim solùm dicitur, quòd *privilegiati super jure funerandi*, sepelire possint illos, qui *apud eos eligunt* sepulturam, *solvendo tamen canonicam portionem Ecclesiæ parœciali*: si verò alios sepeliunt, teneantur restituere, quidquid occasione funeris receperunt, nam licet hoc verum sit, quòd *privilegiati* non possint recipere ad

sepulturam eos, qui apud eos eligunt sepeliri, *nisi solvant canonicam portionem Ecclesiæ parochiali*: ex hoc tamen textu non infertur legitime conclusio, quam ponit ille Author cit. *n.* 2390. dicens: *& licet defunctus elegerit sepulturam in Monasterio, propterea tamen admitti non debere, cùm ad hoc ipsum speciali privilegio opus sit*; hoc sanè non sequitur ex illo antecedente, nec ex textu *c.* 10. *h. t.* quod in istum finem allegat.

2394 Aliud enim manifestè est: Monasteria non possunt *sine speciali privilegio recipere ad sepulturam eos, qui elegerunt eam in ipsis*: aliud, Monasteria, *licet privilegiata quoad sepulturam*, non possunt recipere ad sepulturam eos, qui elegerunt eam in ipsis, *non solutâ portione canonicâ Ecclesiæ parochiali*. Prorsus enim diversa sunt, *Monasterium sine speciali privilegio* non potest tales sepelire; &, *Monasterium, vi privilegii sepulturæ, potest tales sepelire sine portione canonica parochiæ debita*; primum nullo modo dicitur in eo c. 10. quia ibi non fuit quæstio, *an Monasterium sine speciali privilegio possit recipere ad sepulturam eos, qui eligunt in eo sepeliri?* cùm id jam constaret, posse ex c. *Fraternitatem.* 3 *h. t.* relato *n.* 2391. controversia igitur erat de secundo, cùm quidam Regulares privilegiati recusarent solvere *illam portionem parochiæ*, contra id, quod privilegium concedebat; & hoc negativè resolutum est in dicto *c.* 10. *h. t.* nihil igitur ad intentum illius conclusionis ex cit. c. 10. probatur.

2395 Accedit, quòd in dicto c. *in nostra.* 10. *h. t.* quod allegatum est, non agatur ex professo de quæstione, *an Regularibus opus sit speciali privilegio*, ut possint sepelire illos, qui apud ipsos eligunt sepeliri; sed solùm de querelis contra Hospitalarios, qui virtute privilegii sepulturæ, concessi, in multis excedebant, inter alia duos alterius Parochiæ mortuos *infra legitimos annos* (qui scilicet sibi de jure sepulturam eligere non poterant) ad sepulturam receperint, & ab his accepta, sibi reservarint; ut patet ex toto casu. Quamvis igitur verum sit, illas Ecclesias de jure communi habere jus cæmiterii, & funerandi, quæ habent populum, ut sunt Parochiales, at quòd hoc habeant *solæ* Parochiales; nullo jure cautum est generatim, esto Monasteria non habeant cæmiteria (seu locum sepulturæ deputatum) nisi pro suis, ut constat ex dict. & expresè tenet Wagnereck in c. *Fraternitatem.* 3. *h. t.* in Exegesi, *Not.* 2. cum Innocentio *ibid. cit. in c.* 1. *h. t.* id, quod clarè confirmari potest ex 13. q. 2. c. *ubicunque.* 6. dicente: *ubicunque temporum, vel locorum facultas tulerit, apud majorem Ecclesiam, ubi sedes est Episcopi, sepulturæ celebrentur. Si autem propter temporis, vel loci asperitatem hoc difficile fuerit visum, apud Ecclesiam, in qua Religiosorum, Canonicorum, vel Monachorum, vel sanctimonialium religiosa congregatio communiter degerit, sepeliatur. Si autem & hoc ineptum visum fuerit, ubi quis decimas persolvebat vivus, ibi sepeliatur & mortuus.*

Ex hoc enim textu (qui desumptus est ex 2396
CC. Triburiensi, nec ullo jure decretalium immutatus, aut restrictus est) clarè habetur, *ubicunque temporum, vel locorum posse fideles sepeliri* (si ipsi elegerint) *apud Ecclesiam, in qua Religiosorum Canonicorum, vel Sanctimonialium religiosa Congregatio* habitaverit, si difficile fuerit propter temporis, vel loci asperitatem sepeliri apud majorem Ecclesiam, ubi sedes est Episcopi; ubi glossa V. *ubicunque*, istud, inquit, c. instruit, quòd, si quis vult eligere aliam sepulturam, quòd hunc servabit ordinem in eligendo, quòd potius eliget *Episcopalem* Ecclesiam (non dicit *Parochialem*, & hanc *solam*, aut nisi *alia Ecclesia*, quam eligit, *sit speciali privilegio ad hoc munita*) quàm alteram; si tamen alio modo eligit, standum esse voluntati suæ, dum tamen habeat justam causam eligendi; sic Gloss. cit.

Deinde in ipso casu eadem Glossa notat, 2397
quando dicitur: sepeliendum esse *apud majorem Ecclesiam*, intelligi de illis, qui habent antiquam sepulturam in Episcopali Ecclesia, cùm non possit intelligi de omnibus civibus; 2. id accipiendum, ut ibi sepeliatur, nisi *difficulter*, hoc est, non *aptè* id fieri possit; non autem secùs; consequenter habentes antiquam sepulturam in Cathedrali, vel alios id non habentes, ex rationabili causa (non autem *meri arbitrii temeritate*, ut dicitur 13. q. 2. c. *Placuit*) posse sibi sepulturam eligere apud Ecclesiam *etiam Sanctimonialium*, vel aliorum Regularium (in religiosa Congregatione cum regulari observantia degentium) quin textus iste, vel alius etiam in Decretalibus requirat *in Ecclesia electa* speciale privilegium funerandi, *directè* ipsi concessum; quia facultas uni concessa per ordinem ad aliquid exercendum *in tali Ecclesia*, vel loco, eoipso per necessariam consequentiam,

tiam, sine ulla concessione alia Ecclesiæ, vel loco directè facta, porrigitur ad ipsam etiam Ecclesiam, vel locum, si & hic sit sub jurisdictione concedentis, ut alibi dixi de officio delegati; & tradit Pyrrhus Corradus in *Praxi dispens. Apostol. l.* 1. *c.* 6. *à n.* 18.

2398 Rem explicat exemplis, dicens, quando sumus in necessariis consecutivis, & accessoriis, quia tunc dispensatio concessa super principali, censetur etiam concessa super necessariis consecutivis & accessoriis: & generaliter dispensatus ad aliquid, videtur dispensatus ad omnia accessoria, per Gloss. communiter receptam in c. *quia in tantum*, vers. *plures Ecclesias, de præb.* Sanch. *de matr. l.* 8. *D.* 1. *n.* 19. Rota *decis.* 12. *n.* 33. *in recent. p.* 5. sicut etiam dispensatus ad duo beneficia incompatibilia, censetur etiam dispensatus super illorum residentia, licet non exprimatur, Gloss. in c. *si quis in Clero, vers. solemnibus.* 7. *q.* 1. Host. *in c. cùm in cunctis, de elect.* & in tali dispensatione subintelligitur clausula, *quò dispensatus deserviat per Substitutum*, seu Vicarium, Mandos. *super reg.* 20. *q.* 7. *n.* 4. & comprehendit solùm ea, quæ veniunt in necessariam consequentiam, & inseparabilem, non autem separabilem; Felinus in c. *postulasti, n.* 10. *de rescr.* aliàs enim talis dispensatio redderetur prorsus inanis: nullumque operaretur effectum; Felin. in cit. c. *postulasti.*

2399 Et hoc adeò verum est, ut illud, quod in consequentiam venit, trahatur etiam contra naturam suam, à principali, quod aliàs frustra videretur concessum, L. *Papinianus §. si ex causa ff. de inoffic. testam.* & videmus in praxi receptum, quòd, cùm ad præscriptum Concilii *Trid. Sess.* 24. *c.* 2. *de reform.* provisi de quibuscunque beneficiis, curam animarum habentibus, in manibus Episcopi, vel Vicarii, & provisi de Canonicatibus, & dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, etiam in Capitulo, professionem fidei emittere teneantur, nihilominus si daretur proviso indultum de percipiendis fructibus in absentiam, per necessarium antecedens censetur dispensatus à professione fidei facienda, ut fuit resolutum in una Carthaginens. fructuum, de primâ Julii 1588. coram Plato, teste Garcia de benefic. *p.* 3. *c.* 3. *n.* 77. jura namque correctiora, & quantumvis exorbitantia, loquentia in casu expresso, trahuntur ad casum, qui solet venire in consequentiam alterius, c. *Miramur*, de serv. non ordin.

Ex his resolvi potest etiam quæstio non 2400
ita pridem facta, an Parochus jure negare potuerit sepulturam infantis in Ecclesia *Sanctimonialium*, in qua Parens ejus desideravit eum sepeliri, postquam plures ejus proles jam antè in eadem Ecclesia sepulturæ traditæ sunt, nemine quicquam antecedenter in contrarium movente, licet factum publicè constaret, & parentes jura parochialia fideliter & tunc persolverint, & nunc etiam pariter persolvere voluerint? Videri posset, id jure factum ex doctrina relata superius *n.* 2390. prout etiam in facti contingentia parentibus, & Ecclesiæ *Sanctimonialium* in dato casu negatum est, sed pluribus tum utriusque juris Viris peritis etiam secularibus, tum etiam Ecclesiasticis, & Curatis, meo quoque judicio visum est, immeritò id negatum esse; nam ratio negandi, quæ ab eo reddebatur, erat, quòd Ecclesiæ Monasteriorum, nisi *speciali privilegio* munitæ sint, ut valeant defunctorum cadavera ad sepulturam recipere, non habeant jus funerandi etiam eos, qui in eis sepulturam sibi elegerunt, sed *solæ parochiales*; & hoc ex rationibus allatis in *n.* 2390. sed hæ rationes id non probant, ut constat ex dict. *à n.* 2391. ergo.

Deinde, cùm his, quæ in favorem suum 2401
adduxit *cit. loc. supr. n.* 2390. ipse fateatur cum doctissimo Canonista P. Engl, & Lancelloto ibid cit. *de facto* omnibus Monasteriis Regularium vel ex privilegio, vel ex consuetudine jus sepeliendi competere, salvis tamen semper juribus Parochialibus quoad taxam, & portionem canonicam parochiæ debitam, non erat, unde hoc jus, commune omnibus, negaret dicto Monasterio, præsertim cùm constaret ei in ordine ad hoc (etiam secluso communi privilegio, & consuetudine) jus funerandi acquisitum esse, ex usu, & exercitio sepeliendi, per ipsum Monasterium Sanctimonialium illius loci, ut ponit casus, facto sciente, ac patiente illo, qui poterat, & debebat, si juri suo præjudicioso, & illis sine speciali privilegio incompetens, credebat; nam ejusmodi casu, & exercitio alicujus juris, etiam bis, aut ter, imò semel tantùm, ut dictum est, exercito, acquiri jus ad talem actum deinceps jure acquirendum, constat ex dict.

His adde, quæ tradit Fagnanus c. *Fra-* 2402
ternitatem 3. de sepultur. *n.* 5. ubi postquam retulit opinionem Abbatis Siculi,

(docen-

(docentis, non posse quem relicto Majorum sepulchro eligere sibi sepulturam in Ecclesia, *quæ de jure, vel privilegio cæmiterium non habet*) subjungit, quòd hoc fallat *in Ecclesiis omnibus, ubi sunt religiosæ personæ in conventu, in quibus missæ, & divina officia celebrantur*, ut clarè probat hæc litera, ibi: *mortuorum sepultura, & cæmiteria apud illas Ecclesias, & monasteria ex antiquo esse dispositа, in quibus Religiosorum Fratrum Conventus, &c.* ponderando illa verba, *ex antiquo esse dispositа*, quæ magis videntur referenda *ad jus commune*, & ad dispositionem, quæ fit *per viam legis*, quàm *per viam privilegii*, ut in Auth. de appellat. circa princip. juncta Gloss. V. Antiquitati; & paulò post ad opinionem Abbatis restringentis textum ad Monasteria, *quæ habent populum*, volentis opinioni suæ suffragari Clementinam *dudum*, ubi Mendicantes obtinuerunt jus sepulturæ *ex privilegio* Apostolicæ Sedis: ergo illis antea non competebat *de jure communi*: nam frustra ex privilegio impetratur, quod de jure communi competit, L. *ult. C. de Thesaur. l.* 10. *L.* 1. §. *quod beneficium*, ff. ad municipalem, *gloss.* 1. *in c.* 1. *de rescript.* Ad hanc, inquam, opinionem respondet Fagnanus *cit. n.* 6. Intellectus Abbatis nimis restringit hanc literam, quæ generaliter loquitur de monasteriis, & fundat se in divinorum frequentia, & contra Abbatem allegat textum expressum in c. *ubicunque* 13. *q.* 2. ubi Concilium Triburien. statuit, ut si fieri possit, primò quis sepeliatur in Ecclesia Episcopali; deinde *in Ecclesiis monasteriorum, ubi Religiosa degit congregatio*; tertiò in plebibus, seu capellis, ubi decimæ persolvuntur: ad idem facit textus apertus in c. *Agapitus* 16. *q.* 1. ubi Gregorius arguit Episcopum de Urbe veteri, quòd *inhumaniter prohiberet missas celebrari, & mortuos sepeliri in monasterio S. Gregorii, jubetque, ut de cætero hoc permittat, absque ulla contradictione*; & quamvis Hugo, Laurent. & Joannes dicant, illum textum loqui de monasterio *habente populum*, tamen, ut inquit ibi Archidiac. circa medium, *isti Patres erraverunt in facto*; *quia monasterium Sancti Gregorii non habet populum.* Ad Clement. *dudum*, respondet, privilegium Mendicantium non fuisse *inutile*, quia jus antiquum erat dubium propter varietatem opinionum, c. *super specula*, ne Clerici, vel Monachi.

ARTICULUS III.

Quis concedere possit Ecclesiis jus sepulturæ?

CAsus est de Ecclesia, quæ nec jure communi, nec consuetudine, vel præscriptione habet jus recipiendi defunctorum cadavera ad sepulturam. R. loquendo universim de tota Ecclesia, solum Papam; Legatum à Latere in sua Provincia: Episcopum in sua Diœcesi id posse concedere, ut tradit Barbosa de officio Parochi *c.* 26. *n.* 9. quem citat, & sequitur Pirhing *h. t. n.* 32. Et quamvis præcedente articulo ostensum sit, hoc jus concessum esse, *non solis Ecclesiis* Parochialibus, sed etiam *Monasteriorum*, ubi religiosa congregatio Regularium degerit, tum ex c. *Fraternitatem* 3. *h. t.* de quo *n.* 2391. & c. *ubicunque* relato *n.* 2395. ubi statuitur, ut si fieri possit, primò quis sepeliatur in Ecclesia Episcopali: deinde in Ecclesiis Monasteriorum, ubi religiosa degit Congregatio: tertiò, ubi quis decimas percipiebat: censet tamen Pirhing loc. cit. textum istum *de Monasteriis habentibus populum intelligi debere*; sed hujus nullam rationem, vel legem affert; & hujus limitationis nullum verbum habetur, vel in cit. canonibus, ut ostendimus loc. cit. nec in decretalibus. 2402

Citat quidem 1. Clement. *dudum* §. *verum*, sed de hac jam constat ex dict. *à n.* 2402. deinde 13. *q.* 1. *c. Ecclesias* 1. sed ex hoc c. nihil ad intentum concluditur; verba illius sunt: *Ecclesias singulas singulis Presbyteris dedimus: parochias, & cæmiteria ejus divisimus: & unicuique jus proprium habere statuimus: ita videlicet, ut nullus alterius parochiæ terminos aut jus invadat: sed sit unusquisque suis terminis contentus, & taliter Ecclesiam, & plebem sibi commissam custodiat, ut ante tribunal æterni judicis ex omnibus sibi commissis rationem reddat: & non judicium, sed gloriam pro suis actibus accipiat*; Sic Dionysius Papa, scribens Severo Episcopo, epist. 2. Nam ex hoc textu solùm habetur, nullum Presbyterum, cui jus solius suæ Ecclesiæ per Ecclesiarum divisionem est attributum, debere, aut posse licitè in Ecclesia alterius sibi jus aliquod usurpare; quod omnino verum est; nam de hoc text. agit; non autem eum, qui præest Ecclesiæ, cui jus attributum est recipiendi ad sepulturam in Ecclesia sua quoscunque, quibus licet etiam extra parochialem eligere sepulturam etiam in Ecclesiis Monaster. juxta id, quod habetur in *cit. c. Fraternit.* &c. *ubicunq.* 2403

Dices:

2405 Dices: si Monasteria in suis Ecclesiis jure communi haberent jus recipiendi ad sepulturam cadavera defunctorum (saltem salvis juribus Parochialibus quoad portionem funeralem debitam ob sacramenta illis vitæ tempore in Parochiis suis ministrata) qui apud eos elegerunt sepeliri, frustra concessum fuisset illis privilegium funerandi tales, salvis juribus parochialibus, quoad dictam portionem funeralem; certum autem est, Monasteriis quibusdam concessum esse tale privilegium, Clement. *dudum 2. h. t. §. Hujusmodi*, ubi decernitur, *quòd prædicti Regulares* (Ordinis Prædicatorum) liberè possint in Ecclesiis, vel locis suis ubilibet constitutis liberam (ut sequitur) habere sepulturam: videlicet quòd omnes ad eam recipere valeant, qui sepeliri elegerint in locis, & Ecclesiis memoratis.

2406 Ubi post hæc ita subjungitur: *Verùm ne parœciales Ecclesiæ, & ipsarum Curati, sive Rectores*, qui ministrare habent Ecclesiastica Sacramenta, quibus noscitur de jure competere, prædicare, seu proponere verbum Dei, & confessiones audire fidelium, *debitis, & necessariis beneficiis defraudentur*, cùm Operariis mercedis exhibitio debeatur: *auctoritate Apostolica constituimus*, & ordinamus eadem, *ut* dictorum Ordinum fratres, *de obventionibus omnibus tam funeralibus, quàm quibuscunque & quomodocunque relictis distinctè vel indistinctè, ad quoscunque certos, vel determinatos usus, de quibus etiam quarta, sive Canonica portio dari, sive exigi non consuevit, vel non debet de jure: nec non de datis vel qualitercunque donatis in morte, seu mortis articulo in infirmitate donantis, vel dantis*, de qua decesserit quomodocunque directè, vel indirectè fratribus ipsis, vel aliis pro eisdem *quartam partem* (quam auctoritate Apostolica taxamus, & etiam limitamus) *parœcialibus sacerdotibus, & Ecclesiarum Rectoribus, seu curatis largiri integre teneantur.*

2407 Addit deinde, in seqq. *§. Facturi*, obligationem faciendi, curandi, quòd nec alii, nec aliis, à quibus quarta hujusmodi minimè deberetur, ad ipsorum fratrum utilitatem, vel commodum hujusmodi fiant relicta, aut in eos taliter data, vel donata procedant, seu quod in morte, vel ab infirmis hujusmodi dandum vel donandum fratribus ipsis existeret: in eorundem dantium, vel donantium sanitate, sibi dati vel donati procurent. In quibus per ipsos vitandis, inquit, eorum intendimus conscientias onerare: ut si (quod absit) per fratres ipsos dolo vel fraude, quicquam in hac parte agi fortasse contigerit (præter id, quod eos propterea dictis sacerdotibus, Rectoribus, & Curatis teneri volumus) etiam districta ratio, in extremi judicii examine requiratur ab eis. *Ultra portionem autem hujusmodi, nihil valeant parœciales Rectores, curati, & Prælati exigere supradicti*, neque illis dicti fratres amplius impendere sint adstricti, neque ad id, à quoquam possint aliqualiter coërceri. Mos etenim (ut in cunctis æqualiter & pacificè favente Domino procedatur) universa privilegia, gratias, indulgentias, verbo seu scripto, sub quacunque forma, vel expressione, seu conceptione verborum, à nobis vel Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus cuicunque ordinum prædictorum concessa, nec non consuetudines, conventiones, statuta & pacta, in quantum sunt præmissis, vel alicui præmissorum contraria, ea penitus revocamus, vacuamus, cassamus, & irritamus: quin imò cassa, vacua, & irrita nuntiamus, & decernimus nullius prorsus existere firmitatis.

Ad hos postremos *§§. Verùm*, & *Facturi*, constabit ex dicendis in seqq. pro eo autem, quod principaliter petit objectio, not. textum illum in *§. Hujusmodi*, appellare supra statutum, & ordinationes factas super præcedentibus, observanda quædam deinceps constituta sunt, ut sopiretur gravis, & periculosa discordia, quæ inter Prælatos, & Rectores extitit suscitata super prædicationibus fidelium populis faciendis, eorum confessionibus audiendis, pœnitentiis injungendis eisdem, & tumulandis defunctorum corporibus, qui apud fratrum ipsorum Ecclesias, sive loca noscuntur eligere sepulturam, & deinceps in Ecclesia Dei pax constitueretur, & conservaretur; hic enim principalis erat finis hujus Clementinæ. 2408

Not. 2. dictos Regulares, jam ante hanc Clementinam, usos esse *jure recipiendi ad sepulturam suæ Ecclesiæ cadavera defun-* 2409

defunctorum, qui apud ipsos elegerunt sepeliri : discordiam quoad tumulanda defunctorum cadavera potissimum ex eo natam, quòd dicti Prælati, & Rectores parœcialium Ecclesiarum per ejusmodi funerationem in Ecclesiis Regularium, viderent sibi suisque Ecclesiis decedere donationes causa mortis, oblationes in funeribus, & similia; quandoque etiam fideles indebitè inductos à Regularibus ad sepulturas apud ipsos eligendas ; vel etiam ad sepulturam receptos, qui sepulturam sibi nondum eligere poterant, ut constat ex querelis depositis apud sedem Apostolicam contra Hospitalarios in c. *in nostra* 10. *h. t.* ut retulimus n.

2410 In hunc ergo finem (tollendam nimirum discordiam inter Clericos seculares, & Regulares) etiam occasione funerum, Pontifex, tanquam Judex controversiæ, pro hujusmodi discordiæ compositione, per sententiam resolvit, & quod aliàs jure communi constitutum erat, ut constat ex *num.* 2391. Regularibus competere jus ad sepulturam recipiendi cadavera defunctorum, qui apud ipsos sepeliri elegerunt, *sed non aliter*, quàm si persolvant Ecclesiæ parochiali (ex qua talis defunctus erat,) portionem canonicam funeralem, prout jure constituta erat; ut patebit legenti attentè textum illius Clementinæ ; quo habetur jus recipiendi defunctos ad sepulturam, competere Monasteriis non *mero privilegio*, ut communiter dicunt contrarii, ex vi hujus Clementinæ, sed ex sententia definitiva Papæ secundùm jus antiquum in c. *Fraternitatem*, & c. *ubicunque*, quibus præmissis :

2411 ℟. 1. ad object. *num.* 2405. N. suppositum majoris, jam enim ostensum est illud jus Regularium non esse *merum* privilegium. ℟. 2. esto esset privilegium, quia tamen insertum est juri communi, ut constat, æquè tenet rationem legis cõmunis, quàm jus Parochiarum, quamvis in eo differat, quòd Ecclesiæ parochiali salva esse debeat portio funeralis, si Parochianus ex electione facta sepultus sit in Ecclesia Regularium. ℟. 3. N. ma. nam constitutio Clementina cit. concedendo privilegium (si transmittatur, hoc jus competere Regularibus *ex privilegio, & non jure communi*) non tendebat principaliter ad Regulares in dato casu privilegiandos tali jure, sed ad dirimendam controversiam inter Prælatos, & Rectores Ecclesiarum parœcialium ex una ; & dictos Regulares ex altera parte, subortam occasione usûs dicti juris, declarando jus cujus partis, nempe posse ad sepulturas Regularium recipi defunctos etiam parochianorum, sin ibi egerunt sepeliri; econtra verò nihilominus Ecclesiis parœcialibus portionem funeralem deberi perinde, quàm si in eisdem tumulati essent.

ARTICVLVS IV.

An pro sepultura aliquid exigi, vel accipi possit?

℟. SI sepultura supponat solùm pro humo, seu terra nondum sacra, posse 2412
illam emi, ac vendi licitè, quantumvis eo fine contingat, ut deinde in sepulturam Fidelium consecretur, vel benedicatur, est communis, ut tradit D. Thomas 2. 2. *q.* 100. *a.* 4. *ad* 3. Suarez *l.* 4. *de Simon. c.* 14. *num.* 17. *& alii*; quia talis terra est quid merè temporale. Postquam autem in sepulturam fidelium sacrata est, vel benedicta, foret simonia juris etiam naturalis, & divini, pretium pro illa exigere, vel accipere intuitu consecrationis, vel benedictionis ita, ut hæc veniret in appretiationem, ut pluribus constat *ex dict. l.* 5. *tit.* 3. *de simonia*; & hoc universim dicendum est, committi simoniam, exigendo, vel accipiendo pecuniam, vel aliud temporale, pretio æstimabile pro sepulchro, seu terra jam deputata pro sepeliendis Fidelium cadaveribus in illa, si titulo loci *sacri* (videlicet, quòd terra sit *benedicta*, vel *in Ecclesia*, vel *loco Ecclesiæ digniore*,) aliquid exigatur, vel accipiatur; nam in tali casu ratio *rei sacræ* veniret in appretiationem, quod citra dubium simoniacum est; de quibus fusè agimus *l.* 5. *tit.* 3. præsertim *a num.* 4105. hæc de sepultura, sumpta pro solo loco, seu terra, in qua cadavera tumulantur, vel reconduntur.

Quæstio est de sepultura, prout suppo- 2413
nit pro jure, quod quis habet, ut in tali loco sacro sepeliatur ipse? vel etiam sui descendentes, aut ex familia? hoc jus acquiri potest de consensu Ecclesiæ sibi, suisque in tali loco cæmeterii, vel etiam Ecclesiæ, cryptam, vel cadaverum locum receptivum ædificando, ut constat ex consuetu-

dine

dine jam recepta; quin etiam emendo locum purè materialem ad hunc finem, ut notavimus *lib. 5. num.* 410. ex Suarez, & Sylvestro, *loc. cit.* & quidem privativè ad alios, *ex ibidem dict. num.* 411. Dubitatio est, an quis sepulchrum proprium, sibi, suisque, sumptibus suis ædificatum, sine simonia quoad proprietatem vendere possit alteri solùm juxta valorem fundi, & habito respectu ad solas expensas in eo factas? Pirhing *h. t. num.* 38. citans Innoc. in c. *penult. h. t.* & Abbat. *ibid. n.* 4. cum Layman *in disp. canon. de rer. Eccles. alien. thesi* 71. absolutè censet, quòd postquam locus aliquis est consecratus, vel benedictus, vel publicâ auctoritate ordinarii Prælati ad sepulturam fidelium deputatus est, vendi non possit, ob prohibitionem Ecclesiæ; quia in nullius privati est dominio, L. *non tantùm. 6. §. Sacra. ff. de rer. divis.* atqui talis locus est etiam sepulchrum proprium familiæ Christianæ in Ecclesia, vel cœmiterio aliquo positum. Idemque dicendum est de structura, & ornamentis sepulchri; ea enim, cùm sint superædificata, & imposita loco sacro, censentur etiam sacra, & in nullius dominio esse. Neque dicas, non vendi jus spirituale sepulturæ, sed materiale, nam cùm hoc sit inseparabiliter connexum cum spirituali, non potest quis vendere materiale, nisi etiam spirituale vendere censeatur; juxta c. *Si quis. 7. cauf.* 1. *q.* 3. V. quæ dicimus *l. 5. à n.* 420.

2414 Cœterùm Suarez *cit. num.* 18. valde probabiliter existimat, posse id fieri sine simonia, ut, sicut antecessor habuit, sic habeat & successor, nimirum jure proprietatis ad solum usum sui cadaveris & aliorum, quibus destinatum fuit; non autem quoad proprietatem veri dominii, cùm res sacra in nullius privati dominio esse possit, ut jam dictum est supra, ex L. 6. *§. sacra. ff. de rer. divis.* sic enim fieret venditio solius rei temporalis secundùm se, ut supponimus, sine respectu ad consecrationem, vel benedictionem fundi. Ad rationem contrariorum, quòd tali fundo, vel ædificio inseparabiliter annexum sit spirituale, non sequitur propterea venire in appretiationem etiam spiritualem benedictionem, vel loci sacrationem, ut notavimus *l. 5. n.* 402. aliàs nec imagines ceræ benedictæ sine simonia quoad remotam earum materiam vendi possent; ad textum ex c. *si quis* respondimus *ibid. à num.* 407. *ubi n.* 409. diximus illud non loqui de materia rei sacræ, vel benedictæ solùm annexivè talis, quando ipsa antecedit consecrationem, vel benedictionem; imò habere solum locum in casu, quo ipsa res secundùm se nullum habet valorem pretio æstimabilem independenter à spirituali annexo; vel solùm venderetur ad usum profanum.

Altera quæstio est, an aliquid temporale 2415
exigi, vel accipi possit pro sepultura, sumendo illam pro ipso actu sepeliendi *ritu Ecclesiastico*, quem suis præstant communiter Rectores parœcialium Ecclesiarum? non posse sine simonia, non videtur dubium; cùm sit actus juris spiritualis, nimirum parochialis, vel Ecclesiastici non exercibilis à mero Laico, ut notamus *l. 5. à num.* 410. dixi *pro actu sepeliendi ritu Ecclesiastico*; nam alia quæstio est de exigendo, vel accipiendo aliquid temporale non pro actu sepeliendi, sed pro sustentatione, seu stipendio ad debitam Curatis sustentationem? de hac latè agimus *cit. l. 5. tit.* 3. *à num.* 415. *&* 417. ubi ostendimus sacro jure, *ibidem num.* 416. allegato, esse irreligiosum, illicitum, ac omnino prohibitum Curatis Ecclesiasticis, aliquid *petere*, vel *exigere* pro sepultura in Ecclesia, vel loco ad sepulturam Ecclesiasticam deputato, nisi quod per Ordinarium, seu Diœcesanum, ex conventione cum domino terrestri, statutum est, vel legitimâ consuetudine inductum, tanquam deputatum *in sustentationem* decentem Ministrorum, qui Fidelibus, vel ex officio, vel ex privilegio, spiritualia, & his annexa, ministrant; ubi not. excedentes in hac materia non habere justum patrocinium allegando *consuetudinem, ut ibid. num.* 415. & specialiter *à num.* 424. ostensum est; nec licere Curatis taxam stolæ augere suo arbitratu; *num.* 418. Ad quæstionem porro, an Clerici, qui aliunde obligati sunt ad exercenda suis ministeria spiritualia, committant simoniam, vel saltem injustitiam, si aliquid ultra id, quod est legitimè vel statutum, vel usu approbato receptum, exigant etiam in stipendium suæ sustentationis, si eis vi redditûm sui beneficii sufficienter de sustentatione decenti sit provisum? *eod. l. 5. à num.* 423. responsum est, etiam attentâ consuetudine.

ARTICULUS V.

De pœnis sepelientium eos, quos jure non possunt.

VAriis modis peccari potest contra sacros canones in hac materia, puta sepeliendo jure prohibitos tumulari in loco sacro; vel tumulando alienum parochianum, vel in Ecclesia diversa ab ea, in qua sepulturam elegit, aut eos, qui modis illicitis ad eligendam sepulturam in Ecclesia sepelientis inducti sunt; &c.

§. 1.

Quibus Ecclesiastica sepultura jure canonico deneganda?

2416 ANte resolut. not. omnibus Christi Fidelibus jure concedi sepulturam in loco sacro, qui nullo jure sacro, vel consuetudine legitima, ratione delicti, hoc Ecclesiæ favore privantur; deducitur. 1. ex c. *Ecclesiam.* 28. *dist.* 1. *de consecrat.* ubi textus loquens de Ecclesia, in qua infidelium cadavera sepeliuntur, ait: si ante consecrata, Missas in ea celebrare licet, *si tamen fideles fuerint, qui in ea sepulti sunt*; &c. *Nullus.* 18. 13. *q.* 2. ibi: nullus mortuus intra Ecclesiam sepeliatur, nisi Episcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri, *vel fideles Laici.* Unde etiam ii in loco sacro sepeliri possunt, qui in patibulis suspenduntur pro suis sceleribus, si omnibus de peccatis suis, puram confessionem agentibus, & dignè pœnitentibus communio in fine secundùm Canonicum jussum danda est, cur non eis, qui pro peccatis suis pœnam extremam persolvunt? scriptum est enim: *non vindicat Deus bis in id ipsum*; c. *quæsitum.* 3. *eod. caus. & quæst.*

2417 Dixi: qui *nullo jure sacro*, vel *consuetudine legitimâ*, tali favore prohibentur; plures enim sunt, qui ab hoc excluduntur; & 1. infideles, Judæi, & pagani per c. *Ecclesiam.* 28. *dist.* 1. *de consecrat.* ibi: Ecclesiam, in qua mortuorum cadavera *infidelium* sepeliuntur, sanctificare non licet: sed si apta videtur ad consecrandum, inde evulsis corporibus, & rasis parietibus, vel tignis ejus loci, reædificetur. Secundò, hæretici, eorumque fautores, c. *Excommunicamus.* 13. *de hæretic.* §. *credentes*; ibi: *nec eos Christianæ præsumant tradere sepulturæ.* Tertiò, infantes Christianorum mortui sine baptismo, nisi fœtus in utero matris mortuus simul cum Matre pariter mortua sepeliatur, c. *si quidquid.* 35. *de consecr. dist.* 4. cùm non sint baptizati. Quartò, Catechumeni ex eadem ratione. Quintò, qui seipsum sponte ac voluntariè ex ira, vel desperatione occidit, c. *Placuit.* 23. *q.* 5. ibi: *neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur.* Sextò, publicè, ac notoriè excommunicati, *c.* 12. *h. t.* si sint *vitandi*; Suarez, *D.* 12. *de Censur. s.* 4. *num.* 5. ac nominatim interdicti; *Clem.* 1. *h. t.* & c. *quod in te.* 11. *de pœnitent. de quibus* V. *dicta l.* 5. *tit.* 39.

Septimò, mortui in duello; *Trid. sess.* 25. *de reform. c.* 19. etiamsi fuerit privatum, ut constat ex *Greg.* 13. *& Clem.* 8. Octavò, manifesti Usurarii, donec satisfecerint, *c.* 3. *de usuris, & c.* 2. *eod. in* 6. *de quibus* V. *l.* 5. *tit.* 19. Nonò, Raptores manifesti, impœnitentes mortui; *c.* 2. *de Raptorib. l.* 5. *tit.* 17. Decimò, blasphemi in Deum & SS. *c.* 2. *de maledic. de quo l.* 5. *eod. tit.* Undecimò, qui semel in anno proprio sacerdoti confiteri, & tempore Paschali Sacramentum Eucharistiæ susçipere voluntariè neglexerint, c. *Omnis.* 12. *de pœnit. & remiss.* V. *l.* 5. *tit.* 28. Duodecimò, Religiosus manifestus proprietarius, *c.* 2. *&* 4. *de statu Monach. de quibus infra.* Decimo tertiò, qui decimas Ecclesiæ non solvit, c. *Prohibemus*, de decimis; de quibus hic *tit.* 30. Decimò quartò, publicus, & notorius peccator, decedens in mortali, &c. 2418

Circa præmissos casus not. 1. non ex- 2419
cludi à sepultura in loco sacro, qui casu submersi sunt v. g. lapsu ex ponte, causâ fugæ arrepto per eum cursu, & habetur c. *ex parte.* 11. *h. t.* nec eos, qui ex lethali vulnere sponte sibi inflicto moriuntur, antè mortem tamen pœnitentes; nec repertos exanimatos, imò etiam pendentes ex suspendio, nisi constet ipsos sibi sponte mortem conciviſſe; quod non præsumitur. Not. 2. cùm dicimus excommunicatum excludi à sepultura in loco sacro, intelligi de illo, qui talis est ex causa publica, non occultè; sic enim non est *vitandus.* Not. 3. quando dicitur in casu, quo Ecclesia

sia recipitur ad divinum cultum, in qua prius fuit exercitium hæreticorum, aut infidelium, eorumque cadavera inibi humata, hæc prius esse exhumanda, non intelligi de hæreticis *toleratis*; & sufficienter reconciliari aspersione aquæ benedictæ per sacerdotem aliquem, ut notat Pirhing *h. t. num.* 71. Not. 4. prohibitionem illam non intelligi de excommunicato etiam vitando, sed pœnitente mortuo, licet ante mortem absolutus non sit per c. *Parochiano.* 14. *h. t.* sed de his ex professo agimus *l. 5. tit.*

§. 2.

Quæ sit pœna sepelientium alienum Parochianum?

2420 SErmo est de his, qui jure prohibentur sepelire talem; nam ex eo præcisè, quòd quis non sit parochianus Ecclesiæ, in qua non recepit sacramenta, vel quod de illius Ecclesiæ districtu non sit, non committitur culpa illum sepeliendo in alia Ecclesia, si elegit inibi sepeliri electione non reprobata jure, ut constabit ex seqq. adeoque non incurritur pœna; quibus notatis, factæ quæstioni occasionem præbet c. *ex parte. 5. h. t.* ubi, cùm Prior de Insula, post appellationem à Canonicis Obrigensibus factam, quendam Parochianum suum in sua Ecclesia sepelisset, mandavit Pontifex illum compelli ad corpus Canonicis restituendum, & ut amicabiliter cum illis conveniat, & c. *cùm liberum. 7. cod.* ubi, cùm Presbyter quidam corpus cujusdam mulieris juxta ultimam illius voluntatem ad S. Martini Ecclesiam sepeliendum deferret, & Monachi quidam illud violenter raptum in sua Ecclesia sepelivissent, mandavit Pontifex, Monachos ad ossa defunctæ reddenda compelli, & beneficia, occasione sepulturæ recepta, priori Ecclesiæ restitui.

2421 Ex his deducitur. 1. quòd sepelientes Parochianum alienum (quem scilicet sepelire non poterant jure) cogantur Ecclesiæ (ubi tumulandus erat defunctus) cadaver ejus restituere, & vel amicabiliter cum ejus loci Parocho convenire, aut omnia, quæ ratione illius sepulturæ acceperunt, restituere; deducitur. 2. Ecclesiam parochialem habere suam intentionem in jure comuni fundatam, quòd apud ipsam ejus parochiani debeant sepeliri, nisi alibi habeant sepulturam suorum Majorum, aut alibi elegerint sepeliri electione jure non reprobata. Deducitur. 3. interdictam esse omnem appellationem, quæ impedire possit cadaveris sepulturam; quia *sepultura hominis non recipit dilationem, L. ne corpora. ff. de Relig. & sumptib.* Unde Prioris appellatio non profuit, cùm sepultura in c. *ex parte*, non ad ipsum, sed ad Canonicos spectaverit.

Deducitur. 4. eos, qui cadaver ejus, qui 2422
alibi legitimè elegit sepulturam, violenter rapiunt, & in Ecclesia sua sepeliunt (ut factum est in casu c. *cùm liberum supr. num.* 2420.) teneri illud *restituere* cum omnibus, quæ ipsius obtentu acceperunt, ut dicitur *cit. c.* 7. & hoc Farinacius in praxi crimin. *p.* 1. *q.* 20. *num.* 123. verum esse rectè tradit etiam de sacerdote Parochiali corpus ejus, qui alibi elegit sepulturam, violenter rapiente, & funus spoliante, quòd teneatur totum restituere, quod accepit, & perdere debeat quartam canonicam.

Dixi: *qui legitimè alibi elegit sepul-* 2423
turam; nam, si quis sepeliat, qui eligere sibi non potuit sepulturam in tali Ecclesia (ut sunt impuberes) vel, qui quidem elegerunt, sed electione jure reprobata, similiter habent pœnam jure statutam; prima pars constat ex c. *In nostra.* 10. *h. t.* ubi de Hospitalariis, quantumvis aliàs haberent facultatem recipiendi ad sepulturam eos, qui apud ipsos elegerunt sepeliri, statuitur: eisdem (nempe Hospitalariis) duximus injungendum, nisi probaverint, quòd G. parœcianus Prioris, qui fuit interfectus in campis, apud ipsos elegerit sepulturam, universa, quæ ipsius intuitu ejus receperunt, Priori restituant memorato: alioquin, quartam partem solummodo restituere teneantur. Pro illis verò, quos constat intra annos legitimos decessisse, quæ sepulturæ eorum gratia receperunt, restituant universa. Secunda pars de electione sepulturæ reprobata habetur ex *c.* 1. *h. t. in 6.* quod retulimus supra: ubi etiam de pœna talem sepelientium, ac plena illius textus expositione.

Præter prædictos canones etiam in Clem. 2424
Eos, qui. 1. *h. t.* in hac materia specialis pœna constituta est, qui sepeliunt

vel tempore, vel loco, *quo*, vel *quos* non licet; sic enim loquitur Clemens V. in CC. Viennensi: Eos, qui propriæ temeritatis audacia defunctorum corpora, non sine contemptu clavium Ecclesiæ, in cœmiteriis *interdicti tempore*, in casibus non concessis à jure; vel *excommunicatos publicè*, aut *nominatim interdictos*, vel *usurarios manifestos* scienter sepelire præsumunt: decernimus, facto excommunicationis sententiæ subjacere, à qua nullatenus absolvantur, nisi prius ad arbitrium Diœcesani Episcopi eis, quibus per præmissa fuerit injuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem: Nullo eis circa præmissa exemptionis, vel quovis alio privilegio, sub quacunque forma verborum concesso, aliqualiter suffragante.

2425 Circa istam constit. not. 1. pœnam hoc loco statutam esse excommunicationem ipso jure, seu facto latam, non absolvendam nisi præstitiâ secundùm arbitrium Diœcesani satisfactione iis, quibus per talem actum injuria irrogata est; 2. hanc pœnam incurri etiam ab Exemptis, si in prædictis aliquem sepeliendo peccent; patet ex textu, ibi: *nullo eis circa præmissa exemptionis privilegio, sub quacunquè verborum forma concesso, aliqualiter suffragante.*

2426 Not. 2. actum, cui prædicta pœna in cit. Clementina statuitur, esse illum, quo *ex quadam temeritate* in cœmiterio, vel suis Ecclesiis sepeliunt, tempore interdicti (ubi nimirum sepultura *Ecclesiastica* prohibita est, ut notat *gloss.* hic, V. *tempore*) vel in casibus non concessis à jure, de quibus à *num.* 2416. vel excommunicatos excommunicatione majori (intellige juxta n.) vel nominatim interdictos (igitur non interdictos *non nominatim*) vel usurarios manifestos, de quibus *n.* 2418.

2427 Not. 3. hanc pœnam non incurri à sepelientibus tales, nisi hoc faciant *scienter*, cum propria temeritate, ac contemptu clavium; adeoque non, si hoc contingat ex ignorantia juris, vel pœnæ tali delicto annexæ, ut tradidimus de lege pœnali *l. 1. tit. 2. de Constitut.* Not. 4. quando prohibentur sepeliri *nominatim* interdicti, notari à *gloss. eod.* V. idem esse, ac *propriis nominibus eorum expressi*; sic Covarr. in c. *cùm tibi, de testament. num. 5. & Menoch. de præsumpt. l. 4. præsumpt. 9. à n. 5.* & hinc *nominatim* dici excommunicatum, vel interdictum, quando *proprium nomen* exprimitur, tradunt *gloss.* V. *nominatim*, in c. *cùm & plantare, §. excommunicatus, de privileg. & alia* V. *nominatim*, in c. *constitutionem, de sentent. excommun. Covar. in c. alma mater, p. 1. §. 2. num. 8.* Gutier. *canon. lib. 1. c. 1. num. 27. Suar. tom. 5. de censuris. D. 9. sect. 2. num. 10. Sayr. in simili tract. l. 2. c. 12. num. 17. & l. 5. c. 1. num. 11.*

Not. 5. hanc pœnam statui *in sepelientes* tales jure prohibitos sepeliri, ubi advertendum illum terminum *sepelientes*, cùm dispositio hujus Clementinæ sit *pœnalis*, exponendam strictè, nimirum in sola naturali & propria vocis significatione: non autem juridica, & lata. 2. hìc agi non tantùm de actu *physico* sepeliendi, sed etiam *Ecclesiastico*, nimirum juxta ritum Ecclesiæ præscriptum in humandis fidelium defunctorum cadaveribus; *sepelire* porrò, quatenus importat actum physicum sepeliendi, est in sepulchrum immittere, seu inferre, & humo congesta contegere, ut notat Pereyra in Elucidario, *num.* 1129. quo fit, exercentes alios actus, ab his distinctos (ut *fabricare tumbam, portare funus, comitari*) non venire appellatione actûs physicè *sepeliendi* in stricta significatione; nec etiam *sepeliendi Ecclesiasticè*, actus *præferendi crucem, pulsandi, &c.* sed solùm actum, quo Ecclesiasticus exercet ritum ab Ecclesia præscriptum in sepultura fidelium; ita Pirhing. *h. t. num.* 80. 2428

Tametsi verò Abbas *in dict. Clem. n.* 22. apud Pirhing. cit. velit huic pœnæ subjacere omnes *proximè* cooperantes tali sepulturæ, adeoque etiam eos, *qui funus comitantur, qui cantant, crucem, & luminaria deferunt*; alii, etiam *consulentes*, vel *non impedientes*, cùm possent, & deberent: quia tamen hæc constitutio pœnalis est, consequenter non extendenda ultra eos, qui vel physicè, vel Ecclesiasticè sepeliunt, nimirum cadaver inferendo ipsi terræ (quod non præstant, qui sunt *præcisè portitores* Sacrophagi, seu tumbæ) vel exercendo ritum Ecclesiæ in sepeliendo, quem facit solus Ecclesiasticus nomine Ecclesiæ; id, quod tenet *gloss. in cit. Clement.* V. *sepelire*; Suarez *de* 2429

Cen-

Censur. D. 12. *sect.* 4. *à num.* 10. & alii. Mandantes tamen, & procurantes ejusmodi cadaveris sepulturam, ac exequentes, juxta veriorem sententiam omnino censentur comprehendi, ut notat Pirhing. *h. t. num.* 80. Mandans enim, & procurans actiones illas sepeliendi principaliter est author operis prohibiti.

2430 Not. 6. ad quæstionem, quam pœnam incurrant Religiosi, vel Clerici seculares, qui contra constitutionem Bonifacii VIII. *in c. 1. h. t. in* 6. aliquos ad vovendum, jurandum, aut promittendum inducunt, ut eligant sepulturam in eorum Ecclesiis, vel jam electam non mutent, constare *ex dict. à num.* 2388.

2431 Not. 7. in Extravag. *Detestandæ*, inter communes *h. t.* statutum esse à Bonifacio VIII. quòd corpora defunctorum *exenterantes*, vel *incimbratim*, seu in frusta *immaniter*, id est, crudeliter *concidentes*, & aquis decoquentes, ut ossa à carnibus separata in terras suas deferant tumulanda, sint ipso facto excommunicati, cujus censuræ absolutio Papæ (præterquam in mortis articulo) est reservata: & insuper corpus quoque sic inhumaniter tractatum Ecclesiasticâ careat sepulturâ: ideoque in detestationem facti hujus, sive carnificinæ, & sequelæ ejus: ac proinde hic punitur defunctus sine culpa sua, etsi non sine causa, *gloss.* hic V. *sepultura.*

Not. tamen. 8. huic constitutioni non esse locum in cadavere mortui dato Medicis ad Anatomiam, ut praxis testatur: vel si exenteretur cadaver, ne fœteat; quia ex rationabili causa sepultura differtur: item si fiat cum his, qui moriuntur in terris infidelium, ubi non est sacer locus, in quo sepeliri possint, *Navarr. in man. c.* 27. *n.* 105.

ARTICULUS VI.

De portione canonica, debita Ecclesiæ Parochiali.

2432 *Portio canonica* est illa, quæ approbatur per canones, & per eosdem debetur Ecclesiæ; talis habetur Clement. *dudum, de sepult.* c. *de his*, & c. *decernimus.* 10. *q.* 1. & c. *Constitutum.* 16. *q.* 1. est duplex, altera *Episcopalis*, altera *Parochialis.* Episcopalis portio, quæ frequentiùs *quarta Episcopalis* appellari solet, est illa, quam Episcopo debent omnes Ecclesiæ, quæ sunt in ipsius diœcesi constitutæ, ex omnibus bonis, quæ ipsis relinquuntur, & obveniunt: estque tertia, vel quarta pars. *Parochialis* autem (ut describit Pereyra in Elucidario *l.* 2. *Elucidat.* 8. *sect.* 2. *num.* 848.) quæ similiter *Quarta* Parochialis (& alio nomine *Quarta funeralis* dicitur) est illa, quam habet Ecclesia parochialis ex his bonis, quæ parochiani legant, sive relinquunt, vel offerunt ratione funeris, cùm quis alicubi extra parochialem eligit sepulturam: estque dimidia, vel tertia, vel quarta pars juxta diversas Ecclesiarum consuetudines, c. *certificari, de sepult.*

Addit autem Pereyra citatus, *quartam* 2433 deberi ab omni Ecclesia, in qua quis sepelitur, vel ad quam se transfert, etiamsi alioqui sit *exempta*; & quidem ex omnibus, quæ obveniunt *ratione funeris*, nimirum *in die*, quo quis sepelitur, & *ex omnibus, quæ legantur Ecclesiæ*, in qua quis sibi eligit sepulturam, sive res mobiles sint, sive immobiles; non autem, si legatum sit *personæ*, non loco. Unde multa de utraque quarta apud Azor *tom.* 2. *l.* 9. *c.* 12. & 13. Non agimus hìc de portione Episcopali (nam de hac V. dicta sup.) sed parochiali, propter quam frequentes nascuntur lites non tantùm inter Parochos ex una, & Regulares ex altera parte; sed inter ipsas etiam Ecclesias Parochiales, si Parochianus elegit sepulturam in alia, non verò sua, & in ea Parochiali Ecclesia sepultus est electâ inibi sepulturâ, ut constabit ex seqq.

Difficultas est, an hæc obligatio, ex con- 2434
stitutione canonum introducta, ut ab ea Ecclesia, in qua quis sepulturam elegit extra Parochiam, nihilominus solvatur quarta funeralis Ecclesiæ Parochiali, nullam patiatur exceptionem? 2. ex quibus bonis, & rebus desumi, seu detrahi debeat ea portio, & dari Parochiæ? ut in hac re clarius procedatur, afferam verba canonum, super hac materia disponentium; tum etiam, quod in hoc puncto jure CC. Tridentini constitutum est, ac explicatum declarationibus summorum Pontificum.

Igitur c. *Nos instituta.* 1. *h. t.* statuit 2435
Leo III. ut, qui eligit alienam sepulturam, *tertiam partem sui judicii illi Ecclesiæ det, in qua cœlesti pabulo refici consuevit.* In c. *Relatum.* 2. *eod.* habetur, quòd volens

volens converti in Monasterio sive in morte, sive in vita, *omnium rerum*, & possessionum, quas *pro salute animæ suæ* decrevit disponere, *medietatem* Ecclesiæ, ad quam dignoscitur pertinere, relinquat; c. *Fraternitatem.* 3. *eod.* quòd, ubi quis sepulchro majorum relicto eligit sepulchrũ in loco minus religioso, dolo inductus, seu ex contemptu, seu non demissâ Ecclesiæ suæ canonicâ portione expressè, vel tacitè, non teneat electio; c. *de his.* 4. *eod.* sic Alexander III. scribit Episcopo Cephalen. de his, qui in infirmitate, vel sanitate cum bonis suis ad religiosa loca se transferunt, nihil tibi vel Ecclesiis, à quibus receperunt salutis pabula, relinquentes, hoc tuæ volumus prudentiæ innotescere, quòd, *si in ægritudine ipsa ad religionem transeant, dummodo de ægritudine illa decedant, de bonis suis ipsis Ecclesiis, à quibus assumpti fuerint, canonica debet portio exhiberi.* Si verò ad religiosa loca se *in sanitate* transtulerint, de his, quæ locis ipsis conferent, cogi non possunt aliquid præceptis Ecclesiis impertiri, quia liberum est eis tunc bona sua, non solùm religiosis, sed etiam quibuslibet privatis conferre personis.

2436 Deinde in c. *Cùm super.* 8. *h. t.* statuit Lucius III. ut, si aliquis parœcianorum Ecclesiæ Cathedralis alibi eligat sepulturam, de testamento ipsius (seu, ut exponit rubrica *de ipsius funeralibus*, seu *relictis Ecclesiæ sepelienti*) quarta Capitulo Ecclesiæ Cathedralis debeatur; cùm autem Clementi III. propositum esset, quomodo illa clausula, quæ in privilegiis solet apponi, *salvâ justitiâ illarum Ecclesiarum*, à quibus mortuorum corpora assumuntur, intelligi debeat, & exponi? respondit Clemens: cùm super hoc articulo diversa Antecessorum nostrorum manaverint instituta: Leone justitiam illam quandoque *tertiam* partem, quandoque *mediam*; & Urbano, *quartam* fore censentibus: nos tale præbemus in hac varietate responsum, ut, sicut B. Hieronymus inquit, *unaquæque provincia in suo sensu abundat*, secundùm rationabilem consuetudinem regionis illa justitia circa *medietatem*, vel *tertiam*, aut *quartam* partem, pro locorum diversitatibus, attendatur.

2437 Tertiò in c. *In nostra.* 10. *h. t.* de eadem portione Parochiali, Innocentius III. post expositam inter Hospitalarios, & Priorem Ecclesiæ Montis Ferrand. controversiam, talem, inquit, super his sententiam duximus proferendam, quòd prædicti Hospitalarii de cætero non recipiant parœcianos Ecclesiæ supradictæ ad Ecclesiasticam sepulturam, *nisi apud eos elegerint sepeliri*; & *tunc* parœcialis Ecclesia de oblationibus, lectis, & aliis, quæ defunctus *pro anima sua, in ultima dispositione reliquit*, præterquam de equis, & armis, recipiat *quartam partem*; & Hospitalarii, *residuum* habeant, nisi dolo, vel fraude eorum, defunctus inductus fuerit ad dispositionem hujusmodi faciendam.

Quartò, in c. *Cùm quis. 2. h. t. in* 6. statuit Bonifacius VIII. quòd, cùm quis, cujus majores sunt soliti ab antiquo in aliqua Ecclesia sepeliri, eâ dimissâ eligit alibi sepulturam: canonica portio *dimissæ* non debetur *Ecclesiæ*, sed illi duntaxat, in qua ille *officia consuevit audire divina*, & Ecclesiastica recipere Sacramenta. Cùm ab eo, qui duo habet domicilia se collocans æqualiter in utroque, loco tertio eligitur sepultura: domiciliorum Ecclesiæ habebunt inter se dividere canonicam portionem; deinde in Clement. *dudum. 2. eod.* postquam Pontifex dixit: se statutis, & ordinationibus præmissis etiam hoc adjicere, ut prædicti Fratres in Ecclesiis, vel locis suis ubilibet constitutis, liberam, ut sequitur, habeant sepulturam eorum, qui apud ipsos elegerint sepeliri, subjungit; auctoritate Apostolica se constituere, & ordinare, ut *dictorum ordinum Fratres*, de obventionibus omnibus tam funeralibus, quàm quibuscunque, & quomodocunque relictis distinctè, vel indistinctè, ad quoscunque certos, vel determinatos usus, de quibus etiam quarta, sive canonica portio dari, sive exigi non consuevit, vel non debet de jure: nec non de datis, vel qualitercunque donatis in morte, seu mortis articulo in infirmitate donantis, vel dantis, de qua decesserit, quomodocunque directè, vel indirectè fratribus ipsis, vel aliis pro eisdem quartam partem (quam auctoritate Apostolica taxamus, & etiam limitamus) parœcialibus sacerdotibus, & Ecclesiarum Rectoribus, seu curatis largiri integrè teneantur; hoc prius constitutum fuerat in Extravag. *super Cathedram*, inter communes, cod. ubi notatur in Rubrica 2438

brica, dictam Extravag. revocatam esse per Extravag, *inter cunctas, de privileg.* sed denuò resuscitatam à Clemente per dict. Clement. *Dudum.*

2439 Ex istis juribus deducitur, Ecclesiæ parochiali, quando aliquis ejus Parochianus extra illam sepelitur in alia, ubi sepulturam sibi elegit, nihilominus deberi portionem funeralem ex omnibus, quæ occasione funeris, ac sepulturæ obveniunt Ecclesiæ sepelienti; neque hoc jus amitti, esto talis Parochianus aliò translatus ad tempus aliquod recreationis, vel negotii causâ, non electâ sibi sepulturâ ibi, decedat, ut habetur c. *is, qui.* 3. *h. t. in* 6. *Quarta* porrò debet esse illa portio, Parochiæ debita, tametsi secundùm aliquos dicatur *tertia*, subinde *quarta*, & quandoque etiam *media* de omnibus relictis Ecclesiæ sepelienti; determinatum tamen est, ut *in hac quantitate* non stetur voluntati Parochorum, sed legitimæ, ac receptæ locorum consuetudini, ut clarè constat ex aperto textu in *n.* 2436. his præmissis:

§. 1.

An omnes Ecclesiæ teneantur ad quartam funeralem Parochiæ persolvendam?

2440 PRo hac quæstione referuntur variæ decisiones sacræ Congregat. quæ videri possunt apud Barbos. in Trid. *sess.* 25. *c.* 13. Tridentinum autem loco jam cit. de quarta funerali, Parochiæ debita, sic loquitur: Decernit sancta Synodus, *quibuscunque in locis, jam ante annos quadraginta, ut quarta, (quæ funeralium dicitur) cathedrali, aut parochiali Ecclesiæ solita esset persolvi, ac postea fuerit, ex quocunque privilegio, aliis monasteriis, hospitalibus, aut quibuscunque locis piis concesso, eadem posthac integro jure, & eadem portione, quæ antea solebat, cathedrali, seu parochiali Ecclesiæ persolvatur: non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis, etiam Mari magno nuncupatis, aut aliis quibuscunque*; ex hoc textu (secluſa declaratione Pii V. de qua *num.* 2442.) deducitur *quartam funeraliun*, Ecclesiæ Cathedrali, vel parochiali, jam *ante* 40. annos, & *postea solitam* persolvi à quibuscunque locis, etiam *posthac* eodem jure, ac portione, quâ antea solebat, eidem persolvendam esse, non obstantibus quibuscunque privilegiis etiam *Mari magno* nuncupatis; ubi not. hoc jure novo Tridentini de solvenda etiam deinceps quarta funerali, non comprehendi Ecclesias, Monasteria, & loca pia, nisi 40. annis ante Tridentinum fundata fuerint, & quartam persolverint per illos retro 40. annos, ac postea; certum autem est, aliquas nunc extare familias Regulares, Monasteria, & loca pia, quæ 40. annis ante Tridentinum fundata non fuerunt, consequenter nec quartam eo tempore, & postea, persolverint; ergo jure novo Tridentini etiam nunc non tenentur. Et not. in Tridentini decreto specialiter fieri reflexionem ad ea, quæ de sepulturis constituta sunt in Sexto Decretal. & Clement. *dudum* (quæ inibi annotantur) &, *hoc non obstante*, decretum illud sub relata forma conditum, & à Pio IV. confirmatum esse, consequenter & ipsam exceptionem omnium locorum piorum, quæ 40. annis retrò, seu ante Tridentinum fundata non fuerant, nec quartam persolverunt; cùm expressè illa solùm obliget ad eandem posthac solvendam; quæ 40. annis prius, ac postea solverunt; ergo non illa, quæ prius non, nec posteà.

Et hæc resolutio de Monasteriis, quæ 2441
40. annis prius non solverunt, nec deinde ad solutionem quartæ obligandis, fundamentum etiam habet in jure communi; c. *de quarta.* 4. *de præscript.* ubi clare dicitur, quadraginta annis præscribi contra quartam *oblationis defunctorum*, quæ etiam quarta mortuariorum, & funeralium appellatur, c. *Conquerente, de offic. ord.* Trid. *sess.* 25. *de reform. c.* 13. juxta Covarr. & alios; ex quo textu dicti c. *quarta* deducitur, quòd canonica portio Episcopo, imò & Ecclesiæ parochiali debita quadragenariâ præscriptione tollatur; sic etiam Miranda in Manual. Prælat. *tom.* 2. *q.* 48. *à* 5. *conclus.* 2. *Barbos. de potest. Episcopi p.* 3. *alleg.* 86. *num.* 39. *& alii communiter.*

His addenda est Constitutio Pii V. incip. *Etsi Mendicantium.* 17. Kal. Julii. 1567. post Tridentinum confirmantis, ac de novo concedentis omnia Mendicantium privilegia, ubi de hac materia quartæ funeralis sic loquitur: *Quartam autem*

funeralium, (de qua sess. 25. c. 13.) nequaquam solvere teneantur monasteria, quæ à 40. annis citra fundata existunt, postquam Concilium ipsum loquitur tantum de monasteriis ante annos 40. fundatis, quæ ipsam quartam solvere consueverunt: ex hac igitur summi Pontificis declaratione manifestum fit, Monasteria Mendicantium, quæ à 40. annis citra fundata sunt, nequaquam teneri quartam solvere; cùm Concilium expresè loquatur solùm de illis, quæ ante 40. annos fundata, quartam solvere consueverunt.

Hanc Pii V. declarationem secuta est Rota Romana in causa *quartæ funeralium*, mota contra Monasterium Regularium, primò fundatum post publicationem Tridentini; & contra Actorem pro *quarta*, ab eo Monasterio petita resolvit, non teneri propter hoc, quod in decreto Trid. non sit comprehensum; sed exceptum, utpote necdum fundatum ante illud. Hanc decisionem refert Barbosa *p. 3. allegat. 86. à num.* 17. verba decisionis contra oppositionem Actoris factam ab Actore, se fundante in Tridentino, sunt seqq. ut refert Barbosa *cit. ibid. n.* 18.

2443 *Nec obstat*, inquiebat Rota, *Concilium Tridentinum sess. 25. c. 13. de reform.* quia, cùm istud monasterium sit fundatum post publicationem Concilii, & *quatenus esset fundatum antea, cùm non esset solitum solvere dictam quartam, Concilium ei non obstat*, ut declaravit sanctissimus Pius V. in sua constit. de anno 1567. quâ refert Archangel. Caraccia de quarta funeralium, *c. 1. Gut. de juram. confirm. p. 2. c. 4. n. 3. Emman. Roder. in quæst. Regularib. tom. 1. q. 41. a. 2.* & ita resolvit Congregatio Illustrissimorum interpretum, ut refert Rodriq. loco prædicto.

2444 Et cùm ulterius opponeretur, dictam Constitutionem Pii V. *fuisse revocatam* per Gregorium XIII. eadem Rota in illa decisione respondit, *non esse verum, quod prædicta Constitutio Pii V. fuerit revocata per Gregorium XIII.* ut in ejus Bulla, quam refert *Navar. in man. c.* 27. in fine, quia cùm dicta Bulla Pii plura contineret, *per Gregorium reducta fuit ad terminos Concilii*, ut censuit sacra Congregatio Illustrissimorum Interpretum, sicut refert Caraccia loco citato, qui etiam in fine tractatus refert, ipsam declarationem, ut bene advertit Gutierez loco citato. Hactenus dicta decisio, quæ etiam reperitur impressa apud Ascanium Tamburinum de jure Abbatum *tom. 3. decis. 84.*

Dices: si Gregorius XIII. constitutionem Pii V. reduxit ad *terminos Concilii*, ut dictum est, debetur quarta, ut decrevit Concilium; sed Concilium decrevit quartam Parochiæ solvendam, *integro jure, eadem portione*, qua antea *solebat*; ergo etiam post constitutionem Pii V. R. ex hoc argumento sequi non tantùm post constitutionem Pii V. sed etiam Gregorii XIII. Monasteria, quæ *ante* Tridentinum quartam solvere *non solebant*, nec etiam *postea* (ut si primò post publicationem Tridentini fundata sint) solverunt, *non teneri ad quartam etiam nunc solvendam.* Cùm, ut dictum est, constitutio Pii V. reducta sit ad terminos Tridentini; sed in terminis hujus Concilii Monasteria priùs quartam solvere non solita, nec posthac tenentur, ut ostensum est; ergo. 2445

R. 2. cùm dicitur, constitutionem Pii V. reductam esse *ad terminos Concilii*, aliud non significari, quàm, ut Monasteria, quæ vi Conciliaris decreti tenentur *ad quartam*; eandem posthac solvant *integro jure, & eadem portione*, qua antea solebant; igitur etiam stante hac reductione ad nihil tenentur etiamnum illa, quæ ante Tridentinum fundata non erant, consequenter nihil solvebant; sed talia sunt plurima; ergo contra dispositionem Tridentini, Pii V. & Gregorii XIII. Presbyteri parochiales à talibus Ecclesiis exigunt quartam parochialem. 2446

Deinde, planè mirum est, quòd aliqui Parochi in casu, quo cadaver alicujus parochiani sepelitur in alia Ecclesia, *jure exigant* v. g. *omnes* faces, *omnes* candelas, linteum *totum* (vulgo **überthan**) quod in quibusdam locis infra funeralem pannum, seu nigrum integumentum tumbæ imponitur, &c. cùm sit clari juris, non deberi illis de jure communi, & etiam dispositione Pii V. ac aliorum, (in casu, quo jure illis debetur *quarta* ex his, quæ cum funere deferuntur ad Ecclesiam sepelientem, extra Parochialem) *omnia*, sed solùm *ex illis omnibus* pars *quarta*, vel *tertia*, vel *media*, juxta locorum legitimam consuetudinem; prorsus igitur immeritò, & nullo jure, quandoque rapiunt *omnes faces*, ante- 2447

antequam funus inferatur Ecclesiæ sepelienti, si Parochialis non sit; nam si talis Ecclesia tenetur illis permittere *quartam* (quod negatur de his, quæ primò post publicationem Tridentini fundatæ sunt, ut constat ex *num.* 2442.) non tenetur illis permittere *omnes*; sed ex *duodecim* v.g. *tres*, si habeat *quartam*; quatuor, si habeat tertiam; sex, si mediam partem, juxta diversam locorum consuetudinem; & sic de aliis; illæ verò, quæ ante Tridentinum fundatæ non erant, atque adeo nihil solvebant per 40. annos anteriores, *nihil omnino* tenentur illis relinquere de his, quæ cum funere deferuntur ad Ecclesiam, salvâ tamen stolâ, quam exigere possunt ab his, qui curant tale funus.

2448 Advertend. præterea, quòd suppositâ constitutionis, seu declarationis à Pio V. editæ reductione ad terminos Tridentini, ut dicit objectio in *num.* 2445. Pontifex se remittat ad solvendam *posthac* quartam jure integro, ac eadem portione, *qua antea solebat*: quæ verba, si rectè attendantur, multa in se continent. 1. enim infertur, ut jam dictum est, eas Ecclesias nec posthac teneri ad solvendam quartam, *quæ antea non solebant*; sed quæ ante Tridentinum fundatæ non erant, illæ *antea* quartam, solvere *non solebant*, ut liquet ex terminis; ergo. 2. infertur non teneri etiam *posthac* ad portionem illam in alia mensura quàm in qua *antea solebant*; igitur Parocho, nunc de certis rebus cum cadavere delatis ad Ecclesiam, exigenti *quartam* ab aliqua Ecclesia (si hæc tenetur ad quartam) incumbit onus probandi, *antea de his solitam esse persolvi quartam* in hac portione, *in istis rebus*, extra taxam stolæ, &c. nam obligatio posthàc solvendi quartam taliter, vel *de talibus*, est solùm ex suppositione, quòd *antea* solita esset taliter, & *de talibus* persolvi.

2449 Nec juvat, si recurras *ad consuetudinem*, ut nimirum hæc, quæ nunc est, sit argumentum ejus, quod olim fuit; nam obligatio *posthàc* solvendi, fundatur in consuetudine, quæ *antea* fuit, ibi: *antea solitam*; certum autem est, consuetudinem, quæ nunc in aliquibus locis per ejusmodi Curatos inducta est, esse planè diversam ab ea, quæ *antea fuit*, & jure sacro approbata est. *Antea* autem nihil in funeribus & sepulturis Curatis licebat exigere, nisi, quod *pia fidelium devotione introductum est*, ut dicitur c. *ad Apostolicam.* 42. de Simonia; certum autem est nunc planè diversam à quibusdam Curatis consuetudinem, proprio quandoque ipsorum arbitrio introductam esse; ergo hæc nequit esse argumentum præsumendi, *consuetudinem*, quam approbat Tridentinum, ibi: *ante solitam*, fuisse eandem *ante*, ac *nunc* est.

Textus in c. *Ad Apostolicam.* 42. de Simon. sic habet: *ad Apostolicam audientiam*, inquit Innocentius III. *frequenti relatione pervenit, quod quidam Clerici pro exequiis mortuorũ, & benedictionibus nubentium, & similibus, pecuniam exigunt, & extorquent: & si fortè eorum cupiditati non fuerit satisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt: Econtra verò quidam laici laudabilem consuetudinem erga sanctam Ecclesiam, piâ devotione fidelium introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis nituntur infringere, sub prætextu canonicæ pietatis.* Quapropter super his, *pravas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari*: statuentes, ut *libere* conferantur Ecclesiastica Sacramenta; sed per Episcopum loci veritate cognitâ compescantur, qui *malitiosè* nituntur *laudabilem consuetudiuem* immutare. Duo notantur in hoc textu, utrumque continetur in illis verbis: in funeribus & exequiis mortuorum *pravas exactiones fieri prohibemus*; *& pias consuetudines* (pia fidelium devotione introductas) *præcipimus observari*; cognitio autem eorum, quæ videtur ejusmodi laudabili consuetudini contraria, non ad Parochos, sed ad Episcopos pertinet, ut liquet ex claro textu; & observandum, quòd textus, ubi Pontifex vult per Episcopos urgeri observantiam laudabilis erga sanctam Ecclesiam consuetudinis piâ fidelium devotione introductæ, ac eos compesci, qui eam nituntur immutare, loquatur *de Laicis ex fermento hæreticæ pravitatis* nitentibus eam infringere sub prætextextu canonicæ pietatis: ergo non de his, qui eam recusant *titulo exemptionis, privilegii, præscriptionis*, consuetudinis *alienæ ab inducta Fidelium devotione.* 2450

Præter hæc not. 1. Concilium Tridenti- 2451
num

num fuisse confirmatum 27. Januar. 1546. ut refert Barbosa *p. 3. de offic. & potest. Episcopi, allegat. 86. n. 19.* Not. 2. inter privilegia eximentia certos ordines Regulares à solutione quartæ, esse privilegium Julii II. concessum Minimis de an. 1506. & aliud ejusdem Pontificis concessum Minoribus de observantia anno 1511. sui Pontificatus 8. & aliud Pauli III. concessum Minoribus anno 1544. & postremo aliud Pauli IV. concessum Ordini Prædicatorum an. 1556. quæ per extensum refert Archangelus Caracia de quarta funeralium, *cap. 1. sic Barbos. cit. n. 17.* Not. 3. Monasterio Regularium, cum quo *de quarta* solvenda contendebat Decanus Licensis (ut refert *Barbos. cit.*) per communicationem concessa esse à Paulo IV. & Gregorio XIV. omnia privilegia illorum Regularium, de quibus not. 2. consequenter etiam privilegium illos eximens à solutione quartæ.

2452 Not. 4. in Bulla Pauli V. quæ est 4. & incipit: *Decet Romanum Pontificem. 20.* Augusti 1605. fieri aliquam mentionem, quòd, cùm quæreretur, *an Monasteria ante annos quadraginta ædificata deberent quartam funeralium solvere.* Eminentissimi S. R. E. Cardinales, Decretorum Sacri Concilii Tridentini interpretes, censuerint, Monasteria ædificata à quadraginta annis *citrà*, non teneri ad solutionem quartæ funeralium hujusmodi, si modò sint ejus Religionis, cui à sede Apostolica ante quadraginta annos indultum sit, ut eandem quartam non teneantur solvere Episcopo; sic Barbos. *cit. n. 19. §. & ita*; ergo etiam nec Parochiæ, si habeant privilegium, seu exemptionem: Tridentinum enim Monasteria, quæ 40. annis prius non erant fundata, consequenter nec quartam solvere *solita*, eximit à quarta Parochiali, quæ funeralis dicitur; ergo ab eadem non tantùm Episcopo, sed etiam Parochiæ solvenda, eximuntur non tantùm dicta Monasteria, eo titulo, quòd 40. annis antè non fuerint *solita* solvere; sed etiam titulo privilegii; nec enim obstat ea clausula Concilii, *non obstantibus*, quæ habetur in fine decreti relati *num. 2440.* nam Concilium loqui in præsenti de privilegiis concessis à 40. annis *citra*, & non procedere in privilegiis antiquissimis concessis per 40. annos *ante* publicationem Concilii, refert decisum Lavor. *tit. 2. c. 3. num. 183. apud Barbos. in Trid. sess. 25. de Reform. c. 14. n. 5.*

§. 2.

Ex quibus rebus desumi debeat quarta funeralis Parochiæ præstanda?

HÆc quæstio eas solùm Ecclesias tangit, quæ nullo etiamnum jure liberantur ab onere solvendi portionem canonicam Ecclesiæ parochiali, si in ea hujus parochianus sepulturam elegit, ac tumulatus est. 2453 Ex Tridentino quidem habetur, etiam nunc solvendam integro jure, ac eadem portione, qua antè solebat; sed ex quibus rebus ea portio detrahenda sit? non specificat. Pius V. in sua constitutione, de privileg. Mendicantium non solvendi quartam, de qua *num. 2442.* de hoc ita loquitur: *ubi* (quarta) *solvi consuevit* à Monasteriis Mendicantium (puta, si 40. annis ante Tridentinum eam solvere solita sint) id *tantum ceræ, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit tempore, quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur*; non autem *de missis*, seu *legatis*, vel aliis fratribus ipsis, seu Monialibus relictis, aut aliàs quomodolibet donatis solvi debet, sicque intelligi Concilii decretum quoad *quartam* hujusmodi solvendam debere decernimus. Ubi verò non est consuetudo solvendi *quartam* hujusmodi, de nullo suprà scriptorum solvi debere declaramus, refert *Lavor. var. lucubrat. tom. 1. tit. 2. c. 3. num. 182. apud Barbos. in dict. c. 13. Trid. n. 2.*

Ex jure communi etiam parum colligi 2454 potest; nam frequenter agit de portione canonica *in genere*, non distinguendo, an ex iisdem decerpenda sit portio *Episcopalis*, & *Parochialis*? Sic *c. 1. h. t.* dicitur, relinquendam Ecclesiæ, in qua cœlesti pabulo refectus est, tertiam *partem sui judicii*; sed, ex quibus? nihil dicit. In *c. relatum. 2. eod.* non agitur de funerali præcisè; & quod dicitur, volentem converti in Monasterio sive in vita, sive in morte, debere *medietatem* omnium rerum, & possessionum, quas pro salute animæ suæ disponit, relinquere Ecclesiæ, ad quam pertinet, quoad portionem *Episcopalem* usu recepto contrarium habet, ut dixi-

diximus sup. quoad *parochialem* in legatis non obtinet, ut constat ex dict. & dicendis; & sequitur ex c. *de his* relato *n.* 2435. In c. *cùm super.* 8. *h. t.* fit tantùm mentio quartæ de relictis Ecclesiæ sepelienti; sed nec hoc locum habet in quarta parochiali sic indefinite.

2455 In c. *In nostra.* 10. *h. t.* parochialis dicitur detrahenda ex oblationibus, lectis, & aliis, quæ defunctus pro anima sua in ultima dispositione reliquit, ut habetur *num.* 2437. sed hoc generale est; in Clementina, *dudum* (de qua *num.* 2438.) materia, ex qua decependa sit quarta, nominatur, *quidquid est de obventionibus tam funeralibus, quàm quibuscunque, & quomodocunque relictis, distinctè vel indistinctè*, ad quoscunque certos ac determinatos usus, de quibus etiam canonica portio dari non consuevit, vel non debet de jure. Sed nec istud obtinet *in portione Episcopali*, ut constat ex dict. sup. nec *in parochiali*, prout demonstrat receptissima praxis ipsorum etiam Parochorum nihil exigentium ab Ecclesiis, quæ tenentur dare *quartam*, nisi ex his tantùm quæ deferuntur ad Ecclesiam sepelientem occasione funeris; qualia non sunt legata, vel donata causâ mortis Ecclesiæ sepelienti; & taxam stolæ, sicubi usus est ultra istam aliquid relinquendi parochiæ ab alia Ecclesia ipsius parochianum sepelienti.

2456 Standoin Constitut. Pii V. de qua *num.* 2442. sequitur, *quartam* Ecclesiæ parochiali *debitam* ab aliis Ecclesiis (quæ ad eam tenentur) non esse decerpendam, *ex missis, legatis, vel aliis quomodolibet donatis*; sed tantùm *de cera, & quæ in aliis partibus deferri contigerit tempore, quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur*, ut constat ex Bullæ verbis in *n. cit.* hæc Pii V. declaratio conformis est juri communi, ut apertè colligitur ex c. *fin. de Testam.* ibi: *de his, quæ in ornamentis, vel pro eis, seu fabrica, luminariis, anniversario, septimo, vigesimo, tricesimo die, sive aliis, ad perpetuum cultum divinum legantur Ecclesiis, vel reliquis piis locis, canonica portio* (dummodo in fraudem non fiat, ut eâ Episcopus, seu parœcialis Ecclesia debeat defraudari) *deduci non debet*, quo habetur, nec in hoc aliquid derogatum illi per reductionem ejus *ad terminos Concilii*, cùm hoc nihil aliud velit, quàm solutionem *antea* fieri *solitam*, etiam posthac integro jure, ac eadem portione ab Ecclesiis, quæ tenentur ad quartam funeralem Parochiæ dandam; cùm ergo jure communi constet *antea* non esse præstitam de his, quæ ipsum excipit; meritò intelligi debet solùm de cera, & iis, quæ in aliis partibus deferri contigerit, tempore, quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur; ergo non de aliis, *quæ tunc non deferuntur cum funere; nec ea omnia, quæ etiam tunc deferuntur; sed tantùm quartam*, ut dictum est *num.* 2447. sequitur 2. ubi non est consuetudo solvendi quartam, nec de cera, & aliis cum funere ad sepulturam delatis, quicquam Ecclesiæ parochiali debitum esse, ut constat ex declaratione Pii V. *supr. in n. cit.* cùm & hoc sit juxta *terminos Concilii*, ibi: *quæ antea solebat.*

Ex dict. deducitur, quòd Ecclesiæ Paro- 2457
chiali ab Ecclesia sepeliente in data quæstione nihil debeatur propterea, quòd cadaver defuncti pertinentis ad talem parochiam, sepultum sit in alia, ubi sepeliri elegit, nisi media, tertia, vel quarta pars (juxta loci consuetudinem) ceræ, & eorum, quæ tunc, quando funus ad Ecclesiam fertur, cum eodem ad talem Ecclesiam deferuntur; & hoc tantùm, ubi est consuetudo solvendi quartam; & solùm ab ea Ecclesia, quæ ante Tridentinum 40. annis retro eam solvere solebant, ut dictum est, à *num.* 2440. non igitur ab his, quæ 40. annis prius, quàm Tridentinum publicaretur, fundatæ non erant, nec etiam solvere solitæ, non qualicunque locorum consuetudine, sed *laudabili Fidelium devotione introductâ*; & quoniam ante, præter hæc, quæ fidelium devotio introduxit, nihil jure propter sepulturas exigere poterant parochi, ut constat ex *num.* 2450. ubi tunc illis stola, seu taxa funerum constituta est, valde probabile est, illos nihil posse jure exigere præter illam, & taxam transiviſse in vicem, seu locum quartæ.

Cùm Regularibus exemptis, qui recù- 2458
sant dare quartam etiam ex cera, & reliquis, quæ ipso die sepulturæ cum funere deferuntur ad Ecclesiam sepelientem, sæpius controversiam moveant Parochi, ac etiam ab eorum Ecclesiis sibi debitam contendant, variis nixi tum juris textibus, alla-

tis supra à *n.* 2435. tum etiam variis Sacræ Congregationis decisionibus, allatis etiam statutis Concilii Mediolanensis, primi, *p. 2. de funeribus, & exeq.* ibi: *candelæ omnes, cerei, qui intortitia vocantur, quæ circa crucem, & cadaver ad Ecclesiam deferuntur; & alia, quæ circa feretrum, ac reliquis in locis, dum divina officia in funere celebrantur, hæredum impensâ accenduntur, ita Deo oblata intelliguntur, ut ejus Ecclesiæ sacristiæ addicta sint; deinde ex cod. Concil. 2. decret. 16. & 4. p. 2. de funeribus,* ibi: *ne fiant pacta cum hæredibus, ceram superstitem illis restituendi.*

2459 Deinde adducitur decisio controversiæ hujus, ortæ inter Ecclesiam Lateranensem, & parochiam S. Eustachii Romæ; cùm enim quidam ex familia Ursina, qui erat de parochia S. Eustachii, sepultus esset in Ecclesia Lateranensi, & quæstio mota esset, an funerale non factum *integrum* debeatur Ecclesiæ Parochiali, quando defunctus fuit sepultus in alia Ecclesia? quæ eadem quæstio etiam mota fuit inter PP. Augustinianos Romæ, & aliam Ecclesiam parochialem: in utroque casu decisum fuit *pro parochia contra Ecclesiam sepelientem*, de qua non fuit is, qui in ea sepultus est, statuendo, quòd Ecclesia *non parochialis* nullum habeat jus prætendendi *funus non factum, ac ejus taxationem.* Addebatur ratio, quòd Regulares *de jure communi* non habeant jus sepulturæ; sed tantùm *privilegio*; privilegium autem privatæ Religionis, non habeat locum contra loci consuetudinem juxta Card. de Luca *de Regularib. tr. de Paroch. disc. 25.*

2460 Verùm nec ista evincunt, Regulares Ordinis Mendicantium, & alios, quorum Ecclesiæ 40. annis ante publicationem Tridentini *quartam* parochialem de funeribus solvere non erant solitæ, defacto ad illã teneri etiam ex cera, & reliquis, quæ cum funere in die sepulturæ ad Ecclesiã ejusmodi Regulariũ deferuntur; ratio sumitur *ex dict. à n.* 2440. *& seqq.* quod etiam tradit Card. de Luca *l.* 14. *p.* 1. *de Regularib. discursu.* 1. *num.* 57. ubi agens de *quarta parochiali* ait: quòd, *etsi in hoc regula assistat parocho, quoties agitur de funere ejus subditi; adeo ut ad ipsum jus sepelienditanquam parochiale pertinet*: subjungit tamen statim, *nisi aliter concedant indulta Apostolica, quibus aliquæ Religiones, seu aliqua Monasteria particularia potiuntur, ut præsertim potiri videtur Religio Minorum observantium.*

Ad allatas probat. & 1. ex cit. juribus, 2461
de quibus supra, &c. illa jura non esse contra Regulares Ordinis Mendicantium; & eas Ecclesias, quæ 40. annis ante Trid. fundatæ quartam solvere non solebant; nec etiam eas, quæ tunc fundatæ non erant; nec demum alias, quæ specialiter exemptæ sunt indulto Pontificio, quale indultum, ut diximus, Cardinalis de Luca num. præced. in Minoribus de observantia, consequenter omnibus, qui cum eis in privilegiis communicant; nec per Tridentinum privilegiis ante illud concessis derogatum esse, constat ex *n.* 2445. Quod adducitur ex decretis triplicis Concilii Mediolanensis, non servit ad eorum intentum, & militat contra ipsos opponentes. Primo enim, quòd citent *triplex* Concilium, errore non caret; nam, ut videri potest apud Joannem Cabassutium de Notitia Conciliorum S. Ecclesiæ c. 32. duo tantùm extiterunt, non tria Concilia Mediolani, ubi agebatur solùm de novis Orthodoxorum Episcoporum dubiis, & Ecclesiarum ab Arrianis clade, uti clare annotat pag. 163. citatus Author.

Deinde, esto daremus totum, quod ex 2462
illis Mediolanensibus Conciliis, seu Synodis affertur, nihil faceret pro his terris, & in ordine ad non subditos provinciæ illius Archiepiscopalis; cùm contineant solùm decreta Concilii *provincialis*, non *generalis*, quæ vim non obtinent extra provinciam; neque vim habent derogandi his, quæ Tridentini, & Pontificum posteriorum decretis constituta sunt. Demum, si rectè attendantur verba primi Concilii Mediolan. relata *num.* 2459. sunt contra ipsos; cùm expressè dicant, cereos, & reliqua omnia ita intelligi Deo oblata, *ut ejus Ecclesiæ sacristiæ* addicta sint, *ad quam ea, & cadaver deferuntur*; sed hæc deferuntur ad Ecclesiam *sepelientem*; ergo, si Ecclesia Parochialis non sit Ecclesia *sepeliens*, sed *alia*; ad hujus, non parochialis Ecclesiæ Sacristiam pertinebunt.

Ante respons. ad decisionem Sacræ 2463
Congregationis, de quâ *n.* 2442. not. *per fune-*

funerale non factum, intelligi non factam prius à defuncto dispositionem circa funerales expensas; quo casu, si hæredes defuncti vel noluerunt, vel minùs decenter, juxta statum defuncti, funus curare voluerunt, æstimari Romæ solet *quantum*, quod faciendum erat pro funere, & hoc dicitur *funerale taxatum*; sicut *funerale factum*, si ipse defunctus, ante pro funeralibus expensis, reliquit dispositionem; hanc dictorum terminorũ explicationem continebat ipsa S. Congregationis impressa decisio, quam ipse legi; quo posito. ℟. decisionem S. Congregationis in utroque casu Romanæ illius controversiæ inter dictas duas Ecclesias, factam non præjudicare dictis, nec favere cismontanis Ecclesiis parochialibus, contra alias Ecclesias, quas iteratò jam diximus non teneri ad quartam, etiam intortitiorum. *Non præjudicat dictis*; quia ibi Ecclesia *sepeliens* contra Parochialem prætendebat *totum funerale factum*, vel *taxatum*, sub quo etiam venit *stola*, seu quod ex funeribus juxta laudabilem fidelium consuetudinem transivit *in debitum parochiæ persolvendum*, situm nempe *in certa pecuniæ summa*, juxta ordinem stolæ; hinc, ut notavimus ex c. *ad Apostolicam*, relato supra *num.* 2450. hoc nullatenus negari potest Ecclesiæ parochiali ab alia Ecclesia, cadaver parochiani sepelientę; unde meritò, & contra Ecclesiam Lateranensem, & illos Regulares pro parochiali Ecclesia decisum est, huic, non illis Romæ deberi funerale factum, vel taxatum. *Non favet etiam Cismontanis Ecclesiis parochialibus*; quia decisio facta est *juxta usum Urbis Romanæ*, receptum ibi, inter Ecclesias parochiales, & Ecclesias sepelientes non suum parochianum; nimirum, *ut quoad intortitia fiat divisio*, & medietas maneat Ecclesiæ sepelienti; altera medietas cedat Ecclesiæ parochiali: hic autem usus non est in his partibus, cùm attendi debeat locorum consuetudo, ut constat ex dictis, & in quibusdam ab Ecclesia sepeliente (non exempta ab onere solvendi parochiæ canonicam portionem funeralem) non ubique debeatur medietas, vel tertia; sed tantùm quarta pars, & à quibusdam Ecclesiis (de quibus à *num.* 2441.) nihil.

2464 Ad id, quod in *num.* 2459. sub finem additur, ℟. 1. N. quòd Ecclesiæ, non parochiales Regularium, non habeant *jure communi* jus sepulturæ secularium non suorum, ratio constat ex dict. à *num.* 2391. ℟. 2. dato, quòd habeant *mero privilegio*, & privilegium privatæ Religioni concessum non præjudicet locorum consuetudini; hoc tamen non ita crudè accipiendum est; nam immunitas ab onere, solvendi portionem funeralem parochiæ, non est privilegium *privatæ* religioni, sed omnibus Ordinibus Mendicantium competens; 2. non est concessionis *privatæ*; sed Concilii generalis quoad omnes Ecclesias, quæ 40. annis ante Tridentinum fundatæ non erant; aut etiam fundatæ quidem, sed illam solvere solitæ non erant, ut jam sæpe ostensum est; 3. dispositio Concilii generalis, & privilegium in ea fundatum, derogat etiam consuetudini fundatæ *in jure communi*; at consuetudo locorum, quòd *in hoc* solvatur *quarta*; in alio, *tertia*; in altero, *medietas*, est consuetudo fundata jure communi; imò ipsum debitum nunc *solvendi aliquid* Ecclesiis Curatis, *occasione funerum*, fundatur *in sola consuetudine jure communi approbata per Ecclesiam*, ut constat ex c. *ad Apostolicam*, de quo *num.* 2450. ergo immunitas ab onere solvendi quartam ex privilegio competens Ordinibus Mendicantium, & aliis Ecclesiis, fundata in dispositione Concilii generalis, prævalet etiam adversus talem locorum consuetudinem in jure communi fundatam; alia verò, quam Curati prætendunt, jure probata non est, nisi quæ pia fidelium devotione introducta est, ad quam observandam foret obligatio ex dict. c. *ad Apostolicam*.

ARTICULUS ULTIMUS.

De reliquis ad hunc titulum pertinentibus.

INter casus occurrentes, de quibus subinde quæstio movetur à Curatis, etiam ea esse potest dubitatio, an Religiosus moriens extra Monasterium, v. g. in itinere, vel in domo alicujus secularis, apud quem cum Superiorum venia versabatur, recipiens in agone sacramenta de manu Parochi loci, possit, *etiam irrequisito Parocho* deferri ad suum Monasterium, ut ibi sepeliatur? ℟. posse; quia quilibet Parochia- 2465

chianus (nisi sibi elegerit sepulturam alibi, vel habeat sepulturam alibi Majorum suorum) etiam invito Parocho loci, ubi per accidens decessit, sepeliendus est in Parochia sua, ut constat ex præmissis juribus, & tradit Layman *l. 3. tr. 6. c. 12. num. 8.* Bordonus *tom. 2. resol. 51. num. 170.* Pellizarius in Manuali Regular. *tom. 2. tr. 8. c. 5. 137. ex Declar. Sacr. Congreg.* relatâ à Peyrino *tom. 2. privil. Constit. 7.* Pii V. *num. 11.* Mancinus *tract. de infirmis, in ordine ad sepult. D. 31.* Hoc extenditur etiam ad Novitios, cùm in favorabilibus gaudeant jure Professorum; sic Mancinus cit.

2466 Quæstio altera esse potest, an in eo casu, quo cadaver Religiosi in aliena Parochia, per accidens defuncti, ad suam Ecclesiam abducitur, Parocho loci, in quo decessit, debeatur solutio juris parochialis, & quartæ funeralis? Ad 1. negativè respondet Bordonus *cit. num. 170. ex declar. S. Congreg. facta*, 1620. Mancinus *cit. D. 31.* Ad 2. pariter R. negativè cum Mancino cit. & Pelizar. *cit. num. 137.* tum quia id declaravit S. Congregatio 1615. 22. Maji. tum quia debitum quartæ funeralis, & solutio juris sepulturæ fundatur in eo, quòd quis sit *subditus illius Parochiæ*, vel officium funeris illi à loci Parocho sit impensum; & ratio est, quia nullo jure ostendi potest, deberi aliquid Parocho loci, quando exinde ad sepulturam propriam avehitur cadaver alicujus in loco parochiæ ejus per accidens defuncti, quando nullum illi ministerium spirituale impendit; si alleges consuetudinem; teneris probare inductam esse fidelium devotione; non Parochorum exactione, per c. *Ad Apostolicam*, relatum *num. 2450.*

2467 Neque dicas: ergo saltem ei solvenda erunt jura parochialia, si quod illi spirituale ministerium impendit, v. g. viaticum porrexit, vel extremum Sacramentaliter unxit, esto defunctus inibi sepultus non sit, R. cum distinctione illati: ergo saltem ei solvenda erunt jura parochialia, quæ debentur in ministratione illorum Sacramentorum, transeat; quæ debentur ratione funeris & Ecclesiasticæ sepulturæ, N. illatum. Si dicas, esse consuetudinem contrariam, vi cujus etiam in tali casu solutio fieri debeat loci Parocho. R. in hac materia claro jure reprobari omnes consuetudines exactionum, quæ fiunt à Curatis, & Parochis, occasione funerum, præter illam, quæ piâ fidelium devotione introducta est, c. *ad Apostolicam*, de quo *num. 1450.* id, quod pluribus ostensum est, tum supra; tum *l. 5. tit. 3. de Simonia.*

Deinde certum est, non quamlibet con- 2468
suetudinem inducere jus, ut per se notum est; unde frequens usus, quo ejusmodi exactiones continuantur (plerumque cupiditate avaritiæ) sine libero consensu parochianorum (adversus quos talis consuetudo inducitur) imò quandoque consensu coacto (ut in facti contingentia certum est) quia cadaver secùs non dimittebatur, nullo modo est consuetudo juris, sed meri facti, cui consensus legalis Principis Ecclesiastici (sine quo nullum jus induci potest) nullo modo vim tribuit. Accedit, quòd unus, vel alter Curatus non valeat consuetudinem legitimam inducere; cùm hoc sit Communitatis liberè talem usum frequentantis tanquam utilem communi bono, de quo *l. 1. tit. 4. de Consuetud.*

Tertia quæstio est, de cujus manu Re- 2469
ligiosus, extra suum Monasterium ægrotans ad mortem, debeat recipere viaticum, & extremam unctionem? R. quòd de manu sui proprii Prælati Regularis, vel alterius ab ipso delegati; si talis adsit, quia sacramenta recipi debent à propriò Pastore; sic Pelliz. *cit. num. 138.* allegans sic practicatum esse sæpius sine contradictione; & rio est, quia jus Parochorum non extenditur se ad non subditum, at talis infirmus (qui per accidens in eo loco est, & infirmatur) non est subditus, cùm nec sit de illius territorio, nec alio titulo illi subjectus tanquam Pastori; ergo nullo titulo talem functionem, tanquam sibi debitam, exigere potest, præsertim, ubi talis infirmus est etiam personaliter exemptus.

Quarta quæstio est, an Rectori Eccle- 2470
siæ, in qua certa familia habet propriam sepulturam, liceat alium in eadem sepelire invitâ familiâ, vel possessore, ac hæredibus ejus? R. quòd non, nam cùm jus sepulturæ in tali loco, *prose, & suæ familiæ*, ex ipsa istorum terminorum appositione restringatur ad casus expressos, si sine consensu eorum, quorum tale jus est, Rector Ecclesiæ apponeret alium, directè contraveniret illorum juri, si tamen tota progenies

nies illius extincta sit, multi censent, usum talis capellæ, & sepulturæ aliis concedi posse. Procedit autem resolutio primæ partis tam de fundatore Ecclesiæ, vel Capellæ, in qua sibi sepulturam construxit, quàm de eo, qui in tali loco sibi jus sepulturæ comparavit; de quo Layman *l. 4. tr. 2. c. 13. à num. 14.* sed hoc solùm intellige de his, qui sepulturam ibi compararunt, non tamen Ecclesiæ, vel Capellæ fundatore, vel dotatore.

2471 Præterea notand. insignia talium Fundatorum, vel habentium jus sepulturæ, in eorum, aut familiæ memoriam in sepulchro posita, nisi ex gravissima causa, non debere auferri, etiam extinctâ familiâ, propter multas causas, apud Layman *cit. num. 15.* posse tamen interim etiam aliorum novorum benefactorum sepulchra, & insignia in Capellam admitti, sic tamen, ut maneat distinctio, & notio primi Fundatoris; sic Layman cit. plurimùm enim interesse potest aliquando alicujus familiæ, ubi antiquitas Nobilitatis à pluribus retro annis probanda fuerit, vel connexio familiarum, in quem finem adducta ejusmodi monumenta magnam vim habent.

2472 Not. 2. Confraternitates Laicorum ex consuetudine posse recipere oblationes, dummodo nil sibi applicent, sed in pios usus totum convertant; Fagnanus in c. *Pastoralis*, de his, quæ fiunt à Prælat. *num. 22.* nec quartam funeralium deberi Parocho ex cereis Confraternitatum secularium funera associantium; Barbos. in Trid. *sess. 25. de reform. c. 13. n. 8.*

2473 Not. 3. sepulturam, seu jus liberè recipiendi aliquem ad sepulturam præscribi posse, sic Fagnanus in c. *Cùm olim de præscript. num. 25.* nec electionem sepulturæ in alia Ecclesia, præter Parochialem posse per Parochum impediri, per Barb. in Trid. *cit. num. 18.* Not. 4. defunctorum cadavera in alterius Parochia existentia, & in Ecclesiis Fratrum sepelienda, prius ad Ecclesiam Parochialem deferri debere ad benedictionem, & ultimum vale à Parocho recipiendum, per Barbos. in Trid. *sess. 25. de reform. c. 13. num. 15.* sed in hoc tenenda est loci consuetudo.

Not. 5. quòd si proprius Parochus ab 2474
iisdem Fratribus moneatur prius, & inquiratur, ac exspectetur, ipseque venire recusset, tunc ipsos Fratres posse supradicta cadavera ab ædibus defunctorum ad suas Ecclesias recto tramite deferre, ipso Parocho etiam invito, sic Barbos. *loc. cit.* in casu autem, quo defunctorum cadavera deponuntur in Parochiali, ut inde transferantur ad Ecclesiam Regularium, in qua elegerunt sepulturam, nihil deberi Ecclesiæ Parochiali, exceptis juribus Parochialibus, Barbos. *cit. num. 17.* funus autem ducere, & prosequi tenetur Parochus usque ad Ecclesiam Regularium, si in ea defunctus sepeliri debeat, Barb. *cit. n. 23.* & ad hunc spectat declarare, per quam viam exportandus sit defunctus, Barb. *cit. num. 24. qui num. 34.* rectè notat, quòd Parochi non debeant *plus exigere* pro tumulandis cadaveribus *exterorum*.

Not. 6. Regularibus sub pœna excom- 2475
municationis prohibitum esse, seclusò speciali privilegio, vel licentiâ Parochi speciali obtentâ, moribundis ministrare Eucharistiam in viaticum, *Clement. 1. de privileg.* sed hanc pœnam non incurrunt ministrantes illud Sacramentum per ignorantiam, ut constat ex *l. 5. in tract. de Censuris*; quod maximè procedit de ignorantia *probabili*, qua credit Religiosus Parochiano asserenti, se habere licentiam proprii Parochi ad Eucharistiam eo casu ab alieno sacerdote recipiendam. Tali enim fides haberi potest à Religioso, imò, ut Regularis, præsertim in periculo mortis, licitè ministret Sacramentum Eucharistiæ, sufficit licentia tacita Parochi, vel Papæ, quam tunc adesse rectè docet Quintanaduennas *tract. 5. singulari 3. num. 3. si infirmus alioquin sine hoc Sacramento decederet*, qualiter autem intelligendum sit, quòd *inducentes* ad eligendam sepulturam in propria inducentium Ecclesia, excommunicentur, Clement. *Cupientes. §. fin. de pœnit. diximus à num. 2435.*

QVÆSTIO XXIX.

IN TIT. XXIX. DE PAROCHIIS, ET ALIENIS PAROCHIANIS.

2476 DIctum est præcedente titulo de sepulturis, quæ communiter fiunt in Ecclesia parochiali, seu illa, in qua defunctus Sacramenta, dum viveret, recepit, aut recipere debuit; titulo de sepulturis, iste subjungitur de parochiis, & quamvis etiam aliis Ecclesiis jus sepulturæ competat, ut dictum est præcedente titulo, discrimen tamen est in hoc. 1. quòd Ecclesiæ non parochiales possint, non tamen teneantur ad sepulturam recipere defunctos, esto alibi non elegerint sepulturam, nisi habeant in iis sepulturam suorum Majorum, vel jus aliquod titulo fundationis, &c. parochialis autem teneatur suos parochianos recipere ad sepulturam, nisi alibi habeant vel propriam, vel ex electione. 2. quòd Ecclesiæ sepelienti, si non sit parochialis, non debeatur funeralis portio canonica, secùs parochiæ, ut dictum est.

ARTICULUS I.

De Parochiis.

2477 NOt. quòd *Parochia* quandoque latè sumatur pro tota diœcesi *c. 4. & 2. dist. 92.* quandoque propriè & strictè, pro certa alicujus diœcesis Ecclesia, quæ habet populum certis limitibus distinctum cum potestate fori pœnitentialis, & Sacramenta suis ministrandi, & hæc dicitur *Ecclesia parochialis*, vocari etiam solet *plebanalis*, *baptismalis*, & Ecclesia *matrix*, si aliàs Parochias minores, & capellas sub se habet in subsidium, quamvis propriè ac strictè nomine *matricis Ecclesiæ* significetur Cathedralis, seu Episcopalis. Ex quo colliges, illum dici *Parochianum*, qui intra limites Parochiæ habitat verè; non autem juris fictione; Parochum autem, qui populo talis territorii, vel districtûs, divinum Sacramentorum, & doctrinæ pabulum ex officio submini strat; unde hi sunt impropriè *Parochi*, quos Episcopus parœciis deputat ad nutum amovibiles, de quibus plura Azor *p. 2. l. 3. c. 12. à q. 3.*

Quæstio autem est. 1. quæ requirantur 2478
ad constituendam Ecclesiam *parochialem*? R. quòd tria *regulariter*. 1. fons baptismatis, 2. cœmiterium, seu jus sepeliendi, 3. cura fori pœnitentialis, & alia Sacramenta ministrandi intra limites sui territorii. Zerola in praxi Episcopor. V. *Parochia*. Parochia debet non minus, quàm 10. Parochianos, hoc est, distinctas domus, seu familias habere, ad hoc, ut proprium super se habeat sacerdotem, alioquin aliis Ecclesiis conjungi debet, c. *Unio.* 10. *q. 3. Barbos. de officio Parochi, p. 3. c. 1. num.* 10.

Quæstio altera est, in quibus consistat 2479
jus Ecclesiæ Parochialis? R. quòd in seqq. 1. ut Parochiani in illa baptismum, & alia Sacramenta percipiant, 2. ut in illa diebus festis, & dominicis divina audiant, quamvis hoc jam abolitum sit contraria consuetudine; Nuptiæ in illa solemni ritu celebrentur, & nubentes benedicantur, 3. ut in illa Parochiani sepeliantur, nisi alibi elegerint sepulturam, vel alibi habeant sepulturas Majorum: ut decimas, oblationes, & primitias solvant, & præstent Ecclesiæ Parochiali, de quibus V. Azor. *p. 2. l. 3. c. 12.*

Circa prædicta Ecclesiæ parochialis jura 2480
not. 1. quantum est ad obligationem in Ecclesia parochiali recipiendi baptismum, & alia Sacramenta recipienda à proprio sacerdote, vel Parocho, non intelligi nisi de Sacramento baptismi, Eucharistiæ pro Viatico, & extremæ unctionis, quæ suis præstat Parochus tanquam Minister, de matrimonio autem, tanquam Testis Ecclesiæ, de quibus jam actum est suis ubique locis, & titulis: quantum ad Sacri auditionem in Ecclesia Parochiali, consuetudine, ut diximus, obligatio hæc abrogata est, praxim hanc non improbante Ecclesia, ut amplius constabit ex dicend. quæ verò pertinent ad benedictiones nuptiarum, constant ex *l. 4. decret. à num. 728. & 1863.* & ad assistendum matrimonio, *ibid. à num. 623.*

Quod

2481 Quod autem dicitur ex c. *ut dominicis. 2. h. t.* ibi: *ut dominicis vel festivis diebus Presbyteri, antequam Missam celebrent, plebem interrogent, si alterius parœcianus in Ecclesia sit*, qui proprio *contempto* Presbytero ibi velit Missam audire: quem, si invenerint, *statim ab Ecclesia abjiciant*; accipiendum est de alieno parochiano non utcunque audire volente Missam illis diebus extra suam Parochiam, sed si hoc faciat *ex contemptu proprii Presbyteri*, ut ait textus; hinc cessante hujusmodi contemptu, secùs dicendum est, ut notat Sylvester V. *Missa. 2. num. 5. Navarr. in Manuali, c. 21. n. 5.* nec obstare contemptum propterea, quòd proprius alicujus Parochus sit notorius fornicator, vel excommunicatus, tradit Farinacius in praxi crimin. *p. 5. q. 138. n. 8.*

2482 Quæ pertinent ad sepulturas Parochianorum, & quartam funeralem Parochiæ debitam, si sepeliantur in aliena Ecclesia, exposuimus *tit. præced.* quæ ad solvendas decimas, oblationes, & primitias, dicemus in seqq. qualiter impetrari beneficia curata per concursum? qualiter aliis Ecclesiis uniri? qualiter, & quando dividi, seu dismembrari? de beneficiis curatis, & parochialibus in genere, ex prioribus titulis.

2483 Præter hæc in *c. 1. h. t.* proponitur quæstio, qualiter dividi debeat Parochia latè sumpta (nimirum *Episcopatus*, seu *Diœcesis*) quando cum parte plebis Episcopus fit hæreticus, si, postquam alius Episcopus Catholicus ad eum Episcopatum electus est, ille hæreticus cum plebe revertatur ad fidem, & dispensativè admittatur ad eundem Episcopatum? & ibidem hæc redditur resolutio, quòd in tali casu duo illi Episcopi debeant Parochiam, seu plebem, inter se æqualiter dividere, ita, ut una pars ad Episcopum reversum, altera pars dimidia, ad Episcopum novum, & priori substitutum pertineat.

2484 Si autem quæras, quis facere debeat eam divisionem? 2. cujus sit prius ex partibus divisis eligere? 3. quid agendum, si tantùm una sit Parochia? 4. quid, si plures, sed non recipientes divisionem æqualem? Ad. 1. R. quòd, qui inter illos duos Episcopos est antiquior; alter autem eligat, ex quo patet ad 2. ad 3. R. quòd si unus tantùm locus sit, seu Parochia, in qua ab aliquo tempore Catholici & Donatistæ fuerunt, tum ad eum Episcopum pertineat, in quem plebs consenserit. Si verò non consentiant, sed Catholici antiqui velint suum Episcopum, illi verò, qui recens conversi sunt, suum: tum ille, quem plures elegerunt, præferendus est ei, quem pauciores elegerunt: sin autem partes sint æquales, ille Episcopus præferetur, qui diutius Episcopatum gessit. Ad. 4. R. si plura loca, seu parochiæ Diœcesis reperiantur, in quibus ambæ partes, utriusque Religionis incolæ fuerant, ut non possint æqualiter dividi, quia numero impari sunt: tunc divisis aliis locis, quoad unum locum remanentem fieri debere, prout supra dictum est in casu, si unicus tantùm locus sit, sic dict. c. 1.

Circa hunc casum not. in hoc c. esse casum specialem, quòd Episcopus, in hæresin lapsus, & reversus, Episcopatui fuerit restitutus, nimirum propter circumstantias loci, & temporis; quia nimirum Episcopus reversus adhuc erat in possessione, non poterat congruè removeri, dominantibus tunc adhuc in Africa Donatistis, ad quos ante defecerat, prout colligi potest ex 24. q. 4. c. *Pietas*. 24. §. *si inquiant*. 2485

Quæstio. 3. est, an fines Parochiarum præscribi possint? sed de hoc jam egimus *l. 2. tit. 26. de Præscript. à num.* 2326. 2486

Quæstio 4. est, an Episcopus possit alienum Diœcesanum ordinare? nam hæc proponitur in c. *Nullus*. 3. *h. t.* ubi dicitur, quòd Episcopus alterius Parochianum (hoc est, diœcesanum) sine ipsius licentia, ordinare non possit, ac proinde judicare; nisi eo domicilium transtulerit; sic enim fit subditus etiam ad recipiendos ab ejus loci Episcopo ordines, de quo V. *dict. lib. 1. tit. 11.*

ARTICULUS II.

De Parocho, ac ejus obligationibus.

PArochorum nomine vocabantur apud Veteres (ut notat Cabassutius in tract. de Notitia Conciliorum, pag. 137.) qui salem, & ligna, & in universum omnia victui necessaria suppeditabant iis, qui Reipublicæ causâ peregrè ibant; & generalius, conviviorum exhibitores, nec non nuptiarum auspices, & paranymphi: nunc verò animarum Pastores, qui ex officio in Ecclesia populo divinum Sacramentorum & doctrinæ sacræ pabulum subministrant. 2487

§. 1.

De Parochi obligatione ad celebrandum.

2488 COmmunis doctrina est, quòd Parochi vel per se, vel per alios, teneantur missam celebrare illis diebus, quibus populus obligatur audire missam: sed quia in Trid. *sess.* 23. *de reform. c.* 1. dicitur: cùm *præcepto divino* mandatum sit omnibus, quibus animarum cura incumbit, oves suas agnoscere, *pro his sacrificium offerre &c.* quæstio est, *an Parochus teneatur missæ sacrificium pro suis ovibus applicare?* Barbosa *de offic. & potest. Paroch. c.* 11. *n.* 10. motus allatis verbis Trident. resolvit, verius esse, eum teneri, juxta arbitrium boni viri; & ad *cit. loc. Trid. n.* 4. addit: sacram Congregationem consultam, *an Parochi illis diebus, quibus pro suis ovibus tenentur missam celebrare, possint manualem eleemosynam pro illo sacro accipere?* respondisse. 1. Septemb. 1629. *non posse.*

2489 Econtra Navarrus in manual. *c.* 25. *n.* 92. Suarez *tom.* 3. *D.* 86. *S.* 1. cum pluribus aliis tenent absolutè, Parochos, iis diebus, quibus tenentur celebrare, non teneri ad missam pro suis ovibus applicandam, quia obligatio *ad celebrandum*, & obligatio *ad applicandum* missæ fructum, sunt diversa. Verùm Trid. dicit eos teneri, *pro suis ovibus sacrificium offerre*, quod videtur idem sonare, ac *applicare*. Videtur tamen, hoc non obstante, à Tridentino per illa verba: *pro suis ovibus sacrificium offerant*, aliud non intelligi, quàm obligationem celebrandi, & offerendi sacrificium, ut oves illis concreditæ, cùm obligantur, audire queant. Nam etiam ille, qui celebrat pro ejus commodo, qui missam audire debet, pro illo, seu in ejus commoditatem, *celebrare* dicitur. Et hinc existimo, non exigi aliam oblationem, quàm, ut in communi etiam suarum ovium in sacrificio meminerit, qualiter in oblatione, cùm offertur hostia, à sacerdote fit oblatio pro peccatis suis, *pro omnibus circumstantibus, & omnibus fidelibus Christianis, vivis, atque defunctis*, quod pertinet ad fructum generalem.

2490 An autem illis diebus, quibus populo celebrare tenetur Parochus, esto illi sacrificium applicare non teneatur, possit stipendium accipere pro illa missa, hanc alteri applicando, quæstionis est dubiæ, ait Barbos. *cit. num.* 11. & resolvit tandem non posse; quia sic prohibuit Concil. Trid. Congregatio in decreto de celebrat. missarum, de mandato Urbani VIII. emanato, ibi: *Sacerdotes, quibus diebus tenentur missas celebrare ratione beneficii, seu capellæ, legati, aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam missis celebrandis susceperint, non possunt eâdem missâ utrique obligationi satisfacere.*

Videtur tamen mitius dicendum, pro 2491
quo not. 1. cùm datur aliquid (pecunia v. g.) pro celebranda missa, illud posse accipi vel ut pretium ipsius spiritualis fructus missæ, & sic illa acceptio est Simoniaca, & illicita; 2. ut pretium laboris in faciendis iis actionibus, quæ intrinsecè pertinent ad ipsam celebrationem, ut est labor induendi vestes sacras, dicendi tot orationes, &c. 3. ut pretium laboris, qui suscipitur propter circumstantias aliquas extrinsecas, qualis est ire ad locum distantem, in tali tempore, &c. 4. ut pretium sustentationis ipsius sacerdotis; 5. ut pretium obligationis, quam in se recipit sacerdos ad fructum alteri applicandum; 6. ut meram eleemosynam, seu donum merè gratuitum. De primo titulo jam constat ex dictis: de secundo videtur idem esse; nam labor intrinsecus missæ est ipsa missa, pro qua pretium accipere, simoniacum est. Ex aliis autem quatuor titulis accipere stipendium licet; ita communis.

Not. 2. quòd fructus Missæ sit triplex. 1. 2492
generalis, quem Ecclesia vult à quolibet sacerdote applicari certis personis in qualibet missa, ut Pontifici, Imperatori, vel Regi, Episcopo, &c. & hic non est in libertate sacerdotis; sed pendet ex instituto Christi, & Ecclesiæ; 2. *specialis*, seu medius, cujus quantitatem taxavit Christus ad mensuram solùm finitam, ut docet Suarez *de sacrific. D.* 79. *s.* 12. §. *Dico.* 2. esto Castropalaus *de sacrific. D. unic. p.* 7. *n.* 11. velit esse infinitum; & hic fructus cedit illi Fideli, pro quo sacerdos missam applicat. 3. *specialissimus*, seu *personalis*, qui cedit ipsi sacerdoti celebranti, & videtur idem esse, ac fructus nascens ex opere operantis; sicut specialis, nascens ex opere operato; his præmissis:

Cùm

2493 Cùm ex dict. *num.* 2491. verè probabile sit, Parochum etiam iis diebus, quibus tenetur celebrare populo, non teneri ad applicandum populo fructum missæ specialem; sed obligari ad solam præsentiam, seu officiaturam, & laborem intrinsecum missæ cum fructu generali, omnino etiam probabile censendum est, posse Parochum illis etiam diebus accipere stipendium eo titulo, ut danti fructum missæ specialem applicet; ita Card. de Lugo *D.* 21. *de Euch. s.* 1. *num.* 21. qui scripsit post *cit. decret. Congreg. Trid. relatum in num.* 2488. quia in dato casu fructum specialem applicare huic, vel illi, liberum est celebranti; & applicatio fundata in uno ex quatuor titulis relatis à *num.* 2491. non est simoniaca. Ad decretum Congreg. in *num.* 2488. ℟. ipsum loqui solùm de illis, qui titulo Capellaniæ, legati, vel salarii habent obligationem expressam *applicandi pro Fundatore*; non autem illis, qui eo titulo solùm habent obligationem præsentiæ, seu officiaturæ; non autem intentionis applicandi fructum missæ.

2494 Præter dicta; not. 3. Parochum, cùm populo celebrare tenetur vel per se, vel per alium, debere hoc facere in propria Ecclesia, à Sacr. Congreg. esse decisum, referri à Barbosa *cit. num.* 3. qui in Trid. *sess.* 21. *de reformat. c.* 4. notat, ab Episcopo cogi posse Rectores Ecclesiæ Parochialis, adjungere alios Clericos ad administrationem Sacramentorum, & divina officia, si unus Rector non sufficiat, à Rota Rom. decisum esse; nec, ut hoc Episcopus faciat, exspectari debere, quòd Parochiani decedant sine Sacramentis; quamvis ex vi hujus decreti non possit Episcopus exigere Coadjutoriam; sic Barb. *cit. num.* 2. & 3. *addens num.* 4. ex eo, quòd Curatus eodem tempore pluribus infirmis providere non possit, non dari justam causam dividendi Parochias, sed adhibendi Ministros Coadjutores.

2495 Not. 4. in quæstione, an Parochi etiam aliis intra hebdomadam diebus celebrare teneantur? standum esse toleratæ consuetudini regionum, tradi à Fernandez in *Exam. Theol. mor. p.* 4. *c.* 15. §. 5. *n.* 2. nunquam autem ullo feriali die intra hebdomadam celebrare, sine justa causa, cùm privet suos tam sancto solatio, meritò arguit ejusmodi Pastorem perquam socordis curæ commissarum ovium. Cœterùm non obligari Parochum in die Natalis Domini ad tres missas celebrandas; sed satisfacere, si unam dicat; sic Navar. *de celebr. missar. consil.* 1. *n.* 2. sed intellige, nisi consuetudo recepta aliud exigat: Episcopum porrò posse concedere Parocho ob defectum Sacerdotum, quòd in diebus festis urgente necessitate bis celebret; sic resolvit Sacra Congreg. 13. Maji 1628. cùm id peteret administratio Passaviensis pro Austria superiore, ubi expulsis hæreticis erat penuria sacerdotum; sed intellige, quam diu est talis necessitas; de hoc V. dicenda in seqq.

Not. 5. quòd Parochus populum suum 2496
cogere non possit, ut missam audiat in Parochia; quia in Trid. *sess.* 22. *in decret. de observand. in celebr. miss.* solùm dicitur: *moneant*; & sic decisum esse à Leone X. refert Barbos. *cit. num.* 15. modò non fiat ex contemptu proprii sacerdotis, quo intelligitur contemptus expressus cum indignatione, & convitiis in proprium Pastorem jactatis, ut notavimus *num.* 2481. Et ideo rectè addit Barbos. *cit. num.* 18. hodie ex consuetudine, universo pene mundo recepta, scita, & tolerata ab ipsis Parochis, præcepto audiendi missam à Fidelibus satisfieri, audiendo quamcunque missam extra Parochiam, etiam in sacello, aut Oratorio privato, ubicunque voluerint, etiam in majoribus solemnitatibus totius anni; qui pro hac opinione refert Navarr. Gutierez, Suarez, Azor, & alios cum Fagundez *in* 5. *præcepta Ecclesiæ l.* 2. *c.* 3. *num.* 8. Et hæc opinio, ait Azor *p.* 2. *l.* 7. *c.* 6. *q.* 6. *Navarr. Suar. & alii*, adeo est vera, ut Episcopus non possit constitutionem facere, qua præcipiat suis subditis, ut non audiant sacrum, nisi in propriis Parochiis, & excommunicationem esse nullam, si fortè sub illa præciperet. Nec obstat *c.* 2. de Parochiis; nam illud non amplius est in vigore, ubi abest contemptus, ut dixi supra. Nec etiam obstat, quòd quando conceditur facultas celebrandi in Oratoriis privatis, communiter addatur ea clausula: *volumus autem, quòd familiares servitiis tuis non necessarii, ibidem missæ interessentes, ab obligatione audiendi missam in Ecclesia diebus festivis de præcepto, minimè liberi censeantur.* Quia, ut notamus alibi,

Pellizarius *tom. 2. Man. Regul. tr. 8. c. 2. f. 2. subs. 2. q. 14.* & Castropalaus *tr. 12. de Euch. Sacrif. D. unic. p. 16. num. 13.* valde probabiliter docent, illam clausulam prohibitoriam poni ex stylo curiæ, si fortassis alicubi non est abrogatus antiquus usus seu ritus, quo missa in Parochia audienda erat; at ubi ritus ille abrogatus est, uti constat in his partibus, ea clausula perinde se habet, ac si non esset apposita; quidquid in oppositum doceat Tamburin. *l. 1. celebr. missæ, c. 4. n. 36.*

2497 Not. 6. Regularibus nullo modo etiam ab Ordinario prohibitum esse, missas celebrare, & campanas pulsare in suis Ecclesiis ante celebrationem, & pulsationem in Ecclesia Parochiali; ita resolvit Sacra Congreg. Trid. apud Barb. *cit. num. 21.* nec posse prohiberi celebrationem missæ in Oratorio ruri ædificato per Laicum, antequam celebretur missa in Parochiali, & matrice Ecclesia; Barb. *cit. n. 23. ex decis. Congreg. Trident. & Rituum.*

2498 Not. 7. à Parochis (idem dic de aliis Presbyteris) missas *votivas* dici posse quolibet die extra Dominicam, non impedito officio duplici. Excipe in hoc secundo casu, nisi urgeat rationabilis causa; sic Barb. *de offic. Parochi, c. 11. num. 24.* qui addit *num. 28. ex decis. Congreg. Rit. 28. Aug. 1626.* etiam in diebus, quibus prohibetur fieri de duplici, non posse dici missas *votivas*, ut infra octavam epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, in hebdomada majori, feriâ IV. cinerum, in vigiliis Nativitatis Domini, & Pentecostes; excipe. 2. nisi in ejusmodi feriam incideret festum, cui annexæ sunt indulgentiæ, quæ translato festo non transferrentur; si quæras, an dicere liceat votivum, solùm ideo, quia brevius est? Gavantus cit. meritò respondet, talem intentionem esse irrationabilem; intellige, nisi alia causa exigat brevitatem, v. g. iter instans, &c. His adde, eo die feriali, quo resumenda foret missa Dominicæ præcedentis impedita, non licere dicere votivum; Gavant. *in rubr. missal. p. 1. tit. 4. V. Votivis, num. 3.*

2499 Not. 8. Missas pro defunctis, ritu *de Requiem*, non dici licitè in Dominicis, & festis diebus; excipe, nisi insepulto, & in Ecclesia præsente cadavere defuncti; ita decrevit sacra Congregatio Rit. 23. Maji, 1603. quod intellige, ut notat Barb. *cit. n. 27.* ubi viget consuetudo sepeliendi defunctos cum Missa. Si quis autem moriatur in die Paschæ, corpus ejus reservandum est in diem sequentem, ob reverentiam Paschæ, habetur ex Rituali Rom. Pauli V. *tit. de Exequiis.* Quod diximus in festo duplici de præcepto non licere dicere Missam *de Requiem*, verum est, etiamsi tale festum duplex incidat in diem assignatum pro altari privilegiato: Sacr. Congreg. Rit. 24. Apr. 1627. Hinc si Missæ tales certo die dicendæ sint ex obligatione, eo die impedito debere transferri in sequentem, decrevit eadem Congregatio. 27. Sept. 1608.

Not. 9. circa prædictas Missas *de Requiem* ab Alexandro VII. in decret. seu Brevi edito. 5. Aug. 1662. & altero 22. Jan. 1667. districtè prohiberi *missas de requiem in die*, quo celebrandum est festum *duplex de præcepto*, sed simul addi: *hoc suo decreto non comprehendi anniversaria, & missas defunctorum cantu ex dispositione Testatorum, quot annis, recurrente die obitus ipsorum celebrandas, esto incidant in festum duplex de præcepto*: 2. si quis habet obligationem celebrandi missam *de Requiem* in certo die, & eo die propter festum *duplex de præcepto* non possit licitè celebrare talem missam, satisfacere celebrando *missam currentem de festo*, & *indulgentias* (cæteroquin annexas Missæ de Requiem) concessas animabus fidelium defunctorum, in purgatorio existentium perinde illis à celebrante Missam *currentem* obtineri, acsi tunc Missam defunctorum pro eis dixisset; sic Alexander VII. 22. Jan. 1667. & Clemens. IX. 23. Sept. 1669. 2500

Si quæras, quid agendum, si festum aliquod ex *solemnioribus* (annuntiationis) incidat in diem Sabbathi hebdomadæ majoris? quid, si in cœnam Domini, vel Parasceves? Ante resolut. nota, quòd cuilibet sacerdoti (aliunde non inhabili) privatim celebrare liceat in die cœnæ Domini, & Sabbathi Sancti; quia nulla est prohibitio, nec etiam consuetudo contraria, quæ vim legis habeat; sic Navarr. *c. 25. num. 88. Reginald. in praxi L. 29. c. 9. num. 170.* Fagundez, *Bonac. Vasq. & alii apud Barb. de offic. Paroch. c. 11. num. 49.* ubi monet, eo die (nimirum *in cœna Domini*) solùm licere celebrare, antequam 2501

tequam missa solennis sit finita, & corpus Christi in locum designatum recondatur. De Sabbatho autem sancto, ait cit. Barbos. *num.* 50. quidam probabiliter putant, eo die minimè licere celebrare; ex his est Navarrus, Reginaldus, & alii; sed longè probabilius est, licere', ut pluribus cit. docet Barbos. quia c. *Sabbatho, de consecr. dist.* 3. jam abrogatum est; attendenda tamen est consuetudo loci.

2502 Si festum, de quo est nobis quæstio, incidit in diem *Parasceves*, nemo tenetur sub gravi peccato, missam illius diei, seu potius cæremonias audire; quia missa illius diei non est missa, cùm careat consecratione corporis Christi, nec illo die sacerdotes celebrare possint; sic Barb. *cit. num.* 46. *& seq.* cum Azor *p.* 1. *l.* 10. *c.* 24. *q.* 3. *Reginald. l.* 29. *c.* 9. *n.* 170. *&c.* Not. tamen, quòd Episcopus possit dare licentiam sacerdotibus, ut illâ die (nimirum *Parasceves*, si incidat magnum festum, v. g. Annunt. B. V.) possint celebrare; & tunc populus Missam audiens, Ecclesiæ præcepto satisfacit sic, ut in illo die, in quem post Pascha translatum est festum annuntiationis, missam audire non teneatur; quia festum quoad officium, non quoad præceptum, sacro interessendi, transfertur; sic Barb. *cit. c.* 11. *an.* 46.

2503 Not. 10. in Missâ prohiberi omnibus etiam Doctoribus, & Protonotariis non participantibus, usum annuli; per Congreg. Rituum. 11. Febr. 1623. Idem dic de Canonicis Ecclesiarum Cathedralium, ex eadem Congr. 20. Novemb. 1628. apud Barb. *cit. num.* 35. usum autem pileoli in missa (etiam extra Canonem tantùm) concedi à solo Papa, & non ab alio; sic Congregatio negotiis Episcoporum & Regularium præposita. 2. Jan. 1590. & 17. Jan. 1695. V. Azor. *p.* 1. *l.* 10. *c.* 28. *q.* 16. Demum nota, quòd non possint Parochi ab Episcopo cogi (possunt eos tamen hortari) ut subministrent necessaria Presbyteris volentibus celebrare in eorum Ecclesiis; sic Barbos. *cit. num.* 51.

§. 2.

De Parochi obligatione suscipiendi Sacerdotium.

2504 PRo resolut. suppon. quòd in c. *Licet canon.* 14. *de Elect. in* 6. plura statuantur circa eum, cui Ecclesia Parochialis committitur; 1. quòd nullus ad regimen Parochialis Ecclesiæ assumatur, nisi sit idoneus, moribus, scientiâ, & ætate; 2. si de tali Ecclesia ei, qui non attigit 25. annum, de cætero collatio fiat, decernit Pontifex eam viribus carere. 3. ad hujusmodi regimen assumptus, personaliter in parochiali Ecclesia, cujus Rector extiterit, residere tenetur, & intra annum se faciat ad sacerdotium promoveri; 4. si non fecerit, Ecclesiâ sibi commissâ, nullâ etiam monitione præmissâ, sit eo ipso privatus; 5. super residentia verò possit Ordinarius ex rationabili causa ad tempus dispensare.

Ex dictis sequitur, Ecclesiam Parochia- 2505
lem illi conferri posse, qui tempore provisionis non est sacerdos actu, modò sit Clericus, & sacerdos *aptitudine proximâ*, sed hoc intellige', si Parochia conferatur in titulum; si enim in commendam, requirit sacerdotem, qui statim ei per se ipsum deservire possit, c. *nemo deinceps.* 15. *de elect. in* 6. ibi: *nemo deinceps parœcialem Ecclesiam, alicui non constituto in ætate legitima, & sacerdotio, commendare præsumat: nec tali etiam nisi unam: & evidenti necessitate, vel utilitate ipsius Ecclesiæ suadente.* Hujusmodi commendam (ut præmittitur) ritè factam declaramus ultra semestris temporis spatium non durare: statuentes, quicquid secus de commendis Ecclesiarum parœcialium actum fuerit, esse irritum ipso jure.

Sequitur. 2. quòd provisus de beneficio 2506
Curato teneatur infra annum à sibi commissi regiminis tempore numerandum, promoveri in sacerdotem; aliàs vacat beneficium ipso jure; sic Navarr. *in man. c.* 25. *num.* 117. *vers. octavo, Rebuff. in praxi benefic. tit. de non promoven.* intra annum, Zerola *in praxi Episcop. p.* 1. V. *beneficia, vers. dico quarto principaliter*; not. autem annum computari à die suscepti regiminis, & pacificæ possessionis; hanc autem tunc habere dicitur, qui non tantùm beneficium habet cum titulo, & exercitio aræ, sed etiam bonorum, & fructuum; *Rebuff. in tract. de pacif. possess. num.* 168. & constat ex c. *Commissa.* 35. *de Elect. in* 6.

Ex hoc sequitur. 3. hanc *vacationem* 2507
non induci, si provisus de parochiali Eccle-

sia

sia intra annum non susceperit ordinem sacerdotalem, si nondum *canonicè possedit*, ut expositum est *num. præced.* vel legitimè impeditus fuit, ut colligitur ex decis. sacræ Congregationis apud Barbos. in dict. c. *Licet canon, n.* 9. ibi: *pœna canonis, præscripta eis, qui intra annum sacerdotium non susceperunt, non habet locum in Rectore, qui intra annum à die adeptæ possessionis pacificæ, vel infra tempus comparuit, & se promoveri petiit, offerens, quantum in eo est, se paratum ad suscipiendum sacerdotium, sed Ordinarius noluit eum propter illiteraturam, vel aliam causam promovere.*

2508 Hæc resolutio rectè intelligitur de quolibet justo impedimento; quia impedito non currit tempus, c. *quia diversitatem. 5. de concess. præbend.* intellige, si impedimentum provenit sine culpa impediti, ordinatâ ad casum impediti. Constat etiam ex c. *Commissa. 35. de Elect. in 6.* ibi: *commissa tibi parœcialis Ecclesia, quantumtantum de anno transiverit, quod intra ipsum nequeas juxta statutum generalis Concilii Lugdunensis ad sacerdotium promoveri: non est nisi tunc demum, cum ex toto fuerit ipse annus elapsus, censenda vacare, nec potest alteri anteate nolente conferri.* Annus autem hujusmodi à tempore illo incœpit, quo ipsius Ecclesiæ regimen commissum tibi extitit, & possessionem ejus pacificam habuisti: vel per te stetit, quo minus haberes eandem: tibi non currit, si promoveri justo impedimento detentus intra tempus hujusmodi nequivisti.

2509 Sequitur. 4. pœnam illam privationis à Parochis incurri ipso jure; sic Barb. *cit. de offic. & potest. Parochi, c. 5. num.* 9. hinc non obstat c. *cum in cunctis, §. inferiora, de Elect.* ubi dicitur; *removeantur*; nam in hoc Pontifex agit de beneficiis Curatis, non Parochialibus; & loquens de his expressè in dict. c. *Commissa*, expressè ait: porrò, si infra dictum tempus non fueris rationabili causa cessante promotus: tibi Ecclesia ipsa, qua dicti statuti auctoritate jam privatus existis (ne statutum ipsum fiat ludibrio, debitoque frustretur effectu: & non rebus, sed verbis; cùm sit potius contrarium faciendum: lex imposita videatur) nullatenus ea vice poterit iterato conferri.

Si quæras, quid dicendum, si quis recepit quidem parochiam, sed animo percipiendi per annum fructus, non tamen suscipiendi Ordines debitos? respondet Bonifacius VIII. in cit. c. *Commissa. §. Cæterum*, ibi: Cæterùm si promoveri ad sacerdotium non intendens parœcialem recepisti, Ecclesiam, ut fructus ex ea per annum percipias: ipsam postmodum dimissurus (nisi voluntate mutatâ promotus fueris) *teneberis ad restitutionem fructuum eorundem*: cùm eos receperis fraudulenter; illum autem, qui eam tibi contulit, cùm te non crederet ad hujusmodi ordinem promovendum (præter divinam, quam exinde incurrit offensam) ad servandam indemnem eandem Ecclesiam decernimus obligari. 2510

§. 3

De obligatione Parochi ad prædicationem Verbi divini.

HÆc obligatio est ad prædicationem verbi divini, & tradendam doctrinam Christianam per instructionem in rudimentis fidei. Omnes enim Curati, & Parochi tenentur populum sibi commissum pascere prædicatione verbi Dei, vel per se, vel per alios idoneos, diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus; ita Trid. *sess. 5. de Reform. c. 2. sess. 22. de sacrific. missæ, c. 8. sess. 23. de reform. c. 1. & 7.* & quidem, si Pastores animarum per se velint munus prædicationis obire, non debent impediri, ut dicitur in *cit. c. 2. Trid.* Si autem Parochus conciones peragat per alium, ad hoc invitatum, jure communi sufficit licentia Parochi; ut colligitur ex Clement. *Dudum. §. Ecclesiis autem*, de sepulturis: attento tamen Tridentino *sess. 24. de reform. c. 4. & sess. ead. c. 5.* prohibentur Parochi in suis Ecclesiis admittere Concionatores, ab Ordinario non probatos, etiamsi prædicare vellet Episcopus; nisi aliàs Prædicator notus esset ad hoc, ut semel vel bis prædicet; sic Navarrus in manuali *c. 25. n.* 141. 2511

Quoad doctrinam Christianam sedulò tradendam, in Trid. *sess. 24. de reform. c. 4.* expressè statuitur, Parochum Dominicis saltem, & aliis festivis diebus teneri ad docendos pueros suæ parochiæ, rudimenta fidei, doctrinam Christianam, obedien- 2512

dientiam erga Deum, & parentes, & bonos mores. Unde mortaliter peccat Parochus in hoc *negligens*, teste Barbos. *de offic.* Parochi, *num.* 2. cum aliis communiter; & Episcopus partem fructuum illi subtrahere potest, & dare alteri, qui hoc ministerium loco ipsius præstet; sic Piasecius in praxi Episcoporum, *p.* 2. *c.* 3. *n.* 6. *ex Trid. sess.* 5. *de reform. c.* 2. Et ideo etiam inter alia in Provinciali Synodo Salisburgensi sub Joanne Jacobo Archiepiscopo, an. 1569. perquam salubriter constitutum, habetur constitut. 16. quòd Parochi teneantur catechizare infantes suorum subditorum; constit. 51. c. 1. ut funera ipsi deducant; constit. 26. c. 8. ut sibi non assumant Cooperatorem, nisi ab Ordinario approbatum; nec in eum totum onus Curæ conjiciant, *contenti sola dignitate, & proventu, &c.*

2513 Not. præterea, quando in Trid. dicitur, Plebanos, & quoscunque Parochos, vel aliàs curam animarum habentes, teneri plebes, sibi commissas pro sua & earum capacitate pascere salutaribus verbis: docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate, & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare; & virtutes, quas sectari oporteat: ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant; idque per se, *vel alios idoneos*, statim addi: *si legitimè impediti fuerint.* Unde meritò Aldanus, apud Barbos. in *cit. c.* 2. *Trid.* decisum refert à Sacra Congreg. cogendos esse Curatos ad subeunda *per seipsos*, & non per substitutos, ea munia, ad quæ tenentur: tolerandum autem, ut per substitutum suppleant in illis tantùm casibus, quibus expressis verbis canonum, decretorumve Concilii permissum est eis, ut per Vicarios, coadjutores, vel substitutos possint officio suo fungi. Advertit autem Suarez *tom.* 1. *de Relig. l.* 2. *de diebus festis, c.* 16. *an.* 7. Concilium in præsenti, & in *c.* 4. *sess.* 24. *de reform.* non videri tam rigorosè ac præcisè id præcipere, ut peccare graviter censeantur, si interdum, vel sæpius illud omittant; quia non utitur Concilium verbis tantam obligationem indicantibus, sed mandat, ut id faciant illis diebus, & aliis per Quadragesimam, & Adventum, si ita oportere duxerint, & deinde, & aliàs quotiescunque id opportunè fieri posse judicaverint.

Ne autem verbum illud, diebus saltem 2514
Dominicis, & festis *solemnibus* largè nimiùm accipiatur, rectè in eod. Concilio *sess.* 22. *de sacrific. Missæ, c.* 8. constitutum est, *ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, & non sit, qui frangat eis*: mandat sancta synodus pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, *ut frequenter inter missarum celebrationem*, vel per se, vel per alios ex iis, quæ in missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis, & festis.

Not. 2. obligationem, quam habent 2515
Parochi pascendi oves suas prædicatione verbi divini, esse juris divini ex Trid. *sess.* 23. *de reform. c.* 1. ibi: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere*, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, si gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: Sacrosancta synodus eos admonet, & hortatur, ut *divinorum præceptorum memores*, factique forma gregis in judicio, & veritate pascant, & regant, &c.

§. 4.

De obligatione Parochi ad faciendas denuntiationes.

Denuntiationes, prout hic de illis 2516
agimus, sunt triplices; *vigiliarum* & *festorum*; *Indulgentiarum*, ac *Matrimoniorum*. De prima specie agitur in Trid. *sess.* 25. *de reform.* in decreto, de delectu ciborum, jejunii, & diebus festis, ibi: insuper hortatur sancta synodus, & per sanctissimum Domini nostri, atque Salvatoris adventum Pastores omnes obtestatur, ut tanquam boni milites illa omnia, quæ sancta Romana Ecclesia, omnium Eccle-

siarum mater, & magistra statuit, necnon ea, quæ tam in hoc Concilio, quàm in aliis œcumenicis statuta sunt, quibuscunque fidelibus sedulò commendent, omnique diligentiâ utantur, ut illis omnibus, & iis præcipuè sint obsequentes, *quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus, & jejunia*; vel etiam, quæ faciunt ad pietatem augendam, ut *dierum festorum* devota, & religiosa celebratio, admonentes populos crebrò, obedire Præpositis suis, quos, qui audiunt, Deum remuneratorem audient; qui verò contemnunt, Deum ipsum ultorem sentient. Ex hoc decreto sequitur Curatos, & Parochos denuntiare debere populo primò vigilias, aliosque dies, in quibus ea hebdomada ex præcepto Ecclesiæ, vel ex loci consuetudine, seu ex Ordinarii lege jejunandum est; ita Ugolin. de officio Episcopi, *c.* 16. §. 3. *num.* 3. Secundò, festos dies, in quibus operibus servilibus est vacandum, per Petr. Greg. *l.* 1. *juris canon. tit.* 19. *c.* 5. & sacrum ex obligatione audiendum, ut constat ex textu, ibi: *ut dierum festorum devota, & religiosa celebratio.*

2517 De altera specie denuntiationum, seu publicatione Indulgentiarum agitur in Trid. *sess.* 21. *de reform. c.* 9. ubi etiam specialis extat prohibitio, ne occasione, vel potius titulo Indulgentiarum fiat quæstus pecuniarum, de quo plura tradit Barbosa in *cit. c.* 9. *à num.* 1. qui etiam in suo tract. de Parocho *c.* 1. agit de publicatione Indulgentiarum Papalium à Parochis facienda. De tertia demum Matrimoniorum, ex professo agimus *l.* 4. *tit.* 3. *de clandest. desponsat. à num.* 684. ubi exposuimus principalem finem istarum denuntiationum; qualiter fieri debeant? quando? ubi? à quo? an in illis prætermittendis dispensare possint Parochi? an aliquando matrimonio postponi, & ex quibus causis? &c. & *num.* 725. quæ pœnæ statutæ sint in assistentes matrimonio clandestino secundùm quid? seu culpabiliter omissis denuntiationibus? tum etiam *num.* 728. de pœna assistentis matrimonio non subditorum.

2518 Præter hæc not. 1. Parochum, priusquam procedat ad denuntiationes contrahentium matrimonia, debere cognoscere personarum habilitatem; filios, vel filiasfamilias contrahere volentes, renitentibus eorum parentibus non denuntiare, nisi prius admonito Episcopo, seu Vicario, & ejus responso accepto, sic Barbos. *de offic. Paroch. c.* 20. *n.* 1.

Not. 2. si sponsus, & sponsa sint in eadem Parochia, sufficere denuntiationes fieri à proprio eorum Parocho; si sint in diversis, in utroque denuntiationes esse faciendas; si autem habeant plura domicilia, seu parochias, faciendas esse in ea, in qua verosimilius est, impedimenta sciri; sic Barb. *cit.* 1. *num.* 18. Fieri debent tribus continuis diebus festis, ut ait Trid. *sess.* 24. *de reform. matr. c.* 1. quod Barbos. cit. intelligendum ait, de tribus festis sibi non succedentibus immediatè; sed Basil. Pontius *de impend. matr. c.* 26. §. 4. existimat, procedere, licet hæc festa sibi succedant. Ut fiant diebus ferialibus, nec Episcopus dispensare potest; Sanchez *de matr. l.* 3. *D.* 6. *num.* 9. nisi in illis conveniret ad Ecclesiam ingens populus, ita Sanch. cit. Easdem denuntiationes facere potest Parochus extra Ecclesiam, & missarum solemnia in concursu magni populi, & loco apto, ut ad multorum notitiam perveniant; sic Pontius *c.* 20. §. 4. 2519

Not. 3. Parochum has denuntiationes non posse omittere, licet timeatur inde matrimonium malitiosè impediendum esse; posse tamen ex Ordinarii dispensatione; 2. cùm hæc difficulter obtineri potest in casu timoris malitiosi impedimenti; 3. cùm periculum, vel necessitas adeò urget, ut non sit locus adeundi Ordinarium, qualiter contingeret, si quis in agone concubinam vellet in uxorem ducere ad satisfaciendum famæ, vel proles legitimandas, &c. Not. tamen, quòd, si post ultimam denuntiationem quatuor menses elapsi sint, non celebratis nuptiis, Parochus illi matrimonio assistere non debeat, nisi novas denuntiationes præmittat. Rebellus *de oblig. just. p.* 2. *l.* 4. *sect.* 2. *num.* 8. nisi contraria ibi foret consuetudo. 2520

Not. 4. quando sponsi sunt in diversis Parochiis, Parochum sponsæ, ad quem pertinet assistere matrimonio, ut ait Barbos. *cit. num.* 28. non assisturum, nisi habeat testimonium à Parocho sponsi, Ecclesiæ Parochialis sigillo munitum, de die, mense, & anno factarum denuntiationum, & nullius impedimenti reperti. Sed not. assistere matrimonio non sic pertinere ad 2521

Pa-

Parochum sponsæ, ut non liceat assistere illi Parocho sponsi, cùm matrimonium celebratur in Parochia sponsi; imò licet celebretur in Parochia sponsæ; ita Sanchez, *l.* 6. *D.* 19. *n.* 1. & passim alii.

2522 Not. 5. quamvis Parochus contrahentes possit hortari, ut in Ecclesia matrimonium celebrent, non domi: prohibere tamen non posse, si velint in reliquis servare formam Concilii Trid. ita Sanchez *l.* 3. *D.* 15. *num.* 2. *Barbos. cit. num.* 29. ex hoc autem, quòd Parochus, ex solo sacramento pœnitentiæ sciat, inter sponsos esse impedimentum vel impediens, vel dirimens, non posse illis negare suam assistentiam, si illi publicè petant; Suarez *tom.* 4. *de pœnit. D.* 33. *s.* 6. *n.* 2. in impressione Conimbricensi.

§. 5.

De generali obligatione Parochi ministrandi suis Sacramenta.

2523 DE hac obligatione extat in Trid. *sess.* 24. *de Reform. c.* 7. *præceptum*; ibi: ut fidelis populus ad suscipienda Sacramenta majori cum reverentia, atque animi devotione accedat: *præcipit sancta Synodus Episcopis omnibus*, ut non solùm, cùm hæc per se ipsos erunt populo administranda, prius illorum vim, & usum pro suscipientium captu explicent, *sed etiam idem à singulis Parochis* piè, prudenterque etiam lingua vernacula, si opus sit, & commodè fieri poterit, servari studeant, juxta formam à sancta Synodo in Catechesi, singulis Sacramentis præscribendam, quam Episcopi in vulgarem linguã fideliter verti, atque à Parochis omnibus populo exponi curabunt: necnon ut inter Missarum solemnia, aut divinorum celebrationem, sacra eloquia, & salutis monita, eadem vernacula lingua singulis diebus festivis, vel solemnibus explanent, eademque in omnium cordibus, *post positis inutilibus quæstionibus*, inserere, atque eos in lege Domini erudire studeant. Ex hoc decreto sequitur, Parochos ex præcepto teneri, ut Sacramentorum usum pro suscipientium captu prius suæ plebi explicent; 2. ut administrent ea illis ritibus, & cæremoniis, quæ in Rituali præscriptæ sunt; cùm, ut monet Paulus V. in suo Rituali, in Sacramentorum administratione sine peccato (seclusâ necessitate) omitti non possint: 3. ut ea non ministrent conscii peccati mortalis, intellige, si ministrent simul conficiendo Sacramentum.

Not. præterea, quòd Curati, & Parochi Sacramenta suis ministrare teneantur ex justitia, cùm est gravis necessitas, etiam cum vitæ periculo, ut docet S. Thom. 2. 2. *q.* 185. *num.* 5. & ideo tempore pestis fugere non possunt, nec populum deserere; quia bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis, excipe, nisi cum Ordinarii consensu committant, aut resignent alteri officium suum. Hinc etiam tempore pestis tenentur vel per se, vel per alium idoneum de consensu Ordinarii in suis Parochiis residere, & Sacramenta baptismi, ac pœnitentiæ ministrare; aliàs contra eos procedendum est servatâ forma Tridentini, *sess.* 23. *de reform. c.* 1. *in fine.* 2524

Not. 2. Parochum, seclusâ reservatione Episcopi, posse dare alteri etiam simplici Sacerdoti licentiam, administrandi Sacramenta, exceptâ pœnitentiâ, quam dat solus Episcopus ex Trid. *sess.* 23. *de reform. c.* 15. Not. 3. sacerdotem à Parocho delegatum ad assistendum matrimonio non posse alteri hanc facultatem subdelegare; quia delegatus ad unam causam non potest eam subdelegare, nisi sit delegatus supremi Principis, Barb. *cit. num.* 38. 2525

Not. 4. simoniacum esse pro Sacramentis celebrandis aliquid recipere tanquam pretium ipsorum, aut tanquam mercedem operis, seu laboris concomitantis, c. *quidquid.* 1. *q.* 1. excipe, nisi tanquam stipendium sustentationis accipiatur; quia dignus est Operarius cibo suo, ut dicitur Math. 10. & mercede suâ, Luc. 10. Censetur autem tunc recipi tanquam stipendium sustentationis, quando reditus ratione curæ sibi obvenientes adeo tenues sunt, ut non sufficerent ad sustentanda onera personæ, statûs, & officii; sic Valent. *tom.* 3. *D.* 6. *q.* 7. Non committitur tamen simonia accipiendo aliquid pro materia remota Sacramentorum, ut pro pane, vino, oleo, &c. quia sic non accipitur temporale pro spirituali. 2526

§. 6.

De obligatione Parochi ministrandi Baptismum.

PRo præsenti solùm ea hìc annotabimus, quæ Parochorum curam tangunt; 2527

gunt; nam de Baptismo, & ejus effectu extat titulus 42. *de quo agemus infra.* Quarè not. 1. Ministrum Baptismi *solenniter*, & ex pastorali officio celebrandi esse proprium sacerdotem, seu Parochum; sic Layman *l. 5. tr. 2. c. 7. num. 2.* ubi docet, Parentes graviter peccare, qui prolem suam Parocho alieno sine proprii licentia baptizandam offerunt. Hinc qui solemniter baptizat, cùm non sit sacerdos, illicitè baptizat; & si Clericus sit, irregularitatem incurrit; Navarr. *in man. c. 22. num. 7.* quia usurpat sibi alienum officium: si autem urgeret necessitas conferendi Baptismum, & Parochus esset in statu, in quo illicitè ageret (puta si foret excommunicatus excommunicatione majori &c.) præferendus foret etiam Laicus in baptismo conferendo, sed fieri deberet sine solemnitate; ita *Card. Tolet. in instruct. Sacerdot. l. 2. c. 20. num. 7.* Cœterùm sacerdos alienus infantem alterius Parochiæ solemniter baptizans sine licentia proprii Parochi, cùm usurpet alienam jurisdictionem, peccat quidem, sed non evadit irregularis; excipe casum necessitatis, quia in hoc nec peccat; quia hæc irregularitas nullo juris textu habetur.

2528 Not. 2. quemque in Ecclesia, cui subest, baptizandum esse; nam unus sacerdos alterius Parochiæ terminos, plebem, & jus non valet usurpare, c. *placuit. 7. q. 1. c. Sicut. 9. q. 2. c. nullus*, c. *Episcopum*, c. *Episcopi*, c. *non invitati*, 13. *q. 1.* c. *Nullus, de Paroch.* excipe, nisi alicubi sit contraria consuetudo; vel baptizandus peregrinetur, aut non habeat certum domicilium; quia tunc in ea Ecclesia, quam elegerit, baptizari poterit; 10. *q. 3. c. nec numerus. 5.*

2529 Not. 3. de licentia proprii sacerdotis expressâ, vel rationabiliter præsumptâ etiam alienum *solemniter* baptizare posse, c. *interdicimus. 16. q. 1.* & in casu necessitatis, vel de licentia Ordinarii, non esse Religiosis prohibitum baptizare; Layman *cit. l. 5. tr. 2. c. 7. num. 1.* imò ex sacerdotis proprii commissione, facta ob causam rationabilem, etiam Diaconi solemniter baptizant, c. *Diaconos. 13. dist. 93.* ibi: *absque Episcopo, vel Presbytero baptizare non audeant, nisi prædictis fortassis ordinibus longius constitutis, necessitas extrema compellat; quod & Laicis Christianis facere plerumque conceditur.*

Not. 4. *Patrinos designare* pertinere ad parentes baptizandi; ipsis verò non designantibus, ad Parochum; sic Possevin. *in tr. de officio Curati, c. 6. num. 33. Concil. Trid. sess. 24. de reform. matr. c. 2. unum tantùm* juxta prisca canonum statuta patrinum adhiberi voluit, vel *ad summum duos*, virum unum, unamque fœminam; sic Possevin. cit. nec Episcopum posse dispensare, ut *duo Viri*, vel *duæ fœminæ simul* suscipiant (cùm super Conciliari constitutione dispensandi potestatem non habeat) decisum esse à Sacra Congreg. refert Barbos. *de offic. Parochi, c. 18. num. 23, & alii.* 2530

Not. 5. si vir, & mulier rogentur infantem suscipere ex baptismo, posse eos mittere sui loco duos procuratores, quorum unus *Viri*, alter *mulieris nomine* suscipiat infantem; sic Barb. *cit. num. 24. ex decis.* ejusdem Congregationis: Si quis autem adhiberet plures Patrinos, peccaret mortaliter, ait Barb. *cit. n. 26.* quia violaret præceptum Ecclesiæ in re gravi, cùm ex hac transgressione multiplicentur cognationes, quæ inducunt impedimentum dirimens matrimonium. Verùm hanc gravem obligationem asserit; sed non probat concludenter: missi verò nomine alieno infantem ex baptismo suscipientes, non contrahunt cognationem; sed mittentes; ita resolvit sacra Congregat. apud Barbos. *de offic. Episcopi, p. 2. allegat. 30. n. 50.* 2531

Not. 6. ad Parochum etiam spectare. 1. ne in Patrinos baptizandorum admittat Abbates, Monachos, aut Religiosos saltem claustrales; quia prohibitum est, eos in baptismo patrinos agere, c. *non licet Abbati, de Consecr. dist. 4.* excipe, nisi quis eorum esset assumptus in Episcopum. Verùm hodie alia est consuetudo, nec illa prohibitio amplius habet locum, ut rectè docet Quintanaduen. *tr. 1. sing. ult.* deinde patrinos, & matrinas commonere, quòd contrahant cognationem spiritualem cum baptizato, & parentibus ejus, sic, ut contrahant exinde impedimentum dirimens matrimonium cum ilsdem; Concil. Trid. *sess. 24. de reform. c. 2.* Reliqua de Patrinis V. *lib. 4. tit. de Cognat. spirit. à num. 1088.* 2532

Not. 7. Baptismum non debere, nec posse 2533

posse iterari; cùm imprimat characterem; Trid. *sess. 7. de Sacram. c. 9.* & de baptismo, *can. 11.* hinc rebaptizans fit irregularis, *c. 2. de Apostat.* sed intellige de rebaptizatione *absoluta*, non conditionata. Rebaptizandi tamen conditionatè sunt omnes, de quorum baptismo validè, vel aliquando recepto, rationabile dubium occurrit, c. *placuit. de consecrat. dist. 4.* quamvis ad hoc deponendum sufficiat unicus testis oculatus, de quo nulla sit suspicio pernicioſi mendacii; Quintanaduen. *de Sacram. baptismi tract. 1. singulari. 1. num. 5.* vel alia prudens credibilitas, quam meritò fundat liber baptismalis Parochi, testantis de collato tali baptismo.

2534 Not. 8. valde probabile esse, baptizatos à Paganis, Judæis, & hæreticis rebaptizari posse, & debere sub conditione; quia ex hoc ipso, quòd baptizans sit homo talis sectæ, prudenter præsumitur, eum defecisse in aliquo essentiali ad valorem baptismi, ut pluribus ostendit Quintanad. *sing. 3. num. 3.* qui hoc, singulari 5. extendit ad omnes infantes à parentibus, cognatis, obstetricibus vel ab aliis laicis, Viris, aut fœminis, ob mortis periculum, vel ob alia, domi, vel alibi baptizatos, & singulari 9. *num. 3.* tradit, infantem inter Catholicos *expositum ad Ecclesiæ, vel alicujus domus valvas*, habentem scriptum collo appensum, baptizatum esse testificans, sub conditione esse rebaptizandum, nisi constiterit, à quo sint baptizati, & hi sint tales, ut nullum dubium, aut suspicio prudens de recta baptismi administratione supersit; collig. ex c. *placuit. de Consecrat. dist. 4.*

2535 Not. 9. in adultis suscepturis rebaptizationem sub conditione, non quidem ad valorem Sacramenti, sed ad effectum gratiæ necessarium esse dolorem de peccatis præteritis; Trid. *sess. 6. can. 7.* sufficere tamen attritionem, etiam cognitam ut talem; Quintanad. *cit. singul. 16. num. 2.* non requiri tamen confessionem; quia vel primus baptismus non fuit validus, vel fuit validus? si primum? ea peccata non sunt materia Sacramenti pœnitentiæ, utpote commissa à non baptizato; si secundum? reiteratio baptismi conditionata perinde se habet, acsi non esset, cùm conditio non subsistat.

2536 Not. 10. hanc rebaptizationem conditionalem fieri posse secretò, non in templo, sed domi, aut ubicunque baptizandus maluerit; & fieri posse à quocunque Ministro, tam sacerdote, quàm Diacono, subdiacono, imò & laico, etiam sine licentia Parochi, esto haberi posset sacerdos; vel Parochus; sic Quintanad. *sing. 17. num. 3.* nec in eo casu adhibendum esse Patrinum, nec adhibendas solemnitates; & conditionem non esse necessariò exprimendam, sed sufficere retineri mente; ita ille *sing. 18.*

§. 7.

De obligatione Parochi ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ.

QUoad primum communis tenet, 2537
quòd Parochus toties teneatur audire confessiones suorum Parochianorum, quoties eorum saluti expediens judicaverit, & nulla causa subest negandi; cùm hoc spectet ad munus boni Pastoris; satisfacit autem id præstando, vel per se, vel per alium. Omnis autem sacerdos, provisus de Parochiali beneficio, seu sacerdos Parochus quoad omnes suos Parochianos fideles, habet in foro pœnitentiæ jurisdictionem ordinariam, & quoad hoc censetur à lege approbatus absque ulla desuper alia licentia Ordinarii, colligitur ex Trid. *sess. 23. de reform. c. 15.* ibi: *nisi aut parochiale beneficium, &c.* Censentur autem nomine *beneficii Parochialis* venire etiam Parocho superiores, ut Archipresbyteri, Archidiaconi, &c. curam animarum, & jurisdictionem in hoc foro habentes.

Pro ulteriori expositione horum, not. 2538
1. vi beneficii parochialis approbatum, censeri approbatum duntaxat in ea civitate, vel oppido, ubi parochia sita est; Piasecius in praxi *Episcopor. p. 2. c. 1. n. 10.* intellige respectu extraneorum, quia suorum confessiones potest ubique audire; sic Card. Toletus in *Instruct. Sacerd. l. 3. c. 13.* vi jubilæi tamen ubique eligibilis est; Suarez *tom. 4. de pœnit. D. 22. s. 4. n. 18.* post dimissum beneficium non poterit amplius Parochus sine nova approbatione accipere confessiones, nec eo casu eligibilis est virtute jubilæi; Suarez *tom. 4. de Relig. D. 28. s. 4. & 6. num. 20.*

Not. 2. jurisdictioni Parochi pro foro 2539
pœnitentiæ subjici fideles habentes in ejus Parochia domicilium, vel quasi domici-

lium, seu habitationem ad tempus non admodum breve, ut si ibi sint negotii alicujus causâ; *Gloss. in Clem.* 1. *de privileg.* quod etiam procedit de aliis Sacramentis, excepto Sacramento Ordinis; ita Layman *l.* 5. *Theol. mor. tr.* 6. *c.* 10. *num.* 5. excipe, nisi quis fraude in præjudicium proprii Parochi ad tempus alibi constitueret domicilium; quia fraus & dolus nemini patrocinari debet. Si quis habet domicilium in duplici Parochia, uterque Parochus in ejus personam habet jurisdictionem ordinariam fori pœnitentiæ, & Sacramentorum, *arg. L. assumptio. §. ult. ff. ad municip. & c.* 2. *de sepult. in* 6.

2540 Not. 3. in Ecclesia Cathedrali posse quemlibet recipere Sacramentum pœnitentiæ; Piasecius *c.* 3. *num.* 4. Parocho tamen Cathedralis Ecclesiæ non licere administrare Sacramenta, vel curam exercere in aliena Parochia, ut definivit *Sacr. Congreg. Trid.* 20. *Septemb.* 1628.

2541 Not. 4. Parochum potestatem audiendi confessiones suorum Parochianorum posse alteri Sacerdoti delegare; ita Layman *cit. c.* 10. *num.* 11. sed intellige, Sacerdoti ab Ordinario approbato. Sed sic delegatus non potest subdelegare, nisi solus non sufficeret, quia tunc præsumi posset consensus delegantis.

2542 Not. 5. quòd Parochus casus, per Episcopum reservatos, nulliter absolvat, nisi ad hoc habeat specialem facultatem, Trid. *sess.* 14. *de reform. c.* 7. Difficultas esse potest, unde contingat, quòd invalidè suos absolvat? an, quia reservatio tollit jurisdictionem? an, quòd Ordinarius in ordine ad talia peccata in foro conscientiæ suas oves illi non subjiciat? mihi videtur secundum, non primum. Nam potestatem jurisdictionis in corpus Christi mysticum, seu potestatem absolvendi à peccatis in foro animæ quilibet accipit in susceptione presbyterii, de quo plura dixi in tract. Theol. de virtute, & Sacramento pœnitentiæ, ac in specie de casibus reservatis, V. Quintanaduen. *tract.* 3. *singul.* 11. *à num.* 1.

2543 Quoad alteram tituli partem ℟. quando Parochiani ex obligatione communicare debent, Parochum illis teneri ministrare sacram Eucharistiam, c. *omnis utriusque*; imò quoties eam rationabiliter petunt, quia Parochus habet obligationem pascendi oves suas, quod maximè fit verbo, & Sacramentis. In die tamen parasceves non esse distribuendam Eucharistiam, nisi infirmis, resolvit Congregatio Rituum. 19. Febr. 1622. Verùm longè probabilius est, etiam die parasceves cuilibet, etiam extra infirmitatem, licitum esse communicare, in quacunque Regulari, vel seculari Ecclesia, Capella, vel Oratorio, modò scandalum absit, ita Suarez *de Euchar. D.* 8. *Vasq. & alii*, quos citat, & sequitur Quintanaduen. *tr.* 4. *de Eucharistia, singul.* 6. *à n.* 3. quia Congregationis declaratio præceptum non inducit, & Innocentius Papa solùm prohibet *celebrare* Sacramenta, non ministrare, ut constat ex c. *Sabbato. dist.* 3. Monendi tamen 2544
sunt Parochi, & Curati. 1. quando communionem deferunt ad infirmos, pixidem ibi non esse deponendam, nisi super altari viatico, vel corporali, & cùm redeunt, non deponendam in cubiculo, sed reponendam in tabernaculo, ut colligitur ex Rituali Paul. V. de Eucharistia. §. 6. deinde, quod docet Quintanaduennas *de Euch. tr.* 4. *sing.* 1. *num.* 2. quòd si per notabilem, seu graviter culpabilem negligentiam Parochi, vel ejus, cui hæc cura commissa est, per integrum diem ipso sciente, & consentiente, lampas accensa non sit coram Tabernaculo, mortale peccatum ab eo committatur, quod procedit etiam secluso scandalo.

Ex hoc infert, peccare ædituos, qui ne 2545
oleum consumant, noctu lampadem coram Tabernaculo extinguunt vel extinctam relinquunt, similiter & Parochos, qui sufficientem diligentiam in hac re non adhibent, sic Quintanad. *num.* 3. *Barb. de offic. Paroch. c.* 20. *num.* 27. *Possevin. de offic. Curati, c.* 12. *num.* 68. Quamvis autem Barbosa *de offic. Paroch. c.* 20. *n.* 51. dicat, non licere Parocho rurali deferre communionem infirmo multùm distanti, eundo in equo, contrarium longè probabilius est, modò non sit periculum sacram hostiam cum sacerdote excutiendi in terram, sic Quintanad. *cit. singul.* 8. *n.* 2.

§. 8.

De obligatione Parochi ministrandi extremam unctionem.

ADministratio extremæ unctionis ex 2546
se, & intrinsecè, non est actus jurisdictionis

ctionis excedentis ordinem Presbyterii; Trid. *sess.* 14. *c.* 3. *de extrem. unct.* ibi: & ostenditur illic, proprios hujus Sacramenti ministros esse Ecclesiæ Presbyteros, quo nomine, eo loco, non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes, ab ipsis ritè ordinati, per impositionem manuum presbyterii: de facto tamen pertinet solùm ad proprium cujuscunque Sacerdotem, quamvis hic alteri Sacerdoti concedere possit facultatem eam sibi subditis ministrandi; non autem non Sacerdoti. Hinc Regulares peccant, & incidunt in excommunicationem latam in *Clem.* 1. *de privil.* qui sine licentia, vel privilegio ministrant extremam unctionem secularibus, idem dic de Viatico, ut monet Quintanad. *tr.* 5. *sing.* 3. *num.* 3. Ut autem censeantur *habere licentiam*, sufficit tacita ratihabitio Parochi, Episcopi, vel Papæ, ut, si infirmus alioquin sine hoc Sacramento decederet; si autem Parochus, vel alius sacerdos nollet eam dare, etiam invito Parocho illam dare possunt Regulares. Tenetur autem Parochus sub mortali fidelibus hoc Sacramentum petentibus ministrare, licet alia Sacramenta susceperint, & ipsi ad hoc suscipiendum non obligentur graviter; quia Parochi ex justitia tenentur consulere saluti subditorum, præsertim in mortis articulo, Layman *l.* 5. *tr.* 8. *c.* 7. *num.* 3.

2547 Præter hæc not. 1. extremam unctionem ad infirmum sine lumine deferre non esse mortale; nam etiam chrisma pro Sacramento confirmationis sine peccato sic defertur, & quamvis aliqui putent, esse veniale, videtur tamen, quòd non, quia fertur solùm materia remota, excipe consuetudinem, & Synodalia decreta. Ministrare autem ipsam extremam unctionem sine lumine, censet Quintanad. *sing.* 5. *n.* 3. non esse mortale, nunquam tamen, etiam in necessitate illam licere ministrare sine vestibus, & solemnitatibus ab Ecclesia præscriptis, docet Suarez *D.* 44. *s.* 3. *num.* 7. puto tamen, licere cum causa, in necessitate; quia cùm aliquando sit necessarium (facit enim ægrotum ex attrito contritum) & præstari interdum non posset, si ritus observetur, his præferenda est utilitas morientis.

2548 Not. 2. Sacerdotem, qui ungit infirmum, hoc præstare posse sine alio ministro respondente, & tergente sensum inunctum, cùm ipse utrumque præstare possit, si absit alius idoneus; Sà V. *extrem. Unct. num.* 9. admittere tamen non posse fœminam ad utrumque, vel alterutrum; Quintanad. *cit. sing.* 6. *num.* 1. saltem sine veniali, ut docet *num.* 5. quamvis mortale non sit, & tersio nec Laico, nec in minorib' constituto, conceditur in Rituali Pauli V.

Not. 3. si morbus omnino desperatus 2549
sit, ab initio illius validè, & licitè ungi infirmum, licet morbus eum, ac vires ipsius, nondum graviter debilitaverit, nec mors jam instet; sic Petrus Ledesma, Henriquez, & alii. Hinc statim in initio pestis conferenda est, ut docet Suarez 3. *p. tom.* 4. *D.* 44. *sect. ult.* quod etiam intelligendum, cùm alicui vehemens remedium est applicandum, in quo timetur, posse deficere, ut si alicui resecandus esset pes, brachium, &c. infirmum autem, qui statim in principio morbi desperati unctus est, cùm ad extrema deducitur, licitè rursum ungi, quia hic status est planè diversus à priori, sic Quintanad. *cit. sing.* 7. *num.* 6. Cæterùm, extremum vitæ periculum non est exspectandum, sed conferri debet, ubi est prudens periculum mortis, esto infirmus integros adhuc sensus habeat. Unde in Catechismo Pii V. habetur, gravissimè peccare Parochos, qui solent observare illud tempus ungendi ægroti, cùm jam omni salutis spe amissâ, vitâ & sensibus carere incipit.

Cùm autem Rituale Pauli V. *de ex-* 2550
trem. Unct. num. 3. sic loquatur: *loco mundo, & decenter ornato, in vase argenteo, aut stanneo diligenter custoditum habeat Parochus oleum infirmorum*; & de aliis oleis pro baptismo sic: *chrisma, & oleum sacrum sint in suis vasculis argenteis, aut stanneis bene observatis*: non peccabit Parochus, si hæc domi decenter habeat, nisi consuetudo foret contraria, vel populo nasceretur scandalum, quòd ad infirmum non ex Ecclesia deferatur; Oleum autem infirmorum licere Parocho ad infirmos mittere, ut eo extra Sacramentum ungantur, & sanitatem recuperent, constare ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, tradit Quintanad. *cit. sing.* 11. *& ult.* quamvis hoc rarò, & non nisi prudenter faciendum moneat.

ARTI.

ARTICULUS ULTIMUS.

De reliquis ad hunc titulum pertinentibus.

2551 NOn facio hìc ſpecialem mentionem de altera tituli parte, nimirum *alienis Parochianis*; cùm pleraque de his, tanquam correlativis ad Parochum, & Parochiam, ex dictis deduci poſſint; qualia ſunt de Parochianis alienis non ordinandis, ubi *Parochianus* ſupponit pro *diœceſano*; *de qua quæſt. ex profeſſo egimus l.* 1. item ea, quæ pertinent ad non aſſiſtendum matrimonio alienorum, nec benedicendis ejusmodi nubentibus, &c. de non exercendis parochialibus functionibus relatè ad non ſuos, &c. Iſtæ porrò functiones referuntur à Barboſa *de offic. Parochi c.* 22. ſequentes; 1. benedictio fontis baptiſmalis; 2. delatio Venerabilis, & celebratio miſſæ in cœna domini, & Sabbatho ſancto; 3. benedictio candelarum in purificatione B. Virginis; 4. benedictio cinerum pro die cinerum; 5. benedictio palmarum dominicâ Paſchati proxima; 6. facere proceſſiones per Parochiam, &c. ubi tamen nota, hodie per privilegia, & conſuetudinem, plura eorum etiam licere Regularibus in ſuis Eccleſiis.

2552 Quæſtio ulterior eſt, an Parochi obligentur ad reparationem ſuæ Eccleſiæ, ac habitationis, cùm reſtauratione indigent? R. teneri ex his, quæ congruæ ipſorum ſuſtentationi ſuperſunt, ſed pro rata ſuorum reditumm, ut habetur in c. *de his, de Eccleſ. ædif. & Trid. ſeſſ.* 21. *c.* 7. ſic Azor *Inſtit. mor. p.* 2. *l.* 9. *c.* 3. *q.* 10. Si Parochus non habeat ſumptus, ad eos tenentur Parochiani; ſic Trid. cit. ibi: *aut illorum defectu Parochianos*: à fortiori autem tenentur Patroni, ſi Eccleſia ſit Patronata. Et, quod dictum eſt de Eccleſiis, etiam dicendum venit de reſtauratione domûs Parochialis, ſeu habitationis Parochi, ut reſolvit ſacra *Congreg. ad cit. loc. CC. Trid.*

2553 Altera quæſtio eſt de Vicariis Parochorum perpetuis, & temporalibus; ſed de his jam egimus *lib.* 1. *tit.* 28. *de offic. Vicarii. Perpetuus* dicitur, qui authoritate Epiſcopi, & canonicâ inſtitutione delectus alicui ſufficitur in Eccleſia parochiali, cum certa ex annuis Eccleſiæ proventibus portione, tanquam laboris & operæ mercede, ut dicitur c. *Extirpandæ, de præbend. §. qui verò.* & in c. *ad hæc. de offic. Vicar.* Vicarius autem *temporalis*, qui alicujus authoritate in alterius locum ſufficitur ad tempus, ac ad nutum ejus, qui ipſum ſubſtituit, revocari poteſt: plura de his V. loco cit. illud hìc repetendum, jura, quæ loquuntur de beneficiis *curatis*, regulariter intelligi de Vicariis *perpetuis*, quia ſunt beneficia, & ut talia poſſidentur, Azor *p.* 2. *l.* 3. *c.* 6. *q.* 7. ut colligitur ex Clem. *unic. de offic. Vicar.* Ex quo ſequitur, Vicarium perpetuum removeri non poſſe extra caſus expreſſos in jure, ſicut nec removetur proprius Rector, Caſtropal. *tr.* 13. *de benefic. D.* 1. *p.* 8. *num.* 1. *in fine*; & Rector qui priori defuncto, vel legitimè amoto, in beneficio ſuccedit, non poteſt Vicarium perpetuum, in illo inſtitutum, ſine authoritate Epiſcopi ab illo munere, & officio removere, nec aſſignatam ei portionem minuere, c. *ad hæc, de offic. Vicar. & c.* 1. *de Capell. Monach. in* 6. Quid porrò in Eccleſiis parochialibus, vel curatis, aut alio beneficio Monaſteriis & Eccleſiis ſuis incorporato, juris habeant Regulares circa Vicarios in illis inſtituendos, vel deſtituendos? diximus à *n.* 159.

Præter dicta not. 1. non omne benefi- 2554
cium *curatum* eſſe eo ipſo *parochiale*. Eccleſia parochialis eſt, quæ habet Parochiam, hoc eſt, territorium, ac populum, certis limitibus Epiſcopi authoritate diſtinctum, ſic Archidiacon. c. *licet canon. de elect. in* 6. *curata*, quæ habet curam animarum, quin habeat certum territorium, vel populum eadem authoritate Epiſcopi diſtinctum, ſic Azor *p.* 2. *l.* 9. *c.* 3. *q.* 14. *Baptiſmalis* eſt, in qua eſt fons aquæ ad baptiſmum ſacratæ, & deſtinatæ. Sed nota non eo ipſo, quo eſt baptiſmalis, haberi pro parochiali, ſicut nec ex eo, quòd habeat jus tradendi ſepulturæ mortuos, Azor cit.

Not. 2. ex eo, quòd aliqua Eccleſia, 2555
præſertim Collegiata, ſeu Conventualis ſit poſita intra fines alicujus Parochiæ, non rectè inferri, illam eſſe ſubjectam eidem parochiæ, ita Pirhing, *de Capell. Monach. num.* 7. *§. not.* 2. & dicemus etiam infra *in tit. de Religioſis domibus.* Si dicas: in c. *conſtitutus, de Religioſ. domib. dicitur:*

tur: Ecclesias sitas in diœcesi Episcopi, teneri ipsi in Episcopalibus respondere, ergo sicut Ecclesia *intra fines diœcesis*, diœcesano; sic *intra fines parochiæ*, Parocho subjicitur. R. antecedens, & textum solùm agere *de Episcopo*, sive de Ecclesia *Cathedrali*, non de inferiore; nec ullo reperiri jure expressum, quòd Ecclesia aliqua ex hoc, quòd sita sit in aliqua Parochia, subjecta sit eidem; sic Innocent. *in c. 2. de Capell. Monach.* ubi ait: *hoc jus, ubi sit? ignoro.*

2556 Si dicas. 2. Parochiani Ecclesiarum, seu Capellaniarum, non habentium fontem baptismalem debent infantes suos mittere ad Ecclesiam Parochialem, sive Matricem, pro baptismo accipiendo. Verùm ex hoc non sequitur ipsas Ecclesias, seu Capellanias absolutè subjectas esse illi Parochiæ; sed ad summum Parochianos earum in ordine ad illum duntaxat actum, seu Sacramentum recipiendum. Unde nec propriè dicitur Ecclesia *Matrix*, relatè ad omnes Ecclesias intra fines suos existentes; nam per Ecclesiam *Matricem* intelligitur ea, quæ habet alias Ecclesias sibi subjectas, c. *ad audientiam. de Eccles. ædif.* item ea, quæ est baptismalis, vel quæ est major cœteris, quæ sunt in loco, *Clem. 1. de sentent. excom.* vel etiam, quæ est principalis, & primaria in tali loco; sic Azor *p. 2. l. 9. c. 3. in fine*; principalis, inquam, *in tali loco*; in quo non mere *materialiter*, sed etiam *formaliter* sunt aliæ Ecclesiæ, nimirum cum onere subjectionis ad eundem Ordinarium; hoc autem modo non sunt in tali loco *ecclesiæ exemptæ*, unde *respectu harum* nulla Ecclesia parochialis *matrix* dici potest.

2557 Not. 3. si Parochianus mutet domicilium, & se transferat ad aliam parochiam, illum desinere esse de tali Parochia, consequenter & subjectionem ad priorem Parochum; colligitur ex c. *significavit, 5. & fin. h. t.* ubi refertur, quòd, cùm recuperatâ civitate Aconensi, plurimi eò se conferrent, qui ante in aliis civitatibus regni Hierosolymitani habitârant, & eorum locorum Prælati, jurisdictionem in illos priorem usurparent, Pontifex ad querelam Episcopi Aconensis, prohibuerit id fieri, nec velit ab eis temporalia violenter exigi, *quibus dicti Prælati spiritualia non amplius ministrabant*; ita tamen, ut si dicti transmigrantes nihilominus agros habeant in horum Prælatorum parochia, & fructus inde percipiant, decimas (si in partibus transmarinis id receptum sit) persolvant, Episcopo verò *Aconensi, tanquam diœcesano suo*, de cæteris cogantur respondere.

Ex hac Pontificis resolut. sequitur. 1. 2558 quòd Prælato non administranti spiritualia per se, vel alium, si petat decimas, vel alia temporalia, possit opponi, nihil deberi; quia temporalia sunt debita ob causam, & sic causâ non secutâ non debentur, *C. de condict. ob causam, per totum.* Sequitur. 2. quòd Parochianus mutatâ parochiâ, non teneatur amplius priori Parocho dare decimas, vel alia tributa personalia, cùm in ejus parochia non amplius audiat divina, nec recipiat Sacramenta, in quo fundatur jus decimarum personalium; ut docet Rebuffus de decimis. *q. 7. num. 5.* & ex illo Barbos. *in dict. c. significavit. n. 3.* uti etiam notatur in textu, ibi: *nec ab eis temporalia exigant, quibus Sacramenta non administrant.*

Dices: ergo nec amplius tenebitur prio- 2559 ri parocho solvere decimas *prædiales*, licet sua prædia in priori parochia retineat? R. contrarium in textu statui: nam postquam dictum est, quòd priores Prælati, è quorum diœcesi aliqui transtulerunt domicilium in aliam, ab his non debeant exigere temporalia, quibus Sacramenta non administrant, statim subjungitur: ita tamen, quòd si de agris in eorum parœcia constitutis fructus percipiunt, & in ultramarinis partibus ratione prædiorum decimæ persolvuntur, deinceps eis ipsas cum integritate persolvant: dicto verò Aconensi, tanquam diœcesano suo cogantur de cœteris respondere. Nam decimæ prædiales regulariter illi Ecclesiæ tribuendæ sunt, intra cujus fines prædia illa sita sunt; ita Suarez *in tract. de decimis l. 1. c. 21.* Gutierez *practic. l. 1. q. 17. num. 1.* & constat ex c. *Cùm contingat, 29. seq. tit.*

QVÆSTIO XXX.

IN TITULUM XXX. DE DECIMIS, PRIMITIIS, ET OBLATIONIBUS.

2560 CUm proximo titulo actum sit de *Parochiis*; persolutio autem *decimarum*, primitiarum, & oblationum sit de jure parochiali, meritò subjicitur hic titulus, qui constat 35. cc; extat etiam in sexto, & Extravag. *Declarationes*, unicâ, inter communes. *Decima* vi vocis est decima pars quarumcunque rerum, quæ solvitur Principibus, & Sacerdotibus, ut notat Pereyra in Elucid. *num.* 1348. prætermissis porrò his, quæ pertinent ad decimas, quæ Principibus Laicis persolvi debent ex variis rebus; agemus solùm de his, quæ propriè Ecclesiasticæ sunt; quibus prænotatis:

ARTICULUS I.

De decimis Ecclesiasticis.

2561 QUæstio. 1. est, quid sit *Decima* juxta sacros canones? R. quòd, ut notat Sylvester V. *Decima*, juxta Hostiensem in summa de Decimis, §. 1. sit omnium bonorum mobilium licitè quæsitorum pars decima Deo data, divinâ constitutione debita; sumitur ex c. 1. c. *parochianos*, c. *non est*, & c. *tua nobis*, de decim.

2562 Quæstio altera est, quotuplex sit decima? R. juxta Hostiensem in summa de Decimis. §. 3. quem sequuntur Lessius *c.* 39. *num.* 12. & Azor. *p.* 1. *l.* 7. *c.* 24. *q.* 3. Decimam esse triplicem, nempe prædialem, personalem, & mixtam. *Prædialis* est decima pars, quæ solvitur ex fructibus prædiorum, cujusmodi sunt frumentum, vinum, olera: item ex piscinis, molendinis, ædium elocatione, & similibus; quia vox, *prædium*, illa omnia complectitur. *Personalis* est decima pars fructuum provenientium ex aliqua industria, vel opera personæ, v. g. ex negotiatione, militia, venatione, opificio, famulatu, & ex cujusvis alterius rei disciplina, vel arte, in qua quis operatur. *Mixta* est, quæ partim prædialis, partim personalis censetur, & est decima pars fructuum provenientium ex animantibus, quæ in nostris arvis, & pascuis nostrâ curâ, & diligentia nutrimus, quales sunt fœtus pecorum, ovium, & porcorum, ac eorum fructus, ut lac, butyrum, caseus, lana, pellis. Nam hæc & similia partim ex prædiis, partim ex industria proveniunt. Ex quibus patet *Decimæ* appellatione secundùm jus canonicum venire omnium bonorum mobilium, sive fructuum jure quæsitorum partem decimam, quæ ministris Ecclesiæ quotannis persolvitur.

Circa istam Decimæ divisionem not. à 2563
gloss. in c. *Ad Apostolicæ. 20. h. t.* V. *personales*, admitti duas tantùm species *decimæ*, personales, & reales, seu prædiales, quibus annumerat decimas ex animalibus pendendas. Unde juxta hanc opinionem decimæ reales, seu *prædiales* erunt, quæ debentur ex fructibus prædiorum, & animalium; & *personales*, quæ ex fructibus, seu lucris humanâ solùm industriâ, & ministerio quæsitis, ut sunt, quæ ab actionibus merè personalibus, sive corporalibus, sive doctrinalibus, vel artificialibus proveniunt, inter quas etiam venatio, & piscatio computandæ sunt; & pro hac opinione refertur etiam Suarez *tom.* 1. *de Relig. tr.* 2. *l.* 1. *c.* 9. *an.* 4.

Præter hæc not. inter decimas reales 2564
quasdam esse Majores, alias Minores; alias profanas, & Ecclesiasticas. *Majores* sunt, quæ ex frumento, vino, & similibus solvuntur; *Minores*; quæ ex hortis, fœtibus animalium, & ejusmodi minutioribus; *profanæ* sunt quoddam genus tributi, quod olim seculares domini prædiis subditorum imponere solebant: Ecclesiasticæ verò sunt duplicis generis, quædam enim sunt, quæ juxta primævam suam institutionem, & originem, Ecclesiæ Ministris penduntur, tanquam stipendium, ob spiritualia eorum ministeria, seu functiones, ideoque propriè spirituales,

les, & *Ecclesiasticæ* dicuntur: aliæ verò sunt, quæ à titulo spiritualis officii separatæ, ab Ecclesia, ob justam causam, etiam laicis personis conceduntur, ideoque *laicales Decimæ* appellari solent.

2565 Not. 2. in dubio, utrum dicimæ sint *profanæ*, an *Ecclesiasticæ*? præsumendum potius, esse *Ecclesiasticas* apud Christianos, qui semper ex prædiis suis Ecclesiæ pendere decimas ab antiquo solebant; idemque est, si dubitetur, num jus decimandi ad Clericos, an verò ad Laicos spectet: vel utrùm sint decimæ spirituales, an laicales, sive laicis in perpetuum concessæ? mutatio enim, sive alienatio est quid facti, & cedit in præjudicium Ecclesiæ, ideoque non præsumi, sed probari debet; sic Layman *c. 1. n. 6.*

2566 Quæstio est. 3. quo jure Decimæ debeantur Ministris Ecclesiæ? Ad hanc quæstionem apud Pereyram in Elucidario *num.* 1348. *§. Mercatores*, sic distinguit Suarez de Decimis, c. 10. affirmans obligationem alendi ministros esse de jure naturali explicato, & confirmato per Christum, & Apostolos: *modum* verò, seu *determinationem quotæ* esse de jure Ecclesiastico exemplariter constitutum, ad instar juris divini legis veteris. Quantum igitur spectant ad stipendium decenti sustentationi Ministrorum Ecclesiæ necessarium, si aliunde illis ex aliis bonis Ecclesiæ, cui serviunt, provisum non sit, omnino de jure divino debitæ sunt, exigente id etiam jure naturali; cùm intercedat contractus oneroſus, fundatus etiam in divino eloquio, *Matth.* 10. *vers.* 10. ibi: *dignus est operarius cibo suo, &* 1. *Corinth.* 9. *vers.* 7. *quis militat suis stipendiis unquam? & ibid. vers.* 11. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est; si nos carnalia vestra metamus; & vers.* 17. *nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, & qui altari deserviunt, cum altari participant*: sic & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiaverunt, *de Evangelio vivere*, quoad reliqua verò, nempe quotam, seu hanc determinatam partem præstandam, est juris tantùm Ecclesiastici, non utcunque, sed ut rectè notat Suarez *sub cit. exemplariter* ad legem veterem constitutam.

De his agitur. 1. in c. *Parochianos* 14. 2567 *h. t.* ubi Honorius III. Remensi Archiepiscopo scribens, Parochianos, inquit, tuos ad solvendas decimas Ecclesiis quibus eas debent, Ecclesiastica debes severitate compellere; cùm decimæ *non ab hominibus, sed ab ipso Domino sint institutæ*, quasi debitum exigi possunt; item c. *Tua.* 25. *eod.* ubi Innocentius III. ad Vercellensem Episcopum: *cùm Laicis nulla*, inquit, *sit de spiritualibus concedendi, vel disponendi facultas, imperialis concessio, quantumcunque generaliter fiat, neminem potest à solutione decimarum eximere, quæ divina constitutione debentur*; & prius c. *ex transmissa.* 23. *eod.* ubi, cùm Cœlestinus III. ex transmissâ querela Rectoris Ecclesiæ N. intellexisset, quòd cùm Miles molendinum quoddam ad ventum, in terra quadam, infra fines Parochiæ, de cujus terræ proventibus decimas solebat Ecclesia percipere, memoratæ construxit, de ipsius proventibus, vel obventionibus decimas ei solvere contradicens, in salutis suæ periculum detinere non veretur, constituit; *quia fidelis homo de omnibus, quæ licitè potest acquirere, decimas erogare tenetur*: Mandamus, quatenus N. militem ad solutionem decimarum de his, quæ de molendino ad ventum proveniunt, sine diminutione aliqua, compellatis.

Ex his juribus apertè sequitur, decimas 2568 Ecclesiis parochialibus esse debitas à parochianis; & quidem *institutione divina*, ut dicitur c. *Parochianos*, & c. *Tua*; quod intellige juxta dicta *num.* 2566. nec obstat, quod dicatur *quasi debitum* exigi posse; nam, ut notat *gloss.* V. *eod.* illud *quasi* non est similitudinarium, sed expressivum veritatis, prout hoc pluribus exponit Barbosa *de dictionib. usufrequent.* V. *quasi*; & constat ab exemplo ibi: *quasi Unigeniti à Patre.* Omnes igitur, qui exempti non sunt, Ecclesiis Parochialibus, ac earum Rectoribus, persolvere decimas obligati sunt in conscientia; c. *à nobis.* 24. *h. t.*

§. 1.

De quibus rebus dandæ sint decimæ?

QUid in hoc dicendum sit *de jure com-* 2569 *muni*, constat ex dictis, & proximè

cit. c. *ex transmissa*, *in num.* 2567. ibi: *fidelis homo de omnibus, quæ licitè potest acquirere, erogare tenetur*; ubi specialiter fit mentio etiam de acquisitis *ex molendino adventum*; id, quod de acquisitis non tantùm ex molendinis; sed etiam ex piscatione, fœno, & lana dicitur c. *pervenit.* 5. *eod.* de apibus, & omni fructu, c. *Nuntios.* 6. *eod.* de omnibus prædiorum fructibus, licet natis ex seminibus diverso tempore sparsis, c. *Ex parte.* 21. *eod.* de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, de ipsa etiam militia, de venatione, & de omnibus bonis decimæ sunt ministris Ecclesiæ tribuendæ, ita ut si qui de his ea solvere neglexerint, Ecclesiastica districtione debeant percelli, c. *non est.* 22. *eod.* de decimis etiam personalibus ex negotiatione, artificio, advocatione, &c. ut colligitur *ex dict.* c. *Non est*; ubi ferè in omnibus dictis juribus dicitur, etiam per excommunicationem cogendos esse ab Ordinariis, & Prælatis Ecclesiasticis eos, qui recusant solutionem decimarum.

2570 Difficultas est. 1. an decimæ persolvi debeant ex rebus, & acquisitis *etiam illicitè?* 2. an ex hæreditate, legatis, donationibus? 3. an solvendæ prædiales integrè, nimirum non deductis prius expensis? 4. an sic quoque solvendæ sint decimæ personales? Ad 1. videtur affirmandum ex c. *Non est.* 22. *h. t.* ibi: sicut revera SS. PP. in suis tradiderunt scripturis, *de ipsa etiam malitia* decimæ sunt Ministris Ecclesiæ tribuendæ; Bz. ea quidem verba haberi in quibusdam exemplaribus; sed esse mendum, & pro *malitia*, legendum, *de ipsa etiam militia*, ut reperitur in lectione apud Gonzalez *dict.* c. *Non est*, & in aliis. Unde ad quæstionem resolvendam distinguendum est inter decimas *prædiales*, & *personales*; in prædialibus enim non attenditur in ordine ad debitum solvendi decimas, an quis possideat *bonâ*, vel *malâ fide*; sed ipsum prædium, seu terra reddens fructum ex munere Dei, ut habetur c. *non est*, ibi: *non est in potestate hominum, cùm plantant arbores, vel aliquaterræ semina mandant, quid eis satio, vel plantatio sit reddiura?* cùm neque, qui plantat aliquid, plenè faciat, neque qui rigat; sed Deus det incrementum. Hinc quoniam *ipsum* prædium obligatum est ad reddendas decimas, possessor ejus, esto illicitè, ac malo titulo teneat, ad eas persolvendas adstringitur, *ratione rei possessæ*, non minus, quàm si penes verum dominum essent; sic Azor *p.* 1. *l.* 7. *c.* 24. *q.* 13. *cum gloss. in* 16. *q.* 1. c. *decimæ.* 66. V. *Negotio.* De personalibus autem dicendum, ex his, quæ talis persona acquirit illicitè, ac injustè cum onere restituendi, non deberi decimas ab illa, cùm de alieno justè non possit disponere; de acceptis verò ex turpi opere (v. g. meretricio, assassinio, proditione) ubi in accipientem transfertur dominium, per se loquendo, decimæ exigi possunt; cùm canones complectantur omnia acquisita nimirum in proprietatem; si tamen exinde timeretur, uti prudenter potest, scandalum, tanquam Ecclesia ejusmodi vitiosos lucrandi modos approbaret, exigendæ non essent; de quo V. *S. Thomas.* 2. 2. *q.* 87. *a.* 2. *ad.* 2.

Ad. 2. videtur affirmandum; cùm ca- 2571
nones universaliter loquantur, *de omnibus, quæ licitè potest acquirere*, c. *ex transmissa*, *in num.* 2567. *& de residuo, quasi de lucro, decimas persolvendas*, c. *Pastoralis.* 28. *eod.* at in hoc veniunt acquisita titulo lucrativo, hæreditas, legatum, donum, &c. quamvis *gloss. in* c. *Pastoralis.* V. *quasi de lucro* limitet ad sola acquisita mobilia; cùm immobilia non veniant nomine *frugum*: Sed probabilius negatur cum Suarez *l.* 1. *c.* 31. *num.* 6. & aliis; quia nullum extat jus statuens deberi decimas ex his, quæ nobis *mere passivè* obveniunt, *alterius voluntate*; in omnibus enim loquitur solùm de his, quæ ipsi acquirimus vel ex immobilium fructibus & emolumentis, vel labore, ac industriâ; & hoc sensu accipiendum est *de omnibus, quæ licitè acquirimus* nimirum *activè*; & non *merè passivè* ex sola dispositione alterius benevola. Aliud est, quòd, si fundus alicui donatus, vel legatus est, cui prius incumbebat onus solvendi decimas, etiam de illo deinceps suo tempore donatarius, vel legatarius decimas solvere debeat; vel si transivit ad eum pendentibus adhuc fructibus, ubi collecti fuerint; quia res transit cum suo onere.

Ad. 3. Bz. decimas prædiales *integrè* sol- 2572
ven-

vendas, nimirum non deductis expensis, tributis, pensionibus, censibus, aliisque debitis; probatur. 1. ex c. *cùm homines. 7. h. t.* ibi: sub anathematis districtione illos cogatis, tam de fructibus, quàm de nutrimentis animalium suorum, *sine fraude, & diminutione aliqua, in Autumno*, sicut moris est, *statim collectis fructibus, & aliis temporibus*, prout debent, persolvant, atque *de subtractis, & retentis dignam satisfactionem exhibeant*; loquitur autem textus de casu, quo solvere decimas obligati, *antequam Ecclesiæ decimas ad eam spectantes persolverent, servientibus, & mercenariis suis de frugibus non decimatis debita totius anni, pro servitio suo, impendebant, tunc demum de residuo decimam persolventes.*

2573 Probatur. 2. ex c. *Tua nobis. 26. eod.* cùm enim quidam Laici diœcesis Vercellensis, *semen*, & *sumptus, qui fuerint in agricultura, primitus deducendos, & de residuo impendendam esse decimam asseverarent*: alii verò de portione fructuum, quam à colonis accipiunt, *partem decimæ separantes, eam capellanis suis, vel aliis Clericis, seu Ecclesiis*; aut *etiam pauperibus conferrent*, vel in usus alios pro sua voluntate converterent: nonnulli clericorum vitam tam abominabilem, decimas eis ob hoc subtrahere non vererentur: quidam insuper asserentes, se possessiones, & omnia jura sua cum omni honore atque districtu per imperialem concessionem adeptos, decimas hujusmodi generaliter detinere præsumerent: Pontifex statuit, & loci Episcopo mandavit, quatenus omnes, qui ratione personarum, aut etiam prædiorum decimas Ecclesiis, & clericis suæ diœcesis exhibere tenentur, *ad eas cum integritate reddendas, sublato appellationis diffugio, auctoritate Apostolica, per excommunicationis, vel interdicti sententiam compellendi liberam habeat facultatem.* Præterea, ut Clericos suæ diœcesis, de quibus fuerit auditorio suo querela proposita de decimis antedictis, & fructibus perceptis ex eis, ad plenam sub suo examine justitiam faciendam compellere valeat, non obstante appellationis objectu in elusionem Ecclesiasticæ disciplinæ.

Probatur. 3. ex c. *Cùm non sit. 3. h. t.* 2574 ibi: *cùm non sit in homine, quod semen serenti reddat, vel respondeat*, quoniam juxta verbum Apostoli, neque qui plantat, est aliquid, nec qui rigat, sed qui incrementum dat Deus; ipsum quidem mortificato semine plurimum fructuum affert, *nimis avarè quidam in decimis defraudare nituntur; census, & tributa, quæ interdum indecimata præterunt, de frugibus primitus deducentes.* Cùm autem *in signum universalis dominii* quasi quodam titulo speciali, *sibi dominus decimas reservaverit*: Nos & Ecclesiarum dispendiis, & animarum periculis obviare volentes, statuimus, *ut in prærogativam dominii generalis exactionem tributorum, & censuum præcedat solutio decimarum: vel saltem hi, ad quos census, & tributa indecimata pervenerint (quoniam res cum onere suo transit) ea per cens. Eccles. decimare cogantur Ecclesiis, quibus de jure debentur.*

Ex his juribus clarè habetur decimas 2575 *prædiales* (quibus, ut monuimus supra, annumerantur etiam illæ, quas alii dicunt *mixtas*) solvendas esse ex fructibus, *non remanentibus post deducta alia onera*, (v. g. semen, census, tributa, mercedem operarum, &c.) *sed ex integris, antequam ex iis in alium finem, etiam pium, quidquam detrahatur*; ut colligitur apertè ex c. *Tua, in num.* 2373. ibi: *eam capellis suis, aut aliis Clericis, aut etiam pauperibus conferunt*; ratio redditur quia Deo debita est solutio decimarum, à fortiori, quòd Deus, cujus est terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo, deterioris conditionis esse non debeat, quàm dominus temporalis, *cujus statutum debitum de terris, quas exhibet aliis excolendas, non quidem deductis sumptibus, aut semine separato, necessarium esse dignoscitur cum integritate persolvi; nimis profectò videtur iniquum, si decimæ, quas Deus in signum universalis dominii sibi reddi præcepit, suas esse decimas, & primitias asseverans, occasione præmissâ, vel excogitatâ magis fraude, diminui fortè valerent.*

Habetur. 2. Clericis deberi decimas 2576 propter divinum cultum; non probitatem

vitæ; unde tametsi minus exemplares forent, si tamen, quæ debent, divina suis ministeria præstarent, ob vitam improbam non posse illis denegari, ut colligitur ex *dict. c.* 26. ibi: *nonnulli Clericorum vitam*, & reliqua sup.

Habetur. 3. resolutio quæstionis, quando solvi debeant? R. enim decimas esse solvendas *statim collectis fructibus*; constat ex textu in c. *Cùm homines. 7. de quo num.* 2573. & ita ex hoc textu deducunt Rebuffus de decimis *q.* 12. *à num.* 1. ubi ly *statim* idem est, *quanto citius* possunt, ut vult *gloss. penult. in dict. c.* 7. Layman *in Theol. moral. l.* 4. *tr.* 6. *c.* 5. *num.* 1. *Monet. de decimis, c.* 6. *q.* 2. *num.* 8. & Azor *instit. moral. p.* 1. *l.* 7. *c.* 24. *q.* 16. qui tamen tenet sufficere, quòd fructus sint collecti, licet granum sit cum palea; & idem Monet. ubi proximè, *num.* 15. resolvit valere consuetudinem, ut decimæ prædiales non solvantur statim, sed certo tempore.

2577 Hìc tamen videtur annotandum de agnis, & vitulis, non deberi statim, ubi nati sunt; sed, cùm illi nutriti sunt, nec indigent lacte materno; ita Suarez *de Relig. tom.* 1. *tr.* 1. *l.* 1. *c.* 37. *num.* 6. *Monet. cit. c.* 6. *num.* 14. & alii, assignantes rationem; quia si animalia ipsis statim natis consignarentur, esset inutilis talis decimatio, & sic melius esset illam non præstare. Debitum porrò, *statim* solvendi decimas prædiales urget, absque eo, quòd à Parocho petantur, sive exigantur; quia dies ipse sive tempus solutionis pro creditore interpellat; sic Layman *in Theol. moral. l.* 4. *tr.* 4. *c.* 5. *num.* 1. *in fine. Covarruv. l.* 1. *var. c.* 17. *num.* 8. *vers.* 8. Suarez *cit. l.* 1. *c.* 36. *num.* 20. *& c.* 37. *num.* 2. & ideo periculum decimarum ad ipsum debitorem spectat ita, ut, si decimæ prædiales solutæ non fuerunt statim, ac fructus collecti sunt, vel saltem juxta consuetudinem, monito Curato, ut decimam reciperet, & frumentum, vel vinum periit, tenebitur is, qui solvere, vel monere debebat, per *Rebuff. de decimis. q.* 12. *n.* 2. *& alios jam cit.*

2578 Dices: *in Cod. tit. de fructibus*; item L. *si fundus. ff. familiæ erciscund.* & L. *fructus, ff. soluto matrim.* dicitur, illos tantùm censeri *fructus*, qui remanserint *deductis expensis*: cùm autem ex *fructibus* tantùm debeatur decima, effici videtur non deberi ex omnibus fructibus, nisi prius deducantur expensæ, scilicet seminis æstimatio, & pretium pro colendo agro, & colligendis fructibus, vel reparanda domo, quæ lixari debet: solùm enim, quæ remanent, sunt fructus. R. *fructus* dupliciter considerari posse; primò, si considerentur, secundùm quod nascuntur ex terra, seu naturaliter proveniunt; deinde, secundùm quod percipienti fructus naturaliter provenientes *afferunt aliquod lucrum* ultra id, quod de suo impendit; quâ distinctione positâ: R. in dictis legibus nomen *fructus* accipi in sensu secundo, pro lucro proveniente fructuario ultra expensas; in sacris autem canonibus *fructus* accipi in sensu primo, pro omni eo, quod ex tali re naturaliter provenit, prout manifestum est legenti textus à nobis allatos à *num.* 2572. cùm expresè inhibeant deduci prius expensas, census, tributa, & solùm ex residuo solvi decimam.

Not. præterea circa tempus solvendi 2579 decimam, juxta jus civile, satis esse, quòd fructus sint percepti (ut jam tunc solvi debeant) quamvis non sint planè collecti, ut habetur L. *si ejus. ff. de rei vindicat.* in ea enim dicitur: *perceptionem fructus accipere debemus*; non enim perfectè collecti; sed etiam cœpti ita percipi, ut terra continere fructus desierit, veluti si olivæ, vel uvæ fectæ fuerint, & nondum ab aliquo vinum, vel oleum factum sit, statim ipse fructum accepisse existimandus sit, sic ibi: consuetudo tamen consulenda est.

Habetur denique. 4. quid dicendum ad 2580 quæstionem, an decima deferenda sit ad Ecclesiam, seu in horrea Clericorum, an satisfacies, si reddas in agro, vel in vinea, vel in tua domo? R. fructus indecimatos tritici, vini, paleæ, & similium non esse mittendos in horrea propria, vel aliis mittendos sine consensu clericorum, vel illorum, quibus decimæ debentur; quia hoc non potest sine injuria Ecclesiæ fieri; si tamen Clericus monitus noluerit decimam accipere, satisfieri, si recondantur, vel in area relinquantur; ita Suarez *lib.* 1. *c.* 37. *anum.* 7. & alii; unde is, qui tenetur ad decimas, quantum est de jure communi, non obligatur eas deferre ad domum propriam Clericorum; cùm hoc nullibi constitutum sit, ut notat *gloss. in cit.*

cit. c. *cùm homines*, V. *fructibus*, cum Suarez *cit. num.* 6. Bonacina *D. ult. de quinto Eccles. præcept. q. unic. p.* 4. in fine; sed in hoc spectanda est consuetudo, ut rectè monet Azor *l.* 7. *c.* 35. *q.* 15. *& alii.*

2581 Ad 4. ℟. de hocagi in c. *Pastoralis*, 28. *h. t.* Consultus enim Innocentius III. ab Heliensi Episcopo, an de molendinis, & piscariis deduci possint expensæ necessariæ, priusquam solvantur decimæ, sicut in negotiatione? rescripsit: expensas pro fructibus percipiendis ex illis rebus, unde proveniunt, non videri deducendas, fructus autem alienari non posse, nisi cum onere decimarum, nec pro restaurando detrimento quarumlibet rerum, ex quibus decimæ persolvuntur, deducendas expensas, de proventibus decimandis, quia penes dominum permanent restauratæ, ut si pars aliqua moriatur armenti, deterioretur vinea, portio mercis depereat, vel totus clibanus destruatur; ex quo textu habetur, in decimis prædialibus non esse idem concessum, quod in personalibus; nam in his decima solvitur, deductis prius expensis; ut constat ex dicto c. *Pastoralis*, ibi: *sicut est in negotiatione concessum*; &, licet circa res acquisitas, vel factas de pecunia decimata, cùm ipsæ venduntur, credamus deducendas expensas, & de residuo, quasi de lucro decimas persolvendas, ut si vendatur domus, ager, vinea, clibanus, molendinum, grex, aut quælibet merces; quam autem Barbos. in dict. c. *Pastoralis*. V. *expensas tamen n.* 4. velit, quòd, ubi verbum *fructus* profertur à lege, semper intelligatur *deductis expensis*; fallit tamen. 1. in casu, de quo diximus n. fallit. 2. quando legatur alicui fundus, vel ususfructus cum obligatione solvendi alteri pensionem, seu illorum fructuum partem; tunc enim expensæ deduci non debent; quia in tali legato commoditas tantùm illius, cui solvenda est pars fructuum, videtur spectari: aliud est, si sine tali onere; quia tunc spectatur sola commoditas, & lucrum Legatarii; de quo V. Castropalaus *tom.* 2. *de decimis. D. unica. p.* 8. *à n.* 1.

§. 2.

Cui solvendæ sint decimæ?

2582 ANte resolut. suppon. 1. olim, priusquam diœceses divisæ sunt in distinctas parochias, decimas fuisse persolutas Episcopis, ut per eos secundùm merita, & necessitates dispensarentur in Clericos, Ecclesiarum talium Ministros; colligitur 1. ex 16. *q.* 7. *c.* 1. ibi: *has verò decimas sub manu Episcopi fore censemus* ut ille, *qui cæteris præest, omnibus justè distribuat, nec cuiquam personæ honorabilius exhibeat, unde alii scrupuloso corde moveantur*; sic Gregorius VII. qui etiam c. *pervenit.* 3. *ead. caus. & quæst.* sic loquitur: pervenit ad nos fama siniſtra, quòd quidam Episcoporum, *non Sacerdotibus propriæ diœcesis, decimas, atque Christianorum oblationes conferant, sed potius laicalibus personis, militum videlicet, sive servitorum, vel (quod gravius est) etiam consanguineis.* Unde si quis amodo Episcopus inventus fuerit hujus *divini præcepti* transgressor, *inter maximos hæreticos, & antichristos non minimus* habeatur. Et sicut Nicæna Synodus de Simoniacis censuit, & qui dat Episcopus, & qui recipiunt ab eo laici, sive pretio, sive beneficio, *æterni incendii ignibus deputentur*; ubi post textum notatur in vulgatis codicibus huic c. appositum nomen *paleæ*, sed non bene, cùm habeatur in omnibus manuscriptis. &c.

Suppon. 2. postquam Parochiæ intra 2583
diœceses divisæ, ac singulis Curatis, & Parochis decimæ assignatæ sunt, hoc ita de jure communi constitutum esse, ut ex illis ipsis à Curatis & Parochis quarta pars cederet Episcopo, tanquam Superiori, & Ordinario fidelium in sua diœcesi, constat ex c. *Conquerente.* 16. *de offic. Jud. Ordin.* ubi inter jura Episcopalia in recipiendo numeratur etiam *quarta decimationum*, c. 4. *de præscript.* ibi: *de quarta decimæ &c.* c. *cùm olim.* 19. *de censib.* ibi: *tam de quarta decimarum, quàm* de cæteris Episcopalibus tibi debeat respondere, c. *quoniam.* 13. *h. t.* ubi dicitur, *decimas novalium deberi Ecclesiæ, in cujus parochia surgunt*, & has per Diœcesanum (*suâ parte retentâ*) eidem Ecclesiæ deberi assignari, plura de hoc Suarez *l.* 1. *de decimis. c.* 24. Layman *l.* 4. *summæ. tr.* 6. *c.* 4. & alii: quibus positis:

Quæstio est. 1. cui debitæ sint decimæ 2584
prædiales? ℟. quòd *spectato jure communi Sacrorum canonum*, integrè persolvendæ sint Curatis, vel Parochis, seu Rectoribus

bus Ecclesiarum, intra quarum fines prædia sunt, nisi alicubi sit alia consuetudo, ut notatur in c. *ad Apostolicæ.* 20. *h. t. de quo supra*; *constat.* 1. *ex cit.* c. *quoniam.* 13. *h. t. relato præced. num. deinde ex* c. *Cùm contingat.* 29. *eod.* ubi, cùm Helienſis Epiſcopus ex Pontifice quæſivisſet, cùm contingat interdum, in quibusdam parœciis ad quasdam Eccleſias, vel perſonas Eccleſiaſticas ab antiquo pertinere perceptionem decimarum, & de novo fieri novalia in eisdem: ad quam hujus novalium decima incipiat pertinere? reſpondit Pontifex: quòd, cùm perceptio decimarum ad parochiales Eccleſias de jure communi pertineat, decimæ novalium, quæ fiunt in parochiis earundem, ad ipſas proculdubio pertinere noſcuntur, niſi ab his, qui aliàs percipiunt decimas, rationabilis cauſa oſtendatur, per quam appareat novalium ad eos decimas pertinere.

2585 Eadem reſponſio probatur ex c. *Cùm in tua.* 30. Nam cùm in diœceſi Beluacenſi quædam Monaſteria, & Eccleſiæ Conventuales in multis Parochiis majores decimas perciperent, & minutas, de quibusdam autem fructibus non perſolverentur; quæſivit loci Epiſcopus edoceri à Pontifice, utrum decimæ fructuum prædictorum ad parochiales Eccleſias, quæ nec minores recipiunt, nec minutas, an ad monaſteria, & illas conventuales, quæ decimas alias percipiunt, ab antiquo debeant pertinere? reſpondit Pontifex: ſi fructus prædicti de illa terra proveniant, unde dictæ Eccleſiæ aliquos percipiebant ex decimis proventus, procul dubio decimas talium fructuum illis deberi, cùm illis terra illa ab antiquo fuerit decimalis, & non debeat una eademque (aliqui legunt, *una eademque res*, alii, *Eccleſia*) diverſo jure cenſeri, alioqui Parochialibus Eccleſiis exſolvantur, ad quas de jure communi ſpectat perceptio decimarum.

2586 Ex his juribus deducitur hæc regula: quòd perceptio decimarum ſpectet ad Eccleſiam Parochialem, & conſequenter Parochus habeat intentionem fundatam adversùs quemlibet juris decimandi poſſeſſorem, aut detentorem etiam Epiſcopum; neque parochum aliter, quàm jus commune allegando, probare teneri eas ad ſe pertinere; detentorem verò, vel poſſeſſorem alium debere rationabilem cauſam afferre, eamque probare, quia habet præſumptionem juris contra ſe.

Deducitur. 2. hanc præſumptionem, 2587
quæ ſtat in dicta materia pro Parochis, eſſe tam vehementem, ut, ſi Parochus Clericum, & multò magis laicum decimarum poſſeſſione ſpoliaret, ſpoliatus contra communem juris regulam non deberet reſtitui, niſi evidenter probaret, quòd decimarum poſſeſſionem legitimè fuerit aſſecutus, quod de Clericis expreſsè habetur *c. 2. de reſtit. ſpol.* Rationem aſſignat Pontifex, quia Clericus eas occupare injuſtè, veriſimiliter præſumitur, cùm proveniant ex prædiis infra aliam parochiam conſtitutis, ſitque manifeſtum (niſi aliud oſtendatur) eas de jure ad eandem Eccleſiam pertinere. De hoc plura dedimus *lib. 2. tit. 13. de reſtit. ſpoliat.*

Deducitur. 3. quandoque tamen fieri, 2588
quòd decimæ prædiales debeantur alteri Eccleſiæ, quàm Parochiali; conſtat ex dict. c. *cùm in tua*, ibi: *eis procul dubio* (nimirum Monaſteriis, & Conventualibus Eccleſiis) *decimæ fructuum debentur eorum; cùm ipſis terra illa ab antiquo fuerit decimalis.* *Quo* autem *titulo* terra illa ipſis fuerit decimalis? non exprimitur; Panormitanus (relatus in Rubrica hujus c.) cenſet, quòd *titulo præſcriptionis*; ſed hoc determinatè non habet fundamentum in nigro, ſeu textu; cùm ipſis obvenire jus illud potuerit titulo fundationis, donationis, privilegii, & Pontifex in ratione decidendi *præſcriptionis* nec verbulo meminerit.

Deducitur. 4. ei, cui ab antiquo deben- 2589
tur decimæ majores, in dubio etiam deberi *minutas* (quæ ſcilicet ſunt ex hortis, pullis, ovis, &c. Suarez *tom. 1. de Relig. tr. 2. l. 1. c. 34. num. 4.*) licet primò poſt tempus illæ proveniant, prout *in dict. c.* 30. reſponſum fuit à Pontifice Epiſcopo Beluacenſi; qui dubitabat, num decimæ minutæ de rebus in illa terra deberentur iisdem Monaſteriis, quibus ab antiquo illa terra decimalis erat.

Deducitur. 5. ſi quædam beneficia ſunt 2590
legitimè fundata ex decimis (nimirum deputatis certis prædiis, ex quibus eis decimæ perſolvantur) eas ſecundùm portionem aſſignatam deberi Beneficiato, ſeu habenti tale beneficium, eſto habeat annexam dignitatem, perſonatum, vel offi-

cium

cium; constat ex c. *Ex parte.* 21. *h. t.* ubi Clemens III. pro Canonicis decidit, ut illis de omnibus prædiorum fructibus decimæ absque diminutione persolvantur, licet diversis anni partibus in eodem horto, vel agro semina sparsa fuerint.

2591 Quæstio altera est, cui debeantur decimæ personales? R. si alicubi adhuc sint in usu, deberi Ecclesiæ, in qua quis Sacramenta percipit; seu percipere debet; nec enim parochianus à qualibet Ecclesia recipere potest Sacramenta, quæ propriè spectant ad jus parochiale, v. g. recipere baptismum, viaticum, extremam unctionem, celebrare matrimonium, &c. Probatur ex c. *Ad Apostolicæ.* 20. *h. t.* ubi Lucius III. Archiepiscopo Strigoniensi rescribit, æquum esse, ut illi Ecclesiæ decimæ personales reddantur à Parochianis, in qua percipiunt Sacramenta, decimas verò messium, vel fructuum arborum, si coluerunt in alia Parochia, quàm in ea, in qua habitant, Episcopus eligat in hoc casu, quod per consuetudinem ibidem noverit observatum. Ratio etiam est, quia decimæ personales non sunt onus reale, sed merè personale, ergo à persona debentur illi Ecclesiæ, vel Rectori ejusdem, qui Sacramenta, & alia spiritualia ministrat, & à quo aliquis illa accipit; cùm decimæ dentur in sustentationem illorum, qui ex officio spiritualia ministrant. Confirmari hoc potest *ex* 16. *q.* 1. c. *de decimis.* 45. ibi: *decimas à plebibus, ubi sancta baptismata dantur, dari debere,* c. *questi.* 46. *ead.* ibi: *familiæ eorum ibi dent decimas, ubi infantes eorum baptizantur, & per totum anni circulum Missas audiunt,* quod idem videri potest c. *statuimus.* 55. & c. *in sacris.* 56. *eâd. caus. & quæst.*

2592 Quia verò in c. *Ad Apostolicæ, relato num. præced.* dictus Archiepiscopus Strigoniensis in ordine *ad decimas prædiales* (quando prædia sita sunt in diversa parochia ab illa, in qua dominus illorum habitat) jubetur attendere consuetudinem diu obtentam (prout idem etiam habetur in c. *Cùm sunt.* 18. *h. t.*) ideo, quamvis decimæ *prædiales* regulariter solvi debeant Ecclesiæ, intra cujus fines sitæ sunt; & *personales*, in qua Colonus recipit Sacramenta: si tamen quoad prædiales sit consuetudo diu obtenta, ut etiam illæ solvantur Ecclesiæ, in qua Colonus divina percipit, licet prædia intra fines alterius Ecclesiæ sita sint, consuetudo tenenda est; si tamen essent planè in alio Episcopatu, attendenda quidem in hoc foret consuetudo, sed non æquè facilè, sicut si colonus, & prædia essent in diversis parochiis sub uno Episcopo; rationem dat textus: *quia difficile nimis videtur, ut una Ecclesia in Episcopatu alterius recipiat decimas: cùm ex hoc Episcopatuum fines confundi non immeritò viderentur.*

Dices: ex cit. canonibus habetur, etiam Ecclesiæ baptismali solvendas esse decimas prædiales; at non omnis baptismalis est Parochialis; ergo etiam Ecclesiæ non Parochiali solvendæ sunt decimæ prædiales, licet tantùm baptismalis sit. 2593 R. cùm regulariter Ecclesia baptismalis etiam sit parochialis, ibi per baptismalem intelligi parochialem; & ideo in jure canonico sæpius Ecclesia parochialis, nomine baptismalis intelligitur. Si tamen aliqua Ecclesia foret *baptismalis tantùm*, & constaret, ei etiam certa esse prædia pro decimis assignata legitimè, vel alio jure (fundationis, conventionis, &c.) competere, in eo conservanda esset.

§. 3.

De decimis Novalium.

SUppon. 1. quòd *Novale*, seu novalis ager dicatur à *novando*; & apud Servium, aliosque Grammaticos, esse *arvum* tunc primum ad sementem prosciissum; seu, sylvam, quæ arboribus extirpatis ad cultum apta redditur. Apud Juristas, ut sumitur L. *Sylva. §. novalis. ff. de Verb. signif. est terra prosciissa, quæ per annum cessat*: seu est *ager, qui alternis annis seritur.* Apud Canonistas, & Notarios Romani Pontificis c. *quid per novale*, de V. S. dicitur *ager de novo ad agriculturam redactus, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuisset.* Hinc *Novalis* appellatione venit terra de novo ad culturam redacta, cujus non extat memoria, quòd culta fuisset; ita ex *c. cit.* 2594

Mascard. de probat. conclus. 1106. *Canis. tract. de decimis, c.* 11. *num.* 1. *Tamburin. de jure Abbat. D.* 15. *q.* 18. *num.* 6. *& Tusch. tom.* 5. *lit. N. conclus.* 114. *num.* 2. ubi affirmat, quòd si ager unus pro parte fuit cultivatus, & maximè pro majori parte, non possit dici *novale*, licet quoad partem non extet memoria hominum, quòd fuerit cultus.

2595 Ex hoc habetur, tria requiri ad *Novale* propriè dictum; primò, quòd terra, sive locus ille noviter fuerit redactus ad culturam; secundò, quòd locus talis ab hominum memoria non fuerit cultus, neque inhabitatus, ut addit Hostiens. *c.* 21. in fine; tertiò, quòd Ecclesia Parochialis nullos, vel modicos solùm fructus ex tali terra prius perceperit: nam si magnos proventus decimarum nomine prius percepit, v. g. ex pascuis, sylvis, vel domibus, quæ postea in agrum sunt redacta, non censebitur talis terra, vel locus *Novale*, in ordine ad privilegium solvendi decimas; quibus præmissis:

2596 ℟. De hac quæstione agi in c. *quoniam.* 13. *h. t.* ubi Pontifex consultus ab Episcopo Brixiensi, quid de decimis *Novalium* in sua diœcesi sit statuendum? respondit, si terræ, quæ arabiles sunt, intra certam Parochiam fuerint, ut decimas earum (suâ parte retentâ) Ecclesiæ parochiali faciat assignari, alioqui ipsas secundùm discretionem à Deo datam alteri Ecclesiæ deputet, vel ad opus suum retineat.

2597 Ex hoc deducitur. 1. decimas *Novalium* deberi parochiali Ecclesiæ, intra cujus fines ea *Novalia* existunt, intellige secluso privilegio, præscriptione, consuetudine, vel alio titulo, vi cujus alteri debeantur; si autem Novalia intra duas Parochias, ut utriusque limites attingant, ad utramque pertinebunt, juxta proportionem spatii, quod in hac, vel alia parochia accipiunt; si verò nulli appareant limites Parochiarum, tum Episcopus illas dividet, prout idoneum putârit, aut ipse pro mensa Episcopali retinebit, qui videtur sensus, ut colligitur ex cit. c. *quoniam*, sub finem. Deducitur. 2. licèt aliæ decimæ ejusdem Parochiæ ab alia Ecclesia præscriptæ sint, nihilominus Parocho deberi decimas Novalium, juxta c. *Cùm contingat h. t.* præscriptio enim sine possessione, vel quasi, non procedit, *c.* 3. *de reg. jur.* & L. *Sine possessione. ff. de usucapionib.* & tantum quis præscribit, quantum quis possidet, L. *qui fundum. §.* 1. *ff.* pro emptore: sed novalis ager quoad jus decimandi possessus nunquam fuit, cùm non esset cultus; manet igitur jus Novalium Parocho semper salvum.

Quæres, an, si Laico jus decimandi 2598
concedatur in feudum, id etiam extendatur ad decimas novalium? ℟. quòd non ex c. *Tua.* 25. *§. ne occasione*, ibi: ne occasione decimationis antiquæ (licet in feudum decimæ sint concessæ) sunt decimæ novalium usurpandæ, cùm in talibus non sit extendenda licentia, sed potius restringenda; & ita tradit Moneta de decimis, *c.* 4. *num.* 66. ubi dicit similem textum *in c.* 2. *§.* 2. *h. t. in* 6. Suarez *tom.* 1. *de Relig. tr.* 2. *l.* 1. *de decimis, c.* 2. *num.* 9. *& c.* 34. *num.* 4.

Quæres. 2. an privilegium de non sol- 2599
vendis decimis extendatur etiam ad *Novalia*? ℟. privilegium alicui absolutè concessum, quòd non teneatur solvere decimam ex propriis prædiis, extendi etiam ad Novalia coli cœpta, seu facta *post acceptum privilegium*, ita Suarez *cit. l.* 1. *c.* 19. *à num.* 4. Zoësius *h. t. num.* 541. & alii; colligitur. 1. ex c. *Ex parte.* 10. *h. t.* ex quo DD. communiter deducunt hanc regulam, quòd Religiosi omnes privilegio in jure scripto à solutione decimarum de novalibus, quæ propriis manibus, seu sumptibus excolunt, exempti sint; sic Rebuffus, Moneta, & alii, quos citat & sequitur Barbosa in *dict. c.* 10. *à num.* 5. referens particulatim Religiones, & eorum in hoc privilegia. Quoniam autem, quando conceditur privilegium hoc, ne Regulares teneantur solvere decimam *laborum suorum*, seu *de laboribus suis*, quidam istud verbum *de laboribus suis* exponebant, acsi diceretur *de Novalibus* suis, non autem de cœteris prædiis, quæ ipsi suis manibus, vel sumptibus colunt; Honorius III. (ut habetur in c. *ad audientiam.* 12. *h. t.* ibi: *asserunt, quòd pro laboribus novalia intelligi debeant*) man-

mandavit, ne hoc fieri permittatur; *nam, si intelligeremus*, inquit, *tantummodo de Novalibus, ubi ponimus de laboribus, de novalibus poneremus*; clarius etiam habetur c. *Ex parte.* 27. *eod.* ubi Innocentius III. scribens ad Abbatem S. Columbæ Senonen: *cùm tibi, quod majus est, sit concessum, ut videlicet decimas de laboribus terræ paræciarum tuarum, cum integritate percipias, de novalibus eas exigere satis potes: quia ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur.*

2600 Dixi: privilegium de non solvendis decimis *ex propriis prædiis*, extendi etiam ad *novalia*, si quis ea colat propriis manibus, vel sumptibus; sed ex hoc quæstio. 3. est, an, si quis sive Clericus, sive Laicus habeat privilegium colligendi decimas ex prædiis pertinentibus ad aliam Ecclesiam, privilegium pariter extendatur *ad novalia* intra fines talis Ecclesiæ, primùm nata post obtentum privilegium? videtur affirmandum ex dicto c. *Ex parte.* 27. *h. t. relato in fine præced. numeri*, ubi Pontifex clarè videtur innuere, si cui ex privilegio licet colligere decimas antiquas in aliqua Ecclesia, à fortiori licere etiam novales; sed contrarium dicendum est, cum *Covarr. l.* 1. *resolut. c.* 17. *num.* 13. Suarez *cit. l.* 1. *c.* 23. *à num.* 5. *& aliis.* Nam tale privilegium, salvâ verborum proprietate, restringi potest ad prædia *prius culta*; & cùm deroget juri communi, quod est in favorem Ecclesiarum; intra quarum fines prædia existunt, intelligi debet de jure decimarum, in ordine ad prædia, sive fundos *jam affectos* onere pendendi decimas; ne dispositio restringens jus commune ultra verborum proprietatem extendatur; excipe, nisi privilegium mentionem faciat de *quibuscunque* prædiis, etiam deinceps nascituris.

2601 Ad id, quod opponitur ex *c.* 27. ℟. verum sensum illius c. (ut patet ex integra ipsius lectione apud Rebuffum) esse hunc, quòd Abbas ille duo proposuerit Pontifici. 1. ut impetraret antiquum jus decimarum in Parochiis illis sibi, & Monasterio subjectis restitui; 2. ut declararet Pontifex in illa speciali concessione, etiam jus percipiendi decimas ex Novalibus sibi, & Monasterio restitutum esse: & ad hoc respondit Pontifex, frustra hoc peti, eò quòd decimæ Novalium jure communi ad ipsum Abbatem, ac Monasterium pertinebant: imò nunquam ablatæ fuerunt, quandoquidem in illa speciali concessione ab Episcopo alteri facta, percipiendi decimas in alienis Parochiis, decimæ Novalium non fuerunt comprehensæ; cùm enim talis concessio cedat in præjudicium Ecclesiæ parochialis, cui de jure communi competit jus decimarum, ideo non comprehenduntur in illa decimæ Novalium. Quarè cùm Abbati concessum fuerit, quod majus est, vel potius restitutum, (videlicet jus percipiendi decimas, quod jure communi ipsi Abbati, & Monasterio competebat ratione Parochiarum incorporatarum) sed speciali jure; sive concessione Episcopi Abbati, & Monasterio ademptum fuerat: multò magis concessum censebitur, quod minus & facilius est, videlicet jus percipiendi decimas Novalium, quod ei nunquam ablatum fuit, per specialem illam concessionem Episcopi: sed jure communi ad Parochias etiam spectat; quo habetur istud c. non esse nobis contrarium; cùm agat de decimis Novalium non alienæ Ecclesiæ, sed incorporatæ Monasterio.

Quæstio 4. est, qualiter intelligi de- 2602
beat privilegium percipiendi decimas etiam novales, habenti jus percipiendi antiquas in certo loco concessum? ℟. de hoc agi in c. *Statuto.* 2. *h. t. in* 6. ubi plura in hac materia per Alexandrum IV. constituta sunt. Primò enim statuitur, quòd privilegium illud non extendatur ad decimas Novalium, quæ tempore impetrati privilegii non fuerunt ab impetrantibus possessæ, sed ab aliis, nisi de his fiat mentio.

Secundò, quod se non extendat ad decimas Novalium nisi in illis locis, in quibus habebant jus ad decimas veteres; tertiò, quòd, si in illis locis, in quibus impetrantes privilegium, habent jus veterum decimarum, nascantur novalia, ex his vi privilegii non habeant jus accipiendi novales decimas aliâ portione, quàm qua recipiunt veteres, nimirum ita, ut habeant ex novalibus tantùm tertiam, quar-

tam, vel dimidiam, si ex veteribus habuerunt talem solùm portionem; ita c. *statutum*, in princip.

2603 Quartò, ut, si in dictis locis habebant *totas decimas veteres*, privilegium non intelligatur pariter *ad totas novales*; sed tantùm ad medietatem, & non ultra, ut habetur ibid. §. *statuimus*; excipit tamen Pontifex ab hoc statuto & declaratione Ordines Cistercienſium, & Carthusiensium. Quintò, ne liceat Religiosis etiam exemptis decimas à Laicis detentas, iisdemquè infeudatas, de manibus ipsorum laicorum acquirere, aut accipere sine Episcoporum consensu; habetur §. *Sanè*; ubi tamen nota, hoc non intelligi de aliis decimis, quàm quæ ante Concilium Lateranense laicis in feudum perpetuò fuerunt concessæ; & quidem illis, quas laici justè possidebant, nimirum in feudum ab Ecclesia acceptum, quale supponitur omne illud, quod est antiquius Concilio Lateranensi, de quo V. Suarez *cit. l.* 1. *de decimis. c.* 26. de injustè possessis constabit in seq.

Quintò, ut Episcopi ad requisitionem Rectorum parochialium Ecclesiarum, super decimis, quas Religiosi habent, quæque aliàs ad ipsas spectárunt Ecclesias (nisi de rebus exemptis agatur) exhibeant justitiæ complementum.

Sextò, ut iidem Regulares exempti de possessionibus acquisitis hactenus, & amodò acquirendis decimas integrè solvant illis Ecclesiis, quibus eædem possessiones priùs fuerunt decimales, nisi super hoc speciali jure ac privilegio sint muniti.

Septimò, ne, si in aliquibus Parochiis omnes majores decimas sive partem illarum acquirunt de manibus laicorum, possint pro eadem, vel simili portione petere, vel percipere decimas Novalium, quæ de novo fiunt, nisi rationabilis causa subsit.

2604 Quæstio est. 5. an, qui in aliquo loco præscripsit decimas prædiales, eo ipso etiam præscripserit decimas Novalium, postea enatarum? R. quòd non, nisi ostendat ex rationabili causa illas etiam ad se pertinere; habetur ex dict. & constat ex c. *Cùm contigat.* 29. *h. t.* ubi Pontifex rescribit, cùm perceptio decimarum ad Ecclesias parochiales de jure communi pertineat, decimas Novalium, quæ fiunt in Parochiis earundem, ad ipsos procul dubio pertinere, nisi ab his, qui aliàs percipiunt decimas, rationabilis causa ostendatur, per quam appareat Novalium decimas ad eos pertinere; sic Rebuffus de decimis *q.* 14. *num.* 3. Suarez *tom.* 1. *l.* 1. *c.* 21. *num.* 4. *& alii*; quo etiam habetur, quòd Clericus præscribere possit decimas in aliena parochia, ut ex hoc textu tradit *Covarr. l.* 1. *variar. c.* 17. *num.* 7. Suarez *cit. c.* 30. hinc etiam consuetudine legitima induci potest, ut decima uni Ecclesiæ debita, alteri solvatur.

Quæstio est. 6. an, si prædium, vel fun- 2605
dus obligatus ad decimas convertatur v. g. ex prato in agrum, ex hoc teneatur eidem solvere decimas prædiales, cui prius solvere debebat ex illo? R. quòd sic, ex c. *Commissum.* 4. *h. t.* Nam, cùm Monachi de Bosse Ecclesiæ parochali decimas integrè non persolverent, mandavit Pontifex eos ad decimas de terris cultis; ubi olim domus constructæ fuerunt, præfatæ Ecclesiæ (sicut, priusquam in ea Parochia morarentur, solebant persolvi) integrè persolvendas compelli. Porrò etiam jussit de pascuis, ex quibus olim decimæ persolvebantur, nunc ad frugum fertilitatem translatis, decimas absque diminutione persolvi.

Ex hoc deducitur, quòd decima solvatur etiam ab habente privilegium novalium de agro nuper ad culturam redacto, ex quo aliquid non modicum antea percipiebatur; sic Rebuffus de decimis, *q.* 6. *num.* 4. *&* 35. *Moneta, eod. tract. c.* 4. *num.* 51. Azor *instit. moral. part.* 1. *l.* 6. *c.* 24. *q.* 10. ubi etiam docet mutari quidem posse faciem agri absque consensu Ecclesiæ, dummodò sine ejus præjudicio. Hinc etiam sequitur, quòd, si domus constituatur in agro, qui erat alteri decimalis, colonum teneri ad decimam de domo, vel eam saltem, quam priùs tenebatur de agro; sic Rebuffus *cit. q.* 8. *num.* 21. *& alii*; quia non debet prædicare juri quæsito alteri.

Quæstio. 7. est, quid dicendum in 2606
casu, quo fundus, qui erat *ager*, conversus est in *vineam*, si per consuetudinem inductum sit, ut decimæ ex vineis debeantur Ecclesiæ A; ex agris, Ecclesiæ B.

an

an in hoc casu Ecclesia B. amittat jus decimæ, cùm fundus illi antehac obligatus desierit esse *ager*? videtur enim affirmandum, quia Ecclesia A. habet jus decimarum *ex vineis omnibus* in tali loco. Sed dicendum in hoc casu decimas ex vinea, facta ex agro, deberi priori Ecclesiæ; tametsi enim qualitas fundi mutata sit; substantia tamen ejus eadem est; & onus decimarum incumbit fructibus ex tali fundo, neque per hoc derogatur juri Ecclesiæ, *per consuetudinem* quæsito ad decimas *ex vinea*; nam illa consuetudo non plus tribuit, quàm per illam possederit; hanc autem novam vineam ante non possedit; ergo; sic *gloss.* in c. *Auditis.* 15. *de præscript.* V. *interruptionem*, & Abbas in c. *Cum intra.* 30. *h. t. num.* 3. aliud est, si quis habeat tale jus ex transactione juxta *c.* 3. *h. t.* vel privilegio, generatim, ac indefinitè concesso percipiendi decimas *ex vineis*, quia tunc generaliter datur jus decimarum ex vineis in tali loco etiam futuris juxta c. *quia circa.* 22. *de privileg.*

Cùm enim Archiepiscopus Londonensis, Sedis Apostolicæ Legatus, ex Innocentio III. quæsivisset, utrum Monachi omnium sanctorum privilegium, prædecessoris sui, super Episcopalibus decimis retinendis indultum, extendere valeant ad possessiones acquisitas, & postmodùm acquirendas? respondit Innocentius, quòd si decimarum illarum remissio facta extitit *secundùm canonicas sanctiones*; prædecessor ejus indefinitè decimas Episcopales monasterio remittendo (cùm nihil exceperit, & potuerit excepisse, ac in beneficiis plenissima sit interpretatio adhibenda, nec debeat una eademque substantia diverso jure censeri) intellexisse videatur, non solùm de decimis possessionum illius temporis, sed futuri; de quo plura V. *lib.* 5.

§. 4.

A quo solvi debeant decimæ?

2607 Regula generalis est, omnes Christi fideles, seu baptizatos, qui in spiritualibus subjecti sunt alicui Parocho, seu Sacerdoti proprio, & à quo Sacramenta recipere debent, per se, & ex debito personali obligari, ad decimas solvendas, nisi legitimo aliquo titulo, seu jure sint exempti, *S. Thom.* 2. 2. *q.* 87. *a.* 1. & 4. Suarez *cit. tom.* 1. *l.* 1. *c.* 16. & Canonistæ communiter; & constat ex c. *Transmissa*, c. *à nobis.* 24. *h. t.* ibi: *cùm igitur quilibet decimas solvere teneatur nisi à præstatione ipsarum specialiter sit exemptus*; sic Innocentius III. *in cit. c.* 24. Dupliciter autem nasci potest hæc obligatio. 1. ratione personæ, quæ subjecta est alicui Ecclesiæ, vel Parocho, quatenus in spiritualibus ejus pastorali curæ subjicitur; 2. ratione rei, intra fines talis Ecclesiæ, seu Parochiæ existentis.

In particulari autem etiam Clerici; & 2608
personæ Ecclesiasticæ per accidens obligari possunt ad decimas *reales*, nimirum ratione rei, quæ, antequam ad eas perveniret, subjecta erat oneri decimarum; quia res transit cum onere; 2. si possideant bona, vel prædia titulo laico, vel temporali; non autem *personales*, nisi ipsi in aliqua Ecclesia parochiali recipiant Sacramenta, & alia spiritualia. Utrumque colligitur ex c. *Novum.* 2. *h. t.* ibi: *novum genus exactionis est, ut Clerici à Clericis decimas exigant; cùm nusquam in lege Domini hoc legamus; non enim Levitæ à Levitis decimas accepisse leguntur. Illi profectò Clerici, qui à Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debent*; ubi nota, primam partem loqui de decimis realibus, ex prædiis, quæ habent *ut Clerici*, nimirum spirituali titulo sui beneficii; secundam de personalibus, ut constat ex verbis finalibus dicti *c.* 2. hæc dicta sint de personis Ecclesiasticis, non Regularibus.

Qualiter autem Regulares teneantur ad 2609
persolvendas decimas, constat ex dict. à *num.* 2599. nam in hoc quoad decimas *reales* idem dicendum est, quod de aliis, secluso speciali privilegio exemptionis, aut alio titulo liberante ab hoc onere, ut ex præmissis colligi potest. Quoniam autem in multis, onus solvendi decimas est ex determinatione juris Ecclesiastici; in illis dispensare quidem potest summus Pontifex, concedendo ex justis causis exemptionem; non autem Papâ inferior, *jure*

subordinario; cùm nemo inferior tali jure dispensare possit in lege superioris. *Exemptio* autem alia est de jure communi, nimirum comprehensa in corpore juris Ecclesiastici, quæ dicitur generalis; alia particularis, & extravagans, seu extra corpus juris, concessa per Bullas, vel oracula, de quibus in præsenti non agimus.

2610 Dicendum igitur. 1 jure communi Monachos, & alios Clericos Regulares exemptos esse ab onere solvendi decimas non modò personales, sed etiam reales de prædiis, quæ ipsi vel suis manibus, vel sumptibus colunt, ut constat ex dict. à *n.* 2599. Quamvis autem hoc privilegium olim restrictum fuerit ad solos Cistercienses, Templarios, & Hospitalarios; aliis autem Religiosis concessum solùm fuerit, ut de Novalibus suis, & quæ propriis manibus, vel sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis decimas non persolvant: aliqua tamen circa illud immutata sunt. Nam privilegium illorum trium Ordinum in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. restrictum fuit, ut intelligatur de prædiis, quæ ante Concilium Lateranense possederunt; de his verò, quæ postea acquisiverunt, si prius, quàm ad eos transirent, subjecta fuêre oneri decimarum, & ipsi solvere teneantur, ut constat ex c. *Nuper.* 34. *h.t.*

Cùm enim Abbates Cistercienses, in Generali Capitulo, à Pontifice moniti, statuissent, ne fratres Ordinis sui emant possessiones, de quibus decimæ debentur Ecclesiis, nisi pro fundatione novorum Monasteriorum; tum autem ejusmodi possessiones decimales dentur aliis, qui decimas persolvant; decrevit porrò Pontifex, ut de alienis terris etiam deinceps acquirendis, etsi eas propriis manibus, aut sumptibus excolant, dicti ordines decimas persolvant Ecclesiis, quibus ante persolvebantur, nisi aliter cum illis conventum fuerit; post quod subjungitur: *& hoc ipsum ad alios Regulares, qui gaudent similibus privilegiis, extendi volumus, & mandamus*: ut Ecclesiarum Prælati promptiores, & efficaciores existant ad *exhibendum eis, de suis malefactoribus justitiæ complementum, eorumque privilegia diligentiùs & perfectius studeant observare.*

Ex hoc textu deducitur. 1. decimas prædiales à Regularibus privilegiatis solvendas esse ex illis prædiis, quæ post Concilium Generale Lateranense III. acquisiverant, & quoad hujusmodi bona, privilegia omnium Religiosorum esse revocata: non item quoad bona acquisita, ante Concilium Lateranense, circa quæ constitutio ista nihil mutavit, ut à sensu contrario colligitur, & notat Abbas hic *num.* 2. *not.* 3. unde in illis adhuc hodie locum habet privilegium concessum Cisterciensibus, & aliis in cit. c. *Ex parte.* 10. *h.t.* 2611

Deducitur. 2. hanc revocationem quoad prædia post CC. Lateranense acquisita non debere intelligi *de omnibus ejusmodi prædiis*; sed iis tantùm, ex quibus ante solvebatur decima; constat ex claro textu dicti c. *nuper*, ibi: *ne occasione privilegiorum suorum Ecclesiæ alterius prægraventur*: decernimus, ut de alienis terris, *& amodò acquirendis*, etiamsi persolvant Ecclesiis, *quibus ratione prædiorum antea solvebantur*, nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum. 2612

Deducitur. 3. cùm cit. c. *nuper* solùm loquatur de decimis *prædiorum*, quæ Regulares post CC. Lateran. acquirunt, solvendis etiam ab ipsis, si prius huic oneri subjecta fuerant, licet ipsi ea colant suis manibus, vel sumptibus: privilegio concesso in *c.* 10. *h.t. de quo supr.* per istam constitutionem *c.* 34. non derogari quoad alia in illo contenta, nisi quoad exemptionem non solvendi decimas ex prædiis *acquisitis post Concilium Lateran.* licet ea suis manibus, vel sumptibus colant; adeoque non derogari exceptioni à non solvendis decimis suorum novalium, hortorum, animalium, quæ ipsi nutriunt. 2613

Præter dicta not. 1. privilegium eximens Regulares, vel alios à solutione decimarum de suis prædiis, quæ ipsi suis manibus, vel impensis colunt: non extendi ad prædia, quæ habent solùm ex conducto, habetur in c. *dilecti.* 8. *h.t.* ibi: *nec fuit intentionis nostræ, aut antecessorum nostrorum, ut de possessionibus, quas conduxistis, decimas non solvatis: mandamus, quatenus de prædiis, quæ conduxistis in paræciis suis, de quibus consueverunt decimas percipere, plenariè solvatis eisdem, vel cum ipsis amicabi-* 2614

cabiliter componatis; sic Honorius III. Monachis de Nevelan.

2615 Not. 2. dictum privilegium jure communi Regularibus concessum super non solvendis decimis ex suis prædiis, quæ ipsi colunt suis manibus, & impensis, non habere locum, *quando ejusmodi prædia tradunt aliis excolenda*, c. *Licet*. 11. *h. t.* ibi: *licet de benignitate Sedis Apostolicæ sit vobis indultum, ut de laboribus, quos propriis manibus, vel sumptibus colitis, nemini decimas solvere teneamini, propter hoc tamen non est licitum vobis, decimas de terris vestris subtrahere, quas aliis traditis excolendas*; ubi not. culturam, quam alii præstant, hic non intelligi merè ministerialem, quæ fit per operas conductas impensis Regularium; sed sumptibus eorum, quibus colenda traduntur, in primo enim casu propriè ipsi Regulares dicuntur ea excolere suis sumptibus.

§. 5.

Qualiter acquiratur jus decimandi, & immunitas ab onere eas solvendi?

2616 QUæstio. 1. est, an jus decimarum percipiendarum possit acquiri consuetudine legitimè præscripta *à Clerico*? R. quòd sic, colligitur. 1. ex *c.* 18. *h. t.* ubi, cùm dubitaretur, an Colonus solvere teneatur decimam Ecclesiæ, in cujus parochia sita sunt prædia; an Ecclesiæ, ubi audit divina, & percipit Ecclesiastica Sacramenta? respondit Pontifex: *in hujusmodi dubitatione ad consuetudinem duximus recurrendum*; *&c.* 20. *eod.* ibi: *decimas messium, vel fructuum arborum, si coluerint in alia Parochia, quam in ea, in qua habitant (quoniam à diversis diversa consuetudo tenetur) tu eligas in hoc casu, quod per consuetudinem diu obtentam ibidem noveris observatum.* Ex his juribus habetur, ex consuetudine posse decimas uni Ecclesiæ aliàs debitas alteri adscribi, & solvi; sic Covarr. *l.* 1. *variar. c.* 7. *num.* 8. & alii. Unde generaliter, quòd in solvendis decimis consideranda sit consuetudo, docet Vivianus *tom.* 1. *commun. opin. l.* 1. *tit.* 10. *num.* 15. *pag.* 187. Gutier. *practic. l.* 1. *q.* 19. *num.* 3. Circa tempus, ut talis consuetudo dicatur præscripta, variant aliqui, volentes, sufficere decennium, si Ecclesia propria (in qua v. g. colonus percipit divina) præscribat contra Ecclesiam propriam, in qua sita sunt prædia; si non propria contra propriam, 40. annos cum titulo; sine hoc, tempus immemoriale. Sed hoc resolvi potest ex *lib.* 2. *tit.* 26. *de præscript.* illud *not. in textu c.* 20. dici, illud in hoc casu eligendum, *quod per consuetudinem diu obtentam* constat esse observatum; casus autem ibi erat de dubio, cui ex duabus Ecclesiis debeantur decimæ prædiales, in quarum una sunt prædia; & colonus habitat, percipitque Sacramenta in altera.

Quæstio est. 2. an, qui præscripsit jus 2617
percipiendi decimas in certa terra, vel fundo, censeatur etiam præscripsisse jus percipiendi decimas ex omnibus fructibus, qui in terra, vel loco illo nascuntur? affirmativam sequitur Pirhing *h. t. num.* 118. dicens, id decisum in c. *Cum in tua.* 30. *h. t.* ubi Episcopus Beluacensis petivit per Sedem Apostolicam edoceri, utrùm decimæ fructuum prædictorum ad parochiales Ecclesias, quæ nec minores recipiunt, nec minutas, ad monasteria, & illas conventuales, quæ decimas alias percipiunt, ab antiquo, debeant pertinere? cui respondit Pontifex affirmativè, deberi Monasteriis, cùm ab antiquo terra illa ipsi fuerit decimalis. Sed in hoc textu nullum verbulum habetur *de præscriptione*, ut notavimus sup. & observat Wagnereck *in dict. c.* 30. in exegesi. Quousque autem præscriptio, si quæ facta sit, se extendat, jam diximus in præced.

Quæstio est. 3. an jus percipiendi deci- 2618
mas acquiri possit *transactione*, seu amicabili compositione inter Prælatos, & Rectores Ecclesiarum; constat. 1. ex c. *Ex multiplici.* 3. *h. t.* ubi dicitur: conventione de decimis per partes jam facta, si altera pars obtineat privilegium à Papa, non facta mentione de conventione, standum esse conventioni, non privilegio; quia Papa per privilegium non intendit derogare conventioni, quam non expressit: deinde ex c. *Suggestum.* 9. *eod.* ubi, postquam ex una parte suggestum esset, quòd quidam Abbas cum fratribus suis Monasterii de Ursin: ipsis decimas auferre velit, Pontifex mandavit, quatenus cum prædicto

Ab-

Abbate & fratribus super ipsis decimas *componant*; nam quando Romana Ecclesia Ordini illorum privilegia, de decimis dederat, ita erant ratæ Abbatiæ eorum ordinis, quòd exinde nulli poterat de jure scandalum suboriri. Ex hoc etiam habetur, per privilegium exemptionis à solvendis decimis, non derogari conventioni, vel transactioni, quæ inter partes prius intercessit, nisi in privilegio fiat mentio de tali transactione, vel conventione, ut constat ex dicto *c.* 3. ibi: *quia non fuit nostræ intentionis per privilegium nostrum conventioni derogare prædictæ*: mandamus, quatenus Abbatem, & Monachos, ut eandem conventionem (non obstante dicto privilegio, *nisi de ipsa contineatur in eo*) inviolabiliter teneant, & observent, vel exinde secum pacificè conveniant, appellatione postpositâ compellatis; sic Hadrianus Papa Episcopo Herfordensi.

2619 Præter dicta not. 1. super jure decimarum posse in Arbitros compromitti, *c.* 7. de his, quæ fiunt à Prælato, ibi: *cùm ex una parte Capitulum S. Stephani, & ex altera Monachi de Platea, super decima quadam in vestrum compromisissent arbitrium*; modò Arbitri non pronuntient, ut, cùm ceduntur decimæ quoad jus spirituale, alter vicissim reddat temporale; nam hoc arbitrium reprobatur in *c. Exhibita. fin. de Rerum permutat.* Not. 2. jus decimarum unius Ecclesiæ cum jure decimarum alterius Ecclesiæ, posse permutari; constat ex dict. *c. Exhibita*, ubi talis permutatio reprobatur, si ex una parte aliquid spirituale, ex altera quid temporale intervenit; quamvis alii existiment ibi non fuisse datum temporale pro spirituali, seu jure decimarum, sed solùm propter bonum pacis.

2620 Not. 3. jus percipiendi decimas posse sumi materialiter, & formaliter; *formaliter*, & propriè, prout explicat jus annexum officio spirituali percipiendi decimas tanquam debitum in decentem sustentationem pro ministerio spirituali; *materialiter* verò, prout explicat præcisè jus percipiendi decimas ex tali loco; unde, cùm quæritur, an jus decimarum Ecclesiasticarum vendi, vel locari possit? respondetur, si sumatur formaliter, & propriè, non posse; sic enim spirituale pro temporali commutaretur, contra *c. Exhibita, cit.* secùs, si sumatur merè materialiter, propter rationem contrariam; quamvis locatio rectius fiat, locando solam comoditatem, *de quò* V. *dicta à num.* 1257. *hæc ad. 1. partem initio propositam.*

Ad alteram, qualiter acquiri possit im- 2621
munitas à solvendis decimis? R. acquiri posse primò per privilegium alicui concessum à Sede Apostolica, ut constat ex dict. à *num.* 2895. deinde legitima præscriptione, ut ostendimus à *num.* 2616; tertiò transactione inter Clericos, juxta dicta *num.* 2618. In contrarium videtur esse, quòd nec privilegium, nec præscriptio, aut transactio prævalere possit adversus id, quod est debitum lege divinâ; debitum autem decimarum Ecclesiasticarum est ex lege divina, ut habetur pluribus locis citatis in præmissis, & *c. aliquibus.* 32. *h. t. §. fin.* ubi dicitur, quòd domini prædiorum cogi possint, ut prædia colenda dent talibus, à quibus sine contradictione Ecclesia possit decimas consequi, & causa hujus redditur: *quia illæ decimæ debentur ex lege divina*, vel loci consuetudine approbata.

Ad hujus resolut. not. 1. debitum deci- 2622
marum, in quantum fundatur in jure divino, esse ex eo, quod Ministris Ecclesiarum præstanda sit decens sustentatio; hoc enim præcipit jus naturale, & divinum, ut sæpius jam ostensum est. Not. 2. Ecclesias, & Parochos, seu illarum Rectores posse dupliciter considerari. 1. si aliunde ex proventibus Ecclesiasticis de necessaria, & sufficiente sustentatione illis provisum sit; 2. si secus; quibus positis: R. verum esse, quòd nec privilegium, nec transactio, præscriptio, vel consuetudo etiam immemorialis prævalere possit adversus debitum lege divina, secundùm quod est debitum lege divina; bene autem, secundùm quod est debitum lege solùm humanâ, vel consuetudine loci approbata; hinc distinguo min. debitum autem decimarum Ecclesiasticarum est ex lege divina, secundùm quod decimæ necessariæ sunt ad sufficientem sustentationem Ministris Ecclesiæ, quibus aliunde de proventibus Ecclesiasticis non est satis provisum, *C. secus. N. min. dist. consq.* ergo nulla præscriptio, transactio, consuetudo, vel privilegium prævalere potest adversus debitum decimarum, secundùm

quod

quod est sub lege divina, C. secundùm quod est solùm sub lege Ecclesiastica, vel loci consuetudine approbata, N. conseq. debitum autem decimarum, quoad quotam, vel quando aliunde sufficienter provisum est Ministris Ecclesiarum, est solùm sub lege Ecclesiastica, vel consuetudine, ut constat ex dictis; & *§. fin. c. fin. c.* 32. *ergo.*

2623 Præter hæc not. 1. immunitatem à solvendis decimis, à personis privatis non tantùm Ecclesiasticis, sed etiam Laicis, præscribi posse; nam aliud est, præscribere jus decimarum, illud acquirendo; aliud contra jus decimarum Ecclesiasticarum, ab illo, ac ejus obligatione se liberando; primum omnino negatur Laicis non tantùm privatis, sed etiam Communitatibus Laicorum; secundum autem nullo jure negatur Laicis; cùm immunitatem ab obligatione juris, quantumvis spiritualis, possidere valeant; & possessione legitimè continuatâ per tempus jure definitum obtinere possint; ex dict. *l. 2. tit.* 26. Sic Laicus, subjectus Ordinario A. præscriptione obtinere potest immunitatem à subjectione translativè, nimirum, ut non amplius illi, sed alteri subditus sit.

2624 Quod diximus de personis privatis (ipsas posse immunitatem à solvendis decimis obtinere præscriptione legitimâ) procedit etiam de Communitatibus; ratio est eadem. Quoad tempus tamen possessionis in casu, quo præscribunt privati, & quo Communitates, variant DD. In præscriptione privatorum requirit Pirhing *h. t. num.* 129. cum bona fide tempus 40. annorum cum titulo; sine titulo tempus immemoriale: in præscriptione Communitatum, quæ fit sciente, & tolerante Papâ, *num.* 131. censet obligationem tolli per conniventiam, cum consensu saltem tacito illorum, quorum interest: ignorante autem Papa, requirit cum bona fide, sine alio titulo, annos 40.

2625 Circa hoc, quantum pertinet ad id, quod dicit *de bona fide* in casu hujus præscriptionis, quæ directè non tendit ad *acquirendum*, sed solùm se *eliberandum* ab onere obligationis, videtur dicendum, non exigi bonam fidem, qua quis credat, se non teneri; sed sufficere illam, qua quis non præstet debitum sciente, ac patiente domino, ut diximus *l. 2. tit.* 26. deinde, non exigi etiam alium titulum; cùm eum non requirat præscribente Communitate, ut constat ex *præced. num.* Tempus autem sufficere, quando præscriptio fit ignorante Papâ, quod requiritur, & sufficit ad præscriptionem contra Ecclesiam, de quo egimus *l. 2. tit.* 26. si autem fiat sciente, ac non contradicente Legislatore, sufficere id, quod necessarium, & sufficiens est ad abrogandam legem per consuetudinem contrariam, sciente, ac tolerante Legislatore, de quo V. dicta *l. 1. tit.* 2.

Not. 2. quamvis verum sit tam à perso- 2626
nis privatis, quàm Communitatibus præscriptione legitimâ posse obtineri immunitatem à solvendis decimis, quando aliunde de proventibus Ecclesiasticis sufficienter provisum est Ministris Ecclesiæ de justa sustentatione; id tamen non procedere mutato rerum statu, si deficerent ea, ex quibus aliunde de bonis Ecclesiasticis sufficienter provisum fuit. Nam pro tali casu debitum decimarum fundatur in lege naturali, & divina; id, quod apertè habetur in c. *Statuto. 2. h. t. in 6. §. ubi autem*, relato superius. Quòd autem nemo per potestatem Laicam eximi possit ab onere solvendi decimas Ecclesiasticas, clarè constat ex c. *Tua nos 25. eod.*

§. 6.

De decimis Laicalibus.

NOn agimus hìc de jure decimandi, 2627
seu percipiendi decimas Ecclesiasticas, titulo nimirum spirituali debitas, seu annexas ministerio spirituali; hoc enim nullo titulo, etiam temporali, posse competere Laicis, constat ex dict. & habetur 16. *q. 7. c. 1.* ibi: *decimas, quas in usum pietatis concessas esse, Canonica auctoritas demonstrat, à Laicis possideri, Apostolica auctoritate, prohibemus:* sive *enim ab Episcopis, vel Regibus, vel quibuslibet personis eas acceperint, sciant, se sacrilegii crimen committere, & æternæ damnationis periculum incurrere*; deinde c. *Ad hæc. 5. h. t.* ubi Abbas quidam laico cuidam, & ejus hæredibus decimas per donationem concessit, quam donationem Alexander III. *irritam esse decrevit*, quoniam Sanctua-

rium Dei (videlicet decima, quatenus est jus merè spirituale) *jure hæreditario possideri non debet*: ideoque Laicum illum (nisi decimam illam ipsi Ecclesiæ liberè resignârit) vinculo excommunicationis constringendum esse.

2628 Quæstio autem est. 1. an Laici, seu conversi, nimirum Regulares, licet non sint Clerici, sint capaces juris decimarum Ecclesiasticarum? 2. an Laicis (secularibus) concedi possit jus decimarum? 3. an concedi in feudum? 4. an iidem Laici jus decimarum, si quod habent, in alios transferre possint? Ad. 1. R. affirmativè; pro quo not. esse quosdam Ordines Regulares (Templariorum, Hospitalariorum, Equitum Melitensium, Teutonicorum, &c.) in quibus professi non sunt in re Clerici, sed Laici, (nullo nimirum Ordine, vel etiam tonsurâ Clericali insigniti) 2. istos nihilominus gaudere privilegiis Clericorum, cùm numerentur inter Religiosos, c. *Cùm & plantare.* 3. *de privileg.* ibi: *comperimus, quòd Fratres Templi, & Hospitalis, & alii Religiosi*; quo posito: probatur data responsio: Regulares sunt capaces juris decimarum Ecclesiasticarum; sed isti Laici sunt Regulares: ergo. Deinde c. *quamvis.* 17. *h. t.* habetur: *statuimus, ut si quis alicui Laico, in seculo remanenti, Ecclesiam, decimam, oblationemque concesserit, à statu suo, sicut arbor, quæ inutiliter terram occupat, succidatur; & donec emendet dolore suæ jaceat ruinæ prostratus*; sed isti Laici, non sunt Laici *in seculo remanentes*; ergo.

2629 Ad. 2. R. Laicis secularibus posse concedi jus decimarum, sumptum materialiter, consideratum videlicet præciso titulo spirituali; sic enim est quid merè temporale, idque titulo conductionis, donationis, vel remunerationis, aut stipendii pro servitiis factis, vel faciendis, tradi à pluribus, ut mox dicemus, ut videri potest apud *Castropal. tom. 2. D. unica, de decimis. p. 9. num.* 3. mihi tamen videtur, à nullo Clerico decimas, quoad jus utile, concedi posse alio modo, quàm concedendo commoditatem, expositam *num.* 1257. Nemo enim plus juris transferre potest in alterum, quàm ipse habeat; Clerici autem non habent jus decimarum alio titulo, quàm ministerii spiritualis, &, si quod jus transferrent decimarum in Laicos seculares, deberent in eos transferre titulo ministerii spiritualis; at hujus incapaces sunt Laici seculares; ergo in hos nullum jus transferre possunt; ergo solam commoditatem.

Quoniam verò plures Laici Ecclesiæ 2630
servitiis necessarii sunt (puta Cantores, Sacristæ, Ludimagistri, Organistæ) quibus pro suis servitiis ab Ecclesia, cui serviunt, debetur stipendium; si hoc eis assignetur in decimis Ecclesiæ, non constituitur eis per hoc jus propriè dictum; sed sola commoditas fructuum in stipendium, ad quod habent jus justitiæ ex contractu conductionis celebrato per Ecclesiam cum illis pro ipsorum temporali ministerio; cui satis fit præstando pensionem conventam; hanc porrò licitè ac validè præstat Ecclesia ex suis decimis, seu fructibus (sicut ex iisdem solvit alias operas) quin ullum jus utile ipsis constituat in prædiis obligatis pendere decimas Ecclesiæ; ergo.

Ad. 3. R. qualiter bona Ecclesiastica 2631
possunt, vel non possunt locari, vendi, concedi in feudum, vel emphyteusim temporalem, vel perpetuam, de quo dictum est à *num.* 1157. taliter etiam in præsens discurrendum de decimis debitis Ecclesiæ. Illud hìc nota, decimas Ecclesiis debitas jure hæreditario concedi non posse à Prælatis Ecclesiarum, c. *Ad hæc.* 15. *h. t.* & c. *Quamvis.* 16. *eod.* Not. 2. si Laicis authoritate legitima concessum est privilegium percipiendi in certo loco decimas, privilegium accipiendum esse de decimis prædiorum, quæ tunc sunt; non autem eorum, quæ primò post enascuntur (ut sunt novalia primùm post enata) ut habetur c. *Tua nos.* 25. *h. t.* §. *ne occasione*, nisi terræ illæ prius subjectæ fuerint oneri solvendi decimas.

Ad 4. R. Laicos, qui decimas, cætero- 2632
quin Ecclesiis debitas, injustè, seu sine justo titulo possident, nullo titulo posse illas transferre in alium sive Laicum, sive Clericum, ex c. *Prohibemus.* 19. *h. t.* ibi: *prohibemus, ne laici decimam cum animarum suarum periculo detinentes, in alios laicos possint aliquo modo transferre. Si quis verò perceperit, & Ecclesiæ non reddiderit, Christianâ sepulturâ privetur.* Hinc etiam Gregorius IX.

in

in c. *fin. eod. Interdicimus*, inquit, *universis personis Ecclesiasticis, ut decimas detentas à laicis ad alienas Ecclesias pertinentes, in pignus recipere ab eisdem laicis non præsumant.* Not. autem textum in dict. c. *Prohibemus*, non rectè accipi ab his, qui volunt ea verba (*cum animarum suarum periculo*) pertinere ad verbum *transferre*, ut sensus sit, Laicos decimam, quam detinent (sive justo, sive injusto titulo detineant) non posse sine animarum periculo, consequenter licitè, in alios transferre. Nam hæc expositio nullo modo congruit literæ, cùm expresè verba illa referantur ad ly *detinentes*; non autem ad *transferentes in alium*, ut constat ex ipso textu, ibi: *ne Laici decimam cum animarum suarum periculo detinentes.*

2633 Ex hoc habetur, textum illum procedere solùm de casu, *quo decimam injustè detinent.* Unde si Laici justo titulo (nimirum legitimi superioris Ecclesiastici authoritate) decimas habeant in feudum perpetuum, licitè illam in alios, etiam Laicos transferunt, ut tenet *gloss. in dict.* c. *Prohibemus.* V. *Laicos.* Gutierez *practic. l.* 1. *c.* 15. *num.* 1. Suarez *tom.* 1. *de Relig. tr.* 2. *l.* 1. *c.* 26. *num.* 7. resolventes, hujusmodi Laicos posse de illis disponere, sicut de quibuscunque aliis bonis suis profanis per donationes, venditiones, emphyteusim, & similes contractus; quia post quam in laicos licitè fuerunt alienatæ, efficiuntur de ipsorum patrimonio, & ut profana bona censeri debent, juxta reg. textus in L. *pater filium.* 36. §. *quindecim. ff. de legatis.* 3. & magis ad nostrum propositum textus in *c.* 2. *de feudis*; intellige tamen, nisi aliud in investitura cautum sit.

2634 Præter hæc not. tradi à Pirhing *h. t. n.* 145. si Laicus decimas injustè detinens induci non possit, ut eas restituat Ecclesiæ, ad quam pertinent, posse illum eas transferre in Clericos, vel Religiosos, aut aliam Ecclesiam, sed *dependenter à consensu Episcopi*; habetur in c. *Cum Apostolica.* 7. *de his*, quæ fiunt à Prælato, ibi: Monendus est Laicus, qui decimam detinet, ut eam restituat Ecclesiæ, ad quam spectat; *qui, si fortè induci nequiverit, & eam cum diœcesani consensu alteri Ecclesiæ assignaverit, præsertim religioso conventui: constabit ipsa donatio perpetua firmitate subnixa.* Auctoritates enim præmissæ, licet diversæ sint, non tamen adversæ: cùm aliud sit *alienare*, quod ab Ecclesia *possidetur*: & aliud, quod *detinetur* à Laico, ad usum Ecclesiasticum revocare. Sed nota in fine *cit. c.* 7. subjungi: *hoc autem* (quod in tali casu revocationis decimarum sufficiat consensus solius Episcopi sine consensu Clericorum) *de illis decimis intelligimus, quæ Laicis in feudum perpetuò sunt concessæ*; quo habetur, olim decimas à Laicis detentas authoritate solius Episcopi potuisse à detentore dari Ecclesiis aliis ab ea, ad quam aliàs pertinebant; an autem etiam id procedat etiam nunc? dicemus in seq.

Quia verò ibidem contra hoc ipsum op- 2635
ponebatur, quòd in tali casu non sufficiat consensus Episcopi sine Clericorum consensu, auctoritate Leonis Papæ dicentis: *ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ, quidquam donare vel commutare, vel vendere audeat, nisi fortè aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, & cum totius Cleri consensu atque tractatu id eligat, quod non sit dubium Ecclesiæ profuturum*: respondit Innocentius III. *cit. c.* 7. *in alienatione*, juxta Leonis Papæ decretum, consensum Episcopi sine Clericorum consensu non sufficere; *in revocatione* autem juxta scripturam Hieronymi (scribentis ad Damasum *si aliquando fuerint à laicis malè detenta, quæ divini juris esse noscuntur, & in usum transierint Monachorum, Episcopo loci præbente consensum, constabunt eis omnia perpetua firmitate subnixa*) sufficere consensum Episcopi, cùm per utrumque utilitati Ecclesiæ consulatur. Nam & in Lateranensi Concilio est inhibitum, ne quælibet religiosa persona Ecclesias & decimas de manibus laicorum, sine consensu Episcoporum recipiat: per quod indirectè datur intelligi, quòd sufficit consensus Episcopi, ut licitum Ecclesiæ sit decimas de manibus *recipere* laicorum.

His adde, quòd, ut notavimus ex textu 2636
num. 2643. *in dict. c.* 7. sermo sit de feudis, *ab antiquo*, nimirum ante Latera-

nenseCC. ut notant communiter DD. *concessis Laico in feudum perpetuum*, consequenter justè detentis à tali laico; adeoque textus affirmans, quòd de solius Episcopi consensu à Laico donari possint illæ decimæ aliis ab Ecclesia, cui aliàs debebantur, non sit intelligendus de laicis decimas illas *injustè* detinentibus, ut vult Pirhing relatus à nobis *num.* 2634. sed etiam, ubi justè detinent, seu possident, utpote possessis in feudum Ecclesiæ authoritate, id, quod etiam habetur in c. *statuto. 2. h. t. in 6. §. Sanè, in fine.*

2637 Dubitari potest, an Laici decimas, ante CC. Lateranense sibi legitimè concessas in feudum perpetuum, possint *sine consensu Episcopi* dare Religiosis, vel aliis Ecclesiis, saltem exemptis, *tametsi Laici dicant, quòd ejusmodi decimas in feudum acceperint à talibus Religiosis, vel Ecclesiis?* R. quòd non, ex dicto *§. Sanè*, ibi: *Sanè, quamvis fortè à religiosis exemptis & aliis fiant infeudationes de decimis detentis à laicis, & idem laici, quòd illas ab ipsis religiosis in feudum teneant, recognoscant, non tamen licet religiosis eisdem, post talem infeudationem, vel recognitionem, sic de facto præsumptam hujusmodi decimas de manibus laicorum ipsorum acquirere, vel recipere absque diœcesanorum Episcoporum assensu.*

2638 Not. 2. quando in c. *Interdicimus* (relato supra) prohibetur, ne Laici decimas, quas possident, dare possint in pignus; nec eas taliter ullus, etiam Ecclesiasticus recipere, dictum hoc posse dupliciter intelligi; primò de decimis injustè detentis; & in hoc intellectu nec de consensu Episcopi oppignorari possunt; cùm sic sint res alienæ, quæ in pignus dari non possunt, *L. 6. C. quæ res pign. oblig. poss.* Secundò, si justè possident titulo feudi perpetui concessione sibi facta ante Concilium Lateranense; & in hoc intellectu, cum Episcopi diœcesani consensu oppignorari posse (citra periculum alienationis) deducitur ex *num.* 1157. tertiò, si quidem justè possideant in feudum, sed concessum post Lateranense; & in hoc intellectu videtur etiam cum Episcopi consensu non posse oppignorari; quia textus concedens ejusmodi decimarum donationes, vel translationes in alios, cum consensu *solius* Episcopi diœcesani, semper restringit ad feuda *perpetua* decimarum concessa *ante* Concilium Lateranense.

§. 7.

De Judice causarum super decimis, & pœnis recusantium solvere decimas.

CUm quandoque contingat, Ecclesiam non posse recuperare decimas sibi debitas, & hi, qui tenentur eas præstare, reluctentur, aut omnino se opponant, prima quæstio est, coram quo Judice tales debeant conveniri? ante resolut. not. Parochum non posse authoritate suâ decimas non solutas per vim accipere, cùm Parochianus, antequam solvat decimas, sit dominus suorum fructuum; non igitur privari dominio posse authoritate parochi, utpote carentis jurisdictione forensi coactiva, seu punitiva in foro externo; nec eo titulo (antequam delictum per sententiam sit declaratum) posse illi publicè negare Sacramenta, quia usque ad illud tempus non censetur delictum publicum, & indubitabile; cùm possit habere rationem aliquam, qua à solutione decimarum excusetur: negatio verò publica Sacramenti requirit necessariò delictum commissum constare vel evidentiâ facti; vel juris; ita Suarez *cit. l. 1. c. 38. num. 8.* 2639

Not. 2. Parochum posse decimam recuperare actione personali contra injustè renuentem solvere decimas, præterquam quòd talis etiam per censuras cogi possit, ut debitum præstet. Cæterùm si Parochus actionem instituat contra debitorem decimarum, difficultas est, an id possit apud Judicem secularem? Ad quod ex alibi dictis, præsertim *l. 2. R.* sub distinctione: si causa decimarum sit *facti*, & non juris, eò quòd non agatur, *an debeatur decima?* sed *an debita decima soluta sit, vel non soluta?* poterit Ecclesia, tam coram Judice Ecclesiastico, quàm coram seculari Magistratu debitorem suum laicum, non Clericum, 2640

conve-

convenire; quia illa causa est mixti fori; sic Rebuff. *tract. de decimis, q.* 12. *num.* 3. *& q.* 10. *num.* 39. Suarez *tom.* 1. *de Relig. tr.* 2. *l.* 2. *de divino cultu, c.* 38. *num.* 16. *in fine*; Fagundez *de quinto Ecclesiæ præcepto, l.* 3. *c.* 5. *num.* 2. *Covar. pract. quæst. c.* 35. *num.* 2. at si causa sit *juris*; quia videlicet tractatur de jure, quo decimæ debentur, de expensis, quibus est solvenda, de loco, de quantitate, de qualitate, & similibus: certum est, solùm coram Ecclesiastico Judice hoc jus Ecclesiam recuperare posse; quia solus Judex Ecclesiasticus est Judex competens, eo quòd illa sit causa spiritualis; sic Castropalaus *tom.* 2. *de decimis, D. unica, p.* 15. *à num.* 5.

2641 Præter hæc not. causam possessoriam decimarum, etiamsi nihil proprietatis habeat, esse causam Ecclesiasticam, per Clement. *Unicam, de caus. possess. & Clem. unic. de sequestrat. possess. & fruct. ita Covarruvias practic. quæst. c.* 35. *à num.* 1. id, quòd certissium esse confirmat Castropalaus *cit. num.* 8. *qui num. seq.* contra Fagundez *l.* 3. *in* 5. *præcept. Ecclesiæ, c.* 5. *à num.* 11. (docentem, Conductorem decimarum Laicum, si non solvit pretium conductionis, posse conveniri coram Judice Laico, vel Ecclesiastico) docet, debere *tantùm* coram Judice laico; quod rectè procedere videtur, si constet de debito, nec discutienda est causa debiti; vel Laicus reconveniat Actorem Clericum, saltem in sententia eorum, qui talem reconventionem fieri posse negant; de quo egimus *l.* 2. ex professo.

2642 Quæ spectant ad alteram partem tituli hujus §. de pœnis recusantium præstare decimas, etsi pleraque jam dicta sint, *not. tamen.* 1. *in* c. *pervenit.* 5. c. *adhæc.* 15. c. *ex parte.* 21. c. *Tua nobis.* 26. c. *In aliquibus.* 32. *& Clement.* 2. *de Judic.* recusantes solvere decimas, quas debent, decerni esse excommunicandos; quod tamen intellige, prævia monitione canonica; quam pœnam confirmat Tridentinum *sess.* 25. *c.* 12. *de reformat.* iis verbis: *qui decimas subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur: neque ab hoc crimine nisi plena restitutione secuta absolvantur.* Verùm hoc intellige, ne prius absolvantur, quàm satisfaciant, si possint; nam absolutio negari non debet ei, qui impotens est solvere, si promittat, & juret, se soluturum, ubi potuerit; quia Concilium præsumi non potest velle denegare Sacramenti absolutionem ei, qui in culpa non est non restituendi; quod etiam dicendum est, si eis decimarum solutio remissa sit ab eo, cui debebantur; ita Sanchez *in Decal. l.* 2. *c.* 20. *num.* 19. *Navarr. c.* 17. *num.* 59. *& c.* 21. *num.* 32. Azor *p.* 1. *l.* 7. *c.* 37. *q.* 9. *& alii.*

Not. 2. eos, qui decimas, quas debent 2643
solvere, injustè detinent, nec Ecclesiæ, ad quam spectant, restituunt, Christianâ sepulturâ privari debere, c. *prohibemus.* 19. *& gloss. fin. h. t. Not.* 3. *in Clem. Religiosi, de decimis*, in Regulares, qui nec habent beneficium, nec administrationem, ferri excommunicationem ob quatuor causas. 1. si absque justo titulo sibi decimas, aut primitias Ecclesiis debitas acceperint, & usurpaverint; 2. si servis suis prohibuerint decimas solvere ex gregibus, & rebus suis; 3. si ipsi ex rebus emptis, & de quibus decimæ debentur Ecclesiis, non solverint: 4. si prohibuerint, aut non permiserint servis, & colonis solvere decimas ex terris, quas ipsi eis colendas tradunt. Sed not. hanc censuram non incurri, non præmissâ monitione, factâ à parte, cui decimæ debentur; 2. non procedere de decimis, quæ debentur particularibus personis; sed illis, quæ *Ecclesiis*, ut tradit Toletus, & Suarez apud Castropalaum *cit. p.* 14. *num.* 2. demum, si id agant, secluso justo titulo; non autem secùs.

Not. 3. in Clement. *Cupientes*, de pœ- 2644
nis, excommunicari quosvis Regulares, cujuscunque Ordinis, qui in concionibus, vel aliis in locis aliqua tractant, ex quibus moventur audientes, ut decimas debitas non solvant; item eosdem, qui pœnitentes scienter non obligaverint decimas solvere, & ex alia parte postea, cùm possint, non emendaverint factum, audentque potius in publicum concionari, non habere obligationem: demum in Bulla Cœnæ, clausulâ 17. in omnes exigentes, usurpantes, occupantes, sequestrantes decimas, reditus, & proventus beneficiorum, & adversus auxilium ad id

præstantes, quando ea faciunt, quasi sibi deberentur. De his plura Suarez *D.* 23. *de Censuris, sect.* 5. *num.* 37. *&* *D.* 31. *sect.* 6. *à num.* 12.

ARTICULUS II.

De Primitiis, & Oblationibus.

2644 QUæstio est. 1. quid sint *Primitiæ*? R. quòd sint primi fructus, ex agro susceptι, qui Deo offeruntur. Fuere in usu apud veteres Romanos, qui (ut scribit Plinius *lib.* 18. *c.* 2.) non gustabant novas fruges, aut vina, donec sacerdotes primitias libassent. Deinde in lege veteri Deuter. 26. jubentur Hebræi dare primitias: *tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo.* In lege gratiæ est præceptum de primitiis solvendis, ut habetur ex c. *Decimas.* 16. *q.* 7. *c. revertimini.* 16. *q.* 1. *& juxta* Suarez *tom.* 1. *de Relig. tr.* 2. *l.* 1. *c.* 8. notandum autem, primitias non intelligi à dignitate, ut debeant esse *optimi* fructus, sed *ordine temporis*, ut debeant esse illi, qui primò colliguntur.

2645 Quæstio est. 2. qualiter *primitiæ* distinguantur à *decimis*? R. cum Lessio *l.* 2. *c.* 39. *num.* 30. distingui ex eo, quia illæ sunt primi fructus, decimæ sunt decima pars fructuum: deinde, quia primitiæ immediate offeruntur Deo in gratiarum actionem pro frugibus terræ: mediatè verò, & secundariò cedunt in usum ministrorum: decimæ proximè, & immediatè dantur sacerdotibus in stipendium sustentationis, ob ministerium spirituale; his præmissis:

2646 Dubitatur. 1. quo jure fideles teneantur solvere primitias frugum? 2. in qua quantitate? 3. cui? Ad. 1. R. in lege Evangelica olim fuisse præceptum juris solùm Ecclesiastici, solvendi primitias sacerdotibus, & Ministris Ecclesiæ; colligitur ex c. *Præter.* 6. *dist.* 32. ibi: *Præcipimus, ut decimæ, & primitiæ, seu oblationes vivorum, & mortuorum Ecclesiis Dei, fideliter reddantur à Laicis*, & ut in dispositione Episcoporum sint, quas qui retinuerint, à sanctæ Ecclesiæ communione separentur; sic Alexander II. & Gregorius VII. *in CC. Lateran. relato* 16. *q.* 7. c. *decimas.* 1. ibi: Oporteat autem congruentias, nos decimas, & primitias, quas jure sacerdotum esse sancimus, ab omni populo accipere: quas fideles Domino præcipiente offerunt, juxta illud vaticinium Malachiæ Prophetæ: *Inferte omnem decimationem in horreum meum, ut sit cibus in domo mea.* Cæterùm, ut notat Azor *p.* 1. *l.* 7. *c.* 27. *q.* 3. Suarez *cit. l.* 1. *c.* 8. *num.* 16. hodie hæc obligatio solvendi primitias, in plerisque locis per desuetudinem est abolita; quia cùm principaliter ab Ecclesia fuerit decreta, propter competentem sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, ideò, si illis aliunde, nempe ex decimis, & aliis oblationibus fidelium necessaria alimenta non desint, nihil vetat, quò minus per contrariam consuetudinem obligatio solvendi primitias potuerit abrogari; ex quo etiam habetur ad 3. cui *primitiæ* olim solvi debuerint.

Ad alteram partem, de *oblationibus*, 2647
quæritur. 1. quid, & quotuplex sit oblatio? 2. in quem finem fiant? 3. ex quibus rebus fieri possint? 4. an sint sub præcepto? 5. an acceptare illas liceat, quando fiunt à personis crimine infectis? 6. an eas acceptare possint Laici? 7. quæ sit pœna detinentium oblationes? 8. ad quem pertineant oblationes factæ sacris imaginibus? Ad. 1. R. nomen *Oblationis* sumi posse tribus modis. 1. latè pro omni oblatione ad divinum cultum facta; & sic comprehendit etiam decimas & primitias; 2. pro omni eo, quod sive donatione inter vivos, sive mortis causâ, aut alia ultimæ voluntatis dispositione Ecclesiis, vel piis locis à fidelibus offertur. 3. strictè pro eo, quod quis vel per se, vel per Diaconum ad altare offert, aut manus sacerdotis defert; sic Layman *l.* 4. *tr.* 6. *c.* 7. *à n.* 1.

Ad 2. R. *decimas* offerri Deo in reco- 2648
gnitionem supremi dominii, quod sibi in res omnes reservavit; *primitias* in gratiarum actionem pro primis fructibus ejus beneficio provenientibus; *oblationes* strictè, religionis intuitu, & divini cultûs causa; licet postea in usum Ministrorum Ecclesiæ cedant. Ad 3. R. oblationes fieri posse ex iis rebus, ex quibus eas facere offerenti placet. Ad 4. R. non esse sub præcepto, nisi postulet necessitas ad sustèn-

sustentationem Ministrorum Ecclesiæ; intellige oblationes strictè sumptas; secùs enim est, si supponant pro decimis. Ad 5. R. si fiat à personis crimine infectis, non acceptari, si crimen, vel delictum afficiat ipsam oblationem; secùs est, si tantùm afficiat ipsam Offerentis personam, nisi nasceretur scandalum, habetur ex c. *Quia in omnibus.* 3. de usuris, ubi textus loquens de Usurariis manifestis, *nec oblationes eorum*, inquit, *quisquam accipiat*: qui autem accepit, reddere compellatur: & donec ad arbitrium Episcopi sui satisfaciat, ab officii sui maneat executione suspensus. Ad 6. R. negativè, ex c. *Causa.* 13. *de V. S.* ibi: *primitiæ, decimæ, & oblationes, in solis Ecclesiarum bonis præcipuè numerantur.* Oblationes verò dicimus, quæcunque de propriis, & licitis rebus Ecclesiæ à fidelibus offeruntur. Quicunque igitur eas per potestatem secularem obtinet, proculdubio contra Deum, & sanctorum Patrum nititur sanctiones: quinimò, & qui accipit, & qui tradit, *raptor* & *sacrilegus* judicatur.

2649 Ad 7. R. cum Bonacina de Censuris extra Bullam *D.* 2. *q.* 2. *p.* 1. decerni talibus excommunicationem c. *penult.* 10. *q.* 1. ubi Calixtus Papa, *oblationes*, inquit, de Ecclesiarum altaribus, sive crucibus à Laicis auferri penitus interdicimus, & sub districtione anathematis prohibemus; & c. *fin. ead. caus. & quæst.* ubi Damasus Papa, *omnino interdicimus*, inquit, *ut nullo modo unquam oblationes, quæ intra sanctam Ecclesiam offeruntur, sub dominio Laicorum detineantur*: sed tantummodò sacerdotibus, qui quotidie Domino servire videntur, liceat comedere, & bibere: quia in vetere testamento prohibuit Dominus panes sanctos comedere filiis Israël, nisi tantummodò Aaron, & filiis ejus: qui panes longè erant ab istis panibus, qui nunc in sancta Ecclesia offeruntur; & infra: *si quis verò contra hanc regulam nostram, & contra regulam sanctorum* 318. *Patrum, qui in Nicæno Concilio hoc constituerunt, temerarius præsumptor fuerit*, & de cætero oblationes de sacris Ecclesiis auferre molitus fuerit, *sub anathematis vinculo sit colligatus, & condemnatus.*

Ad 8. R. oblationes regulariter spectare ad eos, qui in tali Ecclesia, ubi fiunt, spiritualia ministrant, nisi aliud habeat consuetudo, pactum, vel voluntas offerentium. 2650 Et ideo Barbosa in c. *quia sacerdotes.* 13. *cit. caus. & quæst. num.* 2. tradit, veriorem, & hodie receptissimam sententiam esse, quòd oblationes, quæ sacris Imaginibus deferuntur, sive hujusmodi sacræ imagines positæ sint in Ecclesia Parochiali, sive intra limites ejus, deberi Parocho loci; si in Ecclesia Cathedrali, Archipresbytero, qui curam animarum exercet: excipiuntur tamen oblationes in certum usum, seu finem, v. g. pro missis, pro fabrica, pro ornatu imaginis factæ ex piorum offerentium voluntate; quia tunc non ad Parochum spectant, ut illas in proprium usum convertat, sed ut offerentium voluntas plenè adimpleatur; quamvis & harum administratio ad Parochum spectet, c. *Vulteranæ*, & c. *quatuor.* 12. *q.* 2.



QUÆ-

QVÆSTIO XXXI.

IN TITULUM XXXI. DE REGULARIBUS, ET TRANSEUNTIBUS AD RELIGIONEM.

2651 ACtum est hactenus potissimum de uno genere personarum Ecclesiasticarum, nempe Clericorum non Regularium; nunc juxta rectum ordinem dicendum venit etiam de Regularibus. Ex ipsa autem rubrica hujus tituli apparet duo specialiter hoc titulo tractari; primum de ipso statu Regulari, ejus substantia, requisitis, obligationibus, & aliis juribus: secundum, de transitu ab uno Regulari ordine ad alium. De singulis, potissimum juxta sacros canones in hoc titulo, dicemus.

ARTICULUS I.

De natura, & substantia status Religiosi.

2652 *STatus Religiosus*, juxta Layman *l.* 4. *Theol. moral. c.* 1. *n.* 1. & alios communiter, definitur, *stabilis in communi vivendi modus fidelium, ad Christianæ Charitatis perfectionem tendentium, editis tribus substantialibus votis, perpetuæ castitatis, paupertatis & obedientiæ, ab Ecclesia approbatus.* Ad hunc statum substantialiter pertinent primò tria consilia Evangelica, paupertatis, perpetuæ castitatis, & obedientiæ, ut tradit S. Thomas 2. 2. *q.* 186. *a.* 3. 4. & 5. & constat ex c. *Cum ad monasterium*, 6. de statu Monachorum, ibi: *nec æstimet Abbas, quòd super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere*; Secundò, ut hæc ipsa tria consilia perpetuâ voti obligatione firmentur; ita S. Thomas *cit. q.* 186. *a.* 6. Suarez *tom.* 3. *de Relig. l.* 1. *c.* 2. Sanchez, & alii. Tertiò, ut ea firmentur voto in Religione per Sedem Apostolicam approbata, approbatione non tantùm approbante modum taliter vivendi; sed etiam approbante tanquam veram Religionem; ita Sanchez *l.* 4. *moral. c.* 1. *num.* 19. & alii communiter. Quartò, ut emittens ejusmodi vota constituatur sub alicujus superioris seu Prælati Ecclesiastici jurisdictione, cui subsit in ordine ad ea, quæ sunt observanda, vel cavenda, ex vi Religionis, secundùm ejus jura, & statuta, cui se mancipavit; ita Sanchez *cit. num.* 10. his suppositis:

Not. 1. ad substantiam voti paupertatis, 2653
constituentis verè, ac propriè religiosum, non pertinere, quòd Religiosus in persona sua particulari sit incapax proprii, prout hoc importat dominium rerum temporalium, sic tamen, ut non habeat licitum eorum usum independenter à voluntate superioris; secùs, ut sit incapax usus independentis à voluntate superiorum; ratio primæ partis est, quia, qui in Societate JESU post Novitiatum emiserunt sola tria vota simplicia, ex quibus etiam est votum paupertatis, retinent ad tempus dominium bonorum temporalium, cum eorum usu dependente à voluntate superioris, & tamen sunt verè, ac propriè Religiosi, ut latè diximus *lib.* 2. *a num.* 41. *ex constitut.* Gregorii XIII. *incip. ascendente*: ratio secundæ partis est, ex cit. c. *Cum ad Monasterium, de quo num.* 2652. nam aliqua incapacitas *proprietatis* est de substantia Religiosæ paupertatis, adeo, ut in illa nec summus Pontifex dispensare possit, ut ibidem dicitur; ergo vel incapacitas proprietatis, sitæ in dominio rerum temporalium nomine communi; vel nomine proprio, & personæ particularis, vel usus independentis à voluntate superioris; non primum; quia de facto dantur veri Religiosi *nomine communi* possidentes, & habentes dominium rerum temporalium; non secundum; ut manifestum est ex probatione primæ partis, de quo plura etiam diximus *a n.* 966. ergo tertium.

Not.

2654 Not. 2. ad votum castitatis religiosæ, requiri promissionem castitatis *absolutæ*, hoc est, excludentis omnem usum carnalis commercii, etiam liciti, & conjugalis; unde, ut quis verè, ac propriè sit Regularis, seu Religiosus, non sufficit votum castitatis tantùm conjugalis; sed castitatis, quæ sit consilii Evangelici, nimirum perfectæ; conjugalis enim castitas aliunde est sub præcepto. Unde illos, qui in certis quibusdam Ordinibus (puta Commendatorum D. Jacobi Alcantaræ) non vovent castitatem nisi conjugalem, negat verè, ac propriè *Religiosos esse*, *D. Thomas.* 2. 2. *q.* 186. *a.* 3. *ad* 4. esto concedat, esse personas *Ecclesiasticas*, quia gaudent privilegio fori, & canonis; quia reverà tales non promittunt castitatem, quæ est consilii Evangelici.

2655 Suarez tamen *tom.* 4. *de Relig. l.* 1. *c.* 4. *num.* 26. & Sanchez *l.* 4. *moral. c.* 16. *num.* 9. & alii tenent oppositum, volentes etiam illos, esse propriè Religiosos, *quoad statum*; licet non *quoad usum*, *& observantiam*, eò, quòd per Papæ dispensationem tales possint ducere Uxores. Mihi non est dubium, Pontificem cum Religioso, etiam perfectam castitatem solenniter professo, posse dispensare pro sensu diviso statûs Religiosi, dispensato nimirum non manente verè ac propriè Religioso, de quo dixi *lib.* 4. *decretal.* non autem pro sensu composito, ut nimirum dispensatus ad usum conjugii, maneat simul Religiosus; de hoc loquitur c. *Cùm ad Monasterium*, *de quo num.* 2652.

2656 Not. 3. quando dicitur, ad substantiam status Religiosi necessarium esse, quòd tria consilia evangelica voto firmentur *obligatione perpetuâ*; (status enim ex conceptu suo importat quandam immobilitatem) intelligi saltem ex parte unius, nimirum transeuntis in talem statum; & quoniam, qui in Soc. JESU, post biennium Novitiatus emittunt tria vota simplicia, paupertatis, castitatis, ac obedientiæ perpetuæ, quibus se in tali Religione Deo immobiliter, ac in perpetuum devovent, ipsâ Dei nomine hanc oblationem acceptante, constituuntur verè ac propriè Religiosi, non secùs, ac alii in Societate, vel aliorum Ordinum Professi, quin ipsa Religio eisdem se vicissim simpliciter, & absolutè obliget, sed solùm quàm diu communi Religionis bono expedire visum fuerit, eos retinere, ut constat ex Constitutionibus Summorum Pontificum, Julii III. & Gregorii XIV. quibus hoc institutum confirmârunt, sequitur non esse de substantia status Religiosi ut sic, & suscipientis Religionem & ipsius etiam Religionis obligationem perpetuam; sed sufficere illam, quantum est ex parte voventis, seu Religionem per ejusmodi vota ingredientis; ea porrò, quibus se non obstantibus summorum Pontificum constitutionibus contra hoc ipsum diversi magnâ temeritate opponebant, præterquam, quòd certò falsa sint, ut pote opposita tam claris Apostolicæ Sedis decretis, dissoluta videri possunt apud P. Suarez *cit. l.* 2. *c.* 14. Sanchez *cit. c.* 1. *num.* 26. *& alios.*

Not. 4. quamvis olim Religiones, seu 2657
Cœtus Religiosorum extiterint, qui non erant positivè approbati à Sede Apostolica, sed solo Ecclesiæ usu publico, & more, à solis Episcopis, Pontifice non repugnante (ut est Ordo SS. Basilii, Augustini, Benedicti) nunc tamen requiri positivam Sedis Apostolicæ approbationem, ne fortè, prætextu Religionis, diversi errores in Ecclesiam inducantur; nam approbatio Religionis est inter causas graviores; causæ autem graviores nunc reservatæ sunt soli summo Pontifici, c. *Majores.* 3. *de Baptismo*; *& constat ex* c. *fin. de Religios. domib.* ibi: *unam de probatis assumat*, &c. *unico. eod. in* 6. ibi: *cunctas affatim Religiones*, *& Ordines mendicantes post dictum Concilium adinventos*, *qui nullam confirmationem Sedis Apostolicæ meruerunt*, *perpetuæ prohibitioni subjicimus*, *& quatenus processerant*, *revocamus.*

Not. 5. duplicem potestatem consi- 2658
derari posse in Prælato, vel superiore, qui alicui Religioni, vel etiam Regulari domicilio, vel Conventui præest; unam *gubernativam*, (quam aliqui vocant *Oeconomicam*) sitam in potestate præcipiendi, corrigendi, & coërcendi, etiam per pœnas, non tamen eas, quæ supponunt jurisdictionem spiritualem; alteram, *jurisdictionis spiritualis*, quæ dicitur clavium, ac consistit in potestate ligandi, & solvendi, atque puniendi per censuras, & alias pœnas Ecclesiasticas. Hæc potestas juris-

jurisdictionis spiritualis potest separari à potestate gubernativa; istam enim habent Abbatissæ, & Præpositæ, seu Superioríssæ Monialium, sine illa, quælibet tamen juxta mensuram, & normam sui Ordinis, & Instituti. Cœterùm potestas gubernativa, suppositâ susceptione Ordinis Regularis in eos, qui præsunt, derivatur à Deo, vel immediatè, ut aliqui volunt; vel mediante illo, qui talem Religionem approbat, immediatè illam communicante primis Religionum Capitibus, cum facultate illam committendi aliis, juxta exigentiam cujusque Instituti.

ARTICULUS II.

De ingressu Religionis.

2659 PEr *ingressum Religionis* interdum intelligitur susceptio habitus, & receptio inter Novitios, qui versantur in probatione; interdum ipsa emissio Votorum vel solemnium, vel simplicium, quibus quis verè, ac propriè Religiosus constituitur. Tempus autem illud, quo ingressi Religionem in prima acceptione *ingressus* versantur in probatione, communiter *Novitiatus*, seu *Tyrocinium* dicitur, ad quod legitimè peragendum requiruntur. 1. ætas legitima; 2. locus debitus; 3. susceptio habitus Religiosi; 4. certum tempus continuatum.

§. 1.

De ætate ad annum probationis requisita.

2660 QUæstio nunc est, quæ jure communi censeatur ætas legitima, ut quis ad *Novitiatum*, seu probationem admittatur? R. aliud dicendum jure novo, aliud spectato jure antiquo; nam, ut observat Suarez *tom. 3. de Relig. l. 6. c. 19. à num.* 17. quando olim professio emitti poterat statim completâ pubertate, in Viro sufficiebat ætas annorum 13. in fœmina 11. completorum: jure autem novo quoad hoc, ut quis possit inchoare probationem, requiritur in ingrediente pubertas verè completa, quin sufficiat, quòd malitia suppleat ætatem; colligitur ex c. *ad nostram. 8. h. t.* ibi: mandamus, quatenus, si constiterit, *quòd præfatus T. ante consummationem 14. anni susceptum habitum deposuerit, aut si post 14. annum habitum ipsum sine probatione susceperit, & intra triduum deposuerit, eum ab impetitione prædictorum Eremitarum denunties absolutum*; & c. *Cùm Virum. 12. eod.* ubi dicitur, quòd puella, minor 12. annis, postquam in illa ætate à parentibus tradita, & major seu pubes facta sponte velata est, ad seculum redire non possit; igitur, si major facta non sponte velum susceperit, seu liberè non consensit in id, ad quod à parentibus tradita est, non tenetur. Verùm hic textus non agit directè de ætate requisita ad subeundam probationem; sed ad *professionem*; & procedit jure antiquo, ubi professio valebat, facta statim post pubertatem completam.

Cœterùm responsio data suadetur etiam ratione; quia probatio instituitur, ut Novitius probet austeritatem Religionis prius, quàm illi se in perpetuum obliget; & vicissim Religio Novitium, num habilis sit ad onera Religionis? ad hoc autem necessarium est, ut habeat annos discretionis, prout satis clarè colligitur ex cit. c. *cùm Virum*, ibi: *non enim videtur illa monasticæ professionis à se posse jugum excutere, cum eam non constet evidenter contradixisse, cùm benedictionem accepit, quam non nisi in ætate discretionis recipiunt, quæ velantur, præsertim si ratihabitione secuta* (etsi eam quandoque contradixisse constiterit) *quod ante gestum fuerat, roboratur*; Sanchez *l. 5. moral. c. 4. à num.* 22. Azor *p. 1. l. 10. c. 2. q. 4. & alii.* 2661

Dices: *Trid. sess. 25. de Regularib. c. 15.* ita statuit: *In quacunque Religione tam virorum, quam mulierum, professio non fiat ante decimum sextum annum expletum; nec qui minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem ante facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis observationem, aut ad alios quoscunque effectus*; quo posito, sic argui potest: ut professio valeat, præmitti debet annus probationis, quam immediatè sequatur professio; cùm 2662

ergo

ergo hæc non valeat nisi post annum ætatis. 16. completum, nec valebit probatio nisi post completum 15. ℟. admittendo textum Tridentini, prout relatus est; sed negando in eo statui, quod assumitur in argumento; ibi enim non dicitur, quòd annus probationis sic antecedere debeat professionem, ut eo expleto *immediatè* sequatur professio; vel quòd probatio nulla sit, si non *immediatè* antecedat professionem; *& hæc immediatè sequatur finitum probationis annum*; id, quod ibi dicitur, solùm est. 1. quòd professio sit irrita, & nulla, si facta sit ante completum 16. ætatis annum; 2. quòd Novitius ad professionem admitti non debeat, si minore tempore, quàm per annum, post susceptum habitum, in probatione steterit; & ideo, quod jure communi hodie statutum est, ut quis ad probationem in Religione subeundam legitimè recipiatur, sufficere annos pubertatis completæ; non est immutatum hoc Conciliari decreto.

2663 Ex hoc etiam habetur, non requiri, quòd annus probationis *immediatè professionem antecedat*; vel eo finito *statim* sequatur; cùm justis de causis, vel impedimento quodam existente professio differri possit ad tempus; ita Suarez *cit. l. 5. c. 13. num. 8. Lessius l. 2. c. 4. n. 59.* & alii complures apud Barbos. *in cit. c. 15. Trid. num. 32.* Unde probationis annum posse impleri ab eo, qui nondum explevit annum decimum sextum, & vitalis probationis posse probatum admitti ad professionem expleto decimo sexto anno, asserunt *Navarr. consil. 30. num. 1. de Regular. in 1. edit. alias consil. 20. num. 1. eod. tit. in 2. edit.* Henriquez *l. 13. c. 40. §. 2. in fine*; *Galet.* V. *profiteri.* 3. Azor *l. 12. c. 4. q. 9. in fine*; *Fr. Emmanuel tom. 3. q. 15. a. 2. in fine, Valer. Reginald. l. 18. num. 385.* Sanchez *in præcepta Decalog. tom. 2. l. 5. c. 4. num. 22. in fine.*

2664 Dices: *in Trid. sess. 25. de Regul. c. 16. dicitur: Superiores, Novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut è Monasterio eos ejiciant*; ergo finito probationis anno Novitii vel sunt statim ad professionem admittendi, si habiles sint; vel è Monasterio dimittendi, si inhabiles. ℟. 1. in hoc decreto non comprehendi institutum Soc. JESU, ut manifestum est ex verbis, quæ Sacrum Concilium Tridentinum prioribus immediatè subjungit, ibi: *per hæc tamen Sancta Synodus non intendit aliquid innovare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis JESU, juxta pium eorum institutum, à Sancta Sede Apostolica approbatum, Domino, & ejus Ecclesiæ inservire possint.*

Ex his Concilii verbis deducitur, hoc 2665
Conciliare decretum non habere locum in Novitiis Societatis JESU, ac proindè eos posse renuntiare bonis in favorem Societatis, vel cujuscunque, non servatâ hâc formâ, nec exspectato bimestri ante professionem, vel ante vota biennii, ut tenent *Fr. Emman. quæst. regul. tom. 2. q. 47. a. 8. Emman. Sà* V. *Religio. n. 5. Molin. tr. 2. D. 139. vers. antequam, Less. l. 2. c. 41. D. 4. num. 41.* quos refert, & sequitur Sanchez *cit. l. 5. c. 5. num. 9. Barbos. in dict. c. 5. Concilii num. 41.* ubi addit Aldanus *in Compend. Canon. resol. l. 1. tit. 15. num. 10.* fuisse decisum, quòd Patres Societatis JESU hoc decreto non solùm excepti sint quoad emittendam professionem, sed etiam quoad obligationes, & renuntiationes, adeò ut hæ etiam ab eorum Novitiis quandocunque & sine cujusvis licentia factæ, nullitati dicti decreti minimè subjaceant.

℟. 2. in eo Conciliari decreto non in- 2666
veniri eum terminum *statim*; quare dato *anteced. N. conseq. ex dictis*; & ideo Prælatum, & Conventum, vel Capitulum dilationem ad profitendum Novitio, post annum Novitiatus, probato à se pro idoneo, non obstante hoc decreto, justa de causa concedere posse, resolvunt *Navarr. consil. 29. in antiquis*; *alias 30. in novis de Regular. Sayr. in floribus dec. sub illo tit. decis. 35. Fr. Emman. in Summ. part. 2. c. 8. num. 3. & quæst. regul. tom. 3. q. 15. a. 10. in fine, & quæst. 17. a. 6. Bartol. a S. Fausto, l. 5. q. 168. Less. de justit. l. 2. c. 41. D. 7.* Sanchez *in præcept. Decal. l. 5. c. 4. num. 6. Hieron. Roderic. in Compend. quæst. regul. resol. 101. num. 83.* qui duo posteriores asserunt in Ordine Minorum usque ad decimum octavum posse dilatari professionem juxta eorum regulam.

2667 Dixi supr. ut quis ad annum probationis in Religione subeundæ admittatur, hodie *jure communi* sufficere annos pubertatis completæ; nam secùs est ex particulari statuto Religionum per Sedem Apostolicam approbatarum etiam in suis Constitutionibus. Sic in Societate JESU nemo potest admitti ad Novitiatum, seu probationem, ante expletum 15. ætatis annum, sicut nec post expletum 50. annum, sine Generalis dispensatione, ut constat ex Reg. 16. Provincialis, & *Can. 9. Congreg. Gener. VIII.* Et ideo, si quis emitteret vota simplicia in Societate, emitti solita post biennium Tyrocinii, vota essent invalida, si quis biennium probationis inchoâsset ante completum 15. ætatis annum sine dispensatione P. N. Generalis, de quo Sanchez *l. 5. moral. c. 4. à num. 26.* nam admissio illa secundùm tempus, quod est ante completum 15. annum, esset à non habente potestatem admittendi ante illud tempus, seclusâ dispensatione P. N.

§. 2.

De loco faciendæ Probationis, seu Tyrocinii.

2668 DE hoc agitur *c. 1. h. t. in 6.* ubi dicitur, quòd ante 14. annum Monasterium ingressus, ut Monachus efficiatur, *si per totum sequentem annum in Monasterio permanserit*, ubi Professorum, & Novitiorum habitus sunt indistincti, professionem per hoc fecisse videatur; ad quæ verba notant Menochius, Azor, & alii apud Barbos. *in dict. c. 1. num. 5.* ut gestatio habitus in dicto casu inducat, suppositis cœteris, tacitam professionem, requiri, *quod susceptus habitus deferatur in ipso Monasterio.* Sed hoc non facit ad præsentem quæstionem; id enim, quod in præsenti quæritur, est, an probatio fieri debeat intra domos, vel habitationem religiosam?

2669 Affirmativam suadet ratio ex fine probationis; hæc enim fit, ut probet vitam, & modum vivendi talis Religionis, obediendo, addiscendo scitu necessaria, se abnegando per subjectionem, & rerum secularium abdicationem, exercendo se in functionibus ejus propriis sub disciplina Magistri ad hoc destinati, qui observatis ejus moribus, inclinatione, ac habilitate informare possit superiorem, ac eos, à quorum consensu pendet ejus ad professionem admissio, vel rejectio, &c. at hæc sine inconvenienti fieri non possunt, si maneat eo tempore in seculo: ergo.

Dubitari autem potest, an totus, & 2670 integer probationis annus fieri debeat in Monasterio, sic, ut nullâ illius parte degat extra domum talis Religionis, vel Monasterii? R. non requiri, modò ejus commoratio extra Monasterium fiat de legitimi superioris licentia, cum animi promptitudine semper redeundi, ubi ab eodem revocatus fuerit, præsertim, si jubeatur extra Monasterium deservire hospitalibus, in aliqua peregrinatione subeundo exercitia humilitatis, paupertatis, incommoditatum corporis, &c. hæc enim prorsus eximia probatio est, quæ fit alacriter superioribus obediendo; & ita tradit Suarez *cit. l. 5. c. 14. à num. 13.* Sanchez *cit. c. 4. à num. 27. Navarr. l. 3. consil. 32. à n. 2. & alii.*

Unde etiam notat Navarrus, & Sua- 2671 rez *cit. c. 14. num. 15.* Novitium anno probationis completo posse ad professionem admitti, sit habilis judicetur, licet statim ab inchoato Tyrocinio infirmatus, toto prope probationis tempore æger fuerit; quia non obstante hoc accidente sufficienter eum experiri potuit Religio; ac ipse etiam illam experiri, exercendo in doloribus patientiam, obedientiam, & actus virtutum Religioni propriarum, esto actionibus quibusdam externis fieri cæteroquin in ea Religione solitis minus impendere se potuerit, nam iste est finis legis, qui non cadit sub obligationem.

§. 3.

An annus Probationis fieri debeat suscepto habitu?

R. HOc velle communiorem senten- 2672 tiam, nimirum, ad valorem Novitiatus opus esse, ut annus Probationis, suscepto habitu regulari, peragatur; *gloss. in c. Super eo. 9. V. in eadem vestc. h. t.* Sylvester V. *Religio. 5. q. 5.* Azor *p. 1. l. 12. c. 2. q. 9.* Sanchez *l. 5. mor. c. 4. n. 29.*

ratio

ratio est, quia probatio Novitii eò ordinatur, ut ipse experiatur Religionis austeritatem, cujus magna pars consistit in habitu, ideoque non potest censeri probatus, qui habitum non gestavit; & constat ex Tridentino relato *num.* 2662. ibi: nec qui minore, quàm per annum, *post susceptum habitum*, in probatione steterit, ad professionem admittatur, ac proinde vult, quòd non nisi post susceptum habitum, annum probationis inchoare, censendum sit. Hinc habitum regularem à Novitiis deferendum esse de essentia, atque substantia anni probationis, tradunt Azor, *cit. l.* 12. *c.* 2. *quæst.* 9. *Fr. Emman. cit. q.* 15. *a.* 9. Sanchez *cit. l.* 5. *c.* 4. *num.* 29. & plures alii, quos citat, & sequitur Barbos. *in Trid. sess.* 25. *de Regular. c.* 15. *num.* 36.

2673 Verùm spectatâ rei naturâ, & seclusis particularium Religionum statutis, oppositum est probabilius, nimirum ad substantiam legitimæ probationis non requiri, quòd ea fiat suscepto habitu; hoc enim limitant plures ex cit. Authoribus, ut non procedat. 1. si regula alicujus Religionis à Pontifice approbata aliud præscriberet, vel usus legitimè præscriptus id obtinuisset. Deinde, si talis esset Religio, quæ habitum proprium non haberet, ut non habet Societas JESU, cujus Religiosi ex usu regionis, in qua habitant, vestiuntur, secundùm Sanchez in præcepta *Decal. tom.* 2. *l.* 6. *c.* 8. *num.* 70. Unde licet Novitius deferre debeat habitum, quo regula, vel statutum, aut consuetudo cujuscunque Religionis uti vult, non esse tamen de substantia anni probationis Novitium induere habitum Novitiorum ab habitu Professorum distinctum, resolvunt Suarez *tom.* 3. *de Relig. l.* 5. *c.* 14. *num.* 10. *Fr. Barth. de Vecchis D.* 11. *D.* 7. *n.* 3. *Tambur. tom.* 3. *de jure Abbatum, D.* 6. *q.* 8. *n.* 5. *&* 6.

2674 Probari etiam potest. 1. ex c. *unico, dist.* 53. ubi Gregorius Papa scribens Episcopo Siciliæ de lege Mauritii Augusti, ne, qui militiæ, vel rationibus sunt publicis obligati, ad Ecclesiasticum habitum veniant, si qui verò, inquit, ex militaribus Viris in Monasteriis converti festinant, non sunt temerè suscipiendi, nisi eorum vita fuerit subtiliter inquisita; & juxta normam regularem *debent in suo habitu per triennium probari, & tunc monachicum habitum, Deo auctore, suscipere*; & c. *Multos.* 23. *dist.* 54. ibi: unde necesse est, ut, quisquis ex juris Ecclesiastici servitute, vel secularis militiæ, ad Dei servitium converti desiderat, *probetur prius in laico habitu constitutus.*

Et quamvis aliqui dicant, hos canones usu esse abolitos; vel nomine vestis *laicalis*, intelligi habitum Novitiorum, prout est condistinctus ab habitu Professorum: hoc tamen non probatur; nam, quod assumitur ex Trid. probabilius intelligitur solùm pro casu, quo ex gestatione habitus inducitur tacita professio; deinde Concilium aliud non voluit, quàm quòd regulariter, & stante consuetudine recepta annus probationis non inchoëtur, sive computandus sit nisi ab eo die, quo habitus suscipitur, quia admissio ordinariè, & ex consuetudine communiter nunc recepta fieri solet per susceptionem habitus Religiosi; non autem absolutè, & seclusa tali consuetudine; de quo plura Suarez *cit. tom.* 3. *l.* 5. *c.* 13. 2675

§. 4.

An professionem præcedere debeat integer annus Probationis?

℟. JUre antiquo tempus probationis, ante professionem fuisse varium; nam juxta Alexandrum II. canonicâ institutione interdictum fuit, *Monachum ante unius anni probationem effici*, ut habetur 17. *q.* 2. *c. Gonsaldus.* 1. alibi autem, ut dicitur 19. *quæst.* 3. c. *Monasteriis.* 6. Monasteriis omnibus districtius interdictum erat, ut eos, quos ad conversationem susceperint, *priusquam biennium in conversatione compleant*, nullo modo audeant tonsurare. Sed hoc spatio vita, moresque eorum sollicitè comprobentur: ne quis eorum aut non sit contentus eo, quod voluit, aut ratum non habeat, quod elegit. Deinde 17. *q.* 2. c. *si quis.* 3. constitutum fuerat, ut, si quis incognitus Monasterium ingredi voluerit, *ante triennium* Monachi habitus ei non præstetur. Denique c. *unico, dist.* 53. in militibus religionem ingredientibus 2676

requiritur probatio *per triennium* in suo habitu; hæc jure antiquo.

2677 Jure autem novo Innocentius III. statuit, Professionem Monachi, vel Canonici Regularis, ante *unius anni* probationem nec fieri, nec recipi debere, ut habetur c. *Ad Apostolicam. 16. h.t.* ibi: *cum Monachum fieri ante unius anni probationem regularis institutio interdicat.* Sed quia Pisanus Archiepiscopus ex eodem Pontifice quæsivit, *an professio citius facta valeret*, si ante tempus probationis regulariter præfinitum, is, qui converti desiderat, habitum recipit, & professionem emittit, Abbate per se, vel per Alium professionem recipiente monasticam, & monachalem habitum concedente? ratio videbatur ex eo, quia, ut uno anno probatio duraret, constitutum est non solùm in favorem Conversi; sed etiam Monasterii; ut & ille asperitates istius, & istud Mores illius valeat experiri; favori autem sibi concesso videntur renuntiare posse, consequenter valituram professionem. Ad hoc respondit Innocentius: *quod uterque tali casu renuntiare videatur ei, quod pro se nosscitur introductum*: ideoque obligetur per professionem emissam pariter, & acceptam ad observantiam regularem, & verè Monachus sit censendus: quia *multa fieri prohibentur, quæ, si facta fuerint, obtinent firmitatem.* Addit tamen, prohibendum esse Abbatibus, *ne passim ante tempus probationis quoslibet indiscretè recipiant*: & si contra formam præscriptam quoslibet indiscretè receperint, animadversione debita esse corrigendos: cùm *in subsidium fragilitatis humanæ spatium probationis sit regulariter institutum.*

2678 Ex hoc habetur, quòd jure hujus c. tempus Novitiatus fuerit unius anni, sic tamen, ut, si infra annum expletum de consensu Novitii, & Religionis emissa fuit professio, ea valuerit, quamvis, si indiscretè Novitius ad professionem, anno probationis necdum elapso admitteretur, reprehendendus esset Abbas, ut ait textus; ab hoc tamen exceptæ sunt duæ Religiones Minorum, & Prædicatorum; nam ad has ante annum Novitiatus expletum non poterit admitti Novitius per c. *non solùm. 2. h.t. in 6.* ubi Alexander III. scribens Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, *Vobis*, inquit, *de Fratrum nostrorum consilio in virtute obedientiæ, & sub pœna excommunicationis, auctoritate præsentium, districtius inhibemus*, ne intra annum probationis elapsum (qui est maximè in subsidium fragilitatis humanæ regulariter institutus) quemquam ad professionem vestri ordinis, seu renuntiationem in seculo faciendam recipere, nec institutum intra hujusmodi annum aliquatenus impedire, quo minus intra ipsum ad aliam Religionem, quàm maluerit, transeat: vel (nisi major tamen quatuordecim annis existens professus sit tacitè, vel expressè, aut evidenter constet, illum vitam voluisse mutare: *quod tamen non præsumitur*, nisi clara probatione, vel competentibus indiciis ostendatur) omnino ad seculum redeat, sicut de sua voluntate processerit, præsumatis. Quod si forte contra hanc nostram prohibitionem, quemquam recipere præsumpseritis, *decernimus eum (qui taliter receptus fuerit) nullatenus vestro esse ordini alligatum, vosque à receptione quorumlibet ad professionem ejusdem ordinis fore ipso facto suspensos*, & insuper pœnæ subjiciendos, quæ fratribus ipsius ordinis pro culpis infligi gravioribus consuevit.

Hæc constitutio deinde à Bonifacio 2679
VIII. extensa fuit etiam ad alios Ordines *Mendicantes*, ut habetur c. *Constitutionem. 3. eod. in 6.* ubi sic loquitur: *Constitutionem Innocentianam, quæ prohibet conversorum professionem recipi ante annum probationis elapsum*: piæ memoriæ Alex. Papa IV. prædecessor noster, ad fratrum Prædicatorum, & Minorum ordinem duntaxat declaravit extendi; *Unde Nos pari similitudine rationis inducti, declarationem eandem ad aliorum Mendicantium ordines prorogamus: in aliis autem religionis professio expressè vel tacitè fieri potest licite intra annum.* Sed expressè emissa (etiam seculari habitu non mutato) illi religioni præcisè obligat, quam profitens est professus: Tacitè verò facta intra probationis annum per susceptionem habitus (qui profitentibus tantùm datur) non illi spe-

ciali-

cialiter, cujus habitus est susceptus, sed generaliter religioni alicui recipientem obligat, si ætatis aptæ sit: si sciens, & voluntarius ac triduo perseveret.

2680 Ex his juribus collig. 1. quòd Prædicatores, & minores infra annum probationis quemquam ad sui Ordinis professionem recipere non possint, quod si fecerint, receptus obligatus non est *eorum Ordini*, & ipsi à receptione professionis aliorum sunt suspensi, & puniendi pœnâ, quæ pro gravioribus culpis eis consuevit infligi; sic Vivianus in Rationali juris canonici *pag.* 300. & alii; 2. idem dicendum de omnibus Religiosis Mendicantibus, qui aliquem recipiunt ad professionem non expleto probationis anno per dict. c. *Constitutionem*; secus de aliis, non Mendicantibus, quantum est vi juris communis; quia extensio c. *non solùm*, loquentis de Prædicatoribus, & Minoribus, per c. *Constitutionem* porrigitur solùm ad Ordines *Mendicantes*, adeoque in vigore suo quoad alios *non Mendicantes* manet, quod dixit Innocentius III. in c. *Ad Apostolicam. 16. h. t. de quo num.* 2677. & illi censuræ, de qua dictum est in præmissis juribus, etiam subjici quoad illud punctum Moniales Ordinum Mendicantium, tradit Sanchez *de matrim. l. 7. D. 25. num. 22. & in Decalog. tom. 2. l. 5. c. 3. à num.* 18. Sed hæc vi juris ante Tridentinum, in quantum attingunt professionem ante completum Probationis annum.

2681 Postea enim in dicto Concilio *sess. 25. de Regular. c. 15.* (*de quo num.* 2662.) expressè decretum est, ne qui *minore tempore, quàm per annum* post susceptum habitum in probatione steterit, ad Professionem admittatur; &c. Ex hoc Concilii decreto deducitur. 1. professionem ante expletum Novitiatus annum factam esse nullam; ita Sanchez *in Decal. tom. 2. l. 5. c. 4. num. 8. Fr. Emmanuel Qq. Regul. tom. 2. q. 2. a. 7. & tom. 3. q. 15. a. 1. cum seqq.* Azor *p. 1. l. 12. c. 2. q. 6. cum aliis*; & colligitur ex finalibus ejus decreti verbis, ibi: *professio autem ante facta sit nulla, nullamque inducat obligationem, &c.* quæ clausula non tantùm afficit primam decreti partem de professione facta ante completum 16. ætatis annum; sed etiam secundam, de facta ante completum probationis annum; cùm utrique subjiciatur sine termino restringente illam solùm ad primam decreti partem.

Hoc tamen Conciliare decretum, quo- 2682
ad secundam partem de professione non admittenda, vel facienda ante expletum probationis annum intellige, nisi aliquibus speciali privilegio aliud concessum sit. Nam, ut refert Barbosa c. *ad Apostolicam. 16. h. t. num.* 4. ex privilegio Pii V. sub dato Romæ apud S. Petrum 23. Augusti 1570. *Novitii in articulo mortis existentes* ante expletum probationis annum, ut lucrentur, atque consequantur indulgentias, possunt profiteri, quod ad literam refert Fr. Ludov. Miranda in Manuali Prælatorum *tom. 1. quæst. 22. a. 10.* dicens, hujusmodi concessionem non esse revocatam per Gregor. XIII. in sua constitut. incip. *In tanta negotiorum mole*, qua revocavit, quicquid concesserat Pius V. super statu, & regimine Monachorum, & Sanctimonialium contra jus, & contra decreta S. Concilii Trid.

Hujus rationem reddit; quia Gregorius ibi non loquitur de illis gratiis, & indulgentiis, & maximè concessis in mortis articulo Monachis, & Sanctimonialibus, sed tantùm de aliis gratiis, & privilegiis spectantibus ad statum, & regimen eorundem Monachorum, aut ipsarum Monialium: idem etiam tenent Henriquez *in Summ. l. 13. c. 40. §. 2. Fr. Emmanuel qq. Regul. tom. 3. a. 3. Barthol. à S. Fausto in thesauro Religiosorum, l. 3. q. 167. unde meritò Ludov. Beja responsa casuum conscientiæ, p. 4. casu fin. vers. tertiò*, tenet professionem Novitii factam in mortis articulo esse validam, teneri tamen si convaluerit, & ex ea infirmitate non decesserit, complere postea integrum probationis annum, & professionem de novo emittere.

§. 5.

Qualiter annus probationis debeat esse integer, & continuus?

COmmunis tenet cum Suarez *tom. 3.* 2683
de Relig. l. 5. c. 15. quòd debeat annus esse sic integer, ut nulla ei dies desit; unde communiter tradunt Doctores, hujus.

jusmodi probationis annum à momento in momentum posse, & debere computari, id est ab hora diei, in quo habitum quis suscepit, usque ad eandem horam ultimi diei ejusdem anni; sic Jacob. *de Graff. tom. 1. consil. l. 3. consil. 6. num. 2. de Regularib. Zanard. in direct. Theolog. p. 2. c. 26. num. 12. vers. nota autem, Less. de just. l. 2. c. 41. D. 7. num. 59.* Sanchez *l. 1. de matr. D. 16. num. 2. & in præcepta Decalogi tom. 2. l. 5. c. 4. n. 31. in fine.*

2684 Ex hoc ulterius deducunt, si Novitius compleat probationis annum die 24. Februarii anno bissextili, non dici expletum hunc annum, nisi secunda die, quæ etiam appellatur 24. id est, 25. die; quare emittere non posse professionem, nisi eadem die 25. in puncto diei 24. Februarii præcedentis anni, in quo suscepit habitum, *arg. L. 3. §. minorem. ff. de minoribus, & L. cùm bissextus. ff. de verb. signif. & c. quæsivit, eod. ita Lessius cit. num. 59. & complures alii apud Barbos. in Trid. sess. 25. de Regular. c. 15. num. 21.* Contrarium tamen probabilius censet Pirhing *h. t. num. 37.*

2685 Pro explicatione hujus not. difficultatem controversiæ nasci ex dubio, qualitet tempus à jure præfixum sit numerandum? *an* nimirum *sufficiat diem ultimum ejus temporis esse cœptum? an exigatur, illum esse elapsum?* Ad hoc respondet Pirhing *h. t. num. 37.* primum dicendum, quando materia est odiosa, si nimirum minuit favorem, vel auget onus, & gravamen; secundum autem; quando tempus apponitur in favorem, ut intra illud aliquid liceat agere, vel proponere; non autem post illud elapsum.

2686 Utrumque probat exemplis. Nam beneficium restitutionis in integrum competit Minoribus usque ad 25. ætatis annum completum, non autem post illum elapsum; ut ei negetur, non sufficit, diem ultimum anni 25. esse cœptum; sed etiam adhuc ultimâ illius diei hora peti potest; quia prorogatio temporis (ut non obstet, nisi sit physicè elapsum) continet favorem Minorum, quem directè quærit lex intra illos annos, ut eis liceat petere restitutionem. Econtra, cùm lex, quæ impuberibus negat factionem activam testamenti; vel receptionem Ordinum ante præscriptum tempus, &c. minuat favorem, & augeat onus exspectandi, in illis casibus sufficit dies ultimus cœptus; sic ille, propterea volens in anno bissextili alterum diem hujus anni non computari; sed tantùm numerari dies 365. sicut in anno communi; atque adeo sufficere ad validam & licitam professionem, quod ultimus dies ex illo numero cœptus sit; cùm, si deberet exspectari ultra, minueretur favor professionis, & augeretur onus.

Cœterùm, quidquid in præsens sit de 2687
his regulis; videtur dici posse, attendendum ad temporis præfinitionem, nimirum, an dicatur *non ante* (v. g. ante 25. non recipiatur ad ordines) vel, an dicat *intra hoc tempus*, non autem *post*; ut est in casu concessæ Minoribus restitutionis in integrum; vel *non minore tempore*, ut in casu nostro; in primo enim communiter conceditur, sufficere diem illius anni (v. g. vigesimi quinti) esse cœptum; quia sic verè, ac propriè verificatur, quòd non recipiat ordines ante 25. ne scilicet extensio fiat ad annum illum *completum*, cùm sic contineat gravamen; in altero autem, cùm dicitur *intra hoc tempus*, quando prorogatio temporis continet favorem, & dispositio favorabilis est (ut contingit, si intra certum tempus petatur restitutio, aut fiat appellatio) communiter accipitur cum extensione ad ultimum etiam terminum illius temporis, v. g. etiam ultima hora illius; demum in casu, ubi disponitur, ut aliquid fiat, nisi præcesserit tempus non minus anno, triennio, &c. probabilius videtur exigi tempus illud physicè completum; hoc enim sonat, *non minore*, quod verum non est, si quid ex eo desit; unde probabilius videtur, per se loquendo, ut quis ad professionem validè emittendam admittatur juxta mentem Tridentini; annum probationis debere esse completum, ne quid ex eo desit; aliàs enim non existeret in probatione tempore *non minore*, anno; quamvis hoc sufficienter verificetur, licet non computetur dies anni, cùm duo dies pro uno sumuntur, de quo supr.

Dixi,

2688 Dixi, *per se loquendo*, requiri annum probationis esse verè completum; nam in certis casibus sufficit minus tempus; primum casum ponit Barbos. in Sess. 25. Trid. de Regul. c.15. n.18. ubi ait de nulliter Professo, volente suam professionem ratificare, eum non teneri novitiatus annum iterare, si aliàs fuit validus, resolvi à Sanchez de matrim. l.7. D.37. n.45. & Pereyr. in Comment. ad const. Cleric. Reg. p. 2. c. 1. lit. C. §. 2. Si verò Noviatus fuit factus post pubertatem, & fuit continuus, non esse iterandum, ex quacunq; causa sit irrita professio, tenent Sanchez D. 37. n.47. & in præcepta Decalogi l.5. c.14. n.14. Azor institut. moral. p.1. l.12. c.1. q.6. Barth. à S. Fausto in thesauro Relig. l.5. q.97. Verùm in dato casu non deficit quicquam ex integritate anni probationis; rectius affertur, quod Barbosa cit. n.19. ait nimirum Monialibus Ordinis S. Dominici habentibus sedecim annos (in mortis articulo constitutis profiteri posse, etsi nondum integrum novitiatus annum peregerint) concessum à Pio V. in quodam motu proprio incip. *summi sacerdotii cura*, cujus tenorem refert Fr. Emman. qq. regul. tom.3. q.15. a.6, ubi subdit, hoc hodie fieri posse, dicens non esse revocatum à Gregorio XIII. & tradunt idem Fr. Emman. in Summ. tom.4. cap.63. num.5. Lud. Miranda in Man. Prælat. tom.1. q.22. a.10. Sanchez cit. lib.5. cap.4. n.16. Barthol. à S. Fausto, in Thes. Relig. l.5. q.167.

2689 Eundem probationis annum debere esse *continuum*, nec sufficere interpolatum, seu interruptum docent Suarez tom.3. de Relig *l.5. c.15. à n.3.* Sanchez *tom.2.* in Decal. *l.5. c.4. à n.31.* Azor *p.1. l.12. c.2. q.8.* & complures alii; nam aliàs non verificatur, quòd *non minore* tempore, quàm per annum, steterit in probatione; ubi enim jus exigit certum tempus, nisi vel ex subjecta materia, vel aliunde oppositum colligatur, intelligitur tempus (v.g. *annus, mensis, dies*) productum *continuè*; hoc enim est secundum temporis naturam; potissima difficultas est, quibus casibus, vel actibus interrumpatur sic, ut talis annus non censetur *continuus*, prout exigitur, ut professio validè subsequatur?

Cardinalis de Lugo in responsis 2690
moralibus *lib.3. dub.2.* tangit hanc quæstionem sequenti casu ibidem proposito? quidam, inquit, Novitius, post 21. dies à suo ingressu, relicto habitu, sponte discessit animo non redeundi; sed, elapsis septem diebus, rediit, &, obtento iterum habitu, Novitiatum prosecutus est, & elapsis undecim mensibus, & decem diebus, qui cum illis 21. diebus annum integrum faciebant, bona fide Professionem emisit, ac postea per quindecim alios annos in Ordine permansit, factusque ibi Sacerdos, omnes Professorum actus, etiam Capitulares, gessit, nunquam tamen Professionem positivè ratificavit, de cujus quippe valore dubium nunquam illi occurrit. Sub hoc quæsitum est, ait, primò, an Professio valida fuerit? secundò an saltem postea Professio tacita intervenerit? tertiò, quia dubitat, quòd Conventus nunc non facilè novum consensum præstabit, an non requisito novo consensu, possit nunc primam Professionem ratificare saltem coram Prælato, & testibus? quartò quid tandem faciet, ut validè profiteatur? quintò denique, an ad hoc necesse sit, annum integrum probationis denuo præmittere; an verò sine novo anno Novitiatus possit prior Professio statim ratificari?

Cùm autem ex dictis quæstionibus 2691
ea, quæ quinto loco ponitur, tangat specialiter materiam interruptionis, quæ annus desinat esse *continuus*, ꝛc. communiter à Doctoribus tradi, per voluntarium Novitii egressum à Religione, animo ad eam non redeundi, omnino desinere annum esse continuum, prout exigitur, ut præcedat validam professionem; quia tamen dubitatur, an quicunq; talis egressus, nondum expleto probationis anno, etiam paucorum dierum, ita discontinuet annum, licet egrediens, pœnitentiâ ductus, redeat, ut prius tempus cum subsequenti non possit continuari? respondet cit. Cardinalis n.2. quamvis aliqui judicent interpolationem brevem non nocere, id tamen reprobant Suarez *tom.3. de Relig. tr.8. l.5.* de ingressu Religionis, *c.15. n.6.* & Sanchez in Decalog. *c.4. n.32.* & in casu nostro res est extra controversiam, cùm in-

terruptio fuerit per septem dies, quæ à nemine parva interruptio æstimatur.

2692 Dices: Suarez cit. apud Cardinalem de Lugo n. 8. censet probabile, posse computari tempus præcedens, additis postea diebus, qui ad annum deerant; quia non videtur fieri interruptio *moralis*; cum semper fuerit continuatus status, & habitus religiosus, quod etiam pro comperto supponit Sanchez *l.7. de matrim. Disp.37. n.50.* cum communi. R. Patrem Suarez loqui de continuatione Novitiatûs cum priori tempore, quæ fit continuando professionem existimatam in casu proposito *n.2689.* ad quod exigit, ut continuatio subsequentis temporis, cum priori ante egressum, fiat sciente Novitio, & Religione nullitatem professionis emissæ prius, ut posterius tempus, de utriusque consensu continuetur, & ritè currat; cùm prior voluntas, qua ingressus & receptus est, nec habitualiter perseveret, utpote revocatus per dictum egressum.

2693 Cæterùm etsi probabiliter hoc dicatur, ut vult Suarez relatus à Card. de Lugo, & concedatur, quòd, ut annus probationis sit continuus, sufficiat esse *moraliter* continuum; difficile tamen videtur, quomodo tempus ante egressum ex Religione, animo non redeundi, possit dici *moraliter* continuari cum subsequenti post reditum, cùm animus probandi religionem, secuto tali egressu sit revocatus; unde etiam communiter tradunt Theologi in materia de peccatis, illos actus esse moraliter discontinuos, nec priorem continuari etiam moraliter cum posteriore, si inter hunc & illum intercessit pœnitentia super priori; & ideo, ut notavimus antè, etiam Suarez. & Sanchez reprobant opinionem illorum, qui tradunt, egressum à Religione nondum finito anno Tyrocinii, licet ad breve tempus, factum animo non redeundi, obstare continuationi anni probationis, prout exigitur ante professionem. Aliud est, si Novitius post aliquod tempus, cum Facultate Superioris, ad tempus aliquod, ex justa causa (v.g. curandæ valetudinis, vel auræ mutandæ) de Monasterio exeat retento animo juxta superiorem voluntatem semper redeundi; sic enim perseverat in obedientia, quam probans religionem eo tempore debet Superiori, quâ maximè probatur Novitius.

Alia quæstio est, an, si quis finito probationis anno, dimittatur ad seculum, & acceptet dimissionem, licitè admittatur ad professionem, si facti pœnitens statim redeat, & recipiatur? idem est, si ipse finito Novitiatus anno exeat. R. affirmativam tradi à P. Sanchez *lib.5. in Decal. c.4. n.34.* Thesauro in praxi Ecclesiastica *part.2. V. Professio c 1.* Lezana *p.2. V. Professio. n.10.* quia tali casu professio fieret exacto probationis anno, ut exigit Tridentinum; ergo, quantum est ex hoc capite, non fieret invalidè; nec enim requiritur, ut Novitiatus, & Professio fiant intra tempus continuum; cùm id nullo jure requisitum sit; modò interim nulla morum, aut habilitatis mutatio intervenerit, cujus causâ egeret novâ probatione; & hoc videtur probabilius oppositio. 2694

Eandem quæstionem movet Cardinalis de Lugo *l.4. Responsor. moral. dub.1.* de eo, qui post absolutum Novitiatus biennium in Societate ante votorum nuncupationem sponte digressus, vel post vota emissa, vel à Religione dimissus legitimè, intra breve tempus redit, & recipitur; an indigeat novo probationis biennio, ut ad vota, quibus constituitur verè Religiosus, admittatur. 1. si prius non emisit ea; 2. si quidem emisit, sed soluta sint per legitimam dimissionem? Ad hoc respondet citatus Cardinalis, *n.3.* pro se allegans P. Suarez *tom.4. de Relig. tr.10. l.2. c 4. n.8.* non posse ante aliud biennium probationis exactum admitti ad vota substantialia emittenda, quibus substantialiter Religiosus constituatur. Rationem dat à paritate professi in uno ordine (v. g. in Soc.) & sub hoc cum legitima facultate professi in alio ordine; si enim, inquit, talis impetret facultatem redeundi ad Societatem, & rediret, deberet denuò profiteri in Soc. (prior enim professio vel exstincta, vel commutata est in aliam in altera Religione) nec ad professionem novam in Soc. recipi posset sine nova, saltem unius anni, probatione; quin illi prodesset prior probatio in eadem Soc. ergo similiter in casu nostro dimissus à Societate 2695

post

post vota biennii, & postea iterum receptus, debebit præmittere Novitiatum, antequam per vota substantialia incorporetur; ratio enim est eadem in utroq; casu: quia sicut Professio facta in secundo Ordine extinxit professionem factam in Societate, & consequenter probationem præcedentem: ita dimissio à Societate extinguit vota, & consequenter probationem præcedentem: nec apparet, cur magis extinguatur probatio præcedens, quando extinguitur professio Societatis per professionem alterius Ordinis, quàm quando extinguuntur vota substantialia, quibus homo constituebatur Religiosus Societatis, per dimissionem legitimam, per quam ex Religioso fit non Religiosus; sic de Lugo.

2696 In hac probatione concedo primam professionem in una Religione (v. g. in Societate) omnino extinctam, vel commutatam fuisse in aliam, quæ secuta est in alia Religione; & in hoc etiam rectè argui per dimissionem à Societate legitimè factam, post emissa vota biennii, extincta esse illa vota; sed simul etiam extinctam esse *probationem* primæ professioni, vel votis biennii præmissam, spectato jure communi, & Tridentino, nego cum P. Sanchez & aliis DD. relatis supra; per hoc enim, quòd quis præscripto tempore ritè probatus, voluntate Religionis legitimè abeat ex Religione, non desinit esse verùm, *eum non minore tempore, quàm unius anni, stetisse in probatione*, quod solùm exigitur ad legitimam professionem in tali Religione, quantum pertinet ad tempus necessariæ probationis; dixi: *spectato jure communi, & Tridentino*; aliud enim est, si hoc exigat particularis Religionis institutum, vel consuetudo; tum enim in tali casu secundùm ea jura resolvendum erit; de quo V. Card. Lugo *citat. dub. 1. num. 6.* & *dub. 2. num. 2.*

§. 6.

Qualiter impuberes possint assumere Religionis habitum vel suâ, vel parentum oblatione?

2697 NOn loquimur de oblatione vel ab ipsis impuberibus, vel à parentibus facta, quæ vim habeat oblatum constituendi verum Novitium talis Religionis, ante completam pubertatem; annus enim probationis ante completum hoc tempus invalidè inchoatur jure novo, ut dictum est *supr.* & colligitur ex *c. 1. h. t.* nec etiam loquimur de casu, quo impuberes emitterent votum ingrediendi religionem tempore habili: posse illis quoque in ea ætate concedi habitum Religionis etiam intra Monasterium, ut à mundi vanitate abstracti, regulari vitæ assuescant, docet S. Thomas *2. 2. q. 189. a. 5.* quin tamen illud tempus pubertati completæ prævium computetur in tempus integræ probationis annuæ.

Quæstio autem est. 1. an parentes 2698
possint liberos suos impuberes offerre Religioni, non tantùm ut habitum deferant ex fine, de quo num. præced. ex S. Thoma; sed etiam ut suo tempore fiant Religiosi? 2. quem effectum habeat talis oblatio parentum? 3. an hæc oblatio à parentibus fieri possit etiam invitis liberis? 4. an à Matre, vel Tutoribus? Ad 1. p. affirmativè ex *20. q. 2. c. 1.* ibi: *Parentibus sanè filios suos religioni contradere non amplius, quàm usq; ad quartumdecimum eorum ætatis annum licentia poterit esse: postea verò, an cum voluntate parentum, an suæ devotionis sit solitarium votum? erit filiis licitum Religionis assumere cultum.*

Ad 2. p. id potissimum colligi ex c. 2699
si quis 2. h. t. quòd desumptum est ex Concilio Moguntin. & ita habet: *si quis ante annos legitimos tonsuratus est sine consensu parentum suorum: si parentes ipsius intra annum non reclamaverint ad Principem, aut proprium Episcopum, vel ad Missum Dominicum, in Clericatu permaneat: Si verò post legitimos annos, per vim Clericus factus est, & nec ipse, nec parentes eis intra annum. ad memoratas personas reclamaverint, in Clericatu permaneat. sicut is, de quo superius dictum est.*

Nam ex cit. juribus habetur, quòd, si 2700
quis liberorum de consensu parentum ante completam pubertatem religionem ingressus est, ipsum ille non possit eum revocare post annum ingressûs; secùs antequam elabatur annus, si ingressus sit sine ipsorum consensu: prima pars est ex textu in *20. q. 2. c. si in qualibet 1.* ibi: *si in qualibet minori ætate, vel religioni debitam vestem, vel religionis tonsuram in*

utrogq; sexu filiis aut unus, aut ambo parentes dederint fortè, aut nolentibus, aut nescientibus sese susceptam, non mox visam in filiis abdicaverint, sed vel coram se, vel coram Ecclesia, palamq; in conventu eosdem filiis talia habere permiserint, ad secularem reverti habitum filiis ipsis quandoq; penitus non licebit; sed convicti, quod tonsuram, aut religiosam vestem aliquando habuerint, mox ad religionis cultum, habitumq; revocentur, & sub extrema districtione hujusmodi observantiæ inservire cogantur. Si autem ingressus est sine ipsorum consensu, & parentes *intra annum non reclament*, idem dicendum est, nisi adeant Principem (hoc est Pontificem) vel proprium Episcopum, vel Missum Dominicum, sic c. *si quis*; ubi nota per *Missum Dominicum* intelligi Episcopi Vicarium, ut vult Pirhing h. t. num. 50. ex gloss. in c. *si quis* V. *Missum*; esto per eum Gonzalez ibid. n. 5. intelligi velit *delegatum à Principe* (hoc est, *Pontifice*, ut notat n. 3. V. *ad Principem*) missum: ratio secundæ partis est, quia ante completam pubertatem liberi etiam in hoc subsunt potestati parentum; unde etiam vota impuberum (emissa sine ipsorum consensu) irritare possunt parentes; cùm in hac ætate subsint ipsorum dispositioni; dixi *intra annum*; secùs enim præsumuntur ratificâsse illorum voluntatem ex c. *si quis*.

2701 Not. autem annum, de quo in præsenti, computari à die, quo sciunt ingressum sine suo consensu factum; quamvis prorogari possit hoc tempus, si parentes justo impedimento detenti sint, quò minus intra annum scientiæ reclament. Not. 2. quando dicitur, parentibus ad reclamandum concedi annum *integrum*, intelligi; si toto illo anno liberi, maneant adhuc *impuberes*; secùs à tempore, quo jam sunt *puberes*; quia tunc in ordine ad electionem statûs sunt sui juris; hinc solum tempus superstes ad pubertatem nondum completam illis ad reclamandum indulgetur, V. Sanchez *l.* 4. Summæ, *c.* 18. Not. 3. signatè dici, parentes posse *reclamare* contra liberorum ingressum in Religionem *in impubertate sine ipsorum consensu*; ut notetur, eos non posse vi eos extrahere de Monasterio; cùm hoc sit contra reverentiam, & immunitatem loci; unde tali casu facultas solùm est *reclamandi*; & si hoc non juvet, *adeundi* Superiorem per c. *si quis*.

Not. 4. liberos à parentibus Religio- 2702
ni oblatos in impubertate, non posse ante adeptam pubertatem ab illa recedere, invitâ Religione, etiam volentibus eorum parentibus; quia Religioni ad eos retinendos usque ad eam ætatem jus acquisitum est; cui tamen Religio renuntiare potest, ac eos, etiam ante pubertatem, rejicere. Si autem sine consensu parentum impuberes ingressi sint, abire possunt liberè ante professionem ex c. *significatum.* 11. h. t. nam talis ingressus sive cum, sive sine consensu parentum, non facit Monachum, etiam gestato habitu, *ante pubertatem*; quod etiam procedit, postquam oblati à parentibus *in impubertate*, facti sunt puberes; per c. *cùm simus.* 14. *eod.*

Ad 3. 12. quamvis negativa suis etiam 2703
gravibus fundamentis à ratione petitis non careat, ut tenet Abbas in *c.* 1. *h. t. n.* 9. Sanchez *l.* 4. *moral. c.* 18. *n.* 26. contrarium tamen censeri probabilius sic, ut taliter oblatus in Religione, cui oblatus est à parentibus, permanere debeat, donec pubertatem compleverit; pro hac opinione refertur Suarez *cit. l.* 5. *c.* 2. *n.* 3. Fagnanus c. *Cùm Virum* 12. h. t. à *n.* 29. Mihi tamen videtur justè dubitari posse, an affirmantium opinio probabilius fundetur in eo capitulo; ibi enim solùm deciditur, *quòd filia minor duodecim annis, à parentibus Monasterio tradita, si major facta sponte veletur, ad seculum redire non possit*; sic enim etiam exponitur in ipsa rubrica; tum etiam à pluribus, quos citat, & sequitur Barbos. ibid. *n.* 1. qui casus longè diversus est ab eo, super quo versamur in quæstione proposita. Casus in c. *Cùm virum*, loquitur de oblatione parentum, dum filia esset *impubes*; & facta *pubes sponte consensit* in sui velationem, quâ tacitè inducta est professio; & quæritur, an hoc posito possit redire ad seculum? definiturque, *quòd non*; at casus noster loquitur de oblatione parentum, dum filius, vel filia esset impubes, non consensit, sed invita est in talem oblationem, etiam non inductivam professionis; & solùm quæritur, an talis debeat exspectare pubertatem com-

completam, dum redire possit ad seculum? & de hoc nihil agit textus.

2704 Ad 4. &c. solam Matrem, superstite, ac contradicente Patre, non posse; nam cura, & gubernatio liberorum *impuberum*, sicut totius familiæ, jure naturali, & humano pertinet ad parentem, seu Maritum, qui est caput mulieris. Unde textus loquentes alternativè, de Patre, *vel* Matre accipiendi sunt in casu, quo *sola Mater supereśt*. Ad alterum autem *de Tutoribus* respondetur affirmativè ex 20. *q.* 2. *c.* 2. nam Tutor pupilli est instar patris, & in ejus personam potestatem habet, succeditque patri quoad omnia, quæ ad gubernationem filii pertinent; ideoque omnia etiam ejus vota irritare potest; & ita tenet Suarez *cit. tom.* 3. *l.* 5. *c.* 2. *n.* 13. Sanch. *cit. l.* 4. *mor. c.* 18. *n.* 25. & alii.

2705 Præter dicta Not. 1. liberos inconsultis, ac invitis parentibus non prohiberi Religionem ingredi, c. *Cùm Virum.* 12. h. t. ibi: *quia liberum habet arbitrium in electione propositi, sequi parentum non cogitur voluntatem*; loquitur autem de puella jam pubere; decens tamen est, petere consilium, & assensum, sed citra obligationem sequendi, *per se loquendo*, ut in casibus de ineundo matrimonio notavimus *l.* 4. à *n.* 132.

2706 Not. 2. Novitios durante Tyrocinio posse liberè absque apostasiæ nota, vel noxa ad seculum redire ante emissam expresè, vel tacitè professionem, c. *Consulti.* 20. h. t. & clariùs in c. *statuimus.* 23. eod. ubi Gregorius IX. *statuimus*, inquit, *Novitios in probatione positos, ante susceptum Religionis habitum, qui dari profitentibus consuevit, vel ante professionem emissam, ad priorem statum redire posse liberè intra annum: nisi evidenter appareat, quòd tales absolutè voluerint vitam mutare, & in Religione perpetuò Domino servire.* Quia tamen verba postrema: *nisi evidenter appareat*, &c. & in c. 20. ibi: *in primo casu (si Novitius absolutè proposuit vitam mutare, ut sub habitu regulari Deo de cætero famuletur,)* aliquid insinuare videtur, quod liberum egressum retardare videatur, de vero eorum verborum sensu quæstio esse potest. Communiter enim dicunt, talem, esto non adstringatur *in ea* Religione perseverare, præsumi tamen non nu-

do proposito, sed serio secum animo statuisse, Deo famulari in aliqua Religione, præsertim, si in ingressu assumpsit habitum proprium professorum; sed hoc accipiendum est de ingressu, & susceptione habitus cum proposito in Religioso statu serviendi Deo, non nuda, sed promissione firmata, ut tradit Sayrus in clavi Regia, *lib.* 6. *c.* 1. *n.* 8. Sanchez de matrim. *l.* 9. *D.* 33. *n.* 18. & in præcepta Decalogi, *tom.* 1. *l.* 4. *c.* 1. *n.* 20. quicquid censeat aliter Azor instit. moral. *p.* 1. *l.* 11. *c.* 20. *q.* 9. Nam solum propositum suscepto habitu Monachali non inducit voti obligationem, nisi promissione firmetur; sic Navar. in man. *c.* 12. *n.* 24. & 26. Covar. in c. *quamvis pactum*, *part.* 1. §. 3. *n.* 12. Valent. 2 2. *D.* 6. *punct.* 1. *col. pen. in solut. ad* 2. Azor *cit. l.* 11. *c.* 13. *q.* 5. Valer. Regin. ld. in praxi fori pœnit. *l.* 18. *n.* 387. tum quia ad votum non sufficit propositum etiam deliberatum, sed requiritur ulteriùs promissio, S. Thomas. 1. 3. *q.* 78. *a.* 1. id, quod hodie certum est Trid. Sess. 25. de Regul. c. 15. si enim exinde jam esset professus, valeret professio, quin Novitius steterit in probatione, non minore tempore, quàm unius anni.

§. 7.

An Beneficiatus, durante Tyrocinio, seu probationis anno, retineat beneficium Ecclesiasticum?

REsp. quòd sic, ex c. *Beneficium.* 4. h. t. in 6. ubi Bonifacius VIII. Parisiensi Capitulo scribens, *beneficium*, inquit, *illius, qui religionem ingreditur, non est intra probationis annum alicui conferendum: nisi ad id ipsius accedat assensus, aut constet, quod vitam voluerit absolutè mutare, vel professionem expressam fecerit, seu scienter habitum receperit professorem.* Sed interim eidem beneficio *per alium* deserviri debebit, assignata sibi congrua de ipsius proventibus portione; ex hoc textu sequitur, quòd beneficium ingredientis Religionem infra annum probationis (exceptis casibus hîc excepris) non sit alteri conferendum, interim tamen debeat per alium beneficio deserviri, assignata eidem substituto congrua portione, unde vivere possit. 2707

Circa istum canonem Not. 1. sub appellatione *beneficii*, venire quælibet sive 2708

majora sint, sive minora, cùm textus indistinctè loquatur de *beneficio*, & quidem in materia spectante favorem Religionis; unde Sanchez *tom.2. in Decal. l.7. c.4. n.3.* id extendit etiam ad pensiones; qui *n.6.* ait, hoc procedere, licet Novitiatus pluribus annis duraret, prout in nostra Societate durat biennio; an autem durante Novitiatu possit ipse renuntiare beneficio? sub opinione est, affirmante Barbosa *p.3.* de offic. & potest. Episcopi, allegat. *n.99.* cum Garcia de benefic. *p.11. c.9. à n.12.* negante communi cum Azor *p.2. l.7. c.20. q.6.* Sanchez *cit. c.5. n.38.* propter Trid. Sess. 25. de Regul. c.16. de quo infra.

2709 Not.2. inter casus in textu exceptos ab aliquibus numerari. 1. ex illis verbis: nisi constet, *quòd vitam voluerit absolutè mutare*; ex hoc enim infert Barbosa in cit. c. *Beneficium* n. 5. quòd propositum mutandi vitam cum habitus susceptione censeatur votum solenne, per Sayrum in clavi Regia, *l.6. c.1. n.7.* ad votum enim duo tantùm sufficiunt, deliberatio, & propositum, ex Azor, instit. moral. *p.1. l.11. c.13. n.5.* sed hoc rectiùs negatur, nisi propositum firmatum sit promissione, ut notavimus n. 2076.

2710 Alter casus exceptus est, *si fecit professionem*; circa quod observant alii, à Religiosis Soc. JESU possessionem beneficiorum prius obtentorum amitti post emissam solemnem professionem, vel vota coadjutorum formatorum, per quæ redduntur omnino incapaces bona, & jura quæcunque acquirendi, & retinendi; non autem, per emissionem simplicium verborum biennii, per quæ juxta dictæ Societatis constitutiones, à Sede Apostolica approbatas, tales Religiosi non sunt incapaces retinendi dominium bonorum, & beneficia, quæ in seculo habebant, ut habetur in dictæ Societatis constitutionibus *p.4. c.4. §.5.* in declarat. lit. E, & *p.6. c.2. §.11.* in declarat. lit. E, & in Constit. Gregorii XIII. incip. *Ascendente Domino*, sub dat. 8. Cal. Junii 1584. vers. *& licet qui ad gradus professorum.*

2711 Idem dicendum est, pensiones prius obtentas eorum per dicta biennii vota non extingui, sicut dictum est de beneficiis; quia textus in præsenti, intelligitur de omnibus beneficiis, secundùm Archid. hîc in princ. Monald. *consil.159. n.22. vol.2.* & ideo ita resolvit Sanchez in præcepta Decal. *l.7. c.4. n.7.* & *c.27. n.32.* & *c.29. n.10.* qui tamen cit. *c.29. n.10.* tradit, eosdem finito probationis biennio, antequam vota simplicia emittant, beneficia prius obtenta resignare; pensiones tamen retinent usque ad solemnem professionem, vel vota coadjutorum formatorum, ut observatur in praxi, de qua testatur Sanchez ex decreto Congreg. generalis, can.5.

Not.3. quoad casum factæ professionis vel expressæ, vel tacitæ, ut hodie procedat solùm, supposito Novitiatus tempore completo, & post annum ætatis 16. emissæ, propter decretum Concilii Trid. de quo jam superius actum est; unde dispositio dicti c. *Beneficium* procedit in hoc casu solùm attento jure antiquo, ubi professio fieri poterat post pubertatem completam. 2712

Not.4. in casu, quo egrediens Religionem habet beneficium, fundatum cum clausula, *ut vacet, si beneficiatus per aliquod tempus absit*, non esse locum dictæ clausulæ propter absentiam *causâ probationis* in Religionis ingressu, ut notat Sanchez *cit. l.7. c.4. n.4.* talis enim fundatio, nisi aliter derogativè expressum sit, intelligitur conformiter ad jus commune. 2713

Not.5. in quæstione versari quoque illud, an, si contingat vacare Ecclesiam, in qua Canonicus, vel Beneficiatus, virtute sui beneficii habet jus eligendi, possit interesse electioni, dum est in Novitiatu? & quantum est vi juris sibi competentis, posse; cùm etiam durante Novitiatu ei debiti sint fructus sui beneficii, inter quos etiam est *eligere* Prælatum Ecclesiæ vacantis. An autem sit necessariò ad electionem vocandus, sic, ut aliàs titulo præteritionis possit agere contra electionem se absente, ac non vocato celebratam, in dubio est? vocandum esse, si per leges Tyrocinii in Religione, quam probat, ei conceditur, videtur dicendum, ne privetur jure suo in exercitio actus sibi de jure competentis; secùs verò, si non conceditur; nam sic per ingressum Tyrocinii talis Religionis meritò censetur renuntiâsse pro tali 2714

eventu

eventu juri, quod habet pro tunc ad eligendum.

2715 Aliqui tamen distinguunt inter jus eligendi, quod habet vel jure Collegii, de quo est, & consideratur tanquam pars ejus, vel speciali, puta ratione suæ dignitatis, talis beneficii, aut alio simili titulo; & in primo casu censent, non esse necessariò vocandum, quando id facilè fieri non potest; quia sic per ipsum Collegium electio commodè celebrari potest; in secundo autem secùs; quia revera etiam post ingressum religionis, sed ante professionem, retinet omnia jura sibi competentia, nec eo absente exercitium talis actus ritè celebrari potest; sic gloss. in dict. c. *Beneficium. V. Conferendum*; Sanch. *cit. c.*4. *n.*12. & alii.

2716 An autem, & qualiter Novitii gaudeant privilegio fori, & canonis? aut privilegiis suæ Religionis, in cujus probatione versantur? alibi dictum est, & communiter affirmatur cum Castropalao *tom.*3. *D.*1. *p.*11. cæterùm duo adhuc quæri possunt; an Novitii obligentur statutis Religionum, vel præceptis Superiorum: 2. an, sine justa causa, ex anno probationis à Religione dimitti possint inviti? Ad 1. p. non obligari directè, ac per se loquendo, nimirum sub culpa naturali, seu conscientiæ; obligari tamen ex decentia, & honestate; ita Suarez *tom.*3. *l.*5. *c.*16. & alii; ratio primæ partis est; quia nondum sunt Religionis membra. nec etiam professi, vel ad ejus regulam obligati voto ipsos constituente vera Religionis membra: ratio secundæ partis est, quia id exigit ratio eos convenienter gubernandi, & probandi; unde ligantur saltem ad pœnam à Superioribus decretam contra transgressionem eorum, quæ illis ad peragendam Religionis probationem præscripta sunt.

2717 Dixi eos, *per se loquendo* non obligari naturaliter, & directè statutis earum Religionum, & præceptis Superiorum; quod sic accipiendum est, ut non excludatur obligatio etiam naturalis parendi præceptis impositis à Superiore Religionis, in quantum procedunt non à voto, sed à spirituali jurisdictione relatè ad omnes, qui sunt in tali domo, vel ordine regulari, quàm diu ibi sunt; qualiter Clericus, qui nec origine, nec domicilio est diœcesanus hujus v. g. Episcopi, nihilominus subjicitur jurisdictioni ejus Ecclesiasticæ, ac spirituali, dum est in ejus diœcesi; ita Suarez cit. *c.*16. *n.*18. Sanchez cit. *c.*10 à *n.*11. & alii.

Ad 2. p. negativè cum Suarez cit. 2718
*l.*5. *c.*11. *n.*5. & aliis; nam hoc pertinet ad justitiam distributivam, rectamque dispensationem ministeriorum spiritualium, & administrationem, ne digni & habiles, postquam ad Religionis probationem admissi sunt, ab ea, sine justa causa rejiciantur. Si dicas: ingrediens & probans Religionem liberè potest ab ea discedere ante vota, licet Religionem videat sibi congruentem; ergo vicissim recipiens ad ingressum, & probationem Religionis liberè potest ab ea illum dimittere, ante vota, licet videat illum Religioni congruentem: p. N. conseq. nam justitia distributiva non necessariò importat *obligationem reciprocam*; dignus enim non tenetur recipere, quod alter vi suæ administrationis, quantum est ex parte sua, servatâ lege justæ distributionis, tenetur dare.

ARTICULUS III.

De renuntiatione bonorum tempore Novitiatus.

DE hac quæst. extat specialis dispositio in Concilio Tridentino Sess. 25. 2719
de Regularibus, cap. 16. nam postquam c. 15. dixisset, quòd nullus ad professionem admitti debeat, qui minore tempore, quam per annum, in probatione steterit; nec professio, ante annum ætatis decimum sextum completum facta valeat, aut ullam obligationem pariat; c. 16. subjungit: *nulla quoq; renuntiatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunq; causæ piæ valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac, non aliàs intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione; aliter verò facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata; sit irrita, & nullius effectus.*

Sub hoc, postquam mandasset, ut finito tempore Novitiatus, Superiores, Novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, antè Monasterio eos ejiciant & declarâsset, quòd per hæc

hæc sancta Synodus non intendat, aliquid innovare, aut prohibere, quin Religio Clericorum Societatis JESU, juxta pium eorum institutum, à sancta Sede Apostolica approbatum, Domino, & ejus Ecclesiæ inservire possit: decretum prosequens, subjungit: *Sed neq. ante professionem, excepto victu, & vestitu Novitii, vel Novitiæ illius temporis, quo in probatisne est, quocunq. prætextu, à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus ejus Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quòd totam, vel majorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat, nec facilè, si discesserit, id recuperare possit*; quin potius præcipit sancta Synodus *sub anathematis pœna dantibus, & recipientibus*, ne hoc ullo modo fiat, & ut *abeuntibus ante professionem* omnia restituantur, quæ sua erant, quod ut rectè fiat, Episcopus etiam per censuras Ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.

2720 Pro explicatione hujus decreti not. 1. in eo sermonem esse de renuntiatione bonorum temporalium, qua irrevocabiliter ea cedant, seu transferant in alium, etiam professione non secutâ; ita Sanchez l. 7. moralium, c. 5. à n. 13. quamvis per textum Concilii videatur sufficere, quòd non nisi difficulter donata reciperet. Unde non prohibentur condere testamenta, vel donationes causâ mortis, semper revocabiles ante mortem, etiam à tempore Novitiatûs. Not. 2. Novitios, posse validè, ac licitè profiteri Religionem, nullâ etiam renuntiatione, vel dispositione prius facta super bonis suis temporalibus; nullo enim jure talis professio vel irrita, vel illicita declaratur, aut dicitur; ubi tamen nota, quòd in ejusmodi eventu in ea succedant hæredes ejus ab intestato, si professus est Religionem incapacem etiam in communi habere bona temporalia; secùs autem si capacem, ut diximus supra; quibus prænotatis:

2721 Quæstio. 1. est, an attento illo decreto Tridentini valeret donatio facta ante religionis ingressum, nullo intuitu religionis capessendæ? 2. si intuitu talis ingressûs? 3. an valeat renuntiatio, vel donatio Novitii, etiam completâ ætate professioni necessariâ, sed ante duos menses, proximè præcedentes professionem, facta sine licentia Episcopi, vel ejus Vicarii? 4. an valeat talis donatio facta sub conditione secuturæ professionis, secùs non habitura effectum? 5. qui actus propriè veniant sub nomine renuntiationis prohibitæ hoc decreto?

Ad 1. præmittendum est, hoc decretum annullare omnem renuntiationem, vel obligationem Novitiorum, etiam juratam, vel in favorem cujuscunque causæ piæ factam, vel susceptam sine his conditionibus. 1. si fiat sine licentia Episcopi, vel ejus Vicarii; 2. si non fiat intra duos menses proximos ante professionem, ut apertè constat ex textu; expressè enim dicit, *nulla renuntiatio, vel obligatio antea facta valeat*; cujus ratio videtur potissima, ne per hoc, si Novitius à Religionis Tyrocinio discedere vellet, id propterea illi difficilius reddatur, quòd majorem partem substantiæ suæ jam Monasterium, vel alii possideant, & difficilius recuperet, si exeat, adeoque non plena libertate profiteretur, ut colligi potest ex verbis decreti supr. in n. 2719. quo posito: 2. ad 1. talem alienationem non comprehendi sub hoc decreto, quod solùm respicit casum ingressus, ne ingresso per ejusmodi bonorum alienationem difficilior egressus reddatur. 2722

Ad 2. 3. talem donationem, quam quis facit ante ingressum Religionis, non facturus, nisi ingrederetur Religionem, comprehendi sub hoc decreto; ita tenent Molina de jure, & just. D. 139. & 149. Parisius de resign. benefic. *l.* 3. *q.* 13. *n.* 9. Azor *p.* 1. *l.* 13. *c.* 9. *q.* 2. Lessius *l.* 2. *c.* 41. à *n.* 39. & alii; & 1. quidem, si fiat purè, ingressu scilicet non habente vim causæ, nisi impulsivæ; sic enim foret irrevocabilis; 2. esto haberet vim causæ finalis, & motivæ, consequenter non secutâ professione revocari posset, tanquam datum ob causam causâ non secutâ; quia difficiliorem redderet egressum. 2723

Dices cum aliis oppositum probabiliter tenentibus apud Barbosam in dict. *c.* 16. *n.* 18. illa verba: *nulla renuntiatio antea facta valeat*, sine solennitate ibi præscripta, intelligi de renuntiatione 2724

facta

facta *post* ingressum Religionis ; non autem de facta *ante* ingressum, ac proinde secularem ante habitûs susceptionem, & Novitiatûs ingressum, posse etiam initio ejusdem ingressus validè de suis bonis disponere ; illa renuntiando, donando, seu obligando, absque solennitate in hoc decreto petita ; sed R. negando illam expositionem, vel distinguendo, & admitto Concilium loqui de renuntiatione facta *post* ingressum ; sed non unicè ; cùm enim dicat, *nulla renuntiatio antea facta valeat*, & deinde causam reddat, *quòd exinde, si valeret, difficilior illi* (cui liberum esse vult egressum ex Religione ante professionem) *reddatur egressus*, & propter hoc ejusmodi renuntiationes annullet, Ly *antea facta*, potius appellat supra quamlibet renuntiationem, quæ fit causâ ingressûs in Religionem.

2725 Ad 3. R. negativè ; nam vi ejus decreti, nulla donatio, vel renuntiatio ingredientis religionem valet (in quacunque tunc ætate sit donans, aut renuntians) quæ fit ante duos menses professioni proximos sine licentia Episcopi, vel ejus Vicarii ; ita Sanchez *l. 7. Decal. c. 5. n. 17.* qui etiam ibidem negat, valere renuntiationem factam sub conditione secuturæ professionis ; quia licet eâ non secutâ simpliciter corruat talis renuntiatio, conditione nimirum non subsistente ; difficilior tamen ei redditur egressus, metu indignationis eorum, quibus per egressum admittur spes purè obtinendi bona, quibus facto egressu carebunt. Nec idem est in ultimis voluntatibus, semper revocabilibus, esto maneat in Religione ; cùm tamen talis renunciatio revocetur *solo egressu* ; ex quo habetur responsio ad 4.

2726 Ad 5. R. nomine renuntiationis in decreto prohibitæ venire quamlibet dispositionem inter vivos, quæ in renuntiantem inducit obligationem alteri cedendi aliquid in magna quantitate de bonis suis irrevocabiliter, aut non nisi cum difficultate reddente illi difficiliorem egressum à Religione in eorundem recuperatione, nisi per talem dispositionem tantundem recipiat, quantum dat de suo, ut fit in permutatione, vel venditione bonorum ; adeoque donationem inter vivos, mutuum factum Monasterio, contractus lucrativi, quibus obligetur Novitius ; &c. non autem locationis, & similibus tantum reddentibus danti ; de quibus plura Sanchez *l. 7. c. 5.* Suarez *tom. 3. l. 5. c. 9.* & alii.

Dixi, *in magna quantitate* ; nam 2727
donationes modicæ, vel etiam solutio victûs, & vestitûs durante Novitiatu, videntur non comprehendi sub illo decreto, prout colligitur ex ejus verbis, ubi : *ne hac occasione discedere nequeat, quòd totam, vel majorem partem substantiæ suæ Monasterium possideat, nec facilè, si discesserit, id recuperare possit* ; & quoniam in eodem decreto non prohibentur propinqui dare aliquid Monasterio, *nisi ex bonis ejusdem*, nimirum Novitii, vel religionem ingressuri, non est invalida, vel illicita donatio, quam ejus parentes, vel propinqui de suis, non Novitii bonis, faciunt Monasterio ; nec taliter donata, licet à Religione Novitius discedat ante professionem, restitutioni obnoxia sunt ; cùm textus solùm velit *omnia restitui, quæ sua erant*, nempe Novitii.

Quæstio 6. est. an valeat renuntia- 2728
tio, qua Novitius in favorem Religionis renuntiat, & cedit hæreditatem paternam, vel maternam sine horum consensu, si fiat juxta formam Tridentini, esto ea nondum sit obtenta, sed solùm in futurum deferenda ? 7. an renuntiatio bonorum secundùm formam Concilii facta corruat, si Novitius moriatur, antequam professionem emittat ? 8. an talis donatio, vel renuntiatio legitimè facta revocari possit à Novitio, antequam profiteatur ? 9. an subsistat talis donatio juxta formam Tridentini à Novitio minore facta sine authoritate Curatoris, & decreto Judicis ? 10. qualis debeat esse licentia Episcopi ? 11 an facultas dandi licentiam possit delegari ? 12. an hæc solennitas requisitæ licentiæ adhuc sit in usu ? 13. an renuntiatio fieri debeat ante ultimum bimestre proximè præcedens professionem ? 14. an sufficiat eam fieri etiam finito Novitiatu, sed ante professionem ? 15. an ad hoc decretum de renuntiationibus Novitiorum comprehendat Novitios cujusvis Religionis ?

2739 Ad 6. ℟. affirmativè, juxta sequentes limitationes ; quia talis renuntiatio nullo jure irritatur ; quam enim hæreditas nondum obtenta, sed solùm in futurum deferenda invalidè cedatur alicui alteri personæ particulari sine consensu ejus, de cujus hæreditate agitur per hujus mortem confirmata, vel juramento, quo vestiatur, ut dicitur c.2 de pactis ; quia præsumitur periculum machinandi alienæ vitæ insidias ; hæc tamen præsumptio locum non habet, ubi cessio fit alicui communitati quà tali ; sic enim non fit singulis ; minus autem, si Collegio Clericorum, vel Regularium, *absit* enim (ut ait Anterus Papa scribens ad Episcopos Hispaniæ, ut habetur 11. q.3. c.14.) *absit, ut quidquam siniſtrum de his arbitremur, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes Chriſti corpus ſacro ore conficiunt, &c.*

2730 Circa quod not. ulterius, cùm Tridentinum loquatur de renuntiatione imponente Novitio aliquam obligationem, videri sub eo decreto non comprehendi conventionem filii cum parente, in favorem hujus renuntiantis hæreditati paternæ, hoc pacto, ut in recognitionem hujus gratuitæ renuntiationis, si eam facere per Ordinis, quem probat, leges cogitur, teneatur dare aliquam pecuniæ summam alicui loco pio ; ita censet Layman lib.3. Summæ, *tract.5. cap.7. quæſt.5. num.14.* sic enim Novitius nullam subit obligationem, nisi renuntiationis ex constitutionibus talis Religionis.

2731 Not. 2. quamvis jure legum, ignorans mortem v. g. sororis suæ, è vivis decedens nondum aditâ ejus hæreditate, talem hæreditatem non transmittat ad hæredes suos per L.7. C. de jure deliber. quia tamen dispositio legum in ordine ad causas pias (in his enim solùm consideratur jus naturale gentium, & canonicum) non attenditur ; posse juxta cit. Layman num.13. Novitium, hæreditatem, si quæ sibi ante mortem, vel professionem obveniret, cedere loco pio, vel Monasterio ; & in eventu locum illum pium, vel Monasterium, ejusmodi hæreditatem illi delatam accipere, licet Novitius, eam sibi esse delatam ante suam mortem, vel professionē ignoraverit.

Ad 7. ℟. cum Sanchez l.7. Decal. 2732
cap.9. num.25. distinguendum esse, an quæstio procedat de bonis (v. g. hæreditate, quæ illi obveniret, si viveret decedente illo, de cujus hæreditate agitur) quæ nondum habet, sed haberet ; vel verò de his, quæ sua sunt ? in hoc secundo casu, si Novitius moriatur ante professionem, vel relicta professione discedat à Religione, renuntiationem corruere ; nam esto facta ponatur etiam servatâ formâ Tridentini, adhuc tamen effectum non habet, nec valida est, nisi *secutâ professione*, ut constat ex ipso decreti textu relato supr. quod verum est, etiam professione secutâ, sed invalida ; ita Sanchez cit. *cap.5. num.551.* nam professio *secuta* intelligi debet *cum effectu*, nimirum validè ; cùm nulliter professus, & non professus in ordine ad reddendum vitæ Regulari naturaliter obstrictum paria sint.

Quoad primam distinctionis par- 2733
tem, dicendum pariter corruere tali casu renuntiationem, v. g. hæreditatis nondum delatæ, ac sine consensu eorum, de quorum hæreditate agitur, renuntiatæ, si renuntians prius, quàm hæreditas sibi delata sit, moriatur, vel profiteatur, vivis adhuc parentibus, aut iis, de quorum hæreditate agitur ; sic enim nullum adhuc habet jus eorum bonorum (*viventis* enim *non eſt hæreditas* L.44. ff. de acquirend. hæredit.) adeoque etiam nihil juris in alium transmittere potest. Spes enim ejus obtinendæ est in eventum vitæ post eorum mortem.

Ad 8. ℟. negativè, nisi statuat exire 2734
cum effectu ; nam implerâ conditione (si secuta scilicet professione validâ) eoipso evadit irrevocabilis ; pendente autem conditione, nisi velit non profiteri, & à Religione discedere, tenetur exspectare conditionis eventum, ut constat ex lib.1. tit.5. de condit. appositis. Ad 9. ℟. affirmativè ex c. *de his.4.* de Sepulturis, ubi dicitur, quòd, si qui se ad loca religiosa in sanitate transtulerint, de his, quæ locis ipsis conferent, cogi non possunt aliqui præceptis Ecclesiis impertiri, quia liberum est eis tunc bona sua, non solùm religiosis, sed etiam quibuslibet privatis conferre personis.

Ad 10.

2735 Ad 10. &. cum Sanchez *cit. lib. 7. c. 5.* à *n.* 68. non requiri, quòd petatur, vel detur in scriptis; & dari non posse, nisi ab Episcopo, vel ejus Vicario; primi enim nulla mentio fit in textu; secundi autem fit expressa mentio sic, ut si secus fiat, renuntiatio nulla sit. Nomine Episcopi autem veniunt etiam alii habentes jurisdictionem quasi Episcopalem in suo territorio nulli alteri subjecti, ut alibi diximus. Unde non sufficit in hoc casu licentia Superioris Regularis, *etiam exempti*; quia in hoc casu non additur: *vel alterius Superioris*, prout additur, pro facultate ingrediendi Monasteria Monialium c. 5 Sess. 25.

2736 Ad 11. &. affirmativè, cùm hæc facultas sit annexa dignitati, non personæ; ita Sanchez cit. n. 73. Ad 12. &. in quibusdam Religionibus non esse in usu, ut testatur Sanchez cit. n. 25. & Rodriquez tom. 2. qq. Regular. q. 48. a. 14. ad 13. &. negativè ex dict. cùm sufficiat eam fieri intra tempus probationis, vel eâ etiam finitâ ante professionem, etiam ultimâ horâ, ex quo etiam constat ad 14. cùm textus solùm petat non fieri *ante bimestre proximè antecedens professionem.* Ad 15. &. quòd non, ex seqq.

ARTICULUS IV.

De professione Religiosa.

2737 PRofessio Religiosa generaliter accepta, ut notat Pereyra in Elucidario *n.* 1358. apud Theologos, & Canonistas est sponsio, & promissio, Deo facta per tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ, in Religione approbata; hæc duplex est, nimirum expressa, & tacita, seu interpretativa. *Expressa* est, quæ fit in manibus accipientis eam legitimè, & exprimitur sive verbis, scriptis, aut ore prolatis, sive nutibus. *Tacita est*, quæ non exprimitur, sed continetur in aliquo per interpretationem, v. g. in habitu professorum delato per certum tempus; quibus modis utraque fiat, latè prosequitur Sanchez *l. 5. Decal. c. 3.* Azor *tom. 1. l. 12. c. 4.* & Suarez *tom. 3. Relig. l. 6.* à *c. 13.* Dixi, per vota, sive *solemnia*, sive *simplicia*, prout fit in Soc. JESU post biennium Novitiatus; ex quo habetur altera divisio professionis generaliter acceptæ, nimirum in eam, quæ fit per illa *tria vota*, *sed solennia*; & illam, quæ per eadem, sed *simplicia*; & de hac nihil extat in corpore juris Canonici; quibus præmissis.

§. 1.

De requisitis ad valorem Professionis Religiosæ.

ANte resolut. Not. 1. professionem religiosam, & *expressam*, ad valorem spectatâ ejus naturâ, seclusis particularium Religionum constitutionibus non exigere, ut determinatè fiat vel voce, vel scripturâ; sed sufficere consensum etiam nutibus expressum; cùm id nullo jure cautum sit; sic Azor *p. 1. l. 12. c. 4. q. 1.* & alii; id, quod etiam colligitur ex c. *Porrectum* 13. *h. t.* Cæterùm exigi scripturam causa probationis, colligitur ex 20. *q. 1. c. ult.* ubi tamen speciali Religionis constitutione per Sedem Apostolicam approbata per Scripturam fieri debet, tanquam solennitatem substantialem (prout habetur in Soc. JESU *p. 5. Constit. c. 3. in declarat. lit. A.* & notatur à Sanch. *in Decal. l. 5. c. 3.* à *n. 5.*) aliter facta non tenet. 2738

Not. 2. formam professionis *expressam* non esse eandem in omnibus Religionibus, ut per se constat, & videri potest apud Suarez *cit. l. 6. c. 12.* Sanchez, & alios; in quibusdam enim exprimuntur omnia tria; in aliis sola obedientia; vel stabilitas, & conversio morum secundùm regulam, &c. Not. 3. non pertinere substantialiter ad valorem professionis, susceptionem habitûs professorum proprii; nam *habitus non facit Monachum*, c. *Porrectum.* 13. h. t. Not. 4. professionem expressam, quantum est de jure communi, posse fieri per Procuratorem cum mandato speciali; hoc enim nullibi reperitur exceptum in jure communi, præsertim cùm hoc etiam admittatur in matrimonio juxta dicta *lib. 4 decretal.* à *n.* 562. 2739

Not. 5. professionem expressam, quantum est de jure communi, posse fieri etiam sub conditione non tantùm præsenti, vel præterita, sed etiam futura contingenter, intellige honesta, & non contraria substantiæ professionis, ut tradit Sanchez *cit. l. 5. c. 4. n* 87. an autem conditione purificata innovari debeat consensus, & præstari purè? vel ad valorem sufficiat consensus prior 2740

cum conditione purificata ? docent communiter id resolvendum ex casu matrimonii taliter contractui, de quo egimus lib. 4. ubi diximus, sufficere postremum ; de conditione verò substantiæ actûs contrariâ plura V. *cit. l. 4. tit. 5.* de conditionibus appositis à *n.* 777. quibus positis :

2741 Ad quæst. in tit. propositam 1°. plures exigi conditiones, quarum defectu invalida sit professio. 1. est ætas jure requisita, quæ nunc est 16. annorum completorum, de qua jam egimus ; hæc porrò conditio sic intelligenda est, ut professio non valeat, facta prius, seu *ante* illam ætatem verè completam ; licet nullo jure irrita sit facta *post illam*, prout quarundam Religionum statutis specialibus servatur ; ubi notandum, esto secundùm leges talium Religionum professio illicitè fiat à non habente præscriptam ætatem 13. vel 20. annorum ; si tamen facta sit, post completum 16. non esse invalidam, nisi statutum tale, authoritate Sedis Apostolicæ firmatum, secùs acta etiam annullaret ; de quo c. *in Insulis.* 6. h. t.

2742 Altera conditio est, ut professio fiat voluntate liberâ, & spontaneâ, ut dicitur c. 1. h. t. ibi : nullus tondeatur nisi in legitima ætate, *& spontanea voluntate* ; quia sponte religionem quis ingredi debet, c. *proclivis*, & c. *præsens*, 20. q. 3. adeò, quòd excommunicationis vinculo innodentur à Concilio Tridentino Sess. 25. de Regularibus, cap. 18. qui mulierem Monasterium ingredi coëgerit, quique consilium, auxilium, vel favorem dederit. Difficultas est, quando censeatur facta *non spontaneè*, consequenter sine voluntate spontanea, prout requiritur ad valorem Professionis ? obstare possunt error, ignorantia, dolus, coactio per vim absolutam, vel conditionalem. Quæ porrò spectant primos tres obices, à nobis resoluta sunt lib. 4. à num. 1067. idem enim voluntarium requiritur ad professionem, quæ immutabilem statum inducit, ac ad matrimonium.

2743 Quæ verò pertinent ad professionum *coactam*, cùm alia sit coactio *præcisa*, & absoluta ; alia solùm *conditionalis*, quæ fit incusso metu ; & prima tollat voluntarium simpliciter, ut ostendimus lib. 4. à num. 389. tollet etiam valorem professionis ; de coactione verò conditionali agimus ibid. *num.* 392. probabilius autem est, metum levem etiam injustum non obstare valori professionis, sicut nec matrimonii ex dict. ibid. à *num.* 398. secùs tamen dicendum est, si facta sit ex metu gravi, extrinsecùs, ac injustè incusso ex fine consentum professionis extorquendi ; ratio sumitur ex dict. ibid. *lib.* 4. à *num.* 434. ubi diximus contractus, postquam semel validi sunt, irrescindibiles, jure naturali & positivo esse irritos ; at professio talis est ; ergo.

Dices, probato tali metu rescindi 2744
professionem ; ergo non est naturâ suâ irrescindibilis ; 2°. idem justam in matrimonio. Quarè dicendum tali casu nec professionem, nec matrimonium rescindi propriè, auferendo valorem ; sed solùm declarando nullitatem ; dici tamen irrescindibilem, quòd ne quidem declarativè rescindatur, nisi probato metu tali, præsertim durante etiam per annos propterea, quòd ejusmodi metum passi, viventibus illis, qui eum incusserunt, reclamare non audeant, & frequenter præsumatur, metum silentio, vel tempore purgatum præsumptione in re falsa ; cujus probatio cùm sæpè difficillima, consequenter moraliter impossibilis sit, etiam illam rescindibilitatem impossibilem reddit, utpote non assequibilem nisi ex suppositione illa moraliter impossibili.

Tertia conditio est, quòd ab aliquo 2745
habente legitimam facultatem recipiendi profitentem ad talem statum, professio acceptetur nomine ipsius Religionis acceptatione expressâ, vel tacitâ, quæ fit vel ipso facto, vel aliis signis, prout dicemus à *n.* 2748. de professione tacita ; ita tenent Suarez *tom. 3. de Relig. l. 6. c. 11.* Sanchez *in Decal. lib. 5. cap. 4. n. 62.* Layman *l. 4. Summæ, tr. 5. cap. 5. n. 5.* & alii communiter. 1. ex c. *Porrectum.* 13. h. t. ubi dicitur, tunc aliquem fieri Monachum, ut reddat Domino, quæ promisit, *cùm professio regularis emittitur, & recipitur ab Abbate* ; & *cap. 16. eod.* ibi : si tamen ante tempus probationis regulariter præfinitum, is, qui

qui converti desiderat, *habitum recipit, & professionem emittit, Abbate per se, vel per alium professionem recipiente monasticam, & monachalem habitum concedente*, uterque renuntiare videtur ei, quod pro se noscitur introductum: ideoque obligatur per professionem emissam pariter, & acceptam ad observantiam regularem, & verè Monachus est censendus; & ratio est; quia ex professione nascitur obligatio mutua, utrique onerosa; quod non stat sine consensu mutuo utrinque acceptato, ut diximus *lib.* 4. à *num.* 7.

2746 Præter hæc not. à nonnullis exigi ad professionem, saltem ut licitè fiat, ut profitens sit sui juris; de quo dicemus à *num.* 2697. ut præcesserit integer, & continuus annus probationis; sed qualiter hoc accipiendum sit, diximus à *num.* 2683. 3. ne professio facta sit renuntiatione bonorum absque præscripta Tridentini formâ, de qua à *n.* 2719. &c. 4. qualiter emitti possit à conjugatis, expositum est hic tit. 32. à *n.* 2826.

§. 2.

Qualiter fiat Professio tacita?

2747 ANte resolut. suppon. habitum Novitiorum communiter assignari triplicem secundùm varietatem Religionum; nam in quibusdam habitus Novitiorum alius est *communissimus*, quem etiam vocant *indistinctissimum*, quando nimirum eodem utuntur & Professi, & Novitii, & alii etiam Clerici vel Laici cum illis in communi viventes, ipsisq; servientes; secundus est *communis*, seu indistinctus, quo scilicet nullo discrimine utuntur Professi, & Novi ii: tertius est habitus *Novitiorum* distinctus ab habitu Professorum, ut, si illi utantur albo, isti, nigro; quæ distinctio potest esse vel patens aliquo signo visibili, vel latens; nimirum non patens signo visibili, ut si habitus Professorum benedicatur; non Novitiorum, &c. his præmissis:

2748 Quæstio est, quibus modis tacitè Professio emittatur, hoc est, ex quibus factis, vel signis à jure præsumatur, eum, qui talia facta, signa, vel indicia edidit, professum esse, id est, se Religioni ac regulari disciplinæ in tali loco regulari obligâsse sic, ut non minus, ac alii expresè professi ad ejus statûs observantiam jure compelli possit? Tres communiter modos assignant ex sacris canonibus Azor *p.* 1. *l.* 12. *c.* 4. *q.* 3. Sanchez in Decal. *l.* 5. *c.* 3. *n.* 19 Layman *l.* 4. Theol. moral. *tr.* 5. *c.* 5. à *n.* 1.

Primus igitur modus, seu argumen- 2749
tum tacitæ professionis, seu jure præsumendi professionem ipso facto esse editam, sumitur ex c. *Ad nostram.* 8. h. t. ubi habetur: censeri tacitè professum, si quis ante pubertatem susceptit habitum religiosum, & post completam pubertatem eundem *triduo* portavit, quin reclamaret, aut contrariæ intentionis signum daret; circa quod not. 1. id non procedere, nisi hoc fiat *scienter*; nam ignorantis non est consensus; 2. nisi fiat *sponte*; professio enim coacta, probatâ coactione, facilè, ac meritò infirmatur. 3. nisi fiat per susceptionem habitus professorum distinctissimi, ut notat Azor *p.* 1. *l.* 12. *c.* 4. *q.* 3. Sanchez in Decal. *tom.* 2. *l.* 5. *c.* 3. Basil. Pontius de impedim. matrim. c. 5. Dixi *habitus professorum distinctissimi*; nam ex susceptione habitus Novitiorum patenter distincti ab habitu professorum, ejusque gestatione annua, vel etiam majori tempore, sine exercitio aliorum operum, quæ professorum propria sunt. non inducitur tacita professio; ita Sylvester V. *Religio* 3. *q.* 18. Navarr. Comment. 4. de Regular. *num.* 74.

Difficultas tamen est 1. an induca- 2750
tur tacita professio per gestationem habitus Professorum *patenter distincti* ab habitu Novitiorum etiam non expleto anno Novitiatûs? 2. an tacitæ professioni locus sit etiam post Tridentinum? 3. an ad tacitam professionem ex susceptione habitus patenter distincti ab habitu Novitiorum de necessitate requiratur perseverantia in eo, saltem per triduum post pubertatem? 4. quam obligationem inducat tacita professio primo modo facta? Ante responsionem not. quod illa susceptio habitûs dupliciter considerari possit; primò præcisè, quin talis simul sciens, & prudens sponte exerceat aliquas actiones professis proprias; 2. his simul accedentibus.

2751 Ad 1. 1°. affirmativè, quantum est de jure veteri, si pubertate adeptâ triduo perseveret in eo habitu, esto annus Novitiatus nondum esset expletus, nec exercuerit actiones Professorum proprias; triduum autem illud non esse necessarium, si præter dicti habitus gestationem exercuit simul opera Professorum propria; primum constat ex c. *ad nostram* in *num.* 2749. secundum autem constabit ex responsione ad 3. Dixi: *quantum est de jure veteri.* Nam licet per CC. Tridentinum nullibi reprobetur professio tacita quoad substantiam; quia tamen hodie juxta dictum CC. professio non valet non expleto 16. ætatis anno, & non præmisso integro probationis anno, quoad has circumstantias juri antiquo derogatum est; quarè, hodie non erit quis tacitè professus, esto quis vel durante probatione gestet habitum solis professis proprium, ac præstet opera, quæ illis quà talibus jure, vel consuetudine competunt; vel sine his, triduo in suscepto tali habitu perseveret; secùs, si expleto probationis anno; & 16. ætatis anno; sic Navarrus, & complures alii, quos citat, & sequitur Barbos. in c. *Vidua.* 4. h. t. *n.* 3. ex quo patet responsio ad 2.

2752 Ad 3. aliqui censent ad hujus tacitam professionem requiri in eo actuum exercitio perseverantiam *tridui*, eò, quòd illa tridui perseverantia petatur in hoc textu ad tacitæ professionis ex delatione habitûs professorum præsumptionem; alii autem negant, cùm hoc non exigatur in c. *Vidua* 4. h. t. ubi dicitur: *Vidua, si sponte velum conversionis, quamvis non sacrum, sibi imposuerit, & in Ecclesia inter velatas oblationem Deo obtulerit, velit nolit sanctimoniæ habitum ulterius debet habere; licet Sacramento firmare velit, eo tenore velamen sibi imposuisse, ut deponere posset;* qui textus communiter summatur, quòd Vidua, vel Novitia, quæ sponte se ingerit actibus professarum, per hoc censeatur professa; ubi nulla fit mentio de perseverantia tridui; nulla de habitu professarum etiam latenter distincto. Et ideo ex hoc textu communiter notatur, quòd ad inducendam tacitam professionem sufficiat; ut sola illius Religionis consuetudine actus, quibus se ingerit, sint professorum proprii; sic Abbas hîc *n.* 6. Azor ibid. *q.* 3. Sanchez in Decal. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 20. & alii.

1°. cum Sanchez *cit. n.* 21. & Navarr. Comment. 5. de Regularib. *n.* 73. 2753 nullam esse contrarietatem inter c. *Vidua.* & c. *Ad nostram*, & utrumq; conciliari posse, dicendo, quòd, si concurrant hæc duo, nempe assumptio habitus peculiaris professis, & exercitium actûs illis solis sive jure, sive consuetudine competentis, non exigatur tridui perseverantia; & hoc intendi per c. *vidua*, quod ad eam professionem præsumendam ponderavit assumptionem habitus, & oblationem cum aliis monialibus, quæ solis professis competebant, ac nulla tridui mentio fit: quòd si alterutrum solùm ex his concurrat, opus sit ea tridui perseverantia, & in his terminis procedere textum c. *Ad nostram.*

Ad 4. Resp. ex tacita professione 2754 (quam diximus induci per hoc, quòd quis ante pubertatem susceperit habitum Professorum patenter distinctum ab habitu Novitiorum, & completa pubertate triduo in eo perseveret) taliter professum non obligari ad eam determinatè Religionem, si ejus austeritatem ferre non possit; non tamen posse redire ad seculum, sed teneri transire ad aliam mitiorem, per c. *Super* 9. h. t. ex constitutione Alexandri III. rescribentis Episcopo Elienſi, ibi: Super eo, quod quæsitum fuit de Clericis, qui Religionis habitum susceperunt, & ante professionem ad priorem statum sunt reversi: respondemus, quòd *si austeritatem Religionis, ad quam migrâsse noscuntur, servare noluerint, ad minorem Religionem sunt cogendi transire: nec amplius in Ecclesiis secularibus debent assumi:* nec contra votum, quod Domino fecerunt, venire prohibentur.

Alter modus inducendi professio- 2755 nem tacitam habetur, si quis integro, eoque continuo anno usque ad ejus finem portavit habitum religiosum Professorum patenter indistinctum ab habitu Novitiorum, quin ante, vel in ipso anni fine declaraverit voluntatem in contrarium per c. *ex parte* 22. h. t. & c. 1. §. *quod si.* eod. in 6. Tertius modus con-

continetur in c. *Vidua*, de quo jam dictum est à *n.*2752. Ad hoc autem, ut prædictis, aut similibus modis inducatur professio tacitè, hoc est, jure præsumatur, talem se verè obligasse Religioni, quatuor conditiones communiter requiruntur. 1. ut talis habitum deferat susceptum coram Priore, & Conventu, vel eo, cujus est admittere; aliàs enim non dabitur acceptatio tacita, quæ saltem in ejusmodi professione exigitur.

2756 Secundò, ut hi actus, per quos inducitur tacita professio, fiant non solùm *sponte*, sed etiam *scienter*, ita ut *sciat*, illis utens, ad solos professos illius Religionis pertinere; atque adeò ex communi DD. sensu exigitur, utentem iis actibus non debere etiam ignorare per illos tacitam induci professionem; quia ratione hujus ignorantiæ deesset consensus tacitè profitendi. Tertiò requiritur, utentem his actibus animum emittendi professionem habere, nec satis est, se habere negativè, non habendo scilicet animum non profitendi, nec faciendo ullam determinationem emittendi professionem, ut bene advertit Navar. commento 4. de Regul. n.75. vers. *quoniam autem.* Plura de his Azor *p.*1. *l.*12. *c.*5. Sanchez *tom.*2. *Decal. l.*5. *c.*3. & alii.

2757 Quartò requiri volunt, ut susceptus habitus deferatur in ipso Monasterio; sic Azor *cit. c.*5. *q.*3. apud Barbos. *c.*1. *h.t. in* 6. *n.*5. Alii tamen volunt, ad inducendam Professionem tacitam per voluntariam susceptionem habitûs Professorum proprii, & manifestè distincti ab habitu Novitiorum, in quo per triduum perseverat, non requiri, ut intra Monasterium gestetur: sed idem esse, si extra deferatur, cum licentia Prælati, & sub ejusdem obedientia; ita Sanchez *cit. l.*5. *c.*3. *n.*25. Pirhing *h.t. num.* 107. §. *Not.*3. sed in hoc attendenda est cujuslibet Religionis approbata regula, vel consuetudo legitima.

§. 3.

Qui possint Religionem profiteri, & ad hoc admittere?

2758 IN hac quæstione distinguendum est quoad ingressum Religionis, nempe solùm *causâ probationis*; seu solùm probandæ, vel etiam *actualiter profitendæ*; quo posito dicendum tam in ingrediente religionis probationem, quàm profitente requiri ad valorem, certam in illo ætatem à nobis jam expositam supra. Cæterùm omnes Religionem ingredi possunt, qui nullo jure prohibentur. Prohibentur autem. 1. furiosus, & mente debilitatus per c.15. h.t. 2. carentes ætate debitâ, ut dictum est; 3. liberi, qui ad parentum sustentationem aliunde non supplebilem extra statum Religionis necessarii sunt, ut diximus l.4. & colligitur ex c.1. dist.30. 4. servi, durante servitute, sine consensu Domini. 17. q.2. c. fin. 5. obligati ad ratiocinia, qui adhuc debitis contractis saltem cum tempore satisfacere possunt, ne opus præcepti postponatur soli consilio; 6. habentes matrimonium spirituale cum Ecclesia, ut sunt Episcopi consecrati, vel etiam electi & consecrati; non autem solùm electi, ut diximus c.10. de Renunciat. & c.2. de translat. Episc. & c.18. h.t. plura porrò ingressûs Religionis impedimenta sunt ex legitimis particularium Religionum statutis, de quibus illi, quorum interest.

Ad alteram tituli partem 2. spectato jure communi receptionem ad Religionem, & admissionem ad professionem pertinere ad Prælatum Religionis immediatum, simul, & ad Capitulum, prout colligitur ex c. *Ea noscitur.* 6. de his, quæ fiunt; ubi dicitur Prælatum Ecclesiæ Collegiatæ præsentationem facere debere de consensu Capituli, vel majoris partis de illo, nisi de consuetudine, vel privilegio competat soli Prælato; ita tenent Gloss. in c. ult. in casu, & Verb. *Pertineat*, h.t. in 6. Rodriq. *tom.*3. *q.* 12. *a.*7. Sanchez *l.*7. *Decalogi c.*4. *n.*65. & alii volentes ex communiori sententia, & observantia omnium Religionum sine consensu Capituli, actum esse invalidum; sed excipitur casus, ubi aliud habet consuetudo, vel privilegium. 2759

Not. autem in casu, quo id pertinet ad solum Prælatum, eo mortuo, vel Sede vacante, non posse aliquem de jure communi admitti ad professionem à solo Capitulo; secùs, si cumulativè spectet ad utrumque, per c. *si ad.* 6. h.t. in 6. ibi: *si ad solum Abbatem pertineat* 2760

tineat creatio monachorum : eo defuncto nequibit novus monachus à conventu creari : aliàs poterit, si eorum creatio spectat insimul ad utrumq;.

2761 Not. 2. potestatem admittendi ad professionem, quam de jure communi diximus esse penes Prælatum immediatum, & Capitulum, esse etiam penes Superiorem eorum mediatum, nempe Generalem Ordinis, vel Provincialem; inferioribus enim communicatur ab his non privativè ad se; sed cumulativè sic, ut & ipsi possint, etiam invitis inferioribus; hæc de jure communi; nam attendendo statuta particularium Religionum, potestas admittendi ad professionem & vota Religiosa est penes solum Generalem, & in Provincialibus, secundùm quod eis communicatur.

2762 Not. 3. creationem Monialium de jure communi spectare ad Abbatissam, & Moniales, intelligendo id non tantùm, quando Novitiæ admittuntur ad professionem, sed etiam quando ad probationis habitum recipiuntur, sicut docent Fr. Ludov. Miranda in man. Prælat. *tom.* 1. *q.* 15. *a.* 1. *&* 2. Sanchez in Præcepta Decalogi, *lib.* 4. *c.* 16. *n.* 52. sicut creatio Monachorum de jure communi spectat ad Abbatem, & Conventum, ut tradit Navarr. *cons.* 9. *n.* 12. sub tit. de constit. in 1. edit. aliàs *cons.* 17. *n.* 2. de voto, in 2. edit. Fr. Barthol. de Vecchis in praxi observanda in admittendis ad Religiosum statum novitiis, *D.* 6. *d.* 2. *n.* 2.

2763 Not. 4. ad professionem posse quem admitti in Religione, vel Monasterio per Episcopum, cui hoc subjectum est, modò id faciat cum consensu majoris partis de Capitulo; quia verè est illius Superior non minus, quàm Abbas, vel Provincialis, pro qua sententia refertur Abbas in c. *Porrectum.* 13. *h. t. num.* 12. Sanchez *cit. c.* 4. *n.* 74.

2764 Not. 5. actum admittendi ad professionem non esse actum Ordinis vel jurisdictionis spiritualis pertinentis ad Ecclesiæ claves; sed solùm cujusdam Superioritatis, quam Abbatissæ habent in Moniales, vel aliqui Superiores, carentes spirituali jurisdictione fori externi; sic Azor *p.* 1. *l.* 12. *c. q.* 6. Sanchez *cit. n.* 76.

Not. 6. professionem irritam ex defectu solius jurisdictionis in recipiente, seu admittente, posse sanari per ratihabitionem habentis legitimam potestatem, si acceptata sit nomine habentis potestatem admittendi; tunc enim est locus regulæ 10. & 9. de regul. juris in 6. quòd ratihabitio retrotrahatur.

Not. 7. quod diximus n. 2763. de Episcopo, debere intelligi, ne regulariter possit cogere Abbatem & Conventum, ut is, quem ipse vult, recipiatur ad professionem; cùm ea potestas regulariter spectet ad Superiores regulares, & Conventus de jure communi, quibus disciplina regularis (quæ plurimùm pendet à receptione personarum) commissa est; quamvis, si debitum numerum personarum non alant, cùm possunt, eos ad hoc compellere possit; sic Francus in c. *fin.* h. t. in 6. n. 3. 2765

Not. 8. quæ diximus de potestate admittendi ad professionem spectato jure communi, procedere etiam de admissione ad Religionis probationem, seu Novitiatum; cùm hæc admissio ex fine suo principali ordinetur ad alteram, quæ est ad professionem; de quo plura Suarez *tom.* 3. *de Relig. l.* 5. *c.* 10.

ARTICULUS V.

De indissolubilitate professionis.

COmmunis tenet professionem religiosam (loquitur de professo solenniter) nec ex parte professi sola ipsius voluntate; nec ex parte Religionis, solo hujus consensu; nec ex parte utriusque etiam consensu mutuo dissolvi posse quoad vinculum; ita Suarez *tom.* 3. *de Relig. l.* 6. *c.* 14. & constat ex usu, & praxi Ecclesiæ, adeo quidem, ut nec ejecti, quantumvis in perpetuum, à votis absolvantur, sed maneant obligati suæ Religioni, cogique possint ad eam redire volente Religione; his positis? 2766

Quæstio est. 1. an vinculum religiosæ professionis dissolvi possit per summum Pontificem? 2. an per promotionem ad Episcopatum? 3. an præscriptione? 4. an invalidè professus, non valens tamen in foro externo probare nullitatem, teneatur eam ratificare? 5. an, & qualiter competat jus contra nullitatem professionis reclamandi? 2767

12. ad 1. posse; certum enim est, Pontificem posse dispensare in votis simplicibus,

cibus, ut alibi dictum est; ergo etiam in solemnitate votorum; cùm hæc introductæ sit solo jure Ecclesiastico, ut constat ex c. *Unic.* de Voto in 6. & constit. Gregorii XIII. in Bulla *Ascendente Domino*; de quo ex professo egimus lib. 4. decret. ubi etiam respondimus ad objecta Thomistarum contrarium tenentium.

2768 Ad 2. negativè respondet Pirhing h. t. *n.* 145. pro se allegans D. Thomam 2. 2. *q.* 185. *a.* 8. Lessium *lib.* 2. *c.* 4. 113. Sanchez *lib.* 6. *moral. c.* 6. *n.* 2. ubi ait, quòd Religiosus, ad Episcopatum promotus maneat verus religiosus, ut fatentur omnes, idque demonstrat obligatio gestandi habitum, qua rectè astringitur; hunc enim tenetur gestare debito legali religiosus creatus Episcopus, nec potest super illum vestitus Episcopalibus indui, quia hæc obligatio non ex regulæ præscripto, sed jure canonico, & consuetudine communiter recepta oritur. Nec hoc ejus officio obstat, & est veluti quoddam signum obligationis ad vota regularia, quibus astrictus est; constat ex c. *penult.* & *fin.* de vit. & honest. Cleric. ubi cùm de vestibus Episcopalibus sermo fiat, quasque induere debet Episcopus, sic dicitur: *nisi monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem*; atque ita docet D. Thom. 2. 2. *q.* 185. *a.* 8. in corpor. quamvis jam in Rituali Romano per Clementem VIII. reformato, concessum sit Episcopis *regularibus*, ut, retento colore habitus suæ religionis, possint se conformare cum Episcopis secularibus in forma, seu figura illius; & ita servatur modò in praxi: ita Sanchez *cit. n.* 22.

2769 Unde quando in c. *unico.* 18. q. 1. dicitur: Monachus, *quem canonica electio à jugo regulæ monasticæ professionis absolvit*; solùm sequitur, eum absolvi ab obedientia Prælatorum regularium; idque solùm per accidens; sicut, si quis fiat Generalis talis Ordinis, nulli Superiori Religionis obedire tenetur, sed soli Pontificii; non ob id liberatur obedientiæ voto, cùm id per accidens sit, eo quòd Superiorem alium non habeat: obedientia enim respicit Superiorem, dum superior est, & cessat, eo cessante: ergo idem dicendum est de Episcopo: per accidens enim Superioribus religionis parere non tenetur, eo quòd sui Superiores amplius non sint, sed assumpto eo statu, eximatur ab eorum subjectione solique Pontifici summo subdatur; hinc religiosus creatus Episcopus manet obligatus obedire Pontifici peculiari voto obedientiæ, ultra generalem ab omnibus fidelibus obedientiam ipsi debitam, & ultra peculiarem debitam ratione juramenti obediendi ipsi, quod omnes Episcopi præstant; ita Suarez *tom.* 2. *de Relig. l.* 6. *c.* 7. à *n.* 10.

Major difficultas est de voto pau- 2770
pertatis; nam Religiosum promotum ad Episcopatum solvi à voto paupertatis, ac effici verum dominum redituum Ecclesiasticorum instar Episcopi secularis, tradunt complures apud Sanchez *cit. l.* 6. *c.* 6. *n.* 7. inter quos refertur Sotus, Palacios, Angles, Vasquez 1. 2. *q.* 96. *a.* 4. *D.* 165. *c.* 8. *n.* 91. & 104. & hoc 1. ex c. *unico.* 18. *q.* 1. ubi de religioso Episcopo sic dicitur: *velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea jure vendicandi potestatem habet*: si ergo sibi acquirit, vendicatque, verum dominium habet. *Vendicare* enim, & *sibi acquirere*, solis veris dominis competit; L. *in rem.* ff. de rei vendicat. 2. quia eodem prorsus modo adjudicatur sua portio Episcopo seculari, ac Regulari, cum libera potestate transferendi in alium dominii administrationem: ergo nihil deest, quo minus dominium habeat; tandem quia aliàs deberent ii Episcopi supervacaneè consumpta restituere, atq; ab ipsis sic accipientes eadem obligatione astringerentur. Hanc sententiam secutus sum in tract. Theol. de jure, & just. *q.* 8. de dominio Regularium cum Wadingo de contract. *D.* 2. *d.* 3. §. 2. *n.* 7. Poncio de matrim. *l.* 7. *c.* 13. Nam Monachus, factus Episcopus, jure vendicabat sibi paternam hæreditatem, c. *statutum* 18. *q* 1. ergo factus est capax dominii; aliàs enim non sibi, sed monasterio illam vendicaret. S. Thomas non obstat; quia putavit, non posse quem solvi voto, eo quòd vota essent quoad solemnitatem juris divini; sed contrarium constabit ex num. sequenti. Deinde stante voto fieri poterat capax dominii; nam hoc consistere potest etiam cum voto solemni ex num. seq. nec ob-

stat glossa explicans illud *sibi*, ut idem sit, ac, quòd vendicet Ecclesiæ suæ, tanquam sponsæ; nam sic Monachus, propriè & usu juris, acquireret *sibi*, quæ acquirit monasterio, quod tamen est falsum; cùm hæc in jure habeantur ut distincta; sic Wadingus *cit. d.* 3. §. 2. *n.* 9. Nec deniqúe obstat, quòd in morte suam substantiam teneantur relinquere Ecclesiæ suæ; nam etiam Clericis secularibus negatur factio testamenti de bonis acquisitis intuitu Ecclesiæ, & tamen in vita sunt eorum domini, secundùm communem aliorum sententiam.

2771 Not. præterea. 1. Monachos, & Moniales olim etiam post religiosam professionem, non fuisse statim exutas omnium rerum suarum dominio, sed earum tantùm, quæ actu detulerunt secum ad monasterium, retento jure succedendi, proprio nomine, in paternam hæreditatem, L. *Deo nobis*, C. de Episcopis, L. *Nunc autem*, C. de Episcopo & Clericis. Not. 2. quando S. Thomas. 2. 2. *q.* 88. *a.* 11. docuit, Papam non posse dispensare in votis religiosis, id factum, quia scripsit pluribus annis ante constitutionem Bonifacii VIII. qui c. *unico*, de voto, & voti redemptione declaravit, voti solennitatem ex sola constitutione Ecclesiæ inventam esse; aliàs S. Doctor non dixisset oppositum, utpote observantissimus Sedis Apostolicæ. Deinde dici potest, S. Thomam aliud non velle, quàm quòd Pontifex non possit facere, ut quis votis solutus maneat religiosus; contrarium tamen tenet Sanchez *cit. n.* 8. *& seqq.*

2772 Ad 3. ℟. negativè, ex c. *sicut nobis.* 12. h. t. ubi Clericus Religionem Canonicorum Regularium expresè, vel tacitè professus etiam post longum tempus dicitur cogendus per Ecclesiasticam censuram ad vitam canonicæ observationis, licet habitum nunquam susceperit, nec ad Monasterium se transtulerit, & nunquam bonis suis tanquam propriis uti destiterit etiam scientibus Episcopo, & Canonicis Ecclesiæ Nazarensis; quia nulla diuturnitas temporis excusat à malefactis, sed magis auget culpam propter perseverantiam in malo.

2773 Ad 4. ℟. quòd non, sive cum, sive sine culpa factum sit, quòd professio nulliter emissa sit; sic Lessius *lib.* 2. *c.* 41. *num.* 65. & alii. Nam in tali casu nullitas professionis relinquit eum in statu, quo fuit ante professionem; quod enim non est, ac nulliter est, nihil operatur; sed ante non tenebatur illam emittere; ergo neque nunc emissam nulliter ratificare.

Ad 5. ℟. ex Trid. Sess. 25. de Regular. c. 19. sic loquente: Quicunque regularis prætendat *se per vim, & metum ingressum esse religionem*, aut etiam dicat, *ante ætatem debitam professum fuisse*, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, *non audiatur, nisi intra quinquennium tantùm, à die professionis; & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario.* Quod *si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcunque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur, interim verò nullo privilegio suæ religionis juvetur.* 2774

Circa hoc decretum Not. 1. professum, qui contra professionem agit ad nullitatem ejus, quòd vi vel metu coactus, aut ante legitimam ætatem, vel alia simili de causa illam nulliter emiserit, debere suam actionem deducere coram Superiore suo, & Ordinario, & hoc intra quinquennium à die professionis, vel expresè, vel tacitè emissæ; ubi adverte ly *coram Superiore suo, & Ordinario*, requiri *conjunctim* sic, ut neuter seorsim ab altero sufficiat; sic Tamburin. de jure Abbat. *tom.* 3. *D.* 6. *q.* 26. à *n.* 3. Aloys. Riccius in praxi resolut. 20. quos citat, & sequitur Barbos. in dict. c. 19. Trid. à n. 22. dicens, in hoc decreto per *Superiorem* intelligi *Superiorem Monasterii, non Religionis*; quinquennium autem computari à die professionis emissæ expresè; emissæ autem tacitè à die, quo cœpit exercere actus Professorum proprios, vel ubi completum est triduum post pubertatem, juxta dicta superius à n. 2747. 2775

Not 2. facultatem reclamandi contra professionem concedi in hoc decreto *cuilibet regulari*, consequenter etiam 2776

etiam Monialibus; imò & his, qui evadunt verè Religiosi per vota simplicia; ut contingit in Scholasticis Soc. JESU per vota biennii, ut colligitur ex illis verbis Tridentini *quicunq; Regularis*; quæ verba in hac dispositione favent Religioni, ne professos nulliter, & ex justa causa invitos ad perseverantiam, cum molestia totius Communitatis tolerare cogatur.

2777 Not. 3. esto aliqui dicant, *quinquennium* esse computandum *à die factæ professionis*, ut notavimus num. 2775. & tradit Sanchez l. 7. D. 37. de matrimon. à num. 19. prout refertur à Pirhing h. t. volens hoc tempus esse continuum, & currere etiam ignoranti, vel impedito; contrarium tamen à Suarez *tom. 3. l. 7. c. 4.* & aliis, dicentibus, hoc tempus esse utile, ac computandum à die cognitæ nullitatis, vel impedimenti cessantis; nam esse Concilium dicat *intra quinquennium à die professionis*, intelligitur tamen *per se loquendo*; quia contra reclamantem tardius stat præsumptio pro professione intra tale tempus ab ipso ratificata; & ideo, nisi contra istam præsumptionem doceat contrarium, & per hoc illam elidat, dicitur nullatenus ad allegandam quamcunq; causam admittendus ad reclamandum, & actionem suam coram Superiore suo, & Ordinario loci, in quo est Monasterium, deducendam; at, ubi adest ignorantia nullitatis, vel impedimentum obstans reclamationi intra illud quinquennium, non est locus præsumendi ratificationem interim factam; ergo.

2778 Et ideo non reclamantem intra quinquennium, vel quia fuit impeditus, vel quia ignoravit justâ ignorantiâ suam professionem esse irritam, vel ob defectum ætatis, posse reclamare etiam post quinquennium, & uti remedio extraordinario beneficii restitutionis in integrum, ut audiatur, resolvunt Navarr. commento 4. de Regularib. n. 71. vers. *tertio*; Fr. Emman. quæst. reg. tom. 3. q. 17. a. 16. & a. 17. vers. *ex quibus*, Azor *l. 12. c. 4.* Less. *lib. 2 c. 41. d. 7. n. 66.* Diana moral. resol. *part. 3. tract. 2. resol. 52.* Lezana in summ. quæst. Reg. *cap. 2. num. 7.* ubi ait, Concilium in præsenti esse intelligendum, nisi aliter professi allegaverint, legitimas causas, ob quas non potuerint intra prædictum tempus reclamare. 2779

Advertit autem Barbosa in dict. cap. 19. Trident. num. 9. hodie, ut quis possit audiri post quinquennium, adiri Romæ sacram Congregationem Concilii Tridentini, seu alteram Regularium negotiis præpositam, quæ prius cognitis, saltem summariè, nullitatibus deducendis, & justo impedimento non reclamandi intra quinquennium, restitutionem illius concedere solet; & ita, inquit, non semel fieri vidi; id, quod etiam insinuat Portel in dubiis Regular. V. *Professio.* n. 45. Hieron. Rodericus in Compend. qq. regul. resolut. 101. à num. 71.

ARTICULUS VI.

An, & qualiter liceat de una Religione transire ad aliam?

IN c. *Joannes* 5. h. t. ita loquitur Gregorius Pontifex Anthemio Subdiacono scribens: experientiæ tuæ præsenti jussione mandamus, ut *nec monacho ulterius de monasterio in monasterium liceat migrare, nec eorum aliquem peculiare quicquam habere permittas.* Sed si quilibet hoc præsumpserit, in monasterio, in quo ab initio conversatus est, & sub Abbatis sui regula, de qua fugerat, cum competenti coërcitione reddatur; ne si tantam iniquitatem fluxam, inemendatamque dimittimus, pereuntium animæ à Præpositorum anima requirantur, ex hoc textu aliqui deducunt cum Barbosa lib. 1. juris Eccles. cap. 42. num. 42. Sanchez l. 6. Summæ, cap. 7. de monacho se transferente ad aliam Religionem; quòd ei inconsulto Prælato facere non liceat: sed Gonzalez in dict. c. *Joannes* num. 2. notat, Gregorium in præsenti non prohibere hujusmodi transitum, sed potius monasterium proprium deserere, & ad alium ipsius Ordinis migrare sub diverso Prælato; quod prioribus Ecclesiæ seculis valde illicitum judicabatur, quia monachus sub eo Abbate, & in ipso monasterio, ubi stabilitatem promiserat, perpetuò manere debebat, nisi cum literis commendatitiis proprii Abbatis 2780

ad aliud monasterium ipsius Ordinis mitteretur.

Quòd autem in cit. cap. 5. non prohibeatur transitus de una in aliam Religionem, colligitur ex cap. *Licet*. 18. eod. ubi dicitur: quòd possit Religiosus *Zelo sanctioris vitæ ad religionem transire strictiorem, petitâ prius licentiâ Prælati sui, licet non obtenta*, etiamsi primum monasterium sit privilegiatum, quod de illo ad aliud etiam arctius transire non possit.

2781 Circa istam juris dispositionem Not. 1. *spectato jure communi*, omnibus Regularibus licitum esse ab una Religione transire ad aliam strictiorem, servatis tamen certis conditionibus; ut habetur in relato c. *Licet*, loquente de *Professis*. Hæc dispositio comprehendit non tantùm Presbyteros, & Clericos Religiosos, sed etiam Laicos, seu Conversos, seu Fratres, & Oblatos; 2. etiam ipsos Prælatos; nam soli Episcopi excipiuntur; 3. etiam Moniales; nam esto textus loquatur exprimendo *Viros*, ut communiter notant Interpretes; quia tamen, quæ in Monachis obtinent, etiam procedunt in Monialibus (saltem ubi dispositio favorem continet) nisi nominatim excipiantur, & illis convenire possunt, etiam de illis accipienda est, & habetur 20. q. 4. c. 1. ibi: *Virgines sacræ, si pro lucro animæ suæ, propter districtiorem vitam, ad aliud Monasterium pergere disposuerint, Synodus concedit*; V. Sanchez lib. 6. Decal. cap. 7.

2782 Not. 2. inter conditiones, ut Religiosus, vel Religiosa licitè transeat ad aliam Religionem, vel Ordinem, requiri. 1. quòd transitus fiat ad Religionem *strictiorem* per dict. c. *Licet*; 2. quòd non fiat ex temeritate, vel inordinato affectu, sed *Zelo charitatis*, & studio rectius DEO serviendi; 3. ne fiat cum notabili detrimento Religionis, *à qua*; 4. ut fiat cum licentia à Prælato petita, licet non obtenta, de quibus in seqq.

2783 Not. 3. hunc terminum Religionem *strictiorem* posse dupliciter intelligi. 1. de illa, quæ absolutè, ac *in se perfectior* est ratione finis, ad quem directè tendit; & mediorum, quibus utitur, proportione ad finem; & sic accipit D. Thomas. 2. 2. q. 188. a. 6. in corp. 2. ut *strictior* idem sit ac *rigidior*, durior, & magis austera, præsertim circa silentium, & solitudinem. Advertendum autem hunc Religionis rigorem non debere sumi unicè à primæva regulæ institutione (cùm ea subinde justis de causis legitimè laxata sit) sed etiam ab his, quæ illi postea superaddita sunt ad puritatem regulæ observandam *rigidius*, & observantia, quæ tunc in ea Religione viget; unde potest esse Religio de se arcta, & rigida; sed in observatione remissa, & minus stricta.

Not. 4. quando textus concedens 2784
transitum ab una Religione ad aliam, signatè loquitur de *strictiori*, controversum esse, an nomine *strictioris* ibi veniat *perfectior*, an *rigidior*, & austerior? Communior sententia tenet hoc secundum cum Joann. Andrea in cap. *Sanè* 10. h. t. *num.* 8. Azor *part.* 1. *lib.* 12. *cap.* 15. *quæst.* 2. Sanchez *cit. cap.* 7. *num.* 21. & alii; quia licet ea verba *ad frugem melioris vitæ, & Sanctioris vitæ propositum* videantur denotare, hujusmodi transitum à jure concedi ratione perfectionis, ac magis fructuosæ Religionis, & non ratione asperioris instituti, ut vult D. Thomas sup. cit. Sylvester V. *Religio.* 4. q. 1. & seq. Navarr. Comment. 4. de Regularib. à num. 2. ex postremis tamen verbis ibidem, ibi: *ut apud eos arctiorem duceret vitam*, cit. cap. 1. relato in num. 2781. alii probabilius judicant, intelligi vitam, seu Religionem rigore, ac austeritate potiorem; cujus ratio etiam esse potest, quia hæc raro quæritur *ex levitate, & naturæ commodo.*

Not. 5. ad transitum, de quo in 2785
præsens, requiri, quòd fiat ex debito fine, nimirum in ea, ad quam fit transitus, Deo serviendi rectius, & melius, quàm in priori; adeoque non ex levitate, vel inconstantia animi, aut meræ temeritate; 6. ne fiat cum Ordinis, aut Monasterii *à quo*, injuria, vel jactura præponderante bono personæ privatæ, qualis foret, si exinde Monasterium pateretur gravem infamiam, ut observat

vat Sanchez cit. lib. 6. cap. 7. num. 11. Abbas in c. *Licet.* num. 12.

2786 Not. 6. licentiam *debere* prius esse petitam à Prælato, quam fiat ejusmodi transitus, ne scilicet *bonum obedientiæ contemnere videatur*, ut dicitur c. *Licet.* §. *Quocirca*; ubi adverte non sufficere, *petitam* esse licentiam; sed *exspectandum* debito tempore responsum ejus, à quo licentia peti debet; nec enim ex sola ceremonia peti debet; sed ut rebus bene pensatis Prælatus consideret, num verè ex Spiritu DEI, & Zelo Sanctioris vitæ id petatur? & ideo in dubio standum est Superioris arbitrio; ita Sanchez cit. cap. 7. à num. 11.

2787 Not. 7. Religiosum, qui petit licentiam transeundi ad strictiorem Ordinem, debere Superiori *volenti*, aperire causam, ex qua inductus hoc petat, ne scilicet Prælatus, ignorans causæ mutandi Religionem, atque adeo negans licentiam propterea culpetur, quasi *propositum divinitus inspiratum impedire videatur*, ut dicitur in cit. §. *Quocirca*; unde, tametsi Superior neget licentiam (cùm id fieri possit ex justa, & gravi causa) non statim licitus fit ejusmodi transitus, ut colligitur ex illis verbis: *non obstante proterva indiscreti contradictione Prælati*, sed tunc solùm, cùm ei taliter à Prælato licentia denegatur; & hoc significat, *licentia petita, licet non obtenta*; ubi autem Prælatus nullam reddit, aut reddere vult causam, propter quam etiam petenti licentiam ex allegata causa rationabili neget transitum, censeri potest, *protervè* negare; dixi *nullam*; si enim affert causam verisimilem, esto non convincentem, quasi lite pendente, recurrendum erit ad Superioris Superiorem, ut ejus judicio lis decidatur; sic Abbas c. *Licet.* n. 9. & alii: his præmissis:

2788 Quæstio ulterior est. 1. quinam Superior Regularis suo subdito dare possit licentiam transeundi ad aliam Religionem? 2. an non Monachus, ad ordinem Monachorum, vel vicissim transire possit? 3. an ei, qui licite transivit ad alium Ordinem, concessa sint omnia, quæ aliis in tali loco, & Monasterio Professis? 4. an legitimè translatus ad alium ordinem, ut ibi sit Prælatus, debeat prius in eo profiteri? 5. an teneatur ad vota specialia prioris Ordinis? 6. an talis secum ad novum Ordinem transferat bona, quæ priori Religioni attulit?

Ad 1. 2. pro transitu ad strictiorem 2789
Ordinem *de jure communi* dare posse Superiorem etiam immediatum; nam jus est facultas transeundi sub præmissis conditionibus recti finis, & religiosæ intentionis, est cuilibet constitutum à jure; ac licentia Superioris solùm exigitur, ne bonum obedientiæ regularis contemni videatur. Unde in Viris regularibus opus non est licentiâ diœcesani; cùm id nullo jure cautum sit; nec etiam Capituli, quia textus solùm loquitur de licentia petenda *à Prælato* suo: dixi *Viris regularibus*; nam *in Monialibus Claustralibus* aliqui præter licentiam Abbatissæ requirunt licentiam Prælati Regularis, cui subsunt, & Ordinarii, seu Episcopi, si non sunt exemptæ; cùm *sine causa per Episcopum approbanda* non liceat eis egredi de Monasterio ex Trident. Sess. 25. de Regul. cap. 5. Id porrò, quod diximus, licentiam transitûs ad strictiorem Ordinem dari posse à Superiore immediato, v. g. Priore, Guardiano, intelligendum est, nisi ea potestas cum facultate summi Pontificis reservata sit Superiori mediato, v. gr. Provinciali, vel Generali, ut contingit in quibusdam Religionibus; ita Sanchez c. 7. n. 59.

Ad 2. 2. 1. non Monachum (v. g. 2790
Canonicum Regularem) posse transire ad Ordinem Monachalem, si in Monasterio, ad quod transit, observantia strictior sit, ex c. *Sanè.* 10. h. t. ubi Alexander III. scribens Ambianensi Episcopo, *Sanè*, inquit, *de Canonico*, qui in Ecclesia Aromaten. professionem fecerat, & fugerat ab eadem, *in monachum à quodam Abbate recepto*: id tuæ fraternitati significamus, *quòd si locus, ubi nunc permanet, majoris religionis, quam Ecclesia Aromaten. existat, ipsum in eodem loco cum pura conscientia remanere permittas*; alioquin eum ad priorem Ecclesiam redire compellas. Unde, quando in contrarium citantur ex c. *Intelleximus.* 12. de ætat. & qualitate, illa verba: attendens, *quod cautum est*

in canone, ne quis Canonicus regularis, nisi fortè publicè lapsus sit [quod abſit] *efficiatur Monachus: & ſi factus fuerit, ad Canonicatus ordinem revertatur, ultimus in choro manendo, cucullam ad memoriam delaturus*; cùm referantur ad c. *Mandamus*. 19. q. 3. dicendum, id procedere *jure veteri*. Olim enim, ut habetur in c. *Mandamus*, ſeverè interdictum fuit, ne quis Canonicus regulariter profeſſus, niſi, quod abſit, publicè lapſus fuerit, Monachus efficiatur; hujus interdicti ratio eſt ex S. Thoma. 2. 2. q. 189. a. 8. ad 2. quia Monachi olim non erant Clerici, nec divina myſteria tradebant: ſed ſoli orationi, & contemplationi vacabant; & ideo, ſi quis tunc ex Canonico Regulari Monachus fierit, cenſebatur deſcendere, & ex Clerico Laicus fieri, nunc verò ſecùs eſt; & ideo etiam interdictum illud ſublatum eſt. Et quia in textu c. *Sanè* dicitur Epiſcopo: *remanere permittas* in Monachorum clauſtro Canonicum, qui ad Monachos profugerat, non bene probat, talem tranſitum fieri poſſe non petitâ licentiâ ſui Superioris; ſed, licet fugerit, fieri potuit, quòd fugerit petitâ prius, ſed non obtentâ licentiâ, Prælato forſan injuſtè negante; vel ſi malè egit fugiendo, prius, quàm reciperetur, licentiam obtinuerit; vel deniquè, ſi nec hoc, Pontifex cum eo diſpenſativè egerit, ut deduci poteſt ex illis verbis: *remanere permittas*.

2791 Reſp. 2. ex Ordine Monachali ad non Monachalem, v.g. Canonicorum Regularium, jure communi *non eſſe permiſſum tranſitum*; ratio eſt, quia tranſitus ab una Religione ad aliam jure communi ſolùm permittitur, cùm tranſitus fit ad *ſtrictiorem alterâ*, ex c. *Licet*. 18. h. t. ſed Ordo non Monachalis (v.g. Canonicorum regularium) non eſt ſtrictior Monachali, ex c. 5. de ſtatu Monachorum, ibi: *regulæ tamen inſerviunt laxiori*; ergo; ita Suarez tom. 4. de Relig. l. 3. c. 10. hoc aliqui accipiunt *per ſe loquendo*; nam ſi contingeret in aliquo Collegio Canonicorum Regularium obſervantiam Regularem ſtrictiùs, quàm in Monaſterio Monachorum ſervari, tranſitus eſſet ad *ſtrictiorem* in obſervantia, conſequenter tali caſu licitus; ita Joannes Andreas in c. *Sanè* h. t. n. 3. & alii.

Reſp. 3. tranſitum ex Ordine *Mendicantium* ad *non Mendicantium* ſive Monachalem, ſive non Monachalem (exceptâ Religione Carthuſianorum) jure communi eſſe prohibitum decreto annullante profeſſionem ſecutam in Ordine *ad quem*; & quidem ſub pœnâ excommunicationis ipſo jure latæ in recipientes & tranſeuntes ſummo Pontifici reſervatæ, vigore cujuscunque licentiæ, indulti à Sede Apoſtolica, vel ejusdem Nuntio, aut Pœnitentiarii Papæ; ſic Martinus IV. in Extravag. *Viam ambitioſæ*. 1. h. t. inter communes; ubi additur præterea. 1. quòd ſi, qui taliter tranſivit, intra dies 15. computandos à die monitionis, non rediverit ad priorem Ordinem, tanquam *notorius excommunicatus Apoſtata* ab omnibus reputari debeat. 2. ut deinceps nullus ex Ordinibus Mendicantium in aliquem Monaſticum Ordinem (Carthuſienſium excepto) recipiatur, ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicæ, ſub iisdem pœnis, & ſecùs facta ipſo jure ſint irrita. 2792

Circa iſtam extravagantem notant 2793
Authores, per ea verba (*fucatis coloribus aſſerentibus ob frugem melioris vitæ, aut arctioris obſervantiæ; & ut liberius agant, dignitates, & beneficia Monaſtica conſequi valeant*) denotari: conſtitutionem in ea contentam eſſe intelligendam ſolùm de prohibitione tranſitûs ab Ordine Mendicantium ad non Mendicantium, ſi hoc fiat *ſine juſta cauſa*; adeoque, ubi foret in re juſta, & rationabilis cauſa, id eâ extravagante non obſtante fieri poſſe; ita Leſſius *lib. 2. c. 41. n. 104.* Sanchez in Decal. *l. 6. c. 7. n. 68.* & apud illos plures alii; & quamvis Azor *p. 1. l. 12. c. 14. q. 12.* Suarez *D. 22. de Renunt. Sect. 5. n. 16.* dicant, per eam Extravagantem Prælatis oblatam eſſe facultatem dandi licentiam pro tali tranſitu; cenſet tamen Pirhing h. t. *n. 137.* in praxi eſſe contrarium; uti & Leſs. cit. in pluribus locis non eſſe uſu receptum.

Dices: Gregorius XIII. anno 1582. 2794
conceſſit Societati JESU, ut ipſius Generalis licentia ſufficeret, ut etiam Profeſſi Societatis poſſint tranſire ad aliam Religionem, & in eo privilegio interdicit

dicit communicationem aliis Mendicantibus; in quo manifestè supponit, secluso hoc privilegio non sufficere licentiam Generalis. Respondet Sanchez cit. n. 68. solùm sequi, quòd in aliis Religionibus non sit concessum solis Superioribus absq; Conventûs consensu; & ideo, quòd hoc possit in Societate JESU *solus* Generalis, esse quid speciale, nec commune illis, esto in aliis privilegiis communicent cum Societate; quia dictum privilegium Societati concessum est *incommunicabiliter*.

2795 Circa istum transitum ab una Religione ad aliam, in quantum transitus fit ad strictiorem, jam diximus; an autem, & qualiter ejusmodi transitus fieri possit ad religionem æquè, aut minus strictam? exponimus in seqq. pro quo not. 1. quando transitus fit ad strictiorem Religionem, id concedi posse à Prælato immediato juxta dicta superius; quod intellige, si transitus fiat ex Zelo melioris frugis; non autem, si ex levitate quadam, vel alia animi perturbatione, non concurrente aliâ legitimâ causâ; nam de illo solùm casu loquitur textus in c. *Licet*. h. t.

2796 Not. 2. juxta nonnullos, transitum ad Religionem æquè strictam, non existente ulla legitima causa, à solo Pontifice concedi posse; quamvis enim Francus apud Sanchez n. 43. existimet, ejusmodi licentiam Papæ solùm excusare in foro externo, quia præsumitur dedisse facultatem subsistente causâ legitimâ; Sanchez tamen n. 64. existimat, nec sufficere pro foro externo; quia jus Religioni, ex qua fit transitus per professionem acquisitum, nulla existente causâ legitimâ, adimi non potest.

2797 Not. 3. existente legitima causa licentiam transeundi ad religionem æquè strictam, ex communi DD. sententia concedi posse etiam à Prælato Pontifice inferiore; ita tenent Tabiena V. *Religio*. qu. 23. n. 24. Imola in Clem. 1. de Regular. n. 11. & alii, quibus n. 45. relatis accedit etiam Sanchez cit. num. 65. ratio est, quia talis potestas censetur necessaria ad rectam gubernationem Religionis, & videtur id concessum esse in 19. q. 3. c. 3. ubi ex permissione Patris, sive Abbatis, & totius Congregationis, potest Canonicus Regularis transire ad Monachatum, neque est certum, quòd ibi tantùm sit sermo de transitu ad strictiorem Ordinem.

Dubitari autem potest. 1. quis in hoc 2798
casu ex Superioribus Pontifice inferioribus possit dare talem licentiam? 2. in exemptis hanc facultatem dari posse à Provinciali, vel Generali, nisi constitutio Religionis aliud caveat, & hoc sine recursu ad Episcopum, esto Monasterium sit in ejus diœcesi; non autem à Superiore immediato; ratio primæ partis est, quia exempti non subsunt Episcopo; ergo, ut cum venia sui Superioris exemptus transeat ad aliam Religionem non pendet à consensu Diœcesani, sed sui Prælati habentis in eum jurisdictionem quasi Episcopalem. Ratio secundæ partis est, 1. quia, cùm quis ad religionem admittitur, non soli Monasterio, in quo recipitur, sed toti Ordini, vel saltem Provinciæ jus in eum acquiritur; ergò, cùm alienatur, non sufficit consensus solius immediati Superioris ejus Monasterii, à quo abit; sed requiritur consensus vel Generalis, vel Provincialis. 2. quia Superior immediatus non potest sola sua authoritate subditum ad aliud ejusdem Religionis Monasterium transferre; ergo minus à tota religione alienare in aliam; sic Antonius Cucus *lib. 3. instit. moral. tit. 1. n. 137.* cui accedit Sanchez *citat. num. 65.* qui num. seq. existimat, etiam in exemptis exigi quoque consensum Conventûs; quia majora Religionis negotia sine Conventûs consensu expediri non possunt.

Not. 4. casum, in quo diximus à 2799
Prælatis Papâ inferioribus dari posse facultatem transeundi ad Religionem æquè strictam, procedere, licet facilis sit recursus ad Pontificem; ita Fr. Emanuel qq. regul. tom. 3. qu. 52. a. 9. Francus c. *Cùm singula*, §. *prohibemus*, de Regularibus in 6. num. 51. & complures alii; nam ad Extravag. *Viam* (quam aliqui censent obstare, cùm exigat licentiam Papæ) jam respondimus num. 2793. eam procedere, ubi non est justa causa; & quod dicitur ex Trid. Sess. 25. de Regularib. c. 19. *ne ullus Regularis, cujuscunq; facultatis vigore, transferatur ad*

ad laxiorem religionem, non loquitur de transitu *ad Ordinem æquè strictum*, de quo hactenus à n. 2795. egimus.

2800 Cœterùm, loquendo de transitu *ad Ordinem laxiorem*, citatum Tridentini textum exponunt, ne fiat volentibus transire facultas à Superioribus Papâ inferioribus, *absq; justa causa*; ita Navar. l. 3. Consil. de Regularib. consil. 56. n. 3. Azor tom. 1. l. 12. c. 15. q. 1. Sà V. *Religio.* n. 39. & alii. & ideo Sanchez cit. n. 67. & seq. docet, etsi solus Pontifex nullâ concurrente justâ causâ dare possit licentiam transeundi ad laxiorem Ordinem, profuturam pro solo foro externo; eandem tamen, concurrente legitimâ causâ dari posse à Prælatis etiam Papâ inferioribus, id enim nullo jure prohibitum esse colligitur ex dict. ubi tamen nota in his casibus non sufficere licentiam *petitam*, *& non obtentam*; nam hoc in c. *Licet.* h. t. conceditur solùm tanquam speciale *in transitu ad strictiorem*; sic Joann. Andr. in Addit. ad Speculator. de dispensat. §. *Sunt quoque*, n. 6. lit. D.

2801 Ad 3. quæst. in n. 2788. 32. negativè. Nam in Clement. 1. de Regular. statuitur. 1. ut Mendicantes (qui authoritate etiam Apostolica ad non Mendicantes transierunt, aut in posterum transibunt) quamvis tunc Prioratus vel Officia, aut curam animarum, vel regimen quodcunque obtineant *inibi vocem, aut locum in Capitulo non habeant*, etiamsi hoc ab aliis sibi liberè concedatur. 2. ne sic translati assumantur in posterum ad Prioratus, administrationes, aut quæcunque officia, etiam tanquam vicarii, seu ministri, vel locum aliorum tenentes, & ne animarum curam; aut regimen possint pro se, vel pro aliis exercere. Et quidquid in contrarium gestum fuerit, decernitur ibi fore irritum ipso jure, nullis privilegiis obstantibus.

Tertiò in Trid. Sess. 14. de reform. c. 11. ut omnes Religiosi, etsi Canonici Regulares sint, translati ad alium Ordinem, sint omnino incapaces quorumcunque beneficiorum secularium, etiamsi curata sint. Et intelligitur, quamvis ad strictiorem sit transitus, ut bene docet Leonard. lib. 2. de instit. cap. 41. dub. 13. num. 105. quia generaliter loquitur de translatis vigore etiam cujuscunque facultatis.

Sed not. sub dicta Clementina com- 2802
prehendi *solos Mendicantes, qui virtute privilegii Apostolici transeunt ad non Mendicantes*; nam de his solùm loquitur; non autem de Mendicantibus, qui transeunt ad Mendicantes, nec non Mendicantes, qui transeunt ad aliam quamcunque Religionem; nec etiam Mendicantes, qui transeunt ad Carthusiam, quia hic transitus concessus est lege, ac jure communi, non autem virtute privilegii, &c.

Not. 2. dictam Clementinam extendi 2803
ad Mendicantes non tantùm illorum 4. ordinum, de quibus fit mentio in c. *unico.* §. *Sanè*, de Regularib. in 6. sed etiam postea creatos, ut sunt Minimorum, & Soc. JESU; sic Azor tom. 1. l. 12. c. 14. q. 12. & alii; nam lex generalis, & perpetua obligat non solùm tunc existentes, sed etiam postea extituros; an autem etiam comprehendat Religiosos Soc. JESU, qui habent sola vota simplicia, necdum constitutos in gradu Professorum, vel Coadjutorum formatorum? posset alicui videri dubitabile; quia constitutio illa Clementina loquitur *de solis Mendicantibus*:

Mandosius, de privileg. *adinstar*, 2804
gloss. 2. num. penult. aliquantum videtur ambigere; nihil tamen definit in contrarium, dum dicit: *Collegia Societatis JESU non esse mendicantia; sed solam Societatem, quæ ex professis constat*, & gloss. 11. n. 25. defendit Religiosos Scholares Societatis JESU non esse *verè* mendicantes, sed tantùm *quodammodo*; idem tradit Manuel Rodrig. tom. 3. regular. q. 49. a. 2. ratio dubitandi desumebatur ex reditibus Collegiorum. Verùm contrarium declaravit Pius V. in Bulla, Anno 1571. & Gregorius XIII. Anno 1582. Nam Pius V. propositâ illâ ratione dubitandi, quæ sumitur ex reditibus Collegiorum, quibus illi Scholares fruuntur, definit, *se ad illam ambiguitatem tollendam declarare, domos, Collegia, & personas omnes Societatis esse verè, & propriè mendicantia.* Quare jam non videtur posse id in dubium vocari.

Ad 4. quæst. in n. eod. 32. quòd sic; 2805
nam hoc ipso, quòd quis Professus transferatur

feratur ad alium Ordinem, ut ibi sit Prælatus, cùm ad hoc electus, vel postulatus confirmationem, vel admissionem accipit, tacitè profitetur regulam, & observantias talis Ordinis ultra substantialia Religionis vota servandas; cùm translatus ab una Ecclesia, vel Monasterio ad aliud perdat omnia jura prioris. 21. q. 2. c. *si quis* 3. & 16. q. 1. c. *ne pro cujuslibet*. 37. id, quod etiam intelligi debet de translato ad alium Ordinem, esto non, ut ibi sit Superior; ratio est eadem. Ad 5. 12. negativè; nam illa vota specialia sunt annexa Professioni in tali Religione; hæc autem per translationem cessat; ita Sanchez citat. l. 6. c. 7. n. 87.

2806 Ad 6. 12. bona, quæ talis, secutâ professione, Monasterio attulit, manere penes tale Monasterium, si capax sit bonorum temporalium, esto ex hoc transferatur ad aliud, similiter capax bonorum temporalium, ac in eo profiteatur; ratio est, quia factâ professione sunt absolutè translata, ut colligitur ex cit. Authent. *de Monachis.* §. *si verò relinquens.* c. 7. coll. 1. atque adeo independenter à permanentia in eodem, vel transitu ad aliud: secus autem est de acquisitis post professionem in Religione, ad quam transivit; ea enim huic acquirentur; cùm desierit esse pars prioris Religionis, vel Monasterii; ita Sanchz *cit. l. 7. c. 32.* à *n.* 8. & deducitur ex cit. Authent. *Ingressi*, C. de SS. Eccles.

2807 Præter hæc not. 1. si Religiosus ex ordine bonorum temporalium incapaci legitimè transeat ad capacem, bona, quæ secuta ejus professione in primo Ordine perfectè acquisita sunt illis, qui tali casu jure vocantur in successionem, manere penes eos; quia ponuntur absolutè, & perfectè acquisita; nec deberi Monasterio, ad quod transivit; secùs est de acquisitis post professionem in nova Religione. Unde bona, in quæ professo Ordinem Minorum S. Francisci successerunt ejus consanguinei, manent penes eos, licet postea transeat ad Ordinem v. g. S. Dominici, vel similem bonorum temporalium capacem; quia secutâ professione in prima Religione bona ejus perfectè jam acquisita sunt consanguineis. V. Sanchez cit. c. 32. n. 70.

2808 Not. 2. nos in præmissis loqui de transitu, seu translatione *perfecta*, quâ nimirum quis ita transit ex una ad aliam Religionem, ut jura prioris religionis in ipso extinguantur per professionem subsequentem in alia, desinatque esse membrum de illius corpore, & transferatur in corpus alterius; adeoq; non de transitu, qui fit quidem ex justa causa, at sine animo in alio Monasterio profitendi, sed solùm v. g. causa pœnitentiæ, majoris concordiæ, valetudinis, &c. quia sic manet actuale membrum de corpore talis Monasterii, & perinde gaudet juribus, illius loci professis competentibus, ac si præsens esset; nisi fortè in pœnam illis privatus esset.

Ex hoc deducitur bona, quæ talis 2809
professus attulit Monasterio, manere penes ipsum Monasterium, licet ex hoc ad aliud transiverit ex tali fine, v. g. causâ concordiæ, pœnitentiæ, valetudinis, quin in eo, ad quod transivit, profiteatur; id, quod verum est etiam de usufructu, si quem habuit, detractis tamen alimentis, quæ solvi debent novo, ad quod transivit, Monasterio, nisi huic tam utilem præstaret operam, ut hæc alimentis æquivaleret; de quo Sanchez *cit. c. 32.* à *n. 46.* Unde etiam bona, quæ obvenirent taliter translato ad aliud Monasterium non huic, sed priori, in quo actu professus est, deberentur; nam in posterius, cùm ponatur non professus in eo, nihil juris transtulit.

Not. 3. Religionem, à qua Religio- 2810
sus temerè, ac illegitimè transivit ad aliam, teneri eum recipere, facti pœnitentem, & ad veterem suam Religionem redeuntem; quia per tale factum soluta non est professio in priori Religione, consequenter obligatio mutua; præsertim cùm talis professus nec expressè, nec tacitè renuntiare possit juribus, sibi competentibus stante legitimâ professione in tali Religione; sic Innocentius in cap. *Joannes* 5. h. t. Joan. Andreas ibid. n. 13. Sanchez cit. l. 7. c. 7. à n. 105.

Not. 4. Religiosum, qui in sua Reli- 2811
gione receptus est in Clericum, posse in eadem Religione descendere ad statum Fratrum Laicorum, seu Conversorum, stante justâ causâ, & consensu eorum, quorum interest in tali Religione; ita Sanchez in Decalogo *lib. 6. c. 7.* à *n. 80.* Pellizarius in Manual. *tract. 3. c. 5. sect. 3.*

n. 138. nam in hoc casu non fit mutatio Religionis in substantia, sed solùm in accidente; unde in tali casu, subsistente causâ rationabili (v. g. amore statûs humilioris) idem concedere poterit à fortiori facultatem transeundi ad hunc statum, qui alioquin potest pro transitu ab una Religione ad aliam, de quo supra; ita Sanchez cit. à n.81. Pellizarius cit. & alii; dixi, qui receptus est *in Clericum*, nimirum, si nondum constitutus sit *in sacris*; nam hoc fieri posse illorum authoritate, negant prædicti Auctores; de quo tamen cujusque Ordinis constitutiones, per Sedem Apostolicam approbatæ, attendi debent.

2812 Not. 5. in Clementina, *ut Professores.* 1. h.t. (ubi statuitur, ut Mendicantes Professi deinceps non transeant ad Ordinem non Mendicantium, nec inibi (si qui cum legitima facultate transiverint) vocem, aut locum in Capitulo habeant, aut admittantur ad Prioratus, administrationes, vel quæcunq; officia, etiam solum locum Vicarii, seu Ministri tenentes, aut curam animarum recipientes, ullumve regimen pro se, vel aliis exercendo) per *Mendicantes* intelligi eos, quibus in Regula, vel Constitutionibus suis à Sede Apostolica approbatis, non licet possidere bona temporalia, etiam in communi, quantumvis per Sedis Apostolicæ dispensationem illa ex privilegio licitè possideant. Cùm enim hæc constitutio pœnalis sit (ut liquet ex pœnis inibi decretis secùs agentibus) extendi non debet ad Ordines nisi propriè, hoc est, *vi suarum constitutionum Mendicantes*, hoc est, incapaces ullius juris, aut dominii rerum temporalium.

2813 Quarè Regulares, vi suarum constitutionum, quæ per Sedem Apostolicam approbatæ sunt, capaces bonorum temporalium saltem in communi, licet mendicent, non veniunt in ea Clementina nomine *Mendicantium*; ita Sanch. *cit. lib. 6. c. 7. n.* 113. qui propterea *n.* 116. contra gloss. in dict. Clement. 1. V. *quoslibet* docet, in ea constitutione nomine *Mendicantium* non venire Moniales Ordinum Mendicantium (ut Prædicatorum, & Minorum) eò, quòd istæ non ex privilegio Papæ, sed vi suæ regulæ possint habere reditus, & bona temporalia in communi.

Not. 6. quando peccantes contra dictam Clement. puniuntur privatione *vocis*, & *loci* in Capitulo, intelligi de voce tam activa, quàm passiva, quia textus indefinitè loquitur; ea porrò verba *in Capitulo* accipienda esse de *Capitulo in Ordine non Mendicante*, ad quem contra dictam Clementinam *transeunt*, id, quod colligitur ex particula *inibi*, nimirum in ordine, ad quem transiverunt, ibi: sacro approbante Concilio statuimus, Mendicantes quoslibet, qui *ad non Mendicantium* Ordines etiam auctoritate Apostolica transibunt in posterum, quive hactenus transiverunt, quamvis nunc Prioratus, Administrationes, vel Officia, aut curam animarum, vel regimen quodcunque obtineant *inibi, vocem, aut locum in Capitulo non habere*: etiamsi hoc sibi ab aliis liberè concedatur, nec tamen de *Capitulo* etiam hujus religionis *quocunque*, sed solùm *Generali*, vel *Provinciali*, aut etiam privato talis Monasterii ad electionem, & tractatus habendos convocato; non autem ad morum correctionem; sed de hoc V. Sanchez *cit. l. 6. c. 7.* à *n.* 120. 2814

Articulus ultimus.

De Regularibus Fugitivis, Apostatis, & Ejectis.

DIscrimen, quod est inter Regulares Fugitivos, Apostatas, & Ejectos, declarat Azor *p.* 1. *l.* 12. *c.* 16. Lessius *l.* 2. *c.* 41. *dub.* 15. & Sanchez *l.* 6. *Decal. c.* 8. nam loquendo in rigore *Fugitivus* est, qui discedit à religione ad tempus, ut liberè vagetur: animo tamen redeundi ad ordinem. *Apostata* est, qui à religione in totum fugit animo non redeundi. Ad utrumque parum refert quod retineat, vel dimittat habitum; *Ejectus* autem (alio nomine *expulsus*) est, qui non sponte, sed jussus, vel compulsus discedit. Quoad hoc discrimen inter prædictos actus not. definitionem *fugitivi* communiter receptam esse, cum addito, quòd ille recessus à Monasterio fiat *absq; Superiorum licentia*, ut notat Sanchez cit. n. 12. quia tamen talis retinet animum redeundi ad Religionem saltem aliquando, Apostatis annumerari non potest, cujus oppositum aliqui voluerunt, sed immeritò; quia Apostasia à Religione non stat, stante animo 2815

mo redeundi ad Religionem. Quare negandum est, Religiosum esse verè, ac propriè Apostatam, qui suæ religionis habitum sic alio cooperit, ut exterius non appareat, prout Sylvester V. *Excommunicatio.* 9. casu 24. n. 53. q. 4. & alii; ratio est, quia solus animus recedendi in perpetuum ab instituto Religioso verum Apostatam constituit; ita Sanchez cit. l. 6. Decal. c. 8. n. 5. & apud eum Mandos. Fr. Emmanuel & alii, ut constat ex *Apostasiæ* definitione, quam communiter recipiunt Doctores.

2816 Ex hoc etiam habetur resolutio ad illam quæstionem, an sit Apostata, qui desertâ propriâ Religione transit sine legitima facultate ad aliam laxiorem? tametsi enim talem esse verè Apostatam, & subjici omnibus Apostatarum pœnis, affirmet Suarez *tom. 5. in 3. p. D. 31. Sect. 6. num. 4.* communis tamen sententia rectius negat cum Sanchez *cit. c. 8. n. 8.* dicente, non esse recedendum à frequentissima sententia, asserente hunc non esse *verè* ac *propriè* Apostatam, sed largè, impropriè, & secundùm quid, ac proinde Apostatarum pœnis non subjici, quamvis lethaliter peccet; ratio est, quòd talis non simpliciter à religiosæ vitæ, sed à certæ religionis instituto recedat, cùm in qualibet religione tria vota religiosi instituti substantialia emittantur. Et quamvis transitus hic irritus sit; at animus transeuntis non fuit omnino à religioso instituto recedere, sed ad aliam religionem transire: at Apostasia verum animum dimittendi religiosum statum desiderat; & ita etiam tradit Azor, Hostiens. Abbas, Angelus, Sylvester, & complures alii apud eundem loc. cit. relati.

2817 Dices cum P. Suarez: relinquens statum suum Religiosum, & alium assumens invalidè, perinde est, ac si religiosum statum omnino deponeret: at transiens absque legitima licentia ad religionem laxiorem, transit invalidè, & professio posterior est irrita, & omnino dimisit: ergo est verus Apostata, actus enim omnino irritus immunitatem non præstat, neque aliquid confert. R. verum esse, quòd professio posterior irrita sit, & invalida; non autem, quòd per hoc taliter profitens deponat animum omnino relinquendi statum religiosum; sed tantùm, *talem statum*, ex quo recessit. Quamvis enim talis professio irrita sit quoad alios effectus juris, & quoad hos perinde sit *nulliter efficere*, & *non efficere*; quoad hoc tamen (*ut exinde sit verè Apostata*) non est perinde; nam Apostasia vera verum animum dimittendi statum religiosum desiderat ex *num.* 2816. nam omnino deponens statum religiosum habet animum ab eo recedendi; qui deficit in invalidè transeunte ad aliam religionem; sic gloss. c. *Ex parte*, de temporib. ordinat. V. *ad nigros.* & c. *fin.* de Apostat. & complures alii.

Dices. 2. ergo talis nec erit verè *fugitivus?* R. apud Sylvestrum V. *Apostasia.* q. 4. n. 9. aliquos (non tamen expresso nomine relatos) negare; sed rectius cum distinctione respondetur, & negari, si transeat ad aliud Monasterium ejusdem Religionis, etsi non ejusdem rigoris, si tamen & Monasterium *à quo*, & *ad quod*, sit sub eodem Prælato; secùs, si sub diverso; nam in hoc secundo, non autem in primo casu indebitè, ac invalidè transit fugiens ab obedientia suo Superiori debita; ita Sanchez *cit. n. 9.* & ideo in talem non cadunt pœnæ decretæ à Paulo IV. in motu proprio incip. *Postquam divina bonitas, contra temerè vagantes extra Religionem*; nam nomine illorum soli veri Apostatæ à religione illam in perpetuum deserentes comprehenduntur; quia Paulus IV. decies repetit *Apostatas*, & *Apostasiam.* 2818

Dices. 3. Paulus IV. expresè comprehendit etiam omnes professos, qui temeritate propriâ, quovis prætextu, extra claustra suorum monasteriorum *degunt*, aut in futurum *degent.* R. illum loqui de his, qui extra claustra suorum monasteriorum degunt, aut degent *apostatando*, seu animo simpliciter deserendi statum religiosum; hanc enim interpretationem suadet tam frequens repetitio *Apostasiæ* in eo motu proprio. Quod verò adducitur ex Pio V. in motu ejusdem proprio, incip. *Quæcunque Sacrarum*, pariter non obstat. Nam iste vel solùm declarat priorem Pauli IV. ut volunt aliqui, consequenter nihil novi statuit, & subit easdem limita- 2819

tiones, quas patitur motus proprius Pauli IV. per eam declaratus; vel, ut meritò censet Sanchez *cit. cap.8. n.10.* nihil de illis pœnis agit, nec motum proprium Pauli IV. declarat; sed tantùm prohibet transitum ex una religione in aliam *virtute privilegiorum Religionis*; non autem illum, qui *jure communi* concessus est, c. *Licet*, de Regularibus; ita Sanchez *cit. lib.6. cap.7. num.2.* qui *cap.8. num.11.* excommunicationem in recedentes à Societ. JESU statutam in Bulla Pii V. & Bulla *Ascendente Domino* Gregorii XIII. exponit accipiendam de veris Apostatis. Plura de Apostatis, ac eorum pœnis V. lib.5. tit.9. de Apostatis.

2820 Circa Religiosos *ejectos*, seu *expulsos* not.5. Ordinibus Regularium competere potestatem suos Religiosos, etiam professos, ex causa justa, & gravi, à Religione expellendi etiam in perpetuum, id, quod probat constans Religionum praxis, multis etiam ad hoc summorum Pontificum privilegiis munita; colligitur etiam ex c. *fin.* h.t. ubi præcipitur Superioribus Religionum etiam immediatis, ut fugitivos suos, & *ejectos de Ordine suo*, *requirant solicitè annuatim*, ne sanguis eorum (ex occasione vagandi, propriæ salutis detrimentum incurrendo) de Prælatorum manibus requiratur, deinde c. *cùm ad Monasterium. 6.* de Statu Monach. dicitur, *Regularis proprietarius de Monasterio expellendus*; & c. *fin.* eod. idem statuitur quoad rebelles, & contumaces; & ita tenet D. Thomas quod lib.12. a.ult. Azor *part.1. l.12. c.16. q.2.* Sanchez *l.7. Decal. c.9.* Lessius de Just. *l.2.c.41.n.110.* & alii communiter.

2821 Advert. autem, quando dicitur à Superioribus Religionum fugitivos, vel ejectos annuatim esse requirendos per c. *fin.* h. t. contrariâ consuetudine abrogatum esse; & ex vi ejus decreti non teneri Prælatos quærere, ac revocare ejectos, vel fugitivos; sed servanda esse quoad hoc statuta religionum, & jus naturale, quod solos *injustè* ejectos restitui dictat; & sic quærendi sunt, ut ad pristinum statum restituantur. Si verò Apostatæ, & fugitivi sint, tenebitur eodem jure divino naturali Prælatus religionis, si commodè possit, eos quærere, ut corrigat, & puniat juxta regulæ, & constitutionum præscriptum, utpote qui verè sui subditi sint; ut vel sic spirituali eorum saluti prospiciat, & si delictum non fuerit expulsione dignum, admittat correctos in religionem; ita Sanchez *cit. cap.9. num.18.* imò licet c. *finale* adhuc obtineret, intelligendum tamen esset solùm pro casu, quo revocatio ejectorum aliis non afferet scandalum, & correctio speratri posset; ita DD. communiter; aliàs enim privato bono præferri debet commune.

Si quæ autem contraxerunt interim 2822
debita in alimenta, & alia vitæ necessaria, tenebitur ad ea persolvenda Monasterium, quando ejectio *injustè* facta est; secùs, quando justè. Nam Monasterium ex contractu tenetur ad alimenta suis præstanda, quàmdiu ab obligatione contracta legitimè non liberatur; at liberatur solùm per ejectionem justè factam; ita Surdus de Aliment. *tit.9. q.35. n.6.* Molina de Justit. *tract.2. D.140.* Sanchez *cit. c.9.* à *num.20.* quos citat, & sequitur Barbosa in c. *fin.* h. t. à *n.4.* Quod dictum est de *ejectis justè*, ad nihil teneri Monasterium etiam pro alimentis eorum, procedit etiam de fugitivis, & Apostatis, durante fugâ, vel Apostasiâ; excipiunt aliqui cum Sanchez *cit. n.22.* expensas factas ab eo, qui talem caperet deducendum ad suum Monasterium; sic enim hujus negotium utiliter gereret; vel ipse fugitivus pœnitentiâ ductus faceret, ut rediret; cùm eas ad eum revocandum Monasterium facere debuisset.

Advert. 2. Regularem professum, 2823
etiam justè ejectum in perpetuum, non liberari à substantialibus votis Religionis; nullus enim Papâ inferior, authoritate suâ potest facere ex Monacho non Monachum; ac ex Regulari non Regularem; ita Sanchez cit. *lib.6. c.9. num.25.* Azor *cit.p.1. l.12.c.16.q.4.* Lessius *l.2. c.41. n.112.* & alii; quia etiam suppositâ tali ejectione manet in substantia verus Religiosus. Unde talis ejectus in bonis, quæ acquirit, præter nudum eorum usum, quantum requirit necessitas sustentationis nihil habet.

cùm

cùm teneatur voto paupertatis, prout eorum ſtatus patitur; ſic Navarr. comment. 2. de Regularib. *num.* 45. Azor *cit. c.*16. *q.*4. & alii. Cui autem acquirant ea bona tempore durantis ejectionis? ſub lite eſt; Navartus *cit. n.* 33. & Azor *cit. q.*9. volunt acquiri vel Eccleſiæ diœceſanæ, ſi inibi beneficium habeat; vel Romanæ, ſi nullum; id, quod Layman *l.*4. *tr.*5. *c.*13. *n.*3. cenſet obtinere in praxi; quia juſtè ejectus nullam cum Monaſterio communionem habet: ſed attento jure, rectius dicitur, ea acquiri Monaſterio; cùm jus, quod hoc obtinuit ex ejus profeſſione, per ejectionem ei non ſit ademptum; unde licet juſtè ejectus cum Monaſterio non habeat communionem quoad favores, ſecus eſt, quoad onera ex profeſſione incumbentia profeſſo. Dixi: *attento jure*; nam attento Motu proprio Greg. XIII. inbip. *Officii noſtri*, omnia per hos ejectos undecunque acquiſita pertinent ad Cameram Apoſtolicam poſt eorum obitum, ſi extra Religionem decedant; ſic Barboſa in c. fin. h.t. n.15. ubi addit, ejectum tunc dici, ut deſinat acquirere Monaſterio, quando exutus habitu Monachali à corpore Ordinis dimittitur; Rot. apud Farinac. deciſ. 149. n.2. part.2. recent. Quoad fugitivos autem magis concorditer ſentiunt DD. per eum acquiſita acquiri Monaſterio.

2824 Loquendo autem de voto obedientiæ (de caſtitate enim certum eſt, teneri eum ad exactam illius obſervantiam) dicendum, nec ab eo liberari relatè ad Superiores quoad hoc, ut, ſi recipiatur ad ordinem, perinde ac alii obedire teneatur; quamvis durante ſtatu ejectionis liberetur quoad executionem, alias obſervantias regulæ (ut ſunt jejunia, abſtinentia à carnibus, vigiliæ Ordinis, onus dicendi horas canonicas quantum eſt vi regulæ; ſecùs, ſi ſit in ſacris) dum ad Ordinem recipiatur. Nam hæc non ſunt inſeparabiliter annexa votis ſubſtantialibus Religionis; ſed ſtatui vitæ Regularis, à quo ponitur juſtè expulſus; ita Navarrus *citat. comment.*2. *num.*36. Leſſius *num.*115. Sanchez *lib.*7. *cap.*9. à *num.*52. quos citat, & ſequitur Barboſ. in c. *fin.* h.t. *n.*12. ubi addit: hos ejectos in perpetuum non teneri deferre habitum ſuæ Religionis, ſi eo ſpolientur, ut docent Navarr. *cit. comment.*2. *n.*36. & ſub hoc tit. *conſil.*51. *num.*2. in antiquis, aliàs *conſil.*78. *num.*2. in novis, Barthol. à S. Fauſto *l.*7. *q.*250. Azor *lib.*12. *cap.*18. *q.*13. Sayr. in clavi Regia, *lib.*6. *cap.*9. *num.*28. Fr. Emman. *q.*30. *a.*26. Leſſius *cap.*41. *dub.*15. *n.*112. Sanchez *cit. c.*9. *n.*55.

Difficultas eſt in caſu, quo tales ejecti poſt debitam ſui emendationem petunt ad ſuam religionem recipi, & nihilominus rejiciuntur, an tunc ſaltem abſolutè liberentur à voto paupertatis, & obedientiæ? affirmant apud Sanchez *lib.*6. *cap.*9. *num.*26. Toletus, Sà, Sayrus, Azor, & alii: ſed hoc cum diſtinctione accipiendum eſt, ut procedat de liberatione obligationis ſolùm *ſuſpenſiva*; non *extinctiva* voti, & obligationis; quia nemo Papâ inferior poteſt tollere vota profeſſionis religioſæ, at de Monacho fiat non Monachus; cùm non deſint, qui hanc poteſtatem etiam negent Papæ; quamvis de hoc contrarium ſit probabilius; ſub opinione tamen eſt, an talis Regularis ejectus durante ſtatu ejectionis tranſeat in obedientiam Epiſcopi? affirmant apud Sanchez citat. à num. 27. Navarrus, Azor, Suarez, & complures alii ibid. cit. Navarro id affirmante de Epiſcopo originis; ſed rectius videtur negari, cùm nullam Epiſcopo voverit obedientiam; præſertim, cùm ipſe Navarrus comment. 2. de Regularib. num. 34. rectè doceat ejuſmodi ejectos non teneri ad intrandam aliam religionem; qui nullam aliam voto ſuæ profeſſionis promiſerunt: at nullam etiam obedientiam voto ſuæ profeſſionis promiſerunt Epiſcopo; ergo. Quare pro tali ſtatu non aliter Epiſcopo tenebuntur obedire, quàm alii Clerici, qui ſunt in ejus diœceſi; quod maximè procedit in illis Regularibus, qui prius erant exempti à jurisdictione Epiſcopi; ſic Leſſius *l.*2. *de Juſt. cap.*41. *dub.* 15. *num.*114. & alii. Plura de his V. lib.5. tit. de Apoſtatis; & hîc infra à n. 2825

QUÆSTIO XXXII.

IN TIT. XXXII. DE CONVERSIONE CONJUGATORUM.

2826 POstquam actum est generatim de Regularibus, & transeuntibus ad Religionem; hoc titulo agitur de speciali casu, quo *Conjugati* relicto seculo, statum Regularem amplecti volunt. Quoniam autem jam alibi diximus, licere conjugibus, relicto matrimonio *rato tantùm*, transire ad Religionem, ac in ea etiam, si voluerint, profiteri, sic, ut secutâ professione solenni in Religione, per Sedem Apostolicam approbata, matrimonium illud, *ratum tantùm*, & necdùm consummatum, etiam quoad ipsum conjugale vinculum dissolvatur, & remanenti in seculo liberum fiat ad alias nuptias convolare: specialis hoc titulo tractanda quæstio est de *Conjugibus, post consummatum matrimonium*, conversionem, seu transitum ad Religionem amplectentibus, de quo etiam V. l. 4. Decretal. à n. 444.

ARTICULUS I.

De conditionibus, ut unus Conjugum validè transeat ad Religionem.

2827 LOquimur de Conjuge *post matrimonium consummatum*; privilegium porrò, concessum Conjugibus pro ingressu Religionis ante matrimonium consummatum; & tempus, intra quod illis hoc liceat? exposuimus lib. 4. à num. 461. ubi an hoc etiam liceat, esto conjunx primo bimestri per alterum vi sit oppressus? ibid. à n. 464. Demum etiam quo jure professio solennis, matrimonio rato, & non consummato superveniens, illud dirimat? loc. cit. num. 445. quibus positis:

2828 De quæstione, quid requiratur, ut unus ex conjugatis licitè possit transire ad statum religiosum, ac in eo ritè profiteri? plures Canones extant super eo tractantes. Nam c. *Præterea.* 1. h. t. habetur, quòd si vir, qui *sine licentia Uxoris suæ* monasterium ingressus, fortè professionem fecit, uxore in sæculari habitu remanente, nec ad religionem transeunte, aut perpetuam continentiam vovente, *nisi uxor ad religionem transierit, aut castitatem servare promiserit*, debeat, ac possit ab Episcopo de monasterio revocari; quia cum una caro sint effecti, non debet una pars in sæculo manere, & altera ad religionem, & castitatem transire. Deinde, c. *Cùm sis.* 4. eod. Alexander III. Exoniensi Episcopo scribit: Sanctorum Patrum institutioni obviare, ut vir *uxore suâ in sæculo remanente*, aut uxor viro suo *non assumente religionis habitum*, debeat ad Religionem transire, nisi uterque ad religionem migraverit, vel uxor ita senex sit, & sterilis, quòd sine suspicione possit esse in sæculo, dissimulare poteris; ut vir eâ in sæculo remanente, & castitatem promittente, ad religionem transeat.

Tertiò idem Pontifex scribens Strigonienſi, & Colocensi Archiepiscopis, 2829
Conjugatus, inquit, *ad monasterium converti desiderans, prohibetur suscipi, nisi uxor ejus conversatur*; nam cùm unum utrorumque corpus, conjugii copulatione, sit factum, incongruum est, partem converti, & partem in sæculo remanere; nec recipitur apud Deum illius viri conversio, cujus sequitur conjugalis fœderis prostitutio. Cùm igitur cœtus Clericorum longè præmineat cœtui Monachorum (ut ita aliquando bonus Monachus vix bonum Clericum faciat) *nullus conjugatorum est ad ordines sacros promovendus*, nisi ab uxore, continentiam profitente, fuerit absolutus, ut fiat deinceps de carnali copula spirituale conjugium, per c. *Conjugatus.* 5. eod.

Quartò, idem Priori, & Fratribus 2830
S. Joan-

S. Joannis præcipit, ut Uxoratus sine licentia uxoris in Religionem nullatenus recipiatur; quæ, si integræ opinionis existit, Marito in Religionem recepto, publicè in conspectu Ecclesiæ continentiam professa, poterit in propriâ domo cum filiis, & familia permanere; si autem suspicione non careat, se à conversatione secularium removeat, & in loco religioso perpetuò Deo serviat; c. *Uxoratum* 8. *eod.*

Quintò Innocentius III. rescribens Pisano Archiepiscopo, cùm Vir, & Uxor ait, una caro per copulam carnalem efficiantur, nec una pars converti possit ad Dominum, & altera in seculo remanere, *non esse alteram recipiendam ad Religionem*, nisi aliqua perpetuam continentiam repromittat, & vitam mutet, nisi sit ejus ætatis, ut sine suspicione incontinentiæ possit in seculo remanere. c. *Ad Apostolicam.* 13. h. t. plures ejusmodi textus passim habentur h. t. ut c. *Ex parte.* 9. eod. ibi: *quia verò licet prædictus Vir Uxore suâ remanente in seculo de jure ad Religionem nequiverit transire*; c. *Placet.* 12. eod. ubi dicitur, quod *votum Uxoris*, quæ, credens virum suum mortuum, habitum monachalem assumpsit, viro reverso, *non tenuerit* in præjudicium mariti; c. *Accedens* 17. eod. ubi dicitur, quòd Uxor maritum professum repetere possit non obstante licentiâ profitendi per metum extorta, ut exponit rubrica dicti c. Demum c. *Dudum.* 20. eod. ubi habetur, quod si conjuges se ad invicem absolverunt, continentiam promittendo, & uterque, vel alter eorum religionem profitetur, alter alterum repetere non potest.

2831 Ex his juribus deducitur, 1. inter conditiones, ut unus conjugum, post matrimonium consummatum; licitè transeat ad Religionem, ac in ea validè profiteatur. 1. *requiri consensum* alterius conjugis; secùs etiam professum, repeti posse à remanente, ut constat ex dict. c. *præterea* in num. 2828. & talem professum (cùm ejus professio irrita sit, nec in alterius præjudicium à Deo recipiatur) posse, etiam authoritate propriâ, ad seculum redire, saltem ubi constat, quòd sine alterius consensu professus sit, & superior illi reditum indulgere recusat. Et ideo, qui facit professionem in vitâ Uxore, & deinde cogitur ad illam redire, mortuâ Uxore non tenetur ingredi Monasterium ex c. *Quidam intravit.* 3. h. t. ibi: *ratione voti ad Monasterium non tenetur redire.* V. Sanchez lib. 7. Matrim. D. 34. à n. 10. quod verum est, etiam si post reditum ex Monasterio ad Uxorem, hæc moriatur. Nam votum Religionis, seu religiosæ professionis, *Uxore invitâ* emissum, omnino est irritum, & nullum, & nullam obligandi vim sortitur, ut per Sanchez dict. lib. 7. D. 34. n. 10. Quia votum, semel irritatum, amplius non assumit vires, ut per Navarr. in man. cap. 12. num. 66. Petr. de Ledesma in Summ. tom. 2. tract. 10. cap. 7. dub. 2. circa primam conclusionem dict. 4. Azor part. 1. cap. 17. q. 4. & q. 11. Sayr. in clavi Regia lib. 5. cap 8. num. 7. plures Doctores refert Sanchez in præcepta Decal. tom. 1. lib. 4. cap. 26. num. 4.

Not. præterea, conjugatum, consummato matrimonio, de sui conjugis licentia (etiam prætermissâ Episcopi licentiâ) quantum est ex hoc c. licitè, ac validè in Religione profiteri; per c. *si vir* 23. 27. q. 2. junctâ gloss. V. *Conscientia*; & sequitur ex c. 1. h. t. ubi habetur, quòd Vir, *ignorante Episcopo*, sed *cum licentia Uxoris* professus, per Episcopum possit ad thoram Uxoris revocari; *si Uxor non transeat ad religionem*, aut promittat continentiam perpetuam; ergo si hoc etiam Uxor præstet, valebit ejus professio, etiam ignorante, consequenter non consentiente Episcopo facta.

§. 1.

An Conjugatus validè profiteatur Religionem cum sola licentia alterius?

DUo, cum *sola* licentia alterius; atq; adeo, esto alter nec edat votum perpetuæ continentiæ, nec Religionem ingrediatur? Requiri etiam alterutrum, *ut licite profiteatur*, deduci potest ex juribus supra relatis à n. 2827. Sed quæstio est, an, præter alterius licentiam, saltem alterutrum, ad *valorem* professionis, cum alterius licentia factæ id requiratur? loquor autem de alterius licentia, seu consensu liberè dato, & concesso, ut 2832

alter

alter in Religione professionem edat; quo posito, 1º. professionem sic factam esse validam, esto remanens in sæculo nec perpetuam continentiam voveat, nec Monasterium, vel Religionem ingrediatur, ratio hujus est, quia nullo jure irritatur talis professio cum licentia alterius conjugis facta, tametsi dans licentiam nec perpetuam continentiam voveat, nec Religionem ingrediatur.

2833 Ratio etiam desumi potest ex ipsâ juris dispositione. 1. ex c. *Agathosa.* 21. 27. *q.* 2. ubi resolvitur, quòd, si dicta Mulier Agathosa marito suo licentiam dedit edendi professionem religiosam, *ipsa verò se mutare promisit*, Vir debeat in Monasterio remanere; *& ipsa compelli, ut, quod promisit, impleat*; ex hac autem resolutione sequitur, professionem mariti validam fuisse, cum consensu Uxoris factam, esto hæc nec votum castitatis emiserit, nec religionem, seu conversionem susceperit; nam promissio futuræ conversionis non est conversio. 2. c. *Ex parte*, ubi Vir in infirmitate, de consensu Uxoris facto continentiæ Monachalem habitum assumens (esto nunquam intraverit Monasterium) indepta valetudine, retinens Uxorem, ac eâ mortua ducens aliam, jubetur hac dimissâ, transire ad Monasterium. Valuit igitur cum Uxoris licentia emissum votum illud cum assumptione habitus monachalis in vim legitimæ professionis (aliàs enim secundum matrimonium non fuisset irritum, nec sub censura compelli potuisset ad Monasterium) & tamen Uxor nec continentiam vovit, nec Religionem intravit.

2834 Dices: in pluribus locis hujus tituli habetur, quòd unus conjugum, post matrimonium consummatum, non possit religionem ingredi, & in ea professionem emittere, nisi alter conjunx det licentiam: & tunc si hic sit senex, & extra incontinentiæ periculum, secundùm Episcopi judicium versetur, in sæculo permanere permittitur: dummodo in facie Ecclesiæ, videlicet coram Episcopo, & testibus perpetuam continentiam voveat: Sin autem conjunx remanens sit juvenis, aut non extra incontinentiæ periculum, versari videatur; etiam ipse Religionem ingredi debet prout apertè colligitur ex juribus relatis supr. à num. 2827. &. ex his rectè sequi, nullum conjugem posse *licitè*, etiam consentiente altero, Religionem ingredi, ac profiteri, nisi remanens vel emittat votum continentiæ, & Religionem ingrediatur, quando est periculum, vel suspicio incontinentiæ; vel saltem edat votum continentiæ, si jam sit senex, & extra suspicionem incontinentiæ: vel demum ambo convertantur, & Religionem ingrediantur; sic jura superius allata: Cæterùm esto dicant, sine dictis conditionibus *non posse fieri professionem ab altero*, illud tamen *non posse* non importat dispositionem annullativam actûs, ut constat ex dict. sed præcisè prohibitivam.

Not. præterea, ut professio unius è 2835
conjugatis licitè fiat, requiri, quòd alter, remanens in sæculo, *emittat*, vel saltem *promittat* emittere votum continentiæ perpetuæ, vel ambo convertantur; ubi tamen nota, non requiri determinatè utriusque ingressum ad Monasterium; sed si Uxor remanens in sæculo sit senex & sterilis (ratione ætatis, non naturâ ut ait gloss. in c. *Cum sit.* V. *sterilis*) sufficere, quod emittat votum continentiæ perpetuæ, licet remaneat in sæculo, modò absit suspicio de incontinentia, ut habetur c. *cùm sis*, ibi: *verùm si ita Uxor senex est, & sterilis, quod sine suspicione possit esse in sæculo*, & cit. c. *Uxoratus*; ibi: *si autem talis, quæ suspicione non careat*: & in cit. c. *Ad Apostolicam*; ibi: *nisi fortè sit ejus ætatis, ut sine suspicione valeat in sæculo remanere.* Et in c. *significavit* 18. h. t. ibi: *si est ita & est talis ætatis, de qua suspicio haberi non possit*; ergo, ujuscunque ætatis sit conjunx remanens in sæculo, si tamen de eo sit suspicio incontinentiæ, non sufficit, quòd votum perpetuum continentiæ ediderit; quia Canones periculo incontinentiæ consulere voluerunt.

Si tamen Uxor, præsertim Juvenis, 2836
quæ Viro dedit licentiam profitendi religionem, esset suspecta de periculo incontinentiæ, ut posset vir ejus, etiam cum ipsius licentia licitè profiteri eâ etiam cum voto perpetuæ castitatis remanente in sæculo, sed simul opus foret, quod & ipsa *intraret Monasterium*; constat ex c. *cùm sis* de quo supra &c. *Uxoratus*, ibi: *neque sufficit uxorem licentiam dare, nisi integræ opinionis existat, ita, ut*

nulla

nulla sit suspicio, illam ad secunda vota, vel alias nuptias transituram, vel incontinenter victuram; cum enim illa in propria domo, cum filiis suis, & familia, poterit permanere, si publicè in Ecclesia votum continentiæ edat. Sin autem talis fuerit, ut incontinentiæ suspicione non careat, tum à seculari hominum conversatione remota, in loco religioso, ubi DEO serviat, edito voto continentiæ, perpetuò commoretur, & c. *ad Apostolicam*, relato in præmissis.

2837 Ex hoc nascitur quæstio, an, quando ad licitam Viri professionem non sufficit licentia Uxoris, & emissum ab hac votum perpetuæ continentiæ; sed etiam, quod ingrediatur Monasterium, prout hoc exigitur, ubi est suspicio de periculo incontinentiæ, si remaneret in seculo; an inquam, hoc intelligatur de ingressu Religionis *per professionem?* an de solo ingressu per *commorationem* in Monasterio, citra obligationem seu amplexum ipsius statûs religiosi?

2838 Ad hanc quæstionem sic respondet Pirhing *h. t. n. 5. §. not.* 2. ad licitam professionem conjugati non satis est, si alter conjux sit adhuc juvenis, & religionem ingrediatur, ut ibi incluſus à vagationibus arceatur: sed requiritur, ut etiam *professionem emittat*, ut colligitur ex c. *Uxoratus* 8. ibi: *& in loco religioso, ubi DEO serviat, perpetuò commoretur, h. t.* Nam, si ingrederetur solùm ad vitandas suasiones vagandi, includeretur in Monasterio velut in carcere: non autem intraret, *ut DEO serviat.*

Idem, ait, clarius haberi, ex c. *cùm sis*, 4. *h. t.* ibi: *nisi uterque ad Religionem migraverit, h. t. & ex c.* 1. *eod.* ibi: *nisi Uxor ad Religionem transierit*; non autem transit, *si non profiteatur, & ex c. Agathosa* 21. *in fine*, ibi: postquam copulatione Conjugii Viri, atque mulieris, unum corpus efficitur, non potest *ex parte converti, & ex parte in seculo remanere:* at non dicitur *converti*, sed *in seculo manere*, si non *profiteatur.* Abb. in *cit. c. Uxoratus, n.* 3. & in c. *Accedens* 17. *n.* 2. *h. t.* ubi ait, in illo cap. narrari factum, non statui jus, Sanchez *cit. D.* 32. *n.* 4.

2839 Sed his non obstantibus, magis placet sententia P. Henrici Wagnereck, in c. *Uxoratus.* 8. *h. t.* qui in Exegesi ad ea verba *in religioso loco commoretur*, quæ habentur in eo c. à nobis relato superius notat, dubium esse, an, cùm jubetur conjunx, quæ viro licentiam dedit Religionem ingrediendi, sed juvenis aut suspecta teneatur *ita in loco religioso commorari, ut Religionem profiteatur*, vel, ut ibi maneat *custodiæ causâ*, ad vitanda incontinentiæ pericula subjungit: *mihi placet, non teneri ad profitendum*, nisi emiserit votum Religionis, sed solùm ad manendum in Monasterio custodiæ causâ, ut sentit Innoc. c. 1. V. *servare* &c. *significavit inf. Archid. c. qui uxorem* 33. *q.* 5. *n.* 2. Palacius 4. *D.* 27. *d.* 2. qui addit reclusionem duraturam, quo usque sit senex, & cesset incontinentiæ suspicio. Ratio fundamentalis est; quia contra propriam voluntatem nemo cogi debet ad professionem religiosam. c. *Integram.* 32. *q.* 2. Si qui autem Canones videntur imperare ipsam *professionem*, debent & possunt ita explicari, ut necessitatem professionis religiosæ non inducant, quidquid in contrarium doceant aut distinguant alii cum Sanchez *l.* 7. *Matr. D.* 32. *à n.* 27.

Nec aliud evincunt rationes in contrarium allatæ à n. 2838. ad 1. ex c. *Uxoratus* 8. ea verba: *in religioso loco commoretur, ut DEO serviat*, sufficienter verificari subtractione occasionem vagandi; quia ibi non requiritur *actuale servitium divinum* (aliàs, si etiam professa hoc omitteret) professio alterius non valeret; sed solùm intelligitur major occasio ad DEO serviendum, quàm esset manendo in seculo; quod utique habetur commorando in loco religioso præcisis occasionibus externis vanitatum, de quibus periclitari suspecta est. 2840

Ad alterum ex c. *cùm sis*, & similibus 8. ea verba: *ad Religionem migrare*, vel *transire*, aut *converti*, non importare determinatè actum professionis in Religione, vel obligationem ad illam; & rectè intelligi de transitu ad Religionem, hoc est Religiosum claustrum, seu locum, vel in eo etiam profitendo vitam regularem; vel solùm *commorando* inter Regulares, ut præcisis seculi vanitatibus divino quis obsequio commodius serviat, & à periculis peccatorum remotior sit; nam & hæc vera conversio, cum à periculis, & vanitate homo se segregat, ac recipit in locum illis non expositum.

2841 Præter dicta *not.* 1. esto non requiratur Episcopi licentia, ut unus conjugum cum alterius licentia *validè* profiteatur in Religione, ut diximus superius, requiri tamen, ut *licitè* profiteatur, propter præceptum Ecclesiæ; 2. ne revocari possit ex Monasterio, sicut revocari potest, quando conjunx, qui dedit licentiam, manet in seculo sine voto continentiæ, de quo V. Sanchez *l.* 7. *D.* 32. *à n.* 2. nam, si professus esset, altero remanente in seculo, priusquam iste votum continentiæ emisit, etiam sine licentia Episcopi revocari poterit; quia jus non permittit, unum esse in Religione, alterum absque voto alterius in seculo, de quo V. Wagnereck ad c. *Præterea* 1. *h. t. à §. Not.* 2.

2842 *Not.* 2. Etsi quidam velint, quando conjunx manens in seculo votum castitatis emittit, sed juvenis est, aut de incontinentia suspectus, posse professum revocari, ut *juxta h. t.* sentit *gl. in c. significavit. infr. & seq.* Host. *in sum. h. t. n.* 8. item in c. *significavit. n.* 2. ac Joan. Andr. *ibid. n. ult.* quia manens in seculo non præstitit, quod de jure requiritur (deberet enim, si juvenis est, & in periculo incontinentiæ, non solùm vovere castitatem, sed Religionem intrare. c. *Cùm sis* c. *Uxoratus.* c. *Cùm ad Apostolicam*) verius tamen esse, (quod cum multis aliis tenet Sanchez *cit. n.* 9.) quod conjunx, quantumvis juvenis, manens in seculo, si non solùm alteri sponte concedat licentiam profitendi, sed etiam voveat castitatem, cessit jure suo, &, licet dicti Canones requirant in juvene ingressum quoque Religionis, non tamen ideo concedunt facultatem alterum ex Monasterio revocandi, si id non fiat; neque pugnat cum hoc titulo; nam iste solùm eo casu revocationem concedit quando conjunx alter Religionem non intravit, aut votum perpetuæ castitatis non emisit, alii verò Canones de revocatione nihil disponunt.

2843 *Not.* 3. in quæstione, an, quando conjunx, qui dedit alteri licentiam profitendi religionem, manet in seculo, & nec continentiam vovit, professus ad hanc possit revocari? probabiliorem videri sententiam, quæ distinguit, & docet, si uxor conscia sit, ad quid de jure teneatur post datam licentiam, non esse locum huic revocationi, secus, si illius sit ignara. Quia, si habitâ hâc notitiâ, nihilominus dat licentiam, censetur eo ipso vovere, & ad id se obligare, quod ad irrevocabilem viri ingressum requiri novit; secus est, si hujus juris sit ignara; videtur enim fœmina per ignorantiam excusari; secùs est de viro, quia ignorantia facti, non juris excusat, ut habet reg. juris in 6. sed idem dicerem de viro valde rudi, aut talis notitiæ parùm capaci, ita Sanchez *cit. n.* 14.

Not. 4. professum in casu, quo revocatur ad alterum in casibus, ubi hoc fieri debet juxta præmissa, teneri quidem alteri petenti reddere debitum; quia per hoc illi jus suum sublatum non est, nec usus ejus ullo voto, vel præcepto interdictus, si continentiam non vovit; non tamen posse petere, quia quoad usum sui juris voto solemni continentiæ in professione, facto sibi, non alteri præjudicavit; quia tamen per illum reditum non tollitur vinculum religiosæ professionis, ut rectè notat Sanchez *cit. n.* 5. contra Palacium, & Vegam: Uxore mortuâ tenebitur reverti ad suam Religionem, quod etiam videtur dicendum, si Uxor ipsa sub hoc ederet continentiæ votum, vel profiteretur Religionem. 2844

Not. 5. si unus conjugum cum alterius consensu annum probationis in Monasterio ingressus, & necdum finito, nec probatione factâ revertatur ad seculum, eum teneri redire ad alterum, qui remansit in seculo, esto is votum continentiæ emisisset, tum quia in hoc casu votum illud censeretur emissum dependenter à professione secutura, tum qui alteri non profitenti præjudicare nec debuit, nec potuit, si professio non sequeretur. 2845

§. 2.

An unus Conjugum, altero invito religionem professus, teneatur ad perpetuam continentiam.

2846 QUæstio procedit de professione post matrimonium consummatum, factâ, *ignorante*, vel *invito altero*, atque adeo sine licentia illius. Talem porro professionem esse irritam, ac nullam, constat ex dictis, & habetur 33. *q.* 5. *c. Una* in 6. juncta gloss. in c. *Placet.* 12. *h. t. V. usquequaque non tenuerit*, quæstio tamen est, an, licet illud votum *solennis continentiæ*

nentiæ in ejusmodi professione nulliter factæ talem conjugem non obliget *in vi professionis*, seu *voti solennis*, obliget tamen *in vi voti simplicis?* Hæc quæstio continetur in c. *Placet*, cit. Cùm enim Cœlestinus III. consultus esset, an mulier, quæ credens mortuum maritum, habitum religionis assumpsit, eoque reverso, de Monasterio educta, *post obitum viri ad Religionem compellenda sit?* respondit: *votum mulieris fuisse obligatorium, quatenus se poterat obligare, videlicet se non exacturum carnis debitum, quod erat in ejus potestate; redire verò ad seculum, non in ejus, sed mariti potestate erat, & ideo quoad ipsam tenere votum, nec post viri obitum* desiisse, imò ad eum casum, à quo poterat incipere, perveniisse. Consultius itaque esse, ut ad Monasterium redeat; si verò ad hoc induci non possit, credit Pontifex, ipsam invitam non esse cogendam.

2847 Ex hac responsione Pontificia, quæ etiam habetur in c. *Quidem* 3. eod. plures deducunt, votum castitatis, post matrimonium consummatum, etiam in religiosa professione emissum ab uno conjunge, absque alterius licentia, valere, & obligare voventem quoad ea, quæ sunt in suum præjudicium, ut sunt, redire ad seculum altero ipsum non repetente à Religione; vel si repetatur (cùm talis professio in vi professionis nulla sit) & ad alterum redeat, petere debitum; vel eo mortuo licitè inire matrimonium; ita complures apud Barbos. in *dict. c. Placet n.* 1. *& seqq.* imò Diana *tom.* 2. *tr.* 7. *resolut.* 51. cùm quidam ex metu professus assereret, sibi ex hoc non esse interdictum matrimonium inire, respondet, ipsum toto cælo errare; quia, licet votum castitatis quod professionem faciens per se, & principaliter emittit, non valeat ut solenne, valebit tamen eo modo quo valere potest, nempe tanquam simplex, pro quo allegat hoc ipsum cap. *Præterea.* Palud. *in* 4. *D.* 37. *q.* 1. *à* 2. Sanchez *l.* 7. *D.* 27. *n.* 13. Tiberium *Instruct. ordinand. c.* 11. *q.* 80.

2848 Verùm hæc doctrina non potest admitti. Nam, quando dicitur in casu dato, votum nulliter professi emissum in professione sine licentia alterius conjungis valere eo modo, quo valere potest juxta c. *Unicum*, de desponsi. impub. in 6. intelligitur de voto, quo quis seriò & *sponte intendit profiteri*, non autem, si coactè, etiam coactione solùm conditionali, seu ex metu gravi; talis enim revera nec præsumi prudenter potest, se velle obligare omni modo, quo potest; sed ad summum, quo debet, ut malum, quod metuit impendêre sibi cœteroquin, evitet. Quare dicendum, professum ex metu sine alterius conjugis licentia, non teneri etiam voto simplici ad non petendum debitum; nec prohiberi à secundo matrimonio soluto primo; nec altero mortuo teneri ad religionem redire, si evocatus est ab altero, & etiam non repetitum, posse de Religione abire.

Aliud dicendum, si revera seriò, spon- 2849
te, ac liberè professus est; nam, esto tali casu, professio, sine alterius licentia, in Monasterio emissa, sit irrita, nec in eo producat obligationem *voti solennis*; obligabitur tamen in vi voti simplicis, consequenter, ut esto ab altero repetitus, teneatur illi petenti reddere debitum; tamen exigere non possit; nec licitè, etiam mortuo altero, ineat aliud matrimonium, cùm in hoc sibi præjudicare potuerit, & merito, juxta cit. c. *unicum*, præsumatur, voluisse voto illo se obstringere eo modo, quo valere potuit; cùm ergo valere potuerit saltem in his, quæ sunt in ipsius voventis præjudicium, atque adeo in vim voti simplicis, rectè censendus est, eum (etiam stante nullitate professionis) teneri voto simplici in suum præjudicium; quia tamen hoc votum non importat vim dirimendi matrimonium eo stante contractum; aut obligationem permanendi in Religione, mortuo altero illicitè quidem, sed valide contrahit aliud matrimonium, nec in religione permanere; aut, si ab altero repetitus fuit, eo defuncto ad religionem redire tenebitur. Sanchez autem *l.* 7. *D.* 27. *n.* 13. pro ea sententia (ubi quis profitetur *ex metu*) in cujus favorem illum adducit Diana, nullum omnino verbum habet.

ARTICULUS II.

An, & qualiter conjugatus possit suscipere sacros ordines?

RESP. non posse licitè, sine alterius li- 2850
centia; constat ex c. *Conjugatus.* 5.

h. t. de quo superius n. & c. *Sanè. 6. eod.* ibi: *Sanè, si conjugati consenserint ordinari, Uxoris voluntas prius est requirenda*; ubi subjungitur: *Authoritate Apostolica prohibemus, ne Uxoratum præsumatis in Episcopum ordinare, nisi uxor prius professa continentiam, sacrum sibi velamen imponat, & religiosam vestem assumat.* Cœterùm circa hanc & similes juris dispositiones, dubitari potest, 1. an conjugatus, sine consensu Uxoris non tantùm illicitè, sed etiam invalidè recipiat sacos ordines? 2. an hoc intelligatur de conjugato solùm post matrimonium consummatum? 3. an procedat de 4. minoribus ordinibus? 4. an requiratur, quòd Uxor, præter licentiam Viro datam, aut continentiam voveat? aut religionem ingrediatur? 5. an susceptione sacri Ordinis dissolvatur prius matrimonium consummatum? 6. an saltem ratum tantùm? 7. an dirimatur contrahendum, vel contractum post susceptos Ordines? 8. an Uxor Virum sine ipsius licentia in sacris ordinatum possit repetere? 9. an talis, etiam Presbyter, Uxori redditus, teneatur petenti debitum reddere?

2851 Ad 1. R. Quod recipiat quidem illicitè; sed non invalidè; nam valor ordinationis non pendet à consensu Uxoris, sicut valor professionis; votum enim continentiæ in præjudicium Uxoris irritum est; ubi autem non stat votum continentiæ, non stat valor professionis, cùm tale votum sit de essentia statûs Regularis, non autem Clericalis, ut ostendimus *lib. 4. decret.* Ad 2. R. negativè, nam textus indefinitè loquitur de conjugatis, ut constat ex c. *Sanè* in n. 2850. & ratio est, quia talis mutatio statûs quantumvis nondum cognitæ Uxori præjudiciosa est, ergo sine consensu ejus, Viro illicita est, etiam stante matrimonio rato tantùm. Ad 3. R. affirmativè ex c. *fin.* de temporibus ordinat. in 6.

2852 Textus sic habet: Nullus Episcopus, vel quivis alius infanti (nisi fortè religionem intraret) seu illiterato, sed nec absque sui licentia homini diœcesis alienæ *Clericalem præsumat conferre tonsuram; nec etiam conjugato, nisi volenti religionem intrare*, aut ad sacros ordines promoveri: prout est sacris Canonibus definitum. Qui verò contra fecerit (ut in eo, in quo peccaverit, puniatur) per unum annum à collatione clericalis tonsuræ duntaxat noverit se suspensum. Ex hoc textu deducitur communiter, quòd nullus Episcopus alicui conjugato, non ingredienti Religionem licitè conferre possit *primam tonsuram*; secùs, suspendi per annum ab ejus collatione, ut constat ex textu, & cum communi tenet Sanchez *l. 7. enarr. D.* 38. *à n.* 6. adeoque nec ordines minores; nam vel talis Vir vult ingredi religionem, vel non vult? si vult post *matrimonium consummatum*, eget licentia Uxoris, adeoque etiam ut recipiat tonsuram, cùm solùm titulo talis ingressûs licitè tonsurari possit. Si ante matrimonium consummatum, non egebit quidem licentia Uxoris, sed illicitè recipiet tonsuram, si solùm simulet se ingressum, & assumendo statum clericalem, præjudicet Uxori, ratione statûs noviter assumpti, licet non simpliciter incompatibilis cum matrimonio. Si autem non vult ingredi religionem, prohibitus est à prima tonsura, vi dicti c. *Nullus, fin. h. t.*

Ad 4. R. ut recipiat *sacros* ordines 2853
(non numerando inter hos *Episcopatum*) sufficere, quod ab Uxore continentiam vovente sit absolutus, per c. *Conjugatus 5. h. t.* Sed quæstio est, an Uxor cum voto perpetuæ continentiæ possit remanere in sæculo? respondit Pirhing h. t. 59. sufficere, si sit senex, & versetur etiam extra periculum incontinentiæ, id, quod etiam notavimus in præmissis, si verò sit Juvenis, vel de incontinentiæ periculo suspecta, *teneri etiam Religionem profiteri*; probat hoc ex glossa, ut ait, à plerisque recepta in c. *Conjugatas V. ab uxore* Abbas ibid. *n.* 4. Sanchez cit. *l. 7. dis.* 39. *n.* 6. & sumitur ex c. *Episcopus* 6. *dis.* 77. quod est desumptum ex concilio Agathens. *c.* 16. & 17. ubi dicitur, *sanè, si conjugati Juvenes consenserint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda est, ut sequestrato mansionis cubiculo, Religione promissa, postea quam pariter conversi fuerint, ordientur*; ubi etsi Gl. V. *Religione* dicat; eo nomine intelligi castitatem, hæc tamen expositio violenta est, & vim infert literæ; sicut ergo, si vir ingrediatur Religionem, sufficit, si uxor sit senex, & non suspecta de incontinentia, ut votum continentiæ edat in sæculo: si verò Juvenis sit, vel suspecta de incontinentia, requiritur ingressus

ſus ipſius in Religionem, juxta c. *cùm ſit.* 4. c. *uxoratus* 8. *c. ad Apoſtolicam* 13. h. t. ita idem dicendum, ſi vir ad ordines promoveatur.

2854 Verùm, ſi dictus Author velit in hoc caſu, ubi vir de licentia Uxoris juvenis & ſuſpectæ de periculo incontinentiæ, ſuſcipit ordines, requiri non tantùm, quòd mulier illa voveat continentiam, ſed etiam *religionem ingrediatur*, hoc eſt, *fiat verè religioſa*, probabilius negatur ex dict. neque hoc evincunt rationes allatæ; nam *religionem profiteri*, dupliciter intelligi, ac exponi poteſt 1. ſtrictè, pro eo, quod eſt fieri religioſum; 2. recipiendo ſe à vita, & converſatione, ſeu commoratione inter ſeculares ad vitam intra clauſtra religioſa, ac perſonas religioſas, præciſis actionibus & periculis ſeculi, ut diximus n. cit. & hoc ſenſu in præſenti rectè accipi, ly *religionem ingredi*, cùm hæc expoſitio funderur in ipſo jure, de quo n. cit. probabilius dicitur, cùm ſic jura juribus concilientur, & concordent.

2855 Ad c. *Epiſcopus* dist. 77. ex CC. Agath. R. rectius colligi textum *religione promiſſa*, de voto continentiæ (cum *promiſſa religione* ad aliquod teneri, rectè intelligatur de voto) id, quod textus ſatis clarè inſinuat, ibi: *ſequeſtrato manſionis cubiculo*, hoc enim ſolùm denotat, eam debere religionem promittere ſic, ne vir maneat, vel habitare poſſit cum Uxore, ut exponit Barboſa in dict. c. *Epiſcopus*; & apud eum Barthol. à S. Fauſto *l.* 5. *q.* 118. ſi enim textus vellet, quod talis mulier fiat religioſa, opus non erat cavere, ut ſequeſtretur manſionis cubiculum, cùm hoc aliunde certum ſit, quòd mulier, religioſa facta, à virò ſequeſtrata etiam domo, & non tantùm cubiculo, vivere debeat; potius igitur textus loquitur, *ſi maneat in ſeculo*, hoc eſt in ſeculari domo inter ſeculares; quia textus ille non loquitur de noſtro, quod hoc caſu tantùm particulari mulieris juvenis, ſed æque de caſu mulieris ſenis, & non ſuſpectæ de periculo incontinentiæ, ſed relatè ad hanc ly *religione promiſſâ* non ſignificat *fieri religioſum*, ergo nec relatè ad illam, ex vi hujus textus.

2856 Unde negandum, expoſitionem Gloſſæ V. *Religione*, eo nomine intelligi, *religionem*, ſeu *votum caſtitatis*, eſſe violentam; quia ſi idem eſſet, ac *religioſum* fieri, etiam mulier ſenex, & non ſuſpecta de incontinentiæ periculo, deberet promittere religionem, hoc eſt, religioſa fieri vi c. *Epiſcopus*; nam hoc æque loquitur de hac, ac de altera, nimirum generaliter, ut patet ex ejus verbis in n. 855. Et quamvis dictus Author citet P. Sanchez *l.* 7. *D.* 39. *n.* 6. ratio tamen ex illo deſumpta non probat: cùm enim ait cit. n. 6. ſi Uxor juvenis profeſſi compellitur ingredi religionem, à fortiori Uxor promovendi ad ordines. Nam R. N. ant. ex n. 2839. Ad id, quod additur, facilius clericum ſæcularem poſſe inviſere Uxorem, & conſervato priſtino amore, eâ familiariter uti; unde potentiſſimo periculo incontinentiæ exponentur, & tantùm aberit, ut moraliter loquendo ipſe vir clericus factus Uxorem inviſens ejus incontinentiam corrigat, ut potiòr occaſio incontinentiæ ſit ipſemet ejus curam gerens. R. totum hoc caveri, ſi Uxor cum voto continentiæ perpetuò vivat intra Monaſterium inter Regulares, quin fiat Religioſa; cum ipſe Sanchez, jam citatus, propter periculum incontinentiæ in Uxore juvene, tantum urgeat, *ne maneat in ſeculo.*

Ad 5. R. negativè ex dict. *l.* 4. *decret.* 2857 à fortiori, ut mox dicemus in reſponſ. ſeq. Ad 6. R. pariter quòd non, de quo V. dicta eod. lib. 4. Ad 7. R. quod ſic ex ibid. dict. Ad 8. R. quod poſſit, ex *n.* 2846. Ad 9. affirmandum eſt; quia, eſto quantum eſt ex ſe, ſincerè voviſſet caſtitatem in ſuſceptione ordinum, & hoc, ſi non in vim voti ſolennis, ſaltem in vim voti ſimplicis valuiſſet in ſuum, non tamen Uxoris præjudicium ex dict. ſupr. quod intellige, ſi validè ſacros ordines ſuſcepiſſet, nam ſi invalidè (puta ſi ordinans ſe finxit Epiſcopum, cùm in re non eſſet) controverſum tamen eſt, an talis, qui verè ordinari voluit, ſed invalidè ordinatus eſt, teneretur voto ſimplici caſtitatis? affirmativam ſequitur Joannes Andreas, Dominicus, Brunellus, & alii apud Sanchez *tom.* 2. *de Matr. l.* 7. *D.* 27. *n.* 13. quorum ratio eſt; quia profitens in religione, quam falſo exiſtimabat approbatam, vel aliàs invalidè, tenetur ob ſuam profitendi intentionem voto ſimplici caſtitatis. c. *Quidam* & c. *Placet* de converſ. conjug. ſimiliter ergo invalidè ordinatus tenebitur ob intentionem vali-

dum ordinem suscipiendi, simplici castitatis voto. Et confirmatur, quia procedit in hoc casu ratio decisionis illorum textuum, nimirum, ut actus, qui non valet eo modo, quo fit, valeat modo, quo valere potest: juxta textum cap. *unico*, &. *porrò*, *de desponsat. impub. in* 6.

2858 Verùm, contrarium probabilius est; ratio sumitur, ex discrimine inter statum Regularem & Clericalem; quod votum continentiæ sit inclusum, ac essentiale statui Regulari; non autem Clericali, uti tradidimus cum D. Thoma, & aliis *lib.* 4. *Decretal. tit.* 34. est ergo differentia inter invalidè *professentem*, & invalidè *ordinatum*; quia, cum castitas sit essentialiter inclusa in statu seu professione religiosa; non autem in statu Clericali seu susceptione Ordinis sacri, sed ex statuto Ecclesiæ, tanquam accessoria statui, & tacitè in ejus susceptione promissa: hinc est, ut professus in religione emittat per se, & principaliter votum castitatis: quamvis ergo non valeat, ut solenne propter aliquem defectum, valebit eo modo, quo valere potest, nempe, ut simplex: at suscipiens ordinem sacrum non emittit per se, & principaliter, votum castitatis, sed accessoriè, & in consequentiam status, ob Ecclesiæ constitutionem. Quando igitur principale non valuit, id, quod venit in consequentiam, nullum effectum producere potest, *L.* 3. §. *finali*, *ff. de serv. rustic. præd. L. cùm principalis*, *ff. de regul. juris*; & ita tenet Sanchez *tom.* 2. *Matr. l.* 7. *D.* 27. *n.* 13. cum Paludan. Gabriele, & aliis, ibid. relatis.

ARTICULUS III.

De reliquis ad hunc Titulum pertinentibus.

2859 Cùm inter Conjuges, præter ea, quæ jam diximus, evenire possint diversi casus alii, de quibus agitur hoc titulo, paucis eos proponemus; prima igitur quæstio est, an, si unus Conjugum vovit continentiam temporalem, v. g. ad annum, de alterius quidem consensu, sed non vicissim edentis votum continentiæ perpetuæ, elapso tempore, ad quod illius votum porrigebatur, teneatur alteri rursum cohabitare, ac debitum reddere? R. quòd sic, ex c. *Charissimus.* 11. *h. t.* ubi Cœlestinus III. mandat, ut, si Uxor in gravi infirmitate continentiam voverit, & vir ad tempus præbuerit consensum, maximè si non idem Vir continentiam voverit perpetuam, ut eandem Vito cohabitare faciat ille (scilicet Episcopus) ad quem hæc decretalis dirigitur.

Altera quæstio est, an, si ambo con- 2860
juges de mutuo consensu continentiam voverunt, & unus de alterius licentia Religionem professus est, remanens, seu Religionem non ingressus, professum à Religione revocare possit? hic casus continetur in c. *Dudum* 20. *h. t.* cùm autem casus sit prolixior, quantum est ad præsens institutum nostrum, hæc illius Summa est: Pontifex *Monialem quandam*, *quæ impetrata à Viro licentiâ*, *Monasterium ingressa*, *& Religionem professa fuerat*, *ab impetitione ejusdem viri* (qui cum castitate promissâ cujusdam hospitalis obsequio se devovisset, facti pœnitens illam revocare volebat) *penitus absolvit*, ipsumque virum, perpetuo silentio illi imposito, à consortio secularium jubet recedere, quia proponebat se illius ætatis esse, ut sine suspicione incontinentiæ non valeat in seculo remanere, ex quo colligitur dicendum negativè ad propositam quæstionem.

Tertia quæstio, an, si unus conjugum 2861
factus sit adulter, alter innocens, ipso etiam invito, possit transire ad Religionem, vel sacros ordines suscipere? R. quòd sic ex c. *Constitutus* 15. h. t. Nam, cùm quidam Acolythus H. quandam puellam R. duxisset Uxorem, eamque cognovisset; amici verò puellæ propter discordiam inter eum, & ipsos, puellam alteri V. copulâssent, & ipse Presbyter ordinatus Ordinem Cistercienscm intrâsset; Pontifex re ad se delatâ, *prædictam mulierem à dicto V. recedere*, *ipsamque ne prædictum Monachum impeteret*, *per censuram cogi mandavit.* Cœterum, qualiter conjuges possint mutare statum post sententiam divortii? diximus *l.* 4. *decret. à n.* 1583. & an innocente Religionem professo, etiam Reus teneatur Religionem profiteri? ibid. 1582. Circa hoc ex dict. c. *Constitutus* habetur, quod divortium perpetuum, legitimè celebratum, innocenti (præter jus divertendi, & acquirendi dotem, ac dotalitium nocentis) tribuat etiam jus ingrediendi statum religiosum, ac in eo profitendi, vel assumendi sacros ordines, vel etiam in seculo votum simplex castitatis emittendi; ut

jam

jam alibi diximus, & notat etiam Tambur. *l.* 8. *de mat. l.* 6. *c.* 3. §. 1. *n.* 5.

2862 Hinc, si quæras, an conjunx innocens possit adulterum à se dimissum, iterum revocare, & hic teneatur ad eum redire? R. si neuter mutavit statum, Reum non posse, & hunc, teneri, quamvis sententia divortii præcesserit. Quia, cùm sententia divortii facta sit in favorem innocentis, non debet in ejus damnum retorqueri ex universali lege, *quod favore* 6. Cod. de Legibus; ita Sanchez *l.* 10. *D.* 10. *n.* 3. Adulterii enim pœna non debet adultero immunitatem tribuere *L. Relegator* 7. ad fin. ff. de interdict. & relegat; Secùs est, si innocens mutavit statum; ut, si suscepit ordines &c. sic enim jus illud à se abdicavit, cùm ille status sit immutabilis, & cum matrimonio incompatibilis; hinc suppositâ hac innocentis mutatione quoad statum, potest etiam adulter mutare statum: sed, quid si innocens, in seculo manens, emisit solum votum simplex castitatis? Respondet Sanchez *n.* 6. tunc posse repetere; quia sic non abdicat se per hoc votum jure suo, & non privatur jure justitiæ, quod habet, ut teneatur alter reddere, si ipse petat.

2863 Difficultas est, an adultera, postquam statum jam mutavit, teneatur redire ad Virum innocentem si ipsam repetat? pro hoc supp. 1. adulteram non posse (ante sententiam) mutare statum in præjudicium Innocentis, quia delictum ipsius non debet illi commodum præstare. *L. itaque ff. de furtis*, & est inter Doctores commune, Supp. 2. quando sola sententia Judicis Laici præcessit, detrudens adulteram in Monasterium, ut agat pœnitentiam, (ut habetur in Auth. *& hodie* Cod. ad Leg. Juliam de adult.) antequam profiteatur, posse eam à viro revocari; elapso autem biennio non concedi illi, invito Viro veniam profitendi; Nec enim privatur vir jure illam revocandi, etiam elapso biennio, non emissâ per uxorem professione: Vid. Sanchez. *D.* 10. *n.* 8. quia, quamdiu res manet integra, jus illud manet penes innocentem; biennium autem in Authent. solùm apponitur tanquam terminus, intra quem dimissæ liceat profiteri, his positis:

R. non licere conjugi adultero, etiam latâ Canonicè sententiâ divortii, invito, ac contradicente innocente, profiteri religionem, hinc, si ingrediatur, potest revocari. Adulter enim innocenti, volenti, reconciliari tenetur, & juri Innocentis præjudicare nequit professio, ergo: ita Sanchez *n.* 12. Idem dic, innocente ignorante, & inconsulto; cùm enim is jus habeat non admittendi illi mutationem status, ipso inconsulto assumi non potest, sic Sanchez *n.* 13. cum D. Thoma in 4. *D.* 35. *q. unic. A.* 6. *ad* 3. sufficiens autem censetur licentia, si innocens sciat, quod adulter velit mutare statum, &, cùm ille possit, non contradicat: D. Anton. 3. *p. h. t.* 1. *c.* 21. §. 6. hinc validè mutat statum adulter post divortii sententiam, si id sciat innocens, nec contradicat, intelligè, si possit citra periculum majoris mali. Ut autem adulter de licentia innocentis mutet statum (v. g. *ingrediatur religionem*) non requiritur, ut etiam innocens mutet statum, & religionem ingrediatur, sed potest manere in seculo, ita clarè Sanchez *n.* 15. cum Soto & aliis, quod verum est, licet innocens in seculo remanens nec votum castitatis emittat; ratio est, quia id nullo jure cautum est.

Dices hoc esse contra c. *Sanè* c. *cùm* 2864
sis, c. *significavit* de conversi. conjug. ubi prohibetur mutatio statûs conjugibus, altero in seculo manente absque voto castitatis: R. intelligi, ubi matrimonium est integrum; non verò, ubi læsum per divortium. Cùm enim innocens sic jam liber à jugo debiti conjugalis sit, quin ipse mutet statum, alteri veniam dare potest mutandi.

Dices contra: ergo potest innocens 2865
adulteram, ad Monasterium detrusam, etiam postquam emendata est, ex eo revocare; hoc autem est contra c. *gaudemus* de divortiis, ubi dicitur: quod si mariti, mulieres, quæ lapsu carnis ceciderunt, conversas noluerint recipere, eas oportere manere in claustris acturas *perpetuam* ibi pœnitentiam; ergo. R. dist. ma. si innocens de emendatione mulieris *diligenter commonitus*, noluit eam recipere C. si non commonitus. N. ma. illud autem; non hoc, est contra c. *gaudemus*, ratio est, quia si innocens, de ejus emendatione commonitus, noluit eam recipere, censetur reconciliationi connivens, consequenter veniam concedens, ut ad religionem transeat, hinc adulter emendatus,

datus, & innocente reconciliationem denegante, libere, etiam invito illo, ingredietur religionem, ut docet Sanchez *D.* 10. *n.* 16. *Not.* autem ly *diligenter commoniti*, nam hoc significat *frequentem*, & *seriam admonitionem* innocentis, & requiritur, ut facta sit ab ordinario, ut pat. ex c. *gaudemus.*

2866 Quarta quæstio est, an conjugatus, matrimonio nec dum consummato, possit Religionem ingredi, ac in ea profiteri, etiam invito altero? R. quod sic ex c. *verum*, 2. h. t. ibi: *post consensum legitimum de præsenti, licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere Monasterium* (sicut sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt) *dummodo carnalis commixtio non intervenerit inter eos:* & alteri remanenti (si commonitus continentiam servare noluerit) licitum est ad secunda vota transire. Quia cùm non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, & alter in seculo remanere.

2867 Ex isto textu dubitari potest 1. quo jure professio religiosa dissolvat matrimonia fidelium rata tantùm? 2. quale privilegium Conjugibus concessum sit pro ingressu Religionis ante matrimonium consummatum? 3. an matrimonium censeatur consummatum in ordine ad tollendum hoc privilegium, per copulam, habitam inter eos ante matrimonium contractum? 4. intra quod tempus licitum sit sponsis de præsenti, seu conjugibus ante matrimonium consummatum ingredi Religionem? 5. an privilegium ingrediendi religionem perdat sponsa per copulam primo bimestri vi extortam à sponso? 6. an hoc non obstante licitè ingredi valeat religionem? 7. an, si vi esset oppressa per alium, quàm suum Conjugem? 8. an, si consensisset in ejusmodi copulam? 9. an solvatur matrimonium fidelium ratum tantùm, si vir suscipiat sacros Ordines? 10. an propter adulterium spirituale unius, seu lapsum unius in hæresim, vel Apostasiam?

Ad 1. R. probabilius esse, quod jure 2868
solùm Ecclesiastico, prout fusè ostendimus *lib.* 4. *n.* 445. Ad 2. R. id constare ex c. *Verùm.* 2. *h. t.* de quo etiam V. *Lib.* 4. *à n.* 461. Ad 3. resp. negativè ex *Lib.* 4. *à n.* 460. Ad 4. resp. quod intra spatium duorum mensium, c. *Ex publ.* 20. 7. *h. t.* de quo v. *Lib.* 4. *à n.* 457. Ad 5. resp. quòd sic ex *lib.* 4. *n.* 464. *& seqq.* Ad 6. resp. negativè, per se loquendo, ex *eod. n.* 465. Ad 7. & 8. resp. quòd mulier per talem copulam vel coactam, vel etiam voluntariam non quidem amitteret privilegium, quod primo bimestri ante consummatum matrimonium conceditur Conjugibus, nam adhuc staret matrimonium non esse consummatum; in 1. autem casu fore adulteram materialiter; in 2. formaliter V. *Lib.* 4. *n.* 472. Ad 9. R. quòd non, ex *Lib.* 4. *n.* 288. Ad 10. resp. negativè ex *Lib.* 4. *n.* 1549. ex c. *Quantò.* 7. *de divert.* ibi: *si verò alteruter fidelium conjugum vel labatur in hæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, non credimus, quòd in hoc casu is, qui relinquitur, vivente altero possit ad secundas nuptias convolare,* licet in hoc casu major appareat contumelia creatoris, de quo etiam agitur in c. *Quæsivit.* 2. *de divert.* ibi: *si Conjugem suam ad infidelitatis maleficium traxerit, à Viro poterit separari, ita quod ei nubere alii non licebit: quia licet separentur, semper tamen Conjuges erunt. In viris quoque præsentis sententiæ forma servetur.*

QUÆSTIO XXXIII.

IN TIT. XXXIII. DE CONVERSIONE INFIDELIUM.

2869 EX Rubrica præcedentis, & hujus Tituli colligitur duplicem esse *conversionem*; unam, fidelium ad Religionem, seu statum religiosum; alteram, infidelium ad veram & salvificam fidem; postquam igitur priori titulo actum est de Conversione Conjugatorum fidelium, exponendo, quid juris sit uno eorum ad Religionem, vel etiam statum Clericalem converso; præsenti Titulo traditur, quid dicendum, uno infidelium Conjugatorum converso ad veram fidem?

fidem? Unde quæstio est, 1. an uno infidelium Conjugatorum ad fidem converso, altero remanente, nec illi sine contumelia Creatoris convivere volente, ipso facto solvatur prius matrimonium eorum etiam consummatum? 2. An conversus licitè ineat matrimonium cum fideli? 3. An inito matrimonio cum fideli solvatur prius matrimonium in infidelitate cum infideli contractum? 4. an inire possit matrimonium cum fideli, altero in infidelitate manente, sed volente illi pacificè convivere? 5. An, si Vir infidelis occidat maritum Uxoris fidelis, istius insidiis, & machinationibus, possit postea illam ducere in Uxorem, sin ipsa faciat, ut inito cum ipsa matrimonio talis Vir ad veram fidem convertatur? 6. Cui assignanda sit communis proles duorum Conjugum, uno eorum ad fidem converso, altero in infidelitate remanente?

2870 Resp. hanc materiam ex professo à nobis traditam esse *lib. IV. decret. à n.* 749. *&* 650. Quare ad 1. Resp. negativè ex dictis ibid. *à n.* 755. ad 2. Resp. affirmativè, si alter à converso recedat, ut diximus *loc. cit. n.* 752. ad 3. Resp. affirmativè ex *n.* 755. ad 4. Resp. negativè ex *n.* 759. *§. sequitur.* 3. ad 5. Resp. negativè, ex dict. ibid. *à n.* 997. ad 6. Resp. assignandam esse converso; ex c. *fin.* h. t. Cùm enim Argentinensis Episcopus Gregorio IX. per literas intimasset, quod quidam de Judaicæ cœcitatis errore ad Christum, verum lumen, adductus, Uxore suâ in Judaismo relictâ, in judicio postulavit instanter, ut eorum filius quadriennis assignaretur eidem, ad fidem Catholicam, quam ipse susceperat, perducendus; Uxor autem, responderit, quòd, cum puer adhuc infans existat, propter quod magis materno indiget solatio, quàm paterno, sibique ante partum onerosus, dolorosus in partu, post partum laboriosus fuisse noscatur, ac ex hoc legitima conjunctio maris & fœminæ magis *matrimonium*, quàm *patrimonium* nuncupetur, dictus puer apud eam debet convenientius remanere: Pontifex taliter rescripsit: *cùm filius in potestate Patris consistat, cujus sequitur familiam, & non matris*; & in ætate tali, quis non debet apud eas remanere personas, de quibus possit esse suspicio, quod saluti vel vitæ insidientur illius, & pueri, post triennium, apud Patrem non suspectum ali debeant, & morari: materque pueri, si eum remanere contingeret apud eam, posset illum adducere ad infidelitatis errorem: *in favorem maximè fidei Christianæ respondemus patri eundem puerum assignandum.*

Ex hoc igitur textu communiter dedu- 2871
cunt juris canonici Interpretes, quòd, cum unus Infidelium conjugum venit ad veram fidem, altero remanente in infidelitatis errore, communis proles assignetur converso, sic Vivianus in Rational. *l.* 3. juris Pontific. *pag.* 317. & alii, non obstante, quòd communis proles cœteroquin primo triennio alenda sit à matre (ut communiter tradunt Authores cum Covarr. de sponsal *p.* 2. *c.* 8. §. 6. *n.* 13. & aliis) & post illud à Patre, L. *si quis à liberis* ff. de Liberis agnos. L. *penult.* C. de patria potest. quòd quidem onus propterea ad Patrem, non verò ad Matrem spectat, quia fructus dotis percipit, qui ei dantur ad onera matrimonii supportanda juxta L. *fructus* ff. de jure dot. L. *pro oneribus*, C. eod. Rationem porrò assignat Pontifex, quòd quis non debeat apud eas remanere personas, de quibus possit esse suspicio, *quòd saluti ejus insidientur*; hinc universim notatur, quod quando alter parens infidelis est, tunc infans, etsi triennio minor, est apud patrem fidelem educandus; & quamvis sit major, apud matrem fidelem; ita Sanchez de matr. *lib.* 7. *D.* 73. *n.* 16. Paul. Comitol. *resp. moral. lib.* 1. *q.* 125. à princ. Unde rectè notat Azor *p.* 1. *l.* 8. *c.* 11. *q.* 7. *turpia, & nefaria esse pacta illa, ut suscepti liberi, si masculi fuerint, patris sectam hæreticam profiteantur*; si fœminæ, *Catholicam matris Religionem teneant, & colant.*

QUÆSTIO XXXIV.

IN TIT. XXXIV. DE VOTO, ET VOTI REDEMPTIONE.

POstquam in præcedentibus actum est de Regularibus in communi; horum autem status in præsens importet, promissionem DEO factam, consequenter votum observandi consilia Evangelica, paupertatis, castitatis, & obedientiæ; præsenti titulo agitur in genere, de votis, ac eorum relaxatione; quia verò de hac materia communiter agunt Morales Theologi in præceptis primæ tabulæ; contenti erimus exponere, quæ per Canones in hoc Titulo continentur.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit votum?

2872 *Votum* 27. *q.* 1. *c. de Viduis* 42. describitur, quòd sit alicujus boni cum deliberatione facta promissio, vel DEO facta pollicitatio; apud Theologos, Teste *S. Thom.* 2. 2. *q.* 88. dictum est à voluntate, tanquam à primo movente rationem ad vovendum, à Sanchez *lib.* 4. *Decal. cap.* 1. *n.* 1. sic definitur, *est promissio DEO facta de meliori bono.* Quare ad veram rationem voti eodem teste, quinque requiruntur. 1. Deliberatio, 2. propositum, 3. promissio, 4. ut ea promissio fiat DEO, 5. ut sit de meliori bono. Cùm enim votum sit actus religionis, debet esse de re magis grata DEO, quàm opposita. Deliberatio esse debet plena, qualis sufficit ad peccandum mortaliter. Deliberatio autem differt à proposito, quòd illa ad intellectum, hæc ad voluntatem spectet. Inter nudum propositum, & promissionem hæc differentia est, quòd *promissio* oriatur ex deliberatione acceptandæ, sibique imponendæ obligationis: *propositum* autem ex deliberatione solius convenientiæ rei faciendæ; unde nullam obligationem etiam peccati venialis inducit.

2873 Multiplex est voti divisio; principalis verò in *solemne*, & *simplex*. Solenne est, cui additur solennis aliqua juris formula, qualitas vel conditio, seu (ut exponit Lessius *n.* 31.) est quod susceptioni statûs immutabilis conjungitur: quale quod ex Ecclesiastico decreto annexum est susceptioni ordinis Sacri: item quod continetur in professione religionis approbatæ, c. *unico* de voto & voti redempt. in 6. & quidem solemnitas in voto castitatis reddit irritum matrimonium, si attentetur; in voto paupertatis affert incapacitatem dominii: Simplex dicitur, quod omni solenni juris formula & qualitate caret: estque omne non solemne, etiam si emittatur in professione religionis non approbatæ, vid. Sanchez. 7. *matr. de* 25. *n.* 13. Dividitur præterea in *explicitum*, quo quis DEO expressè se obligat; & *implicitum*, cùm aliquid aliud suscipitur quod votum exigit: ut quando suscipitur ab adulto Ordo sacer. Deinde in *conditionatum*, quod est certa conditione affectum, & datur teste Sanchez *l.* 8. *matr. D.* 10. *n.* 4. quando affectus voventis non fertur directè in rem promissam, sed in aliud, quod optat consequi, aut vitare, quod ponitur in conditione, ut si quis dicat: *Voveo religionem, si incolumis ab hoc periculo, vel morte evasero*; & *absolutum*, quod omni conditionis adjectione vacat; 3. dividitur conditionale in pœnale, & non pœnale, seu simpliciter conditionale.

Pœnale est, cùm quis aliquid vovet 2874
certâ statutâ sibi pœnâ, si illud non servaverit; & quidem in pœnam delicti, si in illud inciderit, ut timore oneris subeundi sibi caveat: unde datur, teste Sanchez *ibi.* quando affectus voventis non fertur directè in rem promissam, sed illam sibi pœnam proponit, ut arceatur à crimine, quod vitare cupit: ut, si voveat, *non iturum sub pœna ingressus in religionem.* Hoc autem (ut notat Lessius *n.* 30.) fieri potest dupli-

dupliciter. 1. si quis solùm voveat pœnam delicti, non autem evitationem, ut si dicat: *Voveo ingressum religionis* si lusero. 2. si utrumque voveat, scilicet *pœnam delicti & evitationem*, ut si dicat: *voveo amplius non lusurum, alioquin dabo largam eleemosynam.* Hoc autem continet votum duplex, absolutum *non ludendi*; & conditionale, non pœnale, est, cui conditio adjicitur non in pœnam: v. g. *voveo religionem, si isto morbo curatus fuero.*

2875 Quartò votum absolutum aliud est *perpetuum*; aliud, *temporale*; perpetuum dicitur, quod est ad vitam promittentis: ut si quis absolutè voveat castitatem: vel si voveat recitaturum singulis diebus rosarium in omnem vitam suam: Temporale est, quod concipitur ad præfixum, & determinatum tempus, ut si quis vovet, se daturum semel in die eleemosynam per integrum annum.

2876 Quintò dividitur in *reale*, *personale*, & *mixtum*. Reale dicitur, cùm res DEO promittitur, & nihil quod ad personam spectet; ut, si quis voveat calicem aureum Ecclesiæ daturum; *Personale* est, cùm quis DEO opus aliquod seu ministerium propriæ personæ spondet, ut si voveat, se jejunaturum, vel Missam auditurum.

Mixtum est, quo quis, & rem, & personæ officium promittit, ut si voveat se peregrinaturum: nam in peregrinatione, & labor personalis, & rerum expensæ interveniunt. Ultimò votum aliud est rei certæ *faciendæ*, aliud rei certæ *non faciendæ*: nam potest quis vovere castitatem servaturum, aut matrimonium non contracturum, quæ duo differunt. Quid & quotuplex sit voti irritatio, vide Castropalaum *tr.* 16. *D.* 2. *p.* 1.

2877 Quod supra *n.* 2873. diximus ex Lessio, votum dici *solemne* ex adjuncta quadam juris qualitate, quæ susceptioni status immutabilis conjungitur, multis videtur vel non complecti universaliter votum solenne; vel complecti, quod non est solenne, ut patet in votis simplicibus, quæ in Soc. JEsu emittuntur privatim post emissam publice, 4. votorum solemnium professionem. P. Suarez *tom.* 3. *de Relig. l.* 2. *c.* 10. *n.* 3. voti solennitatem, ait, consistere in vi, inducendi quosdam peculiares effectus morales ex Ecclesiæ institutione adjunctos ipsis votis; hanc tamen explicationem negat Sanchez *l.* 5. *moral. c.* 1. *n.* 6. qui *n.* 1. vult eum consistere in certo quodam genere perpetuitatis se tenentis tam ex parte voventis, quàm Religionis, sed hanc habent etiam quædam vota simplicia in quibusdam religionibus, quin sint solemnia. Alii dicunt consistere in quadam benedictione, aut actuali traditione dominii sui ipsius in manus DEI, aut Prælatorum vices DEI gerentium, ipsiusque nomine acceptantium. Sed hos rejicit Suarez *cit: c.* 6. & 7. Pellizarius demum in Manuali *tom.* 1. *tr.* 4. *c.* 1. *s.* 1. *n.* 11. docet illam solemnitatem in eo consistere, quod votum fiat in religione approbata, & quidem conjunctim, seu eodem contextu cum professione religiosa; hæc ex aliorum mente, V. dicenda, in seqq.

ARTICULUS II.

Quem effectum pariat votum?

PRimus, & principalis effectus voti, le- 2878
gitimè præstiti, est obligatio præstandi, quod promissum est; hæc necessitas non est antecedens, sed consequens; nam esto cuique liberum sit in principio, vovere, vel non vovere; ex suppositione tamen voti, liberè facti, consequitur necessitas illud adimplendi per c. *Licet.* 6. *h.t.* ubi Ecclesia compellit hæredem Laicum per excommunicationem, & bonorum subtractionem, ad executionem voti ultramarini, ad quod se obligavit pro defuncto, redditâ ibidem causâ, & ratione; quia *licet universis liberum sit arbitrium in vovendo; usque adeo tamen solutio necessaria est post votum, ut sine proprio salutis dispendio alicui non liceat resilire*, quibus positis:

Dubium 1. est, an votum ritè, ac le- 2879
gitimè factum, statim obliget? 2. an ejus executio differri possit ex causa? 3. quæ causa censeatur sufficiens? 4. an, si successu temporis reddatur observatu difficile? 5. an hæres teneatur ad adimplenda vota testatoris, ab hoc ante mortem non impleta? 6. quem effectum pariat votum continentiæ in ordine ad matrimonium? 7. quem, votum Religionis ingrediendæ? 8. an obliget votum metu extortum. 9. quæ vota sint reservata? 10. an omne votum circa materiam reservatam sit reservatum?

tum? Ad 1. R. affirmativè, si factum sit absolutè, nullo termino præfixo; nam, ut dicitur in sacris literis Deuteron. c. 23. *si votum voveris Domino DEo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus DEus tuus, &, si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*, Eccles. c. 5. v. 3. *Si quid vovisti DEO, ne moreris reddere*; quod idem colligitur ex c. *Non est. 5. h. t.* ubi dicitur: *non est voti dicendus transgressor, qui, quod vovit, autoritate Sedis Apostolicæ distulit adimplere*; hæc autem necessaria non foret, si adimpletio differri posset sine voti transgressione. Accedit, quod *in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti die debetur* per *reg.* 14. *ff. de reg. jur.* quod, cùm procedat in civilibus; à fortiori urget quoad DEUM.

2880 Ad 2. R. ex justa causa differri posse, prout liquet ex casu in dict. c. *Non est 5. h. t.* ubi Innocentius III. rescribit Archi-Episcopo Strigonienſi, non esse dicendum *voti transgressorem*, qui, quod vovit, Authoritate Sedis Apostolicæ distulit adimplere; ideoque mandat, ne prius iter arripiat Hierosolymam adeundi, quàm Regnum Hungariæ pristinæ tranquillitati fuerit restitutum, vel super hoc receperit ab Apostolica Sede mandatum.

2881 Ad 3. R. id pendere ex materia voti; nam si hæc sit talis, ut alio tempore commodius, & majori quiete animi persolvatur, differri poterit ex ista causa, ubi spes prudens affulget, sic fieri posse, si verò talis sit, ut importet obsequium aliquod perpetuum, v. g. quot diebus exercendi, vel faciendi actum, ex quo sequitur tale obsequium perpetuum (ut est ingressus religionis, ordinatio in sacris) oblatâ opportunitate præstandum est, nisi interveniat talis causa, quæ cæteroquin obligatum excuset ab observantia urgentis præcepti Ecclesiastici; nam & votum est tantum lex privata, quam sibi vovens imponit voluntate liberâ.

2882 Ad. 4. R. de hoc agi in c. *Quod super 8. h. t.* Pontifex enim ab Archiepiscopo Cantuariensi consultus de his, *qui, signo crucis assumpto*, propter infirmitatem, vel aliam justam causam, votum peregrinationis Jerosolymitanæ non possunt implere, respondet: 1. debiles, & inopes, ordinariè magis illuc in defectum, quàm ad profectum, accedere; 2. illis qui *temporalem* habent impedimenti causam, indulgendam esse dilationem; illis verò quorum impedimentum est *perpetuum*, redemptionem esse injungendam, &c. 3. circa illos, qui pro defensione terræ sanctæ *votum* peregrinationis emittunt, plus terræ sanctæ *succurrus*; circa illos verò, quibus *pro pœnitentia* ea peregrinatio injungitur, plurimum *labor itineris* attendi debet. Unde si quis est inutilis ad pugnandum, quamvis habilis sit ad eundum, melius est redimere votum, quàm expensas consumere: 4. de mulieribus vult observari, ut quæ remanere nolint, sequantur viros; cæteræ, nisi sint divites, quæ suis expensis possint secum ducere bellatores, votum redimant.

Cùm autem ex priori decretali eidem 2883
Archiepiscopo aliqua dubia suborta fuissent (etsi quædam non exprimantur, ad quæ tamen Pontifex respondet, ut in integra lectione reperiuntur) idem Pontifex (ut habetur in c. *ex multa* 9. eod.) illi rescribit, 1. jus exequendi illa, quæ ibi statuta sunt, illis solùm incumbere, qui super hoc à Sede Apostolica mandatum receperunt speciale; 2. per *Religiosos* (quorum in decretali, ut hic ponitur, nulla fit mentio) sive intelligantur, qui habitum religionis susceperunt, sive Episcopi, qui in religione præeminent, ad neutros executionem pertinere, nisi ipsis per Sedem Apostolicam specialiter demandetur; 3. persistit Pontifex in eo, quod prior decretalis continebat, quòd debiles, & inopes, magis in defectum terræ sanctæ, quàm profectum accedant; posse tamen etiam aliter responderi: Nobiles, & Magnates debiles, etsi per se pugnare non possint, consilio tamen adesse posse, & personæ defectum per alios relevare.

Quartò, quod dictum est de mulie- 2884
ribus, ut, que remanere noluerint, viros suos sequantur, intelligi debere de illis duntaxat, quæ nullius voti vinculo se adstrinxerunt; 5. concedit, ne terræ sanctæ impediatur subsidium, ut viri, præter Uxorum assensum, hanc peregrinationem liberè voveant; Uxores autem, ut consentiant, esse attentius commonendas: 6. de Clericis respondet, cùm clericale officium eos reddat inhabiles ad pugnandum, nisi vel consilio, vel prædicationis officio valeant, aut magnatum obse-

obsequio sint deputati, aut adeo divites, & potentes, ut suo sumptu ducant aliquos bellatores secum, magis expedire, si redemptio ab illis accipiatur, quam ad voti prosecutionem cogantur. Hæc de voventibus dicta, non de his, quibus peregrinatio Hierosolymitana in pœnitentiam injungitur; ita c. *Ex multa.*

2885 Pro expositione utriusque cc. *not.* 1. ea non procedere *de quocunque* voto, sed circa certam duntaxat materiam, nimirum *peregrinationem Jerosolymitanam*, & *subsidium præstandum terræ sanctæ*, susceptio in eam itinere pugnandi contra hostes fidei, & liberando illam de possessione infidelium. Ea igitur, quæ in dictis cc. statuuntur circa redemptionem perpetuò impeditis ab executione voti imponendam, extendi non debent ad vota circa aliam materiam; cùm finis sit omnino diversus. Unde, quando dicitur, occurrenti *perpetuum impedimentum* circa executionem voti dictæ peregrinationis, debere imponi *redemptionem*, dando nimirùm in subsidium terræ sanctæ valorem expensarum, quas eundo in terram sanctam facturi erunt, intelligi debet de impedimento, reddente talem peregrinationem *valde difficilem*; non autem *moraliter impossibilem*, sic enim non indigeret redemptione, cùm aliunde ad impossibile non detur obligatio, qui enim Juvenis vegetus vovit Religionem ingredi, & voto non obstante, Uxore ducta, susceptis liberos, decursuque plurium annorum factus decrepitus, morbidus & ineptus ad onera Religionis, morte Uxoris solutus est à matrimonio, liber etiam est *ab ingressu Religionis*, tanquam impossibili sibi in talibus circumstantiis.

2886 *Not.* 2. Votum peregrinationis Jerosolymitanæ, esse votum soli Summo Pontifici reservatum, sic, ut ab inferiore commutari, vel relaxari non possit sine speciali commissione Papæ, ut constat ex dict. c. *Ex multa*, ubi quærenti, an votum ultramarinum, in certis casibus redimi, & commutari possit à Prælatis quibuslibet, quorum jurisdictioni ejusmodi voventes commissi sunt? respondet Pontifex, quòd non: verba Canonis sunt: *Ad hoc igitur respondemus, quòd inconsultatione nostra jus editur: & licet ad quales, ad quos tamen specialiter spectet ejus executio, nullatenus explicetur: illis autem solummodo jus hoc exequendum incumbit, qui super hoc mandatum receperint à Sede Apostolica speciale.*

Et quoniam in integra lectione c. *quod* 2887
super 8. *h. t.* de quo superius, Pontifex dixit, in casu, quo impedimentum exequendi votum ultramarinum est perpetuum, id redimendum esse, simul addebatur: *super his autem diligens est discretio adhibenda, ne quid prece, vel pretio; amore, vel odio, sive occasione quacunque contra salutem animæ, vel utilitatem terræ quomodolibet attentetur*, unde *per Viros religiosos* & *providos* dispensationi hujusmodi volumus provideri; cùm autem dictus Archi-Episcopus Cantuariensis à Pontifice ulterius quæreret, *de quibus Viris religiosis* hoc sit accipiendum? ut habetur c. *ex multa*, utrum scilicet ibi *Religiosi* vocentur hi tantùm, qui religionis habitum susceperunt? an Episcopi, qui sicut dignitate præcellunt, sic & religione debent aliis præeminere? respondit Papa: ad neutros executionem illius juris spectare, *nisi per Apostolicam Sedem eis specialiter delegetur.*

Not. 3. Viris, etiam sine Uxorum as- 2888
sensu, licere vovere dictam peregrinationem, ut dicitur c. *Ex multa*, §. *in tanta.* ibi: *in tanta quoque necessitate populi Christiani, ne terræ sanctæ impediatur subsidium, Viri, præter Uxorum assensum, hujus peregrinationis propositum vovere, libere valent*, & *quod voverint, liberè adimplere.* Ut autem consentiant, sunt attentiùs commonendæ. Sed nota, postrema hæc verba, *ut consentiant, sunt attentius commonendæ*; non *jubendæ*, unde quæstio est, an, si mulier non consentiat, præsertim, si Virum comitari nolit, & domi relicta exponeretur periculo incontinentiæ, Vir nihilominus personaliter exequi posset votum, an potius redimere? Suarez *tom.* 2. *de Relig. tr. de voto, l.* 6. *c.* 4. *à. n.* 14. tradit cum D. Thoma quodlibet. 4. *art.* 11. & D. Antonin. *p.* 2. *tit.* 1. *c.* 22. §. 1. Virum non posse implere personaliter tale votum, si Uxor nolit eum comitari, & sit juvenis, relinquaturque in periculo incontinentiæ, nec Uxorem teneri illum comitari, eo quod sit res valde onerosa, quia ex jure naturæ tenetur vir cavere id uxoris periculum, & ideo satisfaciet, tunc redimendo votum.

Not. 4. Quòd Vir vovere possit dictam 2889

peregrinationem etiam sine assensu Uxoris, esse casum specialissimum, favore terræ sanctæ; & ideo non habet locum, quando peregrinatio esset *non in subsidium*, sed causa devotionis; ita Sanchez *de matr. l. 9. D. 4. n. 15.* Sayrus *in clavi Regia lib. 6. c. 5. n. 9.* & colligitur ex illis verbis: *in tanta necessitate populi Christiani, juncta Gloss. V. Viri.*

2890 Ad 5. R. Hæredem teneri ad implenda vota *realia* defuncti, salvâ legitimâ liberis debitâ, & secundum vires hæreditatis; item vota mixta secundùm quod continent aliquid *reale*, separabile à personali; non autem *purè personalia*; ita Sanchez *l. 4. moral. c. 15. à n. 25.* Suarez *cit. de Voto c. 11. à n. 2.* & alii. Ratio primæ & secundæ partis est, quia hæres, accipiendo hæreditatem, recipit eam cum onere incumbente *rei*, uti colligitur ex c. 18. de Censibus, ubi de hoc etiam casu votorum realium ab hæredibus implendorum agitur; & *L. 2. ff. de pollicit.* ibi: *qui decimam partem bonorum vovit, si decesserit, ante sepositionem, hæres illius hæreditario nomine decimæ obstrictus est: voti enim obligationem ad hæredem transire constat*; ubi tamen adverte, per *voti obligationem*, non intelligi obligationem ex virtute Religionis; sed, onus implendi, seu præstandi, quod rebus incumbit, quarum hæres evadit, quod onus importat obligationem ex quasi contractu, dum aditur hæreditas taliter gravata: ratio tertiæ partis est; quia vota personalia respiciunt actiones voventis; has autem præstare non potest hæres.

2891 Si quæras, quid dicendum, si hæres etiam à Judice monitus, intra annum, non impleat jussa, vel vota realia defuncti, quorum obligationem in se recepit? Quæstio hæc habetur in c. *Licet 6. h. t.* nam, cùm Andreæ Ducis parens, Rex Hungariæ, agens in extremis, votum visitandi Hierosolymam fidei filii commisisset, ipseque assumpto crucis signaculo se id mox impleturum promisisset; mandat Pontifex ut debitum susceptæ crucis exolvat, sub pœna excommunicationis, & privatione juris in successione in regno ad fratrem ipsius minorem devolvendo. Votum porro istud fuit *mixtum*, nempe *personale*, in quantum promisit Rex se in persona iturum ad terram Sanctam; & secundùm hoc non transivit in ejus filium, juxta n. præced. & *reale*, quatenus simul vovit, se allaturum terra sanctæ subsidium, manu militari, & subministratione sumptuum pro tali expeditione, & in hoc gravatum esse filium, Andream Ducem, præsertim cùm ipse id se facturum promiserit; ut patet ex textu. Subsidium porro istud non aliunde, quàm ex bonis, in quæ succedit, accipiendum est, salvo jure legitimæ, quæ gravari non potest à Testatore.

Ad 6. quid operetur votum continentiæ per ordinem ad impediendum, vel dirimendum matrimonium, ipso stante contrahendum, vel contractum? R. remissivè ad *lib. 4. decretal. tit. 6.* Qui Clerici, vel voventes, specialiter *à n. 966.* Ad 7. R. pariter remissivè ex dictis ibid. *à n. 241.* 2892 Ad 8. R. Votum, ex metu gravi & injusto directè incusso ad faciendam promissionem, probabiliter esse nullum jure naturæ, propter defectum acceptationis in DEO; probabilius tamen, solo jure Ecclesiastico; primam partem tenet Sanchez in decalog. *l. 4. c. 3. n. 8.* & apud eum *n. 8.* tenet Sotus *l. 7. de Just. q. 2. à 1. ad 2.* & alibi; secundam verò idem Sanchez *cit. n. 9. & 12.* aliique complures. Prima pars ex eo suadetur, quòd, licet res promissa, secundùm se sit de meliori bono, consequenter sit idonea materia voti, nihilominus tamen, ut subest tali involuntario injustè coacto, & extorto, non sit apta, divinæ acceptationi propter periculum, vel nulliter, vel prorsus tœdiosè, ac serviliter præstandi promissum; secunda verò exinde, stando in sententia dicente, sufficere ad vovendum illud voluntarium, quod sufficit ad peccandum graviter, ut vult. Sanchez *cit. c. 3. n. 9.* quia sic nec deficit voluntarium ad votum sufficiens; nec materia voti, quia ponimus eam esse de re secundùm se meliori; nec etiam sufficiens deliberatio: & quando dicitur, quod DEus non acceptet *sacrificia coacta*; communiter respondetur, verum esse, de coactis simpliciter, & per vim præcisam; non autem solùm secundùm quid, & conditionaliter, qualiter fit per metum; aliàs enim nec valeret votum ex gravi metu justo emissum, cæteroquin non edendum, nisi ad cavendum aliud malum grave, quod probabiliter timetur.

Dices: matrimonium irritum ex metu gravi, injusto, & incusso extrinsecus, 2893 dire-

directè ad extorquendum consensum, jure naturæ est irritum; ergo similiter votum emissum ex tali metu. ℟. 1. sequelam admitti probabiliter ex plurium sententia, ut notavimus initio num. præcedent. ℟. 2. Ant. negari à Sanchez *cit. c.* 3. *n.* 9. ℟. 3. C. ant. juxta dicta *l.* 4. *decret.* N. conseq. quia ratio, propter quam admittimus antec. loc. cit. est, quòd talis contractus, semel validus, nullo humano jure rescindi possit, consequenter metum passus irreparabiliter ex injustitia, & malitia alterius deberet sustinere damnum; quod à recta ratione non potest approbari, tale porrò damnum irreparabile non importat votum ejusmodi metu extortum; cùm jure Ecclesiastico nullum sit, vel si principio valet, relaxari possit, ut dicemus; ergo.

2894 Quòd autem omne votum injusto metu extortum jure Ecclesiastico sit irritum, probatur communiter 1. ex c. *Perlatum, de iis*, quæ vi metuve; ubi Pontifex puellam, metu injusto coactam ad vota religiosa, ab eis liberam pronuntiat. Deinde Eugenius II. in Synodo General. *cap. sicut qui Monasteria* 20. *q.* 1. coactos ad Monasteria à votis suis deobligat, addens rationem: *quia, quod non petunt*, inquit, *non observant.* Tertiò, in c. *Præsens* 20. *q.* 3. Nicolaus Papa Lambertum, à Patre ad Monasticæ vitæ professionem coactum, negat sub tali violentia ad illam adstringendum esse; *quod enim*, inquit, *quis non eligit, nec optat, profectò non diligit, quod autem non diligit, facilè contemnit; nullum quippe bonum nisi voluntarium.* Quamvis autem, ut observat Sanchez *cit. c.* 3. *n.* 12. ex his textibus appareat, jus ibi solùm agere de voto cogente ad profitendum in religione vel emissâ professione; non autem voto simplici: addit tamen ex communi fere omnium Doctorum placito, eandem decisionem extendi ad votum *simplex*, quod etiam est similiter opus consilii, suamque perpetuitatem habet; quoniam votum *simplex*, & *solenne* in ratione *voti* essentialiter non differunt, ut tradit communis, ergo si Ecclesia in voto, *quod est solenne*, reprobat voluntatem, & animum coactum tali metu, tanquam insufficienten, ut valeat ejusmodi votum; etiam reprobat in voto, quod est simplex; nam in animo vovendi, quantum voto essentialis est, ea vota non differunt; *solennitas* enim, ut alibi probavimus, & rursum dicemus in seqq. supponit votum essentialiter constitutum.

Ad 9. ℟. de facto quinque solùm vo- 2895
ta esse reservata summo Pontifici, nimirum votum Religionis approbatæ, castitatis perpetuæ, triplicis peregrinationis (scilicet Jerosolymitanæ, Romanæ, & Compostellanæ) ita tradit P. Illsung in Arbore scientiæ boni, & mali *tract.* 5. *D.* 1. *q.* 3. *à* 5. *n.* 145. dicens, id communiter colligi ab Authoribus ex Extrav. Sixti IV. incip. *Etsi Dominici. c.* 2. de pœnitent. & remiss. Verùm, quantum colligi potest ex lectione illius ut citatur sub c. 2. nihil agitur *de votis*, sed tantùm de *certis delictis* summo Pontifici reservatis, quod etiam annotat ipse P. Thomas Sanchez mox citandus *n.* 7. negans, ea 5. vota, *jure communi*, esse reservata, rectè probari ex illa Extravag. Cœterùm, quoad vota soli summo Pontifici reservata discordant DD. aliqui enim docent, sola tria, *castitatis perpetuæ*, *religionis*, & *peregrinationis Hierosolymitanæ*, vota reservari Pontifici, quibus favent D. Thomas 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 31. *& Hostiens. sum. de voto* §. *utrum*, & per quem in votis valeat dispensari *n.* 16. *fine*, ubi dicit, votum continentiæ, & Hierosolymitanum, reservari: alii volunt sola vota *castitatis* & *religionis* semper reservari: at vota *peregrinationum Romanæ*, *Compostellanæ*, *Hierosolymitanæ*, non semper; sed duntaxat, *quando emittuntur in eorum locorum subsidium*, atque ita posse Episcopum in illis, *gratiâ solius devotionis factis*, dispensare; Quia in c. *Ex multa* & c. *super his*, de voto (ubi peregrinatio Hierosolymit. reservatur) est sermo, *quando in ejus loci subsidium promittitur*, quare à fortiori idem erit dicendum de duplici alia peregrinatione, ita docent Abb. eo c. *Ex multa*, *n.* 4. Vivald. *Candelabro Sacramentor. p.* 3. *c.* 14. *n.* 63. & idem docent loquentes de peregrinatione Hierosolymitana, Eman. Sa in Sum. verb. *Votum*, ubi de voti irritatione n. 11. & verb. *Juramentum n.* 33. Graffis *p.* 1. *decis. lib.* 2. *c.* 31. *n.* 21. & fatetur Angelus verb. *Votum*, 4. *n.* 6. valere Episcopi dispensationem in voto hujus triplicis peregrinationis, *non in subsidium emisso*, quamvis æquum sit, ut ab ea abstineat.

Nec

Nec obscurè id significat Glossa eo c. *Ex multa*, V. *Incumbit*, ubi ait, cùm Pontifex ibi sibi reservet votum *in subsidium Hierosolymitanum*, videri alia vota Episcopis indulgeri.

2896 Verùm *ex universali Ecclesiæ consuetudine* reservatam esse Summo Pontifici dispensationem quinque votorum, nempe religionis castitatis, peregrinationis Romanæ ad limina Apostolorum D. Petri, & D. Pauli; Hierosolymitanæ (quod vocatur *ultramarinum*) & Compostellanæ ad invisendum D. Jacobum, tradit Sanchez in *Decalog. l.* 4. *c.* 40. *n.* 6. ubi dicit, hoc colligi ex dicta Extravag. *Etsi Dominici, non quod ibi reserventur, sed supponantur, ea esse reservata*; quia ibi excommunicantur commutantes hæc 5. vota, absque Pontificia licentia; quia ob hanc causam non vult Sixtus iV. (Author illius Extravagantis), hæc vota claudi in clausula generali concessionis pro dispensatione votorum; sed petit licentiam specialem Pontificiam, ut ea commutare liceat; hæc Sanchez *loc. cit.* Cæterùm, ut suprà monui de dictorum 5. votorum reservatione nulla prorsus expressa mentio fit in ea Extravagante *etsi Dominici*, quæ refertur in eo tit. non cap. 2. ut quidam citant, sed c. 3. videntur tamen velle Extravag. 2. sub his verbis initialibus, *etsi Dominici*, quæ in eo tit. habetur c. 5. & ex hoc procedit Sanchez.

2897 Ad 10. N. negativè, id, quod pluribus exposui in Theol. morali de præceptis primæ tabulæ, pro quo supp. 1. *castitatem perfectam* esse, cùm sibi quis interdicit perpetuam in futurum abstinentiam ab omni voluntaria delectatione venerea tam intra, quàm extra conjugium, ita Suarez *tom.* 3. *de relig. l.* 9. *c.* 2. *n.* 1. Gobat in Quinar. tract. Theologo juridicorum *tr.* 3. *c.* 40. *n.* 312. Supp. 2. *reservationem votorum* esse stricti juris, & odiosam, consequenter strictè interpretandam, juxta regulas juris. Derogat enim ordinariæ potestati Episcoporum, & gratiosæ delegatorum, consequenter juxta Gobat *n.* 315. & complures alios, non intelligendum, nisi *de votis perfectis* in ratione voti, hoc est, quæ fiunt ex affectu, erga rem promissam, cum consensu non diminuto; & quæ absolutè, ac determinatè ad materiam reservatam ex promissione, affectuque ad illam, directè ligant. Nisi enim de his intelligatur, eo ipso reservatio non sumitur strictè contra regulas juris. Pontifex enim non reservat *præcisè obligationem voti*, sed natam ex tali consensu, & affectu, ut bene notat Castropalaus *tr.* 15. *D.* 2. *p.* 12. *n.* 16. atque adeo non tam respicit *obligationem*, quàm *modum* eam contrahendi. Hinc alii dicunt, ut votum circa materiam reservatam sit reservatum duo requiri, ut sit perfectum & *in ratione materiæ*, & *in ratione voti*, *in ratione materiæ*, ut, si sit votum castitatis, sit castitatis *perfectæ*, ut diximus in supposit. 1. *in ratione voti*, seu affectûs, nimirum puri, non diminuti, & directè respicientis materiam quod melius est, ad divinum cultum.

Ex hoc deducitur 1. nulla vota merè 2898
pœnalia sub conditione delicti esse reservata ante impletam conditionem; sic Escob. Theol. moral. *tom.* 1. *exam.* 4. *c.* 6. & cum plurimis aliis Tambur. *l.* 3. *c.* 16. §. 4. *n.* 32. esto ibid. etiam contrarium indicet probabile ratio est; quia talia vota non habent obligationem absolutam; 2. quia fiunt ex consensu diminuto, nec directo in rem promissam, cum potius rem vovens aversetur; habeatque animum absolutum, non contrahendi talem obligationem, cum velit eam dependenter à contingenti conditione, quam vult non poni, quæ omnia arguunt imperfectionem voti in suis adjunctis. Deducitur 2. nulla vota merè conditionalia esse reservata ante conditionem impletam; ita Sanchez, Lessius, Layman, Castropalaus, Escob. Filliuc. Tamb. cit. qui contrarium etiam probabile putat cum Navarr. & Barbosa. ratio est 1. quia fiunt ex affectu solùm indirecto in rem promissam, 2. solùm cum consensu diminuto, scilicet non perfecto in rem affectu, sed dependenter ab utili proprio, utpote non ex recto affectu divini cultus, ergo per N. priorem, non sunt vota in suis adjunctis perfecta, consequenter, nec reservata.

Deducitur 2. nulla vota sub conditio- 2899
ne delicti esse reservata, licet conditio sit impleta, ita Suarez, Lessius, Layman, Leander *q.* 103. Gobat *n.* 317. Castropalaus, Fagundez, Tamburinus & alii contra Filliucium, Escobar. & alios, imò nulla vota merè conditionalia esse reservata, licet conditio sit impleta, esto non sint sub

condi-

conditione delicti; sic Castropalaus *cit. n.* 15. Toletus, Sanchez, Leander, Gobat. Tambur. Diana *p.* 1. *tr.* 11. *res.* 54. & alii contra P. Suarez, Less. Laym. Escob. Filiuc. &c. ratio 1. est eadem quæ n. priori, ratio 2. est, quia ex hac opinionum varietate inter Authores dubium est, an ejusmodi vota sint, vel non sint reservata: ergo eo ipso non sunt reservata. conf. pat. ex communi consensu docentium, nihil esse reservatum, nisi certum sit, esse tale. Sed eo ipso quòd sit dubium, non est certum; ergo eo ipso quod sit dubium, non sunt reservata. Ratio 3. sumitur ad hominem contra Suarez, & alios, qui concedunt vota pœnalia non esse reservata etiam posita conditione, & negant hoc de conditionalibus. Nam ideo per illos pœnalia non sunt reservata, 1. quia non fiunt ex affectu directo erga rem promissam; 2. quia non fiunt, nisi cum consensu diminuto, scilicet non nisi dependenter ab eventu contingenti, 3. quia potius cum animo non subeundi obligationem, secundùm se spectatam; sed hæc omnia etiam contingunt in votis purè conditionalibus: ergo. Ut tamen non falleris adverte dicta. N. 2897. in principio hujus Quæst.

2900 Dices 1. Votum castitatis absolutum est reservatum, sed hæc vota conditionalia posita conditione sunt talia vota absoluta: ergo sunt reservata. R. dist. ma. votum castitatis absolutum quoad obligationem est reservatum N. absolutum quoad radicem reservationis, trans. Nam in re id non sufficit, nisi sit castitatis perpetuæ, & perfectæ; vel aliter: votum absolutum *absolutè* factum, est reservatum C. factum *conditionatè*, seu dependenter à conditione. N. sic enim non fit ex affectu directo rei promissæ, nec est perfectum in ratione actus directè tendentis ad DEI cultum, quod pertinet ad perfectionem voti. dist. min. Sed hæc vota conditionalia posita conditione sunt absoluta quoad obligationem, vel, sunt absoluta, & *non absolutè* facta. C. quoad radicem reservationis vel absolutè facta N. *min. & conseq.* hinc not. ex Fagundex *p.* 2. *l.* 2. *c.* 27. *n.* 11. ad reservationem non sufficere, quòd votum habeat obligationem *absolutam*, sed requiri simul, ut fiat ex affectu erga rem promissam, consequenter fiant absolutè &c. ut sup. quia reservatio est stricti juris; hoc autem non habent, etiam posita conditione. ergo.

Dices 2. votum castitatis sub condi- 2901
tione factum posita conditione se habet acsi esset emissum sine conditione: sed si esset emissum sine conditione, esset reservatum, ergo etiamsi est emissum sub conditione, modo posita sit conditio. R. dist. ma. quoad obligationem habet se similiter C. quoad reservationem N. hinc C. min. N. conseq. quia dum fit sine conditione, fit ex affectu directo in rem promissam; non autem, quando emittitur sub conditione.

Dices 3. omnes alii contractus sub 2902
conditione celebrati habent eosdem effectus morales purificatâ conditione, ac si essent puri, ergo similiter vota, sed effectus moralis talium votorum est reservatio; ergo posita conditione habent annexam reservationem. R. dist. anteced. habent eosdem effectus, quos parit obligatio contracta C. quos parit modus contrahendi obligationem N. anteced. & sub distinctione consequentiam; ad subsumptam R. sed reservatio est talium votorum effectus moralis, quem parit obligatio contracta N. quem parit modus contrahendi talem obligationem C. subsumptam & N. conseq.

Ex dictis plures in particulari casus re- 29
solvi possunt. 1. Votum castitatis cujuscunque *temporalis*, non esse reservatum. Ad hoc enim requiritur, ut sit castitatis *perpetuæ*. Item, nullum votum, quod non est de castitate *perfectæ* esse reservatum, consequenter votum non ducendi Uxorem; votum se non polluendi; votum non faciendi turpem aspectum; vel tactum; votum non petendi debitum; votum castitatis conjugalis; votum conjugum non petendi nec reddendi mutuo debitum; votum virginitatis, qua excludit solam defloration em, non esse vota reservata; quia non sunt vota castitatis perfectæ, seu integræ, sed diminutæ. Et licet aliquis vellet, dum vovet, ut suum tale votum nec Pontifex possit tollere, adhuc non est reservatum, quia nemo potest præjudicare potestati superioris; Diana *p.* 1. *tr.* 11. *c.* 75.

Resolvitur 2. nullum votum, quo 2904
quis in pœnam sub conditione delicti im-

ponit sibi servare perfectam castitatem, vel ingressum religionis etiam approbatæ, vel unam ex triplici peregrinatione &c. esse reservatum, sive perfecta sit, sive non perfecta sit conditio, constat ex n. 2899. & seq. Tertiò, nullum votum, cujuscunque sit materiæ, emissum sub conditione, si hoc bonum v. g. sanitatem impetravero; vel si ab hoc malo liberatus fuero, esse reservatum, sive perfecta, sive adhuc suspensa sit conditio pat. ex n. 2899. & seq. Quartò, omnia ista vota, & quæcunque alia non reservata, quovis tempore, commutari posse à quolibet Confessario approbato Societatis JESU. ex Compendio Privil. V. *Commutatio* §. 1. Concessit eis Paulus III. quod verum est, etsi sint vota jurata. Concessit eisdem Gregorius XIII.

2905 Quintò idem posse alios regulares, qui cum Societate in privilegiis communicant. Unde, si quando ad te ejusmodi votum commutandum deferretur, tu verò ex tua potestate id non possis, ut tuo pœnitenti bene consulas, remitte illum ad ejusmodi regularem. Sextò, hæc eadem vota posse commutari in quovis jubilæo, ubi conceditur facultas commutationis, esto in eo reserventur vota castitatis & religionis; quomodo enim hæc vota reservata sint, ex dictis constat: cùm scilicet sunt vota absoluta & perfecta, castitatis perfectæ. Septimò, etiam diu post elapsum Jubilæum, hæc & similia vota, de quibus egimus, commutari posse à quolibet Confessario approbato, illi, qui intra tempus Jubilæi peregit opera præscripta, si ea vota sint emissa ante, vel durante Jubilæo, ita ex Gobat in Quin. *tr.* 3. *n.* 243. cum Sayro, Sanchez, Henriquez, Lessio, Sanctarel. Portel. Castropalao, Diana &c. quia illi, qui intra tempus præscriptum perfecit opera requisita, non præscribitur certum in bulla tempus, quo accipiat commutationem, sed relinquitur liberum.

2906 Dices in bulla communiter dicitur: qui *hac vice tantùm* absolvat, vota commutet &c. ergo præscribitur solùm tempus jubilæi. R. N. conseq. illorum enim verborum sensus non ille, qui ponitur in consequenti: sed is: poterunt sibi eligere confessarium, qui eos absolvat &c. *hanc vice tantùm*, id est, *tantùm eo tempore*, dum durat favor jubilæi acquisitus: ita Suarez, & Sanchez cum Gobat *n.* 266. sed is durat, quamdiu non sunt commutata vota, cùm nullo tempore limitetur: ergo. Ex hoc deducit Gobat cit. utilem doctrinam, quæ Parochis, & carentibus privilegio bene notanda, ut, si pœnitens veniat, petens commutationem voti, eum interroget, an eo tempore, à quo habet hoc votum, fuerit aliquod jubilæum, & pro illo requisita opera peregerit? si affirmat, potest in virtute talis jubilæi illi commutare omnia vota, quæ potuisset durante jubilæo; sic Gobat loc. cit.

Ad hoc amplius intelligendum, quan- 2907
donam vota castitatis, religionis, & similium, sint reservata soli Pontifici? notanda sequentia 1. semper vide, an votum sit *perfectum*, in ratione voti? hoc est, ex affectu directo ad rem promissam, vel tantùm ex affectu indirecto; si secundùm? eo ipso non est reservatum, à n. 2897. secundò, an votum illud sit *absolutè* factum, vel tantùm conditionatè; si secundum? non est reservatum etiam posita conditione per n. id. cit. & seq. quia, licet votum sub conditione factum, positâ conditione fiat absolutum, non fit tamen *factum absolutè*, hoc est, non fit, ut non sit factum solùm dependenter à conditione. Tertiò, quando est dubium de valore voti, tale votum non est reservatum; quia reservatio, cùm sit odiosa, strictè sumenda est pro casibus certis Gobat *cit. tr.* 3. *n.* 315. Quartò, si votum factum est ex metu injusto, gravi vel levi, ad extorquendum votum, non est reservatum, quia caret perfecto consensu; Sanchez, Lessius, Gobat n. 316.

Quintò, votum ingrediendi *aliquam* 2908
religionem, vel emittendi ejus tria vota substantialia non est reservatum; nisi votum sit veræ religionis, & quidem talis, quæ sit approbata à Sede Apostolica, sub tali forma substantiali, unde requiritur, ut, præter promissionem illorum trium, promittat etiam emissurum se illa omnia vota, quæ nonnullæ religiones solent, tribus substantialibus addere. Sic in ordine Minimorum, quartum votum est, de vita quadragesimali, sine quo promissio faciendi tria vota substantialia religionis, non esset votum ingrediendi *ordinem Minimorum*; Suarez apud Gobat n. 318.

Sextò,

2909 Sextò, votum religionis non approbatæ, non est reservatum, debet enim intelligi de approbata; Leander *cit. q. 96.* votum assumendi ordines Sacros non est reservatum. Leander *q.* 87. votum ingrediendi religionem strictiorem, esto reservatum sit quoad ingressum religionis, non est tamen reservatum *quoad modum:* hinc commutari potest in ingressum religionis minus strictæ. Leander *cit q.* 100. & plures alii, vota triplicis peregrinationis alio animo facta, quàm devotionis, non esse reservata, tenet Leander *q.* 109. similiter, qualitas illis adjuncta, v. g. peragere iter *non equo*, sed *pede*, non est reservata; Tamburinus *cit. n.* 28. & Leander *q.* 110. votum non petendi commutationem, vel dispensationem voti, nisi à Summo Pontifice, non est reservatum. Leander *q.* 111. quando votum Papæ reservatum commutatur in aliam materiam v. g. jejunium, materia priori subrogata non est reservata, Leander *q.* 113. idque propter causas in præmissis jam allatas.

2910 Pro fine notat Gobat *cit. n.* 310. illa quinque vota de quibus *n.* 2895. cum perfecta, & reservata sunt, sic esse reservata, ut eorum dispensatio, vel commutatio, per nullam bullam censeatur concessa, nisi exprimatur; hinc ait: si in bulla præcisè ponantur hæc verba: *Damus potestatem commutandi omnia vota, etiam triplicis peregrinationis*, non intelligi vota castitatis, & religionis, quando autem bulla sic habet: *damus potestatem commutandi vota omnia, exceptis castitatis & religionis*, hoc ipso etiam intelligi datam potestatem commutandi vota triplicis peregrinationis.

ARTICULUS III.

De voti redemptione.

2911 QUamvis hic *voti redemptio* propriè supponat pro ejusdem commutatione; latè tamen etiam comprehendit ejusdem irritationem, aut dispensationem, vel extinctionem. Unde quæstio est 1. quis possit irritare vota? 2. quis dispensare? 3. quis commutare? 4. an & qualiter extinguantur ingressu religionis? aut professione? §. 1. de irritatione voti. R. quòd ille dicatur votum *irritare*, qui absolutè tollit ejus obligationem; is porrò hoc pot-

est, cui vovens subjectus est, vel quoad voluntatem, vel quoad rem promissam. Prima irritatio, cùm fit ob dependentiam voventis quòad voluntatem, dicitur *directa*; altera, *indirecta*. Ut hæc de irritatione bene intelligantur, pono hunc casum. Petrus ante pubertatem emittit votum eleemosynæ; Pater eo cognito, irritat ejus votum, postquàm ingressus est, & complevit pubertatem Petrus. Sed sic dubius, an Pater bene fecerit, votum ratificat, Societatem JESU ingreditur; post biennium simplicia vota (quæ verum Religiosum efficiunt) emittit; sed post biennium alterum, ipso petente, dimittitur, & ad seculum revertitur, ubi reperit vivam solam Matrem, & Curatorem sibi positum à Patre ante mortem. Hinc Pater vota filii impuberis potest licitè, & validè irritare, non tantùm eo tempore, quo filii sunt impuberes, sed etiam quocunque alio, postquam egressi sunt, modò ea in pubertate non ratificaverint. Omnia enim impuberum vota habent imbibitam conditionem, si Pater consentiat, vel non contradicat, idque vel ex jure naturæ, vel Ecclesiastico, ut ejus ætatis imbecillitati consulatur, ita Sanchez, Lessius, Suarez, Valent. quos cit. & sequitur Tamburinus n. 9. quod verum est, licet implenda forent tempore pubertatis, vel quando filius est sui juris; ita Sanchex *lib. 4. in decal. c. 29. n.* 3. quia hæc potestas irritativa fundatur in imperfectione ætatis, qua puer votum emisit: sed hæc adfuit tempore, quo factum fuit votum, ergo adest fundamentum irritandi, scilicet factum in ætate illa tenui.

Quæstio ulterior est 1. an Pater pos. 2912
sit irritare vota, quæ fiunt à filio in pubertate? 2. quid circa vota suorum in hoc possit Tutor, vel Curator? 3. an Mater? 4. Quid Superior in Religione circa vota suorum? 5. quid dicendum de votis Uxorum? 6. Servorum? 7. Maritorum? Ad. 1. R. quoad ea, in quibus adhuc subest Patri, ab hoc posse irritari, sic Tamburinus *n.* 11. cum Sanchez. Nam tunc filius, etsi pubes, non habet jus circa tale objectum, in quo ponitur subjectus Patri, circa quod *not.* 1. hanc irritationem posse à Patre fieri etiam contradicente filio; nam patria potestas in usu suo non pendet à voluntate filii, si dicas: com-

mutatio non potest fieri, sine voluntate ejus, cui votum commutatur: ergo nec irritatio. R. N. conseq. quia in conseq. nihil subrogatur priori, quod acceptandum foret loco alterius, sicut in commutatione acceptari debet materia subrogata. Ex hoc etiam probabile reputat Castropalaus *tom.* 3. *tr.* 15. *D.* 2. *p.* 4. *n.* 6. contra Suarez *l.* 6. *de vot. c.* 1. *n.* 13. ex causa aliqua gravissima voti dispensationem tradi posse invito, quia potestas Prælati, quam habet pro dispensando, libera est, & à voluntate subditi independens, licet non exercenda sine causa rationabili. Ut autem dicta filii vota Pater licitè irritet, sufficit, si vel filius, vel Pater inde gravamen sentiat. Tamburinus *cit. n.* 14. & quamvis Pater filio concesserit licentiam vovendi; quia tamen per hoc non privavit se jure, quod habet irritandi ejusmodi vota sibi concesso, vel à natura, vel à jure; ideo etiam hoc dato, potest irritare. Tamburinus *n.* 15. cum Sanchez, & Layman: excipe vota realia, sic enim jus dare, pro qua vovenda dedit licentiam, filio donavit Pater. Ex his pat. responsio ad factam quæstionem n. 2911.

2913 Ad 2. R. Quod Tutor, dum hoc officio fungitur, possit omnia pupilli vota, in impubertate facta irritare, quæ potest Pater: ejus enim loco succedit; Castropalaus *cit. D.* 2. *p.* 7. *n.* 6. Idem jus est in Curatore quoad vota concernentia bonum temporale, vel præjudicantia gubernationi domus; Sanchez in *Decal. l.* 4. *c.* 35. *n.* 69. Nam in hoc subit vicem Patris, & Tutoris; hoc intellige, etiam si vota sint emissa, prius, quàm assumpserint officium Tutoris, vel Curatoris, semper enim supponuntur facta cum minori discretione, consequenter ex interpretatione juris, censentur facta sub conditione beneplaciti paterni, vel eorum, qui huic succedunt. Tamburinus *l.* 3. *c.* 16. §. 3. *n.* 42. si verò sint plures Curatores, vel Tutores, quilibet hoc potest, cùm ea potestas annexa sit officio. Bonacina & Tamburinus *cit. n.* 18. Vota minoris personalia irritari posse à Curatore, negat Suarez *l.* 6. *de Vot. c.* 6. *n.* 24. &c. eò quòd *Curator* non succedat in totum loco Patris, sicut *Tutor*; sed solùm in administratione bonorum, verum etiam probabile est, posse. Nam saltem secundariò Curatori datur potestas in filii personam; Tamburinus *n.* 19. Sanchez *cit. c.* 30. Vivo, vel etiam mortuo Patre, si habeat filius Tutorem vel Curatorem, vel Avum, Mater nihil potest circa vota filii, Suarez *cit. c.* 6. *n.* 21. tunc enim nullam potestatem habet in filium. Secùs, si filius iis omnibus foret destitutus; tunc enim vota ejus in impubertate facta irritare posset, tali enim casu Mater, vel Avia potest filium gubernare loco Patris, docente id jure naturæ, Tamburinus n. 21.

Ad 3. R. Matrem posse irritare vota 2914
filii in impubertate facta (cùm caret Patre, Tutore, vel Curatore, aut avo) dum filius est minor, negari à Sanchez *cit. c.* 30. 17. quia illi plus non conceditur, quàm tutori; posse tamen probabile censet Tamburinus *n.* 23. cum Sayro, & Sà ob eandem rationem, ob quam *n.* priori diximus curatorem vota personalia minoris; Mater enim eo casu subintrat in officium curatoris; Jura verò, quæ sunt in contrarium, loquuntur de Matre, ut Mater est; non verò, cùm jure naturali in ea munera succedit; vel certè de rebus pertinentibus ad statum politicum, non de iis, quæ ad conscientiam; ita Tamburinus cum aliis. In hoc tamen discrimen est, quòd Mater id possit solùm, dum filius minor est; Pater verò, etiam, cum filius emancipatus est, quoad vota in impubertate facta, & non confirmata post pubertatem; illa enim vota ob ætatis debilitatem fiunt sub conditione, *si Pater non contradicat*, quod semper manet, etiam cùm filius emancipatur; Tutor autem non manet semper Tutor; sed tantùm usque dum pupillus attingat 14. annum completè, & Curator respectu minoris, ad 25. in horum autem vicem solùm succedit Mater. Quæ diximus de Matre, intellige quoad vota personalia filii, an etiam possit realia de bonis temporalibus, vel ea, quæ præjudicant gubernationi domus? si emissa sint tempore pubertatis? negant, quoad omnia hoc tempore emissa, Sanchez & Suarez, sed & probabile est, posse etiam hæc; ita Tamburinus *n.* 25. Sayrus. Nam Mater in hoc casu succedit Curatori, sed is potest; ergo & illa. Socer (si gener caret Patre, Matre, Tutore, & Curatore) eo casu subintrat loco Patris juxta P. Tancredi de Religios. *tom.* 1. *D.* 16. *n.* 6. consequenter respectu generi tunc potest, quod respectu ejus potest, Pater.

Ad 4. Responsio constabit ex dicen- 2915
dis

dis ad 5. R. ea, quæ præjudicant Marito, irritari posse ab ipso, si emisit Uxor, dum est in matrimonio, Sanchez, Tamburinus n. 48. hoc enim requirit contractus matrimonii; si verò non præjudicent, non posse, tenet Navarrus, Azor, Sayrus, Bonacina, Layman, Lessius aliique cum Castropalao *D. 3. p. 6. 2. n. 6.* posse tamen, probabile putat Tamburinus cum aliis n. 48. ratio est ex totali subjectione mulieris, respectu mariti, qui est caput Uxoris, hoc enim pertinet ad pacem, & concordiam conjugalem; hinc videntur implicitè involvere conditionem, si vir non contradixerit: Sanchez tamen excipit votum religionis, quando id impleri potest ab Uxore, v. g. viro adulterante, in hoc enim Uxor non subditur viro. Posse etiam per virum irritari vota uxoris concepta dum matrimonium stat, implenda post solutum matrimonium, &c. probabile censet Tamburinus n. 49. cum Sanchez, Vir enim omnia vota Uxoris, eo tempore facta, irritare potest; sic ille. Vota verò ejus, concepta ante matrimonium, & ejus tempore implenda, suspendi possunt à marito, secundùm quod ipsi præjudicant; Navarrus, Sylvester, Sanchez & Tamburinus, non tamen irritari.

2916 Vota personalia uxorum & servorum, facta in impubertate; vel realia in pubertate, dum scilicet erant minores, irritari posse à superveniente Marito, vel Domino, tenet Lessius, Sanchez, Tamburinus n. 52. sic enim quoad illa succedunt jure Parentis, Tutoris, vel Curatoris, quando illi ordine prædicto non adsunt. Si uxor emisit votum ex mera licentia mariti, potest ab illo tamen irritari; quia præsumitur licentiam dedisse ad suum beneplacitum; at si addita est promissio non revocandi, validè quidem irritare potest (cùm adhuc maneat caput mulieris) sed non licitè; cùm non servando promissum ageret contra fidelitatem.

2917 Ad 6. R. *not.* per *servos* non intelligi, mercede conductos; sed qui verè sub alicujus dominio sunt. R. illa servorum vota irritari posse à Domino, quia officiunt ipsorum servitio, quia solùm in ea ratione fruuntur potestate dominativâ in servos; hinc non possunt irritare illorum vota, facta ante subjectionem; non enim censentur facta sub conditione beneplaciti ipsorum, nec etiam implenda, primò cùm non erunt servi; sic enim non officiunt servitio, Tamburinus n. 45. &c.

Cùm autem vir Uxori non subjicia- 2918
tur quoad voluntatem, sed tantùm quoad materiam promissam, solum convenit Uxori indirectè irritare vota mariti in matrimonio, in quantum præjudicant matrimonio, vota verò prius emissa, si præjudicantia matrimonio, suspendere potest; si autem Uxor dedit meram licentiam, censetur dedisse ad arbitrium suum, ut quanto minus potest, præjudicetur; si verò addidit promissionem, nec validè irritabit, ideo enim potest irritare, quia præjudicant, uxor autem per talem promissionem suo præjudicio cessit, ergo. Maritus autem etiam facta promissione manet caput mulieris, quod est fundamentum ex quo ipse potest irritare, unde non fit paritas.

Pro fine hujus §. *not.* 1. ex eo, quòd 2919
vovens velit, vel incipiat exequi votum in impubertate, vel aliàs factum, non censeri, illud ratum facere, vel confirmare; executio enim non inducit novam obligationem voto præcedenti, 2. etsi prius votum sæpius repetierit, non ideo ratificatum esse; sic enim solum approbat prius vinculum, non verò novum suscipit; 3. ut votum fiat obligatoriè ratum, ex parte voventis requiri; ut vovens conscius sit de prioris voti debilitate 2. ut velit se de novo firmiter obligare perinde, ac si nunquam fuisset obligatus, 3. ut sic dispositus, saltem mente, præterita repetat, seu certè approbet, ex his totus casus in principio positus facilè resolvi potest, sic Tamburinus §. 3. *n.* 57. & seq.

§. 2.

De Dispensatione Voti.

Dispensatio voti contingit, cùm is, qui 2920
potestatem habet, votum DEI nomine absolutè relaxat; Sive definitur juris relaxatio, à potestatem relaxandi habente facta; Unde discrimen est inter dispensationem, irritationem, abrogationem, commutationem, permissionem, licentiam, interpretationem, suspensionem. Nam *dispensatio* datur, quando obligatio complectens omnes personas hujus communitatis, ab hac persona tollitur & manet circa reliquas; *Commutatio* fit per translationem obligationis, v. g. si

relaxetur jejunium cum onere recitandi rosarium. *Permissio* non tollit obligationem legis, sed datur, cùm quis violat legem impunè. Licentia, seu facultas latius patet, quàm dispensatio: quamvis enim omnis dispensatio sit licentia, non tamen econtra: nam religiosus v. g. nequit exire domo sine licentia, cùm tamen illa datur, non propriè dispensatur in lege, sed potius completur modus operandi lege præscriptus, ut nemo exeat sine licentia.

2921 *Interpretatio* non tollit obligationem legis, sed declarat legem in hac circumstantia non obligare. *Suspensio* nec tollit legem, nec obligationem ejus; sed solum suspendit effectum obligationis ad tempus. *Derogatio* est ablatio legis in perpetuum quoad partem. *Abrogatio* est ablatio legis in perpetuum quoad totum. Quoad irritationem autem, & abrogationem distinguit Sanchez cit. ut *irritare* sit legem, vel votum impedire & cassare, ne robur obligandi consequatur: ut, si Princeps legem constitutam à civibus, indigentem ipsius Principis confirmatione, non confirmet; *Abrogare* sit postquam vim obligandi adepta est, eam omnino cassare, seu abolere.

2922 *Not.* Quòd si dispensatio bona fide fiat, esto in re justa causa non subsit, validam putet Lessius & Sanchez, id quod etiam tenet, si cum causa ut dubia proposita, esto post reperiatur nulla fuisse, quia pertinet ad DEI benignitatem, approbare factum, ne facto dispensantis (si aliàs legitimâ potestate munitus sit) dispensati periculis conscientiæ, vel anxietatum animi exponantur. Et quamvis hoc neget Castropalaus, prior tamen sententia probabilior est, ut tenet etiam Tamburinus *c.* 16. §. 4. *n.* 3. propter rationem ab illis assignatam. Causæ porrò sufficientes ad dispensationem voti (nam si scienter fiat sine justa causâ saltem apparenti, dispensatio nulla est, sic enim fieret temerè, consequenter factum hoc suo nomine fieri, vel factum esse, non approbaret DEUS) sunt, quæ obstant executioni voti, talis est, 1. imperfecta deliberatio, vel ratione ætatis, vel ratione turbatæ mentis, vel ratione erroris, aut doli, in causa impulsiva voti, Tamburinus *cit. à n.* 13.

2923 Secunda causa est difficultas notabilis in executione, esto non sufficiat ut ejus intuitu votum sine dispensatione cesset, quod probabile est, licet fuerit prævisa, Tamburinus n. 13. Tertia est, si tibi sit causa damni temporalis, vel bono publico, vel tuæ familiæ. 4. Si causa damni spiritualis, ut si sit occasio ruinæ spiritualis, vel speretur major spiritualis utilitas ex dispensatione, Tamburinus n. 22. Idem est, si de his oriatur prudens dubium, si verò esset sola commoditas voventis, negat hanc sufficere ad dispensationem. Sic enim non obstat executioni. Concedit tamen sufficere pro commutatione, quia sic non tollitur totum onus.

Quæstio nunc est, quibus competat 2924
potestas dispensandi in votis? de summo Pontifice communis affirmat, eum posse dispensare in omnibus votis, etiam alioquin reservatis, de quibus plura *à n.* 2895. dubitari autem potest, de aliis Papa inferioribus? Sed ad hoc constat ex dict. nimirum, quòd potestas dispensandi in votis, non reservatis, conveniat omnibus, qui habent jurisdictionem sacram in foro externo, respectu suorum subditorum; consequenter etiam Prælatis exemptis vota Novitiorum prius facta. Vid. Tambur. *cit.* §. 4. & Busenbaum in medulla *l.* 3. *tr.* 2. *de* 2. *præc. decal. c.* 3. *dub.* 8. Regulares porrò Ordinum Mendicantium ex privilegio facultatem habent dispensandi in omnibus votis secularium non reservatis; primò enim Martinus V. concessit Benedictinis facultatem dispensandi in votis, etiam Episcopo reservatis, ut habetur apud Tamburinum. §. 4. *n.* 47. Idem concessit Eugenius 4. per bullam. Confessarii Societatis, qui habent usum privilegiorum horum à Superioribus concessum, habent hanc etiam potestatem, ut videre licet in Compendio privil. V. *dispensatio.* §. 10. sic enim possunt dispensare ad petendum debitum cum his, qui post simplex votum castitatis contraxerunt matrimonium, ut habetur ibid. §. 9. ex concess. Pii V. item in foro conscientiæ ad petendum debitum cum his, qui consanguineum, vel consanguineam sui conjugis post matrimonium carnaliter cognoverunt; sic habetur ibid. §. 8 ex concess. Pii 5. Item cum eo, qui simile votum edidit post consummatum matrimonium, ut not. Andreas Mendo in sta-

tera

tera *benign. opin. differt.* 1. *q.* 6. *n.* 77. ubi addit, Confessarios Regulares, fruentes privilegiis Mendicantium, posse dispensare in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi *ratione muneris*; non in iis, à quibus possunt Episcopi solùm ex *benignitate juris*, ut cum dispensant ob necessitatem in reservatis Papæ.

2925 Quæstio altera est, an Episcopi possint aliquando dispensare in votis illis 5. reservatis? R. posse & 1. in necessitate, cùm scilicet non est recursus ad Papam, vel eum, cui commisit Pontifex, ob periculum in mora. Vid. Tambur. n. 37. Sed hæc dispensatio valet tantùm ad eum effectum, ad quem urgebat necessitas, ac ea, quæ talis effectus secùm trahit; sic, si ligatus voto castitatis violasset puellam, & huic foret periculum infamiæ prius subeundæ, quàm dispensaret Papa, posset Episcopus cum eo ligato dispensare, ut ducat puellam, sed hac mortua, rursum teneretur ad servandam castitatem. 2. Si id habeat ex legitima consuetudine, sic docet Tamburinus n. 43. Episcopum posse dispensare cum eo ad petendum debitum, qui post simplex votum castitatis contraxit matrimonium, vel illud emisit, etiam de uxoris licentia, post contractum.

2926 *Not.* tamen 1. Facultatem dispensandi in votis reservatis *ex necessitate*, competere Episcopis, non quidem ut potestatem *ordinariam*; habere tamen originem ex ea; quâ, cùm careant privilegiati, ipsi id nequeunt etiam in necessitate, nisi ad id habeant speciale privilegium. 2. Mendicantes posse sua privilegia exercere circa omnes seculares; Episcopos verò tantùm circa suos subditos. Si enim agunt per suam jurisdictionem. 3. Episcopos posse suam potestatem aliis delegare, quia ipsis hæc potestas est ordinaria; non autem Mendicantes, quia ipsis est solùm delegata. *Not.* 4. commutationem & dispensationem voti posse fieri etiam extra Sacramentum pœnitentiæ, etiam absentibus. Nullum enim jus, vel clausula restringit hanc potestatem ad forum Sacramentale. vel præsentes, sic Tamburinus n. 52. *Not.* 5. religiosos, qui possunt dispensare in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi potestate ordinaria, ut constat ex n. 2924. etiam posse in iis, in quibus possunt Episcopi ex potestate per consuetudinem acquisita; sic enim Episcopus, posità semel dictâ consuetudine, jam ex vi ordinariæ jurisdictionis acquisitæ per consuetudinem dispensat. Nam consuetudo dat jurisdictionem ordinariam. Sic Tamburinus *n.* 54. §. 4. Sed in hoc non assentior; nam quod acquiritur consuetudine, non convenit jure ordinario; sed speciali, sicut, quod acquiritur præscriptione. Deinde non consuetudo, sed Legislator, suppositâ consuetudine, per consensum legalem dat jus. *Not.* 5. Dispensationem tunc absolutè concedi posse, cùm causæ, ob quas petitur, consideratâ gravitate voti, & ipsæ graves sunt, vel plures graves, causam satis gravem reddunt; si verò causa videretur non omnino sufficiens, admiscenda est aliqua commutatio dispensationi. Sic Tamburinus n. 11. si autem causa dispensationi sufficiens est, Prælatus obligatur ad concedendam dispensationem; quia potestas dispensandi ipsis data est in bonum subditorum. Tamburinus cum Sanchez, & Castropalaus jam cit.

§. 3.

De Commutatione Voti.

QUid sit *Commutare Votum?* constat ex 2927
dict. n. 2920. De hac commutatione votorum pluribus locis agitur hoc tit. ubi potissimum agitur de voto, quod conceptum est de peregrinatione transmarina in subsidium terræ Sanctæ, ut constat ex c. *de peregrinationis* 1. c. *non est.* 5. c. *Licet.* 6. c. *ad magnæ* 7. c. *Quod super* 8. *h. t. &c.* Sed hodie sublatis expeditionibus in terram Sanctam, ad praxin parum faciunt, ut notat Wagnereck. in exegesi ad cit. c. *quod super.* Illud, quod habetur c. *Scripturæ* 4. *h. t.* ad præsentem quæstionem multùm confert, ubi Alexander III. illis, qui relictâ voti, quod conceperant, executione, statum religiosum assumunt, ita rescribit: *Scripturæ Sacro testimonio declaratur, quòd spiritualis homo propositum non mutat, cùm pro salute animæ suæ utilius aliquid meditetur. Inde est, quòd vestris justis postulationibus non indignati, indulgemus quòd, qui sepulchrum Domini vel aliorum Sanctorum limina proposuerunt visitare: & infirmitate, vel alia rationabili causa occurrente habitum religionis assumere, atque inter vos DEO servire voluerint, liberè ipsos suscipere valeatis,*

Unde

Unde subjungit: *reus facti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis observantiam commutare.* Ex quo habetur, ut ponitur in rubrica c. 1. omne votum esse mutabile in votum Religionis.

2928 Hanc conclusionem ex isto textu communiter desumunt D. Thomas. 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 1. *& q.* 189. *art.* 3. *ad* 3. *& art.* 8. *ad* 2. *Sot. de justit. lib.* 7. *q.* 4. *art.* 3. *vers.* 4. *& q.* 7. *vers.* 3. Navar. *consilio* 4. *de Regular.* in novis, & in man. *c.* 12. *n.* 65. *& 78. in fine.* Covar in c. *quamvis pactum*, *p.* 1. §. 3. *n.* 4. *vers.* 6. Sanchez *in decal. tom.* 2. *l.* 5. *c.* 5. *à n.* 36., *qui à n.* 38. ait, *ipso jure, vota in seculo facta, censeri commutata in religionis professionem*; ac proinde, absque alia commutandi intentione, manere profitentem ab eis liberum, ut probat hic textus, cujus decisio non innititur speciali voventis intentione commutandi, sed solo privilegio efficiente, ut priora vota simplicia maneant ipso jure extincta emisso solemni; quia, cùm omnia vota DEO promissa sint opera particularia, continentur eminenter in ipsa religionis professione, per quam se & omnia sua dedicat profitens divino obsequio, moriens priori vitæ, & nihil, nec propriam voluntatem, sibi reservans.

2929 Quæstio præterea est 1. an idem dicendum de votis tempore Novitiatus emissis? 2. de votis emissis post professionem, si talis professus deinde profiteatur in alia religione strictiore? 3. de votis, quæ quis emisit in religione, si ab ea in perpetuum expulsus, sua sponte profiteatur in alia strictiore, vel laxiore? 4. an hoc procedat de votis non tantùm personalibus, sed etiam realibus? 5. an etiam de voto transmarino in subsidium terræ Sanctæ? 6. an id concessum sit simplicibus votis post biennium Novitiatus emissis in Soc. JESU?

2930 Ad 1. R. affirmativè; nam ex vi voti religionis professus absolvitur à prioribus votis, ut dictum est, & tradit D. Thomas in 4. *dist.* 38. *q.* 1. *à* 4. quæstione 4. ad 2. Nam per professionem talis priori vitæ moritur, ut tradit idem S. Doctor. 2. 2. *q.* 88. *a.* 12. *ad* 1. *Gloss.* in c. *Monacho.* 20. *q.* 4. V. *Voverit.* & alii; quamvis non inducitur privatâ voventis voluntate, vel authoritate; sed Ecclesiasticâ lege, quæ jure optimo induxit, ut, vitam secularem in religiosam mutans, liberetur votis illis particularibus, quod confirmari potest ex c. *pennlt.* de Regularibus in 6. ubi decidit, adstrictum simplici religionis *strictioris* voto, manere ab eo liberum, si in laxiori profiteatur. Et redditur ratio his verbis: *Priori voto, tanquam simplici, per secundum solemne noscitur derogatum*; cujus ratio est, quia cùm omnia obsequia, DEO promissa, sint opera particularia, continentur eminenter in ipsa religionis professione, per quam se & omnia sua dedicat profitens divino obsequio, moriens priori vitæ, & nihil, nec propriam voluntatem sibi reservans. Ad 2. R. pariter affirmativè; ratio est eadem; quia solemni professione tolluntur omnia vota præcedentia, ut ostensum est; & ita tradit Sanchez *cit. tom.* 2. *Decaleg. l.* 5. *c.* 5. *n.* 40. ubi tamen addit, hanc sententiam sibi præ oppositâ magis placere; rem tamen esse dubiam. Ad 3. quia, ut in præcedentibus dictum est, professio extendit se ad extinguenda omnia vota priora, hinc, si quæ vota in Religioso ejecto fuissent tantùm suspensa, dum in religione esset, illa, in dato casu omnino tollerentur. Ad 4. R. affirmativè, modò per tale votum non sit jus acquisitum tertio, ut, si promissio esset homini facta, & acceptata; nam in tali casu non posset præjudicari juri alterius, ratio autem responsionis est, quia professio religiosa extinguit in professo omne debitum antecedens ex vi religionis; non autem ex vi justitiæ, ut tradit Sanchez *cit. à n.* 41. cum Angelo V. *Votum* 4. *n.* 3. Covarr. *de pact. p.* 1. §. 3. *n.* 4. & aliis.

Ad 5. censent aliqui votum illud ex- 2931
tingui quoad laborem eundi seu itinerandi; non autem quoad expensas subsidii; sic Angelus *cit. n.* 4. & Sylvester V. *Votum* 4. *q.* 7. *dicto.* 4. Sed dicendum extingui quoad utrumque; nam in dict. c. *Scripturæ* textus expressè loquitur sine ulla distinctione de voto visitandi sepulchrum domini; vel aliorum Sanctorum limina. Nec obstat, tale votum, *quoad subsidium*, esse reale; ac reservatum: nam illud debitum reale; non est debitum rei justitiæ, sed religionis, & votum quoad laborem eundi personaliter æque reservatum est. Ad 6. R. per illa vota biennii, *ex vico-*

vi eorum, vota prius in seculo emissa, non extingui, sed suspendi, quamdiu talis manet in Religione; quia per illa vota non traditur Religiosus religioni, & divino obsequio, *irrevocabiliter, & omnino perpetuo*; ita Sanchez *cit. n.* 54. ex canone 22. Congr. 1. ibi: *vota, quæ nostri in seculo emiserunt, in nostra Societate suspensa sunt, etiamsi per professionem non tollantur: & ita obligationem eorum cessare, dum in Societate manent, intelligantur.*

2932 Dixi, *ex vi eorum*; nam in casu, quo vota constituunt *professum*, extinguuntur priora vota vi *professionis*, quæ vim istam habet ex lege Ecclesiastica, ut diximus; & ideo, ut hunc effectum operetur, non est opus, ut profitens emittat professionem *cum intentione* per illam commutandi priora vota in ipsam professionem; cùm vis operandi extinctionem illorum votorum non pendeat à privata voluntate profitentis; sed eâ suppositâ, à dispositione legis juxta *n.* 2927. & ita tenet Sanchez *cit. n.* 37. contra Hostiensem in Summa *h. t.* §. *qui vovere possit. n.* 7. quo posito:

2933 Quæstio 7. est, an saltem tunc extinguerentur vota in seculo emissa ab eo, qui post biennium Novitiatus in Soc. JESU emittit 3. vota simplicia, quibus evadit verè Religiosus, si emitteret ea cum intentione commutandi in ea vota simplicia? 8. an, si talis postea dimitteretur à Religione, illa vota denuò redirent? 9. an idem dicendum, si commutaret in simplicem ingressum in Societatem, & postea tempore Novitiatus exeat ex justa causa? 10. quid si ingrediens Societatem haberet votum ingrediendi aliam religionem? Ad 7. R. affirmativè; nam hanc commutationem illorum votorum fieri posse ab eo, qui talia vota simplicia emittit in Soc. JESU, decidit Gregorius XIII. in sua constitutione, *Ascendente Domino*, ubi condemnat quorundam obtrectationem dicentium: *non posse vota aliqua in seculo emissa, in tria hæc substantialia Societatis commutari; cùm tamen hæc vota sint status, ut præfertur, Religiosi adeo utilis, & perfecti, ut illa in hæc possint; hæc verò in aliorum Ordinum, etiam solemnia vota commutari, sit ab hac Sede, justis de causis interdictum.*

2934 Ad 8. R. negativè; quia votum semel legitimè sublatum, seu extinctum, non reviviscit, ita Sanchez *cit. n.* 55. Ad 9. R. affirmativè cum Sanchez *loc. cit.* quia melius est ingredi religionem animo probandi, & amplectendi eam, si probata placuerit, quam quodcunque aliud votum; ergo legitimè quis commutat omnia vota in hunc finem, quo casu manet liber ab illis, & tenetur ad hunc ingressum, cui tamen obligationi satisfacit ingrediens bonâ fide & postea tempore Novitiatus ex justa causa exiens. Ad 10. R. quòd tale votum per vota biennii non suspendatur, posse tamen à P. N. Generali, vel eo, cui is commiserit commutari in illa, licet esset votum strictioris religionis, ut habetur in Compend. Privileg. V. *Commutatio.* §. 3. de quo plura Sanchez *cit. à n.* 57.

Nec obstat, quòd movent aliqui, 2935
dicentes, in c. *Scripturæ sup. cit.* non dici, ipso jure *commutari* vota *in professionem*, sed commutantem non teneri ad priora vota, at commutatio fieri nequit absque intentione commutandi. Nam aliud est, vota *dispositione legis* commutari, aliud *intentione profitentis*; quo posito R. cum distinctione ma. in dicto c. non dicitur ipso jure commutari vota in professionem, *ex intentione profitentis*, C. *ex dispositione juris*, seu legis. N. ma. dist. min. at commutatio, *ex intentione profitentis*, nequit fieri absque intentione commutandi. C. *ex dispositione legis N. min. & conf.* aliud est vota in professionem non possunt commutari *per legem* absque *legis* intentione commutandi; aliud, *absque profitentis* intentione; primum verum est; non autem alterum.

Ex dictis deducitur 1. non esse admit- 2936
tendam limitationem Abbatis in dict. c. *Scripturæ n.* 6. dicentis, per professionem sola vota statui religioso non consona, sed ejus observantias impedientia, tolli; Secus, de consonis, nec impedientibus, nam ex dict. c. constat, *omnia tolli*, quia hæc votorum extinctio non innititur *incompossibilitati* eorum cum statu religioso, sed legi Ecclesiasticæ, ut dictum est superius, volenti, ac disponenti, profitentem non teneri ad priora vota, quin fiat respectus ad ea, tanquam consona, vel dissona religioni. Nec etiam obstat illud, quòd textus loquatur *de voto temporalis obsequii*, consequenter intelligi nequeat *de votis*

perpetuis; nam hoc non ideo ponitur in textu, quasi ad solùm *temporale* votum restringeretur; sed quia de voto temporali, nempe peregrinationis Hierosolymitanæ, rogatus est Pontifex, & ideo de illo respondit. Nec enim induxit novum jus, sed ostendit jus ex ipsa ratione naturali ortum commutandi omnia vota in professionem, eo quod hæc sit majus bonum, alia omnia in se eminenter continens.

§. 4.

Qui gaudeant potestate commutandi Vota?

2937 R Esp. de hoc agi c. *de peregrinationis, h. t.* cùm enim ex Alexandro III. quæsitum esset, an ob occurrentem necessitatem votum peregrinationis, eleemosynis redimi; vel in aliud opus commutari possit? respondit: *quòd ab ejus, qui præsidet, pendet arbitrio, ut consideret, diligentius qualitatem personæ, & causam commutationis* (scilicet, an ex infirmitate, seu affluentia divitiarum, an alia causa probabili peregrinatio, an recompensatio melior fuerit, & DEO magis accepta?) & *secundùm hoc debet exinde dispensare*; ex hoc textu communiter deducunt DD. quemlibet Superiorem Ecclesiasticum (videlicet Episcopum, vel alium Prælatum Episcopali jurisdictione, seu potestate in suos subditos præditum) causâ cognitâ, posse vota redimere, seu commutare, vel in iis dispensare, & hoc procedit de omnibus votis, non specialiter reservatis. Si dicas, in dict. c. 1. non agi *de dispensatione*, sed *commutatione* votorum? quia Pontifex respondit solùm ad quæstionem propositam, quæ fuit de sola *redemptione* & *commutatione*: R. esto interrogatio fuerit facta de redemptione & commutatione voti, Pontificem tamen in sua responsione non affirmasse *illud solùm*, sed etiam alterum, ut patet ex ipso textu, ibi: & *secundùm hoc debet exinde dispensare.*

2938 Quæstio ulterior est 1. an id possint soli Superiores Ecclesiastici? 2. an aliquando possit hoc ipse vovens? 3. an hoc jure Ordinario habeant Episcopi in sua diœcesi? & quidem ante consecrationem? 4. an Archiepiscopi, etiam ante acceptum pallium? 5. quid in hoc possit Capitulum Sede vacante? 6. an Episcoporum Vicarii? 7. an Prælati Episcopo inferiores? 8. an Parochi? Ante resolut. supp. actum dispensandi in votis, esse actum jurisdictionis, non Ordinis; atque adeo posse competere Clerico, etiam primæ tonsuræ, idque Jure ordinario vel delegato; solis autem illis competere jure ordinario, qui habent jurisdictionem in foro externo; sicut de potestate excommunicandi tradit communis; nam utraque potestas pertinet ad externam Ecclesiæ gubernationem, ut tradit Sanchez *tom. 1. in Decal. l. 4. c. 37. à n. 16.* cum Sayro in Clavi regia *l. 6. c. 11. à n. 85.* quibus positis:

Ad 1. R. *jure ordinario* id posse solos 2939
Superiores Ecclesiasticos, respectu suorum, qui habent jurisdictionem fori externi; constat ex *c. 1. h. t.* ibi: *ab ejus, qui præsidet, pendet arbitrio*; aliud est jure delegato, vel privilegio, prout id habent plures Religiosi; qui hoc licitè faciunt, sed solùm juxta mensuram potestatis concessæ; qua in re quisque sui Ordinis privilegia attendere debet; sed à prima parte hujus responsionis excipe, *nisi*, ut mox dicemus, *ipse vovens hoc præstare valeat.*

Ad 2. R. affirmativè, si commuta- 2940
tio fiat in *evidenter melius*, vel *evidenter æquale*; primam partem tenent complures cum Sanchez *cit. c. 49. n. 7.* Nam vovens omnia vota priora commutare potest in professionem religiosam, etiam Authoritate propriâ, ut constat ex dict. loquimur autem de votis secularibus, hoc est, non propriis Ordini alicui Regulari; & colligitur etiam ex dict. c. 1. nam ibi *Superioris Authoritas* intervenire debet, ut dispiciat, & consideret, an id, in quod fit commutatio, sit melius eo, quod voto promissum est; at hoc necessarium non est, ubi opus novum est priori *evidenter melius.* Alteram partem tenent complures apud Sanchez *cit. c. 49. n. 10.* & Tamburinus *l. 3. in Decal. c. 16. §. 5. n. 14.* Pirhing. *h. t. n. 25.* & alii; quia si opus sit evidenter æquè bonum, ac alterum, nihil interest, num fiat hoc, vel illud; nec obstat, quòd ad DEI cultum spectet perseverantia in promisso; nam hoc compensari potest per alterum. Excipiuntur tamen vota specialiter reservata; 2. quæ facta, & acceptata sunt in favorem tertii; sic enim jus acquisitum est tertio, cui non semper placet id, quod de se melius est. Not. tamen ex P. Adamo Burghaber in *cent. 2. cas. 35.* Fagundez *l. 2. in decal. c. 49. n. 11.* etiam oppositum reputari

pûtari probabile; hinc volunt, cùm opus, in quod fit commutatio, est evidenter melius, posse à vovente commutari propriâ Authoritate, esto cedat in præjudicium tertii, quia votum in utilitatem tertii non facit, ut tertius acquirat jus absolutum, sed conditionatum, seu dependens à beneplacito DEI, nisi oppositum sit evidenter melius. Hinc si Pontifex alicubi contrarium expressit, ajunt eum esse locutum ex sententia Doctorum contraria.

2941 Ad 3. &. affirmativè, tam de dispensatione, quàm commutatione ex dict. c. 1. modò confirmati sint; quia tunc gaudent plena jurisdictione; ita Sanchez *cit. c.* 39. *n.* 6. contrariam sententiam dicens, ab omnibus rejici tanquam omnino falsam; quod idem dicendum est de Archi-Episcopo respectu subditorum suæ Diœcesis; nam relatè ad hanc comparatur tanquam Episcopus; quia ante Pallii receptionem interdicuntur ei solùm, cogere Concilium, & exercere, quæ sunt Ordinis Episcopalis. Ut constat ex c. *Quod sicut, §. super eo, de elect.* & ideo c. *suffraganei*, de electione dicitur, *integrum esse Archi-Episcopo, nondum recepto Pallio, committere alicui Episcopo consecrationem sui suffraganei*, quasi ea commissio sit actus jurisdictionis; ubi Glossa, post casus positionem, notabili 2. ait: per confirmationem concedi Archi-Episcopo ea, quæ sunt jurisdictionis: Secùs tamen dicendum est de subditis suorum suffraganeorum; nam Archi-Episcopus non habet ordinariam curam, nisi in sua Diœcesi; ac solùm est Judex in causis Diœcesis suffraganeæ per appellationem ad eum deductis, *c.* 1. *de officio Legati, c. Dico. de officio ordinar.* Ad 5. &. Capitulum Sede vacante in hac materia idem posse, quod Episcopus jure ordinario, cùm ei in hoc succedat, nec specialiter prohibeatur. Ad 6. &. negativè cum Sanchez *cit. n.* 18. nam facultas dispensandi non datur ex generali officio Vicariatus, ut tradit Sanchez *l.* 2. *matr. D.* 40. *n.* 12. Ad 7. &. quòd sic, sed solùm comparatione illorum, relatè ad quos gaudent quasi Episcopali jurisdictione. Ad 8. &. negativè, quia carent jurisdictione fori externi.

Ex dictis colliges, quibus diximus 2942
competere potestatem dispensandi in votis, iisdem etiam competere potestatem commutandi, non econtra, nam *commutare*, de se non dicit actum jurisdictionis; ad dispensandum enim *ex parte dispensandi* requiritur, quòd subjectus sit speciali potestati dispensantis, nulla enim jurisdictio validè exercetur in non subditum. Cæterùm sufficere subjectionem in ordine ad hunc finem, quæ habetur per quasi domicilium, tradit Sanchez *cit. c.* 37. *n.* 27. ad quod sufficit, quòd quis veniat ad eum locum cum animo permanendi ibi majore anni parte. Plura de votis tradidi in præceptis primæ tabulæ; quæ autem pertinent ad *solennitatem* votorum, partim videri possunt à n. 2873. & 2877. partim in.

QUÆSTIO XXXV.

IN TIT. XXXV. DE STATU MONACHORUM, ET CANONICORUM REGULARIUM.

2943 HÆc vox *status* apud varios diversarum facultatum professores multipliciter usurpatur, prout videri potest apud Pereyram in Elucidario *l.* 2. *elucidat.* 20. *Sect.* 7. *n.* 1359. illis in præsens prætermissis, apud Theologos, ut notat Lessius *l.* 2. *c.* 41. *dub.* 1. bifariam 1. latè, pro quavis vitæ conditione, in qua homo ad tempus, vel perpetuò manet; Sic dicitur status innocentiæ, status legis naturæ, legis Mosaicæ, legis Evangelicæ, status viatorum, status beatorum, & damnatorum, status liberorum, servorum, Virginum, Viduarum. 2. strictè pro conditione vitæ immobili, per quam alteri obstricti sumus, & ut sic quandam firmitatem, & permanentiam denotat.

Hæc ratione (ut docet S. Thomas 2. 2944
2. *q.* 183. *à* 1.) dantur tres status in Ecclesia sci-

sia, scilicet conjugalis, Episcopalis, & Religiosus. *Conjugalis* est, in quo conjuges mutuo inter se obsequio in perpetuum adstringuntur; *Episcopalis* est in quo Episcopi perpetuo vinculo obligati sunt obsequio suæ Ecclesiæ: *Religiosus* est, in quo Regulares divino obsequio in perpetuum addicti sunt: & potest accipi, vel in actu primo, & nihil est aliud quàm debitum religiosè vivendi: vel in actu secundo, & est ipsa religiosa vita voto firmata.

2945 Cùm autem *ordo* nihil aliud sit quàm habitudo prioris ad posterius, & triplex potissimum sit *ordo*, scilicet *temporis*, *naturæ*, & *dignitatis*, hic postremus videtur tribuisse nomen ordini religioso, qui propterea sic appellatur ex habitudine subditorum ad Superiores, qui inter se variis gradibus distinguuntur: item ex habitudine mediorum ad finem, & ex religiosa observantia votorum, ac Regularum inter se rectè dispositâ, & connexa.

2946 Cœterùm, licet omnes Religiosi ordines eandem habeant essentiam, & specificam rationem, quatenus conveniunt in tribus votis substantialibus; tamen juxta S. Thomam 2. 2. *q.* 186. *à* 1. differunt 1. ex speciali fine, & functione, ad quam quisque peculiariter institutus est, alii enim sunt instituti ad vitam contemplativam (quales Monachales) alii ad vitam activam, ut, ad redimendos captivos, ad suscipiendum peregrinos, ad curandum infirmos, ad defendendam Ecclesiam, & alii ad vitam mixtam, quæ partim contemplationi, partim actioni vacat, quales ordines Mendicantium: differunt 2. ex peculiaribus mediis, & Ritibus, quibus unusquisque Ordo utitur ad comparandum suum finem: cernimus enim in singulis ordinibus, etiam tendentibus ad eundem finem. v. g. contemplationem, magnam varietatem in habitu, victu, jejuniis, aliisque piis exercitiis; his prænotatis, hoc titulo ea solùm exponemus, quæ in subjectis ei capitulis specialiter memorantur.

2947 Illud adhuc prius annotandum, rationem vivendi Monachorum ex institutione sua, esse ducere vitam solitariam, & contemplativam, à cœtu hominum remotam, plangentium potius, quàm docentium vitam agendo c. *Monachus* 16. *q.* 1. Et hoc ipsum sonat vox, *Monachus*; & ideo in hoc plurimum differunt ab aliis Religiosis non Monachis. Religiosus professus regulam, Superiorum indulgentiâ laxatam, probabilius tenetur ad eam suo vigori postea restitutam; id quod rectè probat Zoësius *h. t. n.* 9. quamvis autem Monachi, & Canonici Regulares, obstringuntur perpetuò Regulæ, quam sunt professi, ut secundum illius præscriptum vitam instituant, c. *Monasterium* 6. *h. t.* differunt tamen inter se non tantùm in habitu, & aliis accidentalibus; Sed præcipuè in eo, quod Monachi *strictiori regulæ*, Canonici Regulares, *laxiori* subjiciantur; sic Fagnanus in c. *quod DEI timorem* de statu Monachorum, à n. 6. ubi plures differentias ponit inter Monachos & Canonicos Regulares, inter quos etiam illa est, quòd Monachi de jure communi non possint absque dispensatione assumi ad regendam Ecclesiam Curatam vel Parochialem secularem; sic Fagnanus *cit. n.* 12. nisi causâ utilitatis, quamvis addat, Monachum ex causa utilitatis, de consensu Abbatis, ab Episcopo promoveri posse ad Ecclesiam Parochialem, modò cum eo habitet alius Monachus.

Econtra Canonici Regulares, jure 2948
communi, præfici poterant Ecclesiis Parochialibus secularibus cum Socio sui Ordinis, si commodè fieri possit; quamvis id hodie fieri posse sine dispensatione Papali omninò neget Fagnanus *cit. n.* 16. & seq. Et hoc sensu intelligenda sunt jura, cùm dicunt, *idem jus esse in Monachis, & Canonicis Regularibus*, & sub appellatione *Monachorum* venire etiam *Canonicos Regulares*. Hoc enim intelligi debet de casu, quo jura loquuntur de Monachis, *in quantum sunt Religiosi*; non, *in quantum sunt Monachi*, seu in quantum considerantur secundùm regulam Monachalem; sic Fagnanus cit. in c. *quod DEI timorem*, de statu Monach. *n.* 10. Descendendo nunc ad particularia, quæ in Sacris Canonibus hoc titulo de Monachis, & Canonicis Regularibus memorantur. 2949

Quæstio est 1. an Episcopi, vel Ordinarii locorum ea, quæ Monachis offeruntur à fidelibus, possint sibi vindicare, vel in totum, vel in partem? R. quòd non ex c. *Theodosius* 1. *h. t.* ibi: ita, *ut in eodem Monasterio nec tu, nec Presbyteri tui, præter dignitatem disciplinæ, aliquid molestiæ infe-*

inferatis; aut si quid illic pro diversorum devotione accesserit, vobis vindicare æstimetis: Cùm Monachis, sibi servientibus, deheat proficere, quicquid à fidelibus taliter offerri contingit; Sic Gregorius Archiepiscopo Neapolitano; quod tamen intellige, salvis juribus Episcopalibus, ex oblationibus quoad portionem canonicam, ubi ea debetur, de quo agimus à n. 3422.

2950 Quæstio est 2. an, cùm Regulares Monasterium pro ipsorum habitatione, vel Ecclesiam construunt, & Episcopus ad solemnia dedicationis celebrandæ ab ipsis invitatur, possit hoc negare? supponimus autem constructionem fieri legitimè. R. in *dict. c.* 1. Pontificem sic statuere. *Dilectionem tuam duximus adhortandam, quatenus ad prædictum locum, cùm postulaverit, ingravanter accedas, venerandæ solennia dedicationis impendens.* Quando autem subjungitur: *ita ut in eodem Monasterio nec fraternitas tua, nec Presbyteri, præter diligentiam disciplinæ, aliquid molestiarum inferant*, procedit solùm de Monasteriis illi subjectis, nam temporibus Gregorii M. (cujus est iste textus) omnia Monasteria erant subjecta Episcopo, in cujus Diœcesi constructa erant, ita Gonzalez in *dict. c. Theodosius n.* 2.

2951 Quæstio est 3. an à Monachis pretium, vel peculium accipi possit pro receptione alicujus ad Monasterium? 4. an eis liceat habere peculium? 5. an possint habitare soli in villis, oppidis, & Parochiis? 6. an Prioratus pretio dari possint? 7. an Priores in Ecclesiis Conventualibus constituti possint mutari: Ad 3. R. quòd non, ut dicitur c. *Monachi.* 2. *h. t.* ibi: *Monachi non pretio recipiantur*; & infra ibi: *si quis autem exactus pro sua receptione aliquid dederit, ad sacros Ordines non ascendat: Is verò qui eum receperit, officii sui suspensione multetur*; & hoc procedit non tantùm de Monachis, sed quibusvis Religiosis, de quo ex professo egimus *l.* 5. *tit.* 3. *de Simonia.*

2952 Ad 4. R. Si sermo sit de *proprietate* peculii, aut aliorum bonorum, dicendum negativè de omnibus Regularibus *solemniter professis*, intelligendo id de dominio competente tali in personâ suâ particulari, prout apertè constat ex c. *Monachi*, ibi *nec peculium permittantur habere*, id, quod de proprietate dominii aliunde certum est, ex vi paupertatis solenniter professæ, & constat ex c. *Super.* 4. c. *cùm ad Monasterium.* 6.

Dubitari potest, an saltem Canoni- 2953
cus Regularis, *in personâ suâ propriâ, & particulari*, possit habere proprium, si non situm in dominio rerum immobilium, saltem mobilium, vel pecuniæ? non deerat, qui affirmavit non modò in manuscriptis, sed etiam typo, ductus hoc fundamento, *quòd Canonici Regulares habeant laxiorem, seu mitiorem regulam, quàm Monachi.* Sed contrarium omnino dicendum est, 1. ex c. *Super* 4. *h. t.* ubi, cum Clementi III. nuntiatum fuit super quodam Canonico Regulari, qui in articulo mortis agens, licet à Priore suo commonitus, proprium, quod contra regulam latenter habuerat, noluit resignare, & sic diem clausit extremum, & quæsitum, quid de illo agendum sit, cum nihilominus fuerit inter alios fratres traditus sepulturæ: respondit Pontifex: *quia te ignorare non credimus, quid de talibus in regula B. Augustini habeatur statutum, quod ipsum in Synodo Lateran. constat inhibitum manifestè: inquisitioni tuæ præsentibus literis respondemus, quòd ille Canonicus non tantum fuit Christianâ sepulturâ privandus, verum, si sine maximo scandalo potuerit fieri, de ipsa projici dignus est Ecclesia, & extra cœmiterium Ecclesiæ sepeliri. Cùm, sicut in ipsa Synodo habetur expressum, nec oblatio pro eo facienda sit, nec inter fratres debeat sepulturam habere. Hoc autem cùm fortè contigerit, in similibus est agendum.* Ex hoc textu apertè probatur, non solùm *Monachos*, verùm & *Canonicos Regulares*, paupertatem vovere; quod etiam probatur ex sermone 1. D. Augustini de suorum Clericorum vita, ibi: *inter nos nulli licet in Societate nostra habere aliquid proprium.*

Deinde, si Canonicus regularis pos- 2954
set habere proprium rerum temporalium *in personâ suâ particulari*, vel illud consisteret in rerum dominio, vel solùm in usu independente à voluntate Superioris? non primum? nam hoc excludit essentialiter paupertas religiosa *solenniter professa*; non secundum? nam hoc est de substantia paupertatis religiosæ, ut pluribus diximus *lib.* 4. *à n.* 41. ergò. Quare licet *paupertas religiosa* ex se consistere possit cum dominio rerum temporalium, etiam in personâ particulari; Secùs tamen est de usu in-

dependente, unde illa non excludit dominium in persona particulari, nisi *solenniter professa*, & votum simplex paupertatis religiosæ, quod emittunt in Societate JESU Coadjutores formati de quo V. Sanchez *l.* 7. *Decal. c.* 18. *n.* 24. at Canonici regulares habent votum paupertatis religiosæ solenniter professæ: ergo.

2955 *Not.* autem quando dicimus, quòd votum paupertatis religiosæ *solenniter* professæ à quolibet professo excludat proprium in utroque sensu acceptum, in persona ejus particulari, vi cujus disponere possit de rebus *nomine suo*; intelligi de proprio *rerum temporalium*; nam jurium, & bonorum spiritualium, tales enim possunt habere dominium, vel quasi dominium, pro ut habent dominium, & possessionem suorum beneficiorum, si Beneficiarii sint; & possunt agere nomine proprio ad eorum dominium adipiscendum, retinendumque, ac recuperandam possessionem: similiter dominium, seu quasi dominium, habent bonorum animi internorum, quia per votum paupertatis non renuntiant bonis spiritualibus, aut juribus prædictis, aut honoribus debitis pro talibus; sed solùm bonis temporalibus, ut tradunt D. Thom. 2. 2. *q.* 186. *a.* 7. *ad* 4. & Sanchez *n.* 25. & alii; quod autem dicuntur habere *regulam laxiorem* non infert legitimè; ergo etiam habent paupertatem laxiorem in eo, quod defacto Ecclesiæ constitutione importat *solenne votum paupertatis solenniter professæ*; at hoc in quolibet taliter professo in ejus persona particulari excludit proprium, in utroque sensu sumendo proprium: ergo.

2956 Et ideo in tales, qui scilicet inventi fuerint habere proprium, ita statuitur in dicto c. *Monachi.* 2. *h. t. qui verò peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum, à communione removeatur Altaris; & qui in extremis cum peculio inventus fuerit, & dignè non pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres accipiat sepulturam: quod etiam de universis Religiosis præcipimus observari: Abbas autem, qui diligenter ista non caverit, officii sui jacturam se noverit incursurum.*

2957 Ad 5. Rr. Quòd non, quantum est de jure communi per dict. c. 2. ibi: *non singuli per villas, & oppida, sive per quascunque Parochiales ponantur Ecclesias, sed in majori conventu, aut cum aliquibus fratribus maneant: nec soli inter sæculares homines spiritualium hostium conflictum expectent*, in quæ verba Gonzalez ad *cit. c.* 2. *n.* 3. consonat, inquit, textus in c. *ad Audientiam* c. *ex parte, de capell. Monach. Clement. Ne in agro. §. ad hæc.* hoc tit. quæ constitutio magnâ nititur ratione; nam *Monachus solus*, teste D. Thoma relato à Cornelio à Lapide in c. 4. Exodi, *dæmon solitarius est*, & Auctore Senecâ, *epist.* 25. *omnia mala nobis solitudo persuadet*: ac, *magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat.* Ad 6. Rr. pariter negativè, ex eod. ibi: *Prioratus quoque, seu obedientiæ, pretii datione nulli tradantur; alioquin dantes, & accipientes à ministerio fiant Ecclesiastico alieni*, ubi nota ex Gonzalez *cit. n.* 4. per *Prioratus* intelligi cellas Monachorum extra Monasterium, seu membra principalis Monasterii, ubi pauci Monachi, à reliquis separati, in una domo vitam agunt: instituti fuerunt, ut disciplina severior & strictior, quæ in vita communi Monasterii profiteri, & servari non poterat, imò nec conveniens erat à paucis severioris disciplinæ, & vitæ amatoribus ibi servaretur; & tales Prioratus, seu cellæ, quæ majori & principali Monasterio parebant, ut ab ea subjectione obedientiæ dicebantur, de quibus Gregorius VII. *lib.* 6. *epist.* 21.

Ad 7. Rr. in cit. c. 2. sic statutum est: 2958
Priores autem, cùm in Ecclesiis Conventualibus fuerint constituti, nisi pro manifesta causa, & rationabili non mutentur, videlicet, si lapidatores fuerint, si incontinenter vixerint, aut tale aliquid egerint, pro quo amovendi meritò videantur; aut si etiam pro necessitate majoris officii de consilio fratrum fuerint transferendi, ad quæ verba notat Gonzalez cit. n. 7. quod olim Abbates ab Episcopo, in cujus diœcesi Monasterium situm erat, deponebantur; postquam autem religiones ab Episcoporum jurisdictione exemptæ sunt, Prælatorum regularium destitutionem ad Superiorem ipsius religionis spectare, qui absque justa causa non debet inferiores Prælatos removere, seu deponere, c. *nullam* 18. *q.* 2. ut docent latè Suarez de relig. *tom* 4. *tr.* 8. *lib.* 2. *c.* 2. & alii.

Quæstio est 8. an possit Superior Re- 2959
gularis

gularis alicui Religioso sibi subdito concedere bona etiam stabilia solùm ad administrationem, seu usum ab ipsius voluntate dependentem, & pro arbitrio ejus revocabilem, v. g. ut Religiosus aliquis ex bonis, sive Monasterii, sive à parentibus, & propinquis assignatis, certos reditus seu census percipiat, ex quibus se vestiat, & alat, & quod supereſt in alios usus pios & honestos impendat. R. quantum est vi juris communis in sacris canonibus id non prohiberi, nec repugnare voto paupertatis etiam solenniter professæ, quia sic nec habet proprium, etiam situm in solo usu independente à voluntate Superioris; & ita tenet Abbas c. *cùm ad Monasterium*, *n.* 8. & alii.

2960 Pirhing *h. t. n.* 5. ait, dictam responsionem etiam colligi ex c. de viduis. 4. causâ. 27. q. 1. & c. *Insinuante.* 7. Qui Clerici, vel voventes: sed c. *De Viduis*, ibi non est. 4. (hoc enim incipit: *Nec aliqua.*) sed est octavum, & de hoc nihil habet. In c. *Insinuante*, solùm habetur, quòd mulier, quæ votum castitatis emisit in manibus ejusdem de Fratribus S. Augustini *eo tenore adjecto, ut in domo propria cum omni substantia sua remaneret*, cùm votum non probaverit emissum ex gravi coactione, *cogenda sit ad servandum, quod vovit*, unde, censent aliqui, eo tempore ad statum religionis non fuisse requisitum votum paupertatis, quo quis se abdicabat rebus propriis, quo stante, probatio desumpta ex c. *Insinuante*, non probat intentum; prout hoc ex professo exponimus *lib.* 4. *à n.* 783. & comprimis n. 788.

2961 Contra datam responsionem n. 2959. dices: hoc revocatum esse per CC. Tridentinum Sess. 25. c. 2. de Regul. ubi dicitur, *ne deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam*, sic docet Azor *p.* 1. *l.* 12. *c.* 9. Lessius *l.* 2. *c.* 4. *n.* 30. Suarez *tom.* 3. *de Relig.* & alii, quod maximè videtur urgere, cùm addat Concilium: *Administratio autem bonorum seu Conventuum, ad solos Officiales eorundem, ad nutum Superiorum amovibiles, pertineat*, ex hoc enim sequitur, quòd nulli (nisi Officiali ad nutum amovibili) à Superioribus concedi possit ejusmodi bonorum administratio, alàs enim, si concederetur etiam Religioso, etiam privato, non *Officiali*, jam fieret contra decretum Concilii, & exceptio, *nulli*, *nisi Officiali*, non haberet locum.

Contrarium tamen censent alii, vo- 2962
lentes in eo decreto Concilii non constitui novum jus: sed solùm declarari jus antiquum, & prohiberi, quod semper prohibitum erat, tum ne tales reditus Religiosis privatis, qui non sunt Officiales Ordinis, assignentur ad usus profanos, vel superfluos, aut sine justa, ac rationabili causa; tum ne illis relinquantur, independenter à Prælati voluntate, & irrevocabiliter; pro hac expositione Conciliaris decreti citantur à Pirhing *h. t. n.* 6. Navarr. Commentar. 2. de Regul. *à n.* 15. Sanchez *l.* 7. *moral. c.* 22. *n.* 11. &c. & apud Barbosam in dict. *c.* 2. *Trid. n.* 13. Monialibus illicitum non esse, habere de licentia superioris quosdam reditus vitalitios, ex quibus possint vivere, & providere suis particularibus necessitatibus pro victu, & vestitu, ac aliis, quæ sibi à Monasteriis non suppeditantur, & hoc casu illas non peccare, nec Concil. in præsenti, quòd loquatur de reditibus, ut propriis, & irrevocabilibus per Prælatum, & sine ejus licentia distrahendis, contravenire, tanquam affirmantes citantur, Navarr. cit. Azor *p.* 1. *l.* 12. *c.* 9. *q.* 12. Sanchez *in decal. tom.* 2. *l.* 7. *c.* 23. *n.* 5. Suarez, Miranda, Galetius, & alii. Suadetur id etiam exinde, quia Concilium non videtur in hoc decreto aliud intendere, quàm ne Superiores aliquid in usu rerum temporalium indulgeant privatis, quòd paritati solenniter professæ repugnet; huic autem nihil repugnat nisi *proprium*, vel in utroque, vel alterutro sensu juxta dicta sup. ergo. Unde Navarr. Sanchez *cit. c.* 22. & alii apud Barbos. *cit. n.* 15. affirmant, licitam esse aliquarum Religionum consuetudinem, in quibus ex Superiorum licentia certi annui reditus cuilibet Religioso assignantur ad victum, & vestitum, ita, ut, si deest aliquid, ipsi quærant, si autem supereſt, applicent piis, & religiosis usibus, dummodo Religiosi non excedant limites licentiæ illis concessæ, & parati sint informationi legitimè faciendæ obtemperare.

Plura deinde in c. *Cùm ad Monaste-* 2963
rium

rium. 6. h. t. statuuntur circa Monachos, Innocentius enim III. scribens ad Abbatem & Conventum Sublacensem Ordinis D. Benedicti, ut notat Gonzalez hic V. *Sublacensi*) firmiter statuit. 1. ne quis de cœtero Monachorum lineis camisiis uteretur: deinde si quis proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari admonitione præmissâ, de Monasterio expellatur, nec recipiatur ulterius, nisi pœniteat secundùm Monasticam disciplinam: tertiò, si quicquam alicui fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere, sed Abbati, vel Priori, aut Cellario assignari: quartò, in Oratorio, Refectorio, Dormitorio, continuum semper silentium observetur: in claustro quoque certis horis, & locis, secundùm antiquam consuetudinem Monasterii, laudabiliter observatam.

Quintò, ut in Refectorio nullus omnino carne vescatur, nec in quibusdam solennitatibus, sicut aliquando fieri consuevit, Conventus exeat cum Abbate, paucis ibi relictis, ut extra Refectorium edant carnes, cùm in illis diebus præcipuè regularis disciplina sit studiosiùs observanda: sed nec extra Refectorium, nisi in infirmitorio, esum carnium credant sibi licere, quamquam ex indulgentia possit Abbas interdum aliquos fratrum, nunc hos, nunc illos, prout necessitas postulaverit, advocare, ipsosque secum in Camera sua melius, & plenius exhibere.

2964 Sextò, ut debiles, & infirmi, qui minutione indigent, vel aliquâ medicinâ, non seorsim in cameris, sed omnes in infirmitorio, quæ necessaria fuerint sibi, tam in carnibus, quàm in aliis, recipiant competenter. Quòd, si quisque eorum debilis fuerit, aut etiam delicatus, ut non possit communibus cibis esse contentus, sic ei provideatur sine scandalo aliorum, ut, si Abbas, vel Prior voluerit in Refectorio misericordiam facere specialem, cibum aliquem competentem, non ante illum, sed ante se faciat apportari, de quo ipse faciat illi pittantiam pro sustentatione naturæ.

Septimò, ne existimet Abbas, quòd super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare, *quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

Circa hæc not. ita fuisse de jure veteri; nunc verò vel de consensu Summorum Pontificum, vel ex propriis Ordinum, vel Conventuum statutis, aut consuetudine legitimè introducta, in multis aliter observari, præsertim circa esum carnium, infirmos, vestes &c. quæ in quovis ordine, secundùm proprias leges, laudabiliter fiunt. Ex his tamen, quæ ex dicto c. 6. retulimus, apparet magna quoque differentia inter Monachos, & Canonicos Regulares; nam his nunquam non licuit uti camisiis lineis, seu indusiis, ut notat Pirhing. *h. t. n.* 8. & rescriptum hoc solùm ad Monachos Benedictinos pertinere tradit Gonzalez in *dict. c. 6. à n.* 1. 2965

Illud adverte, quod in cit. textu dicitur, deprehensum habere proprium, regulari monitione præmissâ, nisi pœnitentiam agat, secundùm monasticam disciplinam, *à Monasterio expellendum esse*; non esse in usu, ne talibus detur occasio vagandi, ut notat Sanchez *l. 7. moral. c. 20. n.* 12. prout colligitur ex c. *ultimo*, de Regularibus supr. à nobis cit. Quod autem dicatur, *proprietatem* apud Monachum post mortem inventam, esse cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio *subterrandam*, intelligitur *de peculio* sine Superiorum licentia apud ipsum reperto; ubi tamen sufficit aliquam ejus partem, si notabilis foret, cum eo subterrare, in editionem talis signi, ut tradunt DD. communiter: Tridentinum autem Sess. 25. de Regul. c. 2. in fine statuit, ut, si Religiosus aliquid, ut proprium habere deprehensus, aut convictus fuerit, is biennio activâ, aut passivâ voce privatus sit, atque etiam aliter, juxta suæ Regulæ, & ordinis constitutiones, puniatur. 2966

Quæstio est 9. an Canonici Regulares licitè præficiantur Ecclesiis Parochialibus? de hoc fit mentio in c. *Quod DEI timorem 5. h. t.* cujus summam sub his verbis complectitur Rubrica: *Canonicus Regularis potest præfici Ecclesiæ parochiali, etiam seculari; Sed debet habere Socium sui ordinis, si commodè fieri potest.* Pro expositione not. affirmativam hanc suaderi ex 2967

ex pluribus capitibus 1. ex ipso textu dicti c. ubi dicitur, quod, *licet in CC. Lateran.* (relato *c. 2. h. t.*) de Monachis caveatur, ne singuli per quascunque parochiales Ecclesias ponantur: *istud tamen de Canonicis Regularibus specialiter non caveri* 2. quia etsi Canonici Regulares *à Sanctorum Monachorum consortio non putentur sejuncti* (intellige in his, quæ tangunt omnes Religiosos in communi viventes arg. c. 2. *§. qui verò h. t.*) *tamen inserviunt regulæ laxiori*, quo posito ex hoc in dicto textu arguit Pontifex: cùm per antiquos Canones etiam Monachi possint ad Ecclesiarum parœcialium regimen in Presbyteros ordinari, ex quo debent prædicationis officium (quod privilegiatum est) exercere, licet non inserviant regulæ tam benignæ, sicut dicti Canonici, idem concedendum Canonicis, qui inserviunt regulæ laxiori.

2968 Confirmant communiter ex Trid. Sess. 14. de reform. cap. 11. ubi: PP. prohibent, Canonicum regularem, *translatum* ad alium ordinem, assumi ad beneficium sæculare, etiam curatum, nam è contrario videntur innuere, Canonicum regularem *non translatum* ad alium ordinem, posse eligi ad tale beneficium, quomodo illum textum intellexit, & adduxit Rota in una Papiensi, die 6. Martii, anno 1578. his verbis: *fuit quæsitum, an Canonico regulari cum licentia superioris possit provideri de beneficio curato seculari? Et fuit concluſum, posse*, per textum in c. *quod DEI timorem*, de statu Monach. & ibi Abbatem in summa.

Deinde ex eod CC. loc. cit. dùm vult Canonicum regularem, *translatum* ad alium ordinem, non esse capacem beneficii secularis curati: tacitè innui videtur, *non translatum* esse capacem, & declaravit Sacra Congregatio Concilii anno 1602. ibi: Congregatio Concilii censuit, decretis ejusdem Concilii Canonicum regularem non prohiberi obtinere beneficia curata secularia, nisi fuerit ex his translatis, de quibus habetur in decreto, c. 11. *Sess.* 14. Hujus declarationis meminit Gonzalez in dict. *c. 5. n. 3.* quin addat, esse ab aliquo Pontifice approbatam.

2969 Gonzalez etiam in dict. c. *Quod DEI timorem*, *n. 5.* ait, firmiter tenendum, Canonicos Regulares, cum sui Superioris licentia, posse eligi ad beneficia secularia, eò *quòd essentialiter sint Clerici*, & à temporibus Apostolorum ad regendas Ecclesias instituti, unde æque, ac sæculares, capaces sunt regiminis cujusque Ecclesiæ, etiam sæcularis. Quam rationem insinuavit D. Thomas 2. 2. *q.* 189. à 8. Unde *n.* 6. ad illud, quod *beneficia sæcularia sæcularibus conferenda sint*, respondet: non constare, quibus personis Regularibus conferri non possint, ut videri potest apud Barbosam in Remiss. ad CC. *Trid. sess.* 14. *c.* 11. ita Gonzalez; sed nota, quod idem Author statim *n.* 6. subjungat: *hæc procedere jure communi attento.*

Sub hoc movet quæstionem, *an inspecto jure novissimo Concilii Tridentini liceat Canonicis regularibus beneficia sæcularia possidere*? & relatis pluribus, qui tuentur negativam; aliis nihilominus affirmantibus, concludit: *in hac opinionum varietate credo, validè, & licitè posse Canonicis Regularibus beneficia sæcularia, etiam curata*, conferri. Sed quia hæc quæstio adhuc decisa non est per Sedem Apostolicam, etsi sæpius disputata in sacra Rota, ne hujusmodi beneficia Canonicis Regularibus collata, ut vacantia impetrentur, optarem hujusmodi declarationem peti à Romano Pontifice, sic ille. 2970

Sed dicendum cum negantibus, jure novo Concilii Tridentini nec Monachos, nec Canonicos Regulares, nec alios Regulares, sine Papæ dispensatione, ad Ecclesias Parochiales, vel curatus sæculares (nisi Monasteriis unitas) assumi posse, vel in perpetuum, vel ad tempus; ita Sanchez *l. 7. moral. c.* 29. *n.* 71. cum pluribus aliis, quos refert Barbos. in *Trid. Sess.* 24. *c.* 11. *n.* 5. probans id ex observatione moderna, & declaratione S. Congr. CC. Trident. cujus verba sunt hæc: *Sanctissimus Dominus noster Gregorius* XIII. *noluit licere Canonicis Regularibus, etiam de licentia sui Generalis, absque permissu Summi Pontificis, assumere curam animarum, etiam ad tempus, multoque minus beneficium curatum ad tempus*; & Mandosius in Praxi signaturæ gratiæ titul. de dispensationibus Monachorum pro obtinendis beneficiis, ait, *hodie non dispensari cum Monacho ad beneficium curatum.* 2971

2972 Dices: Bulla Pauli IV. *postquam divina bonitas*, data 13. Kalend. Aug. Ann. 1558. (disponens, privari quibuscunque beneficiis, etiam curatis, regulares, qui absque Apostolica dispensatione ea obtinuerint) redacta est per Pium IV. in sua Bulla (*Sedis Apostolicæ solertia*, sub data 3. Non. Aprilis, Ann. 1560.) ad terminos juris communis, sed Canonici Regulares de jure communi possunt præfici Ecclesiis curatis sæcularibus, ex dict. à n. 2967. ergo. R. datâ illâ reductione ad terminos juris communis; huic tamen obstare modernam praxim, quæ observat, quod sine Apostolica dispensatione regulares talia beneficia obtinere non valeant, præsertim stante Decreto Gregor. XIII. à Congregatione relato, nec etiam in commendam.

2973 Ad ea, quæ n. 2967. adducuntur pro opinione affirmantium. R. textus illos procedere spectato *jure antiquo*; Ad 1. confirm. in n. 2968. R. negando valere illam illationem à sensu contrario, propter contrariam in usu jam recepto praxim, & oppositam declarationem Sacræ Congregationis, à Gregorio XIII. approbatam; quod etiam dicitur ad allatam inibi decisionem Rotæ. Ad Declarationem Sacræ Congregationis, de qua fit mentio in n. R. si quæ talis facta esset (nam nihil allegatur, ubi, quando, vel apud quem?) eam (quam diximus approbatam à Gregorio XIII. & passim in terminis formalibus, reperire est) illi meritò præferri.

2974 Ad argumentum, quod affert Gonzalez in n. 2969. R. dato, quòd dicti Canonici Regulares *essentialiter* sint Clerici, hoc est *instituti ad regendas Ecclesias*, hoc tamen non esse accipiendum aliter, quàm *juxta Ordinationem Ecclesiæ*; quæ, quia, *temporibus antiquis*, non erant Presbyteri sæculares; vel, si erant, ad hoc munus non erant ita habiles, etiam Monachos in subsidium tunc evocavit ad animarum & Ecclesiarum, etiam sæcularium curam; quæ ratio in præsens non est amplius; præterquam, quòd Ecclesia (utique experimento docta de quibusdam inconvenientibus, exinde subsecutis, regulari vitæ repugnantibus) nolit *nunc*, occasione talis muneris, dare Regularibus occasionem, eorum inconvenientium; sed malit, eos deservire DEO, & proximo, *in suis Ecclesiis*. Quod autem dicit Gonzalez, *non constare*, quibus personis Regularibus non possint conferri beneficia curata sæcularia? negatur, nunc meritò, ex dict. à n. 2971.

Quæstio est 10. an Cistercienses pos- 2975
sint possidere villas, Ecclesias, altaria, homagia, &c. hæc quæstio movetur in c. *Recolentes*. 3. *h. t.* ubi Alexander III. scribens universis Abbatibus, & Conversis Cisterc. Ordinis: præmissâ magnifica laude Antecessorum, quòd monasticæ fragilitatis contentissimi, optimum ponentes in paupertate principium, totius sufficientiæ assecuti sunt complementum, Ecclesiæ chari, Episcopis, Prælatis accepti, atque in conspectu Regum, ac Principum famâ, & merito glorioši; nunc autem, etsi non ab omnibus, neque in omnibus, à plerisque tamen, & in pluribus, ab illa sancta institutione dicitur declinatum, in tantùm, ut aliqui ex Vobis, primæ institutionis obliti penitus, vel ignorantes, contra Ordinis vestri regulam, villas, & molendina, Ecclesias, & altaria possident, fidelitates, & homagia suscipiunt, justitiarios, & tributarios tenent, & omne studium adhibent, ut termini eorum dilatentur in terris, quorum conversatio debet esse in cœlis. Subjungit, *læditur hinc Ordo penitus, & vitiatur: nec est mutatio dexteræ Excelsi, quin immò potius de dextera transeunt in sinistram, qui, tùm relicto sæculo, sub paupertatis habitu, DEO militare decreverunt, in negotiis denuo sæcularibus implicantur*; & multis hortatur deinde, quatenus domus illæ, quæ à prima sui origine in ordine ipso sunt fundatæ, constitutis, & ordinatis terminis sint contentæ, nec velint inordinatè ad ea manus extendere, quæ sine laboribus, & periculis multis, & demum sine criminibus, & magna confusione non poterunt retinere. *Si enim*, inquit, *relictis Originalibus Ordinis institutis ad communia volueritis aliorum Monasteriorum jura divertere, oportebit & vos communi jure censeri; quia dignum est, ut si similem cum aliis suscipiunt vitam, similem sentiant in legibus disciplinam.*

Pro expositione *not.* 1. in textu cit. 2976
per *altaria*, & *Ecclesias* intelligi decimas, & proventus Ecclesiarum, ut vult Gonzalez

zalez hic *n.* 2. juxta c. *quæsitum* 1. *q.* 3. ibi: *quæsitum est de Episcopis, qui altaria, Monasteriis data, frequenter redimi compellebant pecuniâ: quia quidam Simoniacæ pravitatis usus in Galliarum partibus jam diutius inolevit, ut Ecclesiæ, vel decimæ (quæ vulgari vocabulo apud eos altaria nuncupantur) Monasteriis datæ, sæpius ab Episcopis sub palliata avaritia vendantur: mortuis nimirum, seu mutatis Clericis, quos personas vocant.*

2977 *Not.* 2. per ly *justitiarios* intelligi jurisdictionem temporalem, ex quo habetur Cistercienses Monachos talem jurisdictionem juxta priscam sui Ordinis disciplinam habere non potuisse; licet hoc aliis Monachis olim prohibitum non fuerit, constat ex finalibus verbis hujus textus, ubi docet Alexander III. quod si ad Cistercienses transferantur alterius Ordinis, seu Religionis Monasteria habentia villas, vassallos, & similia, debent hæc omnia, quæ Cisterciensibus non conveniunt, relinquere, aut commutare, pro aliis rebus, seu possessionibus. Unde similia bona non improbantur in aliis Monasteriis, ut probat Anguianus de Legibus *lib.* 2. *c.* 17. *n.* 6.

2978 Ex dictis porrò colligitur, olim Cistercienſibus, secundùm primævam sui Ordinis disciplinam, non licuisse, habere illas possessiones, & jura, de quibus fit in textu mentio: ex privilegiis autem Summorum Pontificum hodie posse habere castra, villas, molendina, possessiones, census, jurisdictiones, & jura, ut refert Fr. Emman. *q. Regul. tom.* 3. *q.* 7. *art.* 1.

Colligitur 2. Monachos non in bonis unitis succedere dignitati, sive jurisdictioni; atque adeo nec succedere in majoratu, dignitatem, seu jurisdictionem annexam habente, sicut nec in Regno, Comitatu, vel Ducatu, ut tradunt Gloss. V. *dignitate*, in c. *scripsit nobis.* 27. *q.* 2. communiter recepta ab Archi. Diac. & cæteris scribentibus. Sed hoc jure antiquo; secus enim est, si privilegio capaces sint jurisdictionis temporalis.

2979 Colligitur 3. quod in textu dicatur in specie *de Ordine Cistercienſium* (eos teneri ad observandam regulam sive primævam institutionem) hodie intelligi de omnibus Religiosis ex Tridentino *Sess.* 25. *c.* 1. de Regul. ubi præcipitur: Ut omnes Regulares, tam viri, quàm mulieres, ad regulæ, quam professi sunt, præscriptum, vitam instituant, & componant; hoc tamen videtur accipiendum cum limitatione, ut intelligatur in his, in quibus Authoritate legitima facta non est relaxatio quædam rigoris ex justis causis per summos Pontifices approbata.

Et quamvis Pontifex in textu solùm dicat: *precibus, & monitis exhortamur*, quæ verba videntur solùm importare consilium *perfectionis*; non autem *obedientiæ*, seu præcepti: dicendum tamen est, non esse meri consilii, quando cadunt *super materiam de præcepto*; at observantia regularis instituti juxta primævam regulam vi statûs est de præcepto, in his, in quibus nihil Authoritate legitimâ relaxatum est; ergo: Ma. colligitur ex 11. *q.* 3. *c. Rogo.* 25. ubi Gregorius, dum ibi dicit, ut Clerus, & populus à prohibitæ communionis consortio excommunicati supersedeat, solùm utitur verbis; *rogo, hortor*, & *moneo*, & tamen est sub præcepto, *non communicare cum excommunicatis*, & ideo Gloss. in dict. *c.* 25. V. *Rogo, verbum*, inquit, *rogandi, hic præceptivè ponitur: monemus enim, quos habemus charos*, ut 28. *q.* 1. *c. sic enim*, & alibi, *rogo*, non ponitur deprecativè. ff. de negot. gest. L. *si servi mei rogatu*; Sed ponitur *rogare*, pro *mandare.*

Colligitur 4. quòd, si unum Mona- 2980
sterium, vel Ecclesia unitur alteri, eo ipso assumat naturam, privilegia, & consuetudines Ecclesiæ cui unitur; Sic Doctores communiter ex illis verbis cit. *c.* 25. *si enim relictis originalibus Ordinis institutis ad communia volueritis aliorum Monasteriorum jura divertere, oportebit vos communi jure censeri:* quia dignum est, ut qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam. Videtur tamen intelligendum de casu, quo talis unio est facta accessoriè; non autem, æque principaliter, de quo V. dicta àn. 2975.

Colligitur 5. quòd possit integer 2981
Conventus, sive Monasterium, aut Domus religiosa, se ex toto transferre ad arctiorem ordinem, saltem cum Authoritate, ac licentia Ordinarii, seu Episcopi; prout sumitur, ex cit. c. *Recolentes*, §.

cæterum; h. t. ibi: cœterùm *domus illæ, quæ de aliis institutionibus ad vestrum ordinem se transtulerint, vestris omnino se satagant usibus conformare*, & relictis possessionibus, vel etiam commutatis, quas institutio vestra non recipit, sic se in omnibus Religioni vestræ coaptent, ut quemadmodum gaudent se in Societatem ordinis, & habitus identitatem assumptas, *sic etiam in paupertate sæcularium rerum se lætentur vestris institutionibus conformatas.*

2982 Dices cum Fagnano in cit. c. 3. à n. 24. si posset integer Conventus sine Authoritate Sedis Apostolicæ se ex toto transferre ad arctiorem Ordinem cum licentia Episcopi, etiam integer Ordo, seu Religio sic transire ad alium sine licentia Papæ. Sed negatur sequela, aliud enim est *de uno Monasterio* alicujus Ordinis, aliud *de toto Ordine*; sicut enim, ut aliquod Monasterium alicujus Ordinis erigatur in aliquo loco, non est opus licentiâ Papæ; secùs ut novus Ordo inchoetur; sic ut unum Monasterium extinguatur non erit opus licentia Papæ; secùs ut totus Ordo; at per talem transitum totius Ordinis in alium extingueretur prior Ordo. ergo.

2983 Quæstio est 11. quid hoc titulo statutum sit de Capitulis Provincialibus Regularium? R. circa hanc quæstionem in jure communi agi. 1. c. *In singulis.* 7. c. *Ea quæ.* 8. *& fin. h. t. & Trid. sess.* 25. *de Regularibus c.* 8. Quia verò (ut rectè notat Wagnereck in Rubricam hujus Tituli) pleraque ad Canonicorum Regularium, Benedictinorum, Cistercienſium, ac aliorum, (si qui de his participant) institutum, regulas, & observantiam pertinent, & per specialia statuta, consuetudines, indulta, & privilegia Summorum Pontificum variè modificantur, ii super his specialiter requirendi sunt, qui in ejusmodi talium Religionum instituta scripserunt; Nos pauca solùm annotabimus, quæ juri communi deserviunt ex dict. cc. Quare

2984 *Not.* 1. cùm in c. *In singulis* dicatur: quòd in talibus Capitulis statutum fuerit, *inviolabiliter observetur, omni excusatione, & contradictione, ac appellatione remotis*, non debere accipi, ut nec justa, & legitima excusatio recipiatur, prout rectè notat Rebuffus in compend. alienat. *n.* 48. apud Barbos. c. in singulis *n.* 2. ubi bene animadvertit quòd, si quis mandetur condemnari *non obstante excusatione*, non intelligatur excluſa *legitima*. Deinde, debere accipi de his, *quæ concordi fuerint deliberatione provisa*, ut ait textus.

Not. 2. in CC. Trid. loc. cit. statui, ut Monasteria omnia, quæ generalibus Capitulis, aut Episcopis non subsunt, nec suos habent Ordinarios Regulares Visitatores; sed sub immediata Sedis Apostolicæ protectione, ac directione regi consueverunt, teneantur, intra annum à fine præsentis Concilii, & deinde quolibet triennio, sese in Congregationes redigere, juxta formam Constitutionis Innocentii III. in Concilio Generali in cit. c. *In singulis*; præscriptam, *h. t.*

Not. 3. Quæ c. *In singulis* dicuntur 2985
de celebrandis quolibet triennio Capitulis Provincialibus à Monachis, in eodem textu etiam extendi ad Canonicos Regulares, ibi: *hoc ipsum Regulares Canonicos secundùm Ordinem suum volumus, præcipimusque observare.* Videtur autem ly *hoc ipsum* referri non tantùm ad §. immediatè præcedentem, sed ad omnes Priores, in quibus præscribitur forma celebrandi ejusmodi Capitula, ut & Canonici Regulares ad inibi contenta, teneantur, sed *juxta Ordinem suum*, ut ait textus.

Not. 4. Quando dicitur, quòd, si Rectorem loci cognoverint ab administratione penitus amovendum, denuntient Episcopo proprio, ut illum amovere procuret, quoad denuntiationem faciendam Episcopo, debere accipi, *quando tales Regulares ei subjecti sunt*, quod autem dicitur, de *removiendo* Rectore, vel Prælato loci, non intelligi, quòd fieri debeat, aut possit ob quamliber negligentiam, & neglectum disciplinæ Regularis; sed gravem, & supinam, etiam facta sæpius monitione; sic gloss. c. *Cùm ad Monasterium.* 6. *h. t.* V. *Negligens.* Joann. Andr. *c. fin. eod. v.* 7. & alii.

Not. 5. In casu, quo Visitatores 2986
Monasteriorum Episcopo subjectorum reperirent, Prælatum loci esse penitus amovendum, & re, denuntiatâ Episcopo, is illum removere procuraret, potestatem removendi non devolvi propter Episcopi negligentiam ad Archi-Episcopum; sed ita in hoc casu specificè per c. *In singulis* constitutum esse, quòd, si

non

non fecerit (nimirum Episcopus) ipsi Visitatores hoc referant ad Apostolicæ Sedis examen.

2987 *Not.* 6. Quòd Visitatores Monasteriorum, ubi processerint ad visitationis officium exequendum, possint, & debeant de statu Monasteriorum, & observantiis Regularibus diligenter inquirere, & tam in spiritualibus quàm in temporalibus corrigere, & reformare; quæ viderint corrigenda; ita tamen, quòd Monachos delinquentes *per Abbatem loci* corrigi faciant, eisque injungi pœnitentiam salutarem.

Deinde, quòd ipsi Visitatores Monachos, quos contumaces invenerint, & rebelles, juxta modum culpæ, tanquam Sedis Apostolicæ Delegati (ibi: *vice nostrâ*) regulari censura compellere possint, absque personarum delectu, non parcendo rebellibus ob suam pertinaciam vel potentiam amicorum: *quin ovem morbidam ejiciant ab ovili, ne inficiat sanas oves*; sic Honorius III. ut habetur in c. *Eaquæ. fin. h. t.*

2988 *Not.* 7. Episcopum, per Visitatores monitum de nimia negligentia Prælati Monasterii, *non exempti*, non tamen proprerea removendi, posse illi dare, seu *constituere* fidelem, & providum *Coadjutorem* usque ad Capitulum generale; quod, si dilapidator inventus fuerit, vel aliàs meritò amovendus, *per Diœcesanum*, postquam hoc sibi à Visitatoribus denuntiatum fuerit, *amoveatur* absque judiciorum strepitu à regimine Abbatiæ, ac Monasterio provideatur *interim Administrator* idoneus, qui temporalium curam gerat, donec ipsi Monasterio fuerit de Abbate provisum; ex hoc habetur, in ejusmodi non esse opus strepitu judicii seu processu ordinario; sed sufficere processum summarium, de plano, inspectâ tamen rei veritate, ut colligitur ex illis verbis *cit. c. fin.* ibi: *absque judiciorum strepitu.*

2989 *Not.* 8. Hæc etiam præcipi observanda à visitatoribus, vel Capitulorum generalium Præsidibus 1. circa exemptos Abbates depositione tantùm ipsorum Sedi Apostolicæ reservatâ; ita tamen, ut Abbate, qui amovendus videbitur, interim per Visitatores, vel in Capitulo præsidentes ab administratione suspenso, administrator idoneus Monasterio deputetur, in Monasteriis, quæ non habent Abbates proprios, sed Priores, nec non in Monasteriis monialium quoad articulos Abbatissis, & monialibus congruentes, præcipimus observari; ita textus.

Not. 9. in casu, quo Superior Loci 2990
per Episcopum deponitur, ei non succedere Capitulum in administratione in cura temporalium; sed ab Episcopo poni administratorem, qui eam curam gerat; ut constat ex præced. num. *Not.* 10. in his, quæ fiunt à Monachis contra regulam, correctionem fieri debere præcipuè per Abbatem, etiam visitante Episcopo, ut constat ex textu cit. c. 8. ibi: *per Abbatem loci corrigi faciat.*

Quæstio 12. est quis numerus esse pos- 2991
sit, Sororum seu Monialium in Monasteriis mulierum? R. Bonifacium VIII. in c. *Periculoso* 1. de statu Regularium in 6. §. *Sanè*, constituisse districtius inhibendo, ne in Monasteriis Ordinum non mendicantium aliquæ recipiantur de cætero in sorores, *nisi quot poterunt, de ipsorum Monasteriorum bonis, sive proventibus, absque penuria sustentari: si secus actum fuerit, irritum decernentes*; & in Trid. Sess. 25. de Regul. c. 3. de hac quæstione ordinatum est, ut in prædictis Monasteriis, & domibus tam virorum, quàm mulierum, bona immobilia possidentibus, *is tantùm numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari*, nec de cætero similia loca erigantur sine Episcopi, in cujus diœcesi erigenda sunt, licentiâ, prius obtentâ.

Ex istis textibus *not.* 1. quod dictum 2992
c. nolit plures sorores in Monasteria mulierum, Ordinum non mendicantium, recipi, quam possint ex earum bonis, seu proventibus sustentari *absque penuria*; Tridentinum autem loquens de Monasteriis utriusque sexus ordinis etiam Mendicantium, tot solùm, quot ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis *commodè sustentari*, quæ utique valde diversa sunt; plus enim est *vivere commodè*, quam solum *absque penuria.*

Not. 2. in Trid. non dici *irritam de-* 2993
cerni esse receptionem supra numerum ibi

permissum, in c. *Periculoso* autem, irritam decerni receptionem Monialis, ultra numerum permissum, ut constat ex textu in n. 2991. & quia Tridentinum loco cit. in hoc puncto non derogat dictæ constitutioni, quoad irritam ejusmodi receptionem, eam etiam hodie tenere dicendum est. An autem, & qualiter mulieres Monasteriis, quæ ingrediuntur, dotem afferre, ac Monasteriis eam recipere liceat? diximus *l. 5. tit. 3.* Ex his concluditur per oppositum, quantum est vi juris communis, ac Tridentini, non præscribi certum numerum personarum recipiendarum ad Monasteria, si ex bonis, seu proventibus Monasterii, aut consuetis eleemosynis in eo numero, quo recipiuntur, *commodè* juxta normam talis Religionis sustentari valeant.

2994 Quæstio est 13. quæ Moniales sint benedicendæ? R. in Clement. *Attendentes. 2. §. statuimus*, de statu Monach. circa istam quæstionem constitutum esse, ut quævis ad regimen Abbatissarum assumptæ in Monasteriis, in quibus *Abbatissæ* sunt *solitæ* benedici, intra annum à suæ confirmationis tempore computandum, munus benedictionis suscipiant: alioquin à suo jure (nisi subsit causa rationabilis) prorsus se noverint cecidisse, per illos, ad quos id pertinet provisione de Abbatissis Monasteriis ipsis canonicè facienda. Ex hoc deducitur, *non omnes Abbatissas benedici*, sed in hoc inspiciendum, & servandum morem Monasterii, si autem aliquæ fuissent benedictæ, non tamen omnes, standum esset mori servato à 40. annis, si de illo constare posset; unde, ubi mos benedicendi non est, nec etiam est locus pœnæ, de qua in textu; cùm loquatur solùm de neglectu benedictionis in Monasteriis, in quibus Abbatissæ sunt *solitæ* benedici, ut notat ibid. Gloss. V. *Solitæ*. *Not.* autem 1. textum specificè agere de *Abbatissis*; & cùm pœnalis sit, non extendi ad Abbates pœnam neglectæ benedictionis decretam. 2. pœnam illam supponere in talibus Abbatissis *negligentiam*, adeoque culpam, à qua excusat causa rationabilis, ob quam benedictionis suscipiendæ omissio intra annum præscriptum facta est, causas porrò sufficientes ponit Gloss. ibid. V. *rationabilis*, & colligitur ex textu, ibi: *nisi causa rationabilis subsit.* 3. si contingat Abbatissam ex tali culpa cadere de suo munere, provisionem de Abbatissa pertinere ad illos, ad quos aliàs de jure communi spectat electio canonicè facienda; 4. Abbatissas non perpetuas non benedici, sicut nec Priorissas, ut tradit Sylvester V. *Abbatissa n. 4.*

Quoad reliquas Moniales benedicendas, vel consecrandas *not.* 1. eam consistere in traditione, seu impositione veli, de qua velatione agit Gelasius Papa in 20. *q. 1. c. Devotis* 11. ibi: devotis DEO virginibus, *nisi aut Epiphaniorum die, aut in albis Paschalibus, aut in Apostolorum natalitiis sacrum velamen minimè imponatur: nisi forsan* (sicut de baptismate dictum est) *gravi languore correptis, ne sine hoc munere de sæculo exeant, implorantibus non negetur*, ubi gloss. V. *Velamen*; hic, ait, dicitur, quo tempore virgines sint velandæ, vel consecrandæ. Est autem quadruplex *velamen*, nimirum professionis, consecrationis, ordinationis, prælationis. *Velum professionis* imponitur tam virgini, quàm viduæ, dum tamen sit XII. annorum ut intra q. 2. c. *puella*; Velum *consecrationis* est, quod tantùm virginibus imponitur in 25. ann. ut infr. ead. q. c. *placuit* & 77. dict. c. placuit. Velum *ordinationis*, quod olim imponebatur Diaconissis in 40. anno, ut infr. ead. c. *Sanctimoniales*. Velum *prælationis* est, quod in anno 40. datur Abbatissæ, ut infra ead. c. *juvenculas* 31. q. 1. c. *quomodo virginibus*. 2995

Circa hæc *velamina not.* 1. hodie 2996 velum *professionis* (quod nigrum est) non dari, nisi completo 16. ætatis anno; cùm professio prius facta non valeat, ex dictis, & hoc dari omnibus Religionum professis sive virgines sint, sive viduæ; quod tamen intellige, juxta modum Religionis; Laicæ enim velo utuntur albo: secundò, velum *consecrationis* dari solis Virginibus, non Viduis, etiam professis, quo habetur differentia hujus veli ab illo; tertiò, velum *Ordinationis* olim datum esse certis mulieribus (quas *Diaconissas* vocabant) ad inchoandum officium, & legendas homilias; hæc Ordinatio fit hodie, quando Moniales velantur, probabilius velo professio-

fessionis 27. *q.* 1. *c. Omnes fœminæ.* 6. quartò, velum *prælationis*, quod olim dabatur Abbatissis, ut dicemus in seq. His aliqui annumerant velum continentiæ, & observationis, quod est viduarum; & velum conversionis seu probationis, datum in susceptione habitus religiosi ante professionem.

2997 *Not.* 2. Velum consecrationis olim non fuisse datum ante 25. ætatis annum 20. q. 1. c. *placuit* 14. ibi: *ante* XXV. *annos ætatis* nec Diaconi ordinentur, *nec Virgines consecrentur*, sed posse citius, ostendit universalis consuetudo, ut ait Barbosa apud Pirhing *h. t. n.* 31. & constat ex praxi: debet dari à proprio Episcopo *c.* 24. *dist.* 23. ibi: *Sanctimonialis Virgo*, cùm ad consecrationem *suo Episcopo* offertur; & c. *perlectis.* 1. *dist.* 25. §. *ad Episcopum*, ibi: *ad Episcopum*, ibi: *ipse Sacras Virgines benedicit:* & quamvis Sylvester in Summa V. *Abbatissa n.* 3. *q.* 2. & ex eo Pirhing *h. t. n.* 31. dicant, hanc functionem non posse delegari alteri, nisi à Papa; id tamen nullo jure probant, & Canones allati non prohibent. Nulla autem Monialis, etiam Abbatissa, potest alteri velamen imponere, ut habetur *c.* 20. *q.* 2. *c. statuimus.* 3. Si autem hoc facere præsumeret, incurrere pœnam excommunicationis, tradit Pirhing *loc. cit.* sed textus solùm dicit: si quæ in tantam audaciam proruperit, ut aut viduam, aut puellam virginem velare præsumat, *judicio Canonico usque ad satisfactionem subdatur*; quod non sonat determinatè pœnam *excommunicationis.*

2998 *Not.* 3. Moniales Mendicantium, & quasdam alias (ut sunt Cœlestinæ, Ursulinæ) non necessariò velum recipere ab Episcopo, ut constat ex praxi; de viduis verò & corruptis, etiam sine suo consensu, inquit Sylvester cit. q. 1. eas juberi, *à velo consecrationis humiliter abstinere. Not.* 4. ut detur velum Prælationis (quod olim Abbatissis dabatur, anno LX. ætatis c. *Juvenculas* 12. & ibi Glossa V. *Sexagenariam*, & Gloss. marginalis caus. 20. q. 1. postea verò anno XXX. completo c. *Indemnitatibus.* 43. in princ. de elect. in 6.) hodie juxta Trid. Sess. 25. de Regular. c. 7. requiri annos ætatis 40. Cùm hoc dari non possit, nisi electæ. Tridentinum autem præcipit, ut Abbatissa, & Priorissa, & quocunque alio nomine Præfecta, vel Præposita appellatur, eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit; sed advertendum, hoc accipiendum esse cum limitatione, quam ibidem ponit Concilium ibi: *quòd, si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio, ex alio ejusdem ordinis eligi possit; Si hoc etiam incommodum Superiori (qui electioni præest) videatur, ex iis, quæ in eodem monasterio annum trigesimum excesserint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo, vel alio superiore consentiente, eligatur.*

Not. 5. ex tripartito numero monia- 2999
lium duas partes concurrere debere in electione Abbatissæ, nisi alia fuerit loci consuetudo; &, si fuerint discordes, posse Episcopum nominare unam, quam magis idoneam judicaverit, esse decisum, referri à Piasecio in Praxi Episcop. *p.* 2. *c.* 3. *n.* 57. vers. *in Monasteriis*, quem citat Zipæus in Analytica postremi juris Eccles: enarratione tit. de Election. *n.* 9. vers. *Abbatissa*: & Aldanus in Compend. Canon. resolut. *l.* 1. *tit.* 28. *n.* 26. ubi asserit, resolutum per sacram congregationem Episcoporum in Assisien 20. Novembris 1585. Et quamvis quoad primam partem (de duabus partibus ex tripartito numero Monialium) quidam afferant contrariam decisionem Rotæ, ut videri potest apud Barbosam in dict. *Sess.* 25. *c.* 7. *n.* 6. ipse tamen subjungit, illi decisioni adversari aliam ejusdem Rotæ apud Tamburinum post *tom.* 3. de jure Abbatum, *docis.* 7. *n.* 5.

Quæstio est 14. de clausura Moniali- 3000
um, de qua 1. potest dubitari quoad egressum illarum ex Monasteriis? 2. quæ sint legitimæ causæ, propter quas illis concedi possit, egredi de Monasterio? 3. quis eis concedere possit hanc facultatem? 4. qualiter aliæ personæ ingredi valeant monasteria Monialium? 5. qualiter earum visitatio instituenda sit? Ad 1. &. de hoc agi in c. *Periculoso*, de statu Regular. in 6. ubi Bonifacius VIII. loquens *ad universos*, & *singulos*, periculoso, & detestabili quarundam Monialium statui (quæ honestatis laxatis habenis,

benis, & Monachali modestiâ, sexusque verecundiâ impudenter abjectis, extra sua Monasteria nonnunquam per habitacula sæcularium personarum discurrunt, & frequenter intra eadem Monasteria personas suspectas admittunt, in illius, cui suam integritatem voluntate spontanea devoverunt, gravem offensam, religionis opprobrium, & scandalum plurimorum) providere salubriter cupientes: præsenti constitutione, perpetuò irrefragabiliter valiturâ sancimus, *eas sub perpetua in suis Monasteriis debere de cætero permanere clausurâ: ita, quòd nulli earum religionem tacitè, vel expressè professæ, sit, vel esse valeat, quacunque ratione, vel causa* (nisi fortè tanto & tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quòd non posset cum aliis absque gravi periculo seu scandalo commorari) *Monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas.*

3001 Quoniam autem hæc Constitutio Bonifacii in multis locis usu recepta non fuit, vel contraria consuetudine abrogata, eam innovavit *Trident. Sess. 25. de Regular. c. 5.* ubi sic loquitur: *Nemini Sanctimonialium liceat, post confessionem, exire à Monasterio etiam ad breve tempus, quocunque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa, ab Episcopo approbanda, indultis quibuscunque, & privilegiis non obstantibus*; ubi nota, quòd, tametsi in principio hujus c. 5. Concilium dicat, Sanctam Synodum innovare Bonifacii VIII. constitutionem in c. *Periculoso*, mitius tamen loquatur *de causa*, propter quam concedi eis possit facultas ad tempus egrediendi de Monasterio. Bonifacius enim negat illis exitum, nisi *evidenter* constaret de aliqua quòd cum aliis, propter contagiosum morbum, sine periculo, vel scandalo, commorari non possit: Tridentinum autem, *nisi sit causa legitima ab Episcopo approbanda.*

3002 Eandem Constitutionem tum Bonifacii VIII. tum Concilii Tridentini confirmavit, & declaravit Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Circa pastoralis*, edita anno 1566. Die 19. Maji, & in alia Bulla, cujus initium: *decori*; edita anno 1569. Calend. Febr. & Gregorii XVIII. cujus initium, *DEO SS. Virginibus*, anno 1573. Die 21. Jan. quæ legi possunt apud Quarantam in Summa Bullarii V. *Monasteria Monialium fol.* 440. & pluribus seqq.

Ex his deducitur, Monialem expres- 3003
sè, vel tacitè professam (igitur non Novitiam, vel alias mulieres in quibusdam Monialium cœnobiis degentes, sed non professas) sine licentia, & causa per Episcopum approbata, nec ad breve tempus licitè de clausura Monasterii egredi posse 2. per Episcopum posse, & debere videre an clausura servetur non solum in Monasteriis sibi subjectis, sed etiam in Monasteriis Monialium, quæ Regularibus subduntur, & non posse ab ipsis Regularibus impediri quò minus ad hunc effectum ea visitet, quoties id expedire judicaverit, referunt decisum Galet. in Margaritha casuum conscient. verb. *censura* 1. Zerol. in praxi Episc. p. 1. verb. *Moniales §. 4. & §. 8.* vers. 4. & alii apud Barbosam in dict. *c. 5. Trid. n.* 13. Textus enim in dict. *c. 5.* Episcopis graviter imponens curam curandi, ut servetur clausura Monialium, loquens de Monasteriis Monialium non subjectis Episcopo, indefinitè loquitur etiam *de aliis* non subjectis, ut in iisdem curent, non potestate Ordinaria, sed Authoritate Sedis Apostolicæ clausuram servatam, custodiri; vel si violata est, restitui.

Licet autem Moniales in civitate 3004
situatas, sed alieno Episcopo subjectas, visitari debere ab Episcopo diœcesis, sicut alias Moniales subjectas Regularibus, dicat decisum Galet. in Margarita casuum conscientiæ verb. *Monial.* 4. contrarium tamen teneri à Sanchez *in decal. tom. 2. l. 6. c. 15. n. 21.* Ludovic. Miranda de sacris Monialibus, *q. 2. art. 14. n. 3.* & Bonacina *dict. q. 1.* puncto 6. existimantibus, non posse Episcopum ad Clausuram cogere Moniales exemptas ab eo, nec illi licere intrare hujusmodi Monasteria exempta, Prælatisque Regularibus subjecta, etiam prætextu videndi, an violata ibidem fuerit clausura, nisi solummodo in casu, quo publicè constaret illam esse violatam.

Ad 2. R. ex constitutione Bonifacii 3005
VIII. esse unicam, si scilicet aliquo laboret morbo; ut cum aliis sine gravi periculo, vel damno cohabitare non possit,

sit; adjectâ clausulâ *exclusivâ* cœterarum causarum, quæ respiciunt solùm commoditatem alicujus personæ particularis, sed non totius communitatis; id, quòd de morbis solùm contagiosis procedit, quod confirmatur ex constitutione Pii V. incip. *Decori*, qua ordinavit, ne ulli Abbatissarum, Prioríssarum, aliarumve Monialium de cœtero *etiam infirmitatis, aliâve occasione, aut prætextu, nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis, lepræ, epidemiæ, à Monasteriis exire, sed nec in prædictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus, stare liceat.*

3006 Quæstio est, an non procedat in hoc puncto extensio ad casus similes expressis? vel etiam majores? R. etsi hoc regulariter non procedat, ut ostendimus *lib. 1. tit. 2. de Constitut.* in hoc tamen casu rectè affirmari cum Azor *p. 1. l. 13. c. 8. q. 1.* Sanchez *l. 6. moral. c. 15. n.* 37. & aliis, ratio sumitur ex *Trid. supr.* 3001. ubi negat Monialibus facultatem exeundi *etiam ad tempus* è Monasterio, *nisi sit causa legitima ab Episcopo approbanda.* Et quamvis *nomine causæ legitimæ approbandæ ab Episcopo*, aliqui probabiliter intelligant, non quamcunque, *quæ Episcopo legitima videtur*, sed solùm, *quam Episcopus judicaverit esse talem, quam Bonifacius in sua constitutione requirit*, contrarium tamen ostendit praxis, ubi etiam propter infirmitatem personæ particularis ab Ordinariis locorum indulta est facultas, utendi thermis, vel curâ simili, extra claustrum.

3007 Et ideo Navarrus in Commentar. 4. de Regularib. n. 49. Azor *p. 1. l. 13. c. 8. q. 1.* Suarez *tom. 4. de Relig. l. 1. c. 9. n. 9.* judicant probabilius, quòd Monialis, cum licentia Episcopi, exire possit è claustro, propter morbum sibi soli periculosum, licet relatè ad alias non contagiosum, si Medici judicent fore cœteroquin vitæ periculum; quia leges humanæ, quæ prohibitivæ sunt, intelliguntur de casibus communiter evenire solitis, non extraordinariis, & rarissimis, unde in his communiter interpretatio per epichiam fieri solet, istos non comprehendi sub lege.

3008 Ex his communiter concedunt Authores Moniali licere exitum de claustro cum Episcopi licentia (etiam præsumpta, si periculum sit in mora) non solùm si quæ sit infecta peste, ut ponit Bonifacius VIII. vel incendii, ut constat ex Pio V. sed etiam tempore belli ingruentis, ut recipiant se ad locum securum, juxta Barbos. in c. *unic. h. t. in 6. n.* 14. aut alterius similis causæ fundata extensione in verbis Trid. & praxi. His communiter addunt etiam pro legitima causa sequentes 1. si eligatur ad aliud Monasterium ad munus ibi necessarium; 2. si fundet ipsa aliud monasterium; 3. si ex justa causa transferatur ad aliud; 4. si transeat ad strictiorem ordinem; 5. si communitas ex veteri ædificio (v. g. sito extra Urbem) commigret in novum intra Urbem; 6. si acquisito sui Ordinis novo Monasterio aliquæ ducant coloniam ad inchoandam etiam inibi vitam regularem; hoc enim fieri, ex praxi constat.

Eadem facultas est Abbatissæ, vel 3009
Prioríssæ, quando ratione feudi, quod Monasterium, cui præest, habet, Principibus, aut dominis sæcularibus homagium, seu fidelitatis Sacramentum præstare debet; si scilicet non possit obtinere, ut per Procuratorem illud præster; poterit personaliter ex Monasterio exire, cum honesta, ac decente Societate (comitantibus illam duabus, vel pluribus ex antiquis Monialibus, & Capellanis ipsius) ita tamen, ut præstito homagio, ac juramento fidelitatis, statim ad Monasterium revertatur, per c. *unic.* de statu Regul. in 6. §. *Verùm*, juncta Gloss. V. *Societate*; ubi nota per ly *Statim*, non excludi moram aliquam exiguam, v. g. unius vel alterius diei, nam, ut ait Olendarpius in Lexico Juris, V. *Statim*; hoc enim cum temperamento temporis in jure accipiendum est, & sic accipiendum esse notant verba subsequentia, ibi: *Sic, quod in fraudem residentiæ, sive moræ claustralis, nihil fiat*; ubi excluditur solùm *mora fraudulenta*; ita Sanchez *cit. c. 15. n.* 20. si autem in aliquo Monasterio, ex usu, & consuetudine longissima foret receptum, quod certis anni diebus, peregrinari permittantur Moniales ad aliquam Ecclesiam vicinam; vel Abbatissa, aut Prioríssa inspicere bona suæ Administrationi commissa, &c. & secundum morem inibi receptum sine scandalo, aut nota ullius minus decen-

tis actûs adusque usurpatum professionem emisissent; censent communiter alii, non esse, sine gravi causa, restringendas, à libertate, possessione tot annorum legitimè acquisita, & præscripta.

3010 Ad 3. R. de hoc in cit. c. *Unico*, sic haberi: nullisque aliquatenus *inhonestæ personæ, nec etiam honestæ*, nisi rationabilis, & manifesta causa existat, ac de illius ad quem pertinuerit speciali licentia, ingressus vel accessus pateat ad easdem: ut sic à publicis & mundanis conspectibus separatæ, omnino servire DEO valeant liberius, & (lasciviendi opportunitate sublatâ) eidem corda sua, & corpora in omni Sanctimonia diligentius custodire.

3011 Huic constitutioni adhærens Tridentinum *Sess.* 25. *de Regul. c.* 5. *ingredi autem*, inquit, *intra septa Monasterii nemini liceat, cujuscunque generis, aut conditionis, sexus, vel atatis fuerint, sine Episcopi, vel Superioris licentia, in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda.* Dare autem tantùm Episcopus, vel Superior licentiam debet *in casibus necessariis, neque alius ullo modo possit, etiam vigore cujuscunque facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel inposterum concedendi.* Circa hoc decretum innumeras tum amplificationes, tum exceptiones refert Barbosa in cit. c. 4. à n. 44. quibus immorari in præsens non licet, præsertim, cùm in pluribus Monasteriis, Diœcesibus & Ordinibus, plures etiam in hoc puncto sint consuetudines receptæ, quibus in ejusmodi facultate, ingrediendi Monasteria mulierum, non idem observatur; pauca solum in præsens annotabimus.

3012 Quare *Not.* 1. per hoc decretum ab ingressu non excludi infantes, necdum capaces mali 1. hi enim facto suo non possunt esse Monialibus incitamento ad peccatum, quam causam directè respicit prohibitio; secus amentes propter oppositam rationem. *Not.* 2. per loca, quæ ingredi non licet, vi dati decreti, intelligi ea, quæ ipsæ Moniales licitè ingredi possunt, ut vult Pirhing *h. t. n.* 42. Sed hoc videtur nimis ampliatum; certum enim est, quòd Moniales, absentibus extraneis in pluribus locis licitè quandoque de Monasterio adeant suam Ecclesiam, Sacristiam, Cameras portatorii, ad quas veniunt externi, &c. & tamen eadem licitè ingrediantur alii, illis absentibus.

Not. 3. licentiam ingrediendi Mo- 3013
nasteria Monialium, *ex justa causa*, dare posse Episcopum, cui subjectum est Monasterium; si verò immediatè subjectum sit Regularibus, Superiorem Regularem; si immediatè Sedi Apostolicæ, istam, vel ejus delegatum; ratio primi sumitur ex verbis Tridentini cit. ibi: *dare autem tantùm Episcopus, vel Superior licentiam debet*; ex quo etiam habetur ratio Secundi; cum distinguat textus inter *Episcopum*, & *Superiorem*, nimirum relatè ad Monasterium cuique immediatè subjectum; ubi, cum addatur (*neque alius ullo modo possit vigore cujuscunque facultatis, vel indulti, hactenus concessi, vel in posterum concedendi*) observandum non obstantibus his verbis (ut notat Joannes Sancius in select. *D.* 50. *n.* 25. citans P. Thomam Sanchez in decal. *tom.* 2. *l.* 6. *c.* 16. *n.* 14.) praxis quotidiana testatur, illam posse Episcopum committere Vicario, qui causam ingrediendi examinet, & si sufficientem esse repererit, licentiam præstet.

Not. 4. ad dandam hanc licentiam 3014
non sufficere, quamcunque causam (textus enim *in casibus necessariis*) sed necexigi necessitatem physicam, vel strictissimam, sufficereque moralem, tradi à Sanchez *cit. c.* 16. *n.* 40. Miranda, & aliis, quos citat, & sequitur Barbos. *in cit. c.* 5. *Trid. n.* 81. talem necessitatem in seqq. censet, cùm opus est Medico, vel Confessario, infirmâ non valente commodè adire locum consuetum; &c. in quibus omnibus spectanda est recepta legitimè consuetudo; vi cujus etiam communiter dicitur, ingressum licere Fundatoribus, eorumque prolibus saltem cum ipsis; Imperatoribus, Reginis, ac similibus, ubi usus est.

Ad 4. R. Monasteria Monialium sin- 3015
gulis annis visitari *debere*, si non sint exempta, per Ordinarios jure ordinario; exempta, & nulli alteri, nisi Sedi Apostolicæ

licæ subdita, jure per hanc delegato; exempta verò & subjecta Prælatis Ordinum, per illos, quibus subsunt, ut dicitur in Clement. *Attendentes.* 2. h. t. de quo etiam agit Trid. *Sess. 25. de Regul. c. 9.* ubi dicitur, *Monasteria Sanctimonialium, sanctæ Sedi Apostolicæ immediatè subjecta*, etiam sub nomine Capitulorum Sancti Petri, vel Sancti Joannis, vel aliàs quomodocunque nuncupentur, *ab Episcopis, tanquam dictæ Sedis delegatis gubernentur*, non obstantibus quibuscunque. Quæ verò à deputatis in Capitulis generalibus, vel ab aliis regularibus reguntur, sub eorum cura & custodia relinquantur.

3016 Circa hoc decretum *not.* 1. Moniales Sedi Apostolicæ immediatè subjectas ab Episcopo esse gubernandas spirituali gubernio, sed non temporali, refert decisum Armend. in addit. ad recept. legum Navarræ *lib. 2. tit. 18. l. 7. de Relig. n. 93.* ubi n. seq. subdit pariter resolutum per hoc decretum, nullam jurisdictionem esse concessam Episcopo in Monasteriis Sedi Apostolicæ immediatè subjectis, nisi in concernentibus spiritualia: in temporalibus verò nihil agere posse; sic Barbosa in dict. *c. 9. n. 3.*

Not. 2. nec Ordinarios, nec Regulares, etiam in Capitulis eorum generalibus, posse deputare Administratores bonorum temporalium Monialium, particulares Religiosos cujuscunque gradus aut præeminentiæ, etiamsi Superiores Monasteriorum fuerint, ut refert decisum Salva in Select. Canon. *c. 29. n. 2.*

QUÆSTIO XXXVI.

IN TITULUM XXXVI. DE RELIGIOSIS DOMIBUS, UT EPISCOPO SINT SUBJECTÆ.

3017 HOc Titulo duo potissimum in considerationem veniunt; subjectio, quam Religiosæ Domus habent relatè ad Episcopum, seu loci Ordinarium, intra cujus Diœcesin sunt; & novorum Ordinum institutio. *Not.* autem *quod Locus religiosus* aliter à Legistis, aliter à Canonistis usurpetur. Nam in *jure civili religiosus locus* est ille, in quo sepultus est aliquis Christianus de voluntate Domini ipsius loci, *L. 2. C. de Relig. & sum. fun.* quasi corpus Christiani locum tangens ideo religiosum efficiat, quia per illum contactum desinit esse in dominio alicujus L. *quamquam ff. de aqua pluvi. arc.* sic enim pietas donantis facit pium, & religio sepulti facit locum religiosum: in Jure Canonico *religiosus Locus*, juxta Sylvestr. V. *locus n. 1.* est, qui Authoritate Pontificis deputatur ad talem usum c. *ad hæc. de religios. dom.* Hinc juxta Azorium *p. 2. l. 3. c. 3. q. 2. Religiosa domus* est locus ad pios usus, v. g. ad Hospitale, Episcopi Authoritate extructus, vel dotatus, vel deputatus. Unde si desit Authoritas Episcopi fundantis, vel dotantis, vel deputantis ad pios usus, nulla domus, nulla ædicula, Oratorium, vel alius quilibet locus, *Religiosus* haberi Jure potest Canonico.

ARTICULUS I.

Qualiter Domus Religiosæ subjectæ sint Episcopo.

SUpp. 1. si loquamur *de domo religiosa* propriè, ac strictè, per eam intelligi Monasteria, & Collegia Religiosorum; item Hospitalia, seu Xenodochia, in quibus peregrini, & pauperes; nosocomia, in quibus infirmi, suscipiuntur; & orphanotrophia pro puero- 3018

rum & puellarum educatione; item Confraternitates, & alia pia loca (nimirum ad pietatis exercitia) instituta Episcopi Authoritate; latè autem etiam venire Templa, Ecclesias, & alias Ædes sacras, ad DEI cultum dedicatas, seu consecratas. Unde in quæstione, an Domus *sacra*, & Domus *religiosa* in præsenti pro invicem accipiantur? *Not.* quòd *sacer* locus secundùm Panormit. ad c. *Nemo*, de *consec.* 2. strictè acceptus, est ille, qui per Episcopum unctione cum oleo sancto consecratur: latè acceptus dicitur etiam ille qui per Episcopum benedicitur, vel saltem deputatur ad pios usus; & hoc sensu videntur coincidere in Jure Canonico locus *religiosus*, & *sacer*. Cœterùm Oratoria privata non sunt loca sacra, seu Religiosa: quia juxta Gloss. ad Clem. *quia contingit*, de Relig. dom. posiunt per ædificatorem in prophanos usus converti; sic Pereyra in Elucidario à n. 1395.

§. 1.

An qualibet Domus Religiosa subjecta sit Episcopo?

3019 QUæstio procedit *de Domo Religiosa* non tantùm strictè, sed etiam latè sumptâ, juxta præcedentem num. 32. hoc ipso, quòd aliqua Domus religiosa sit intra fines diœcesis, aut territorii, quod subest loci illius Ordinario, seu Episcopo, istum habere intentionem, seu præsumptionem potestatis Ordinariæ; ac Episcopalis, fundatam in jure super subjectione, nisi ostendat se ab ejus potestate legitimè subtractam, seu exemptam, præscriptione, privilegio, &c. hæc est communis Doctorum; probatur 1. ex 16. q. 7. c. *omnes Basilicæ*. 10. ibi: *omnes Basilicæ*, quæ per diversa loca constructæ sunt, vel quotidie construuntur, *placuit secundùm priorum Canonum regulam, ut in ejus Episcopi potestate consistant, in cujus territorio positæ sunt*; ubi nota *Basilicam* juxta Alciatum ad Rub. c. de Sacros. Eccles. apud veteres fuisse locum ampliorem, publicum, sub tecto, ubi consilia privata, seu negotiationes, judicia, & arbitria confici solebant. Deinde pro regia, seu domo Regis haberi cœptum: tandem pro templo, quòd Regis æterni palatium verè appellatur. Notat Joan. And. in c. *nobis*, de jure patron. *Basilicam* dici templum constructum antequam consecretur: at post consecrationem vocari Ecclesiam, nunc communiter pro templo, vel æde sacra, & Ecclesia supponit, prout etiam accipitur in illo textu.

Probatur 2. ex c. *Cùm olim*. 18. de Præscript. ubi cum Episcopus Lucanus apud Sedem Apostolicam, controversiam haberet cum Abbate, & ad fundandam intentionem suam allegaret jus commune, cujus Authoritate universa spiritualia intra diœcesin ad ipsum, tanquam Ordinarium spectare censebantur: Abbas autem plura privilegia exemptionis produceret; & aliunde etiam sufficienter ostenderet, quòd Monasterium suum super institutionibus, ac destitutionibus Plebani, Clericorum, insuper baptismo, ac pœnitentia in culpis levioribus, sepultura, decimarum perceptione, ac divinis officiis celebrandis, tam in plebe, quàm in Capellis, excommunicationis, & interdicti sententias ferendo, & absolvendo, præscriptione munitum sit: Innocentius III. Abbatem in his, in quibus *præscriptionem* contra jus Episcopi non probavit, de præstanda illi subjectione condemnavit; in quibus autem *de præscriptione* docuit, Abbatem à subjectione Episcopi absolvit; & Episcopo super iisdem perpetuum silentium imposuit; & hæc de Ecclesiis secularibus.

De Monasteriis autem, & Ecclesiis 3020
Regularium, probatur 1. ex 18. 9. 2. c. *Monasteria* 17. ibi: *Monasteria, vel Monachorum disciplina ad eum pertinent Episcopum, in cujus sunt territorio constituta*; ubi expressè mentio fit etiam de Monasteriorum personis, consequenter ipsis quoque Regularibus, seu Religiosis. Probatur 2. ex c. *cùm dilectus* 8. h. t. ibi: *si Abbas in exemptionis probatione defecerit, nec legitima se poterit præscriptione tueri (licet probet se antè prædictas sententias appellasse) nihilominus tamen Monasterium judicetis Aurienſi Ecclesiæ subjacere, in cujus est diœcesi fundatum.* Similiter eo in probatione appellationis deficiente, *si vobis constiterit de exemptione, vel legitima præscriptione: tam Abbatem, quàm*

quàm Monasterium ab impetitione Episcopi absolvatis. Ex his juribus deducitur generalis illa regula, quòd *jure communi quælibet Monasteria, & Ecclesiæ alicubi sitæ ad Episcopos pertineant eo ipso, quod sunt in diœcesi constitutæ, nisi probetur eas esse exemptas*, facit etiam c. *De Xenodochiis* supra item c. *Omnes Basilicæ* 16. q. 7. & c. *contra morem*, nam jurisdictio Ordinarii per totam diœcesim juris præscriptione extendatur, Gail. *l.* 2. *Observ.* 62. *n.* 9. Erasm. à Cochier de jurisd. ordinarii in exemptos, *p.* 1. *q.* 8. *n.* 2.

§. 2.

In quibus consistat hæc Subjectio.

3021 CUm ex dictis constet, Monasteria, & Ecclesias tam seculares, quàm regulares, existentes intra diœcesim, jure communi subjectas esse Ordinario, seu Episcopo talis loci, quæstio est, ad quæ dicta subjectio se extendat? hæc quæstio resolvitur in c. *Constitutus* 6. h. t. ubi, cùm Episcopus Albanensis contra Abbatem, & fratres Cryptæ in Ecclesia Castri, quod Pauli dicitur, in qua jus patronatus dicto Monasterio recognoscebat, *jura Episcopalia* peteret, quia sita erat in diœcesi Albanensi, & ideo de jure communi ei teneretur respondere in Episcopalibus; Monasterium autem opponeret, sibi ea jura esse remissa ab ejus Antecessore sub onere certæ pensionis, & se tueri posse legitimâ præscriptione pacificæ possessionis per 40. annos: Pontifex prætensioni Episcopi perpetuum silentium indixit, & Monasterium duntaxat condemnavit ad pensionem persolvendam; quo habetur, quòd Ecclesia sita in diœcesi Episcopi, teneatur ei subesse *in juribus Episcopalibus, nisi appareant remissa legitimè.*

Idem habetur in c. *Cùm Venerabilis.* 7. eod. ubi, cùm Episcopus Sabinensis Ecclesiam S. Angeli assereret ad se tam in spiritualibus quàm in temporalibus pertinere, & pro illis allegaret jus commune, quod Ecclesias potestati Episcopi in cujus diœcesi sunt sitæ, assignat, pro hoc autem publicum instrumentum, in quo continebatur, dictam Ecclesiam Abbati Farbinensi ab. J. Episcopo Sabinensi sub annuâ pensione concessam, sed Abbas proponeret instrumentum prædictum nullius esse fidei propter superlinearem scripturam, & rasuram loco suspecto factam, ubi annotabatur tempus: Pontifex Ecclesiam supradictam Episcopo quidem in spiritualibus (utpote in ejus diœcesi constitutam) adjudicavit, illis tantùm exceptis, quæ per authentica scripta probarentur esse subtracta, quia verò instrumentum ab Episcopo productum apparebat invalidum, & suspectum, Abbatem & Conventum Farbensem ab impetitione Episcopi quoad temporalia absolvit. Ex his igitur habetur, subjectionem istam porrigi, seu extendi ad omnia jura Episcopalia, sic, ut Episcopus in illis omnibus jure prætendere possit subjectionem in spiritualibus, à quibuslibet Domibus religiosis hoc ipso, quòd intra ipsius Diœcesim existant, nisi probent se legitimè exemptas.

Hæc Jura Episcopalia communiter 3022
dicuntur consistere in duplici potestate, *jurisdictionis*, & *legis diœcesanæ*, cujus utrius vim exposuimus *lib.* 1. *decret. à n.* 1286. ubi *à n.* 1287. ostendimus, Regulares jure communi exemptos esse *à lege diœcesana Episcopi*; non autem *à lege jurisdictionis*, nisi probent, se etiam ab ista specialiter subtractos præscriptione, vel privilegio. Qualiter autem jurisdictioni Ordinariorum subsint *quoad punitionem*, si delinquant in loco non exempto? diximus ibid. à n. 1294. ubi etiam exposuimus ea, quæ in hoc moventur ex c. *Volentes*, de privileg. in 6. & diversis locis Concilii Tridentini, quæ, quia ibi fusius exposita sunt, hìc non esse repetenda duximus. Reliqua verò, de approbatione pro audiendis confessionibus; de quarta Episcopali, Cathedratico Subsidio charitativo, & similibus, suis locis à nobis dicta sunt.

Pauca, præterea ex dict. c. *constitu-* 3023
tus, hìc annotanda sunt 1. quòd Episcopus Monasterio, vel Ecclesiæ sibi, cæteroquin subjectæ, possit remittere jura Episcopalia, tetento tamen sibi censu aliquo ab illis persolvendo, constat ex ipso textu dict. c. ubi cùm in tali casu Monasterio opponeretur, talem remissionem ab Episcooo factam continere

simoniacam pravitatem; respondit Pontifex: *non esse insolitum, & novum*, ut, cùm Episcopi concesserint Ecclesias piis locis, aliquid sibi reservent in eis, *nomine pensionis*; nimirum in signum præteritæ subjectionis; Suarez *tom.* 3. *de Relig. lib. de simon.* c. 24. *n.* 37.

3024 Quæstio tamen ulterius est 1. cui subjecta sit Ecclesia, de qua dubitatur in cujus Diœcesi existat? 2. cui subjecta sit Ecclesia unita alteri existenti in alia Diœcesi? 3. an Ecclesiæ, vel Monasteria Regularium mutari possint in Ecclesias seculares? vel Regularium alterius Ordinis? 4. an præsumptio, qua Episcopus jure communi fundatam habet intentionem subjectionis debitæ ab omnibus Ecclesiis, & Monasteriis in sua Diœcesi existentibus, procedat etiam, ut idem habeat Ecclesia Parochialis in ordine ad omnes Ecclesias, Capellas, vel Ædes intra fines Parochiæ existentes?

3025 Ad 1. R. ex c. *Nunc autem.* 1. h. t. quòd, quando aliqua Ecclesia inter duos Episcopatus posita, consecranda est, & dubitatur, quis Episcopus eam debeat consecrare? pro illo definiendum, ad quem incolæ prius, quàm talis Ecclesia fundaretur, pro baptismo confugerunt, & concurrerunt ad consignationem sub annua devotione; ubi per consignationem confirmatio chrismatis intelligitur, ut notat Barbos. in dict. *c.* 1. *n.* 7. ex Tiraquello de retract. lign. §. 7. *Gloss.* 3. *n.* 8. & ratio additur; non enim, inquit ibid. Gregorius, (scribens Victori Archiepiscopo Neapolitano) *terminis hæc* (nimirum lex jurisdictionis spiritualis) *aut locis convenit definiri, sed ille ad consecrationem vocatur, qui per hunc modum* (nimirum collationem istorum Sacramentorum) *quem scripsimus, constat debere permitti*; ex quo communiter deducunt DD. quòd jurisdictionis possessio unius actus inducat idem in omnibus, sic Tiraquel. cit. §. 36. *Gloss.* 3. *n.* 13. & per adeptionem possessionis Ecclesiæ acquiritur possessio omnium, & quorumcunque bonorum ad Ecclesiam spectantium, & annexorum, per L. *cùm hæres* ff. de acquirend. possess. sic Abbas in c. *Cùm super*, de causa possess. *n.* 29. Nec enim, ut Prælatus dicatur in quasi possessione jurium, in quibus habet intentionem de jure fundatam, requiritur actus possessionis positivus in quocunque acta; Sed possessio unius actus trahitur ad omnes alios, in quibus alter non reperitur in possessione, ut per Innocent. in c. *dilectus*, *n.* 3. vers. *Possessionum*, de Capellis Monach. ubi Hostiens *n.* 1. vers. ex prædictis. Joan. Andr. *n.* 8. & alii.

Ad 2. R. quòd resolutio habeatur 3026
ex c. *Quia Monasterium* 2. h. t. ubi Gregorius Pontifex, scribens Agapito Abbati, quia Monasterium, inquit, quod in fundo Marciano Provinciæ Campaniæ situm est, ita hostilitate faciente, à Congregatione funditus dicitur desolatum, ut ne unus exinde Monachus, qui aliquam illic solicitudinem, vel curam debeat adhibere, remanserit: tuo illud Monasterio cum omnibus rebus suis, vel quæ ei competunt actionibus, utile prospeximus uniendum, ut res ejus tenendi, vel à detinentibus vendicandi, libera tibi sit, & sine aliqua dubietate licentia. In quod etiam studii tui sit, Monachos deputare, qui illic tempore, quo intervallum de hoste fuerit, & opus DEI celebrare, & decenter debeant servire. Nec aliquâ illud præsumas excusatione negligere, quod ideo curæ tuæ, ut solicitudinem illic debeas adhibere, committitur. Ipsum autem Monasterium sic tuæ nos ordinationi commisisse cognoscas, ut tamen jurisdictionem illic, non Episcopus Surrentinus, in cujus civitate Monasterium tuum est, sed Nucerinus, cujus est Diœcesis, habeat: Nam sic hujus loci Ordinationem disponimus, ut tamen jura sua singulis Episcopis inviolata servemus; sic enim habetur in integra lectione apud Gonzalez, qui n. 2. notat, certum esse, Summum Ecclesiæ Præsulem posse unire Ecclesiam unius Diœcesis Ecclesiæ, seu Monasterio alterius Episcopatus, & per hanc unionem omnia jura competentia priori Ecclesiæ transire in Monasterium, cui unita est; quia accessorium naturam sequitur sui principalis, c. *recolentes*, de statu Monach. docent Gonzalez in regul. 8. cancell. Moneta de commut. cap. 12. q. 1. sic tamen ut jurisdictio illius Ecclesiæ unitæ remaneat penes proprium Episcopum, ut ita sua jura singulis inviolata serventur: quare in præsenti

Gre-

Gregorius docuit, per unionem, à se factam, non violare jura prioris Episcopi. Porrò ex cit. c. *quia Monasterium* habetur, non obstante unione, Ecclesiam unitam manere subjectam Episcopo, in cujus Diœcesi ea sita est; quia per concessionem gratiæ, uni factam, Pontifex non intendit derogare juri alterius, nisi contrarium exprimat; hoc tamen videtur intelligendum juxta dicta supra, si unio non sit accessòriè facta Ecclesiæ, vel loco exempto; quo sensu etiam videtur accipiendum, quod tradit Pirhing *h. t. n.* 6. dicens, Ecclesiam sitam in Diœcesi Episcopi, subjecta est eidem, & tenetur præstare omnia jura Episcopalia, etiamsi ea jure incorporationis possideantur à quibuscunque Religiosis.

3027 Ad 3. Bz. ex c. *Inter quatuor.* 5. ubi præscribitur, quòd, quamdiu Monasteria per Regulares ordinata manere possint, non sunt ad sæculares Clericos transferenda: sed si Regulares defuerint, adeoque in eorum defectum, in Monasteriis Clerici sæculares ordinari, sive constitui possint; & ideo in c. *Relatum.* 7. Ne Clerici, vel Monachi, in hac re præscribitur, ut hic Ordo in ejusmodi casu servetur. 1. Ut ab Episcopo Ordinatio, & Reformatio fiat per Religiosos ejusdem Monasterii; Secundò, in eorum defectum evocandi sint Religiosi strictioris observantiæ, ex aliis Monasteriis ejusdem Ordinis; Tertiò, si nec illi haberi possint, Reformatio Monasterii fieri debet per Religiosos alterius Ordinis: Quartò, demum, si per Regulares Reformatio Monasterii institui non possit, tum sæculares Clerici in locum eorum sufficiendi, & ibi collocandi sint; quia necessitas non habet legem, Gloss. in cit. c. *Inter*, V. *per Regulares*, *h. t.*

3028 Quæres, an in casu, quo in aliquo Monasterio Regulares seculariter vivunt & sunt incorrigibiles, aut à moribus Regularis vitæ discedunt, præsertim prolabentes in hæresim, & deficientes à Religione, tali Monasterio provideri debet per alios, qui in tali Ecclesia divina peragant, ordo præscriptus in dict. c. *Inter*, & c. *Relatum*, etiam observandus sit ab ipso summo Pontifice, ut non possit validè, ac licitè, in eo instituere Regulares alterius ordinis, vel etiam Clericos seculares? Bz. negativè; nam ille ordo in ejusmodi provisionibus præscriptus est solis Episcopis locorum Ordinariis, & Prælatis Papâ inferioribus, ut liquet ex c. *inter* 5. h. t. quod continet textum ab Innocentio III. datum Patriarchæ Constantinopolitano, & c. *Relatum* 7. ab Alexandro III. ad Episcopum Exonensem; & ratio est, quia in tali casu rectius observatur etiam fundatorum intentio, quando, judicio Ecclesiæ speratur per alios, melius promovendus DEI cultus, & animarum salus, aliàs nec possent Summi Pontifices extinguere Monasteria, imò & integrum Ordinem justa id causa exigente.

Ad 4. Bz. negativè, de quo jam di- 3029
ximus *lib.* 1. *à n.* 1288. Nam omnes textus, in quibus fundatur hæc Ecclesiarum, & Monasteriorum in jure communi subjectio relatè ad Episcopum, seu Ordinarium loci, loquuntur *de Episcopo*, ac potestate jurisdictionis Episcopalis, juribusque Episcopalibus; at nihil horum est *in Parochis*, relatè ad Ecclesias inter fines Parochiæ; ut ostendimus cit. loco, nullam enim jurisdictionem fori externi habet Parochus, vi juris Parochialis, at hanc supponit illa subjectio; alias enim non exigeretur exemptio in illis, qui talem subjectionem relatè ad Ordinarios locorum jure speciali præscriptionis, aut privilegii, recusant; ergo. Ex quo ulterius habetur, quòd, cùm Episcopus in exemptos prætendit jurisdictionem *ordinariam*, & inde debitam subjectionem, eò quòd intentionem suam habeat *fundatam in jure communi*; & exemptus opponit exceptionem suæ exemptionis, virtute præscriptionis legitimæ, vel privilegii, eamque legitimè doceat, vel aliunde notoria sit, juri communi præsumentis pro Episcopo, ac ejus intentioni non sit locus; quia talis præsumptio, *vi juris communis*, pro intentione Episcopi, *non est absoluta*, sed solùm *conditionata*, nimirum *nisi constet de exemptione*, ejusmodi enim exceptio *aquè* fundamentum habet in jure communi, ut constat ex juribus à nobis allatis.

ARTI-

ARTICULUS II.

Qualiter Hospitalia, & alia loca pia, subjecta sint locorum Ordinariis?

3030 DE hac quæstione extat c. *Xenodochiis* 3. h. t. ubi dicitur, de Xenodochiis, & aliis similibus locis, *ut per solicitudinem Episcoporum, in quorum diœcesi existunt, ad easdem utilitates, quibus constituta sunt, ordinentur*, hoc c. in lectione integra, prout refertur à Gonzalez h. t. ad c. 3. n. 1. sic habet: per solicitudinem Episcoporum, quorum diœceseos existunt Xenodochia, Procotrophia, Nosocomia, Orphanotrophia, Eremocomia, & Monasteria, tam Monachorum, quàm Sanctimonialium, ad easdem utilitates, quibus constituta sunt, ordinentur, &c. qualiter DEO vacantes, inopiâ, vel necessitatibus nullatenus occupentur, sed omni expulsâ curâ, puris in DEI servitio valeant mentibus permanere. Eundem Canonem postea innovavit Leo IV. in Synodo Romana *Can.* 23. unde constat, compilatores hujus textus Summarium illud Canonis de Xenodochiis, & aliis similibus locis, pro Canone compilasse, & statim apposuisse priora verba ipsius Canonis, satis immutata, ut brevitati consulerent; ita Gonzalez loc. cit.

3031 Pro explicat. *not.* 1. textum istum de jure communi procedere solùm de Hospitalibus, & piis locis, Authoritate Episcopi erectis; ubi tamen excipiuntur 1. hospitalia, & loca pia, quantumvis religiosa, (quæ nimirum Episcopi Authoritate sunt erecta) si ea non ad Ordinarios locorum, sed alios pertineant jure speciali, puta privilegio Sedis Apostolicæ, vel præscriptione 40. annorum, aut conventione, vel statuto appositio in prima ejus fundatione cum consensu Ordinarii, ut habetur in Clement. *Quia contingit.* 2. h. t. ibi: *Nos incuriam, & abusum hujusmodi detestantes*, hoc sacro Concilio approbante sancimus: ut ii: ad quos id de jure, vel statuo *in ipsorum fundatione* locorum appositio, aut *ex consuetudine præscripta legitimè* vel *privilegio* Sedis Apostolicæ pertinet, loca ipsa studeant in prædictis omnibus salubriter reformare, &c. Excipiuntur 2. Hospitalia, & alia pia loca, quæ sub immediata *Regum* protectione existunt; hæc enim ab Episcopo visitari non possunt, sine eorum licentia, juxta Concil. Trident. *Sess.* 22. *de reform. c.* 8.

3032 Textus Concilii loc cit. sic habet: Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus à jure concessis, omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quàm inter vivos, sint executores; habeant jus visitandi hospitalia, collegia quæcunque, ac confraternitates Laicorum, etiam quas scholas, sive quocunque alio nomine vocant, *non tamen, quæ sub Regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia:* eleemosynas Montis pietatis, sive Charitatis, & pia loca omnia, quomodocunque nuncupentur, etiamsi prædictorum locorum cura ad Laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita, ac omnia quæ ad DEI cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos, instituta sunt, ipsi ex officio, juxta sacrorum Canonum statuta, cognoscant, & exequantur, non obstantibus quacunque consuetudine etiam immemorabili, privilegio, aut statuto.

3033 Excipiuntur. 3. hospitalia, & alia loca pia, sine Authoritate Episcopi, ædificata, seu instituta, hæc enim non subsunt visitationi Episcopi diœcesani, quia non sunt loca *religiosa*, seu *Ecclesiastica*, quæ porrò jure communi statuta sunt circa subjectionem ejusmodi locorum relatè ad Episcopos, procedunt de his, quæ loca religiosa sunt, ut colligitur ex c. *ad hæc.* 4. *h. t. Not.* tamen, esto hæc pia loca non subsint locorum Ordinariis, etiam quoad visitationem, sed ipsis Fundatoribus, vel Administratoribus constitutis ab eis, *Fundatore Superstite*, eo tamen mortuo, pertinere ad solicitudinem Episcopi, ut quæ in ejusmodi locorum utilitatem, & conservationem necessaria sunt, à posteris ritè fiant, ac executioni dentur; cùm sint *loca pia*, nimirum fundata causâ pietatis, & misericordiæ; sic Abbas in cit. c. *Xenodochiis*

chiis 3. *n.* 3. Fagnan. in c. *Ad hæc* 4. *h. t.* idem etiam statuente jure civili in Authent. *de Eccles. titul. collat.* 9. §. *si quis autem.* dices: has exceptiones esse contra Decretum Tridentini, quod Episcopis, tanquam delegatis Papæ, tribuit jus visitandi omnia Hospitalia, & loca pia etiam exempta, *licet eorum cura pertineat ad Laicos*; Deinde juxta idem Concilium *ead. Sess. c.* 9. Episcopus, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, ab Administratoribus Hospitalium, & aliorum piorum locorum, esto erecta sint sine Authoritate Episcopi, potest rationes exigere; igitur eadem etiam visitare. R. ad 1. textum illum habere clausulam istam: *in casibus à jure concessis, & juxta sacrorum Canonum statuta*; non igitur in casibus à jure ipso à tali subjectione exceptis, tales autem sunt casus positi in factis exceptionibus. Ad 2. R. ab his, quæ ibi dicuntur c. 9. nullum fieri argumentum ad ea, quæ dicta sunt c. 8. illud enim habet aliam clausulam, quam istud; & ideo c. 9. habet locum in casibus etiam jure non permissis; secùs, c. 8. Cæterùm, quæ pertineant ad munus eorum, quibus officium, seu administratio Hospitalium committitur, habentur in Clement. 2. h. t.

ARTICULUS III.

De novorum Ordinum Religiosorum Institutione.

3034 DE hac materia jam superius pleraque diximus in præcedentibus; quibus adde 1. constitutionem contentam c. *fin.* h. t. ibi: ne nimia religionum diversitas, gravem in Ecclesiam DEI confusionem inducat, firmiter prohibemus, *ne quis de cætero novam religionem inveniat*: sed quicunque ad religionem converti voluerit, *unam de approbatis assumat.* Similiter, *qui voluerit religiosam domum de novo fundare, regulam, & institutionem accipiat de approbatis.*

3035 Alteram in c. *unico*, eod. in 6. ibi: Religionum diversitaten nimiam (ne confusionem induceret) generale Concilium consulta prohibitione vetavit. Sed quia non solùm importuna petentium inhiatio illarum postmodum multiplicationem extorsit, verùm etiam aliquorum præsumptuosa temeritas diversorum Ordinum, *præcipuè mendicantium* (quorum nondum approbationis meruere principium) effrænatam quasi multitudinem adinvenit: *repetitâ constitutione districtius inhibentes, ne aliquis de cætero novum ordinem, aut religionem adinveniat, vel habitum novæ religionis assumat.* Cunctas affatim religiones & Ordines mendicantes post dictum Concilium adinventas, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni subjicimus, & quatenus processerant, revocamus.

Deinde Clement. 1. eod. habetur, 3036
Mulieres statum *Beguinarum* sectantes, & de novo assumentes; ac Religiosos in hoc dantes consilium vel favorem, ipso facto esse excommunicatos: statum tamen pœnitentialis per hoc non interdici, secundùm Paulum.

Tertiò Joannis XXII. Extravag. *Sanctæ Romanæ*, eod. habetur, sectam, seu Religionem *Fraticellorum* sine *Beguinorum*, qui se dicebant de tertio Ordine beati Francisci, cassari: quoniam inter cæteros errores Ecclesiastica Sacramenta despiciebant. Et sub pœna excommunicationis omnibus injungitur, ut nulli de cætero talem ritum assumant: & ne Episcopi ipsum concedere præsumant.

Demum in Extravag. *Ratio recta*, eodem, inter omnes mitius aliquid disponitur, nimirum, licet Beguinarum status sit propter multas rationes per Clementem V. reprobatus; permitti tamen mulieribus fide dignis, quæ nec sunt, culpabiles, nec suspectæ, sub habitu Beguinarum vivere, nec esse tales per Ordinarios molestandas.

Circa istas constitutiones *not.* 1. in- 3037
stitutionem novæ Religionis, sine Authoritate Sedis Apostolicæ, non modò esse illicitam, sed etiam invalidam, ejusque sectatores nullatenus esse veros Religiosos; sic Gloss. in cit. c. *Unicum* V. *professionem*, & tradit Suarez cit. *l.* 2. *c.* 16. *à n.* 2. id, quod etiam colligitur ex Clement. *unica*, de voto, in 6. ubi, cùm quæreretur, quodnam votum castitatis Religiosum vim habeat titulo solennitatis dirimendi matrimonium? respondetur, illud, *quod emissum est in Religione per Se-*

dem Apostolicam approbata, igitur qui tale votum non habet, non est Religiosus, ejus Religionis, ubi professio fit per *vota solennia*; Sed nec est Religiosus ejus Religionis, ubi quis fit verè Religiosus per sola vota simplicia; cum id jure Ecclesiastico habeat sola JESU Societas; ergo.

Not. 2. non solùm institutionem novæ Religionis, sed etiam Ordinis, sine Authoritate Sedis Apostolicæ irritam esse; nam c. *unicum* h. t. in 6. (de quo supra) expressè loquitur de utroque ibi: *ne aliquis de cætero novum Ordinem, aut religionem adinveniat, vel habitum novæ religionis assumat*, per *Ordinem* autem hic intelliguntur omnes Congregationes virorum, ac mulierum, quæ in communi sub certa regula, ritu, aut habitu, sine Sedis Apostolicæ licentia, seu approbatione, devotionis, seu pietatis causâ vivunt: licet tria vota substantialia Religionis non ediderint, adeoque propriè Religiosi non sint; sic Abbas in c. 2. foro competent. n. 11. Felinus c. *Ecclesia.* 10. *de Constit. n.* 1. & Suarez. *cit. c.* 16. *n.* 22. de quo etiam videri potest Constitutio Urbani VIII. editâ Anno 1630. ubi reprobat Congregationem quarundam mulierum in communi viventium, ac institutum Societat. JESU, æmulari volentium, ac Jesuitissas se compellantium.

Cæterùm, ut retulimus n. 3036. à Joanne XXII. permissum fuit, ut mulieres honestæ, quæ non sunt culpabiles, nec suspectæ, in suis, vel parentum, vel conductitiis domibus, simul habitent sub habitu Beguinarum, obedientes Ordinariis locorum, & Parochis, ac viventes sine scandalo, & errore, nec debeant tales ab Ordinariis molestari, ideo hujusmodi fœminæ sub prohibitione in Clem. 1. h. t. non sunt comprehensæ: cit. Extravag. *Ratio*, §. *Verùm quia.* 3038

QUÆSTIO XXXVII.

IN TITULUM XXXVII.

DE CAPELLIS MONACHORUM, ET ALIORUM RELIGIOSORUM.

3039 NOmine *Capellæ* Jure Canonico interdum significatur Altare, aliquando autem Oratorium, sive sacra ædicula à templo sejuncta, vel ipsi templo annexa, ligneis cancellis clausa, unum vel plura Altaria continens, ut notat Azor *p.* 2. *l.* 3. *c.* 8. *q.* 2. quandoque autem quælibet Ecclesia plebanalis, seu Parochialis, per se & seorsim existens, modò non sit Collegiata: & hoc postremo modo præsenti titulo sumitur *Capella*, à qua nomen habet *Capellania*; ut autem intelligatur, an *Capellania* sit beneficium Ecclesiasticum? norat Suarez de horis Canonicis c. 4. duplicem esse Capellaniam; alteram *collativam*, quæ Authoritate Episcopi erigitur, etiam si ex bonis Laicis dotetur, & penes Laicum Patronum jus præsentandi maneat: alteram *non collativam*, quæ à Patrono Laico conceditur, sine collatione Prælati: v. g. quando Laicus relinquit sua bona cum hoc onere, ut certa quædam pensio quotannis alicui Clerico detur ad tot Missas celebrandas. Hæc posterior, neque beneficium est, neque inducit obligationem recitandi officium Canonicum. Prior (inquit Sebast. Cæsar in Hierar. Eccles. *Disp.* 14. §. 3. *n.* 1.) verè beneficium erit, si Authoritate Prælati ita fuerit instituta, ut eam obtinens in perpetuum intituletur: secus,

cùs, si ad certum tempus; quibus positis:

ARTICULUS I.

De Capellanis constituendis in Capellis Regularium.

3040 ANte resolut. not. nos hic non agere de Capellaniis *Laicis*; nec etiam illis, qui præsunt Capellæ sumptæ pro Altari, vel Oratorio privato, aut publico; aut etiam ædicula sacra, in qua certi reditus annui constituti sunt pro Capellano, seu ministrante in tali loco, vel singulis, vel certis diebus, stipendio illi constituto pia fundatione, sine Authoritate Episcopi, tametsi perpetuæ sint; quia non sunt beneficia Ecclesiastica per num. 3039. modò illis nulla incumbat animarum cura. Sermo igitur est de Capellaniis, acceptis pro Ecclesiis curatis, vel Parochialibus, quæ Ecclesiis, vel Monasteriis Monachorùm aut aliorum Regularium, unitæ, ac incorporatæ sunt.

3041 Et de his quæstio est 1. an in illis Capellanus, seu curam exercens possit esse Monachus, vel alius Regularis de Monasterio, cui talis Capella unita est? 2. an talis Capellanus subsit loci Ordinario? 3. in quibus? 4. an in datis Capellis Monachi possint esse soli? 5. an sint ad nutum revocabiles? &c. remissivè ad ea, quæ jam diximus à n. 733. Quare solum exponemus, quæ c. 1. & seqq. h. t. specialiter continentur.

In eo porrò sic loquitur Urbanus III. *in Ecclesiis, ubi Monachi habitant, populus per Monachum non regatur: sed Capellanus, qui populum regat, ab Episcopo per Consilium Monachorum instituatur, ita, ut ex solius Episcopi arbitrio tam Ordinatio ejus, quàm depositio, & totius vitæ pendeat conversatio.* De hac ipsa materia extat constitutio Bonifacii VIII. in c. *unico, eod. in* 6. ubi sic loquitur: *Presbyteri qui ad curam populi per Monachos in eorum Ecclesiis, præsentantur Episcopis, & instituuntur ab ipsis: (Cùm debeant esse perpetui) consuetudine, vel statuto, quovis contrario non obstante, ab eisdem nequeunt Ecclesiis (nisi per Episcopos, & ex causa rationabili) amoveri.*

Demum etiam attendendum est Decretum CC. Tridentini *Sess. 25. de Regularibus c. 11.* ubi dicitur: *in Monasteriis, seu domibus Virorum, seu Mulierum, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium, (præter eas, quæ sunt illorum Monasteriorum, seu locorum familia) personæ, tam Regulares, quàm sæculares, hujusmodi curam exercentes, subsint immediatè in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cujus Diœcesi sunt sita.* 3042

Subjungit deinde punctum aliud de institutione Curatorum in talibus Ecclesiis, & sic prosequitur: *nec ibi aliqui, etiam ad nutum amovibiles, deputentur, nisi ejusdem consensu, ac prævio examine per eum, aut ejus Vicarium faciendo; exempto Monasterio Cluniacensi cum suis limitibus; exceptis etiam iis Monasteriis, seu locis, in quibus Abbates, Generales, aut Capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent, atque aliis Monasteriis, seu domibus, in quibus Abbates, aut alii Regularium Superiores jurisdictionem Episcopalem, & temporalem in Parochianos exercent: salvo tamen eorum Episcoporum jure, qui majorem in prædicta loca, vel personas jurisdictionem exercent.*

Ante resolut. not. quando ipsa Ecclesia Monachorum habet populum, curam ejus non Religiosis de tali Monasterio, vel eorum Superiori, sed ipsi Ecclesiæ annexam esse, nimirum exercendam per eum, qui legitimâ potestate illi Rector præficitur, quoties ea per Monachos regi de jure non potest, qualiter jure antiquo Monachi nulli Ecclesiæ curatæ, secluso casu necessitatis, & defectûs Presbyterorum sæcularium, qui essent idonei, præfici poterant. *Not.* 2. dictum c. 1. h. t. excludens Monachos à cura populi, pertinentis ad Ecclesias, ubi Monachi habitant, procedere de jure antiquo, ut notat Abbas in *cit. c. 1. n. 5.* hodie enim Abbates, in Ecclesiis suis Monasteriis *jure plenissimo* incoporatis, etiam Regularem constituere possunt Rectorem, exclusâ omni quoad hoc Episcoporum functione, ut constat ex *n.* 739 3043

Cœterùm, quid in Ecclesiis Curatis & Parochialibus sibi unitis jure *non pleno*, nimirum quoad sola temporalia, possint 3044

Prælati Regularium? constat *à n.* 739. ubi etiam *à n.* 470. diximus, eosdem, in ejusmodi Ecclesiis sibi jure pleno, sed non plenissimo incorporatis de jure communi jus præsentandi instituendum competere quidem Monasterio, seu ejus Prælato; jus autem examinandi, ac instituendi, Episcopo diœcesis, in qua sitæ sunt, sed cum limitationibus relatis *à n.* 741. & seqq. An autem, & qualiter sit in arbitrio tali casu ponere Vicarios in ejusmodi Ecclesiis Regularibus unitis jure pleno, sed non plenissimo, exposuimus *à n.* 743. etiam spectato decreto Tridentini. Ad eam porrò quæstionem (an in Ecclesia alicui Ecclesiæ Cathedrali, Regulari, vel seculari, ubi constituendus est Vicarius, iste debeat esse secularis, vel possit esse Regularis?) respondimus *à n.* 750. sed plura de his locis jam citatis.

3045 Ad 1. igitur quæst. in n. 3041. constat ex dict. Ad 2. R. Vicarium, etiam Regularem, in Ecclesiis Monasterio incorporatis jure pleno, sed non plenissimo (nimirum populo manente sub Episcopi jurisdictione) subesse loci Ordinario, per clarum Textum Tridentini in num. 3042. Ad 3. R. hoc ipsum declarari à Trident. cit. nimirum quòd in iis, quæ ad animarum curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, subsint quoad jurisdictionem, visitationem, & correctionem. Hinc Ecclesiæ Regularium exemptorum, & capellæ, Oratoria, & similia loca pia, quæ de se *curata* non sunt, non veniunt sub hoc decreto in puncto visitationis; cùm ipsum clarè procedat de his, quibus incumbit cura animarum id; quod etiam procedit de personis, in quantum ministrantibus illis Ecclesis, vel Capellis

3046 Ad 4. R. id negari in c. *Ex parte* 3. *h. t.* quod esset contra Concilium generale, relatum in c. 2. de Statu Monachorum, & confirmatur c. *ad audientiam* 4. eod. Unde, si facultates Ecclesiæ non ferant tantùm, ut Rectori Ecclesiæ Monacho alius Monachus in socium detur, & alatur, potest Abbas, vel alius Prælatus Regularis cogi ab Episcopo, ut per sæculares Clericos regatur: quamvis aliàs non possit Prælatus Regularis Prioratus solitos gubernari per Regulares, committere Clericis sæcularibus; sic Abbas in c. *ult. h. t.* mos tamen hodiernus jam induxit, ut sufficiat, si Ordo permittat, Regulari, qui Prioratum, vel Parochiam unitam Monasterio administrat, adjungi unum Socium Regularem; non obstante constitutione CC. Generalis in c. 2. de statu Monachorum; c. *Ex parte* 3. h. t. secundùm integram lectionem, & Constitut. Pii V. editâ 1567. 15. Novembr. requirentibus adjungi eis plures Socios Regulares; præsertim, cùm Quaranta in Summa Bullarii V. *Vicarius foraneus pag.* 638. referat, *sufficere unum*, vivâ voce declaratum esse à Gregorio XII.

ARTICULUS II.

An, & qualiter una Ecclesia possit sibi vendicare jus in alia?

HUic quæstioni occasionem præbet 3047
casus in c. *Dilectus* 2. h. t. relatus. Cùm enim Syndicus Ecclesiæ S. Cæciliæ ab Oeconomo, sive Procuratore Ecclesiæ S. Laurentii, sitæ in Parochia S. Cæciliæ subjectionem in *petitorio*, & *possessorio* postularet, in scrutiniis, baptismate; Capitulis, & similibus, *titulo præscriptionis* per testes comprobatæ; & Presbyter S. Laurentii hos ad jurandum paratos vidisset, sponte confessus est, quòd Ecclesia S. Laurentii *scrutinium* & *baptisma* debeat Ecclesiæ S. Cæciliæ, & *ad Capitulum* vocatus venit; super quo, veluti debito, à Sede Apostolica condemnatus fuit; ex adverso autem Oeconomus S. Laurentii proponeret, Ecclesiam S. Laurentii immediate ad Sedem Apostolicam pertinere, hodieque ab eâdem *institutionem* & *destitutionem* liberè ibi exerceri: Pontifex his auditis Ecclesiam S. Laurentii, *ratione baptismatis* & *scrutinii*, Ecclesiæ S. Cæciliæ obligatam pronuntiavit; *in institutione* autem, & *destitutione*, & *Capitulo*, dictam Ecclesiam ab impetitione Clericorum S. Cæciliæ absolvit.

Ex

3048 Ex hoc deducitur, quòd quamvis quælibet Ecclesia eo ipso, quòd est in aliqua Diœcesi constituta, Episcopo illius subjecta debet esse, nisi exempta probetur, ut notavimus supra, id tamen non procedat in Ecclesia non Cathedrali; hæc enim, si vendicat sibi jus in alia, solùm obtinebit quoad ea, quæ probabit sibi deberi, vel præscriptione, vel alio legitimo modo; non, quoad alia, prout clarè constat ex casu in c. *dilectus*; ubi nota, in textu per *scrutinium* hìc intelligi Catechismum sive instructionem Catechumenorum, & examen, ut notat Panormitanus hìc n. 10. quod asserit debuisse fieri per 20. dies ante Baptismum Adultorum; per *Baptisma* verò jus fontis baptismalis, & per *Capitulum* comparitionem in Capitulo, cùm ad id evocatur.

3049 Præter hæc *Not.* P. Wagnereck in exegesi ad dict. c. *Dilectus* velle, quod, licet Ecclesia sita infra Parochiam alterius Parochi hìc dicatur illi jure communi subjecta; & Panormitanus hìc n. 3. dicat, istud jus nullibi expressum reperiri, videatur tamen posse à paritate, & proportione rationis desumi, posse, ex regula, quæ habetur c. *cùm dilectus* præced. tit. quo dicitur, Ecclesias sitas in Diœcesi aliqua ejusdem Episcopo jure communi censeri subjectas: sed hoc argumentum à paritate desumptum rectius negatur; nam, etsi verum sit, quòd in c. *dilectus* Syndicus Ecclesiæ S. Cæciliæ prætenderit subjectionem sibi debitam ab Ecclesia S. Laurentii eo titulo, quòd hæc sita sit intra fines Parochiæ S. Cæciliæ; Pontifex tamen decidens quæstionem, qua statuit Ecclesiam S. Laurentii in scrutiniis, & baptismate subjectam illi, non fundavit in eo titulo, quod Ecclesia S. Laurentii sita sit in Parochia S. Cæciliæ (aliàs enim hoc titulo fuisset illi subjicienda in omnibus, quæ titulo illo alteri Ecclesiæ debentur, & à Syndico petebantur) sed solùm in duobus punctis, nempe in scrutinio, & baptismate, & hoc ex confessione Procuratoris Ecclesiæ S. Laurentii; non igitur in hoc c. *dilectus* dicitur, ut vult Wagnereck, *Ecclesiam sitam in alterius Parochia illi subjectam esse, de jure communi.*

Sed nec probatur ex c. *cùm dilectus*, 3050
quòd allegat; hoc enim agit de Ecclesia *Cathedrali*, nimirum *Episcopali*, de quo claro jure constat, ipsam, ac ejus Præsidem habere intentionem fundatam super subjectione sibi debita ab omnibus Ecclesiis in ea Diœcesi existentibus, nisi probent se exemptas; à jure autem *competente Episcopo*, & Ecclesiæ *Cathedrali*, ad *Parochum* & Ecclesiam *Parochialem* est argumentum diversi ad diversum; & dispositionis odiosæ (quale est onus subjectionis) extensio ultra casum expressum; nec denique juvat c. *Constitutus. 6. supr. de Relig. domibus.* Nam loquitur *de Episcopo*, sive de Ecclesia Cathedrali; non de inferiore: & nullibi reperitur jure expressum, quod in hoc c. à Syndico S. Cæciliæ allegatum fuit, de jure communi Ecclesiam sitam in aliqua Parochia, subjectam esse eidem. Unde Innoc. in cit. c. 2. *ubi* ait *hoc jus, ubi sit? ignoro.*

Ex eod. c. *dilectus* deducitur. 2. 3051
quòd Confessio Rectoris Ecclesiæ, quæ Collegium non habet, facta in judicio, Ecclesiæ nocet: non item Confessio Ecclesiæ Collegiatæ, quæ Conventum habet; tunc enim requiritur Confessio totius Collegii, Abb. *in cit. c. 2. n. 4.* Ratio est, quia Rectori Ecclesiæ, non Collegiatæ v. g. Parochialis, competit jus agendi in judicio pro juribus suæ Ecclesiæ: non autem Prælato Ecclesiæ Collegiatæ, sine Collegio, seu Conventu, saltem in causis arduis, seu gravis momenti, ideoque neque Confessio solius Prælati obest Ecclesiæ.

Deducitur 3. quòd Confessio exem- 3052
pti coram Judice competente præjudicat plenè exempto confitenti, Ecclesiæque exemptæ, cujus Rector est; sed non Papæ, seu Superiori subjectionem possidenti; sic Abbas hìc n. 4. & 8. Felinus in c. *Auditis*, de *præscript. n. 25.* hinc juxta istum exemptus potest, si non ex proprio capite, tamen ex persona, & capite Domini, seu Superioris hujusmodi præjudicialem Confessionem irritare. Illud certum est, exemptum sine licentia Summi Pontificis non posse renuntiare exemptioni, ut probat c. *cum tempore*, de arbitr.

3053 Deducitur 4. quòd, licet Monasterium, vel Ecclesia mutet statum (quia v.g. ex Regulari fit Secularis, aut vice versâ) non idcirco amittat subjectionem vel exemptionem: sed maneat subjecta illi, cui prius fuit; vel exempta, sicut prius, ut docet Joann. Andr. in cit. c. 2. n. 12. & Abbas n. 9. Ex quo infertur, quòd si Ecclesia non exempta: sed subjecta Episcopo, uniatur Monasterio exempto, maneat subjecta, sicut prius c. *ult.* de confirm. util. & vice versâ, si Ecclesia exempta, & Romano Pontifici immediatè subjecta, uniatur Ecclesiæ non exemptæ, exemptionem suam non amittat, arg. cit. c. 2. h. t. Sed not. hoc procedere, nisi per unionem transeat plenè in jus alterius, cui unitur, de quo diximus superius, de unione Ecclesiarum.

Deducitur 5. quòd, licet contra 3054
exemptum præscribi possit exemptio; non tamen contra Summum Pontificem *eximentem.* Unde exemptus semper tueri potest se contra præscriptionem sibi oppositam, replicando, non esse completam contra Papam eximentem; quo habetur talem præscriptionem repelli allegando jus tertii; sic Abbas in c. *Ad audientiam*, de præscript. n. 12. Unde exemptus non tantùm quoad Papam eximentem, ut dictum est, sed nec quoad se juri exemptionis renunciare potest, ut decidit Sacra Congregatio Rotæ in causa Ulixbon: Monasterii 19. Novembr. 1625. quia præjudicat juri ejus, cui reservata est subjectio, sublata Ordinariis.

QUÆSTIO XXXVIII.

IN TITULUM XXXVIII.

DE JURE PATRONATUS.

3055 CUm olim jus *Patronatus*, & jus *Advocatiæ tutelaris* (quod Beckmannus in jure statutario Ducatûs Styriæ, V. *Advocatia*, nominat *Vogteiam*, seu jus *Vogteuticum*) essent jura conjuncta, & in eadem persona residerent, imò, ut notat Fagnanus in c. *cùm autem n.* 3. jus Advocatiæ pro jure Patronatus; & hoc, vicissim pro illo, sumeretur: Sub eodem Titulo de utroque in jure Ecclesiastico tractatur. Quoniam verò successu temporis, præsertim in Germania, hæc jura separata sunt, & quandoque jus *Patronatus* ad unum; *Advocatia* ad alium pertinet, sunt jura inter se distincta, ut rectè notat Pirhing. h. t. n. 40. & Gloss. in c. *Præterea*, eod. V. *jus Advocationis.*

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit jus Patronatus?

TRes communiter definitiones juris 3056
Patronatûs afferri solent, ut notat Pereyra in Elucidar. n. 1298. prima traditur ab Hostiensi in summa tit. de jure patron. in hunc modum, *est potestas nominandi seu præsentandi Clericum, promovendum ad beneficium simplex & vacans.* Si displiceat ex eo quòd nimis arctetur ad beneficium *simplex*; Lessius *lib. 2. c. 34. n.* 17. sic definit: *est potestas præsentandi instituendum ad beneficium Ecclesiasticum vacans.* Ponit utraque particulam, (*vacans*) quia, si non vacet, erit irrita præsen-

præsentatio, utpote contra bonos mores, & præbens occasionem captandæ mortis, c. *Nulla*, de concess. præbendæ: quia tamen neutra explicat, quid quid Patronatus habet, Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 19. *q.* 1. sic definit: *Jus Patronatus est beneficium onerosum, & utile, conveniens alicui in Ecclesia, ob aliquod ejus meritum, vel obsequium in ipsam collatum.* Dicitur *onerosum*, quia Patroni est Ecclesiam protegere, tuendo dotem, & bona illius; Dicitur (*Utile*) quia Patronus habet præcipuum in Ecclesia locum in sedendo, in supplicationibus, & conventibus publicis, item, si ad summam egestatem devenerit, Ecclesiæ à se fundatæ bonis sublevari, & sustentari debet: c. *quicunque* 16. *q.* 7. S. Thomas in 4. *dist.* 27. *q.* 3. *à* 2. ait, *jus Patronatus, esse potestatem præsentandi Clericum ad beneficium Ecclesiasticum.* Hinc volunt aliqui in Ecclesiis, quibus providetur, non præsentatione formali, sed electione, requiri consensum Patroni in electum per c. *Nobis* 25. h. t. & hunc Patroni consensum, *quasi honestam præsentationem*, vocat Lælius Mancinus ad Rubric. de jure Patronat. dissertat. 9. *c.* 2. *n.* 14. & ideo alii dicunt, *præsentationem* per Ordinem ad quam, tanquam actum principalem, jus *Patronatus* definitur, volunt aliam, esse *formalem*, qua præsentatur *instituendus*, aliam *virtualem*, qua præsentatur *confirmandus*, juxta cit. c. *Nobis* 25. h. t.

3057 Quamvis autem jus Patronatus, juxta multorum opinionem, præter jus præsentandi, contineat etiam alia, primò *jus honorificum*, quo Patrono locus honorificus præstari debet in Ecclesia Patronata, juxta dictum c. *Nobis*; secundò *jus utile*, quo Patrono inopiâ presso subvenicndum est, à dicta Ecclesia per c. *quicunque* 16. *q.* 7. demum jus *onerosum*, quia Patroni est, modo præscripto in c. *filiis*, 16. *q.* 7. Ecclesiam defendere, ne dilapidentur ejus bona: hi tamen loquuntur de Patronatu prout includente jus *Advocatiæ* more antiquo; nam *jus onerosum* proprium est prout distincti à Patrono, ut constabit ex dicendis in seq. & colligitur ex c. 6. h. t. Et quamvis Patrono permissum sit, si Sacerdotem, vel Ministrum, aliquid ex collatis rebus præviderit defraudare, aut commonitionis honestæ conventione compescere, aut Episcopo, vel Judici corrigendum denuntiare c. *Filiis*, 16. *q.* 7. hoc tamen est *licentiæ* ac *permissionis*; sed non obligationis; ita Lælius Mancinus ad *Rubric. de Jure Patronatus. Dissertat.* 9. *c.* 10. *n.* 8. Bonorum tamen, & fructuum rationem à Clerico pro sua Authoritate reposcere, & cuncta invigilare permittitur, ut si fraudem inveniat, inventam arguat, atque denuntiet; sic Mancinus *loc. cit. n.* 13.

Dixi *permittitur*, nimirum *ex beneficio* 3058
Superioritatis Ecclesiasticæ; cùm jus Advocatiæ Ecclesiasticæ Laicis sola Ecclesiæ gratiâ concedatur, quæ utique extendi non debet, ultra illius concessionem, quæ non est, ut *jure possit* rationes exigere; sed aliquando ex gratia sibi concessa. Jus autem protectionis, ne bona malè administrentur, bene salvatur sine rationum perceptione; cùm in eo tantùm stet, ut si videret, vel intelligeret, hoc fieri, moneat Rectorem, vel ad ejus superiorem Ecclesiasticum deferat. Incumbit enim illis vi juris sui duntaxat *salutaris solicitudo*, si providerent malam administrationem; non autem alia rerum cognitio, ut dicitur cit. c. *Filiis*.

Jus Patronatus communiter dividi- 3059
tur in Ecclesiasticum, Laicum, seu civile, & mixtum. *Ecclesiasticum* est, quod competit alicui Collegio Ecclesiastico, Capitulo vel Clerico, ratione Ecclesiæ, aut quia beneficium *tale* fundatum, vel dotatum est de bonis Ecclesiæ; aut quia illi Ecclesiæ à Laico donatum; ita Vivianus de *Jure Patron. l.* 1. *c.* 1. *n.* 144. *Laicum*, seu seculare, ac civile, quod Laico, ex fundatione, constructione, vel dotatione Ecclesiæ cum consensu diœcesani: *Mixtum*, quod ex Patronis Laicis, & Ecclesiasticis coalescit; sic Castropalaus *tr.* 13. *D.* 2. *n.* 2. Ex hoc colliges ad dijudicandum, quale sit Jus Patronatûs, non esse considerandum *quis possideat?* sed *quo titulo*, nimirum, an ex bonis, & proventibus Ecclesiasticis? an patrimonialibus, vel alio seculari titulo competentibus? si autem quæras, quando Jus Patronatus coalescit ex Clericis & Laicis, quale sit judicandum, quoad jura & effectus? maximè si ex pluribus duo sint Ecclesiastici, unus Laicus? respondet Castropalaus n. 3. non judicandum Ecclesiasticum, nec Laicum, sed mix-

mixtum. Et ex hoc infert, beneficium Juris Patronatus *mixti*, non cadere sub reservationem; & semestre concessum Ecclesiasticis ad præsentandum, non competere Patrono Laico. *Not.* præterea, juxta Vivianum de Jure Patron. *l.* 1. *c.* 3. *à n.* 8. Jus Patronatus esse Ecclesiasticum, quando Ecclesiasticus præsentet, *nominatum à Laico*; & *Laicum*, quando Ecclesiasticus præsentat *de consensu Laici*; non autem, si tantum *de consilio*.

ARTICULUS II.

An Jus Patronatus sit Spirituale, vel temporale?

3060 QUidam dixerunt, esse quid merè temporale 1. quia à Laicis possidetur, c. *consultationibus* h. t. 2. quia præscriptioni subjacet c. *querelam*, de Elect. cùm alioquin spiritualia præscribi non possint, nec possideri, c. *causam*, *quæ*, de præscript. 3. quia hæreditate transmittitur c. 1. & c. *cùm seculum*, de Jure Patron. cùm tamen nulla successionis ratio sit in spiritualibus c. 1. & 2. de concess. præbendæ: rectius tamen dicitur, esse aliquid *in se*, ac *formaliter temporale*, *annexivè* autem *spirituale*; Sic Vivianus de jure Patron. L. 1. c. 2. 4. ubi etiam dicit, esse *jus gratiosum*, & communiter regulari, prout alia jura spiritualia, per c. *quanto* 3. de Judic. ubi eloquio Summi Pontificis habetur, jus Patronatus *adeo annexum esse spiritualibus, ut super eo non nisi à Judice Ecclesiastico cognosci possit*, cui manifestè suffragatur, quòd jus Patronatus directè emi, vel vendi non possit absque labe, ac vitio Simoniæ, ut dicemus infra; at, si esset purè temporale, id non contingeret; quia sic emeretur ac venderetur solum temporale. Accedit, quòd directe ordinetur ad institutionem Clerici, tanquam ejus causa, ut dicitur c. *Nobis* h. t. institutio autem est actus jurisdictionis spiritualis, 2. quòd sit initium, & quasi inchoatio negotii Spiritualis, intelligendo saltem de initio Ordinis, ut notat Mancinus cit. c. 3. n. 21. Hinc ad rationem simoniæ pertinet, quod super eo fuerit civili aliquâ pactione contractum, c. *super eo* c. *præterea*, h. t. & c. *veniens*, de Testibus.

3061 Ad rationes in contrarium, & quidem ad 1. ℟. non rectè argui *temporalitatem* rei ex eo, quòd à Laico possideatur *ex mera Ecclesiæ gratia*, & *indulto beneficio*, at sic se habet jus Patronatus à Laico possessum, ut patebit ex seqq. ergo. Ad 2. ℟. negando, quòd jus Patronatus subjaceat præscriptioni *Laicorum*. Laicus enim non potest præscribere jus Patronatus *contra Ecclesiam liberam*, secùs Ecclesiasticus; Iste enim hujus juris *per se* capax est; ille solùm per accidens, *ex Ecclesiæ indulto*. Sic Vivianus cit. *l.* 1. *c.* 3. *n.* 24. neque hoc dicitur in c. *querelam*, de Elect. cùm ibi casus propositus inter litigantes, non fuerit inter *Laicum*, & *Ecclesiasticum*; sed inter *Clericos* Ecclesiæ S. Agathæ, & *Presbyterum* Ecclesiæ S. Salvatoris; quin verbum habeatur de jure Patronatus *præscripto* à populo Ecclesiæ S. Salvatoris; quamvis Presbyter electionem suam legitimè probaverit exinde, quòd electus sit à populo illius Ecclesiæ, qui tunc erat in possessione eligendi Presbyterum ad illam Ecclesiam vacanten; potest autem jus possessionis alicui competere, *sine omni præscriptione*. Neganda etiam venit illa propositio, *quod præscriptioni subjacet, merè temporale est*; nam jus eligendi, jus decimarum Ecclesiasticarum, jus ferendi censuras, exercendi quosdam actus jurisdictionis Episcopalis, præscribi potest ab Ecclesia, vel Prælato Ecclesiastico contra aliam Ecclesiam, Monasterium, &c. quin propterea tale jus temporale sit. Ad 3. ℟. similiter non rectè argui, rem aliquam, vel jus esse merè temporale ex eo, *quòd de gratia & mero Ecclesiæ beneficio* in alium transferri possit; sed quòd jure suo, fundato in titulo merè temporali, prout constabit ex seqq.

ARTICULUS III.

Quibus modis acquiratur Jus Patronatus?

REsp. à Doctoribus communiter doceri, quòd tribus modis; *fundatione*, *extructione*, & *dotatione Ecclesiæ*; sic Gloss. in c. *piæ mentis*. 16. *q.* 7. Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 19. *q.* 4. & alii passim; quod verum est, licet non expresseris te fundare, extruere illo animo c. *nobis* 25. de Jure Patron. quia jus illud ab ipso jure Ecclesiastico conceditur, nisi ipse renuntries; excipe tamen Ecclesiam regularem, in quam non acquiritur Jus Patronatus solâ fundatione, extru- 3062

extructione, vel dotatione, nisi etiam accedat consensus Papæ in ipso limine fundationis c. *nobis.* 25. de Jure Patron. *junct. Gl.* V. *de tua jurisdictione.*

3063 Textus jam sæpius citatus, c. *Nobis*, sic habet: Præterea quæsivisti à nobis, an aliquis efficiatur solâ constructione Patronus, vel ad electionem Plebani sit cum Clericis admittendus, seu ab ipsa repellendus omnino, tametsi de longa consuetudine allegaverit, se electioni interesse debere? Nos inquisitioni tuæ tale damus responsum: quòd, *si quis Ecclesiam cùm assensu diœcesani construxit, ex eo jus Patronatus acquirit.* Cœterum *in Conventuali Ecclesia non electioni Prælati faciendæ, sed jam factæ honestius Patroni postulatur assensus, nisi aliter de sua jurisdictione obtineat*, ut partes suas interponere debeat electioni *tractandæ*: Secus tamen est *in Capella*, in qua unus Presbyter *à Patrono eligitur*, &, pro institutione habenda, *loci Episcopo præsentatur.* Pro fundatione quoque Ecclesiæ *honor processionis* fundatori servatur: & *si ad inopiam vergat*, ab Ecclesia illi *modestè* succurritur, sicut in sacris est Canonibus institutum.

3064 Ex hoc probata manet responsio, quod *ex constructione Ecclesiæ*, facta *de assensu Episcopi*, acquiratur jus Patronatus, prout ex textu communiter deducunt Doctores cum Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 19. *q.* 7. Viviano in praxi juris Patronat. *p.* 1. *l.* 1. *n.* 24. Garcia de benefic. *p.* 5. *c.* 9. *a n.* 62. & aliis, ut constat ex ipso quoque textu ibi: *si quis Ecclesiam cum assensu diœcesani construxit, ex eo jus patronatus acquirit.*

3065 Circa præsentem materiam *not.* 1. nos hic non agere *de jure Patronatus*, in quantum significat *jus Advocatorum*, qui patrocinium causarum forensium, quæ in judicio agitantur, suscipiunt, de quibus fit mentio L. *Rem.* 14. *§. Patroni* C. de Judic. & egimus *l.* 1. titulo 37. nec etiam de illo, prout significat jus, quòd competit domino manumittenti servum suum pro beneficio datæ libertatis, quo etiam à manumisso (qui tunc *Libertus* dicitur) licitè exigit obedientiam, & operas sibi præstandas, quod introductum est jure civili. Accipitur ergo hic prout explicat jus, seu potestatem exercendi quosdam actus, concessam ab Ecclesia his, qui aliquam Ecclesiam, vel beneficium Ecclesiasticum construxerunt, fundarunt, vel dotârunt, prout exponemus in seqq.

Porrò duo sunt actus principales, in 3066 ordine ad quos ea potestas ab Ecclesia conceditur; primus est, *actus nominandi*, vel *præsentandi Clericum idoneum*, *pro beneficio vacante* 2. *actus defendendi Ecclesiam* contra violentas aliorum aggressiones. Potestas ad 1. actum, propriè dicitur *jus Patronatus*, & Potestas ad 2. *jus Advocatiæ*, & quoniam antiquitus potestas ad utrumque communiter penes unum, idemque subjectum erat, ideo etiam utrumque jus *nomine Juris Patronatus* veniebat; unde factum est, quòd sub eodem titulo, *de Jure Patronatus* de utroque agatur sine speciali titulo *Juris Advocatiæ*; quamvis hodie subjecto separentur, ut diximus n. 3055. ubi tamen *not.* quando in c. *Querelam*, *de Elect. in* 6. dicitur *electionem* & *præsentationem* in jure *æquiparari*, intelligi si fiat præsentatio à Clerico (nam tunc habet vim electionis) non autem, si à Laico c. *Cùm autem*, c. *Nobis*, &c. *penult.* de Jure Patron.

Quoniam autem dicitur acquiri Jus 3067 Patronatus ex eo, quòd quis *cum assensu diœcesani* construxerit Ecclesiam, *not.* 2. ut illis tribus modis acquiratur Jus Patronatus, requiri consensum Ordinarii, aliàs non acquirendum c. *nobis h. t.* ibi: *Cum assensu diœcesani*, sufficit tamen, si ex post facto interveniat; Barbosa *p.* 3. *de potest. Episcopi alleg.* 76. *n.* 21. & præsumitur interviesse, ex diuturnitate temporis, fundatione Capellæ cum insignibus & armis, sic Barbosa n. 22. Intelligitur autem hic nomine *Ordinarii*, seu Diœcesani omnis, qui habet jurisdictionem quasi Episcopalem; hinc Abbas, potens dare facultatem ædificandi Ecclesiam, potest etiam dare consensum, ut exinde nascatur Jus Patronatus; Castropalaus *cit. n.* 9. Vicarius autem generalis, sicut non habet jus, authoritatem præstandi ædificandæ Ecclesiæ *vi Vicariatûs*, ita nec servitutem Ecclesiis fundatis imponendi per consensum, ut fundator fiat Patronus, secùs, Capitulum sede vacante, sic Castropalaus cit. n. 9.

Not. 3. Illum 1. *Ecclesiam fundare*, 3068 dici, qui dat fundum, vel solum terræ, in quo Ecclesia construitur, ut colligitur

ex c. *Abbatem.* 18. *q.* 2. c. *Nobis.* 25. *h. t.* si autem fundus omnino pereat, vel etiam dos, Jus Patronatus fundatione, vel dotatione natum, etiam perit, & si dos, etiam destructâ Ecclesiâ, maneat, dotatori manet Jus Patronatus ex dotatione, licet is, qui noviter construit, etiam acquirat Jus Patronatus ex constructione. *Construere* dicitur, qui Ecclesiam ædificat suis propriis sumptibus. c. *nobis. cit.* ibi; *si quis Ecclesiam cum Episcopi consensu construxit, ex eo Jus Patronatus acquirit.* Idem est, si quis Ecclesiam dirutam, vel destructam, reædificet; est enim quasi eam à principio ædificaret; sic Gl. in c. 3. de Jure Patron. ut observat Paulus Berti in praxi criminali Regularium; seu *tom.* 4. *qq. Regul. Tit.* 4. *de Visit. c.* 15. *n.* 66.

3069 *Not.* 4. quòd ex fundatione, vel constructione (maximè si perfecta non sit) non prius jus Patronatus acquiratur, nisi subsequatur dotatio; quia sine hac non est beneficium Ecclesiasticum, nec Ministros habere potest. Dicitur autem *dotare*, qui sufficientes annuos reditus assignat c. *Filiis* 16. *q.* 7. positâ verò dotatione, fundans, construens, & dotans, Patroni sunt, sic Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 19. *q.* 6. dixi, *sufficientes*; secus enim non dotator, sed benefactor solùm erit.

3070 *Not.* 5. si unus est, qui fundat, construit, & dotat, eum habere jus Patronatus triplici titulo, si autem alius fundat, alius construit, alius dotat, omnes simul acquirere jus Patronatus in solidum; ex cit. c. *filiis* ibi: *qui construxit, vel dotavit*, si autem plures concurrant ad dotem, esto unus plus, alter minus det, æqualiter habere jus Patronatus, quia jus Patronatus est individuum, ex c. 1. h. t. *Nobis visum est, quod Ecclesia inter hæredes Patroni dividi non debeat*; hinc, si non concordent, Episcopus præcipere debet, ut ibi Missæ non celebrentur, donec ad concordiam redeant, & Ecclesia Canonicè sacerdotem habeat, qui liberè suum ministerium valeat exercere, ita textus c. 1.

3071 *Not.* 6. ex Castropalao cit. *n.* 5. quod Episcopus in Ecclesia ædificanda non debeat consentire, quin prius ædificatorem obliget per publicum instrumentum, *ad dotandum* c. *Nemo* 9. de Consecr. dist. 1. ibi: *nemo* Ecclesiam ædificet, antequam Episcopus civitatis veniat, & ibidem crucem figat, publicè atrium designet, *& antè præfiniat, qui ædificare vult, quæ ad luminaria, & ad custodiam, & ad stipendia custodum sufficiant*, & ostensâ donatione, sic domum ædificet, & postquam consecrata fuerit, atrium ejusdem Ecclesiæ sanctâ aquâ conspergat: & c. *sicut*, de consecrat. Ecclesiæ: ubi Honorius III. scribens ad Reginam Ungariæ, sic loquitur: cùm, sicut ex relatione Capituli Oradien. nobis innotuit, eorum feceris Ecclesiam consecrari; *Cùm non sit Ecclesia*, nisi de dote *provisum ei fuerit, consecranda: eò liberalius ad dotandum prædictam Ecclesiam aperire manus munificentiæ tuæ debes, quoad hoc fortius, tanquam ex debito, jam teneris.*

Ex hoc habetur, quòd, si Ecclesia, absque dote, ædificata sit, consecrari non debeat; sic Gloss. in dict. c. *sicut*, & ad hanc dotem teneri ædificatorem eo ipso, quòd Ecclesiam ædificaverit; sin minus, ejus hæredes; & ad hoc compelli posse ab Episcopo; sic Barbosa *p.* 3. *de potest.* Episcopi, *allegat.* 70. *n.* 4. *&* 29. Azor *p.* 2. *l.* 9. *c.* 3. *q.* 7. Episcopum verò, si permiserit Ecclesiam indotatam fundari, construi, & consecrari, compelli ad eam dotandam, juxta Gloss. in dict. c. *Cùm sicut.* intellige in eorum defectu.

Not. 7. Probabilius esse, Jus Patro- 3072
natus etiam illi acquiri, qui Ecclesiam dotat, etiamsi, prius indotata, sit consecrata; sic Castropalaus *cit. n.* 7. Pirhing *cit. n.* 10. Et quamvis Jus Patronatus sit quædam servitus, est tamen servitus *Ecclesiastica*, quæ bene potest rebus sacris imponi cum consensu Ordinarii: in quæstione autem, *an etiam ex augmento dotis insufficientis nascatur Jus Patronatus?* affirmat Azor *cit. c.* 19. negat Pirhing *n.* 11. *§. not.* 8. probabilior videtur affirmativa ex dict. 3070. quia si plurium collatione dos sufficiens constituitur, omnes in solidum fiunt Patroni, sed juxta dicta n. cit.

Not. 8. Quamvis Glossa in c. *pia men-* 3073
tis, arbitretur, Jus Patronatus duntaxat *ante Ecclesiæ consecrationem* acquiri posse; contrarium tamen esse probabilius, per Layman *lib.* 4. *tr.* 2. *c.* 13. *n.* 3. & constat ex priori numero. Hinc (per eundem n. 2.) si intra eandem Parochiam ob habitationum distantiam, cum Authoritate Episcopi

construatur alia Ecclesia minor, quæ majori, tanquam Matrici, subjecta sit, non solùm is, qui Ecclesiam novam construxit, aut dotavit; sed etiam Rector Ecclesiæ majoris officii, Patronus sit minoris Ecclesiæ, seu filialis, si etiam Ecclesia matrix minori suos proventus, quos habuit, reliquit.

3074 *Not.* 9. Jus Patronatûs, etiam seclusô titulo triplici, de quo hactenus, acquiri posse ex privilegio per Papam concessô, prout colligitur ex c. *Qui res 2. de Reb. Eccles. alienand.* ubi id prohibetur fieri à Principibus Laicis. Nam Ecclesiæ imponere *servitutem* (ut loquitur *Trident. Sess. 25. de Reform. c. 9.*) propriè pertinet *ad Pastorem universalem*, cui princeps dispositio circa Ecclesias competit; reliquis, juxta concessam facultatem.

Quia tamen per *Concil. Trid. Sess. 25. de Reform. 9.* ejusmodi privilegium sublatum est, censent aliqui, si Pontifex rursum alicui concederet, addendam esse clausulam cum derogatione expressa hujus Decreti Conciliaris: Sed hoc necessarium non est, ut dixi *lib. 1. tit. 2. de constitut.* Cùm in omnibus Decretis, *salvam semper esse Sedis Apostolicæ Authoritatem*, dicat ipsum Concilium *Sess. 25. c. 21.* ubi Barbosa n. 1. cum Gonzalez ad 8. *Regul. Cancellariæ Gloss. 6. n. 120.* cum multis aliis tradit, *pro derogatione Decretorum hujus Concilii sufficere clausulam generalem* (non obstantibus constitutionibus Apostolicis) plùs affirmat Vivianus *l. 1. c. 8. n. 24.* dicens: Jus Patronatus ex privilegio Episcopi acquiri posse ab Ecclesiastico; non autem à Laico. Ex hoc:

3075 *Not.* 10. Jus Patronatus Ecclesiæ non liberæ, & quæ aliàs habuit Patronos ab Ecclesiasticis posse acquiri legitimâ præscriptione, per tempus immemoriale; vel saltem quadraginta annos, sine titulo, ut not. Castropalaus cit. *p. 2. à n. 12.* si autem constet, *Ecclesiam esse liberam*, præscriptionem non currere, ita Zoësius de jure Patron. 8. §. *Et hæc.* Laicus autem non potest præscribere jus Patronatus contra Ecclesiam liberam; Ecclesiasticus enim hujus juris *per se* capax est; ille solùm *ex Ecclesiæ indulto*; Vivianus cit. Laicus enim incapax est, sine speciali Ecclesiæ indulto, ut jus etiam *annexivè spirituale* possideat, præscriptio autem sine possessione non procedit.

Not. 11. quòd si quis in alieno fundet Ecclesiam, aut invito domino, jus 3076
Patronatus non acquiratur domino fundi, sed conductori. Ille tamen, Ecclesiam sic ædificatam, antequam consecrata sit, Conductore inscio, vel invito, propria Authoritate destruere potest. c. 1. & 2. de novi operis nuntiat. Pirhing de Jure Patron. 11. n. 13. Nec obstat, omne, quòd inædificatur, solo cedere, juxta L. *adeo 7. §. cùm in suo* ff. de acquir. rer. domin. Nam in hoc casu particulari lex illa, ob Religionis favorem locum non habet; sic Canisius in c. *quoniam 3. h. t. n. 4.*

Not. 12. Similiter dominum feudi posse etiam invito Vasallo, in fundo feudali Ecclesiam construere, cùm eo etiam invito alienare possit; sed eo casu æstimationem fundi præstandam esse Vasallo, vel aliud feudum æquivalens, quod non permissum est Vasallo, c. unic. *l. 2. feud. tit. 9.* & c. *unico* §. *habito tit. 55.*

Not. 13. si Parochus, vel alius Cleri- 3077
cus ex fructibus sui beneficii Ecclesiam, vel Capellam ædificet, acquirere quidem in illa Jus Patronatus ad dies vitæ; Sed post mortem ejus pertinere ad Ecclesiam, consequenter ad ejus successorem in illa, si Collegiata non sit; si autem Collegiata sit, ad Collegium c. *relatum 12.* de Testam.

ARTICULUS IV.

Quibus competere possit Jus Patronatus?

ANte resolut. not. ad quæstionem, an 3078
fundanti, construenti, vel dotanti Ecclesiam, *ex debito competat* jus Patronatus, prout debitum, excludit concessionem merè beneficam, & gratiosam? responderi negative, ut constat ex c. *Quoniam 3. h. t.* ibi: *in qua eos Ecclesia hucusque sustinuit.* Nam Laici non sunt capaces juris spiritualis, nisi ex concessione Ecclesiæ. c. *Tuæ 25.* de decimis ibi: *cùm Laicis nulla sit de spiritualibus concedendi, vel disponendi facultas, imperialis concessio, quantumcunque generaliter fiat, neminem potest à solutione decimarum eximere, quæ divina constitutione debentur*; ergo dum illud

illud habent Laici, cùm sit jus spirituale, est solùm ex concessione, & beneficio Ecclesiæ. Et hæc sententia est communis. Unde Fagnanus in c. *Quoniam* de Jure Patron. n. 4. ex fundatione, vel dotatione, inquit, non acquiritur Jus Patronatus *mero jure*; sed *ex gratia*, & concessione *Ecclesiæ*: idem constat ex c. *si quis Episcoporum.* 16. *q.* 5. ibi: *hæc gratia reservetur.* Idem docet cum communi Pirhing *h. t. n.* 40. dicens: Utrumque enim jus (tam Patronatus, quàm Advocatiæ) *non ex debito, sed ex gratia* illis ab Ecclesia est concessum, quamvis Patronus *in ipsa fundatione* (non autem pòst) cum consensu Episcopi (non autem sine illo) possit honestam conditionem apponere, qua sibi aliquid reservet v. g. aliquam moderatam recognitionem annuam &c. c. *Cùm dilectus* 8. *de Consuet.* Nam Patronus, quidquid juris habet in Ecclesia, totum ex gratia procedit, & de gratia speciali toleratur; sic Fagnanus *cit. n.* 7. his præmissis, ad quæstionem propositam:

3079 R. Jus Patronatus de gratia Ecclesiæ posse competere tam Clericis, quàm Laicis, etiam fœminis, ut colligitur ex c. *fin. de concess. prabend.* ibi: *cùm dilecta in Christo Filia, Comitissa Flandren. fecerit promissiones de non vacantibus beneficiis Ecclesiarum, in quibus jus obtinet Patronatus.* Et quamvis in Canonibus (ut notavimus) dicatur in masculino, *si quis* Ecclesiam fundet, construat, vel dotet, ei concedi Jus Patronatus: hoc tamen vocabulo *si quis*, etiam comprehenditur *si qua*, ut ait Gl. in c. *generali* 13. V. *universos*, *de Elect. in* 6. nam Masculinum continet etiam Fœmininum juxta Gl. in Clement. 1. V. *homines*, *de Elect.* nisi subjecta materia aliud suadeat, qualiter fit in feudis, in quibus fœminæ sub masculino genere non continentur, propter naturam feudi; quibus positis:

3080 Quæstio est 1. an etiam impuberibus possit competere jus Patronatus? R. quod sic, ita tamen, ut si sint infra 7. annos, eorum nomine præsentet Tutor; si verò sint majores septennio, sed nondum puberes, similiter præsentet tutor, si tamen pupillus sine Authoritate Tutoris præsentat, præsentatio valet; si autem sit pubes, sed minor, non valet præsentatio Curatoris, sed minoris; ita Pirhing. de Jure Patron. *n.* 18. Si filius familias sit Patronus, præsentatio ad ipsum spectat, non ad Patrem; quia in spiritualibus, & quasi, non attenditur patria potestas; sic Garcia *p.* 5. *c.* 9. Hinc not. etiam illegitimis, imò & spuriis posse competere Jus Patronatus c. *piæ* cum seq. c. filiis 16. q. 7. non autem Judæo, aut pagano, seu infideli gl. in c. *Frigentius* V. *qui Christianis.* 16. q. 7. & patet quia c. *piæ*, & c. *quicunque fidelium* cad. expressè *loquitur de fidelibus*, & hominibus Christianis.

Quæstio est 2. an hoc jus competere 3081
possit hæretico? R. quod non, sic Abbas in c. *Nobis* 25. *h. t. n.* 3. Hinc, si Patronus in hæresim lapsus præsentavit, alia præsentatio fieri debet; si tamen ad fidem revertatur, recuperat Jus Patronatus, nisi per sententiam sit privatus, ac hæresis damnatus; tunc enim omnia ejus bona ad Fiscum cadunt V. c. *didicimus* 24. *q.* 1. & gl. in c. *maximum* 1. *q.* 7. *V. dignitate.* Si autem Patronus incidat in excommunicationem majorem, per hoc non privatur Jure Patronatus; sed tantùm ejus usu, sed intellige, si vitandus sit, non autem si toleratus, & ejus præsentationem velit admittere Episcopus. Hinc præsentatio facta ab excommunicato vitando, invalida est.

Quæstio est 3. an, si Jus Patronatus 3082
annexum sit bonis, ab Uxore marito datis in dotem, jus præsentandi pertineat ad Maritum? Negat Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *q.* 16. Sed oppositum tenet Layman. *l.* 4. *tr.* 2. *c.* 13. *q.* 7. *n.* 18. Zoësius de Jure Patron. *n.* 36. quia penes maritum non solùm sunt fructus, sed etiam dominium rerum dotalium, saltem *civile* L. 9. C. de rei vindic. & L. *cùm dotem* 10. C. de jure dotium. Unde, licet dicatur, verum & *naturale* dominium rerum dotalium manere penes Uxorem, ergo etiam Jus Patronatus illis annexum. R. cum universitate bonorum transeunte in alium, transire etiam accessoriè Jus Patronatus. Quare dato ante N. conc. quia in dato casu dominium civile rerum dotalium transit in Virum, ergo & id, quod eis annexum est.

ARTICULUS V.

Ad quid se extendat Jus Patronatus?

REsp. primum, & principalem actum, 3083
ad quem extendit se Jus Patronatus,

(ut

(ut distinctum à Jure Advocatiæ) esse *actum præsentandi Clericum in Ecclesia Patronata instituendum in illa*, juxta limitationes in sequentibus subnectendas. Quod illi competat actus præsentandi, est communis doctrina; de aliis autem actibus (præter jus *honorificum*, de quo dictum est n. & *utile*, de quo n. 3056.) multùm dubitatur spectato jure communi, prout ab Ecclesia concedi solet Jus Patronatus; etsi quandoque per accidens, indulto speciali, aliquid amplius concedatur. Hinc

3084 Quæstio est 1. an Patronus Ecclesiæ *Conventualis*, vel *Collegiatæ* habeat jus eligendi Prælatum, pro tali Ecclesia vacante? Ad hoc respondetur in c. *Nobis* 25. *h. t.* §. *Cæterùm*, ibi: cœterùm *in Conventuali Ecclesia non electioni Prælati faciendæ, sed jam factæ honestius Patroni postulatur assensus, nisi aliter de sua jurisdictione obtineat, ut partes suas interponere debeat electioni tractandæ.* Secùs tamen est *in Capella, in qua unus Presbyter à Patrono eligitur, & pro institutione habenda loci Episcopo præsentatur.* Pro fundatione quoque Ecclesiæ *honor processionis* Fundatori servatur: & *si ad inopiam vergat*, ab Ecclesia illi modestè succurritur, sicut in sacris est Canonibus institutum. Nam ex hoc textu deducitur 1. etsi aliàs Jus Patronatus acquiratur, si *cum consensu Episcopi* Ecclesia construatur, tamen id, *quoad jus eligendi, aut interessendi electioni, vel etiam præsentandi*, non procedat *in Ecclesiis Collegiatis*, vel *Conventualibus*; quamvis post electionem postuletur ejus assensus.

3085 Et ideo ex dict. §. *Cæterùm*, notatur, quòd Jus Patronatus in Ecclesia Conventuali, fundari non potest cum solo consensu *Episcopi*, sed est necessarium privilegium *Apostolicum* in limine fundationis, etiam ad effectum præsentationis, ut docent in præsenti Hostiensis, & Aloysius Riccius in *Collect. decis. p. 5. collect.* 1486. quod tamen accipe, si Jus Patronatus esset servatum *in tota Ecclesia.* Nam si sermo sit de Jure Patronatus *in Altari* talis Ecclesiæ Regularis, sufficit consensus Episcopi, ut colligitur ex textu in c. *Nobis* ibi: *secùs tamen est in Capella &c.*

3086 Quando autem in eodem c. dicitur, jus Patronatus acquiri ex constructione Ecclesiæ, intelligi debet, de facta *voluntariè*, non, *necessariò* v. g. in pœnam, vel ex debito justitiæ, ut, si Creditor, cui Titius debet complura millia, hoc debitum cedat, donet, aut leget alicui Monasterio, vel Collegio, & Titius in solutionem debiti, illis ædificet Ecclesiam, aliàs vix habituris debiti solutionem; Sic Lambertin. in tr. de Jure Patron. *p.* 1. *l.* 1. *q.* 4. *a* 7. Rota decision. 167. *n.* 5. & 6. *p.* 2. divers; sic enim est ex debito, cui non competit gratitudo, in qua fundatur Ecclesiæ concessio illius juris.

An autem in Altari *jam constructo* antecedenter ab alio, fundari possit nova Capellania, & in ea *reservari* Jus Patronatus fundatori? dubitari potest, nam eo casu fundatori Capellaniæ non competit titulus fundationis, constructionis, aut dotationis, ex quo nascitur de gratiosa Ecclesiæ dispositione Jus Patronatus. Affirmativè tamen respondet Lambertinus cit. *q.* 5. *a* 15. & *q.* 6. *a* 1. apud Barbosam in dict. c. *Nobis n.* 2. ubi etiam refert, sic esse decisum à Rota in causa Gerundin. 22. April. 1622. Nam tali casu in eo Altari constituit beneficium, si Capellania sit Ecclesiastica, & perpetua; fundator autem beneficii potest in illo, de consensu Ordinarii, obtinere Jus Patronatus. 3087

Dubitari etiam potest, an *ex lapsu temporis* rectè præsumatur consensus Ordinarii? &c. pro affirmativa plures Rotæ decisiones stare in casu, quo constat de ædificatione Capellæ cum insignibus, & armis, ac Superioris visitatione. Requirunt autem aliqui ad hoc, tempus annorum triginta; aliis sentientibus sufficere *decennium*, quòd hic agatur de favore Ecclesiæ in eo sito, ne cœteroquin supprimatur beneficium ex defectu consensus Ordinarii, & agatur de modico præjudicio, præsertim cum consensus Episcopi possit intervenire ex postfacto per c. *nullus*, *h. t.* &, cùm Ecclesia reperitur ædificata, interveniisse præsumatur; sic Garcia de benefic. *p.* 5. *c.* 9. *n.* 73. Menochius *l.* 6. *præsumpt.* 79. *à n.* 1. 3088

Difficultas est, an huic præsumptioni sit locus in casu, quo requiritur Privilegium *Apostolicum*, qualiter id exigi diximus ad obtinendum Patronatum in Ecclesia *Conventuali*? affirmativam sequuntur aliqui, dicentes, eod. modo præsumi interveniisse, quando ultra antiquitatem tem- 3089

poris concurrit obſervantia præſentationum; ita ſentire videtur Farinacius in Collect. noviſſimarum deciſ. n. 2. ſed obſtare videtur textus in dict. c. *Nobis*, ibi: *niſi aliter de ſua juriſdictione obtineat*, ut partes ſuas interponere debeat electioni tractandæ; ubi Gloſſ. *niſi doceat hoc ſpecialiter in fundatione*; & ideo, quòd conſenſus Summi Pontificis non præſumatur interveniſſe, etiam per longum tempus in fundatione Eccleſiæ, ſuper Conditionibus appoſitis in ipſa fundatione, tradit Maſcardus de *probat. concluſ.* 416. *à n.* 4. Rot. *deciſ.* 563. apud Farinacium *loc. cit*

3090 Quia verò in c. *Nobis* (relato ſup.) dicitur, quòd, quamvis Patronus in Eccleſia Conventuali electioni Prælati intereſſe non poſſit, tamen *poſtuletur ejus aſſenſus*, ut etiam notat Gloſſ. ibid. V. *Honeſtius*; dubitatur, an hoc ſolùm ſit ex decentia, & honeſtate, ad effectum ſcilicet, ut electionem factam approbet, & laudet, manente tamen electionis validitate, quantumcunque recuſaverit? vel an ſecus? Gloſſa V. *Honeſtius*, videtur velle de neceſſitate præciſa, fore poſtulandum aſſenſum Patroni, ita ut ſine illo non confirmetur electio, id, quod etiam tenet in c. *de hoc*, de Simon. V. *Princeps*; & ſequitur ibidem Hoſtienſis relatus à Zabarella in præſenti. q. 3.

3091 Sed, negandum eſt, dictum conſenſum requiri de neceſſitate, ſeu ad valorem electionis, etiam confirmabilis. Ratio ſumitur ex ipſo textu, ubi dicitur: *ſed jam facta honeſtius poſtulatur aſſenſus Prælati.* Nam, etſi honeſtius ſit, poſtulare à Patrono, ut electioni jam factæ aſſenſum præſtet; non tamen negatur, *honeſtè fieri, ſi non petatur*; ſic autem certum eſt, poſtulationem aſſenſus, vel ipſum aſſenſum Patroni, non eſſe de ſubſtantia electionis etiam confirmabilis. Hinc ex eo, quod in c. *Commiſſum* 16. de ſponſal. dicatur, *tutius* eſſe; non tamen negatur, oppoſitum *fieri tutè*. Conſenſus igitur, ut rectè notat Lambertinus *l.* 2. *p.* 1. *q.* 5. *a.* 2. *n.* 9. ſolùm poſtulatur in obſequium, & reverentiam Patroni ad illum tantùm effectum, ut coram diœceſano, ſi aliqua ſciat, opponat, quæ de jure debeant impedire confirmationem; aliàs enim datâ confirmatione ſine requiſito conſenſu, vel illo non dato, permanet ipſa in ſua firmitate, ſic ille.

3092 Quæſtio altera eſt, an Jus Patronatus, ut diſtinctum à Jure Advocatiæ extendat ſeſe ad actus *inſtituendi*, & *deſtituendi Clericos in ſuis Eccleſiis?* Cùm enim quidam Laici, Epiſcoporum Authoritate neglectâ, Clericos *inſtituerent* in Eccleſiis, & *removerent*, cùm voluerint, & bona Eccleſiaſtica pro ſuâ voluntate plerumque diſtribuerent, decrevit Pontifex: *illos anathemate feriendos*, Clericum autem, qui Eccleſiam per Laicos, ſine Epiſcopi Authoritate, receperit, jubet communione privari; &, ſi perſtiterit, Miniſterio & Ordine deponi; ſic Alexander III. in c. *Præterea* 4. *h. t.* quod deſumptum eſt ex *Concil. Lateran. ſub eod.*

Ex hac deciſione Pontificia deducitur, 3093
quòd Patronus, ſive Laicus, ſive Eccleſiaſticus, non conſequatur *jus inſtituendi, vel deſtituendi*, ſed ſolùm *jus præſentandi*, aliàs enim non eſſet, ſi ſecus agat, *anathemate feriendus*, ut ait textus. Hinc etiam Clericus, qui *à Laico* in beneficio eſt inſtitutus, ſeu inveſtitus, ſine Ordinarii Authoritate, ſi poſtea Canonicam inſtitutionem impetrare velit, *vitium intruſionis* in ſupplicatione exprimere debet; cùm per hoc factus ſit inhabilis ad beneficium, ad quod intruſus eſt; Abbas in cit. c. *Præterea*, de Jure Patron. *n.* 2. imò talis eò ipſo nec ad aliud beneficium, vel dignitatem Eccleſiaſticam promoveri poteſt, c. *quisquis* 43. de Elect. junctâ gl. *fin.* & c. *ſiquis* 16. *q.* 7. *c. relatum* 21. de Jure Patron. Trid. Seſſ. 14. de reform. c. 13.

Quæſtio 3. eſt, an Patroni Eccleſia- 3094
rum poſſint bona illarum arbitratu ſuo diſtribuere? R. negativè ex cit. c. *præterea*, ubi etiam additur, eos poſt monitionem canonicam excommunicandos eſſe, quia Laici nullam habent poteſtatem diſponendi de rebus Eccleſiaſticis c. 2. de Judiciis ubi ab Eugenio 2. ſtatutum eſt 1. ut Laici *Eccleſiaſtica negotia tractare non præſumant*, 2. ut Prælati Eccleſiarum non diſponant de negotiis Eccleſiaſticis, *præſertim* ſpiritualibus, *judicio Laicorum*: 3. ut *propter eorum prohibitionem* non omittant exercere juſtitiam Eccleſiaſticam. Ubi adverte, quòd, dum hoc loco Laicis prohibetur tractare negotia *Eccleſiaſtica*, non intelligenda ſint *ſola purè ſpiritualia*; ſed etiam alia non ſpiritualia, & civilia, *quæ concernunt Eccleſias, & perſonas, atque*

atque bona Ecclesiastica; cùm expresè dicat: de negotiis Ecclesiasticis, *præsertim spiritualibus*, ubi particula *præsertim* implicat, seu includit alias personas, & casus, ut notat Barbosa de dictionibus V. *præsertim n.* 3. & dum explicat casum minus dubitabilem, implicat magis dubitabilem.

3095 Ex hoc sequitur, quòd Laici, Ecclesias possessionibus suis spoliantes, ut sic Viros Ecclesiasticos coram Judice seculari faciant litigare, si moniti non desistant, ab Ordinariis sint excommunicandi, quousque destiterint, & satisfecerint c. *conquestus* de for. comper. junct. gl. *fin.* imò vi Trid. *Sess.* 22. *de reform. c.* 11. ipso jure communicati sint, qui præsumpserint impedire, ne bona, jura, & jurisdictiones Ecclesiarum, vel aliorum locorum piorum ad eos perveniant, ad quos de jure pertinent, & si Patronus, vel Advocatus Ecclesiæ ita delinquat, eum (ultra prædictam pœnam excommunicationis, quæ Papæ reservatur) *etiam jure Patronatûs, vel Advocatiæ, ipso jure, privatum esse.*

3096 Nec obstat, quòd aliqui dicunt, per concordata Germaniæ cum Eugenio 4. haberi, quòd in Germania Ecclesiasticæ censuræ tam à jure, quàm ab homine, quomodolibet promulgatæ, seu inflictæ, promulgandæ quoque, seu infligendæ, ab ipso Eugenio annullentur, nulliusque esse roboris, vel momenti esse decernantur. Nam hæc *mutilatè* dicuntur pro quo not. quod durante Concilio Basileensi variæ scissiones fuerint, nec in vero Ecclesiæ capite omnes convenerint, quibusdam adhærentibus huic, aliis alteri Papæ. Hinc variæ beneficiorum collationes factæ sunt etiam à Papa non legitimo, & latæ censuræ, quibusdam dissentientibus ab Eugenio, Papa legitimo, iis scilicet, qui Basileæ sub nomine Concilii generalis remanserunt; Principibus Germaniæ ob secutam dissensionem neutralibus &c. Quare Eugenius Papa legitimus, datâ Bulla 1447. incip. *inter cætera desideria* (quæ est ejus constitutio 29. & ultima in *tom.* 1. bullarii) declaravit, quòd omnes censuras Ecclesiasticas, durante illâ neutralitate, *propter prædictas dissensiones* promulgatas, vel inflictas, & *promulgandas, seu infligendas* contra illos, qui ad obedientiam legitimi Papæ reversi sunt, aut intra profixum tempus revertentur, annullet, & irritas esse velit; quæ dispositio est valde limitata, nec quidquam adversariis favet; cùm loquantur expresè de censuris latis & ferendis, promulgatis & promulgandis *propter prædicta.*

Quæstio est 4. an Patroni, vel Advo- 3097
cati Ecclesiarum in perceptione fructuum, proventuum, & obventionum ex beneficiis eorum Patronatui, vel Advocatiæ subjectis, licitè ingerere se possint? R. quòd non, *etiam quacunque consuetudine positâ*, sed illos debere liberè distribuendos relinquere Rectori, vel Beneficiato; secùs, si fecerint excommunicationis, & interdicti pœnis subjici, *& jure Patronatûs, ac Advocatiæ ipso jure privatos esse.* Ratio sumitur ex *Trid. Sess.* 25. *de Reform. c.* 11. cujus verba formalia hæc sunt:

Patroni autem beneficiorum, *cujuscunque Ordinis, & dignitatis*, etiamsi Communitates, Universitates, Collegia quæcunque Clericorum, vel Laicorum existant, *in perceptione fructuum, proventuum, & obventionum quorumcunque beneficiorum*, etiamsi vere de Jure Patronatus ipsorum ex fundatione, & dotatione essent, *nullatenus, nullâve causâ, vel occasione se ingerant, sed illos liberè Rectori, seu Beneficiato* (*non obstante etiam quacunque consuetudine*) *distribuendos dimittant.* Nec dictum Jus Patronatus venditionis, aut alio quocunque titulo, in alios, contra Canonicas sanctiones, transferre præsumant; *si secùs fecerint, excommunicationis, & interdicti pœnis subjiciantur, & dicto jure Patronatus ipso jure privati existant.*

Deinde Sess. 12. c. 11. *Patroni bona* 3098
Ecclesiæ inquit, in proprios usus convertentes, illaque usurpare præsumentes, jure Patronatus eo ipso privati existant; quod universaliter ibid. statutum est de omnibus, & specificè *de Patronis*, qui jure Canonico ab Advocatis non differunt. Denique in eod. Trid. Sess. 24. de reform. c. 3. sic statuitur. Patroni verò, *in iis quæ ad Sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se præsumant ingerere, atque visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu fabricarum proventibus immiscere, nisi quatenus id eis ex institutione, ac fundatione competat.*

Ex istis Tridentini decretis deducitur, 3099

1. Pa-

1. Patronum (idem est de advocato, nam hic in jure Canonico à Patrono non distinguitur) ipso jure privatum esse Jure Patronatus, & incurrere excommunicationem reservatam, qui aliquid de bonis Ecclesiæ sui Juris Patronatus in proprios usus sive per se, sive per suppositas personas convertit, vel sibi usurpat. Constat ex n. præced.

Colliges 2. non prohiberi Patronis, sibi aliquos moderatos reditus reservare in fundatione Ecclesiæ, si ad hoc accedat *placitum Episcopi*: Constat ex dictis. Deinde etiam clarè ex c. *præterea* 23. de Jure Patron. ubi idem statuitur de Vicedominis, Custodibus, Guardianis, quibus expressè negatur, aliquid temporale sua Authoritate exigere ab Ecclesia, vel illam gravare, *nisi tempore fundationis à diœcesano fuerit illi reservatum*; & ratio est; quia cùm fundator Ecclesiæ sit privata persona, non potest suâ voluntate, vel Authoritate propriâ canones immutare, ut habetur in c. *requisiti* 15. ante medium, de Testam. præsertim in præjudicium ipsius Episcopi. Et ejusmodi onera, seu conditiones, vel reservationes *in* fundationibus; non autem *post illas*, fieri possunt; Pirhing de Jure Patron. n. 43. Et ex his pat. etiam illa quæstio, an Patroni, vel Advocati ab Ecclesiis Patronatis possint exigere pensionem, vel onus aliud, aut gravamen?

3100 Coll. 3. Patronis non prohiberi, Ecclesiam; illiusque jura *tueri*, *& perscrutari*, ne bona Ecclesiæ dilapidentur à Beneficiato; imò jus illis competere, accusandi in hoc delinquentem; & revocandi alienationem perperam, & indebitè factam; sic Barbosa in c. *præterea* de Jure Patron.

Colliges 4. Patronis non licere suâ Authoritate bona Ecclesiæ *alienare*, ut constat ex tot. tit. de rebus Ecclesiæ non alienand. licere tamen locationem bonorum beneficii, pertinentis ad Jus Patronatus ipsorum; quia esto Concilium n. 3097. relatum, dicat, se non *ingerant*, quia tamen *ingerere* sonat modum indebitum, qualis non est locatio, hæc non prohibetur eo Trid. Decreto; sic Barbosa in c. *præterea* de Jure Patron. n. 6. sed hoc intellige, ubi per accidens habent administrationem.

3101 Colliges 5. in Decreto Tridentini relato n. 3097. comprehendi tam vendentes, & transferentes, contra Canones, Jus Patronatus, quàm ingerentes se in illius fructuum perceptione, non tantum quoad pœnam excommunicationis, sed etiam privationis Juris Patronatus, ipso jure; sic Barbosa *cit. n. 7. ex Declar. Sacr. Congr. 4. Aug. 1588.*

Colliges 6. quòd administratio Gazophylacii, seu Cassæ, non ad Patronum vel Advocatum Laicum, qui ejusmodi Ecclesiam, vel Capellam fundavit; sed ad Rectorem, & Ministros Ecclesiæ, vel Deputatos à Rectore de jure pertineat, ut docet Layman *l. 4. tr. 2. c. 13. n. 11.* dixi *de jure.* Nam vi pacti, aut conventionis interdum aliter fit, ut notavimus n. 3099. non autem *vi consuetudinis*, quam communiter allegant Laici. Cum raro sit ea, quæ habeat vim, jus inducendi ex l. 1. sit. 4. & reprobetur à Tridentino ut constat ex n. 3097.

Colliges 7. curam rerum temporali- 3102
um (quæ spectant ad Ecclesiam) Patrono, vel Advocato Laico, non ita competere, ut sibi aliquam jurisdictionem, vel administrationem vendicare, vel rationes exigere possit; cùm solùm pertineat ad eum cura temporalium, *quoad defensionem, & denuntiationem faciendam Superiori Ecclesiastico*, si res malè administrarentur. Et ratio est, quia nec in civilibus jus protectionis seu Advocatiæ extendit se ad jurisdictionem collectationum erga Laicos incolas exercendam; sed solùm ad protectionem & tutelam, prout etiam docet Andr. Gail. *l. 2. Observ. 54.* sic in terminis Layman. cit. & Panormitanus in c. *Cum ad Sedem, de restit. Spoliator. n. 22.* & in c. in *Lateranensi, de præbendis.*

Nota autem, quando dicimus, Ad- 3103
vocatis, vel Patronis Ecclesiarum, nullam jurisdictionem, vel dispositionem, aut etiam administrationem competere, vel circa ipsas Ecclesias, vel circa personas, aut bona Ecclesiastica, etiam in visitationibus: hoc debere intelligi, quantum est *vi juris Patronatus, vel Advocatiæ*, ut constat ex pluribus textibus hactenus allatis, & specialiter ex Tridentino in n. 3097. & ratio evidens est, ex ipsa natura *Patronatus*, & *protectionis*, ut notatum est supra. Cæterum, si quid Patronus, vel Advocatus sibi, cum consensu Ecclesiæ, seu Ordinarii, in fundatione, extru-

ctione

ctione Ecclesiarum reservavit, vel cum susceptis in Clientelam de eodem Ecclesiæ consensu convenit: servandum est; quia legitimi pacti obligatio naturalis est, & servanda.

3104 Quæstio est 4. an Patroni vel Advocati Ecclesiarum habeant jurisdictionem aliquam in ejusmodi Ecclesias, personas Ecclesiasticas, vel earum bona? ante resolutionem not. quòd jurisdictio consistat in statuendo & exequendo. Hinc includit duplicem potestatem 1. judicandi in causis, sive civilibus, sive criminalibus; & exequendi judicata. Potestas judicandi vocatur *imperium*; & quidem, si sit in causis criminalibus, dicitur imperium *merum*; si in civilibus, imperium *mixtum*. Deinde jurisdictio alia est *voluntaria*, quæ exercetur in partes consentientes; alia *contentiosa*, quæ exercetur in invitos, & reluctantes, seu à se invicem dissentientes; alia *ordinaria*, quam quis habet jure suo; alia *extraordinaria*, quam quis habet ex beneficio alieno, vel quia delegata, sive mandata; vel quia prorogata est. *Delegata* est, quam quis habet ex mandato ejus, cujus ordinaria est jurisdictio; *prorogata* verò, quæ alicui competit ex voluntaria partium submissione, his præmissis:

3105 R. negativè de Patronis, qui non sunt simul Advocati Tutelares, probatur ex c. *Praterea* 4. *h.t.* ibi: Quia in tantum quorundam laicorum processit audacia, ut Episcoporum Authoritate neglectâ, Clericos instituant in Ecclesiis, & removeant, cùm voluerint, possessionem quoque, atque alia Ecclesiastica bona, pro sua voluntate plerumque distribuant, *ipsos anathemate decernimus feriendos*; Clericus autem, qui Ecclesiam, per Laicos sine proprii Episcopi authoritate receperit, *communione privetur*: & si perstiterit, à Ministerio Ecclesiastico, & ordine deponatur.

Secundò ex c. *Querimoniam* 9. eod. ibi: Absurdum videtur omnino, ut ad singulas Patronorum, secundùm humanam conditionem mutationes, Ecclesiarum ordinationes mutentur, *& vicissitudines Ecclesiarum ab Advocatis, vel aliis præsumantur*. Tertiò ex c. *Consuluit* 15. eod. ibi: cùm sanctuarium DEI, jure hæreditario teneri non possit: *non decet aliquatenus sustineri, ut Clerici Ecclesias, à parentibus suis fundatas, propria Authoritate detineant, aut Laici filiis, vel aliquibus laicis concedant easdem.* Ex his juribus apertè constat *Patronis*, quà talibus, qui scilicet non sunt simul Advocati Tutelares (nam de illis ad minimum ea jura verificari debent) *vi sui Patronatûs*, nullam competere jurisdictionem in Ecclesias Patronatas, instituendi, vel possessiones, & bona earum aliter, quàm arbitrio Rectoris distribuendi; Ecclesias à se fundatas, filiis suis, vel aliis Laicis Authoritate propria detinendi, aut concedendi; quod idem de aliis jurisdictionis actibus constat ex Trid. relato n. 3097. & aliis juribus in supra dict. relatis.

Certum enim videtur, quòd Patro- 3106
natus Ecclesiarum, quà talis, non importet ullum jus extendens se ad alios actus, quàm ab Ecclesia concessum sit; cùm sit merum beneficium, & gratia de benignitate ipsius Ecclesiæ ex n. 3060. sed ex juribus hactenus allatis clarè habetur, ad nullum jurisdictionis actum, illis ab Ecclesia concessum esse aliquid; cùm enim jurisdictionis usum in Clericis instituendis & destituendis; in ingerendo se perceptioni fructuum, proventuum, & oblationum, in administratione bonorum, &c. prohibeat sub excommunicatione, atque adeo sub peccato mortali, ac æternæ damnationis pœna, evidens est, ab Ecclesia illis vi *Patronatûs* nullam jurisdictionem ad ejusmodi actus indultam esse.

Quamvis autem de *Advocatis Tutela-* 3107
ribus plures hujus seculi Legistæ affirment, illis competere jurisdictionem civilem in Clientes, eorumque subditos; dicendum nihilominus, nec istis, *vi juris Advocatiæ* competere ullam jurisdictionem vel civilem, vel criminalem in Clientes, ac eorum subditos; ita communiter Canonistæ cum Martino Magero de Schönberg c. 10. de Jure Advocatiæ n. 385. primò, quia Jus Advocatiæ ac Confœderationis æquiparantur ex communi Doctorum sensu; fœdus autem nemini fœderatorum in fœderis socios ullum imperium tribuit; nec eos ab ordinaria jurisdictione eximit, ut plurimis ostendit ibid. Magerus. Secundò quia pactis privatorum non inducitur jurisdictio, seu potestas juris dicendi, & æquitatis statuendæ. *L.* 1. *& 2. ff. de jud.* & alibi. Advocatia autem pactis privatorum con-

strui potest; ergo. Tertiò, quia *Jus Defensionis*, & *Jus Jurisdictionis* planè diversa sunt: nec hoc ad illud sequitur; cùm separatorum nulla sit communitas, ut docet Baldus ad L. *ampliorem. C. de appell. n.* 3. Quartò, *Cliens & Subditus*, re & nomine differunt, & horum quodlibet stat sine altero, igitur Clientela non fundat ullam jurisdictionem in Clientes. Bartol. *in L.* 1. *de Excusat.* munerum, apud Magerum cit. qui idem probat innumeris Authoritatibus etiam Legistarum præter plurima argumenta, quæ non fert tempus.

3108 Deinde Advocati Tutelares plus juris non habent ex fundatione, constructione vel dotatione Ecclesiæ, vi Advocatiæ, quàm ejus natura ferat; hæc autem naturâ suâ nullam infert Advocatis jurisdictionem in Clientes, cùm ut omnes fatentur, Jus Advocatiæ, quâ talis, consistat, sine omni jurisdictione, quia datur Advocatia *simplex*, seu nec administratoria, nec jurisdictionalis; ut constabit ex dicendis in seqq. ergo. Nec in hoc videtur posse difficultas esse; cùm autem plerique fateantur, jam longè aliter ex usu continuo, & longa consuetudine, quæ passim invaluit, contrarium fieri; & ab Advocatis jurisdictionem exerceri, de hac consuetudine V. infra n. cæterùm ex magno abusu ad Advocatos Ecclesiarum ineptè traduci, quæ alio titulo exercent illi, qui præter Jus Advocatiæ, alio titulo jurisdictionem habent, certum nimis est, & constabit ex seqq.

3109 Dices 1. juxta Baldum apud Magerum *n.* 453. nomine *protectionis* plena jurisdictio continetur. R. Baldum loqui, non de Advocatia *ut sic*, sed *speciali*, nimirum *cum incolatu*, seu per quam Clientes se committunt in protectionem *Ordinarii sui Magistratus*, quia ipse in L. 1. C. de excusat. dicit, quòd *submissio in protectionem non tribuat jurisdictionem*, quo vides, in casu, quo Incolæ committunt se protectioni Ordinarii sui Magistratus, duplicem huic titulum competere, nimirum *Judicis Ordinarii*, & *protectionis*, seu *Advocati*, sed sicut ædilis, qui simul est musicus, non titulo artis musicæ fabricam construit, ita nec dominus terrestris, qui simul est Advocatus, seu protector, non titulo protectionis jurisdictionem in Clientes exercet.

Dices 2. Advocati tutelares ratione 3110
protectionis sunt *domini* suorum Clientum, ergo in eos habent jurisdictionem. R. vocabulum *dominì* multipliciter dici 1. relatè ad subditum; 2. relatè ad servum; 3. relatè ad solam quandam præeminentiam, & titulum honoris, qui nullam fundat jurisdictionem, ut notat Vultejus Consil. 30. n. 15. volum. 3. & hoc postremo sensu Advocatos dici *dominos suorum Clientum*; nimirum, *voce honoris*; non *jurisdictionis*, nisi simul sint Clientes cum incolatu, ut dictum est.

Dices 3. jus Advocatiæ admixtam ju- 3111
risdictionem habere, usu longævo acquisitam, innumeris exemplis probari potest, in Romano Imperio, de quibus videri potest Magerus *c.* 10. *n.* 389. 4. idem constat ex gravaminibus Principum, ac Procerum S. R. J. contra Sedem Apostolicam, quòd multa monasteria à potestate Ordinariorum, & Protectorum eximendo, & consequenter à communibus oneribus pro salute Imperii, ne aliis magnum præjudicium fiat 5. quòd olim in jure Clientelari obtinuit, meritò etiam hodie servari debet, L. *Sancimus* C. de testam. L. *præcipimus* C. de appellat. Ettaliter res durare censetur, qualis fuit in principio L. 2. §. *licet*. Vers. *initium* ff. de Juris & facti ignor: priscis autem temporibus advocati, *vi juris Advocatiæ*, jurisdictionem tam civilem, quàm criminalem in Clientes exercebant, ut innumeris exemplis probari potest: ergo.

Ad 3. R. jurisdictionem posse acqui- 3112
ri longævo usu, conventione, vel præscriptione legitimâ, non esse dubium; sed ex hoc, quòd Advocatus jurisdictionem habeat in Clientes *tali titulo*, non probari, quod eam habeat *vi Advocatiæ*, hæc enim stat sine longævo usu, &c. Accedit, quòd sæpe Advocati, jurisdictionem exerceant in Clientes, non vi & jure Advocatiæ, sed *jure territorii*, quod Advocatiæ extrinsecum est. Exempla verò, de quibus fit mentio, non probant quicquam aliud, quàm jurisdictionem illis competentem in aliquot locis, vel jure territorii, vel conventionis, &c. quod est extra naturam Advocatiæ: Idem respondetur ad 4.

Ad 5. R. Idem Jus nunc concedi, quod 3113
olim fuit in iis casibus, in quibus interim de con-

de consensu Ecclesiæ mutatio non intercessit; non autem, si secus. Olim bonorum Ecclesiasticorum administratio communiter erat penes Laicos, sicut etiam causæ civiles & criminales, ut notavimus supr. idque de consensu Ecclesiæ in defectu potentiæ, & Ministrorum: hodie autem est penes Ecclesiasticos, qui vel per se, vel suos ista præstant, ut patebit ex seqq. Negandum igitur omnino est, Patronis vel Advocatis Ecclesiarum, *etiam invitis Prælatis Ecclesiasticis*, hodie competere administrationem bonorum Ecclesiasticorum, constat 1. exc. *si quis.* 16. *q.* 7. ibi: *si quis Principum, vel aliorum Laicorum dispositionem, seu dominationem rerum sive possessionum Ecclesiasticarum sibi vendicaverit, ut Sacrilegus judicetur*, junctâ rubricâ: nulla etiam Ordinatio, vel dispositio competere potest Patronis Laicis, de rebus intra Ecclesiam, inconsulto Ordinario, c. *noverint.* 10. *q.* 1. sic Manrique *qq. moral. & Vicarial. p.* 1. *q.* 4.

3114 Dices: contrarium passim doceri à Legistis, nec audiendos esse in hoc puncto Canonistas; quia, cùm sint communiter Ecclesiastici, facilè scribunt in favorem Ecclesiarum. Deinde usus, & praxis est manifestè in contrarium. R. frivolum esse argumentum; si enim, in quæstione *Juris Ecclesiastici* non sunt audiendi Canonistæ; quia communiter sunt Ecclesiastici, multò probabilius diceretur, in quæstione *Juris Laici* non esse audiendos Legistas; quia sunt Laici, cùm frequenter plus inhient temporalibus; quàm Viri DEO dicati, quales sunt Ecclesiastici. Constat etiam, sententiam Canonistarum à multis Legistis propugnari. Nam Franc. Pfeil, in Germania Juris-Cons. Celeberrimus, Consil. 183. n. 5. expressè docet, Advocatum Laicum, ad cognoscendum, an bene, malève, per Rectorem Ecclesiæ res administratæ sint? rationum redditionem ab eo haud exigere posse, cùm absque hoc de illo facilè constare possit. Idem tenet Andreas Knichen de Jure Territor. c. 4. post n. 329. Tobias Paurmeister de *Jurisdict. l.* 2. *c.* 9. *n.* 24. *& seq.* quia hodie ipsi Rectores Ecclesiarum, *etiam in temporalibus investiuntur*; non autem olim; & *ideo olim*, Advocati habebant, non autem *hodie*, administrationem & jurisdictionem. Quod autem hodie omni modo administratio Ecclesiarum, Collegiorum, ac Monasteriorum, etiam in temporalibus eorum Prælatis & Rectoribus competat, constat apertè ex c. 7. de donationibus c. *præcipimus* 12. *q.* 1. ibi: *si enim animæ hominum pretiosiores illi sunt concreditæ, multò magis eum oportet curam de pecuniis habere* V. Magerum de Jure Advocatiæ *c.* 10. *n.* 364.

Et quamvis Ecclesiarum Advocatis 3115
competat inspectio, ut bona, & reditus Ecclesiarum, debitè administrentur; hæc tamen ex n. 3100. in alio non consistit, ut colligitur ex c. *filiis* 16. *q.* 7. quàm, quòd, si adverterent, bona, & reditus Ecclesiarum (à se fundatarum, ut notat Magerus cit. n. 374.) dilapidari, vel indebitè alienari à Rectoribus Ecclesiarum, possint, vel eos *commonitione decente* convenire, vel ad eorum Superiores deferre, ut notavimus supra n. cit. Et ideo in alienatione rei, ad Ecclesiam pertinentis, nec consensus Advocati Laici requiritur; teste Magero n. 371. quia id nullo jure cautum est.

Dices tamen 2. Advocati, secundùm 3116
Canones, solùm tenentur abstinere *ab abusu bonorum Ecclesiæ*, cujus custodiam habent; cæterum jubentur, ea in bono statu conservare, ut dicitur c. *generali* de Elect. in 6. hoc autem fieri nequit, nisi administrationem habeant: secundò in c. *quicunque* 16. *q.* 7. dicitur, Fundatores Ecclesiarum, seu Patronos, habere jus *providendi bona Ecclesiastica*, licet non habeant jus, *vendendi*, vel *utendi* tanquam propria. Cùm ergo Patroni, & Advocati in genere æquiparentur, quod in illis statuitur, etiam in his dicendum est, obtinere. Verùm hæc argumenta parum probant. Ad 1. igitur R. ex adducto textu aliud non probari, quàm *jus inspectionis*, de quo *n.* 3100. prout patet ex tot Canonibus citatis, qui Advocatis Ecclesiasticis, *vi Advocatiæ*, negant omnem jurisdictionem, administrationem & dispositionem in bonis, & subditis Ecclesiarum, quarum sunt Advocati. Ad 2. R. etiam equum, & hominem, *in genere* convenire, non tamen, *quia homo discurrit*, etiam *discurrit equus*; quia *discurrere* fundatur in homine ex ratione specifica: Patronus, & Advocatus in hoc conveniunt, quòd uterque habeat *jus providendi* Ecclesiæ; ille, vacanti *præsentando* Ministrum idoneum; iste, *custodiendo* contra vim, & injuri-

am invadentium ejus jura. Neuter tamen habet jus administrationis vel jurisdictionis, titulo Patronatûs, vel Advocatiæ.

ARTICULUS VI.

Quid sit Jus Advocatiæ?

3117 LOquimur hìc de jure Advocatiæ, prout condistincto à Jure Patronatus, ut monuimus *n.* 3055. nam sicut *Jus Patronatus*, prout separatum à jure Advocatiæ, dicitur per Ordinem ad suum actum præcipuum (qui est Ordinatio *præsentare* Clericum idoneum in beneficio vacante instituendum) jus præsentandi; ita *Jus Advocatiæ* dicitur etiam ad suum actum præcipuum, *jus defendendi Ecclesiam*, contra violentas oppressiones, curando simul, ne bona Ecclesiæ dissipentur, prodigantur, vel alienentur; ab eo enim *Advocati* vocantur *Guardiani*, *Custodes*, & *Defensores Ecclesiarum*. Quamvis autem in toto corpore juris nulla reperiatur definitio *Juris Advocatiæ*, prout explicat jus distinctum à jure proprio Patroni (ut observat Martinus Magerus de Schonberg, de Advocatia armata *c. 5. àn. 5.*) ex dictis tamen *n.* 3055. constat, esse jura distincta, & subjecto separabilia. *Advocatiam* porrò, *sumptam in genere*, Magerus *cit. n.* 22. docet, *esse jus, susceptos in clientelam, eorumque bona, contra vim, & injuriam, tam juris, quàm facti, defendendi, sub annuo plerumque honorario, vel jure constitutum, vel conventione, aliisve modis introductum.*

3118 Ex hoc colliges 1. illud jus *honorarium* non esse de substantia juris clientelaris, seu Juris Advocatiæ; cùm simpliciter abesse possit, eo stante: 2. si non unicum, certè præcipuum Advocatiæ actum, seu munus & finem esse, clientes suos, & eorum bona defendere, & protegere contra vim, & injuriam; Sic Magerus *cit. n.* 53. Cùm autem dicitur, Advocati esse, suos defendere contra vim juris & facti, hoc non intelligitur de vi, quam infert Magistratus. Nam, vim à Magistratu illatam, propulsare, legibus prohibitum est, si careat injuria. Colliges 3. Advocato Ecclesiæ, qui non est simul Patronus, non competere jus præsentandi ad Ecclesiam vacantem, cujus est Advocatus; cùm præsentare sit actus proprius alterius juris; & Patrono (qui non est simul Advocatus) non competere illud jus Ecclesiam defendendi, quo definitur jus Advocatiæ.

Beckmannus in jure Statutario Styriæ V. *Advocatia*, hanc vocat *jurisdictionem civilem*, *Vogteuticam circa Ecclesiam*, *ejusque bona rectè observanda*, subditos bene gubernandos, & defendendos contra aliorum invasiones, injurias, & violentiam. Deinde V. *Vogteia* dicit, jus *Vogteuticum*, seu *Advocatiæ* suam originem sumpsisse ab eo, quòd tam Ecclesiastici, quàm Laici Domini terrestres, tempore belli, vel aliarum difficultatum, subditos suos aliis potentioribus in protectionem, vel perpetuò, vel ad tempus, reservatâ sibi jurisdictione territoriali (vulgò **Grund-Obrigkeit**) liberè subjecerint. Advocatiam temporalem vocat *precarium* (**Bett-Vogtey**) & dicit esse ad libitum clientis revocabilem: aliam *hæreditariam*, quæ perpetua est, & ad hæredes transit, & vocari solet clientelare jus. Illa communiter facta est, ob varias belli calamitates; ista verò, nata est, cùm Dominus fundi, seu terrestris suos subditos in perpetuum, protectionis gratiâ, liberè subjicit, vel fundando Ecclesiam, ei aliquos subditos assignavit, reservatâ sibi tamen jurisdictione in illos. Hoc postremum non habet locum, nisi hæc reservatio facta sit cum consensu Superioris Ecclesiastici, ut constat ex dictis; Sed, quæ circa istam Beckmanni doctrinam ex vero tenenda sint quoad Ecclesiarum Advocatos, dicemus *à n.* 3137.

§. 1.

De diversis Speciebus Advocatiæ.

3119 MUltiplices Advocatiæ species enumerat Magerus *cit. c. 4. àn. 2.* Sed omissis pluribus, quarum notitia hic necessaria non est, not. 1. ratione causæ efficientis aliam esse *legalem*, quam Advocatus habet ab ipsa lege, vel Canone; qualis est illa, quæ competit ei ex causa fundationis, extructionis, vel dotationis Ecclesiæ, ut dictum est; aliam *Conventionalem*, quæ partium libero, mutuoque consensu constituitur. 2. Aliam esse *mandatam* seu *delegatam*, quam quis exercer alieno nomine, & mandato; aliam, *non mandatam*, sed *propriam*, quam quis exer-

exercet jure, ac nomine suo. 3. Aliam *simplicem*, aliam *administratoriam*, seu cum administratione conjunctam. Illa est, quæ, præter nudam protegendi obligationem & acceptionem honorarii, nullam administrationem, vel ejus inspectionem habet, & dicitur Vogtey, vel bloſſe Schutz Gerechtigkeit: ista verò, quæ secus: Aliqui etiam dicunt *simplicem*, quæ caret jurisdictione, quæ vero habet, eam vocant *jurisdictionalem*, quæ scilicet habet criminalem, aut civilem, vel utramque jurisdictionem adjunctam. Utrum autem Advocatia *administratoria* (Kaſten Vogtey) hodierno tempore majorem potestatem habeat, vel jure exercere possit, quàm simplex, dicemus in seqq.

3120 Præter hæc, *Vogteiam* aliqui dicunt, esse unam *superiorem*; alteram *inferiorem*, illam dicunt esse quoddam Regale supremi Principis; istam verò competere etiam minoribus Dominis; aliam *personalem*, quæ cum persona illam habente extinguitur; aliam *hæreditariam*, quæ transit ad hæredes. Deinde, Advocatiam ratione Clientum in protectionem susceptorum, dicunt aliam esse *Ecclesiasticam*, aliam, *secularem*. Illa est, quando Clientes in protectionem suscepti sunt Clerici, vel Regulares, sive Protector sit secularis, sive regularis; quando autem Clientes sunt Laici, esto Protector sit Ecclesiasticus, Advocatia est *secularis*.

Cùm autem fieri possit, quòd quis in alterius protectione sit cum omnibus, & universis bonis, atque subditis suis, Advocatia erit *generalis*, seu universalis; si autem solùm cum aliquibus, non omnibus, erit *particularis*; not. autem, quòd, quando protectio præstanda suscipitur, quin Protectori ulla merces, vel annuum honorarium constitutum sit, Advocatia dicatur *gratuita*; si verò secùs, vocetur *mercenaria*. Hodie rarissimæ sunt Advocatiæ gratuitæ, quæ scilicet sine spe lucri temporalis suscipiuntur. Earum tamen exempla quædam refert Magerus *cit. c.* 3. *n.* 249.

3121 Quoniam autem Advocatia alia est *cum incolatu*, quando quis non tantùm clientelæ alicujus se subjicit, sed etiam domicilium, laremque in Protectoris ditionem transfert, & sub illo habitat; si verò careat hoc secundo, est Advocatia *sine incolatu*; ideo inter hos clientes discrimen est, quòd *Clientes cum incolatu* sint *subditi* Advocati, seu Protectoris sui; non autem *Clientes sine incolatu*. Quia ratione domicilii sortitur quis forum, ut diximus in 2. decretal. non autem ratione Clientelæ; aliàs etiam malè divideretur in clientelam *simplicem*, de qua diximus n. 3119.

§. 2.

Quem effectum in Clientibus habeat Jus Advocatiæ.

NOn immorabimur explicando fini, & officio Advocati, seu Protectoris; 3122
sed potissimùm ea dicemus, per quæ constet, quid juris competat Advocatis, præsertim Ecclesiarum, quos *Ecclesiasticos* vocari constat ex n. 3120. *Finis* tamen Advocati, & *officium* diversa sunt. Nam hoc ad media pertinet, quibus finem consequimur; finis verò in absolutione operis consistit. Hinc Advocati *officium* est, Clientes suos defendere, ac protegere; *finis* autem, eosdem incolumes, atque indemnes conservare. *Not.* autem, quòd quidam Laici Jus Advocatiæ, tum relatè ad ipsos Advocatos, eorumque potestatem; tum ad Clientes, eorumque subjectionem, & obligationem reciprocam, exorbitanter, etiam *respectu Ecclesiarum*, ac *bonorum Ecclesiasticorum*, nimiùm quantum extendant. Inter hos est Beckmannus, qui scribens de Jure Statutario Styriæ, V. *Advocatia*, & V. *Vogteia* docet, *Advocato, etiam Ecclesiarum* còmpetere seqq. nimirum Jus, à subditis suæ Advocatiæ regulariter exigendi, juxta consuetudines Provinciæ, onera, seu servitia Vogteutica 1. certas robottas, 2. censum, seu Steuras (die Land-Steur) nisi Dominus territorii hoc secundum antiquitus reservarit, & in spacifica possessione retinuerit. 3. quòd in quibusdam locis habeat ex consuetudine receptâ Jus *nundinarum* (Kirch-Tag Schutz/ und Kirch-Weyh Schutz) & dedicationis Ecclesiæ in eo situm, quod punire possit delicta iis diebus commissa, quæ non spectant ad judicium criminale.

Quartò, jus obsignandi, & inven- 3123
tandi bona Parochorum defunctorum; sic, ut ex speciali mandato generali Principis cavere possint, imò debeant Advocati, ne bona illorum relicta supprimantur, distrahantur; sed creditoribus liqui-

da debita solvantur, residuum proximis consanguineis, aut quibus ex testamento debetur, consignetur, & à tempore mortis, usque ad investituram novi, domus Parochialis sarta tecta bene conservetur, & si reparatione indigeat, ex bonis defuncti reparationem Advocatus curet 5. quotannis semel, aut bis ab Administratoribus bonorum Ecclesiæ (von denen Kirch-Bröbsten / und Zechleuthen) in Parochiali domo exigendi rationes, & ad hoc communiter vocari Patronum, si per se, vel alium sui loco interesse velit. 6. ibid. V. *Vogteia pag.* 542. ex Layman *tr.* 2. *l.* 4. *c.* 13. actus Juris Advocatiæ docet esse sequentes: primò installationem, seu traditionem temporalium, seu Parochi investituram in temporalibus; 2. traditionem Urbariorum; 3. Hereingebung der Revers; 4. confectionem inventarii; 5. expeditionem (Abhandlung der Verlassenschafft) hæreditatis à defuncto Parocho relictæ; 6. inspectionem fabricæ; 7. Exactionem rationum, ut dictum est. Verùm an hæc ullo jure procedant, dicemus in seqq. præsertim *à n.* 3137. quibus annotatis:

3124 Quæstio 1. est, ad quid Clientes Advocatis, seu Protectoribus suis, ob susceptam eorum clientelam, seu protectionem, extra pacta conventa, teneantur? ubi nota hic signanter procedere quæstionem de debito, *secluso pacto*, solùm *ex vi juris Advocatiæ*, & non ex vi pacti & conventionis. Nam, si quid inter Clientes, & Advocatum specialiter conventum est, illud debebitur non *vi Advocatiæ, ut sic*; sed vi advocatiæ *Conventionalis*: Ut ergo primum effectum Advocatiæ explicemus, quæstio est, an, & quam obligationem pariat in Clientibus erga suos Advocatos, seu Protectores.

3125 Dubium igitur primum est, an Clientes Protectorem, absque veniâ, impunè in Jus vocare possint? Negant complures; quia persona Protectoris Clientibus semper honesta, & sancta esse debet; *arg. L. Liberto. 9. ff. de Obseq. à Libert.* illæ autem personæ, quibus reverentia præstanda est, sine jussu Prætoris impunè in jus vocari non possunt. *L.* 2. *C.* de in jus vocando. R. tamen affirmativè, posse de necessitate juris; quia illud edictum Prætoris in *cit. L.* 2. non loquitur de personis, quibus hæc reverentia (*in jus non vocandi*) debetur, nisi in edicto expressis; at in eo persona Protectoris expressa non est; ergo: ita Magerus *cit. c.* 10. *n.* 52. Nam aliàs nemo Magistrum suum in jus vocare impunè posset, cujus tamen contrarium ex continua praxi constat; quamvis æquitati conveniens sit, ut Clientes hoc non agant, non præmissâ veniæ petitione.

Dubium 2. an Cliens adversus Protec- 3126
torem, vel hic contra Clientem productus in testem justè, vel injustè à testimonii dictione abstineat? R. justè illos contra alterum, nimirum Clientem contra Protectorem; & vicissim, testificari posse (quantum est de necessitate juris) quia quilibet testis esse potest, qui à lege vel Canone nominatim prohibitus non est L. *invitus* §. 1. *de Procurat. & L.* 1. *ff. de Testibus*, & cuncta licita sunt, quæ lege, aut decreto non inveniuntur prohibita. L. *nunquam eis. ff.* ex quibus causis major. & c. *ad dissolvend.* de desponsatione impub. at nullo juris textu demonstrari potest, Clientem ab alio in fidem susceptum, contra suscipientem in testem produci prohibitum esse. Nam usus hodierni temporis jus antiquum in hoc puncto non agnoscit; & hæc de necessitate juris. Et ideo Clientes nec occurrente necessitate Advocatis suis (quantum est de juris necessitate) mutuum auxilium præstare tenentur, seclusâ speciali conventione. Nam ad plus non tenentur, quam exprimat protectionis contractus.

Dubium 3. an Clientes, ratione pro- 3127
tectionis, suis Protectoribus teneantur præstare collectas, seu contributiones? R. negativè cum Magero *c.* 10. *n.* 175. plures alios pro se citante; quia protectio (consequenter ipsum jus Advocatiæ) Protectoribus, seu Advocatis nec exemptionem Clientum ab Ordinario Judice ipsorum, nec jurisdictionem, nec collectandi potestatem tribuit. c. *ex parte* 18. de privileg. Menochius *l.* 1. *cons.* 32. *n.* 29. Everhard. *Consil.* 55. *n.* 64. Besold. de jure fœderum *c.* 5. *n.* 12. Deinde Collectans non potest collectas exigere, nisi de bonis, in quibus habet jurisdictionem, Bartol in L. *unic* C. de mulier. *n.* 34. hinc civitas non potest collectas imponere pro rebus, quæ sunt extra territorium L. *fin.* ff. de jurisdict. omnium Jud. Protec-

tor

ctor autem, seu Advocatus ratione protectionis nec in personam, nec in facultates Clientis ullam habet jurisdictionem, ita Magerus *cit. n.* 179. & seq. & pateb. ex dicend.

Dices: contrarium multis exemplis probari posse cum longo usu, qui fecit præscriptionem. R. per exempla non probari, quod Advocato jus collectandi *vi Advocatiæ* competat, cùm illa fundentur non in Advocatia ut sic, sed in Avocatia *cum incolatu*, quæ Clientes facit subditos ratione domicilii, non ratione Clientelæ, ut *not. n.* 3121. Et quamvis, ut rectè notat Farinac. decis. 146. in hominibus parum potentibus interdum jus collectandi attentetur, & obtineatur; inde tamen secuta largitio non ex consensu sed metu potius, & reverentia facta præsumitur, nec præstandæ ideo collectæ in futurum obligationem producit; sed *tacita etiam omnem interrumpit præscriptionem murmuratio*. Quia *timens non affirmat, quando sine periculo reclamare non potest*. Et ideo talis injusta, & violenta possessio, vel quasi possessio longi usus, & consuetudinis, quam allegare solent potentiores, illos tueri non potest, cùm sit potius violentia, quàm juris, & legitima possessio; sic Andr. de Isernia de feudis; Pacianus de probat. & alii quos cit. & seq. Magerus *cit. c.* 10. *n.* 189. §. 2. *extenditur*.

3128 Quæstio est 2. an Clientes privati, renuntiantes clientelæ (mutando domicilium) de jure teneantur Protectoribus suis solvere ratione protectionis illis exhibitæ, jura emigrationis? vulgò **den Abzug/ oder Abfahrt?** R. quòd non *vi Clientelæ*, seu Advocatiæ præcisè; sic Magerus *cit. c.* 10. *n.* 207. Nam imponere jura emigrationis est actus jurisdictionis, qua Protectores vi Clientelæ in Clientes de jure carent, ut diximus *n.* 3127. & constabit ex dicendis infra. Dixi, *vi Clientelæ*; quia an census emigrationis, alio titulo solvendus sit? Alterius quæstionis est.

Speidelius in suo Speculo juris, illum censum emigrationis (**Abfahrt-Geld**) vocat supremum discedentis tributum; **Nach-Steur** in Styria dicitur; in Austria super. **das Frey-Gelt**; & exigitur in redhostimentum exhibitæ protectionis, & imminuti ob discessum tributi; ut docet And. Kinchen de investiturarum paction. *p.* 2. *c.* 4. Hic census emigrationis exigitur ab omnibus, qui larem, seu domicilium mutant, mobilia sua de uno in aliud territorium transferendo, & Jure Austriaco, ac Styriaco est satis gravis. Nam si emigrantes sint Vasalli Cæsarei, & abeunt extra Provincias hæreditarias Cæsaris, Principi pendere debent. 10. partem bonorum, quæ secum auferunt; si autem sint extranei, ex hæreditatibus, quos auferunt, 5. vel 6. partem.

Not. tamen 1. Mulieres ratione do- 3129
tis, esse immunes à censu emigrationis per Constitutionem Rudolphi Secundi de Anno 1597. 8. Martii. *Not.* 2. nullum inquilinum alicujus loci Cæsarei, teneri ad hunc censum, si de una Provincia hæreditaria in aliam emergat, vel hæreditatem auferat, per Constit. LEOPOLDI I. de Anno 1678. 12. Novembr. *Not.* 3. quòd etiam inferiores Domini territoriales in Styria (**Grund- Herrn/ oder Grund-Obrigkeit**) censum emigrationis quandoque exigant à subditis suis, seu incolis territorii ipsius subjecti, cùm ad alium Dominum mutatione domicilii emigrant; hoc tamen Jus iis tantùm competit, qui hoc Jus probant à tempore immemorabili; vel per 32. Annos quietâ & continuâ possessione docere possunt; cùm de his duntaxat casibus Jus statutarium Styriæ loquatur. *Not.* 4. Contrariam nostræ responsioni opinionem in hoc fundari, quòd Clientes cum incolatu à suis Protectoribus æque acceperint clientelam & protectionem, quam alii, consequenter iisdem oneribus & legibus subjecti sint. R. tamen hoc intelligendum de incolis, qui cives facti sunt; non autem de his, qui gratis, vel annuâ pensione locum aliquem inhabitant.

Quæstio est 3. an suscepti in Cliente- 3130
lam Protectoribus suis teneantur *gratis* præstare albergariam, hospitaturam, vel fodrum? id, quod maximè procedit de Monasteriis, quæ aliorum protectioni se commiserunt. Per *Albergariam* glossa in c. *Præterea* 23. de jure Patron. intelligit census, seu pactiones, quæ debentur pro comestionibus, aperturam castri, **die Eröffnung**; alii, hospitationem, seu receptionem in hospitem, qua Protectori detur cum Sociis, seu Comitibus, & famu-

famulis adventanti cibus & potus. Per *Fodrum* autem aliqui volunt significari pabulum equorum; alii extraordinariam quandam annonæ collationem militarem, sive pertinentem ad Imperatoris expeditionem; & *fodrum* hoc postremo sensu acceptum aliqui reputant inter regalia Principis, ut pluribus ostendit Magerus de jure Advocatiæ *c.* 10. *à n.* 223. *Hospitatura* denique varias quoque significationes habet juxta diversas locorum consuetudines. Hinc aliqui eam accipiunt pro jure in tali loco, vel apud talem capiendi hospitium; vel quo illi hospitium assignari debeat; aliqui pro mansionibus, in prædiis fundis, vel Monasteriis antiquitus constitutis, vulgò **Außspann**; vel etiam **Gastung / und Nacht-Feld /** quibus præmissis:

R. cum Magero *cit. n.* 281. hodie Protectoribus nullum ejusmodi hospitationis beneficium à Clientibus jure aliquo deberi 1. quia Jus hospitandi, vel albergandi est Jus Superioritatis, & regale quoddam; at Protectores vi protectionis & Advocatiæ nullum tale Jus habent in Clientes, ut dictum est & dicetur in seq. Deinde c. *præterea* 23. de Jure Patronatus expressè prohibetur *Patronis*, *Vice-Dominis*, *Custodibus*, seu *Guardianis* (quo nomine clarè veniunt *Advocati*, seu Protectores) aliquid temporale ab Ecclesiis (quarum Advocati sunt) exigere, nisi modicum, de quo dicam in seqq. & apertè constat ex pluribus Decretis Concilii Tridentini, jam relatis supr. Cæterùm, quamvis non desint, ut notat Magerus cit. à n. 259. exempla, quibus ostenditur, Advocatis à pluribus Monasteriis datas albergarias, hospitaturam & fodrum, non ostenditur tamen datas, *vi Advocatiæ*, sed vi pacti in fundatione, ut notavimus supra, vel vi Administrationis, vel utriusque jurisdictionis, quam olim fuisse penes Advocatos, præsertim administratorios, & jurisdictionales cum defensionis officio, pluribus docet Magerus cit. de Advocatia armata c. 10. n. 259.

3131 Quæstio est 4. an Cliens Protectori teneatur ministrare alimenta? R. negativè? quia, *quod nec consuetudine receptum, nec juribus est constitutum, non est temerè asserendum*, ut dicitur *§. considere-mus Auth. de Trient. & semisse L. si verò §. si de viro ff. solut. matrim. L. si servum §. non dixit Prætor. ff. de acquirend. hared. L. dissentientis C. de repud.* quòd autem Cliens Protectori alimenta ministrare teneatur, etiam ad egestatem prolapso, nec consuetudine receptum est, nec juribus constitutum: ergo; intellige, si in principio constitutæ protectionis non sit aliter conventum. Nam ultra pacta conventa, Clientum onus porrigi non debet. *L. si unus §. ante omnia de pact.* Hoc autem pactum in dubio non præsumitur; quia in obligatione non veniunt illa, de quibus initio contractus initi verisimiliter non fuit cogitatum, in dubio autem capienda est potius interpretatio, quæ non repugnat verosimili, ut docet Papinianus in *L. Tale pactum*, *§. fin. ff. de pact.* Nec obstat, Patrono à Libertis, & *Patrono* Ecclesiastico, seu Ecclesiæ, ab hac deberi alimenta, cùm est ad inopiam prolapsus. Nam æquiparatio generalis non habet locum in his, quæ competunt jure speciali; de *Patrono* autem id specialiter in jure expressum est, ut constat ex priori; nullibi autem de *Custodibus*, *Guardianis*, seu *Advocatis*, & *Protectoribus*.

§. 3.

Quem effectum in Advocatis habeat Jus Advocatiæ.

3132 REsp. primum, & potissimum esse jus, ac potestatem susceptos in Clientelam defendendi; secundum esse, jus exigendi annuum honorarium ratione pactæ protectionis debitum; tertium autem olim fuisse in Advocatis Ecclesiasticis, jus, & curam administrationis bonorum Monasticorum. Sed, an hic postremus effectus hodiernis temporibus, hoc Jus Administrationis in Advocatis Ecclesiasticis locum habeat, dicemus in seqq. & negandum esse, constat ex jam dictis.

3133 Quæstio autem est, ad quos actus jus protectionis se extendat in habente jus Clientelæ, seu defensionis eorum, qui sub ejus protectione sunt? non attingimus hìc ea, quæ antiquis temporibus Protectores habebant; sed solùm, quæ jure

jure hodierno. Et primò Advocatis Ecclesiarum, hujus temporis excluso omni jurisdictionis exercitio, atque administrationis onere (ut dicemus) præter meram defensionem regulariter nihil competit; nec submissione in protectionem aliud jus, quam defendendi in Advocatum transfertur; sic Magerus seu, ut eum citant alii Schönberg *cit. c.* 11. *n.* 77. &c. Modestin. Pistor. *Consil.* 43. *l.* 1. *n.* 30. *& consil.* 24. *n.* 24. ex variis Imperatorum constitutionibus, & plures alii etiam Legistæ cit. apud Magerum loc. cit. Nam Advocatus dicitur à protegendo; & *protegere* idem est, ac *defendere*, quod, ut not. gl. in L. *desertorem*, §. ult. ff. de re milit. & Barbos. in c. *recepimus*, de privileg. *n.* 8. nullam importat Superioritatem, imò in inferiore, sicut & defensio, verificatur.

3134 Hinc not. 1. quòd Advocatus non tantùm bona suorum Clientum, sed etiam personas eorum defendere teneatur, & vicissim. Menoch. de arbitr. Judic. *casu* 110. *n.* 6. *& seq.* 1. quia per facultates nostras honos, vita, & status dignitas, imò ipsi homines conservamur; 2. quia defensio bonorum venit in necessariam consequentiam defensionis personæ. *Not.* 2. quòd Advocatus in territorio suo salvum conductum Clientibus præstare teneatur. Nam defensio naturâ suâ salvum conductum importat. *Not.* 3. quòd Protector teneatur Clientes suos non offendere. Nam obligatus alium indemnem servare contra Extraneum, multo magis, contra seipsum, cogitur eundem servare indemnem; intellige tamen, si Clientes non præbeant offensæ causam. *Not.* 4. per litem Clientibus motam, & pendentem, jus Protectionis non impediri; Magerus *cit. n.* 303. nam nemo debet prætextu litis motæ à sua possessione desistere; imò, si impediretur, contra protectorem fieret innovatio, & attentatio. *Not.* 5. quòd Advocato, quoad defendendos Clientes, & propulsandas injurias non competat plus juris, quàm ipsius Clientibus; hinc suos Clientes eo modo defendere debet, quo ipsis, si possent, permissum est. Ed ideo ubi ipsi contra injurias experiri deberent judicio, ille non debet armis uti. Menoch. *Consil.* 99. *n.* 35. *&* 39.

Not. 6. quòd jus defensionis se extendat non solùm ad bona sub jurisdictione Clientum, sed etiam in alieno territorio sita; quia dispositio, quæ principaliter personam respicit, effectum suum in consequentiam ad bona sita extra territorium porrigit, per textum L. *si fidei commissum* §. *tractatum*, ff. de Judic: sic Decius *Cons.* 207. *n.* 5. incip. *pulchrum & dubium.* 3135
Not. 7. quòd jus protectionis eousque se extendat, ut Clientes, etiam invitos, defendere possit, & debeat. Nam beneficium etiam invitum conferri potest, *si publica causa concurrat*; hoc autem est in dato casu, quia consideratur communis Clientum salus, & libertas publica. *Not.* 8. quòd Advocati Tutelares suos defendere teneantur, licet Ecclesiarum, Monasteriorum Fundatores Advocatiæ institutionem prohibuissent, Magerus *cit. c.* 11. *n.* 425. ubi hoc ostendit pluribus exemplis. *Not.* 9. Advocatos Tutelares non teneri ad opem ferendam Clientibus, in rebus acquirendis, ad quas nullum habent jus. Defensio enim tutelaris est solùm *contra vim & injuriam.*

§. 4.

De Jure Honorarii annui.

HOnorarium annuum, quod Protectoribus penditur, non est de substantia Juris Advocatiæ: ratio est, quia Jus Advocatiæ stat, etiam sine debito, & spe ullius lucri temporalis ex dictis. Nam, ut rectè ait Magerus *c.* 14. *à n.* 179. *Protectoris officium* omnino gratuitum est, eique pro exhibenda defensione salarium non debetur. Et ideo Bodinus apud eundem, *Jus*, inquit, *Clientelare*, seu protectionis, *omnium maximum, ac pulcherrimum inter Principes censetur.* Heri quidem à Servis, Patroni à Libertis, Domini à Vasallis, magnas utilitates adipiscuntur: *at Principes, populive, qui alios in Clientelam accipiunt, nihil prater dignitatis, ac veræ laudis jucundissimos fructus sperare, sed Clientes opibus, & auxiliis, adversus hostium copias, sine mercede tueri debent. V. L.* 2. *C.* ut nemo rustican. ad suum Patrocinium suscip. 3136

Et quidem, quod attinet Advoca-

tos tutelares locorum *sacrorum*, non tantùm jure communi, sed etiam specialibus Imperatorum & Pontificum Decretis, prohibita fuit Advocatis mercedis temporalis pactio (ut ostendit Magerus *cit. c.* 14. *à n.* 185. extra conventa de consensu Ordinarii in fundatione) quamvis postea usu, & consuetudine contrarium inductum sit, præsertim pactis initis inter Clientes, & Protectorem, quo casu honorarium annuum licitum est, ex quibus etiam pendet resolutio illius quæstionis, an defensio facienda sit sumptibus Protectoris, an Clientum, de qua Magerus *cit. c.* 14. *à n.* 226.

§. 5.

De Convenientia, ac Differentia inter Patronos, & Advocatos Ecclesiarum.

3137 NOn est dubium Patronos, & Advocatos Ecclesiarum in multis convenire; in multis ab invicem differre. Primò enim Jus *Patronatus*, prout distinctum à jure *Advocatiæ*, esse præcipuè ad actum præsentandi Clericum idoneum pro beneficio vacante, constat ex dict. & præter hoc Patrono competere, 1. honoratiorem locum in Ecclesia, & processionibus ex *n.* 3056. Deinde; quòd factus inops ab Ecclesia debeat ali ex *n. cit. n.* 3056. & seq. jus autem *Advocatiæ tutelaris*, ex vi Advocatiæ, esse solum ad actum defendendi Clientes, & eorum bona contra violentas oppressiones ex *n.* 3136. & seq. quamvis Advocato etiam Ecclesiastico, ex vi talis Advocatiæ, competat jus inspectionis supra bona Ecclesiastica, sed citra administrationem, vel jurisdictionem, ut constat ex *n.* 3133. Ambo tamen in hoc conveniunt, *relatè ad Ecclesias*, quarum Patroni, vel Protectores sunt, quòd tantùm, & non plus vi Patronatus, vel Advocatiæ habeant, quantum illis ab Ecclesia concessum est; neutrum enim constitui potest, nisi dependatur à consensu Ecclesiæ, ex *n.* 3060. Unde, quòd *Advocati* seu *Protectores* à Laicis electi, vi conventionis cum consensu Clientum, vel incolatûs, aut alio jure per accidens acquisito, fortassis habent, nullatenus legitimè transferri potest *ad Patronatum*; vel Advocatiam, relatè ad Ecclesiam, ex natura Juris Patronatus, prout videtur discurrere Beckmannus relatus supra *n.* 3122. ut constabit ex seqq.

Hinc contra dictum Beckmannum *n.* 3122. relatum, dicendum, *Advocatiam in genere* malè ab illo definiri per jurisdictionem civilem in Ecclesiæ bona; hæc enim Advocato, etiam Ecclesiastico, vi juris Advocatiæ, ac per se, nulla competit ex *n.* 3127. & 3133. sed aliquando tantùm per accidens, & ex alio c. ut dixi *n.* 3119. cum seqq. negandum pariter, quòd Clientes Advocato teneantur *vi Advocatiæ*, certa servitia, seu onera, steuras, seu census, & roboltas. Nam vi Advocatiæ nihil illi competit, nisi defensio Clientum ex n. 3133. & seq. esto per accidens, vi pacti, conventionis, vel reservationis in fundatione, aliquid illi concedatur, ut dixi n. 3078. malè quoque dicit, quòd Advocatus *vi Advocatiæ* habeat mixtum imperium, & jurisdictionem in subditos Ecclesiæ, 1. quia hoc non habetur ex *vi Advocatiæ*, ut sic, sed ad summum ex vi Advocatiæ *jurisdictionalis*, de qua dictum est supr. Constat præterea ex n. 1162. & seq.

Dicendum præterea contra eundem, 3138
Advocatis Ecclesiarum, *vi Advocatiæ* non competere Jus obsignandi bona Parochorum, aut Beneficiatorum defunctorum. Nam ex vi Advocatiæ nullam habent ejusmodi bonorum, vel administrationem ex n. 3133. vel jurisdictionem ex n. 3119. secus est, si aliter conventum sit cum potestate Ecclesiastica. Sed hoc habet se per accidens solùm *respectu Advocatiæ*. Unde vi Advocatiæ illis nec competit jus conficiendi inventarium bonorum à defunctis Beneficiatis, vel Parochis relictorum; hæc enim pertinent ad administrationem, vel jurisdictionem; Sed Advocatus Ecclesiæ vi talis Advocatiæ neutrum habet, nec Jus distribuendi bona defunctorum Beneficiatorum, nisi vel à defuncto, vel Superiore Ecclesiastico ad hoc sit constitutus. Constat ex n. 3094. Confirmari hoc potest ex literis fundationis Episcopatus, & Ecclesiæ Cathedralis Labacensis, §. *Volumus quoque*, in quibus Fridericus Imperator Austriacus omnem potestatem temporalem sibi tantùm, suis hæredibus, & ex certa scientia deputan-

deputandis, in bona Episcopi, Canonicorum, Vicariorum & homines, vel colonos eorum, specialiter reservavit exclusis Capitaneis, Vice-Dominis, & aliis quibuscunque prout ipse legi in Diplomate fundationis, & privilegiorum confirmatione à Ferdinando Secundo, mihi originaliter communicato à Celsissimo & Reverendissimo Principe & Episcopo Labacensi CHRISTOPHORO SIGISMUNDO, ex Comitibus ab Herberstein.

3139 Dicendum 3. Advocatis Ecclesiæ *vi Advocatiæ*, nullum esse Jus, ut ipsi, à tempore Parochi mortui, usque ad investituram novi, sarta tecta domûs Parochialis conservent, vel reparent, præsertim ex bonis defuncti. 1. quia vi Advocatiæ nullam habent administrationem ex n. 3119. Secundò constat ex n. 3092. cùm enim Jus Patronatus vel Advocatiæ ex ædificatione, constructione, vel dotatione Ecclesiæ competat Laicis non ex debito, sed gratia & beneficio Ecclesiæ constat ex n. 3061. & 3078. iniquum est, jus illud velle extendere contra Ecclesiam, & ejus bona, ultra id, quod ab Ecclesia concessum est. Et ideo negandum est, quod dicit Beckmannus cit. Advocatis Ecclesiarum vi Advocatiæ competere Jus exigendi rationes ab Administratoribus bonorum Ecclesiæ ex n. jam cit. Quæ vero adducit ex Laymanno citato, falsa sunt, nam Laymann in toto illo c. 13. nec verbum de his dicit; imò ibid. n. 11. ex Panormitano, & Andr. Gail expressè docet contrarium, nimirum curam rerum temporalium Patrono Laico non ita competere, ut aliquam *jurisdictionem*, vel *administrationem* vendicare, *aut rationes exigere possit*. Ejus verba retulimus superius. Et licet Pirhing de Jure Patron. n. 78. doceat, Advocatum Ecclesiasticum, posse rationes exigere de temporalibus Ecclesiæ, non autem Laicum: de utroque tamen negandum est, quantum est *vi Juris Advocatiæ*, ut diximus n. 3133. & 3119. quamvis aliter fieri possit per Privilegium, vel consuetudinem approbatam à Papa, ut not. Pirhing loco citato, aut etiam viâ concordiæ, ut constat ex cit. num.

3140 Dicendum 4. Clientes, vi clientelæ non obligari ad præstandum de jure mutuum auxilium Advocatis, seu Protectoribus suis Tutelaribus ex *n.* 3131. nec vi clientelæ obligari suis Advocatis, seu Protectoribus præstare collectas, seu contributiones: sic Andr. Gaill. *l.* 2. *observ.* 54. constat ex dict. *à n.* 3127. nec vi Advocatiæ suæ habere jus à suis Clientibus privatis, mutando domicilium, Clientelæ renuntiantibus, exigendi jus, seu censum emigrationis. Constat ex *n.* 3128. nec jus, ut sibi à suis Clientibus gratis præstetur albergaria, hospitatura, vel fodrum, constat ex *n.* 3130. nec Vice-Dominos, vel Advocatos Tutelares Ecclesiarum, vi Advocatiæ, ullum habere jus, ab Ecclesiis aliquid temporale exigendi, constat ex *n.* 3136. & seqq. nisi modicum, si hoc cum consensu Superioris Ecclesiastici in ipsâ fundatione reservarunt. Constat ex *n.* 3099. ubi diximus hoc illis non prohiberi.

Dicendum 5. si Patroni tutelares Eccle- 3141
siarum in perceptione fructuum, proventuum vel obventionum, quorumcunque beneficiorum, ex quacunque causa, vel occasione se ingerant, etiam prætensâ consuetudine, eos Jure Patronatus ipso jure, seu facto privatos esse constat ex *n.* 3097. & seq. Similiter, Patronatos & Advocatos Ecclesiarum, bona illarum in proprios usus convertentes, vel illa usurpare præsumentes, Jure Patronatus & Advocatiæ ipso jure privatos esse constat ex *n.* 3099. sive hoc faciant per se, sive per suppositas personas; & incurrere excommunicationem Papæ reservatam ex *n.* 3097. item Patronis & Advocatis Ecclesiarum, nullum esse jus vi Patronatus, vel Advocatiæ, se ingerendi, aut immiscendi in his, quæ spectant ad Sacramentorum administrationem. Nec in his, quæ spectant ad visitationem ornamentorum Ecclesiæ ex *n. cit.* nec in his, quæ spectant ad visitationem bonorum stabilium, seu fabricarum, vel proventuum, nisi quantum illis competit ex institutione, vel fundatione, ex n. 3133. Et hoc non obstante jure inspectionis de quo dictum est n. 3094.

Dicendum 6. Advocatis Ecclesia- 3142
rum hodierni temporis non prodesse exempla Advocatorum, qui olim exercuerunt administrationem & jurisdictionem in bona & Clientes Ecclesiarum à n. 3109. & 3127. non esse de substantia Ju-

ris Advocatiæ, quòd Clientes eis debeant præstare annuum honoratium ex n. 3118. Patronis & Advocatis Laicis Ecclesiarum sub excommunicatione sententiæ ferendæ prohibitum esse, tractare negotia Ecclesiastica non modò spiritualia, sed etiam alia ex n. 3097. Prælatos Ecclesiasticos non debere judicio Laicorum disponere de negotiis Ecclesiasticis, præsertim spiritualibus ex n. 3102. & seq. vel propter prohibitionem Laicorum omittere, exercere justitiam Ecclesiasticam constat ex n. 3094. & quoniam Advocatis Ecclesiarum, vi Advocatiæ, nullum est Jus in bona Ecclesiarum, vel personas, iniquè fieret, si propter usum justitiæ Ecclesiasticæ, hujus Administratoribus ab illis temporalia clauderentur, prohibendo illis perceptionem fructuum, ut apertè constat ex n. 3097. Et ratio est, quia talis prohibitio manifestè violat immunitatem Ecclesiasticam, nimirum usum Juris spiritualis, in quo Jure formaliter consistit beneficium Ecclesiasticum. Nec obstat longævus, quem allegant, usus. Nam hic locum non habet, præsertim si talis sit de quo loquitur Farinacius à nobis relatus n. 3127. nam ut consuetudo det, aut pariat Jus, requiritur tacitus consensus populi, vel eorum, qui ea teneri debent; & præscriptio, sine possessione pacifica non procedit. Certum autem est, quòd Laici in suis consuetudinibus & præscriptis contra Clericos & bona Ecclesiarum, frequentissimè & communiter habeant Clericos reclamantes. ergo V. n. 3127.

3143 Hæc intelligenda sunt de Jure Advocatiæ specialiter acceptæ; plura enim quandòque Advocati, etiam Ecclesiarum habent, non vi Advocatiæ, sed ex accidenti, v. g. *ratione incolatus* conjuncti cum Advocatia; *ratione conventionis* per Superiorem approbatæ inter Advocatum & Clientes; ratione *immemorialis usus*, *legitimè cæpti*, &c. Quia verò hæc à multis non attenduntur (quamvis non bene) plures scribentes, & practicantes, quidlibet jam, quod aliqui Advocati habent *ex accidentali titulo*, applicant Advocatis *indefinitè*, quo modo videtur processisse Beckmannus in his, quæ, ut retulimus à n. tribuit Juribus Advocatorum indiscriminatim, Advocatiæ Jura, quæ ex Jure Advocatiæ, sed titulis accessoriis quidam practicant, transferens ad Advocatos indefinitè, etiam Ecclesiarum, hoc est, arguendo à diversis ad diversa.

Unde ulterius notandum, ex hoc, quòd cum consensu Ordinariorum quædam permittantur supremis Principibus, tanquam supremis Advocatis, vel alio titulo singularis præcellentiæ; malè idem usurpari ab Advocatis inferioribus ea qualitate destitutis; tum quia id, quod procedit de Supremo Principe fundatur in qualitate summæ dignitatis; tum quia, ut liquet ex recessu inter Augustissimum Cæsarem, & Archi-Episcopum Salisburgensem de Anno 1671. 12. Nov. in possessione immemorabili Augustissimæ Domus Austriacæ.

Et ideo, licet in dicto recessu in respon- 3144
sione Cæsarea, ad gravamen 10. Commissariis Salisburgensibus propositum, resolutum sit, quòd, ubi cum Commissariis Cæsareis etiam Salisburgenses Ecclesiastici in rebus temporalibus Ecclesiarum cumulativè procedunt, isti Cæsareis præcedentiam concedere debeant, propter qualitatem personæ, præsertim, cùm Cæsarei, & Principes terræ præcedentiam etiam eo tempore, ubi Archiduces Provincias interioris Austriæ possederunt, obtinuerint; & licet hanc ipsam præcedentiam etiam prætenderint Advocati, dictis qualitatibus destituti; Cæsar tamen in resolutione sub dato 29. April. 1674. in puncto hujus præcedentiæ statuit, quoad præcedentiam, standum esse penes resolutionem principalem de anno 1671. sub 12. Novembr. *in quantum contingit Commissarios Cæsareos*; quod autem attinet *privatos Advocatos*, *& Patronos*, eò restringi, ut isti Commissariis Archiepiscopi cedere teneantur cum hac tamen limitatione, ut si tales, nunc privatæ Advocatiæ, vel Patronatus, redirent ad Cæsarem, vel ejus Successores, Principis terræ Commissarii præcederent Archiepiscopales Commissarios in omnibus.

Ubi autem Salisburgum ad hanc re- 3145
solutionem de 29. Apr. 1674. per Doctorem Carolum Ludovicum Klies Aulæ notificâsset, quòd alii inferiores Ecclesiarum Advocati, resolutioni Cæsareæ, de qua superius diximus, se accommodare nolint, & superius dictos actus (obsigna-

tionis

tionis inventuræ, **Abhandlung der geistlichen Verlassenschafften**/ præsentiam Ecclesiasticorum in susceptione rationum. 3. Clavium ad cassam &c.) privativè quoad potestatem Ecclesiasticam exercere velint sub prætextu, quòd Cæsarea resolutio Superiores eos non liget (eò quòd ipsi propter suum interesse in hoc puncto nunquam auditi sint, nec illa resolutio ad usque publicata fuerit) ac subinde rogâssent, ut ob causas, quas nomine sui Principalis attulissent, Cæsar ordinaret, suam Supremi Advocati resolutionem in iis etiam locis publicari faceret, & reliqui Advocati ad debitam ejus observantiam inducantur: Augustissimus Imperator ad Intimum Græcii Consilium, 12. Nov. 1678. mandatum dedit his verbis: **Als wollet ihr an die drinnige Regierung und Cammer die Verordnung alsobalden ergehen lassen/ und vermittels derselben weiters gehöriger Orten darob seyn lassen/ damit gemelter Vergleich in obigen und allen übrigen Puncten/ so wohl von denen in der Saltzburgischen** Diœcesi. **befindlichen** privatis Advocatis Ecclesiarum, **also sonsten durchgehend/ vollzogen/ und unverbrüchig gehalten: auch all deme/ so darin veranlasset/ und statuirt/ unweigerlich nachgelebt/ zu dem Ende/ wann es noch nicht beschehen/ bedeuter Haupt-Vergleich aller Orten gehörig** publiciert **werde.** Viennæ 12. Nov. 1678. quibus positis, rectè concluditur inferiores Patronos, & Advocatos Ecclesiarum, ubi cumulativè adsunt susceptioni rationum in Ecclesiis, quarum Patroni, vel Advocati sunt, nullo jure prætendere præcedentiam in sedendo, vel subscribendo, respectu Ordinariorum, aut Commissariorum Ecclesiasticorum.

3146 Illud etiam notandum, quod illi, qui ferè in omnibus prætensionibus contra Clericos, & bona temporalia Ecclesiarum, de illis disponendo potestate Laica, (eò quòd sint res concernentes meram temporalitatem, vel jam sit usus talis immemorialis) tueantur se hujusmodi usu, & consuetudine, hujusmodi prætextu non sint tuti coram DEO. Ratio est, quia nulla consuetudo potest dare jus, nisi gaudeat consensu legali Principis, cujus constitutioni contrariatur; at potestate laicâ posse disponere de Clericis, & bonis Ecclesiarum etiam temporalibus, non gaudet consensu legali Principis Ecclesiastici, quoad illos actus, qui sub pœna excommunicationis inhibentur Laicis ab Ecclesia; quando enim eos usus Ecclesia haberet tanquam rationabiles, quos sub mortali peccato inhiber, adjectâ pœnâ gravissimâ? ubi autem usus & consuetudo rationabilis non est, consuetudo nihil potest, ut certum est utroque jure.

ARTICULUS VII.

An, & qualiter Jus Patronatus alienari possit?

ETsi de hac materia pluribus locis agatur in decretalibus, de quibus in seqq. duo tamen sacri Canones specialiter in hac quæstione observandi sunt; primus est, ubi agitur de emptione, & venditione Juris Patronatus; alter, ubi generalius agitur de juris illius alienatione, quæ non tantùm fieri potest per venditionem, sed etiam donationem, vel successionem hæreditariam, &c. de his igitur singillatim in seqq. 3147

§. 1.

An, & qualiter Jus Patronatus emi, & vendi possit?

DE hoc agitur in c. *de jure* 16. *h. t.* ubi Pontifex mandat, *ut si Rudolphus jus Patronatus comparavit* (emptione, ut colligitur ex seqq.) *cùm inconveniens sit, vendi Jus Patronatus, quod est spirituali annexum, contractus ille irritus esse decernatur*; cui accedit c. *Præterea* 23. cod. ubi Lucius III. sic loquitur: quoniam *Advocati Ecclesiarum* jus Advocationis, *donationis*, vel *emptionis titulo, aliisque*, pro sua voluntate, contractionibus, in alios transferre præsumunt, fodrum, albergarias, regium, & similia, tanquam à propriis rusticis ab Ecclesiis extorquentes: *præsenti decreto statuimus, eos, sive Advocati, sive Patroni, vel Vice-Domini, sive custodes, vel guardias habentes, seu quocunque alio nomine censeantur, à gravaminibus Ecclesiarum cessare, nihilque in ipsis, præter antiquos, & moderatos reditus, à Locorum Episcopis institutos, exigere: aut, si aliud exegerint, excommunicationi subdantur.* 3148

dantur. Contractus quoque hujusmodi, quos fecerint, vel facient in futurum, vim aliquam decernimus non habere.

3149 Pro explicatione not. dupliciter emi, ac vendi, aliove modo alienari posse jus Patronatus, vel Advocatiæ, quod quis habet relatè ad Ecclesias, earumque bona; primò *directè*, sic, ut ipsum tale jus, seorsim, ac secundùm se acceptum, sine respectu ad bona, quibus annectitur, alienetur: Secundò, solùm *indirectè*, ac accessoriè, & per quandam consequentiam; quòd fit, cùm quis directè emit vel vendit castrum, arcem, dominium, aut alia bona, quibus tale jus annexum est; id, quod dupliciter fieri potest 1. emendo, vel vendendo ejusmodi bona cum annexis, non expresso jure Patronatus, vel Advocatiæ; 2. eod. specificè expresso; quibus prænotatis:

Ex dictis juribus sequitur, emptionem, vel venditionem Juris Patronatus, vel Advocatiæ, factam directè, ac seorsim à bonis, quibus annectitur, non modò illicitam, sed etiam ipso jure invalidam esse. *Illicitam*, quia res spirituales, vel formaliter, vel annexivè tales, sine vitio simoniæ emi, ac vendi non possunt, ut diximus *lib. 5. tit. 3. de Simon. invalidam, ex dict. c. de jure*, ibi: *contractum illum irritum esse decernatis*, nimirum declarando, non irritando; & c. *præterea*, ibi: *contractus quoque hujusmodi vim aliquam decernimus non habere.*

3150 Quæstio est, an, quando quis alicui vendit omnia sua bona, in tali loco (v. g. castrum, villam, cum omnibus juribus & actionibus) etiam Jus Patronatus Venditori competens, cum ea universitate bonorum transeat in Emptorem, si Jus Patronatus specificè exprimatur? ut si dicatur: *Vendo tibi hanc arcem cum omni jure, jurisdictione, & jure Patronatus.* Circa præsentem quæstionem docent aliqui, quòd non transeat, si Jus Patronatus in venditione exprimatur *conjunctivè*; secùs, si solùm *declarativè*, primum fit, si dicatur: *Vendo tibi Arcem, & Jus Patronatus.* Secundùm, dicendo: *Vendo tibi Arcem cum omnibus actionibus*, subjungendo solùm postea, seu Emptori declarando ea omnia, quæ Venditor in eo dominio habuit; sic Fagnanus in c. *Ex literis.* de Jure Patron. à n. 59. quia venditio *conjunctivè* exprimens Jus Patronatus est hujus venditio directa, consequenter Simoniaca.

Hinc plurium doctrina est, quòd Jus 3151
Patronatus, consistens in aliqua universitate temporalium, transeat cum ipsa universitate in eum, in quem transit talis universitas, etiam si hæc transeat in illum solum quoad dominium utile, nisi Jus Patronatus sit specificè exceptum. ex c. 7. de Jure Patron. Hæc regula quotidie allegatur in controversiis de alienatione Juris Patronatus, vel Advocatiæ; sed sumendam volunt cum seq. ampliationibus, & limitationibus.

Ampliatur igitur, 1. ut procedat 3152
etiam sine Authoritate Episcopi, ut pat. ex cit. c. ibi: *si vobis constiterit, quòd præfato militi præscripta villa*, &c. sic Fagnanus in cit. c. *ex literis n. 3.* Secundo, ut etiam procedat de jure sepulturæ, quod à Laicis possidetur. Accedit enim emptioni Universitatis. L. *in modicis ff.* de contrahenda emptione. & L. *si mercede. §. si cum fundum ff. de action. empt.* Secus tamen est in decimis, & aliis Juribus merè spiritualibus. Hæc enim non transeunt cum Universitate; Jus autem Patronatus non est mere spirituale; & ideo annexum esse potest temporalibus. Hinc decimæ in generali donatione non includuntur; nisi donetur Ecclesiæ tale Jus, quod in se habet jura temporalia & spiritualia, ut præbenda. Et ideo Episcopus donans villam *cum omnibus* non transfert jura spiritualia. Sic Fagnanus in c. *Ex literis. de jure Patron. à n. 8.* Et quamvis prohibitum sit Jus Patronatus transferre per contractum non gratuitum c. *quia Clerici*, ut not. Fagnanus cit. hoc tamen intelligitur, si transferatur directè, non autem si solùm accessoriè cum universitate.

Ampliatur 3. ut procedat regula, li- 3153
cet universitas transiret solùm quoad utile dominium v. g. si alicui concederetur in emphyteusim, ut colligitur ex cit. c. *ex literis*, ibi: *etiam si Universitas Coadjutori detur solùm ad firmam*, hoc est, ut exponit Alagona hic, *quoad dominium utile*; vel ut vult Fagnanus *cit. n. 12. ad censum annuum*, qui tamen censet id procedere, si translatio Universitatis fiat in perpetuum, vel ad longum tempus. Ut autem hæc procedant, requiritur, quòd univer-

sitas

sitas quoad dominium vel saltem utile transferatur. Et ideo, qui villam v. g. accipit solùm in pignus, licet illi annexum sit Jus Patronatus, non acquirit Jus Patronatus, quia in pignoratorium nec directum, nec utile dominium rei pignoratæ transit. Sic Fagnanus cit. n. 16.

3154 Præter hæc not. si Jus Patronatus castro, vel arci alicui annexum sit, non propterea castrum posse carius vendi; aliàs tacitè venderetur Jus Patronatus; sic Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 20. *q.* 8. Castropalaus *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 4. *n.* 10. *Not.* 2. Contra Suar. *lib* 4. de Simon. *c.* 57. *n.* 13. Simoniacam venditionem Juris Patronatus esse invalidam. Illud enim in neminem transferri potest, in quem Ecclesia non consentit. Nam hoc jus ex voluntate Ecclesiæ communicatur, & non aliter: in emptorem autem Simoniacum Ecclesia non consentit: Sic Azor *cit. q.* 8. *Not.* 3. per universitatem rei, cum qua Jus Patronatus illi annexum, accessoriè transit, hoc loco intelligi; non rem aliquam particularem, sed eam, cui jura universitatis, ut est civitas, castrum, pagus, villa, aut fundus, cui jura, ut jurisdictio, servitutes, onera, actiones &c. annexa sunt; sic Azor cit. & Abbas c. ex literis de consecr. Ecclesiæ. *n.* 10.

§. 2.

An Jus Patronatus vel Advocatiæ per hæreditariam Successionem transferri possit in alios?

3155 REsp. posse cum universitate bonorum, quibus annexum est, idque vel ex testamento, vel ab intestato; nec solùm ad hæredes suos, seu descendentes, sed etiam ad extraneos, sive mares, sive fœminas c. 1. de Jure Patronatus ubi dicitur, *quòd Ecclesiæ inter hæredes Patroni dividi non debent*, & si simultates insurrexerint, propter quas Sacerdos suo ibi officio canonice fungi non possit: si aliter provideri non poterit, præcipiatur ab Episcopo, ut nullo modo ibi Missarum solemnia celebrentur, donec ad concordiam redeant, & Ecclesia Sacerdotem canonicè habeat, qui liberè suum Ministerium valeat exercere. Pro hujus explicat. Not. dupliciter jus Patronatus alicui competere posse 1. ratione personæ, quod tibi, tuisque hæredibus & Successoribus competit ob fundatam Ecclesiam, vel privilegium à Romano Pontifice concessum; aliud, quod tibi competit ratione alicujus villæ, castri, & prædii, cui est ex fundatione jus Patronatus annexum. Primum voco *Jus Patronatus personale*, quia à rebus, & possessionibus est distinctum, & personam comitatur. Secundum est *reale*, quia rebus ipsis inhæret; quibus positis, dicendum hoc Jus Patronatus successione omnino acquiri posse; constat 1. ex textu dicti c. 1. ubi hoc apertè supponitur. 2. ex c. *Considerandum* 16. *q.* 7. ubi Gregorius, considerandum, inquit, est, de Ecclesiis, *quæ inter Cohæredes divisæ sunt*, quatenus, si secundum providentiam, & admonitionem Episcopi, *Cohæredes* eas voluerint tenere, & honorare faciant. Sin autem hoc contradixerint, in Episcopi potestate maneat, utrum eas consistere permittat, aut reliquas inde auferre velit.

Præter hæc not. Jus Patronatus pos- 3156
se quidem transire in hæredem, ut dictum est, cum universitate bonorum; non autem, si quis institutus sit in certa re. Nam talis habetur instar Legatarii L. *pen.* C. de hæred. instit. nisi tamen illa res certa contineat universitatem bonorum. c. *ex literis* 7. *h. t.* quod loquitur de villa alicui in firmam, hoc est quoad dominium utile concessa.

Not. 2. quando sunt plures Patroni 3157
hæredes, jus præsentandi non esse penes singulos, sed omnes collectivè, & in solidum; secùs est de reliquis effectibus Patronatus c. *perlatum* 1. *h. t.* Hinc talibus non licet convenire, ut unus habeat Patronatum in una parte Ecclesiæ v. g. in uno altari; alius, in alia parte; colligitur ex integra lectione *cit. c.* 1. Nec licet illis, reditus, & possessiones Ecclesiæ inter se dividere, sic, ut quis sit Advocatus horum, alter aliorum. Abb. in *cit. c.* 1. *n.* 6. quamvis liceat illis convenire, ut unus præsentet, cum primò Ecclesia vacaverit, alter cum secundo; & sic deinceps. Clement. *plures* 32. §. *ut facilius*, de Jure Patron. Nam hæc divisio juris Patronat. est solum ratione temporis.

Not. 3. licere illis etiam facere divi- 3158
sionem ratione locorum, seu Ecclesiarum, ut unus præsentet in hac, alter in

alia

alia Ecclesia, idque ad facilitandas provisiones Ecclesiarum, & vitandas discordias inter Patronos. Clement. cit. item præsentare ad eandem Ecclesiam plures simul, vel successivè; gl. in cit. Clem. V. *liberè*. Sed hoc intellige de illis, qui possunt variare, ac fundationem fecerunt ex bonis patrimonii. gl. ibid. V. *præsentare*.

3159 Quæstio ulterior est, 1. An Jus Patronatus transeat ad hæredem fidei commissarium? R. quòd communis sententia neget, volens illud manere penes hæredem directum; sic Vivianus de Jure Patron. *l.* 1. *c.* 2. *n.* 73. sed affirmativam teneri à Zoësio de Jure Patron. & Molina nostro *tr.* 2. *de Just. D.* 188. qui ait, affirmativam sufficienter probari, quòd argumenta sententiæ negantis intentum non probent efficaciter. Nam, 1. Jus Patronatus Ecclesiasticum non continet solum honorem, sed etiam commodum, pretio æstimabile, nimirum Jus alimentorum in casu inopiæ, ut dixi n. & possit in dotem dari accessoriè cum bonis, quibus annectitur. Nam Jus Patronatus cum universitate rerum, & jurium transit, c. *ex literis*. 7. *h. t.* Nec obstat, quòd Jus Patronatus non acquiratur jure hæreditario, nimirum *directè*, universitatem enim bonorum naturaliter sequitur, accessoriè, & tanquam aliquid annexum; non tanquam aliquid hæreditarium; & tametsi jus sepulchri, & Advocatia civilis, non transeat ad hæredem fideicommissarium, (quia de his jure civili sic cautum est) aliud tamen est de Jure Patronatus Ecclesiastici, secundùm Canones. Hoc enim competere potest etiam non hæredi, jure accessionis (cùm sequatur universitatem bonorum, quibus annexum est) qualis est universalis possessor bonorum, imò etiam usufructuarius. Barbosa in c. *ex literis*. 7. *h. t. n.* 7.

3160 Quæstio est 2. an divisione hæreditatis Judex possit uni ex cohæredibus adjudicare Jus Patronatus? R. si bona dividantur æqualiter inter hæredes, Jus Patronatus manet penes omnes in solidum, cùm dividi non possit ex dictis, & non sit major ratio pro uno, ac altero; & ideo *c.* 1. *h. t.* prohibetur divisio Ecclesiæ inter hæredes, quibus adde, si quis hæredum accepit minus de bonis, compensationem ad æqualitatem non posse fieri adjudicando illi Jus Patronatus; quia hoc non recipit æstimationem sine simonia; Sic Abbas in *c. querimoniam* 9. *h. t. n.* 3. & quamvis in *c. ex insinuatione* 14. *h. t.* dicatur, quòd Patronus etiam sine consensu Episcopi possit jus suum alteri cedere; intelligitur tamen de cessione facta Compatrono, sine interventu pretii; de quo V. Barbosa in dict. *c.* 14. *n.* 5.

Quæstio est 3. ad quem pertineat Jus 3161
Patronatus gentilitium, extinctâ familiâ? *Gentilitium* dicitur, quod servatur illis, qui sunt de familia; seu agnatione fundatoris, quo posito R. illud, extinctâ familia, non transire ad hæredes extraneos, agnatorum, si fundator expressè voluit, ut tantùm pertineat ad agnatos, seu illos, qui sunt *de familia*. Et tali casu Ecclesia fit libera. Idem est, si sit relictum *masculis tantùm*; Fagnanus in *c.* 1. *h. t. n.* 22. secùs est, si fundator non restrinxit *ad familiam*, & agnatos *tantùm*, idque ex provisione legis. Nam in hoc puncto casus in fundatione omissus, extinctâ familiâ relinquitur sub dispositione juris communis. Nec obstat, quòd fundator dixerit: *Volo Jus Patronatûs manere penes meam familiam*, esto non apponat particulam taxativam *tantùm*; hoc enim intelligitur *tamdiu*, *quamdiu illa extat*, non autem secùs.

Cœterùm, etsi *familiæ* appellatione in dubio veniat familia continuè, seu passivè, prout scilicet continet omnes agnatos etiam transversales, ut tenet Card. Seraph. decis. 1438. n. 4. tamen, quando constat testatorem sensisse *tantùm* de familia activè, seu effectivè, veniunt solum descendentes ab ipso testatore; non autem transversales, ut notat Surdus *cons.* 247. *n.* 12. & Barbosa *de appell. verb. appell.* 94. *n.* 2. ubi ampliat, & multifariam limitat positam resolutionem.

Familiæ appellatione comprehendi 3162
fœminas, sumitur ex auth. de restit. fideicom. L. *voluntas* C. de fideicom. & tenent Alex. *cons.* 51. *n.* 12. & Card. Tusch. *pract. concl. tom.* 2. *lit. D. concl.* 22. *n.* 4. quod amplia, ut procedat, etiamsi dictum esset, ut bona remaneant *in familia*: imò, si diceretur, ut conserventur *in familia*, licet ejus filii non comprehendantur. Vide plura ad hanc rem.

apud

apud Barbosam citatum à n. 16. & à n. 25. ubi latè pro utraque parte disputat, an *familiæ* appellatione veniat fœmina *nupta* ad fideicommissum quòd Testator voluit remanere *in familia*.

Deinde ut magis pateat quousque extendatur *familiæ* significatio: si ponatur à testatore conditio, ut hæres, vel Legatarius ineat matrimonium cum aliqua *de familia*, intelligi debet de persona, quæ sit in gradu permisso à Jure Canonico, juxta Sanchez de *matr. l.* 1. *D.* 33. *n.* 9. Deinde *familiæ* nomine in testamento, quando plures sunt familiæ ejusdem cognominis, venit illa tantùm, de qua natus est ipse testator, ut docet Menochius *cons.* 233. *àn.* 16.

3163 Præter hæc *not. familiæ* appellatione in prohibitione alienationis, non contineri extantes ultra quartum gradum, nisi facta sit prohibitio per verba præcisa, & universalia: puta, si testator dicat quòd vult bona sua perpetuò apud suos, seu *in sua familia* remanere: quia tunc venirent sine termino, ut tenet Steph. Marchin. *concl.* 228 *p. q.* Familiæ *suæ* appellatione in testamento veniunt descendentes à testatore, ut tradit Menoch. *cons.* 1177. *à n.* 5. *&* 7. subdit, quòd testator vocans *familiam*, ut in ea bona conserventur, intelligitur solùm vocasse *suam*, & n. 10. dicit, quòd familiæ suæ *rectæ*, vel *transversali* relictum, censeatur de transversalibus inter se, *à testatore tamen descendentibus*.

3164 Quæstio est 4. an Jus Patronatus hæreditariâ successione transeat ad Monasterium? 2. posse accessoriè, si à Patrono instituatur hæres universitatis bonorum, cui annexum est; vel, si in Monasterio bonorum capaci profiteatur, quia per talem ingressum omnia ipsius bona, de quibus ante non disposuit, transeunt ad Monasterium, ùt aliàs dixi in tr. Theol. de Jure, & Just. & docet Ascanius Tambur. de jure Abbat. *tom.* 3. *D.* 9. *q.* 28. *à n.* 1. si autem illud habuit solùm jure sanguinis, penes Monasterium manet, dum professus vivit; &, post ejus mortem, transit ad hæredes consanguineos.

§. 3.

Quibus aliis modis Jus Patronatus possit alienari?

PRima quæstio est, an Patronatus per 3165
donationem possit ad alios transire? de hoc agitur 1. in *c. illud* 8. *h. t.* ubi dicitur: illud prætereundum non est, quòd, si laicus, Episcopo inconsulto, Ecclesiam non vacantem concedit religiosæ domui, & postea, cùm vacaverit, ad præsentationem ejusdem Laici Clericus ibi fuerit per diœcesanum Episcopum institutus: prior concessio secundam institutionem, quo minus habeatur rata, & firma, non potest aliquatenus impedire: cùm illa concessio de jure nullius potest esse momenti, tum quia de re non vacante facta est; tum quia Laicus sine authoritate Episcopi nemini potest Ecclesias dare, licet religioso loco Jus Patronatus conferendi liberam habeat facultatem. Si verò Jus Patronatus, vacante Ecclesiâ, religioso loco contulerit, & aliquis sine præsentatione fratrum ejusdem loci fuerit in ipsa Ecclesia institutus, jus secundùm rigorem juris est institutio irritanda.

Deinde in *c. Unico* eod in 6. ibi: *si* 3166
Laicus Jus Patronatus Ecclesiæ sibi competens, eidem, vel alteri Ecclesiæ, seu loco religioso duxerit conferendum: hujusmodi collatio (quamvis absque assensu Episcopi facta fuerit) *efficax est censenda; per præfatam tamen collationem juri Episcopi, qui eidem assensum non præbuit, nolumus in aliquo derogari.* Ex his juribus sequitur 1. quòd Laicus, habens Jus Patronatus jure proprio, sive privato, possit illud etiam sine Episcopi consensu, donare, etiam solitariè sumptum, Ecclesiæ, Monasterio, vel alteri loco Religioso; ratio sumitur ex *cit. c. illud*, ibi: *licet religioso loco Jus Patronatus conferendi liberam habeat potestatem*, & *c. unico*, ibi: *quamvis absque assensu Episcopi* (nimirum collatio Juris Patronatus) *facta Ecclesiæ, efficax est censenda.*

Sequitur 2. quòd etiam possit Jus Pa- 3167
tronatus sibi competens, absque assensu Episcopi, donare ipsi Ecclesiæ, cujus Patronatum habet; patet ex *c. unico*, ibi: *si Laicus Jus Patronatus, sibi competens, eidem*, vel alteri Ecclesiæ, seu loco religioso *duxerit conferendum*, *&c.* ut supr. & tali casu Ecclesia prius Patronata, re-

dit ad naturam suam, & liberatur à manu Laicorum, evaditque libera.

Sequitur 3. idem posse Patronum, etsi Clericus sit, si Jus Patronatus ei competat jure proprio; non autem, nomine Ecclesiæ; nam hujus res sine Superioris Authoritate, & aliis juris solennitatibus in alienatione rerum Ecclesiasticarum requisitis, non potest alienare, ut constat ex *tit.* 13. de rebus Ecclesiæ alienand. vel non.

3168 Sequitur 4. Patronum Laicum Jus Patronatus non posse donare Laico non compatrono sine assensu Episcopi; nam facultas & gratia Patronis Ecclesiarum concessas per ordinem ad transferendum *directè* Jus Patronatus concessum, sine assensu Episcopi, porrigitur solùm ad casum, quo donatarius est eadem, vel alia Ecclesia, aut locus pius, ut constat ex c. *unico* in n. 3166. & quia etiam donatio est quædam alienatio, ut diximus tit. 13. alienatio autem rei Ecclesiasticæ (qualis est Jus Patronatus) exigat de jure assensum Superioris Ecclesiastici, etiam hic intervenire debet; quia exceptio contenta in præcitatis juribus non cadit supra donationem factam Laico.

3169 Dices: ergo saltem poterit illud donare alicui Clerico. R. cum dist. illati: ergo saltem poterit donare alicui Clerico sic, ut illud habeat ratione Ecclesiæ C. ut habeat tanquam persona privata; & ratione sui N. illatum. Quando autem dicitur, quòd Patronus Laicus, Jus Patronatus, sibi competens jure proprio, etiam inconsulto, & absque assensu Episcopi, possit donare eidem Ecclesiæ, vel Clerico ratione Ecclesiæ, dupliciter intelligi potest, 1. si Patronatum habeat in tali Ecclesia, per Ordinem ad Clericum illi providendum, quin talis Ecclesia sub se habeat alia beneficia patronata; vel, si habeat, ad illius Patronatum pertinentia; 2. si habeat sub se alia etiam ad ejus Patronatum pertinentia.

Si hoc secundum? donatio erit translativa Juris Patronatus in Ecclesiam donatariam, quod donans habuit, adeoque sicut ille potuit, sic jam Ecclesia donataria, & consequenter ejus Rector ratione talis Ecclesiæ præsentare poterit ad beneficia talis Ecclesiæ, in ipsa existentia, si autem primum? donatio non erit translativa, sed solùm remissiva Juris Patronatus in talem Ecclesiam, carentem aliis beneficiis ad ejus Patronatum pertinentibus. Ecclesia enim, quæ unica prius erat de ipsius Patronatu, per donationem *sibi* factam, hoc ipso liberatur à servitute, quam habuit ut à Patrono ex institutione Episcopi regeretur ab eo Clerico, quem ipse præsentavit.

Si dicas, jus illud transferri ratione talis Ecclesiæ in ejus Rectorem R. negando dictum; nam, quando talis Ecclesiæ Rector usum hujus exercebit? an, dum est actu Rector ejus? sed sic præsentatio erit ad beneficium non vacans, quæ jure nulla est ex tit. 8. an, quando non est amplius Rector ejus? sed sic vel præsentaret nomine suo, & ut privatus, consequenter ex jure nunquam accepto; vel nomine illius Ecclesiæ? sed sic præsentaret nomine alieno, carens titulo administrationis eorum, quæ sunt de Jure Ecclesiæ, consequenter rursum nulliter æquè, ac si præsentaret alius quicunque privatus: si verò dicas, esse penes Episcopum, jam erit Ecclesia collativa, non patronata. 3170

Dixi *non Compatrono* c. *Ex insinuatione* 14. *h. t. juncta Gloss. V. Contulisset.* Præter dict. not. 1. nos loqui de casu, quo quis donat Jus Patronatus, sibi competens *jure proprio*; nam si habet solùm *jure Ecclesiæ*, in hac alienatione servandum esse, quod *tit.* 13. de rebus Ecclesiæ alienand. jure constitutum est. *Not.* 2. ex hoc, quòd Episcopus det assensum Laico donanti Jus Patronatus alteri, nullum nasci præjudicium Episcopo, quoad jura, quæ habet in talem Ecclesiam. *Not.* 3. Si Laicus Patronatum, quem *solus* habuit jure proprio, donet Episcopo, qui jus institutionis in eadem habet, Ecclesiam fieri liberam, ut dictum est; si non *solus?* sed habuit Compatronum, Ecclesiam non fieri liberam; sed Episcopum fieri solùm Compatronum; quia plus non accepit, quàm alter habuerit. 3171

Not 4. Quando unus Compatronorum juri suo renuntiat, Jus Patronatus in solidum manere penes alios; non esse tamen propriè donationem, qua aliàs fiat novus Patronus; sed solùm diminutionem numeri Compatronorum. *Not.* 5. inter *donare* Jus Patronatus in aliquam Ecclesiam; & inter *concedere* in titulum, ac incorporare alicui Ecclesiam, esse 3172

discri-

discrimen; illud enim potest facere Laicus loco pio, etiam sine assensu Episcopi; secùs, istud; ex c. *Quod autem 5. h. t. §. de cætero.* ibi: de cœtero tuæ prudentiæ respond: quòd, si Laici Clericis, vel Collegiis, de concessionibus vel donationibus instrumenta confecerint in hæc verba vel similia: *concessi, vel dedi Ecclesiam, & præsenti chartâ firmavi*: si consensus Episcopi non accesserit, nihil agi videtur: quia pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de jure donare, id, quod etiam colligitur ex c. *Illud.* 8. *eod.* c. *Cura* 11. c. *Nullus* 17. *eod.*

3173 Altera est quæstio, an Jus Patronatus possit permutari? R. permutationem rerum spiritualium inter se, non posse fieri sine Authoritate Prælati, seu Superioris Ecclesiastici, ex c. *quæsitum* 5. de rerum permutat: Jus autem Patronatus numeratur inter res spirituales, ex dict. n. 3060. minus autem permutari potest directè cum re temporali; sic enim foret permutatio simoniaca, & constat ex c. *quæstiones 6. & ult. eod.* secùs est accessoriè, qualiter diximus, accessoriè vendi posse; eo tamen pacto, ut novus Patronus non possit pro libitu mutare Rectorem Ecclesiæ patronatæ in ea legitimè institutum, ex c. *Querimoniam. 9. eod.* ibi: *absurdum videtur omnino*, ut singulas Patronorum secundùm humanam conditionem mutationes, Ecclesiarum Ordinationes *mutentur*; & vicissitudines Ecclesiarum ab Advocatis, vel aliis, præsumantur; cujus ratio est, quia Clericus institutus in Ecclesia jus principale non habet à *præsentante*; sed, *instituente*; ab hoc enim habet jus in re; unde resoluto jure primi Patroni, eoque in aliud transmisso, non resolvitur Jus institutionis; cùm non pendeat in conservari à Jure Patroni.

3174 Dicendum ulterius, Jus Patronatus concedi posse in feudum, vel emphyteusim, sed solùm accessoriè, qualiter nimirum etiam vendi potest. Nam in Vasallum, vel emphyteutam cum re concessa conceduntur consequenter fructus ejus; at Jus Patronatus, in quantum importat Jus præsentandi numeratur inter fructus rei, cui annectitur; sic Castropalaus *tom. 2. tr. 13. D. 2. p. 4. n. 13.* cum Azor *p. 2. l. 6. c. 20. q. 11.* ratio sumitur c. *ex literis. 7. h. t.* ubi Jus Patronatus annexum Villæ, alteri solùm quoad Jus utile indultæ, sine exceptione Juris Patronatus, non Dominæ directæ, (erat enim Abbatissa, quæ illi villam concesserat in firmam, hoc est, quoad dominium solum utile) sed alteri adjudicatur, ut exponit Barbosa *ibid. n.* 1. vel locationem, ut alii. Et quoniam etiam Locatario universali sine exceptione conceditur usus rei locatæ, si rei locatæ annexum sit Jus Patronatus, accessoriè etiam hoc ei concederetur, quoad usum; sic Castropalaus loc. cit. negante id P. Azor *cit. q.* 11. quòd locatio non concedat Conductori dominium rei directum, vel utile; sed rectè excipitur *usus*. Secus tamen dicendum est de re in pignus datâ Creditori, licet ei annexum sit Jus Patronatus. Quamvis enim talis res oppignorari possit; cùm talis contractus nullo Jure interdictus sit; Jus tamen Patronatus nec indirectè transit in pignoratorium; nullus enim usus pignoris ei conceditur, nisi solùm necessarius securitati pignoris.

§. 4.

An venditio Juris Patronatus jure valeat?

NOn loquimur de venditione Juris 3175
Patronatus indirectâ & solùm accessoria (hanc enim valere, ac licere constat *à n.* 3174.) Sed illicitâ, & directa, quando nimirum seorsim, ac solitariè sumptum, contra juris prohibitionem venderetur. Validam esse talem venditionem affirmat Suarez *l.* 4. de Simon. *c. 57. n.* 13. quia nullibi invenitur irrita ipso jure: nam licet in Concilio Trident. *Sess. 25. c.* 9. de reformat. dicatur, *ut nullus jus Patronatus transferre in aliquem contra canonicas sanctiones præsumat, alioquin ipso Jure Patronatus privatus existat*; non inde infertur translationem nullam esse, sed esse annullandam, sicuti diximus de alienatione bonorum, ab hæretico facta, ante declaratoriam sententiam, quæ quidem alienatio valida est, esto rescindenda veniat.

Probabilius tamen affirmat Azor *p. 2.* 3176
l. 6. c. 20. q. 8. Garcia *p. 5. c. 9. n.* 9. & alii, probatur: quia Patronatus in neminem

transferri potest, nisi in quem Ecclesia consentit. Totum enim jus, quod habent Ecclesiarum Patroni, pendet ex consensu, beneficio, & gratia Ecclesiæ; unde tantùm & non plus habent, quàm ipsis concessum sit, at in venditionem, & emptionem directam Juris Patronatus non consentit, sed potius reprobat tanquam simoniacam, in *c. Quamvis pactum* de pactis; *c. Præterea* de transact. *c. ea quæ* 1. *q.* 3. nec ullibi reperitur huic actui, contra prohibitionem facto, nihilominus concedere valorem; qualiter id declarat de matrimonio contra interdictum Ecclesiæ, & similibus; ergo. Accedit aperta dispositio Trident. *Sess.* 25. de reform. *c.* 9. ibi: *nec dictum Jus Patronatus, venditionis, aut alio quocunque titulo, in alios contra canonicas sanctiones transferre præsumant; si secus fecerint, excommunicationis, & interdicti pœnis subjiciantur, & dicto Jure Patronatus ipso jure privati existant.*

3177 Ex hoc autem oritur quæstio, penes quem in tali casu sit Jus Patronatus? cùm enim ea venditio, & emptio ipso jure irrita sit, penes emptorem esse non poterit; cùm si in eum invalidè, ac consequenter nulliter translatum sit? Castropalaus *cit. n.* 12. meritò censet, manere penes venditorem, quousque sententia declaratoria criminis accedat; nam, cùm priùs apud eum fuerit, nec per istum contractum (utpote jure nullum) sit ablatum, aut in alium translatum, retinere poterit, esto post sententiam declaratoriam criminis in pœnam rei, auferatur; id quòd habetur in *c. Quia Clerici* 6. *h. t.* ibi: quia Clerici quidam Advocatias Ecclesiarum comparant, vel quocunque modo possunt acquirunt, ut postmodum eorum filii, vel nepotes ad easdem Ecclesias præsententur: *præcipimus ut id arctius inhibere procures, eosdem advocationibus taliter acquisitis, appellatione postpositâ, spoliando.*

3178 Dices: in *c. de Jure* 16. *h. t.* solùm dicitur, quòd, si quis Jus Patronatus comparavit (emptione nimirum directâ, & per se) *contractus ille irritus decernatur*; ergo non est ipso jure irritus, quod etiam videtur insinuari dict. *c. Quia Clerici* ubi solum præcipitur, ut ejusmodi Emptores, advocationibus, seu Patronatibus taliter acquisitis, etiam appellatione postpositâ, *spolientur*. R. 1. dato illis juribus non significari; secus tamen esse jure Trid. ibi: *ipso jure privati existant*. R. 2. ly *decernantur*, posse intelligi dupliciter. 1. de decreto contractum *rescindente*; 2. de decreto illum esse irritum *declarante*, debere autem textum accipi de decreto solùm *declarante*, tradit. 1. gloss. in *c. de Jure* V. *irritum*. 2. ostendit textus Trid. 3. evincit clarè ratio allata pro conclusione.

Altera quæstio est, ad quem deveniat 3179
Jus Patronatus, secuta declaratione criminis? sic enim non amplius etiam est penes priorem Patronum? ac demum 3. cujus sit pretium? an maneat venditori? an reddendum emptori? Ad 2. R. eo casu servitutem illam, quæ imposita ei fuerat, ut sustineret Clericum præsentatum à Patrono, cùm is propter delictum, declarato crimine, patronatu spoliatur, interire, ac Ecclesiam fieri liberam; sic Barbosa in *cit. c.* 9. *CC. Trid. n.* 81. Vivianus, & alii ibid. relati. Ad 3. autem respondet idem Barbosa in *cit. c. de Jure n.* 5. & Abbas ibid. *n.* 3. pretium datum pro emendo Jure Patronatus, nec Emptorem, nec Venditorem habere debere; Sed Ecclesiæ tribuendum, cui ob simoniam illata fuit injuria; pro eadem sententia relatis ibid. Zabarellâ, Lambertino, &c. Sed de pretio simoniacè accepto, an, & cui restituendum sit ex professo agimus *l.* 5. *à n.* 568. quo me remitto.

ARTICULUS VIII.

De præsentatione, seu actu præsentandi.

QUoniam in præmissis dictum est, 3180
Jus Patronatus, prout hic accipitur, principaliter definiri ad præsentationem, vel nominationem, seu actum, quo Patronus pro vacante Ecclesia, suo Patronatui subjecta, nominat, vel præsentat Clericum, ei, cui de jure competit, ut per ipsum in ead. instituatur; circa hoc ipsum autem varii casus contingant, quibus plerumque controvertitur, an talis præsentatio, vel tali modo facta, recipienda, vel rejicienda sit? ut cùm Patroni discordant; cùm lis pendet super Patronatu; cum Patronus variat; cùm præsentatio non contingit intra certum tempus &c. de his hoc articulo agendum erit.

§. 1.

§. 1.

Intra quod tempus præsentatio fieri debeat?

3181 SIcut præsentatio facta à non habente jus præsentandi nulla est; sic nulla pariter est, nisi fiat cum circumstantiis, quibus Ecclesia præsentationis valorem alligavit; cùm totum jus Patronatus, relatè ad Ecclesias, Patronis competat ex sola gratia Ecclesiæ. Hinc præsentatio ad Ecclesiam facta prius, quam ipsa vacet, jure nulla est, ex dict. hic tit. 8. Ut quæstio proposita resolvatur, distinguendum est inter Patronum Laicum, & Patronum Ecclesiasticum, & observandum, unde quis dicitur Patronus Laicus, unde Ecclesiasticus? nec enim desumitur hæc denominatio à statu personæ, habentis Patronatum; sed ex titulo, num Ecclesiam fundaverit, extruxerit, vel dotaverit ex bonis patrimonialibus, vel Ecclesiasticis? ut exposuimus initio, quibus præmissis:

3182 Dicendum, Patrono Laico concedi 4. Ecclesiastico. 6. menses, intra quos nominare, vel præsentare valeat; prima pars constat 1. ex c. *quoniam* 3. *h.t.* ubi dicitur, quòd, si lis orta inter Patronos, *intra* 4. *menses non fuerit finita, Ordinarius, non exspectatâ ulterius eorum præsentatione, vacanti Ecclesiæ* provideat, ubi: & id ipsum etiam faciat, si de jure Patronatus quæstio emerserit inter aliquos, & cui competat? *intra quatuor menses non fuerit definitum.* Deinde ex *c. cùm propter* 27. eod. ubi dicitur: si quæstio Juris Patronatus inter Patronos non definiatur *intra quatuor menses*, sine illorum præjudicio Episcopus providebit, ibi: *mandamus*, quatenus, si de Jure Patronatus quæstio emerserit inter aliquos: & ab eo, cui competit, *inter quatuor menses non fuerit definitum, ex tunc Ecclesiam ipsam de persona non differas idonea ordinare: ita, quòd illi ex hoc non debeat imposterum præjudicium generari, qui jus evicerit Patronatus.* Secunda pars etiam constat ex *c. Unico* eod. in 6. *§. verum* ibi: verùm licet Patronus Laicus ad præsentandum tempus habeat *quadrimestre* duntaxat; *Ecclesia tamen, vel Monasterium* (*cui facta est à Laico juris Patronatus collatio*) *tempus habet semestre.* Et omnino quantum ad præsentationem pertinet, non ut Patronus Laicus, sed ut Patronus debet Ecclesiasticus reputari ex quo etiam confirmata manet pars prima.

Pro majori expositione dubiorum oc- 3183
currentium in hac ipsa materia quoad tempus faciendæ præsentationis, quæri potest. 1. An hoc tempus semestre vel quadrimestre currat, seu computetur à die Ecclesiæ vacantis? vel primùm à die, quo Patronus notitiam acquisivit de Ecclesiæ vacatione; R. quòd solùm *à die notæ vacationis*, ratio sumitur à fine, propter quem tempus certum illis pro facienda præsentatione præfinitum est à jure; nimirum ne Patroni sint negligentes, unde contingat Ecclesias diutius vacare; hæc autem negligentia non committitur ab ignorante vacationem; sic Garcia *de benefic p.* 10. *c.* 2. *à n.* 34. Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *q.* 11. & alii. Quare, qui Patrono Laico præsentanti opponeret, *præsentationem non esse factam in tempore*, v. g. factam unâ hebdomadâ post elapsos 4. menses *à die beneficii vacantis*, nihil ageret, nisi etiam probaret, quòd eam primò fecerit una hebdomada post elapsos 4. menses *à die vacationis notæ*; quia non probatâ scientiâ, præsumitur ignorantia, præsertim si de aliquo dicatur, quòd sciens voluerit omittere jus suum, ipso negante; nisi signis, & conjecturis verosimilibus contrarium credibiliter suadeatur, altero excusationibus suis adversus eas non prævalente.

Quæri potest 2. quid dicendum, si 3184
plures sint Patroni ejusdem Ecclesiæ, & duo scientes, tertio ignorante vacationem, neglexerunt præsentare intra tempus jure præfinitum? R. in tali casu excludi præsentationem eorum, qui tempus notæ vacationis neglexerunt; & admittendam præsentationem ejus, qui non neglexit, sed præsentavit, dum adhuc durabat tempus concessum à die notæ vacationis; cujus ratio est; quia talis verè habet jus præsentandi ad vacantem Ecclesiam, intra tempus v. g. *quadrimestre* à die notæ vacationis; nec propter aliorum negligentiam eo spoliari debet, ubi non probatur in eo scientia, sic enim non probatur egisse negligenter. Sic Garcia *cit. n.* 4. nec enim innocens privari debet jure suo.

Quæri potest 3. an tempus faciendæ 3185
præsentationi concessum, sit *continuum*,

consequenter comprehendat omnes dies etiam feriatos? Responsio est affirmata; quam etiam tenet Garcia *cit. c. 2. n. 42.* & Barbosa *de potest. Episcopi p. 3. allegat. 72. n. 127.* & alii. Nam actus præsentationis potest fieri etiam diebus feriatis, & extrajudicialiter; cùm sit actus merè voluntarius. Si tamen justum impedimentum interveniat, dies illius non computatur, sive impedimentum sit juris, sive facti. Nam in tali casu Patronus non potest dici *negligens*; quamvis in ordine ad hunc casum impedimenti discrimen sit ab eo, ubi intervenit ignorantia vacationis, illud enim probandum est; secùs, ista.

3186 Quæri potest 4. an, quod diximus n. 3182. (Ordinarium pro illa vice posse liberè providere Ecclesiæ vacanti non exspectatâ Patronorum præsentatione, si lis orta inter tempus faciendæ præsentationi præfixum à jure non terminetur) procedat indefinitè? R. sermonem posse fieri de lite orta inter Patronos; vel inter præsentatos à Patronis, vel inter Patronos, & Ordinarium; ad 1. porrò casum, R. si lis fuerit inter Patronos orta, quolibet prætendente sibi præsentationem competere, & intra tempus à jure signatum non fuerit finita, & ob hanc causam præsentationem facere omiserint, poterit Ordinarius illis omissis beneficium conferre. Deciditur expresè, c. *quoniam* de Jure Patronat. ibi; *id ipsum faciat Antistes* (nempe providere Ecclesiæ) *si de Jure Patronatus quæstio emerserit inter aliquos, & cui competat? intra quatuor menses non fuerit definita.* Idem habetur c. *cùm te. eod. tit.* ibi: *illas autem Ecclesias, de quarum Patronatu controversia fuerit, si infra sex menses, postquam vacaverint, non fuerit controversia terminata, licitum tibi sit de persona idonea ordinare.* Verùm etiam hoc intelligi debet solùm pro casu, quo pro nullo litigantium stat possessio, sed lis mota est super possessione; non autem si solùm super proprietate, uno habente possessionem certam; cujus ratio constabit ex dict.

3187 Ad 2. casum de lite mota inter præsentatos, cujus v. g. præsentatio prævaleat? R. in tali casu pertinere ad Ordinarium, examinatis cujusque partis juribus, pronuntiare in favorem ejus, qui potiori jure gaudet; nec prius ullum eorum instituere; quæ enim dicuntur in cit. c. *quoniam*, & c. *cùm te. h. t.* motâ lite inter Patronos, & intra tempus debitum non facta præsentatione, ut Ecclesiæ vacanti de Sacerdote, qui ei pacificè deserviat, canonicè non provisо, agunt de *lite inter Patronos*, super Jus præsentandi; nec extendi debet *ad litem ortam inter præsentatos.* Idem dicendum venit lite motâ uni ex præsentatis super sua habilitate; nam hæc prius decidenda est; sic enim dubium juris intervenit, an tali præsentato jus quæsitum sit ex facta præsentatione; sic Barbosa *p. 3. allegat. 72. n. 140.*

Præter hæc *Not.* si Patronus, intra 3188
tempus præfinitum, præsentationem neglexit, & consequenter Jus providendi Ecclesiæ vacanti tunc devolutum sit ad Ordinarium, posse istum nihilominus, si velit, concedere Patrono præsentationem adhuc faciendam, quia, quamvis in c. *sicut nobis* 2. de supplend. neglig. Prælatorum dicatur: nisi Patroni, infra tempus in Lateranensi Concilio constitutum, ad vacantes Ecclesias tibi personas idoneas præsentaverint: ex tunc tibi liceat (appellatione remota) in eisdem ordinare Rectores, qui eis præesse noverint, & prodesse, rectè tamen notatur ex illis verbis: *ex tunc liceat*, quod elapso termino præscripto Patronis ad præsentandum, possit Episcopus facere gratiam, ipsum nihilominus admittendo ad præsentandum; nam verbum *liceat* denotat *facultatem*, & licentiam; *non necessitatem*; sic Barbosa *p. 3. de potest. Episc. allegat. 72. n. 170.* & alii.

§. 2.

An valeat præsentatio facta ab eo, qui est in quasi possessione Patronatus?

QUæstio procedit de possessore, cui 3189
tamen rei dominium, seu proprietas non competit. Hujus porro quæstionis resolutio habetur in c. *Consultationibus 19. h. t.* ibi: *si quis Clericus ab ordinario Judice in Ecclesia fuerit institutus ad præsentationem illius, qui ejusdem credebatur esse Patronus, & postea Jus Patronatus alius evicerit in judicio, institutus non debet ab ipsa, propter hoc, removeri, si tem-*

si tempore præsentationis suæ ille, qui eum præsentavit, Jus Patronatus Ecclesiæ possidebat; cùm ex hoc ei, qui de Jure debet habere, nullum inposterum præjudicium generetur. *Si verò non possidebat, sed tantùm credebatur esse Patronus, cùm non esset: poterit ab eadem Ecclesia removeri.*

Ex hac enim decisione liquet responsio sub distinctione; quòd nimirum valeat ejus præsentatio, si tunc, quando præsentavit, bonâ fide possedit Patronatum; secùs, si non possedit, aut malâ fide; cujus etiam ratio est, quia possessor bonæ fidei fructus, quos percipit bona fide etiam ex re aliena, facit suos; secùs, possessor malæ fidei, prout ex professo tradidimus in Tract. Theol. de Jure & just. sed nominare, vel præsentare Clericum, obtinere locum honorificum in Ecclesia Patronata, & in certo casu ab eadem recipere subsidium, sunt fructus Juris Patronatus, ut constat ex supra dict. & habetur etiam in c. *cùm Bertholdus*, de re judicat. ergo.

3190 Confirmari potest ex eorum sententia, qui tales actus numerant inter fructus *industriales*, non *naturales* Juris Patronatus, ut vult Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *q.* 7. Gonzalez in regul. *Mensium. Gloss.* 45. §. 2. *n.* 11. nam in hoc industria Patroni exigitur pro deligendo: fructus autem industriales cedunt possessori bonæ fidei, imò etiam malæ, *si merè industriales* sint, ut alibi ostendimus: sed demus, esse fructum naturalem, quod videtur probabilius dici; adhuc tamen etiam naturales possessor bonæ fidei rectè percipit, & ita suos facit, ut eadem bonâ fide absumptos, restituere non teneatur, nisi quantum inde fructus est ditior, ut ostendimus in tract. de jure & just. loc. cit. facta autem semel præsentatione, & institutione subsecutâ, fructus juris præsentandi (nimirum præsentatio) consumptus est, quin Patronus inde factus sit ditior, nimirum acceptione alicujus temporalis; hoc enim foret simoniacum, ut diximus *l.* 5. ergo.

3191 Plura tamen dubia circa hoc resolvenda sunt; primò, quid requiratur, ut quis dicatur in possessione juris præsentandi, bonâ fide? 2. an ad hoc requiratur titulus? 3. an etiam unico actu præsentationis exercitæ acquiratur sufficiens possessio ad talem actum? 4. an possessor bonæ fidei rectè præsentet post litem contestatam? 5. an teneat institutio ad præsentationem factam à possessore bonæ fidei, licet postea per sententiam causam possessionis perdat? Ad 1. R. possessorem censeri *bonæ fidei* qui aliquo titulo rem aliquam apud se detinet, nesciens alienum esse id, quod possidet; cùm enim talis, ejusmodi rem apud se habet, ne temerè procedat, titulum aliquem, seu causam, retinendi, sibi habere debet, ex qua prudenter credat, illam sibi competere, non alteri; sic Abbas in dict. c. *Consultationibus*, & Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *q.* 17. Ad 2. R. quòd sic, ut constat ex ratione ad 1. non tantùm sufficere, quemcunque titulum; sed eum, ex quo Judicis authoritate possideat, si non constet Judicem ex falso sibi noto procedere; quia sic possidens est extra præsumptionem doli, vel malæ fidei; sic Abbas, & Azor loc. cit.

Unde notandum, si ex aliquo titulo 3192
Judicis authoritate quis possideret rem alienam, cui annexum est Jus Patronatus, sed sciens, titulum esse falsum, præsentationem fore nullius momenti. Hinc, si mulier petens à Judice jus insistendi certis bonis, quibus annexum est Jus Patronatûs, idque titulo pactorum dotalium incumbentium; vel etiam paraphernalium, obtineat jus insistentiæ; sciens, neutrum verum esse, nullatenus validè præsentaret; sic enim manifestè foret in possessione malæ fidei, quam non tollit interveniens Prætoris Authoritas, illi possessionem adjudicantis ex falso titulo, præsertim ubi Judex ipse novit nullitatem tituli, prout facilè probari potest, quando certum est, ipsum Judicem ante hoc officium, conscripsisse pacta dotalia, ac in illis ne verbum esse de talibus bonis; nec à Viro potuisse obligari alteri, utpote mero v.g. usufructuario eorum, ac de paraphernalibus nihil fuisse tali mulieri, ita Pirhing h. t. n. 86. cum Jo. Andr. Abbat. & Azor ibid. cit.

Ad 3. R. affirmativè, si talis actus 3193
ad effectum perductus est, hoc est, si secutâ institutione præsentatus, possessionem beneficii accepit, colligitur ex c. *Cùm Ecclesia.* 3. de caus. possess. & propriet. ubi jus eligendi in cujus possessione quidam Clerici se esse dicebant, illis negatum

gatum fuit, quòd actus stabiliendi tale jus, quod ex tribus actibus sibi competere volebant, non deductus sit ad effectum; sic Azor, & alii cum Castropalao *tr.* 13. de Benefic. Eccles. *D.* 2. *p.* 4. *à n.* 25.

3194 Dubitari tamen adhuc potest 1. an institutio firma sit, facta ad præsentationem ejus, qui est verè Patronus? R. distinguendum, an ille, vel alius ille ponatur in possessione, vel non? si alius? subdistinguendum, an bonæ, an malæ fidei? si nullus alius est in possessione, tenebit institutio ad præsentationem veri Patroni facta, licet non sit in possessione, secùs, si alius in eadem sit? Nam fructus rei pertinent ad dominum, nisi rem alius possideat bonâ fide; sic Abbas in dict. *c. Consultationibus n.* 3. si autem alius sit in possessione juris præsentandi, sed bonâ fide, non valebit institutio ad præsentationem, nisi facta à possessore bonæ fidei, ex *n.* 3189. at si alius possideat mala fide, institutio ad ejus præsentationem facta, nulla erit. Ratio hujus est, quia non minus valor institutionis innititur validæ præsentationi; quam valor confirmationis validæ electioni; ergo sicut nulla est confirmatio, sic nulla erit institutio, si nullum sit, cui innititur.

Notandum tamen, faciendum discrimen inter casum, quo notorium foret, possessorem Juris Patronatus esse in mala fide, & casum, quo non est notorium. Cùm enim in notoriis opus non sit probatione, & præsentatio, & innixa illi institutio, declaranda foret nulla, & retractanda; ubi verò notorium non esset, & verus Patronus præsentaret, non deberet quidem hujus præsentatio admitti, dum fieret causæ cognitio; nec ante sententiam possessor malæ fidei jure suo spoliari: & post latam sententiam pro verò Patrono, hujus præsentatio recipi, ac alterius, etiam secutâ institutione, præsentatio deberet retractari, sic Innocentius in *c. in literis* 5. de Restitut. spoliat.

3195 Dubitari potest 2. an, post litem contestatam super Patronatu, qui bonâ fide Patronatum possidet, validè præsentaret, præsentatione sufficienti, ut institutio subsecuta firma maneret, esto deinde per sententiam possessio illi tolleretur, & alteri adjudicaretur? R. quosdam existimare, posse quidem lite pendente fieri præsentationem, dilatâ tamen institutione in eventum litis; quia etiam possessor bonæ fidei potest percipere fructus rei, lite pendente; sed cum obligatione illos restituendi, si contra ipsum causa decisa fuerit, ergo quamvis præsentare possit (præsentatio enim est fructus Juris Patronatus) ex ea tamen institutio sequi non poterit, cùm semel facta, retractari non possit.

Mihi tamen videtur dicendum, & 3196
præsentationem, & institutionem licitè, ac validè fieri; quia possessor bonæ fidei, quamdiu talis est, fructus rei bonâ fide possessæ, facit suos; & si absumat, ad nihil tenetur, etiam secutâ sententiâ, alienam fuisse, nihil aliquid adhuc extet de fructibus perceptis vel in se, vel in eo, quo factus est locupletior; sed præsentatio est fructus possessi Juris Patronatus; hanc supponitur possessor facere bonâ fide; & secutâ institutione de præsentatione nihil supereset (cùm sit actus transiens) nec inde factus est locupletior; quia ponimus, eum nihil recepisse à præsentato; nec litis contestatio constituit in mala fide (quod fortasse opponi posset) ut *præcisè* est litis contestatio, ut pluribus ostendimus in Tract. Theol. de jure, & just. ergo.

§. 3.

An Tutor validè præsentet loco pupilli.

SUpponendum etiam pupillis posse 3197
competere Jus Patronatus, ut diximus superius, cùm eis acquiri possit hæreditaria successione in Universitatem bonorum, cui annexum est. Ante resolut. not. per hoc, quod pupillo Tutor, minori Curator constitutus sit, Patronatus non competat, Tutori vel Curatori, si annexus sit bonis pupilli, vel minoris, sed remanere penes istos, ut tradit communis; quia tamen quandoque tum ex parte sua pupillus (ut si adhuc infans sit) vel minoris (puta si sit amens vel careat maturitate judicii ad rectè præsentandum) impeditus est ad exercendum per se ipsum actum præsentationis, dubitari potest, an eo casu Tutor, vel Curator, eorum loco, legitimè præsentet vacante beneficio Patronato.

Not.

3198 *Not.* 2. à nonnullis observari discrimen aliquod inter *Tutorem*, & *Curatorem*; quod Tutor præcipuè detur ad regendam *personam* pupilli; Curator autem ad bonorum *administrationem* minoris; non personæ; sic Castropalaus *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 4. *n.* 21. ubi non tantum in casu, quo pupillus, vel minor impeditus est, ut diximus, concedit, Tutorem & Curatorem præsentare posse; quod tenet doctrina communis; sed etiam idem posse Tutorem in casu, quo pupillus sufficientem discursum habet; non tamen Curatorem; idque ex diversitate inter utrumque assignata.

3199 Cœterùm magis placet communis sententia, quæ docet in hoc postremo casu Tutorem id non posse; ita tenet Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *q.* 14. Garcia *p.* 5. *de benefic. c.* 9. *n.* 186. & alii. Nam quando pupillus ipse habet discursum, non subest Tutori in spiritualibus, ut tradidimus *l.* 2. *tit.* 1. *de judic.* & tradunt Authores cit. cum Gloss. in c. *Ex eo de Elect. in* 6. V. *suffragium*; & ideo etiam sine Tutore valide contrahit sponsalia ex *lib.* 4. *tit.* 2. *de desponsi. impub.* sed actus præsentandi Clericum pro beneficio vacante est actus potestatis spiritualis, supponens potestatem annexivè spiritualem, nempè Jus Patronatus, ex jam sæpe dictis, consequenter venit inter spiritualia, ergo. Unde illi differentiæ locus non est in spiritualibus, cùm ipse pupillus sufficientem habet discursum? Hinc si ex una parte præsentaret pupillus, vel minor, ex altera verò alium Tutor, vel Curator, ubi pupillus habet sufficientem Judicii maturitatem, hujus præsentationi deberet cedere præsentatio Tutoris, cùm iste non præsentet suo, sed alieno nomine, pupillus autem nomine proprio, tanquam proprietarius Patronatûs.

3200 Et quoniam etiam filii familias, qui adhuc sunt sub potestate patria, in spiritualibus illis non subjiciuntur, licet pater tunc eorum loco præsentare possit, quando filiis ratione bonorum, quæ habent, competit Jus Patronatus, quando ipsi nondum habent sufficientem maturitatem, qualiter id diximus de Tutore, ac Curatore; secùs tamen dicendum est, si ipsi sint rationis sufficienter compotes ad illum actum, nisi pater in illis bonis habeat usum fructum, tunc enim etiam in dato casu Patri competeret præsentatio, tanquam fructus Juris Patronatus.

Difficultas est, an si bona, quibus 3201
annexum est jus Patronatus, jure venirent ad filium spurium, vel, dum est irregularis, legitimè præsentaret, dum est in tali statu? R. quòd sic, nam, qui est verè Patronus, alio non possidente bonâ fide jus præsentandi, legitimè præsentat; sed illegitimus & spurius potest esse verè Patronus, nam Ecclesiam ædificanti si sit fidelis sine ulla limitatione conceditur jus Patronatus, ut diximus in præced. & constat ex *c. piamentis*, *c. quicunque. c. filii* 16. *q.* 7. accedit, quod actus præsentandi, non sit actus publici officii; vel actus ordinis, aut exercendus, cui præjudicaret irregularitas: ergo.

§. 4.

An Maritus legitimè præsentet propter Patronatum uxori competentem?

IN hac quæstione distinguendum est, an 3202
Patronatus, competens Uxori sit *personalis*, an *realis*? nimirum competens ratione certorum bonorum 2. distinguendum est inter bona, quibus jus Patronatus annexum est, an annexus sit bonis in dotem Marito datis? an secùs? quo posito, R. 1. quando Jus Patronatus, competens Uxori, est personale, maritum authoritate suâ non præsentare legitimè; nam per conjugium jura personalia unius conjugis non communicantur alteri; nec talia sunt, quæ ad onera matrimonii sustinenda conducunt; at sine tali jure Maritus (aliunde non habens patronatum) non legitimè præsentat, esto diceret, se præsentare nomine uxoris, si ipsa non consentiret; sicut si alius meo inviti nomine præsentaret.

R. 2. si Jus Patronatus sit annexum bonis, quæ habet jure proprio uxor, non datis in dotem Viro, præsentationem factam à Viro sine uxoris consensu non fore legitimam; sic Garcia de Benefic. *p.* 5. *c.* 9. Nam præsentatio ab eo facta, suo nomine penes quem non est Patronatus, seu jus præsentandi, non præsentat legitimè; sed in dato casu, ut ponitur, illa

bona Uxoris non sunt penes Maritum, consequenter nec Jus Patronatus illis annexum: ergo in dato casu maritus non præsentat legitimè suo nomine; sed nec alieno sine hujus consensu.

Ad casum autem, quo bona Uxoris, quibus est annexum Jus Patronatus, Marito tradita sunt in dotem, censet Tiraquellus ad leges connubial. gloss. ult. n. 5. cum illis bonis etiam Jus Patronatus transire in maritum; negat verò Abbas in c. *fin. de Conceff. præbend. n.* 8. Felinus in c. *cum olim, de majoritat. & obed.* Mihi videtur distinguendum secundùm dicta lib. 4. àn. 1585. an bona dotalia, quæ Viro afferuntur ab Uxore, tradantur tanquam *æstimata* ad venditionem, nempe sic, ut maritus soluto matrimonio teneatur non rem ipsam, sed duntaxat ejus pretium reddere? vel tanquam *non æstimata*, nempe solùm ut constet de valore dotis, eo nimirum fine, ut si dos mariti culpâ perderetur, certum ejus pretium repeti possit, nullâ tamen venditione interveniente; quo posito:

3203 R. Quando bona dotalia traduntur Viro tanquam *æstimata*, nimirum ad venditionem, tali casu maritum legitimè præsentare, si Jus Patronatus competat Uxori ratione bonorum, quæ Viro tanquam æstimata in dotem tradita sunt; ratio est; quia bona dotalia, quæ cum æstimatione ad venditionem ab Uxore traduntur Viro, transeunt in dominium mariti, ut hìc suppono ex *dict. l.* 4. *n.* 1587. consequenter etiam accessoriè penes ipsum est Jus Patronatus illis annexum; sed sic legitimè præsentat; ergo; sic Covarr. *practic. qq. toto c.* 28.

3204 Si autem marito tradantur *non æstimata*, vel etiam æstimata æstimatione non faciente emptionem, ut exposuimus dict. *l.* 4. *n.* 1588. materiale illorum dominium manet penes Uxorem, ut ibid. ostensum est *n.* 1589. consequenter etiam Jus Patronatus illis annexum; sed hoc ipso in tali casu non legitimè præsentat maritus; sic enim nec accessoriè penes ipsum est illud Jus Patronatus. Nec obstet, quod etiam non traditis illis bonis dotalibus æstimatione faciente emptionem, competat illi dominium civile illorum bonorum, & administratio cum fructibus; hoc enim intelligitur solùm de fructibus & commoditatibus, quæ ad sustinenda matrimonii onera deservire possunt; quia ad hunc finem dos conceditur; jura autem Patronatus ad hunc finem deservire non possunt, ergo marito non conceduntur; sic Castropalaus *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 4. *n.* 29.

§. 5.

An sequester legitimè præsentet?

PEr *Sequestrem* hìc intelligo eum, apud 3205
quem res litigiosa deponitur, servanda illi, qui lite vicerit, ut accipitur L. *Sequester* II. de V. S. Duplex est *sequester*; alter voluntarius, alter necessarius. *Voluntarius* est, qui ex voluntate litigantium designatur à Judice. *Necessarius*, qui contra voluntatem litigantium à Judice constituitur L. *Licet.* ff. depositi, de hoc ergo Sequestre voluntario, & necessario controvertitur, an legitimè præsentet, bonis, quibus jus præsentandi annexum est, apud eum depositis? Loquimur autem hic de Sequestre, in quem possessio rei litigiosæ translata est, ita, ut penes nullum ex litigantibus ea sit, quod in certis casibus fieri posse, diximus *l.* 2. *tit.* 17. de Sequestr. possess. & fructuum. Quæstio igitur est, an talis Sequester, in quem etiam possessio rei litigiosæ translata est, possit legitimè præsentare Clericum ad Patronatam Ecclesiam vacantem, quando jus præsentandi annexum est bonis taliter sequestratis? sive Sequester sit voluntarius, sive necessarius.

Ante resolutionem suppon. Jus Pa- 3206
tronatus alteri annexum dupliciter considerari posse; primò, an annexum sit juri spirituali per se, ac propriè tali, ut si foret annexum Ecclesiæ, Prælaturæ, dignitati, vel beneficio Ecclesiastico? secundò, an annexum sit juri solùm temporali, seu quod idem est, an res apud ipsum depositæ ejus possessione in ipsum translata, sit juris per se, ac propriè spiritualis, an solùm temporalis annexivè, sicut Jus Patronatus?

Supponendum 2. Laicum non esse 3207
capacem juris propriè, ac per se spiritualis, quale est jus Ecclesiæ, Prælaturæ, Dignitatis, vel beneficii Ecclesiastici, secùs, juris temporalis, licet annexum habeat Jus Patronatus. Prima pars est

ex c.

ex *c.* 2. de Judic. & *c. Causam* 7. de præscript. ubi dicitur, Laicos non posse præscribere jus decimarum, *quia illud non possunt detinere, h. e. possidere*; sermo autem est de decimis Ecclesiasticis, quarum jus fundatur in titulo propriè, ac per se spirituali.

3208 Ex his deducitur Sequestrem etiam Laicum, cui bona temporalia, quibus annexum est Jus Patronatus, data sunt in custodiam, translatâ simul etiam eorum possessione, legitimè præsentare, non minus, quàm lite finitâ legitimè præsentaret Victor, seu dominus illorum bonorum; sic Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 25. *q.* 17. Gonzalez, Gutierez, Garcia, & alii, quos citat & sequitur Castropalaus *tr.* 12. *D.* 2. *p.* 18. *n.* 5. Nam, qui bona fide possidet Jus Patronatus, legitimè præsentat; sed talis Sequester bona fide possidet Jus Patronatus annexum illis bonis, quorum custodiam & possessionem authoritate vel partium consensu habet; ergo: major est ex regula de jure bonæ fidei possessoris. Min. ponitur in casu.

3209 Difficultas tamen est, an hoc procedat, si Patronatus sit Ecclesiasticus, & Sequester Laicus? R. resolutionem nostram procedere solùm in casu, quo Jus Patronatus est Laicum, & seculare, si Sequester sit Laicus; ratio hujus sumitur ex dictis n. 3207. Nam Patronatus Ecclesiasticus fundatur in jure, propriè, ac per se spirituali; cùm ergo tale jus possidere non possit Sequester Laicus, ut dictum est; destitutus erit & proprietate, & possessione Juris Patronatûs Ecclesiastici, sine quo tamen non fit præsentatio legitimè, anteced. constat ex definitione Juris Patronatus Ecclesiastici n. 3059. cùm competat titulo bonorum Ecclesiasticorum, quibus Ecclesia, vel beneficium fundatum, vel dotatum est, at bona *Ecclesiastica* fundantur in jure propriè ac per se spirituali, nimirum Prælaturæ, dignitatis, vel beneficii Ecclesiastici, secus est de Clerico Sequestre, cui non inest incapacitas possidendi Jus propriè, ac per se spirituale.

3210 Hostiensis, Abbas, & alii in *c. Examinata* 15. de Judiciis, negant ullum Sequestrem, sive voluntarium, sive necessarium, posse legitimè præsentare; moventur 1. quia Sequester non possidet rem sequestratam, neque illam nomine proprio administrat, sed alieno, ut constat ex L. *interesse* ff. de aquir. possess. L. 1. C. de Sequestrat. possession: Sed in præsenti nomine alieno fieri provisio beneficii non potest, quia dum est Sequestrum, non constat, cui competat jus providendi. Secundò, Sequester fructus rei sequestratæ obligatus est servare victori c. *cum Bertoldus de sentent. & re judic. c.* 1. *de sequestrat. possess. Clem.* 1. *eod. tit.* Sed provisio beneficii est fructus rei sequestratæ: ergo servanda est victori. Tertiò, Sequester comparatur creditori, habenti pignus, cui est annexum jus providendi, sed huic creditori nequit Jus providendi competere, c. *cùm Bertoldus*, de re judicata: ergo neque Sequestro.

Sed R. ad 1. in dato casu, quo pro- 3211
cedunt à nobis dicta n. 3205. Sequestrum omnino possidere; cùm ponamus ei, si Voluntarius sit, à partibus, si necessarius, à Judice traditam esse possessionem bonorum, quibus annexum est Jus præsentandi, hinc, si necessarius sit, administrat nomine Judicis, cùm enim ei per Judicem commissa sit administratio bonorum, ut ponit casus, eo nimirum fine, ut illa rectè administret, & Jura eorum exequatur, inter ea autem sit *præsentare*, cùm Ecclesia vacat, (ne scilicet alioquin devolvatur ad Ordinarium) meritò agit jure sibi judicialiter commisso, sicut, si voluntarius, jure legis, cùm supposita sequestratione partium consensu, & facta ipsi traditione, dispositione Juris, seu legis teneatur pariter ea rectè administrare, ac quando est Sequester Authoritate Judicis.

Ad 2. R. Sequestrum teneri reserva- 3212
re fructus rei sequestratæ, qui servando servari possunt, non autem secùs: *præsentare* autem, cùm beneficium vacat, esse quidem fructum Juris Patronatus, sed talem, qui servando servari non potest, tum quia permittere vacantem Ecclesiam, est huic damnosum, tum quia, si negligatur præsentatio, hæc devolvetur ad Ordinarium, quod repugnat rectæ talium bonorum administrationi. Accedit, quòd sola præsentatio non reddat sequestrem ditiorem, quo titulo cæteroquin vel differri deberet, vel lite finitâ fructus rei sequestratæ victori reddendus foret.

3213 Ad 3. &c. Creditorem, qui habet à debitore pignus, in Ordine ad quæstionem hìc controversam, non comparari cum Sequestre, vel econtra. Nam esto Creditor habens in pignore rem, cui annexum est Jus providendi Ecclesiæ, non possit Ecclesiæ vacanti providere, secus tamen est in Sequestre: ratio discriminis est, quia licet pignus sit penes Creditorem, adhuc tamen habet *certum* Dominum, qui providere potest; at quando res sequestrata est penes Sequestrem, quamdiu penes eum est, & lis pendet, non habet *certum* Dominum; sed, solùm dubium, & solum declarandum lite finitâ: ergo. Accedit, quòd Creditor non habeat administrationem pignoris; sicut Sequester rei litigiosæ.

Rebuffus de *Nominat. q.* 14. *à n.* 127. & alii censent Sequestrem Voluntarium, non necessariùm, posse præsentare; ratiònem dat, quia soli Voluntario, non autem necessario sequestro competit possessio, sed hoc inprimis est extra casum, quo ponimus bonorum illorum possessionem esse traditam Sequestro, cum administratione, prout contingit, quando de ipsa bonorum possessione litigatur, nullo eorum obtinente certam possessionem; nam in casu, quo alter eorum est in certa possessione, lite pendente illi auferenda non est, quamvis, si possessio sit malæ fidei, fructus non faciat suos, nec præsentatio per illum facta teneat, ut supra diximus.

ARTICULUS IX.

An Patronus in præsentatione possit variare?

3214 *Variatio* seu voluntatis mutatio in eo, quod ante constitutum est, duplex in hac materia esse potest. 1. *exclusiva*, quando, postquam unus ad beneficium à Patrono præsentatus est, præsentatur alius cum exclusione prioris. 2. *Cumulativa*, quando primo præsentato adjungitur alius, non tamen excludendo priorem; quo posito dicendum, post institutionem præsentati, nec Ecclesiastico, nec Laico Patrono concessum esse *variare*; hæc est communis; nam præsentatus, secutâ institutione aquirit Jus in re, quo propter inconstantiam Patroni privari non debet; id, quod habetur in c. *quod autem. 5. h. t.* ubi Alexander III. Eboracensi Archi-Episcopo, qui quærebat, an (si Clericus idoneus ad vacantem Ecclesiam præsentatus, non fuerit ab Episcopo diœcesano admissus, & postmodum alius idoneus præsentatus, & institutus ab Episcopo, possessionem tenuerit corporalem) primo Clerico Ecclesiam petente debeat posterior removeri, vel posterior priori præferri? respondit dubium non est, quin in casu isto melior sit conditio possidentis: quoniam, *antequam præsentatio per Diœcesanum Episcopum approbetur: ratum non est, quod à Patrono fuerit inchoatum.*

Ex hoc deducitur 1. nec Patrono 3215
Laico concessum esse *variare*, post institutionem prius præsentati, esto sub hoc variare Patronus vellet exclusivè, vel cumulativè; 2. si ad præsentationem cumulativam præsentatus post alterum instituatur, præterito primo, quantumvis idoneo, illius institutionem tenere, nec licere Patrono variare. Nam licet uterque ex facta præsentatione cumulativè (duorum simùl unius post alterum) acquisiverit jus ad beneficium, secutâ tamen institutione unius eorum, is prævalebit, cùm exinde consecutus sit jus *in* beneficio, & muniatur insuper possessione; neutro horum competente alteri, præsentato quidem etiam; sed non instituto.

Potissima quæstio est, an Patrono licea- 3216
variare *ante institutionem?* Communis affirmat de Patrono Laico; negat de Ecclesiastico: prima pars probatur ex c. *quod autem 5. h. t.* ubi Clericus secundò præsentatus à Patrono fuit admissus, & institutus in beneficio Patronato; quod autem hic agatur de Patrono Laico, non Ecclesiastico, constabit ex sequentib.

Deinde, ex *c. Cùm autem* 24. eod. ubi, cùm Episcopus Norvicensis ex Lucio III. quæsiviisset: cùm *Advocatus* (quod verbum hic supponit pro *Patrono*, ut monuimus superius) Clericum idoneum Episcopo præsentaverit, & postulaverit, postmodum eo non refutato, alium æque idoneum in eadem Ecclesia admitti, quis eorum alteri præferatur? respondit Pontifex: si Collegium, vel Ecclesiastica persona præsentationem haberet, qui prior est tempore, jure potior esse videtur. Confirmari potest ex *c. Pastoralis* 29. eod.

Secun-

3217 Secunda pars etiam probatur 1. quia si Patronus Ecclesiasticus (cui scilicet competit jus præsentandi jure Ecclesiæ, non patrimonii) posset variare ante institutionem unius præsentati, (videlicet post præsentationem primi, deinde adhuc nominando pariter idoneum) institutio secundi, præterio priore, facta per ordinarium, æque teneret, ac si fieret in casu, quo Patronus Laicus, post primum præsentavit alium; sed hoc dici non potest. 1. ex c. *cùm autem* de quo num. præced. 2. ex cit. *c. Pastoralis.* 29. *h. t.* ubi, cùm Episcopus Elienſis postulasset edoceri, an Clericus ad aliquam Ecclesiam à Patrono *Laico* præsentatus (& diœcesanus Episcopus ipsum non duxerit admittendum) ex hujusmodi præsentatione aliquid juris assequatur in illa? & si fortè idem ad Sedem Apostolicam appellaverit, & post appellationem ab ipso interpositam, idem Patronus alium curaverit præsentare, ac secundum instituit Episcopus præsentatum, idem ab ipsa Ecclesia debeat amoveri? respondit Innocentius III. *Nos Alexandri Papæ vestigiis inhærentes (qui inter præsentatos à Clerico, & Laico Patronis, distinguens, inter præsentatos à Laico conditionem possidentis censuit meliorem) dicimus, quòd institutio præsentati, secundo loco à Laico Patrono, robur obtinet firmitatis. Verumtamen constituimus, ut Episcopus, qui præsentatum idoneum malitiosè recusavit admittere, ad providendum eidem in competenti beneficio compellatur: quatenus puniatur in eo, in quo ipsum non est dubium deliquisse.*

3218 Ex istis juribus deducitur 1. præter alias differentias inter Patronum *Laicum*, & *Ecclesiasticum*, etiam esse sequentes. 1. quòd Patronus *Laicus* ante institutionem præsentandi possit *variare*; non *Ecclesiasticus*; 2. quod, quando Patronus *Ecclesiasticus* cumulativè præsentat plures, non irrita sit institutio posterius præsentati, præterito primo, etiam idoneo; secùs, si præsentavit Laicus, ut habetur in dict. *c. Pastoralis*; 3. in casu, quo Laicus præsentat plures, relinqui arbitrio Episcopi, quem malit instituere; secùs, quando Ecclesiasticus; nam in hoc casu præsentatus prius, etiam est potior jure: 4. si Episcopus ex duobus præsentatis ab Ecclesiastico, instituat posteriorem, *malitiosè præterito primo idoneo*, Episcopum teneri præterito provideri in competenti beneficio per cit. *c. Pastoralis* in fine; non autem in casu, quo Episcopus ex duobus præsentatis à Laico; 5. quod præsentatio facta à patrono Ecclesiastico, non autem à Laico, æquiparatur electioni, ut tradit Abbas in cit. *c. cùm autem n.* 3. quo fit, quòd, sicut eligentes variare non possunt, ut diximus *l.* 1. *tit.* 6. ex *c. Publicato* 58. eod. sic nec Patronus *Ecclesiasticus*; is enim præsentat solum ex officio, & nomine Ecclesiæ; non autem jure suo, ut Patronus *Laicus*. Dixi: *malitiosè præterito primo*; quod censetur contingere. 1. si repulit sine justa causa; si ante examen, vel post examen, quo dignus inventus est; si magis dignus sit secundo. &c.

Præter hæc quæstio est 1. an Patronus 3219
Laicus, ante institutionem, possit *variare* non tantùm semel, sed *sæpius*? Loquimur autem de variatione cumulativa, non exclusiva: hæc enim illi nunquam permissa est. Ad quæstionem propositam respondent negativè Garcia de benefic. *p.* 5. *c.* 9. *n.* 214. Barbosa *p.* 3. *allegat* 72. *n.* 172. & alii, quorum opinionem probabiliorem censet Pirhing *h. t. n.* 99. *§. Not.* 3. rationem sumunt arg. L. *Boves* 89. *§.* 1. ff. de V. S. Ubi dicitur, *hoc sermone, dum nupta erit, primæ nuptiæ significantur:* idque colligitur ex cit. *c. cùm autem*; ibi: *alium æque idoneum*, & ibi: *quis eorum alteri præferatur*, adeoque loquitur de duobus successivè, & non de pluribus cumulativè, Fagnanus ibid. n. 8. Ratio est; quia variatio odiosa est, adeoque restringenda, & æquitas ita suadet, ad vitandam infinitatem, & confusionem, quod tamen limitat, ut non procedat, si prima præsentatio irrita fuit; sic enim nulla præcessisset eam, quæ fit secundò, si prior irrita fuit.

Sed contrarium rectius sentiunt *Gloss.* 3220
in Clement. Plures de Jure Patron. §. fin. V. *plures*, & V. *præsentare*; Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *q.* 13. & complures alii, quorum sententiam probabiliorem censet Castropalaus *cit. n.* 3. nam hæc variatio nullibi prohibita est; & Ecclesiæ valde utilis esse potest, ut reperto magis idoneo, vel etiam æque, ex pluribus propositis Episcopus delectum faciat; &, licet interdum

contingat, ut Patronus, qui aliquem valde idoneum præsentavit, postea in alicujus amici gratiam præsentet alium eo multò inferiorem; hoc non tollit, quo minus variatio accumulativa non sit Ecclesiæ utilis: nam sæpe Superiorem præsentabit, & casu quo inferiorem præsentet, non tollitur Episcopo potestas instituendi primum præsentatum, cùm ex supra dicta variatione à prima præsentatione Patronus non recedat: ergo nunquam hæc variatio Ecclesiam damnificat; ergo non est limitanda, sed extendenda.

3221 Ad rat. in contrarium ℟. ad L. *Boves*, & similes, quibus dicitur, facultatem simpliciter datam *finiri* primo actu; intelligi, de facultate odiosa, quæ utique restringenda est, at talis facultas non est, quæ datur per Jus Patronatus, cùm sit merum Ecclesiæ beneficium; ergo. Ad c. *Cùm autem*, ubi solum fit mentio *secundi* ℟. non rectè deduci, excludi tertium, & quartum; cùm ut dictum est, ea facultas non sit odiosa. Quod assumitur ex Clement. *Plures*, quam aliqui volunt intelligi solùm de *nominatione* secundi, non autem *plurium*; negandum est; nam *eodem tenore* affirmat *plures nominari posse*, quo in principio dixit *plures posse esse Patronos*. Sed de iis constat plures, esse posse sine limite: ergo etiam possunt plures sine limite nominari. Neque etiam intelligi potest de nominatione plurium *simultanea*, & non *successiva*. Nam hæc nominatio simultanea variationem non constituit, cum uno ictu fiat; neque ex illa alicui ex præsentatis jus quæsitum derogatur.

3222 Quæstio altera est, an in casu *plurium* Patronorum diversos præsentantium, & discordantium, lite pendente liceat illis variare? procedit autem quæstio, non de litigante jam instituto, si contra ipsum lis mota esset; nam in hoc casu Patronum non posse variare inter Doctores convenit; sed neutro adhuc instituto? duplex est sententia, prima tenet affirmativam; quia Patronis Laicis competit jus præsentandi & variandi intra quadrimestre; quod non aufert litis pendentia; tum quia c. 1. ut lite pendente in 6. loquitur solùm de *electione* & *collatione*; tum quia c. 2. ibid. loquens etiam de *præsentatione*, exponi potest, ne *post institutionem* variari possit, sic Jo. Andr. in dict. c. 1. & alii.

Altera, quam sequitur Covarr. *pra-* 3223
ctic. c. 36. *n.* 7. Flamin. de *Resignat. l.* 12. *q.* 3. *n.* 162. & alii, negat; fundamento accepto ex *dict. c.* 1. & 2. ut lite pendente in 6. In c. 1. Bonifacius VIII. sic loquitur: *dispendiis, quæ, propter electiones diversas, Ecclesiæ patiuntur interdum, occurrere cupientes*: Statuimus, ut (si aliquibus apud Sedem Apostolicam, vel alibi litigantibus, super electionibus de se in discordia celebratis) aliquem ipsorum mori, vel juri suo renuntiare, aut à prosecutione ipsius contigerit quoquo modo excludi: *ad electionem aliam* (*lite super electione superstitis electi pendente*) *nullatenus procedatur, aliàs attentata contra hoc, electio, ipso jure viribus non subsistat.* in c. 2. autem, si ii, contra quos super dignitatibus, Personatibus, vel aliis Ecclesiasticis beneficiis quæ possident, litigatur, lite pendente cedant, vel fortè decedant: *ne propter novos adversarios* (qui malitiosè interdum, petitoribus surrogantur) *litigia in Ecclesiarum dispendium prorogari contingat*: statuimus, ut dignitates, Personatus vel beneficia hujusmodi (*donec contra superstites lis finita fuerit*) aliis nullatenus conferantur, nec ad ea eligatur quispiam, *vel etiam præsentetur*. Quòd, *si secùs actum fuerit, eo ipso irritum habeatur*. Sane si ad defensionem ipsius litis aliqui, quorum intererit, petierint se admitti: eos in illo statu, in quo ipsam intervenerint, decernimus admittendos.

Ex his enim juribus clarè habetur, 3224
non admitti novas præsentationes, etiam cumulando, lite pendente, idque ne lites prorogentur, vel nova litigia excitentur, nec tantum in casu electionis, vel Collationis, sed etiam *præsentationis*, & ita tenet præter citatos Lancellot. de attentat. lite pendente *p.* 2. *c.* 4. *n.* 579. & alii cum Barbosa in dict. *c.* 1. *n.* 4. dicitur autem *litigiosum*, de cujus dominio agitur inter petitorem, & possess. gloss. in *c.* 1. de confirmat. util. V. *litigiosa*; quod tamen aliqui limitant pro casu, quo unus ex litigantibus eo, quem præsentavit, mortuo, præsentaret collitigantem; nam sic potius ageretur conformiter ad mentem dicti *c.* 2. quia sic non augerentur sed potius minuerentur, imò cessarent lites; sic Lancellot. *cit. p.* 2. *c.* 3. *n.* 688.

Præter dicta *not.* 1. in quæstione, an, 3225
si duo

si duo essent Patroni, Laicus unus, Ecclesiasticus alter, & forent discordes, saltem Laicus possit variare? responderi à nonnullis affirmativè; quia ob conjunctionem in Patronatu cum Ecclesiastico non perdit suum privileginm, præcipuè cum in præsentatione nulla sit conjunctio: sic Lambertin. de jure Patronat. *l.* 2. *part.* 2. *q.* 7. *art.* 13. August. Barbosa 3. *p. alleg.* 72. *n.* 166. secùs, si forent concordes; quia tacitè se obligavit Patronus Laicus per illam concordiam in supra dicta voluntate perseverare, & à Compatroni voluntate non recedere: sic Abbas in c. *cùm autem*, de Jure Patronat. *n.* 4. Sed, si lite pendente inter Patronos discordantes talis præsentatio fieret, etiam Laico neganda videtur, ex dict. *à n.* in casu autem Concordiæ, pacto nimirum, altera pars rectè dicitur, at hæc prohibitio tunc non variandi, non est in vi legis Ecclesiasticæ (nam de hoc nihil agitur in dict. *c.* 1. *&* 2. *in n.* 3223.) sed solùm in vi pacti.

3226 *Not.* 2. disceptari etiam, an valeat præsentatio Patroni, facta *post juramentum non variandi?* & negativam communiter doceri ab Authoribus; ratio ipsorum est, 1. quia juramentum, accedens actui, requirenti ad sui valorem authoritatem Judicis, seu præsentiam, ita illum firmat, ut irrevocabilem reddat, juxta gloss. & tex. in c. *licet mulieres* de jure jurando in 6. Sed præsentatio est actus, qui absque Judicis Authoritate fieri non potest, ut ex dictis constat: ergo si juramentum accedat *de non variando*, variare non poteris. Deinde, vel præsentatio fieret in hoc instituenti præsentatum, *aperiendo*, vel *tacendo* juramentum contra quod agitur? in neutro autem casu valet; ergo. Minor probatur; si primum? quia sic certum est ipsum non esse admissurum præsentationem; quia non potest illam admittere, ne perjurii cooperator sit; probatur etiam si secundum? quia sic admissio est dolosa & subreptitia; ac proinde irrita, & nulla, ergo in nullo casu hæc secunda nominatio valida esse potest.

3227 Affirmantes autem nituntur hoc fundamento; quia Patronus Laicus eo juramento, vel promissione non tollit à se Jus Patronatus, consequenter annexum privilegium variandi variatione cumulativâ. 2. si Patronus, vacante beneficio, antequam faciens præsentationem juraret, vel promitteret Titio, præter ipsum non præsentandi alium, non obinde vitiaretur præsentatio Caji, contra juramentum, vel promissionem, tametsi perjurus existeret, quia juramentum, vel promissio non sustulit ab eo facultatem præsentandi, quem maluerit ex dignis, tametsi reddat illicitum ejus usum: ergo idem dicendum est facta prima præsentatione licere illi alium denuo nominare accumulando; cùm facultas eadem sit, & immutata maneat. 3. si facto juramento, quod beneficium Ecclesiasticum, cujus libera collatio ad te pertinet, digniori collaturus es, illo prætermisso conferas digno, collatio tenet, ut tradit expressè Joann. de Selva, *tit. de benefic.* 3. *p. q.* 27. ergo idem dicendum est de præsentatione facta adversus juramentum non variandi.

Ad 1. fundamentum affirmantium respondet Castropalaus *cit. tr.* 13. *D.* 2. *p.* 6. *n.* 9. admittendo, ex juramento non tolli à te Patronatum, & consequenter neque privilegium variandi illi annexum, sed negando, *Patronum unquam, ex vi Patronatus, habuisse Privilegium variand. facto juramento vel promissione de non facienda variatione*; sicuti nunquam habuit Privilegium variandi posita institutione. Hæc tamen responsio videtur facilè solvi: distinctione minoris: nam cùm dicitur: *Patronus, ex vi Patronatus nunquam habuit Privilegium licitè variandi posito juramento*; C. *validè*, N. sic sponsus nunquam habuit jus & potestatem, non dissolutis sponsalibus, si quæ prius contraxit cum aliqua, *licitè* contrahendi cum alia, & tamen positis legitimis sponsalibus cum Barta, *validè* contrahit etiam de præsenti cum alia, sed *illicitè*, quia, quamvis talis contractus sit *contra legem præcisè prohibentem usum juris* in talibus circumstantiis, non est tamen *contra legem annullantem*, quæ est constitutiva juris ad operandum *validè*: at idem est in casu nostro; aliàs dici posset, sacerdotem, *in statu peccati gravis scienter consecrantem*, invalidè consecrare (quod nemo dicit) quia nunquam habuit potestatem consecrandi suppositio tali statu peccati gravis, certè in hoc casu Castropalaus ipse etiam dicere debet: non habuisse unquam potestatem *ad licitè*, bene tamen, 3228

ad

ad validè contrahendum; id, quod & ipsius responsioni applicatur.

3229 Nec fundamenta sententiæ negantis concludenter intentum evincunt. Nam ad 1. respondetur, ad summum sequi, primam præsentationem, posito juramento, irrevocabilem reddi; ut revocari non possit *licitè*; non autem quod non validè, quantumvis illicitè. Ad 2. &c. etiam data qualibet parte disjuncti, adhuc tamen non probari præsentationam *invalidam* esse; sed tantùm *illicitam*; pone igitur, quòd Patronus juramentum manifestet Instituenti, & is instituat nihilominus præsentatum à Patrono, quem scit perjurum; non est dubium, quòd instituens agat illicitè; sed quæro, an propterea etiam *invalide*? si non? habetur intentum; si ita? illicitè, contrahens cum impedimento solùm impediente; scienter consecrans in statu peccati gravis; invalidè agent, quod nemo dicit: pone deinde, alteram disjuncti partem, quod non aperiat Instituenti suum juramentum, contra quod agit; & is bonâ fide præsentatum instituat? demus etiam dolosè, ac subreptitiè fieri hanc præsentationem; an institutio propterea erit invalida? nunquid dolosè tacens votum, aut sponsalia legitimè contracta, quando contra votum, vel priora sponsalia de præsenti contrahit cum alia, validè contrahit?

3230 Sed dices: instantias non desumi ab actibus, requirentibus ad sui valorem, Authoritatem Judicis, vel præsentiam, sicut hoc exigit præsentatio? &c. & quæro, an susceptio sacri ordinis non sit actus in sui valorem exigentis Authoritatem Superioris? & tamen per dolum suscipiens sacrum ordinem (v.g. per saltum, vel tacens defectum natalium &c.) validè ordinatus esset, sive scienter taliter impeditum ordinaret Episcopus, consequenter illicitè ageret; sive ignoranter. Hinc etiam illud, quod in responso Castropalai superius attulimus (dicentis *Patronum, nunquam ex vi Patronatus habuisse privilegium variando facto juramento*, sicut *nunquam habuit privilegium variandi positâ institutione*) quod ly *sicut* negandum est, nam positâ institutione nec licitè, nec validè variat, quia positâ institutione instituto jam est jus quæsitum *in re*, & ipso beneficio; non autem, ante institutionem solùm præsentato, non tamen instituto, & ideo Patronus posito juramento, illicitè quidem, sed validè præsentat, quia per hoc non utitur aliquo jure in præjudicium juris alieni, jam *in re* quæsiti; his positis:

Etsi sententia negans affirmantium 3231
opinionem consideratam secundum se non evertat de numero sententiæ verè probabilis spectatâ ratione intrinsecâ, ex qua non modò firmatur ipsa, sed etiam dissolvit contraria, quia tamen negativa communior est inter Doctores, & affirmans in usum vix deduci potest sine peccato, in praxi negativam in judicando, & consulendo, tenendam esse existimo cum Castropalao *cit. n.* 8. *in fine.*

ARTICULUS X.

De habilitate Clerici præsentandi.

COmmunis tenet, incapacem institu- 3232
tionis, non posse præsentari, quod accipe, vel solùm licitè, vel solùm validè, vel utroque modo, secundum quod præsentando nocet inhabilitas, ut passivam institutionem recipiat. Patronus enim, ex vi juris sibi ab Ecclesia concessi, ad Ecclesias, & beneficia præsentare debet *idoneum* & dignum; cùm in instituente quoque sit obligatio non admittendi, inidoneum, vel indignum; sic Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *q.* 4. quibus præmissis:

Quæstio 1. est, an Patronus Eccle- 3233
siasticus possit *seipsum* præsentare ad vacantem Ecclesiam, vel beneficium sui Patronatus, saltem si idoneus, & dignus sit? hanc quæstionem Innocentio III. proposuit Archiepiscopus Rotomagensis; cui rescripsit Pontifex: cùm nullus se ingerere debeat Ecclesiasticæ prælationis officiis: respondemus, *quòd nullus se potest ad Personatum alicujus Ecclesia præsentare, quantumcunque idoneus sit, & quibuscunque studiis, & meritis adjuvetur*, sic habetur in c *per Nostras* 26. *h. t.* &c. *fin.* de institut. ibi: *illud autem nolumus vos ignorare, quod, postquam M. fuit Abbas effectus, custodiam de jure non potuit obtinere:* quia, cùm ratione Abbatiæ ad ipsum pertineat donatio tam custodiæ, quàm aliarum dignitatum, ac etiam præbendarum in Ecclesia Patranen. *custodiam ipsam recipere non potuit à se ipso, cùm inter dantem, & accipientem debeat esse distinctio personalis:*

sed

sed nec ab alio, cùm jus conferendi alius non haberet.

3234 Quamvis autem textus in c. *per nostras* loquatur solùm de præsentatione *ad personatum*; idem tamen procedit tam in beneficiis simplicibus, quàm aliis officiis, & dignitatibus, quidquid in contrarium velit Lambertinus in tract. de Jure Patronat. *p.* 1. *l.* 2. *q.* 8. *à* 2. Nam in præsentatione Patroni de se ipso facta vitium ambitionis reperiri censetur; cùm non solùm prohibeantur illa, quæ per se mala sunt, verum etiam illa, *quæ speciem mali repræsentant, & præsentatio de se facta propter præductum vitium in illo præsumptum mali speciem habere censeatur*, argum. text. in c. *quia in tantum*, & in c. *cùm jam dudum* de præbend. hinc meritò textus dicit, *Patronum se ipsum ad Ecclesiam Patronatam vacantem non posse præsentare.*

3235 Hæc confirmari possunt. 1. ex verbis hujus textus, ibi: *cùm igitur nullus se ingerere debeat &c.* quæ quidem verba important, *affectare*, & *ambire*, juxta text. in L. *si quemquam*, C. de Episcopis & Clericis; in qua, ratione naturali suasoriam dat hic textus ad constituendam talem prohibitionem, quemadmodum multoties aliàs similibus rationibus naturalibus solent duas decisiones probabiliter confirmare, ut videre est in c. *quoniam*, de officio & in c. *cùm omnes*, *de constit. c. fin. de Institut.* ubi habetur, *quòd Episcopus se ipsum instituere non possit*, ex eadem nimirum ratione; præsertim cùm institutio petat distinctionem personarum, instituentis, & instituti, quod valdè congruè dicitur etiam de distinctione præsentantis, & præsentati.

3236 *Not.* autem. 1. si contingat, quòd Prælatus, ad quem pertinet institutio, motu proprio vocet Clericum Patronum, illique beneficium vacans conferat, institutionem validam esse; quia est institutio facta ex consensu Patroni, non tamen ex illius præsentatione, consentit Sylvester V. *Jus Patronatus. q.* 7. Vasq. *opusc. de benefic. c.* 2. *§.* 1. *dub.* 4. Lessius *lib.* 2. *de justit. c.* 34. *dub.* 7. *n.* 28. Huic modo acquirendi proprium beneficium, cujus quis Patronus est, annectunt aliqui alium, si coram Episcopo supplicet, ut sibi conferatur, alia causa rationabili v. g. quia ipse jam indiget, saltem relatè ad statum suum, vel aliâ; sic pluries decisum esse, refert Barbosa in *dict. c. Abbate n.* 5.

Not. 2. Procuratorem constitutum, 3237 ut nomine Patroni præsentet, non posse præsentare ipsum Patronum; sic Flaminius de *Resignat. l.* 9. *q.* 17. *n.* 113. quia sic Patronus saltem virtualiter præsentaret se ipsum, & talis præsentatio potius esset in fraudem legis, ac ad palliandum ambitionis vitium, cujus intuitu prohibetur Patronus præsentare se ipsum. Sed nec se ipsum præsentare posset eo casu Procurator, sic enim & iste incurreret vitium ambitionis, ut colligitur ex 24. *q.* 1. *c. Didicimus.* 31. ibi: Novatianus in Ecclesia non est, *nec Episcopus computari potest, qui Evangelicâ & Apostolicâ traditione contemptâ, nemini succedens, à se ipso ortus est.* Habere namque aut tenere Ecclesiam nullo modo potest, qui ordinatus in Ecclesia non est.

Not. 3. si duo essent Patroni ejusdem 3238 Ecclesiæ, vel beneficii, valere præsentationem, qua unus eorum præsentaret alterum; sic enim Patronus non præsentaret se ipsum; ita Riccius in praxi, resolut. 179. *n.* 3. Azor. *p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *q.* 3. & alii communiter, & ratio ulterior est, quia etiam in electione is, qui à duobus Compromissariis electus est, sui electioni per suum consensum potest accedere, ut colligitur 1. ex 16. *q. ult. c. fin.* Deinde ex *c. Quia propter* 42. de Elect. ubi valet electio ejus, in quem ex tribus Compromissariis vel omnes vel major pars consenserit, de quo plura *l.* 1. *tit.* 6. de Elect. & electi potestate.

Dices: in hoc casu Patronus adhuc 3239 seipsum præsentaret; ergo nec in hoc casu præsentatio valet? R. N. ant. Nam in hoc casu, seu præsentatione, nullus Patronorum pro se suffragium efficax ferret, sed solum suffragiis aliorum, in sui favorem datis, per consensum accederet, augendo illorum numerum, ut notat Gloss. in c. *per Nostras h. t. V. præsentare*, & quamvis pro se suffragium ferret; quia tamen illud partiale est, & insufficiens ad præsentationem, vel electionem constituendam, non videtur in supradictis textibus prohiberi.

Quæstio est. 2. an Pater, cui com- 3240 petit Jus Patronatus ad certam Ecclesiam,

ad eam vacantem possit præsentare suum filium si idoneus sit? R. affirmativam posse colligi ex c. *Consuluit* 15. *h. t.* ubi, cùm Episcopus Adonens. Pontificem consuluisset, quid sibi faciendum sit de Clericis, qui Ecclesias constructas hæreditario jure sibi vendicant, nec ipsi volunt exinde respondere; & de laicis, qui præscriptas Ecclesias filiis vel filiabus, vel nepotibus suis dare nituntur? Alexander III. respondit: *cùm Sanctuarium DEI, de jure hæreditario, teneri non possit: Non decet aliquatenus sustineri, ut Clerici Ecclesias, à parentibus suis fundatas, propriâ Authoritate, detineant, aut Laici filiis, vel aliquibus Laicis concedant easdem*, ubi Doctores communiter notant per *Sanctuarium* intelligi, quæ ad divinum cultum dicata, DEO, & Ecclesiis data sunt.

3241 Hinc ex dicto c. communiter inferunt Doctores, cùm prohibetur ne Patronus præsentet *se ipsum*, prohiberi solùm *præsentari* Patronum in Ecclesia, in qua ipse habet Patronatum, filius autem Patroni, non est Patronus, nec in ea Ecclesia habet Jus Patronatus, ergo. Deinde rationes, propter quas prohibetur Patrono *se ipsum* præsentare, cessant in filio ejus, siquidem filius in hoc à Patre alia persona est; quo dato apparet ratio discriminis inter dantem & accipientem, quod requirit text. in c. *ult. de instit.* deinde cessat vitium ambitionis, text. in c. *per nostras.* 26. *hoc tit.* eò, quòd, licet in Patre dante existere possit, nihilominus tamen in filio ex ipsius acceptatione non præsumitur, prout in aliis præsentatis non judicatur. Facit denique, quia filius Patroni non debet esse deterioris conditionis, quàm reliqui omnes extranei, qui per Patronum Parentem præsentari possunt; aliàs enim favor, quem Jus Canonicum in remunerationem beneficii Patronis facere intendit, in illorum odium retorqueretur, contra reg. text. in L. *quod favore, ff. de leg. & reg. quod ob gratiam, de reg. jur. in 6.*

3242 Dices ex c. *Consuluit* videri potius dicendum oppositum, quod nimirum Pater ad beneficium, cujus ipse Patronus est, nec filium præsentare possit; sed negandum est, id enim, quod ibi prohibetur, est, ne Clerici propriâ Authoritate detineant Ecclesias fundatas à suis Patribus, aut Laici filiis, vel aliquibus Laicis *concedant*; ubi clarè apparet non agi de *præsentatione*, sed *collatione*; Patroni enim Laici beneficiorum *collationem* Authoritate suâ facere non possunt, cum iste actus sit propriè actus jurisdictionis spiritualis; & filii eorum ab illis præsentati, beneficia, ad quæ à suis Parentibus præsentati sunt, *sine Canonica institutione detinere* non possunt, ubi autem Canonicè instituti *ea detinent*, non detinent *Authoritate suâ*, sed instituentis, cùm ex ejus solùm institutione acceperint jus in re.

Quæstio est 4. an Patronus, à quo 3243
plures digni rogant præsentari, teneatur ex illis eligere digniorem? Ante respons. not. debere attendi. 1. an agatur de beneficio tantùm simplici, vel curato? 2. an Patronus sit Ecclesiasticus, vel Laicus? 3. an beneficium non sit vinculatum in fundatione, prout contingit in certis fundationibus, ut notavimus *à n.* 279. de beneficiis *Sacerdotalibus*; & *n.* 300. de beneficiis *patrimonialibus*; quamvis in beneficiis Ecclesiasticis jure sanguinis nulla detur successio; c. *Ut nullus* de præbend. excipiuntur, tum Capellaniæ fundatæ, ut eas habeant, qui sunt de familia; quia non sunt beneficia Ecclesiastica; sic Barbosa; ibid. *n.* 2. id, quòd extenditur ad successionem sive ab intestato, sive ex testamento *c.* 2. de concess. Præbend. de quibus Pirhing. *n.* 52. de præbend. quo posito:

Ad propositam quæstionem resol. 3244
vendam juvat, quod habetur in Trid. Sess. 24. de reform. *c.* 1. ubi Concilium omnes, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum *quodcunque jus*, quacunque ratione, à Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstant, nihil in iis pro præsenti temporum ratione innovando *hortatur*, & *monet*, ut in primis meminerint, nihil se ad DEI gloriam, & populorum salutem utilius posse facere *quàm si bonos Pastores*, & Ecclesiæ gubernandæ *idoneos*, promoveri studeant: *eosque, alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint*,

rint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint, & quos ex legitimo matrimonio natos, & vita, ætate; doctrina, atque aliis omnibus qualitatibus præditos *sciant*; quæ juxta sacros Canones, per Tridentinæ hujus Synodi decreta requiruntur.

3245 Et eadem *Sess. c.* 18. ibi: *peracto examine* renuntientur, quotcunque ab his idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrinâ, prudentiâ, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis, *ex hisque Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit; atque illi, & non alteri, collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre*, si verò Juris Patronatus Ecclesiastici erit, ac institutio ad Episcopum, & non alium pertineat, *is, quem Patronus digniorem, inter probatos ab Examinatoribus, judicabit*, Episcopo præsente teneatur, ut ab eo instituatur. Cùm verò institutio ab alio, quàm ab Episcopo, erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat; *quod si Jus Patronatus Laicorum fuerit, debeat qui à Patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis ut supra examinari, & non*, nisi idoneus repertus fuerit, *admitti.*

3246 Ex his Concilii Decretis deducitur, Patronum Ecclesiasticum, si Ecclesia sub ejus patronatu sit *curata*, teneri præsentare *digniorem*; non autem, si beneficium sit solùm *simplex*; cùm id nullo Jure cautum sit, nec onus istud Patronis imponi debeat jure non disponente: si autem Patronus *Laicus* sit, non videtur obligatus ad ullum beneficium digniorem eligere; quia nullibi de tali Patrono hoc cautum est; imò potius Tridentinum, de ipso loquens, contentum est, *si dignum eligat*, inquit enim *dict. c.* 18. Si Jus Patronatus *Laicorum* fuerit, *debeat, qui à Patrono præsentatus fuerit, examinari, &, si idoneus repertus fuerit, admitti.* Unde, cùm in hac præsentatione, concursum non expostulet, Concilium Tridentinum tacitè insinuavit, sufficere, si dignus præsentetur, & eligatur, plus exigendum non est, & ita tenet expressè Garcia *de benefic. 7. p. c.* 16. *n.* 17. Cæsar Lambertin. de Jure Patron. *l.* 2. *q.* 10. *art.* 3. *n.* 17. Petrus Navarra *lib.* 2. *de restitut. c.* 2. *n.* 150. favet textus in c. *Monasterium.* 16. *q.* 7.

Quæstio est 5. an si Patronus præ- 3247
sentet *indignum*, privetur usu sui Juris pro illa vice? procedit autem quæstio sive Patronus sit Laicus, sive Ecclesiasticus. R. quamvis Lessius *de Justit. l.* 2. *c.* 34. *D.* 7. *n.* 18. de utroque negativam teneat, quia de Patronis nullibi hoc in Jure cautum est, & ab Electoribus in dispositione pœnali ad Præsentatores extensio fieri non debeat; esse tamen discrimen aliquod in hoc constituendum inter Patronum *Laicum*, & *Ecclesiasticum*, quòd, cùm ille intra tempus pro facienda præsentatione, possit variare, non autem iste, ut dictum est in præcedentibus, Laicus, poterit; non autem Ecclesiasticus (extra unum casum) si advertit à se præsentatum esse indignum, alium præsentaret durante adhuc tempore à Jure concesso.

Dixi 1. si Laicus intra tempus à jure 3248
concessum locò indigni præsentet alium. Nam si intra illud tempus non præsentavit alium, affirmandum est, etiam Patronum *Laicum* privatum esse usu juris post quadrimestre alium præsentandi; cujus ratio est; quia si Patronus Laicus toto quadrimestri nullum præsentavit, eo ipso pro illa vice beneficium ab Ordinario conferri potest absque præsentatione c. *unic. h. t.* in 6. ergo etiam si toto eo tempore non præsentavit alium, quàm indignum; nam *indignum præsentare, ac nullum præsentare*, idem est c. *inter corporalia* 2. de translat. ibi: *juxta communem modum Ecclesia videtur judicare, quæ licet Episcopum habet, inutilem tamen prohibetur habere*; id quod etiam colligitur ex c. *Tuæ* 12. de Clericis non resid. ubi negatur Canonicis privilegium percipiendi fructus suarum præbendarum in absentia studiorum causa, si impetratâ hâc licentiâ recipiant se ad villas & oppida, ubi ferè nullum habetur literarum exercitium.

Præter hæc *not.* 1. non obstare di- 3249
ctis, quòd Pater & filius in jure censeatur una, eademque persona; quo aliqui volunt, quòd, si Pater non possit se ipsum

præsentare, nec possit filium; aut econtra, si possit filium, possit & seipsum; non inquam obstat; nam hæc identitas non est realis, sed juridica, seu ficta, juris dispositione ad certos tamen effectus, per ordinem ad quos ex justa causa casum, cœteroquin falsum, disponit habendum tanquam verum; consequenter se non porrigit ad quoslibet effectus; hinc in materia electionis non est hæc identitas ficta inter patrem, & filium; nec in natura acquirendi spiritualia; nam ex L. illud 35. ff. quod cujusque Universit. nam filius patri suffragium, seu vocem electionis dare potest; & in spiritualibus non acquirit Patri, sed sibi.

3250 *Not.* 2. nec Laicum, nec Clericum posse sine simonia emere Jus Patronatûs, seorsim, ac solitariè sumptum, ut constat ex dict. supr. posse tamen indirectè, nimirum per consequentiam, directè nimirum emendo bona temporalia, quibus Jus Patronatus annexum est, quia tamen circa hoc potest dubitari, an id procedat etiam in casu, si ea bona emeret ex intentione, ut, obtento per consequentiam Jure Patronatus in Ecclesiis patronatis, filios suos, vel nepotes, præsentare possit? Respondet Pirhing *h. t.* n. 93. ejusmodi emptionem ex tali intentione vitiari, quod contineat simoniam mentalem, consequenter talem privandum Jure Patronatus, & Ecclesiam propter injuriam sibi factam ex tali vitio reddi liberam.

3251 In hac quæstione dicendum videtur cum distinctione, & affirmandum cum cit. Authore, si intentio principaliter, ac directè feratur in acquirendum Jus Patronatus; non autem, si directè, ac principaliter in bona temporalia, licet indirectè veniat etiam Jus Patronatus, ac eo deinde intendat uti pro commodo suorum liberorum qui apti sunt in ejusmodi Ecclesiis, cùm vacaverint, deservire, & hoc videtur intendi per c. *Quia Clerici* 6. *h. t.* ubi Alexander III. sic rescribit, quia Clerici quidam Advocatias (id est, *Jus Patronatus*) Ecclesiarum comparant, sive emunt, (per se tantùm, sive seorsim, nam cum Universitate bonorum vendi potest, Gl. hìc V. *Comparant.*) vel quocunque modo possunt, sibi acquirunt, ut postea eorum filii, aut nepotes ad easdem Ecclesias vacantes præsententur, id severiùs prohibendum esse, mandat Pontifex, eosque, qui Advocatias sive Patronatus ita acquisiêrint, appellatione postpositâ, iis privandos esse.

Ratio 1. partis est, quia talis intentio, quæ principaliter, & directè quærit acquirere Jus Patronatus per emptionem, est in re, ac verè simoniaca, cùm pretio directè acquirere Jus Patronatûs, quod saltem est annexivè spirituale, ex dictis, licet pravus ille animus vestiatur pallio emptionis temporalium; talis porrò simoniaca emptio punitur privatione Juris Patronatûs, quin redeat ad venditorem, ut dictum est, & colligitur ex cit. c. *quia Clerici*, ergo, ratio secundæ partis est, quia in hoc casu id, pro quo datur pretium ex pacto emptionis directè, ac principaliter, est Jus bonorum temporalium, quòd spirituale non est, etiam annexivè, & velle uti Jure Patronatus ad præsentandum filios, vel nepotes in Ecclesiis patronatui subjectis, cùm vacaverint, ponitur non esse objectum directum, & principale ex intentione emptionis; nec importat voluntatem illicitam, ut dictum est, ergo.

ARTICULUS II.

De modo Præsentationis faciendæ.

PRima quæstio est, an per hoc, quòd 3252
quis à Patrono præsentetur, præsentatus acquirat jus ad beneficium? R. non acquiri *jus firmum* prius, quàm illi præsentatio exhibeatur, cujus est institutio; sic tradunt communiter Garcia de beneficiis *p.* 4. *c.* 1. *n.* 6. Barbosa *p.* 3. *allegat.* 72. *n.* 12. & alii; nam præsentatio dicitur respectivè non tantùm ad eum, *qui* præsentatur, sed etiam ad illum *cui*; hinc præsentatio, *in re non est cum effectu* præsentato constituendi jus ad rem, seu beneficium, nisi facta sit ei, cui præsentatus à Patrono manifestari debet, & exhiberi.

Quia verò quandoque unius etiam 3253
Ecclesiæ plures sunt Patroni, quibus competit jus præsentandi, quæstio altera est, an debeant vocari ad hoc omnes? vel sufficiat præsentationem ab uno fieri?

Ante

Ante respons. not. disceptari à non nullis, an præsentandus, ut præsentatio dicatur ritè facta, debeat *se in persona sistere instituenti*, ut ex facta præsentatione dicatur jus ad beneficium consecutus? eique institutio debeatur, si aliud non obstet? Affirmativam videntur aliqui tenere ex pluribus causis.

Prima est ex c. *cum & plantare*, §. *in Ecclesiis*, de privilegiis, ubi habetur, quòd Religiosi, etiam exempti, in Ecclesiis suis, quæ ad eos pleno jure non pertinent, *instituendos* Presbyteros *Episcopis repræsentant*. Ex quo ibid. *n.* 30. infert Barbosa, *quòd tales debeant instituenti se personaliter exhibere*. Nam *præsentatio* est *exhibitio personæ* per Patronum Episcopo, vel alteri, ad quem institutio pertinet, legitimè facta.

3254 Altera est, quâ dicunt, hanc præsentiam *corporalem* vel *personalem* præsentati, coram Instituente faciendam, etiam probari ex Trid. *Sess.* 24. *de reform. c.* 18. ubi dicitur, præsentatum à Patrono Laico, non admitti, *nisi ab Ordinario examinatus, & idoneus repertus fuerit*, quod etiam procedit de beneficiis simplicibus, & quibusvis aliis, ad quæ aliquis ab alio, etiam Ecclesiastico, præsentatur, eligitur, vel nominatur, ut habetur in eod. Trid. *Sess.* 7. *c.* 13. ubi expresse dicitur, quòd *nec institui, nec confirmari, nec admitti* debeant, *nisi fuerint prius à locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti*; sed hoc examen, cùm *personale* sit, requirit examinandi, consequenter instituendi, præsentiam corporalem coram Instituente præstandam. Imo *Sess.* 25. *de reform.* 9. dicitur: beneficium Juris Patronatus (quantumvis simplex sit, & possit inferior ad illud instituere) requirere *Episcopi examen*, ut scilicet sciat, an sint ætate, literis, & sufficientiâ idonei? Advertendum autem hoc procedere de examine solùm privato ante institutionem, vel confirmationem, non dandam ab Episcopo, quando non fit per concursum. Difficultas est, si negetur institutio nisi præsentatus, vel electus personaliter accedat ipsum Episcopum, præsertim, quando justis quandoque de causis hanc sui præsentiam corporalem Episcopo exhibere non potest, his præmissis:

R. 1. Episcopum non posse *jure* negare institutionem Clerico habili, ad beneficium vacans, præsentato à Patrono legitimo, licet Patronus præsentationem non faciat personaliter, seu *per suæ personæ corporalem præsentiam*, sed solùm *per literas*, vel *Procuratorem*, sic Castropalaus *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 1. *n.* 5. Nam in c. *ea noscitur*, de his, quæ fiunt à Prælato, id apertè decisum est ibi: *per se, aut per literas, personas idoneas præsentent Episcopis diœcesanis*. Idem habetur in c. *fin. de Conces. præbend.* Ex quo rectè sequitur, quòd Patronus etiam *absens* præsentationem facere possit. 3255

R. 2. Nec ex parte præsentantis, nec ex parte præsentati ad valorem *præsentationis* requiri, ut præsentatus ei, ad quem institutio spectat, *corporaliter* se præsentet, modò id faciat per literas, vel Procuratorem: sic Castropalaus *cit. n.* 5. & Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *q.* 6. Quia nullus est textus Juris, qui ad valorem *præsentationis* requirat, ut præsentatus se personaliter, seu corporaliter sistat ei, ad quem pertinet institutio præsentati, & aliunde per reg. juris, *quòd quis per alium facit, per se ipsum facere censetur*. Accedit Praxis. Nam Episcopi Galliæ, Hispaniæ, Flandriæ, à suis Regibus præsentati, ut *Not.* Castropalaus *cit. n.* 6. imò etiam Hungariæ, & Germaniæ, qui à Pontifice instituendi sunt, non exhibent se personaliter Pontifici instituendos, & in c. *Accedens. de præbend. Clericus absens investitur de beneficio Ecclesiastico:* ergo à fortiori præsentari, vel nominari potest absens. Nec obstant ea, quæ superiùs adducta sunt 1. quia *præsentari*, est sui præsentiam facere, vel per se ipsum, vel per alium; examen autem ad summum requirit corporalem præsentiam examinandi non pro *præsentatione*, sed *institutione*, vel *confirmatione*. 3256

Ex hoc colliges contra Barbos. (qui *p.* 3. de offic. & potest. Episc. allegat. 72. *à n.* 110. & 517. affirmat, *certissimum esse*, non teneri Ordinatium absentis præsentationem admittere, sed posse illam repellere, tametsi ei notus sit) colliges, inquam, contra illum, talem absentis præsentationem non posse rejici ut invalidam ex eo, quòd se personaliter non 3257

sistat, ut patet ex dict. cùm ad valorem *præsentationis* necessaria non sit.

3258 Bz. 3. privatum examen præsentatorum, vel electorum non esse de forma vel substantia institutionis, vel electionis sic, ut illo prætermisso institutio, vel confirmatio invalida sit. Nam si Episcopo, præsentati nota sit ætas, literatura, & sufficientia, opus non est examine, ubi institutio fit sine concursu; sic gloss. in c. *de Petro* dist. 47. V. *Ignotus*. Innoc. c. *in Lateranensi*, de præbend. Barbos. *p.* 3. de potest. Episc. alleg. 72. & apud hos alii: si autem illud examen prævium esset de institutionis forma, remitti non posset ab Episcopo, etiam in casu illo, nec institutio valeret, cujus tamen oppositum omnino certum est, ex praxi etiam in Germania plurimorum sic institutorum.

Censetur autem Episcopo notus, seu notoriè dignus, si est Doctor in aliqua Universitate studii generalis graduatus; sic Barbosa *p.* 3. *de potest. Episc. allegat.* 60. *n.* 85. ubi tamen excipit beneficium Parochiale, quòd verum judico, si conferendum sit per concursum propter dicta *n.* 711. & 428. Deinde idem Author in c. *Cum & plantare. §. in Ecclesiis*, de Privil. *n.* 34. docet, hoc ipso, quòd quis sit diœcesanus Episcopi, eum huic præsumi notum in ordine ad hunc effectum, ut sustineatur præsentatio de absente, & ideo *cit. p.* 3. *n.* 87. docet, esse receptissimam scribentium resolutionem, examen necessarium esse pro forma in *solis Parochialibus*, intellige, in quibus requiritur *concursus*, aut ubi præsentatus absque examine non est sufficienter instituenti notus quoad idoneitatem.

3259 Bz. 4. ad valorem institutionis vel confirmationis non esse necessarium, ut examen instituendi vel confirmandi fiat *coram ipso instituente*, vel *confirmante*, Licet instituendus, vel confirmandus Episcopo notus non sit. 1. quia institutio vel confirmatio valet, si examen fiat per Delegatos ab Episcopo, ut pat. ex Trid. Sess. 24. de Reform. c. 18. nisi opus esset concursu, imò fieri potest per Delegatos etiam extra Provinciam, cùm non sit actus judicialis Barbos. *p.* 3. *de potest. Episc. allegat* 72. *n.* 119. Secundò, quia Vicarius seu Officialis Episcopi *jure suo ordinario*, sine speciali illius licentia, validè instituit præsentatos, & confirmat electos, ut ex communi sententia docet Barbosa *p.* 3. *allegat.* 54. *n.* 70. *gl. in c. fin. de Offic. Vicar. in* 6. V. *non possunt*. Zerola in Praxi Episcoporum *p.* 1. 14. Azor *p.* 2. *l.* 3. *c.* 44. *q.* 50. & videri potest lib. 1. tit. 6. ubi agimus de confirmatione electi.

Bz. 5. præsentato, vel electo, notoriè digno non posse jure negari institutionem vel confirmationem, quando ex justa causa non potest sui personalem præsentiam facere illi, penes quem est Jus institutionis, vel confirmationis, si paratus sit se sistere in loco, ubi justum illud principaliter impedimentum cessat, præsertim, si in hoc sint Examinatores Ordinarii, vel Officialis, seu Vicarius Generalis Episcopi. Nam in tali casu nullo juris textu probari potest, Ordinario competere Jus negandi institutionem vel confirmationem, cùm illi satis constare possit per Vicarium suum notoria dignitas instituendi, vel confirmandi, quo cessat periculum ne promoveatur indignus, vel minus dignus, in quo uno fundatur ratio personalis præsentiæ instituenti, vel confirmanti facienda, per instituendos vel confirmandos. Dixi: quando *ex justa causa*, vel impedimento non potest, seu quando per ipsum non stat, *personaliter* se sistere, puta, si prohibeatur exire extra territorium Principis temporalis, habentis, vel ex Privilegio, vel longo usu, & consuetudine, etiam Romanæ Sedis factis iteratis probata, ne sui subditi extra suas terras evocentur, sed per Delegatum intra eas fiant, si quæ facienda sint. 3260

Contraria opinio fundat se in his, quæ *à n.* 3253. allata sunt, sed non obstant. Nam ad c. *Cùm & plantare*, concedo requiri præsentationem instituendi, sed juxta dicta, nimirum vel per se, vel per literas, aut Procuratorem. Ad 2. ex Trid. *Sess.* 24. *c.* 18. similiter concedo, præsentatos à Patrono Laico non debere instituì, nisi examinatos, & idoneos repertos, quod unicè petit ille textus, *ne scilicet indigni, vel minus digni promoveantur*; & ad hoc requiri personalem præsentiam præsentati; sed vel coram princi- 3261

principali instituente, si justo impedimento careat; vel coram ejus vicario, aut delegato, quando præsentatus, justo gravique impedimento prohibetur personaliter se sistere Episcopo. Ad 3. ex cad. sess. 7. c. 13. eadem est responsio, præterquam, quòd in solis Parochialibus (& quidem per concursum, non extra) conferendis, pro forma requiritur examen, quod esse personale, concedimus, ut constat ex dict. nec in notoriè dignis, ac Episcopo per se, vel alios notis exigatur, ut præmissum est.

3262 Confirmantur dicta seqq. fundamentis. Quando scitur præsentatus vel electus esse dignus, & idoneus, aut facilè sciri potest, quin personaliter se sistat ipsi instituenti, vel confirmanti, præsertim distanti, & justo impedimento detentus ad eum etiam personaliter venire non potest, si negatur institutio, vel confirmatio, hoc ipso negatur ei, quod jure debitum est. Nam confirmatio electi est *necessitatis* per c. 3. de Elect. & sapit *justitiam*, cùm per electionem sit jus quæsitum electo, eique sit debita confirmatio, per c. *Cùm inter* 3. eod. sic Fagnanus ad c. *Illa*, ne Sede vacante *à n.* 12. unde in electo debitum accipiendi confirmationem; vel in præsentato institutionem, ab Ordinariis Papâ inferioribus, ratione subeundi examinis extra concursum, non videtur ejus corporalem præsentiam strictius exigere, quàm id exigatur in confirmandis, vel instituendis à Summo Pontifice: de his autem extat textus in c. *Nihil* est 44. de electis, ita loquens: *de electis, qui ad Romanum pertinent immediate Pontificem, ad percipiendam sui confirmationem Officii, ejus se conspectui (si commodè fieri potest) personaliter repræsentent: aut personas transmittant idoneas, per quas diligens inquisitio super electionibus, & electis haberi possit*; in quem locum Panormitanus §. *cæterùm n.* 3. ait: *Nota, in dicto §. Exemptos immediatè subjectos Papæ, teneri petere confirmationem electionis à solo Papa, dic tamen quòd etiam Legatus de latere potest istorum exemptorum electiones confirmare*, & statim subjungit: *procedit ergo iste textus* (quòd electi vel personaliter, vel per idoneas personas Papæ præsentare se debeant) *si Legatus de latere non esset in partibus.* Cùm ergo etiam Vicarius Episcopi jure suo possit confirmare electos sine speciali licentia Episcopi, ut diximus supra, obligatio, ut electi se præsentent conspectui Episcopi, procedit solùm, quando Vicarius Episcopi non est in illis partibus.

Hinc electus, qui benedici ab Epi- 3263
scopo deberet, interim omnia, quæ ad suum officium spectant, exercere potest (si Episcopus tertio cum humilitate rogatus, benedictionem impendere recusset) donec depositâ suâ duritiâ benedictionem conferat, sic Card. de Lugo in qq. Canonicis de Prælat. Ecclesiasticorum electione c. 17. q. 2110. Accedit, quòd examen sive inquisitio de vita, & moribus electi, debeat fieri in loco, ubi electus est conversatus; quia universim inquisitio de fama alicujus, fieri debet in loco, ubi diutius morabatur, quia ibi est notus, & melius cognosci potest. c. *postquam. 3. de elect. gl.* ibid. V. *Conversatus.* & Abbas n. 4. ergo si ibi sit Vicarius generalis, citari non debet extra territorium Principis jure prohibentis egressum; si autem electus notoriè sit idoneus, nulla alia facienda est inquisitio in vitam & mores ipsius, ut colligitur ex *Constitutis.* 46. *de appellat.* & c. *Nullus. 2. dist.* 24. *ub. Gl.* ait: quòd *noti non sunt examinandi, sed tantùm ignoti.* Abbas in c. *Postquam.* 3. *de elect. n.* 5. Pirhing *de elect. n.* 320. his præmissis:

℟. Ad quæstionem in n. 3252. pro- 3264
positam ℟. cum distinctione præsentationis factæ à pluribus per modum unius; aut per modum plurium; nam si præsentatio facienda sit à pluribus, non ut pluribus, sed in quantum constituunt unum corpus, seu Collegium, vocandi erunt omnes, ut secus præsentatio nulla sit, vel saltem cassanda; si autem à pluribus per modum plurium, sufficere majorem eorum partem; sic tradit Lessius *l. 2. c.* 34. *D. 8. n.* 34. & alii, quod quidem verum est, si tamen omnes ad hoc, qui debebant, vocati sunt. Prima pars colligitur ex c. *quod sicut* 28. *de Elect.* ibi: *quod, si eos vocatos non fuisse constiterit, sed contemptos, infirmanda erit electio penitus taliter celebrata, nisi postea propter bonum pacis curaverint consentire,*

sentire, & c. Bonæ 36. *eod.* ibi: electionem autem Archi-Diaconi (quamvis laudabile testimonium perhibeatur de ipso) *justitiâ exigente cassavimus*; tum quia corpore dicti Episcopi nondum tradito sepulturæ, habuerunt de ipsa electione tractatum contra canonicas sanctiones: *tum quia inventus est H. fuisse contemptus, licet unus solus extiterit, cùm plus in talibus consueverit contemptus unius obesse, quàm multorum contradictio in præsenti.* Ratio 2. partis est; quia, etsi verum sit, acta à majori parte alicujus Communitatis valere, id tamen accipiendum est de Majori parte eorum, qui *vocati* præsentes sunt; ne absens, citra culpam, privetur jure suo, qui vocatus non est, & vocari poterat, ac debebat; aliàs enim taliter contemptus, seu neglectus, præsentationem etiam secutâ institutione impugnare poterit, ut cassetur, sicut potest elector contemptus, electionem etiam confirmatam, ut constat ex relatis juribus.

3265 Difficultas est, qualiter intelligi, vel accipi debeat *major pars*, quando præsentatio spectat ad plures, quin constituant communitatem, quæ dicatur præsentare; v. g. in casu, ubi respectu ejusdem Ecclesiæ sunt 12. patroni, quorum quilibet seorsim ab aliis præsentat. Tali enim casu contingere potest, quòd quinque præsentent Titium; quatuor Cajum; tres Sempronium: in hoc casu dubitari posset, an is, qui habet in hoc casu tantùm quinque, censeatur legitimè præsentatus, & cœteris habentibus minorem numerum præferri possit, ac ex tali præsentatione validè institui? Videtur enim quòd non; nam etsi habeat majorem numerum *respectivè* ad aliòs; non tamen habet majorem numerum, qui est *absolutè* major Patronorum in eum consentientium; at hoc videtur exigi non minus, ac in electione, ubi non sufficit, ut prodeat electus, quod habeat numerum suffragiorum, qui est major respectivè, sed debet habere majorem absolutè; qui scilicet verè major est Electorum præsentium, & in eum consentientium, ut diximus *l.* 1. *tit.* 6. de elect. Dicendum tamen affirmativè cum Joan. Andr. in c. *Quoniam h. t.* nam in hoc casu non recte argutur ab electione ad præsentationem; ratio est, quia ut prodeat electus, electio debet fieri *communiter*, & *nomine Communitatis*; ad quod verificandum, omnino exigitur præsentium Capitularium major numerus *absolutè*; at in nostro casu præsentatio non fit *communiter*, seu nomine Communitatis Patronorum, ut ponitur in casu; ergo; & ita tenent Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 21. *q.* 20. Sylvester V. *Jus Patronatus q.* 13. & alii.

ARTICULUS XII.

Quid possit Ordinarius circa beneficia Patronata?

CUm provisio, quam Ordinarius 3266
impendere potest beneficiis Patronatis, non sit illi libera, nec pendeat ex ejus liberalitate; sed sit necessaria, fierique debeat ex necessitate, supposita habilitate legitimè præsentati; plures quæstiones circa hanc ipsam necessitatem moveri possunt v. g. an institutio in beneficio Patronato facta, sine consensu Patroni, solùm sit illicita? an etiam invalida? &c. de quibus præsenti articulo.

§. 1.

Quid circa beneficia Patronata possit summus Pontifex?

NOn est dubium, cuilibet patronatui 3267
non tantùm Ecclesiastico, sed etiam Laico derogari posse à Summo Pontifice ex justa causa, ut docet communis, prout videri potest apud Castropalaum *tom.* 2. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 10. *n.* 1. nam esto Pontifex alicui concedat facultatem providendi beneficio vacanti per electionem, postulationem, præsentationem, collationem, confirmationem, vel institutionem; nunquam tamen ita concedit, ut sibi circa hoc potestatem adimat supremam, super iisdem, cùm visum fuerit, ex justa causa disponendi, ut ostendimus supr. Dixi *ex causa justa*; nam sine hoc non licitè ageret; nec enim justum est juri alterius, sine causa rationabili derogare, imò, ut refert Castropalaus cit. p. 10. n. 1. signatè in Tridentino Sess. 25. de Reform. c. 9. cautum

tum est, ut, si Patrono patronatus Ecclesiæ tollatur, ei restituantur, quæ in acquisitione talis Juris contulit; quod tamen non videtur intelligendum, de casu, quo in pœnam illo privaretur, ut, si hoc directè ac seorsim ab aliis bonis vendidisset, venditione simonicâ.

3168 *Not.* autem 1. Pontificem, esto rescribat, ut alicui provideatur in certa Ecclesia, si non faciat mentionem per hanc, vel similem clausulam, (*esto sit de Patronatu Laici*) non censeri velle derogatum Juri talis Patroni; cujus ratio est; quia Jus Patronatus, concessum Laico, quantumvis sit gratia Ecclesiæ, est tamen aliquo modo onerosum; cùm supponat in Patrono meritum fundationis, constructionis, vel dotationis, adeoque est Jus acquisitum ex titulo oneroso; ergo Ecclesia, nisi exprimat, non intendit illi derogare, ut ostendimus *l.* 1. *tit.* 3. *de Rescriptis.*

3169 *Not.* 2. In casu, quo summus Pontifex per Rescriptum derogaret expresè Juri Patronatus Laici, in dubio præsumi eum procedere ex justa causa; quamvis in hoc casu diversa sit ratio inter Patronatum *Laicum*, & *Ecclesiasticum*, iste enim est merum beneficium; cùm non detur ex aliquo quasi contractu, & remunerativè, sicut Laicis; sed solùm ratione ipsius Ecclesiæ; quo posito intelligitur Patronatum *Ecclesiasticum* esse merum Privilegium; *Laicum* autem, onerosum, & remuneratorium; constat autem, ad auferendum alicui Privilegium, seu Jus quæsitum ex titulo oneroso, requiri majorem causam; quam ex mero beneficio, & gratia, ergo ad derogandum Patronatui *Laico* requiritur major causa, quam ad derogandum *Ecclesiastico*. Quare, nisi exprimatur, nunquam censetur derogatum Patronatui *Laico*, ne scilicet retrahantur Laici à fundationibus Ecclesiarum, videntes prærogativas, & Privilegia sibi concessa, ob quorum consecutionem proprias divitias consumpserunt, passim, & absque urgenti causa tolli, ideoque Concilium *d. Sess.* 25. *c.* 9. *de Reform.* dixit: *Patronorum jura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare, æquum non est.*

3270 Ex hoc deducitur, sub generali beneficiorum reservatione, tam in c. 2. de præbend. in 6. quàm in 8. regul. Cancellar. vel alia reservatione, non venire beneficia, quæ sunt de Patronatu Laico; quia hæc sub nulla dispositione odiosa veniunt, nisi exprimantur, ut dictum est; idque propter magnum favorem, quem Ecclesia impensum vult *Laicis*, Ecclesiarum Fundatoribus, ut constat ex Concilio, de quo in præcedent. at *reservatio* odiosa est, ut communiter tradunt Doctores; ergo. Et hoc etiam procedit de Laico: qui est in possessione Patronatus, esto in re Patronus non sit; ita Lessius *l.* 2. *just. c.* 34. *D.* 9. *n.* 36. Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 23. *q.* 2. Hac porrò expressâ derogatione non opus esse, cùm Pontifex disponit de beneficio, quod est Patronatus *Ecclesiastici*, constat ex ratione in oppositum; quia Patronus Ecclesiasticus habet Jus illud solum vel ratione Ecclesiæ, vel concessione Patroni Laici, quod est meræ gratiæ, ut diximus; ita Lessius cit. Covarr. *pract. qq. c.* 36. Gonzalez *ad* 8. *regul. Cancellar. gloss.* 18. *n.* 6. V. Neque dictis obstat, in Decretis reservationum poni clausulam generalem: *ad cujuscunque præsentationem pertineant*, verificatur enim sufficienter de præsentationibus, quæ fiunt à Patronis Ecclesiasticis, *cujuscunque* dignitatis sint.

Not. 3. si sint plures Patroni ejus- 3271
dem Ecclesiæ, & ex his aliqui Laici, alii Ecclesiastici, pari numero utrinque, per generalem clausulam reservationis talem Patronatum (quem vocant mixtum) non censeri reservatum; secus, si numerus Clericorum sit major; primam partem tenet Cavarr. *cit. c.* 36. *n.* 5. Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 26. *q.* 5. & alii, quia Laicus per Societatem cum Clerico in tali casu non est privandus jure suo, stante pari numero utrinque; sic enim nec suffragio prævalerent Clerici, & aliunde in hoc est major Laicorum favor, ut constat ex dictis. Secundam partem tenent Azor, Lessius, Gonzalez & alii sup. cit. Nam in ejusmodi casu major pars suffragiorum, præsertim eorum, quibus major cura, & Zelus est Ecclesiarum, trahit ad se minorem, ut supra diximus; tum quia talis Patronatus videtur potius simpliciter Ecclesiasticus, denominatione sumptâ à digniori, & potiori.

Not. 4. quamvis Jus Patronatus, 3272

competens Laicis ex privilegio, præscriptione, vel consuetudine, sublatum sit per Trid. *cit. Sess.* 25. *c.* 9. nisi Patronatus esset super Ecclesiam Cathedralem, vel competens Regibus, regnaque possidentibus, supremisque Principibus, aut in favorem studiorum generalium concessum, si tamen adhuc penes aliquem non exceptum foret, ei derogari sine derogatione speciali, ac si Ecclesiastici Patronatus jura forent. Quia cum in his casibus nihil ex suo Laici contulerint, eâdem mensurâ, ac Ecclesiastica jura de illis est judicandum: Sic docet Covarru. *dict. c.* 36. *n.* 6. Gonzalez. *Gloss.* 18. *n.* 18. Azor 2. *p. instit. mor. lib.* 6. *c.* 23. *q.* 4. Lessius *l.* 2. *c.* 34. *dub.* 9. *n.* 42. Intellige tamen de derogatione facta per Papam; nam cæteri Prælati inferiores, neque huic juri, neque alteri Ecclesiastico juri derogare possunt; quia privilegiis à jure concessis nequit Episcopus derogare.

§. 2.

Quid circa Beneficia Patronata possit Legatus à Latere?

3273 DE hoc casu agitur c. *cùm dilectus* 28. *h. t.* ubi, cùm Legatus Apostolicus Ecclesiam in Archidiaconatu Carnotensi primò vacaturam Ecclesiam pro G. Clerico suo, reservâsset, Archidiaconus autem contra mandatum Legati ad dictam Ecclesiam non præfatum G. sed alium Clericum H. præsentasset, & Episcopus Ecclesiam illam Clerico H. assignâsset, ipse verò H. sibi eandem, utpote ad præsentationem Archidiaconi, tanquam veri Patroni spectantem confirmari peteret, Innocentius III. casu ad se delato, respondit, si Archidiaconus præfatum G. tanquam Patronus Laicus præsentavit, quia tamen à dicto Episcopo non ille, sed Clericus H. admissus, & institutus fuit juxta statutum Alexandri Papæ, quod refertur in c. *quod autem* sup. non primum, sed secundum fuisse jus assecutum in Ecclesia S. Martini: Si verò Archidiaconus præfatum G. præsentârit tanquam Patronus Clericus; quia ea ratione subditus erat jurisdictioni Legati Apostolici, qui concessionem illius Ecclesiæ sibi reservari jussit, non potuisse alium præsentari; ideoque præsentationem ipsius non quidem canonicè factam, institutionem tamen ab Episcopo factam non esse irritam: quare Pontifex Ecclesiam prænominato H. judicavit cum fructibus medio tempore perceptis, Clerico G. autem perpetuum silentium imposuit.

Ex hoc textu deducitur 1. quod 3274
Legatus Sedis Apostolicæ à Latere potest sibi reservare Ecclesiam, vel beneficium primò vacaturum, illudque, cùm vacat, conferre certæ personæ, irrequisito Patrono *Ecclesiastico*: non autem inconsulto, aut invito Patrono *Laico*, vel Clerico, cui jus præsentandi competit, ratione patrimonii; atque adeo, quod derogatio beneficiorum Juris Patronatus à Papa facta comprehendit tantùm beneficia, quæ sunt Juris Patronatus Clericorum, non autem Laicorum, quæ expressam requirunt derogationem, quo fit, quòd Legatus de Latere (quamvis sit præter Papam Ordinarius Collator beneficiorum in sua Provincia, ut constat ex cit. c. *cùm dilectus*) in unione facienda, si Jus Patronatus sit seculare, teneatur consensum Patroni requirere; non ita, si sit Ecclesiasticum. Sic Rebuffus in praxi benefic. de Unionibus n. 28. Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 28. *q.* 12. Sanchez *in Decal. tom.* 2. *l.* 7. *c.* 29. *n.* 169.

Deducitur 2. præter alias differen- 3275
tias inter Patronum *Ecclesiasticum*, & *Laicum*, ex hoc c. colligi etiam aliam, nimirum, quòd *Ecclesiasticus*, non autem *Laicus*, etiam quoad Jus præsentandi subsit Legato de latere, consequenter iste illo etiam irrequisito possit sibi reservare beneficia Patronatus Ecclesiastici, eaque conferre, ut constat ex textu dicti c. *cùm dilectus*, supr. quod intellige, quando Clericus Patronatum habet *ratione Ecclesiæ*, aut bonorum ejus, non autem, si ratione sui *Patrimonii* in fundationem, constructionem, vel dotationem talis Ecclesiæ impensi; talis enim Patronatus, quantumvis competat Clerico, non Ecclesiasticus, sed secularis, seu Laicus est; cùm non dicatur ab habente, sed à titulo, ratione cujus eum habenti competit, ut supra diximus & colligitur etiam ex distinctione, quam

in

in dato casu observavit Pontifex, an ille Archi-Diaconus præsentaverit *ut Clericus?* an, *ut Laicus.*

3276 Deducitur 3. quòd Clericus habens Patronatum Jure Patrimonii, in præsentatione possit variare, colligitur ex cit. c. *cùm dilectus*, ibi: non *primus*, sed *secundus*, &c. licet hìc præsentans fuerit Archi-Diaconus, non tamen reprobatur ejus præsentatio, quantumvis plurium, seu cumulativa, si tamen præsentavit Jure Patrimonii, consequenter *ut Patronus Laicus.* Deducitur 4. quòd Patrono Laico invito, aut inconsulto, non potest Episcopus, aut alius Ordinarius, nec etiam Legatus Papæ Ecclesiam patronatam conferre, aut super illam pensiones imponere, quod satis apertè ostendit textus in c. *cùm dilectus*, quatenus distinguit inter Laicum & Clericum Patronum, patet, ibi: *tanquam Laicus*, & ibi: *tanquam Clericus*, quæ non erant necessaria, si Legatus posset conferre beneficium, seu reservare in præjudicium Patroni Laici. Accedit quòd Pontifex constituendo officium Legationis non censetur illud creare cum præjudicio Laicorum Patronorum, ex *reg. in L.* 2. §. *si quis à Principe ff.* ne quid in loco publ. ac subinde cùm per collationem, seu reservam maximum fiat præjudicium Laicis Patronis, necessario dicendum est ex defectu potestatis, Legatum talem collationem, seu reservam facere non posse.

§. 3.

Quid circa beneficia patronata possint Episcopi?

3277 EPiscopis, & aliis Prælatis, Papâ inferioribus, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem in suis territoriis, de jure competere potestatem instituendi præsentatos ad beneficia suæ diœcesis, jam supra dictum est. In præsenti dubium est, an valeat institutio in beneficio patronato ejus, non facta ad præsentationem Patroni? R. quòd regulariter non valeat; colligitur 1. ex 16. *q.* 7. *c. decernimus* 32. quod desumptum est ex Concilio Toletan. 9. c. 2. ubi textus sic loquitur: decernimus, ut quamdiu fundatores Ecclesiarum in hac vita superstites extiterint, pro eisdem locis curam permittantur habere solicitam, atque rectores idoneos in eisdem basilicis iidem ipsi offerant Episcopis ordinandos 1. quòd, si tales forsitan non inveniantur ab eis, tunc, quos Episcopus loci probaverit DEO placitos, sacris cultibus instituat cum eorum Conniventia servituros. Quod si spretis ejusdem fundatoribus Rectores ibidem præsumserit Episcopus ordinare, & ordinationem suam irritam noverit esse, ad verecundiam suam alios in eorum loco (quos iidem ipsi fundatores condignos elegerint) ordinari. Colligitur 2. ex c. *Illud.* 8. *h. t.* ubi dicitur: Quòd si laicus, Jus Patronatus, vacante Ecclesiâ, religioso loco contulerit, *& aliquis sine præsentatione fratrum ejusdem loci fuerit in ipsa Ecclesa institutus, ejusdem secundùm rigorem juris est institutio irritanda.*

Dixi: *regulariter non valere*; nam 3278 aliqui casus sunt excepti. 1. si Patronus *Ecclesiasticus* intra 6. Laicus autem intra 4. menses neglexit facere præsentationem; nam tali casu jus præsentandi elapso termino, devolvitur ad Ordinarium; ut diximus superius, & habetur c. 2. de suppl. neglig. Prælator. 2. si Patronus præsentat indignum, ex dict. sup. & habetur cit. c. 2. 3. Si tale beneficium conferatur à Papa, vel ejus legato de latere; sed hoc intellige in casu, quo beneficium est Patronatûs Ecclesiastici, nam id non procedit de Legatis, quando beneficium est de Patronatu Laicorum pro tali casu ex n. 3273. 4. Si Patroni discordent, de quo superius jam actum est. *Not.* autem casum, quo diximus Jus præsentandi pro illa vice devolvi ad Ordinarium propter negligentiam Patronorum, debere intelligi, si intra tempus à Jure præscriptum, ac à die, quo vacationem beneficii sciverunt, *negligentes fuerunt*, & quidem omnes, si relatè ad tale beneficium priventur propter negligentiam, nam si unus ignorasset sic ut comparatione illius terminus Juris, à die scientiæ computatus, nondum elapsus foret, non fieret devolutio, sed in eo tunc staret Jus præsentandi, cæteris negligentibus

pro tunc exclusis; sic Garcia *de benefic. p.* 10. *c.* 2. *n.* 41.

3279 Dubium 2. est, an hi, ad quos pertinet Jus instituendi præsentatos, teneantur instituere, si aliàs idonei sint, antequam coram ipsis intra terminum, præsentantibus assignandum ab ipso instituente, assignata fuerit præsentato congrua sustentatio ex reditibus Ecclesiæ, pro qua præsentatur? R. quòd non, ex Clem. *Ut Constitutio.* 1. *h. t.* ibi: Diœcesanis sub obtestatione divini judicii districtius inhibentes, *ne præsentatum aliquem per quamcunque personam Ecclesiasticam, Jus præsentandi, ad Ecclesiam aliquam, habentem, admittant, nisi intra certum terminum competentem, per Diœcesanos ipsos præsentantibus præfigendum, ipsi præsentato fuerit coram eis* (*ut præscribitur*) *congrua, de proventibus Ecclesiæ, portio assignata.*

3280 Circa istam Constitutionem in hac Clem. not. 1. per eam 1. declarari, quòd aliàs in hoc puncto constitutum fuerat in c. 1. de præbend. in 6. Deinde etiam quædam adjici nova, ut patet ex ejus initio, ibi: *ipsam declarare, ac quædam adjicere*, consultâ hujusmodi sacri Concilii approbatione providimus. *Not.* 2. huic Constitutioni non esse locum, ubi præsentans, seu Patronus præcisè patronatum habet, & non reditus Ecclesiæ; sed is, qui instituitur in ea Ecclesia; consequenter solùm obtinere in illis, qui præsentationem habent unà cum temporalibus proventibus, sic *Gloss. in cit. Clem.* 1. V. *Jus præsentandi*; & Abbas ibid. n. 2. *Not.* 3. Quando Barbosa in *c.* 1. *de præbend. in* 6. *n.* 2. dicit, dictæ constitutioni in eo c. 1. (quòd Episcopus posset *recusare præsentatum per Religiosos etiam exemptos*, non assignatâ præsentato congruâ portione) non esse locum, si Ecclesia, quæ in totum, & pleno Jure ad Regulares pertinent, cujus oppositum videmur dicere in præmissis; non esse contrarietatem, si advertas, quòd Barbos. ibi; ly *in totum*, *& pleno Jure*, accipiat pro eo, quòd est Jure *plenissimo*, ut patebit eum legenti, ibi: *puta, quia per illam tam quoad Jura parochialia, quàm quoad Episcopalia, & sic quoad jurisdictionem Monasterio subjiciuntur*, ex quo vides inter Authores ly *jure pleno* quandoque accipi pro jure *plenissimo*; maximè quando additur: *in totum jure pleno*, quandoque autem non ità, nimirum absque jurisdictione Episcopali.

Not. 4. quando concedimus, Episco- 3281
po facultatem in Ecclesiis Regularium, non regularibus, competere jus instituendi vicarios, intelligi, etiam si Ecclesiæ sint Regularium exemptorum, si eis non subsint jure plenissimo, ut Constat ex c. 1. de præbend. in 6. ibi: *Nos ita volentes supra hoc salubre remedium adhiberi*, præsenti decreto statuimus, & mandamus Constitutionem hujusmodi, *quoad omnes Patronos, Ecclesiarum Religiosos, tam exemptos, quàm non exemptos, & alios inviolabiliter observari, consuetudine contraria non obstante.* Si autem dicas, quòd Episcopus taliter exerceret jurisdictionem *in exemptos* contra naturam *exemptionis*, nimirum, cogendo eos ad sustentationem assignandam præsentato, aliter non instituendo. R. quod in effectu repellendo aliter præsentatos, non in ipsos præsentantes, saltem directè, sed in Ecclesiam dicatur jurisdictionem exercere; ut notat Panormitanus in c. *de Monachis* eod. *n.* 6. Advertendum autem, quòd obligatio assignandi congruam sustentationem præsentato coram instituente tunc solum procedat, si Vicarii perpetui, & instituti in dictis Ecclesiis Regularium ipsi teneantur portare onera jurium Episcopalium, ac exercere hospitalitatem; non autem si ea præstet Rector principalis, prælatus monasterii, vel ipse Patronus, ut constat ex ipso textu dict. c. 1. & Clement. 1. de qua supr.

Ex hoc habetur, dupliciter accipi 3282
congruam sustentationem præsentato assignandam à præsentante 1. prout importat præcisè victum, & vestitum 2. prout præter hæc importat etiam onera solvendi jura Episcopalia, exercendi hospitalitatem &c. Quare cum in dicto c. 1. de præbend. in 6. & Clem. 1. de jure Patronat. dicitur 1. præsentatum ab Episcopo, quoad institutionem recusari posse, si Patronus intra terminum constitutum præsentato coram instituente non

te non assignaverit *congruam sustentationem*; procedit solùm in casu sustentationis in secunda acceptione, ut liquet ex dict. 1. ibi: *Sane fuit per Sedem Apostolicam providè constitutum: ut Diœcesani locorum ad præsentationem religiosorum nullum ad aliquam Ecclesiam recipiant, nisi tantum & de proventibus ipsius Ecclesiæ coram eis fuerit assignatum, unde jura Episcopalia possint solvere, & congruam sustentationem habere*; ita Layman. in QQ. Canon. de Prælat. elect. *n.* 209. Pirhing de Jure Patron. *n.* 29. in fin.

§. 4.

An Episcopus Ecclesiam Patronatam donare, vel unire possit alteri Ecclesiæ?

3283 QUæstio procedit de casu, quo id faceret sine consensu Patroni? videtur affirmandum saltem in casu, quo id necessarium foret propter paupertatem præbendarum Ecclesiæ Cathedralis, idque ex c. *Exposuisti* 33. de præbend. Ubi, cùm Episcopus Vesprimiensis exposuisset Honorio III. quòd Ecclesiæ suæ Canonici, diminutâ ipsorum provisione, à tempore Concilii generalis cum eis *ex tunc* non fuerint ad eorum sustentationem concessæ capellæ, sicut ante fieri consvevit, de præbendarum suarum reditibus nequeunt sustentari, propter quod plures eorum eâdem Ecclesiâ relictâ in ejus servitio, *in Clericatûs* coguntur *opprobrium* aliorum se obsequiis mancipare, & simul supplicasset, ut de Capellis eisdem provisionem eorundem amplificare de Pontificia permissione liceret: Honorius rescripsit; cùm per hoc statutis ejusdem Concilii derogetur, quæ servari volumus inconcussè, te in hac parte nequivimus exaudire. Verùm, illorum paupertati paterno compatientes affectu, & tibi, prout exposcit tuæ devotionis meritum, gratiam facere cupientes, Fraternitati tuæ, de qua plenam fiduciam obtinemus, *si evidens necessitas, vel utilitas exigat, præbendas Ecclesiæ tuæ poteris de Capellis in perpetuum annectendis eisdem* (sicut discretione prævia expedire videris) *augmentare, reservatâ congruâ capellarum Presbyteris portione.*

Verùm ex hoc textu non rectè de- 3284
ducitur affirmativa; nam, licet ex speciali casu Episcopus (nimirum propter paupertatem præbendarum Ecclesiæ Cathedralis) eis annectere possit Capellas reservatâ ipsorum Presbyteris congruâ portione, ut habetur in *cit. c.* 33. ac idem etiam dicatur in Trid. *Sess.* 24. *de reform. c.* 15. ibi: *in Ecclesiis Cathedralibus, & collegiatis insignibus, ubi frequentes, adeoque tenues sunt præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui, pro loci, & personarum qualitate, non sufficiant, liceat Episcopis cum consensu Capituli, vel aliquot simplicia beneficia, non tamen Regularia, iis unire*; nullibi tamen loquitur de beneficiis, vel Capellis *patronatis, non requisito Patronorum consensu*; cùm eos nolit privare jure suo, quod tamen fieret admissâ ejusmodi unione, ut dicemus in seqq.

Advertendum præterea, quòd licet 3285
c. *Exposuisti*, pro dicto casu, concedat Episcopis unionem Capellarum *finitè*; & Tridentinum beneficiorum simplicium *indefinitè* (exceptis tamen *regularibus*) non propterea sub illa generalitate venire Capellas, & beneficia *patronata*; 2. hujusmodi unionem eo modo debere fieri, ut *singulis* præbendis singula beneficia uniantur, *non omnibus* simul indistinctè unum, aut plura; idem Steph. Grat. discept. forens. *c.* 274. *n.* 34. in fine. Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. *Gloss.* 37. *n.* 25. ubi etiam refert, Concilium loco cit. non concedere facultatem uniendi *mensæ Capitulari*, sed, *tenuibus præbendis singulorum Capitularium*, quod etiam tenent Aloys. Riccius *collect. decis. p.* 4. *collect.* 1067. *in fine*, & *in praxi rerum fori Ecclesiast. decis.* 488. *in* 1. *edit. & resol.* 379. *n.* 4. *in* 2. *edit.*

Altera probatio, quòd Episcopus be- 3286
neficia *patronata* sine consensu Patroni, etiam Ecclesiastici, non possit alteri donare, vel unire, sumitur ex c. *Suggestum.* 20. *h. t.* nam, cùm ad Pontificem delatum esset, quòd Ecclesiæ quædam, de assensu Domini fundi, auctoritate Eboracens. Episcopi, Ecclesiæ beati Petri

Eborac. concessæ, & assignatæ essent in præbendam; Canonici autem de Novoburgo concessionem illam irritare niterentur, occasione donationis, quam sibi asserunt prius factam: resolvit Pontifex: *licet in donationibus Ecclesiarum requirendus sit, & exspectandus Patronorum consensus*; quia tamen Ecclesiæ, nisi auctoritas intervenerit Pontificialis, canonicè concedi non possunt, significamus: *quòd prior concessio, si cum consensu Patroni, & auctoritate Diœcesani Episcopi facta est, aut ejus assensus fuerit postea subsecutus, posteriori concessioni præfertur, alioquin illa debet præferri, quamvis posterius facta, quæ consensu Domini fundi, & Episcopi auctoritate fulcitur.*

3287 Ex hoc textu deducunt communiter Doctores, desiderari consensum *Patroni*, ut Episcopus Ecclesiam, quæ Juris Patronatûs est, valeat donare, vel unire; Sic Rebuff. in praxi benefic. reg. 21. Cancellar. de unionib. *Gloss.* 11. *n.* 6. Azor *p.* 2. *l.* 6. *c.* 28. *q.* 12. Sanchez in Decal. *Tom.* 2. *l.* 7. *c.* 29. *n.* 168. Et ratio est, quia per talem unionem Patronus amittit jus præsentandi; quod ipso invito fieri non potest ex 16. *q.* 7. *c. Monasterium* 33. ibi: *Monasterium, vel Oratorium, Canonicè constructum, à domino Constructoris eo invito non auferatur, liceatque illi, Presbytero, cui voluerit, pro sacro officio illius diœcesis cum consensu Episcopi, ne malus existat, commendare.* Quòd desumptum est ex Romana Synodo Eugenii II. & Leonis IV. c. 21.

3288 Videtur tamen limitandum, ut consensus Patroni non desideretur, si requisitus, exhibitâ etiam manifestâ, & urgenti necessitate Ecclesiæ, nolit consentire; Sic *c. Nobis* 25. *h. t. n.* 10. quia gratia, quam Patrono facit Ecclesia, non debet eidem esse damnosa; præsertim, urgente gravi necessitate, ne in casu Patroni, non rationabiliter inviti; ejus contumacia præferatur bono Ecclesiæ, consensum ejus tam rationabili, & justa causa requirente.

3289 Dices: ergo poterit Episcopus Ecclesiam, vel beneficium patronatum alteri Ecclesiæ concedere in proprietatem, seu per modum incorporationis, ac ex reditibus Ecclesiæ patronatæ in alia Ecclesia præbendas, seu beneficia erigere sine consensu Patroni, saltem si Patronus per hoc Jus Patronatûs non amitteret, sed adhuc posset præsentare ad illud, R. hoc illatum, tam indefinitè factum, esse negandum. 1. quia Patroni interest, ne bona, & reditus Ecclesiæ patronatæ alienentur, vel uniantur, aut suppriman-tur, ideo in hoc casu se opponere potest. arg. c. *Filiis* 31. *caus.* 16. *q.* 7. Abbas in *cit. c. suggestum n.* 3.

Deinde, quia facultas Episcopo facta, quoad præsentem casum, est restricta tum per c. *Exposuisti*, tum per Trid. in n. 3284. ad solum casum, quo præbendæ Canonicorum, insufficientes ad eorum sustentationem, id exigunt evidenti necessitate, & Patroni irrationabiliter sunt inviti, ut præmisimus ex c. *suggestum.*

Præter hæc dubium est 1. an Epi- 3290
scopus possit, etiam contradicente Patrono, reditus Ecclesiæ patronatæ applicare ad utilitatem ejusdem Ecclesiæ, v. g. erigendo novum beneficium, si hoc exigat ejusdem necessitas, vel utilitas? R. quòd sic; tum quia nullum præjudicium per hoc fit Patrono, cui Jus præsentandi integrum manet; tùm quia tota ordinatio & dispositio circa bona Ecclesiæ patronatæ, non ad Patronum, sed Episcopum spectat cit. c. *Filiis.* §. *ipsis tamen*, & c. *Noverint.* 6. *caus.* 10. *q.* 1. ideoque Patronus se immiscere non debet, nisi appareat jura, & bona Ecclesiæ patronatæ alienari, perdi, aut imminui, vel in alium finem, aut usum, locum, vel personam contra institutionem transferri, Innocent. *in c.* 3. *n.* 3. *de privil.* Abb. *in cit. c. suggestum. n.* 3.

Dubium est 2. an concessio Eccle- 3291
siæ, per modum incorporationis factæ, à Patrono alteri Ecclesiæ per subsequentem Episcopi consensum ratificari, vel confirmari possit, ut saltem ex eo tempore valeat? R. quòd sic, ex dict. c. *suggestum* ibi: *significamus, quòd prior Concessio, si cum assensu Patroni, & authoritate Diœcesani Episcopi facta est, aut ejus assensus fuerit postea subsecutus, posteriori concessioni præfertur*, ubi *not.* quòd textus requirat consensum & Patroni, & Diœcesani; hoc tamen discrimine,

quòd

quòd consensum Diœcesani nominet authoritativum seu authoritatem, ut discrimen indicet inter assensum Patroni, & assensum Diœcesani, quòd in alienatione ipsius Ecclesiæ consensus Diœcesani substantialiter intervenire debeat, cùm in tali casu sit alienans principalis (ut notavimus tit. 13.) non autem assensus Patroni. Ex hoc enim fit, quòd alienatio Ecclesiæ patronatæ à Patrono facta sine authoritate Episcopi nec naturaliter valeat, dum accedat Authoritas Episcopi; secùs alienatio facta ab Episcopo facta sine assensu Patroni. Nam in 1. deficit assensus, qualiter est de substantia translationis; secùs in 2. Patronus enim in eo casu, quo una Ecclesia donatur, vel unitur alteri Ecclesiæ non est principalis contrahens, seu donans, aut uniens; & ideo etiam valet secunda Concessio Ecclesiæ facta alteri Ecclesiæ per Episcopum & Patronum, etiam obstante priori facta per Patronum solùm ex cit. c. *suggestum*; quamvis si deinde donationi factæ ab Episcopo accedat illi etiam assensus Patroni, alienatio ab Episcopo facta de jure positivo valebit etiam à principio.

3292 Dubium est 3. an in casu, quo Patronus suum Patronatum donat Episcopo intuitu Ecclesiæ Cathedralis, talis Ecclesia patronata evadat collativa? R. affirmativè, si jus præsentatum instituendi pertinebat ad eundem Episcopum, nec habeat Compatronum, quia tunc jus providendi Ecclesiæ est penes Episcopum donatarium non exspectata alterius præsentatione, vel electione; ergo est collativum. Dixi: *si jus instituendi* in tali Ecclesia sit penes ipsum donatarium; nam si pertineret ad alium, maneret patronatum, & talis Episcopus donatarius in casu vacantis Ecclesiæ deberet præsentationem illi facere, ad quem pertinet instituere præsentatos in tali Ecclesia, & admitti deberet, esto Ecclesia foret in alia Diœcesi per *c. significasti* 18. *h. t.* Dixi 2. si nec habeat *Compatronum*; nam iste non posset privari jure suo, consequenter ejus præsentatio exspectanda foret, quo stante beneficium nequit esse collativum, ex dict. supra.

§. 5.

An in Ecclesiis Patronatis, ad præsentationem Rectoris earundem præsentati possint ab Episcopo ordinari?

DE hoc agitur in *c. postulasti* 30. *h. t.* 3293 ubi cum Episcopus Aurien sis ex Innocentio III. quæsivisset, an, cùm Rectores Parochialium Ecclesiarum quosdam præsentant ad suarum Ecclesiarum titulos ordinandos, utrum electio talium ad ipsos Rectores pertineat, vel etiam ad Patronos; & si in his patronorum non est acquirendus assensus, utrum jus illis salvum maneat eligendi, ut, cùm ipsas Ecclesias vacare contigerit, intitulati hujusmodi non sint aliis præferendi? ad quod breviter R. Pontifex: *quòd per intitulationem hujusmodi nullum Patronis præjudicium generetur, quin possint alios, ad illas Ecclesias cùm vacaverint, præsentare, nisi de Patronorum processisset assensu.*

Ex hoc textu deducunt communiter, quòd, si Rector Ecclesiæ parochialis præsentet aliquos ordinandos ad titulum suæ Ecclesiæ, non requisito Patrono; & ordinentur, non præjudicet Patrono; quia ipse, cùm vacat beneficium, potest alios præsentare, relictis istis ordinatis, & titulatis, si non consenserat eorum præsentationi, & institutioni; secùs, si consensit.

Sed ex hoc plures moventur quæ- 3294 stiones 1. an Rector Ecclesiæ Parochialis *Patronatæ* possit alicui assignare in suo beneficio Parochiali *titulum, ut ad eum ordinetur*? 2. an ad ejusmodi assignationem tituli ordinatus eo ipso censeatur intitulatus, hoc est jus consecutus, ut, cùm tale beneficium vacaverit, ipse in eo aliis præferri debeat, etiam præsentatis à Patrono? Ad 1. R. nec Parochis, nec aliis beneficiatis competere ullum jus præsentandi ordinandos ad suarum Ecclesiarum, vel beneficiorum titulos; nam vel præsentarent ad titulum suæ Ecclesiæ, aut beneficii solùm *temporaliter*, vel *in perpetuum*? si *primum*? ad eum ordinari non possent; Cùm titulus ad ordines suscipiendos in ordinando debeat esse perpetuus, hoc est ad dies vitæ, suffi-

sufficiens pro decente sustentatione ad eum ordinati, ut constat ex *l.* 1. *tit.* 11. *si secundum?* distinguendum est, an beneficium sit *collativum?* an patronatum? *si patronatum?* sicut id non potest Episcopus sine consensu Patroni, ut dictum est in præced; Sic à fortiore jure non poterit Parochus, vel alius Beneficiatus. *Si collativum?* poterit solùm de consensu Collatoris, quo casu præsentans, dum vivit, tenebitur ei alimenta præstare ex suo beneficio, ad cujus titulum de consensu Collatoris præsentatus est ordinatus.

3295 Dices in c. *Postulasti*, non negatur Ecclesiarum Parochialium Rectoribus jus præsentandi ordinandos *ad titulum* suarum Ecclesiarum; sed solùm dicitur, quòd, ubi consensus Patroni requiritur, talis intitulatio, sine Patroni consensu facta, non præjudicet Patronis, ut, cùm Ecclesia Patronata vacaverit, ordinatus ad titulum illius Ecclesiæ, debeat præferri præsentatis à Patrono; ergo non debet illis negari jus præsentandi ordinandos *ad titulum* suæ Ecclesiæ salvo saltem jure Patronorum? R. 1. dato anteced. N. conseq. quia vel darent titulum *perpetuum cum consensu Patroni?* & hoc non negamus; vel *sine consensu Patroni?* & hoc nec Episcopi possunt ex N. priori, vel solùm *temporalem?* & insufficiens est pro ordinibus, ut jam dictum est. R. 2. dato anteced. N. conseq. quia ex hoc, quòd *ibi* non negatur beneficiatis hoc jus, non sequitur esse concessum; nam de hoc (*an id jure possint Parochi?*) non fuit quæstio proposita; sed, an *si Rectores Ecclesiarum aliquos præsentent* (non *de jure*, quod nullum ipsis tribuitur, ut rectè notat Wagnerek. in c. *Postulasti* 30. h. t.) sed *de facto, & ad ejusmodi titulum ordinatus, per ejusmodi intitulationem Patronis generet præjudicium, quin possint Ecclesiâ vacante alios præsentare?* & ad hoc respondit Pontifex, *quòd non*, nisi Patronus consenserit; ergo ex hoc c. non probatur intentum. An autem talis præsentatio à Parochis facta etiam de consensu Patronorum hodie, & post Constitutionem Innocentii XI. sufficiat ad recipiendos Ordines, exposuimus l. 1. tit. 11.

Ex hoc colligitur etiam responsio ad 3296
secundum nempe Clericum à Parocho præsentatum pro Ordinibus ad titulum sui beneficii, in quo talis Parochus intitulatus est, etiam secutâ ordinatione, non intitulari, seu obtinere titulum *perpetuum* in eo beneficio sine consensu Patroni, quando is de jure necessarius est; nam in casu, quo tale beneficium vacat, non ipse ad eum titulum ordinatus, sed is, quem Patronus præsentaverit, præferri debet, ut decisum est in dict. c. *Postulasti*, de quo n. 3293. cujus ratio est ex dictis; quia nec Parochus, nec Beneficiatus ad titulum beneficii patronati præsentando, nec Episcopus ad ejusmodi titulum ordinando, potuit illi Jus ullum in eo beneficio constituere sine Patroni consensu ex n. cit.

Dices 2. ex dicta responsione Ponti- 3297
ficis saltem sequitur, quòd Parochi, aliique Beneficiati possint præsentare Clericos ordinandos ad titulum sui beneficii, quando nullum sit præjudicium Patronis; nam cùm Episcopus Aurienſis duo Pontifici proposuisset. 1. Utrum Rectores Parochialium Ecclesiarum quosdam præsentare possint ad titulos suarum Ecclesiarum ordinandos, etiam non requisitis Patronis? 2. si in his Patronorum Consensus non sit requirendus, utrum illis Jus eligendi, sive præsentandi salvum maneat, ita, ut cùm ipsas Ecclesias vacare contigerit, hujusmodi intitulati non sint aliis, quos Patroni præsentaverint, præferendi? Ad primam quæstionem Papa directè non respondet (ut notat Gloss. hìc in casu), ad secundam vero ait, per intitulationem hujusmodi nullum Patronis præjudicium generari, quin possint alios, ad Ecclesias illas, cùm vacaverint, præsentare, quos volunt, nisi illi cum assensu Patronorum intitulati fuissent, sive ad titulum beneficii ordinati, atqui per hoc etiam tacitè, ac indirectè est responsum, quòd nimirum Clerici possint validè, ac licitè præsentari à Parocho, vel alio Beneficiato ad titulum sui beneficii, etiamsi illud *patronatum* sit, etiam Patrono irrequisito, sine præjudicio tamen ejusdem, quoad jus præsentandi alium ad beneficium.

Gloss.

Gloss. hìc V. *utrùm electio*, ergo; sic Pirhing. de Jure Patronatûs n. 126.

3298 R. In hac objectione multa posse considerari, quæ ambigua sunt. 1. an beneficiati possint talem præsentationem facere *jure*, vel tantum *facto*? 2. an ea, quam jure facere possunt, sufficiat ad titulum pro recipiendis Ordinibus? 3. solùm an ex suppositione, si facerent, etiam solo facto, & ordinatio sequeretur, manente nihilominus salvo Jure Patronorum, taliter ordinati præferri deberent præsentatis à Patrono in casu vacantis Ecclesiæ, quando Patroni consensus non requiritur ad talem præsentationem? 4. an si necessarius foret? quibus positis ad 1. R. Beneficiatos posse in suis beneficiis assignare alteri Clerico ordinando titulum congruæ sustentationis ex suis beneficiis, sed tantùm *ad tempus*, quo ipsi habent tale beneficium; ne plus juris in alterum transferant, quam ipsi habeant; cùm ergo beneficiati nullum jus habeant gravandi beneficia, onere duraturo etiam post ipsorum vitam; non poterunt ejusmodi Clericis constituere jus alimentorum ex fructibus beneficii pro casu, quo *ipsi* non habent beneficium; at ponuntur habere solùm ad dies vitæ: ergo. Et ideo talis Clericus, ad ejusmodi titulum ordinatus, non habet sibi obligatum *beneficium*, sed *beneficiatum*, à quo præsentatus est ad ordines ex tali titulo; ubi onus solùm incumbit fructibus cæteroquin competentibus beneficiato.

3299 Ad 2. R. quòd titulus alimentorum recipiendorum ex beneficio, quem beneficiatus in suo beneficio alteri dare potest ad ordines, sit solùm *ad tempus vitæ præsentantis*; non autem *ad dies vitæ ordinandi* ad eum titulum, secluso alio supplente, quo deficiente non est assignatus titulus, quo ad dies vitæ ordinatus habeat alimenta, talem titulum non esse sufficientem ad recipiendos ordines, nisi ordinans in casu defectûs illius se obliget ad præbendam ordinato sustentationem, dum ei de beneficio provisum sit in titulum; ut alibi pluribus exposuimus. Ad 3. jam constat ex *n.* 3293. Nam ex suppositione, quòd beneficiatus ex consensu Patroni præsentaret aliquem facto, non jure, ad titulum sui beneficii ordinandum, & Episcopus eum ad talem titulum ordinaret; ad huc ista intitulatio nullum Patrono præjudicium potest facere, ut constat ex ipso textu in *n.* 3293. quibus positis:

Ad object. in *n.* 3297. R. cum dist. 3300 sequelæ: ex dicta responsione Pontificis saltem sequitur, quòd Parochi aliique beneficiati possint præsentare Clericos ordinandos ad titulum sui beneficii, quando nullum sit præjudicium Patronis, titulo non sufficiente ad Ordines recipiendos C. titulo sufficiente N. seq. Nam Beneficiatus non potest gravare beneficium suum disponendo de fructibus ejus, ultra dies vitæ suæ, vel tempus, quo illud habet. Ad prob. N. quòd ab Episcopo Aurienſi prima illa quæstio (*an Beneficiati possint aliis in suo beneficio constituere titulum pro ordinibus*) proposita fuerit; quærebat enim solùm, *an, si facerent inconsulto Patrono, tales Clerici propter talem intitulationem in casu vacantis beneficii essent præferendi præsentatis à Patrono, qui non consentit in ejusmodi intitulationem.* Deinde, datâ, seu permissâ ma. dist. min. atqui per hoc etiam tacitè, ac indirectè responsum est, quòd Clerici possint validè ac licitè præsentari, à beneficiato, ad titulum beneficii solùm temporalem, seu ad dies vitæ præsentantis, si illud patronatum sit, etiam irrequisito Patrono, sine præjudicio tamen ejusdem, quoad Jus præsentandi alium Clericum transeat; at titulum sui beneficii *perpetuum*. N. min. ac ejus suppositum, quòd hac intitulatione Patrono non fieret præjudicium; sic enim illo jam intitulato in perpetuum, ac vivente, inanis foret præsentatio alterius facta à Patrono, cùm non possint duo simul in eodem esse intitulati.

§. 6.

An possit Episcopus Conditiones beneficii patronati mutare?

LOquimur de qualitatibus & condi- 3301 tionibus in prima fundatione appositis, & legitima superioris Ecclesiastici potestate admissis. Circa præsentem quæstionem statuitur in c. *Tua*, 17. *de Testa-*

Testament. dicitur ad Episcopos spectare, in omnibus piis voluntatibus, provisionem, ut *secundùm defuncti voluntatem* universa procedant, licet etiam à Testatoribus id contingeret interdici; ac executiones testamentorum, monitione prævia compellere, ut bona ipsa, in pios usus relicta, fideliter & plenè expendant.

3302 Deinde in Clement. *Quia contingit* 2. de Relig. domib. Clemens V. statuit, ut ea, quæ ad certum usum piis locis largitione sunt destinata fidelium, *ad illum* debeant, *non ad alium* (salvâ quidem Sedis Apostolicæ authoritate) converti. In Trident. etiam *Sess. 25. de reform. c. 5.* dicitur: *ratio postulat, ut illis, quæ bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur: quando igitur ex beneficiorum quorumcunque erectione, seu fundatione, aut aliis Constitutionibus, qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta in beneficiorum collatione, seu in quacunque alia dispositione, eis non derogetur.* Idem in præbendis Theologalibus, Magistralibus, Doctoralibus, aut Presbyteralibus, Diaconalibus, aut Subdiaconalibus, quandocunque ita constituta fuerint, observetur, *ut eorum qualitatibus, vel Ordinibus nihil in ulla provisione detrahatur, & aliter facta provisio subreptitia censeatur*; ita Concilium.

3303 Ex his juribus deducitur 1. quòd Ordinarii locorum, vel alii, qui certis locis iis præsunt, non possint qualitates, vel conditiones onerum in fundationibus eorum, etiam cum consensu eorum, qui Fundatori succedunt, vel in totum, vel etiam in partem mutare, quòd intellige, si, & quamdiu observari possunt immutatæ, propter dicenda in seqq. Nam, ut rectè loquitur Tridentinum, *ipsa ratio, & naturalis æquitas postulat*, ut piæ Fidelium voluntates, *ubi*, & *quamdiu possunt*, fideliter impleantur, & quæ bene constituta sunt, contrariis Ordinationibus non detrahatur, nec in alium usum, quàm eum, ad quem largitione fidelium destinata sunt, impendantur, ut habetur in cit. Clement. 2. ubi excipitur solus Summus Pontifex; ex qua exceptione habetur, soli Romano Pontifici licere pias defunctorum voluntates commutare, sic Tiraquell. de Privileg. causæ piæ, Privileg. 135. & complures alii, quos citat, & sequitur Barbosa *p. 3. alleg. 83. à n. 1.*

Deducitur 2. quòd, si provisio be- 3304
neficii devolvatur ad Superiorem, ab hoc in provisione debeant servari omnes qualitates, & conditiones beneficio in ejus fundatione appositas, & admissas; nam beneficium devolvitur cum suo onere, nec devolutione mutari possunt ejus conditiones, & qualitates sine Authoritate Sedis Apostolicæ, sic Seraphim Decis. 1363. à n. 1. & alii. Hinc, si in fundatione statutum est, ut minor, etiam 14. annis, tale beneficium obtinere valeat, illi standum est; & huic qualitati in fundatione beneficii appositæ non esse derogatum per Decretum Concilii Trident. Sess. 23. de Reform. c. 6. (ubi dicitur: *Nullus primâ tonsurâ initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus, ante decimum quartum annum, beneficium possit obtinere*) tradunt Gonzalez *ad 8. reg. Cancell. Gloss. 5. n. 91.* Aloys. Riccius. Navarr. & alii, quos citat & sequitur Barbosa in *cit. c. 6. n. 7.*

Deducitur 3. quòd, post Triden- 3305
tinum dispensare non possit Episcopus, etiam de consensu eorum, qui Fundatori defuncto successerunt in Patronatu, ut minor 25. annis, non *Sacerdos* obtineat Capellam, etiam simplicem, ad quam ex fundatione præsentandus est *Sacerdos*, sic Garcia *p. 7. de benefic. c. 1. à n. 93.* sed & illud ex iisdem juribus rectè deducitur, quòd Beneficiati nec ab Episcopo, nec à Patronis successoribus cogi possint ad sustinenda onera, quæ in fundatione, vel institutione non sunt imposita; sic enim esse decisum à Sacra Congregatione in una Cremonensi refert Aldanus in *Compend. Canonic. resol. l. 2. tit. 25. n. 16.* Et ratio est ex præmissis juribus, quibus nulli, nisi Summo Pontifici conceditur aliqua mutatio in his, quæ in prima fundatione constituta sunt.

Deducitur 4. ubicunque dispositio 3306
defuncti certa est respectu causæ, personæ, loci, temporis &c. illam ab Episcopo alterari non posse; sequitur ex dict. & habetur in c. *Ultima. 13. q. 2.* ubi Gregorius Pontifex: *Ultima*, inquit, *voluntas defuncti, modis omnibus conservari debet*;

debet; & L. 1. C. de sanctiss. Eccles. ita Layman. l. 4. Summæ, *tr.* 2. *c.* 13. *q.* 6. *n.* 13. Sed hæc intelligenda sunt, quando, quæ in fundatione constituta sunt, etiam deinceps observari possunt; nam interdum, quæ ante complures annos congruè fieri poterant, lapsu temporis, & mutatis circumstantiis, ægrè præstari possunt, aut à Successoribus observari, præsertim si pro illis oneribus tam tenues proventus sint, ut non facilè inveniatur, qui velit se huic muneri subjicere, aut obligationum numerus sic excreverit, ut non possit sigillatim omnibus satisfieri.

3307 Hanc difficultatem animadvertens, Tridentinum *Sess. 25. de reform. c. 4.* sic loquitur: *Contingit sæpe in quibusdam Ecclesiis, vel tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impositum esse, ut illis pro singulis diebus à testatoribus præscriptis, nequeat satisfieri, vel eleemosynam hujusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem esse, ut non facilè inveniatur, qui velit huic se muneri subjicere; unde depereunt piæ testantium voluntates, & eorum conscientias, ad quos prædicta spectant, onerandi occasio datur: Sancta synodus* (cupiens hæc ad pios usus relicta, quo plenius, & utilius potest impleri,) *facultatem dat Episcopis*, ut in Synodo Diœcesana; itemque *Abbatibus*, & *Generalibus Ordinum*, ut in suis Capitulis generalibus, re diligenter perspectâ, *possint pro sua conscientia in prædictis Ecclesiis*, quas hac provisione indigere cognoverint, *statuere circa hæc, quid quid magis ad DEI honorem, & cultum, atque Ecclesiarum utilitatem viderint expedire, ita tamen, ut eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ea ad pios usus reliquerunt.*

3308 Ex hoc decreto, posse Episcopum, justâ tamen interveniente causa, reducere numerum anniversariorum, & officiorum pro defunctis, referunt decisum Quaranta in summa Bullarii. V. *Missa. pag.* 291. aliàs. 402. Galet. in Margarita casuum conscient. V. *Missa.* 4. Piasec. in praxi Episcop. *p.* 2. *c.* 13. *n.* 15. in fine. Aloysius Riccius *d. resolut.* 341. *n.* 2. Moneta, de commut. ultim. volunt. *c.* 5. *n.* 367. Barbos. *d. alleg.* 26. *n.* 4. Nicol. Garcia de benefic. *p.* 7. *c.* 1. *n.* 131. Similiter posse reducere numerum Missarum, & anniversariorum, non modò, quæ præscribuntur in testamentis, & aliis similibus dispositionibus causa mortis, sed etiam, quæ in donationibus, & aliis actibus inter vivos, resolvit Barbosa *p.* 2. de officio & potest. Episcopi allegat. 29. *n.* 9. & anniversaria in totidem Missas commutare posse Episcopum ex facultate illi à Concilio in præsenti attributa, tradunt Ugol. de officio Episcopi *c.* 61. *n.* 1.

In hac materia propter innumeras 3309
declarationes, quas super hoc decreto afferunt authores, ut videri potest apud Barbos. in dict. *Sess.* 25. *c.* 4. Difficile est aliquid certum statuere, Doctoribus, in diversas opiniones decedentibus; accedente quoque declaratione novissima Congreg. Card. super dubiis Concilii Trident. sub Urbano VIII. & cum ejusdem approbatione publicata, quam refert Barbosa in dict. *c.* 4. *àn.* 14. ubi primò districtè prohibet, ac interdicit, *ne Episcopus in Diœcesana synodo*, aut *Generales in Capitulis generalibus, vel aliàs, quomodolibet reducant onera illa Missarum celebrandarum, aut post idem Concil. imposita, aut in limine fundationis*; sed *pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apost. Sedem recurratur*, quæ re diligenter perspecta id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur, alioquin reductiones vel moderationes, & commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit.

Secundò, ne in Ecclesiis, in quibus 3310
onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo tepidiores, & segniores reddantur, quòd onera hujusmodi, cùm nulla, aut parva sint utilitate conjuncta, statuit, atque decernit, ut pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac locis omnibus tam secularibus, quàm Regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum ab iis, ad quos pertinet, *sub pœna interdicti*

ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, à die realis acquisitionis statim deponi debeant, penes ædem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium, quàm primùm investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur, ac si eadem bona immobilia, Auctoritate Apostolicâ deinceps alienari contigerit, eorundem pretium sub eadem pœna, ut supra, deponi, ac in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum ejusdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat.

3311 Tertiò quibusvis Capitulis, Collegiis, Societatibus, & Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, locorum, tam secularium, quàm Regularium Superioribus, vel aliis, ad quos pertinet, districtè prohibet, *ne imposterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum.* Seculares verò *sine Episcopi, seu ejus Generalis Vicarii*; Regulares verò *sine Generalis, vel Provincialis consensu, & licentia*, in scriptis, & gratis concedenda; alioquin, si secularis hujusmodi prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso; Regularis verò pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ, & passivæ, absque ulla declaratione incurrat.

3312 Quartò, quòd eleemosynas manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis, ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis, ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, & Capsulas auferant ab Ecclesiis cum scriptione illa: *Eleemosyna pro Missis*, vel alia simili, sub eisdem pœnis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur.

3313 Quintò præcipit, ut Episcopus, vel ejus Vicarius, aut Generalis, seu Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant, de singulis Missarum celebrandarum obligationibus, cuique Ecclesiæ, Monasterio, aut loco pio incumbentibus, ne ante assensum hujusmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè constiterit illius Sacerdotes tam novo oneri suscipiendo, quàm antiquis jam susceptis satisfacere posse, præcipuamque rationem habeant; ut reditus qui Ecclesiis, aut locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adjunctis, secundum morem cujusque Civitatis, intelligantque, si in re tanti momenti, desides, aut negligentes fuerint, in novissimo die, se hujus prætermissi muneris rationem esse reddituros. Hactenus Sacra Congregatio cum ampliſſima derogatione, &c. quam ad literam refert Barthol. à S. Fausto in *tr. de suffrag. post q.* 91.

Ex his deducitur 1. potestatem Epi- 3314
scoporum, & Generalium Ordinum in dicto Tridentini Decreto fuisse restrictam, ut sine recursu ad Sedem Apostolicam non possint validè reducere, vel constringere onera Missarum celebranda, quæ imposita sunt post Concilium Trid. aut in limine fundationis, ut habetur n. 3307. & sic etiam tradunt Piascecius in praxi *p. 2. c.* 3. *n.* 31. Diana *p.* 1. *resol. moral. de celebrat. Missar. resol.* 1. Garcia *de benefic. p.* 7. *c.* 1. *n.* 131. & alii.

Deducitur 2. quòd Prælati & Superio- 3315
res regulares non possint diminuere votivas Missas, vel pro defunctis, quæ justis stipendiis à particularibus personis petuntur, sine ipsarum consensu, quibus debentur, nam in his verè obligantur ex stricta justitiâ ad præstandam obligationem natam ex contractu utrinque oneroso; sic complures apud Barbosam in *dict. c.* 4. *Trid. n.* 9. Hinc, si contingeret, recipiendo novas eleemosynas manuales impediri solutionem debiti prioris, seu, ut prioribus obligationibus, prout conventum est, satisfieri non possit, illicita omnino foret, & contra justitiam talis receptio; nam debitor ex justitia, ex eadem virtute prohibetur non apponere impedimentum incompossibile cum eo, ad quod ex justitia tenetur; & sic decisum esse à Sacra Congreg. approbante Urbano III. constat ex n. 3309. & seq.

Not. præterea dictam facultatem Or- 3316
dinariorum, & Prælatorum Ordinum, quæ ipsis in decreto Tridentini, de quo *n.* 3307. concessa est, intelligendam esse, de reducendis oneribus Missarum *ante* Concilium Tridentinum impositis, ut tradit

tradit Diana *cit. resol.* 2. Barbos. *cit. n.* 11. & alii apud eum relati. Et quoniam sæpe contingit, quòd antiquis temporibus, à Testatoribus, Ecclesiis data sint bona quædam, ex quibus annui fructus tunc sufficiebant, ut ea onera commodè præstari possent ab Ecclesiarum Rectoribus; nunc autem revera planè non sufficiant, imò, qui peragere velit, vix inveniatur, quandoque etiam sine damno non possit, imò fundum, pratum, vel vineam Ecclesiæ sub tali onere datum; Fundatorum hæredibus restituere malit, quo illorum memoria, & pia intentio penitus interiret: non videtur dubitandum, adesse justam causam restringendi numerum talium onerum, secundùm quod proventus bonorum minus sufficientes evaserunt.

3317 Legi supplicationem cujusdam Parochi, datam ad Ordinarium, qua reductionem plurium onerum petebat, quæ incumbebant suæ Ecclesiæ annuatim præstanda, v. g. ut in pervigilio anniversarii fieret officium defunctorum, cum processione circa Ecclesiam, ipso die, celebraretur solennis Missa, invitarentur vicini Parochi, à divinis daretur illis mensa &c. &c. Cùm tamen reditus ad ea tenues habeat, ut pro uno vix venirent 10. cruciferi, ædituo, & Musicis minus, &c. In tali casu, cùm mallet hæredibus reddere fundum sub hoc onere datum, quàm ea, (cùm non posset sine suo detrimento) videbatur merito restringi posse, vel ad unam duntaxat Missam simplicem; vel, si pluries ea onera per annum iteranda forent, ad numerum mitiorem, sic tamen, ut in hujusmodi numero Missarum, seu anniversariorum facienda semper sit commemoratio eorum defunctorum, qui pro suarum animarum salute talia legata ad pios usus reliquerunt, ut dicitur in textu *cit. c.* 4. *in n.* 3307. quamvis Vgolinus de offic. Episcopi *p.* 2. *c.* 61. *n.* 1. dicat, dictæ commemorationi satisfieri posse, vel in *Collectis*, vel in *memento*; quod tamen videtur intelligendum, si tunc Missa non admitteret commemorationem, quæ per consuetas Ecclesiæ orationes pro defunctis dici solent: sic enim decet Ecclesiæ fidelitatem in recognitione datorum à defunctis Fundatoribus.

ARTICULUS XIII.

Quibus modis Jus Patronatus amittatur, vel extinguatur?

REsp. id posse contingere diversis mo- 3318
dis, & 1. Si Patronus ipse, juri sibi competenti renuntiet; tunc enim talis Ecclesia fit libera, ut colligitur ex *c.* 1. *h. t. in* 6. quod etiam ex eodem deducitur, si alteri jus suum liberè cedat; nam in primo casu extinguitur; in secundo autem, desinit in Cedente, & transit in Cessionarium, ubi etiam notandum, posse Patronum, vel ejus in Patronatu successorem, etiam remittere alias conditiones in suum Patroni favorem, cum consensu Ordinarii appositas in fundatione, vel dotatione, aut constructione Ecclesiæ, non tamen appositas in favorem divini cultûs, aut totius familiæ; licet enim præjudicare possit juri in suum; non tamen, in favorem aliorum indulto.

Secundò amittitur Jus Patronatus, 3319
quando de consensu Patroni Ecclesia *patronata* transit in *electivam*; nam tali casu locus esse non potest exercitio patronatûs, seu præsentationi, sed electioni, ad quam Patronus, dando activè suffragium, Jure Patronatûs se immittere non potest, quamvis, si ei concedatur, in tractatu electionis partes suas interponere valeat, ut habetur c. *Nobis.* 25. *h. t.* ibi: *Cæterùm in Conventuali Ecclesia non electioni Prælati faciendæ, sed jam factæ honestius Patroni postulatur assensus; nisi aliter de sua jurisdictione obtineat, ut partes suas interponere debeat electioni tractandæ.*

Tertiò amittitur, si Ecclesia Patrona- 3320
ta *accessoriè* uniatur Ecclesiæ non patronatæ, sed v. g. *electivæ*; Nam Ecclesia accessoriè unita alteri ut dicemus in seqq. perdit suas qualitates, & transit in eas, quas habet altera; at ubi Ecclesia, cui sic unita est, non admittit præsentationem, sed electionem, nec taliter unita illam admittet, & ubi locus relatè ad aliquam electionem non est præsentationi, nec locus est Patronatui: ergo. Sic Joann. Andr. *in c.* 2. de Relig. Domib.

Quartò si Ecclesia Patronata sic de- 3321
struatur, ut non amplius sit usui pro celebrandis inibi divinis, nec spes sit reædificationis; quia sic habetur tanquam non

ens, cujus nullæ sunt qualitates; ita Zoësius *h. t. n.* 68. Unde si alius talem Ecclesiam suis sumptibus repararet, & in ea sibi Jus Patronatûs de consensu Episcopi reservaret, reparanti Ecclesiam Jus Patronatus acquiretur; neque per hoc priori Patrono injuria ficret; nam iste in rem non amplius existentem nullum Jus habet. Venit autem hoc intelligendum de reparante Ecclesiam collapsam, hoc est penitus destructam; si enim fieret reparatio tantùm unius partis destructæ, primo Patrono jus suum non interiisset in re adhuc simpliciter extante.

3322 Quintò si Patronus non præsentavit justo impedimento cessante, & ipso sciente, ac patiente, Rector Ecclesiæ illi datus est, nullo præsentante; nam tali casu Ecclesia per ejusmodi usum & exercitium acquisivit Jus liberæ collationis; cùm præsumi meritò ex hoc possit, Patronum Jus suum dereliquisse. Sextò extinguitur extinctâ familiâ, seu agnatis, quando concessum est tali familiæ solùm, & agnatis, tum enim deficit subjectum.

3323 Septimò extinguitur per crimen, quod commisit Patronus circa personam Rectoris, quem per se, aut per alium occidere, aut mutilare præsumpsit c. *penult. inf. de pœnis.* Quo casu ad Ecclesiam revertitur Jus Patronatûs, aut extinguitur potius, ipsâ Ecclesiâ manente libera, ut hæredibus Patroni nihil juris supersit, quod prætendant: meretur enim factum hoc Patroni, ut cum sua posteritate excludatur, indignus, qui à loco, in quem commisit, beneficium exspectet. Huic Zoësius cit. n. 68. annumerat casum, quo quis Jus Patronatûs simoniacè acquisivit, per c. *Quia Clerici. 6. h. t.* ibi: *præcipimus, ut id arctius inhibere procures; eosdem advocationibus, taliter acquisitis, appellatione postpositâ, spoliando.* Posset tamen dici, nunquam istis tale Jus acquisitum esse, & illam privationem intelligi, de ablatione Juris, quod ejusmodi Clerici habuerunt *solo facto*, non jure.

3324 Octavò, Patronus amittit Jus Patronatus lapsu in hæresim, cùm hæretici exuantur omnibus Privilegiis, actionibus &c. &c. per c. *Excommunicamus.* 13. *§. Credentes. de hæret.* quod maximè procedit de gratiis, quas obtinuerunt ab Ecclesia, cùm tales etiam exuantur temporalibus per eorum confiscationem, c. *Cùm secundum* 19. *eod. in 6.* & quoniam pœnitentia non tollit pœnam inflictam ipso Jure; nec, cùm abjurata hæresi redeunt ad sanam mentem, Patronatum recuperant; sic Zoësius cit. n. 69. & alii communiter.

ARTICULUS XIV.

Qua ratione Jus Patronatus probandum sit?

Cùm sæpe controversum sit, an hic, vel 3325
ille ad beneficiorum præsentationem admittendus sit? quovis eorum asserente, Patronatum sibi, non alteri competere, multique sibi eum arrogent, quandoque non jure, sed facto, & usurpatione, nulla etiam probabili ratione fundati, nisi communi voce, *sic semper fecimus*; Concilium Tridentinum malis hisce medelam statuens, ad præsentem quæstionem respondit Sess. 25. de Reform. c. 9. in hæc verba: Decernit Sancta Synodus, ut titulus Juris Patronatus probandus sit *ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, & aliis jure requisitis ostenditur, sive etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasve secundùm Juris dispositionem: in iis verò personis, seu Communitatibus*, vel Universitatibus, in quibus id Jus plerumque ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, plenior & exactior probatio, ad docendum verum titulum, requiratur; nec immemorialis temporis probatio aliter eis suffragetur, quàm si præter reliqua ad eam necessaria præsentationes etiam continuatæ non minori saltem, quàm quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint; authenticis scripturis probentur.

Ex hoc textu Tridentini colligitur 3326
1. quòd Concilium assignet triplicem titulum, unde quis probet Jus Patronatus sibi competens; primo scilicet per authenticum documentum, & alia de jure requisita; 2. probando titulum fundationis, extructionis, vel dotationis; 3. ex continuatis præsentationibus per immemoriale tempus; & hi tres modi probandi videntur exigi, cùm *privatis personis* incumbit onus probandi Patronatum sibi competere; nam in his non præsumitur usurpatio, sicut contingit, quando agitur de Patronatu *Magnatum*, & *Communitatum*

tatum, seu *Universitatum*; & ideo ipsum Concilium distinguit probationem faciendam pro Patronatu particularium personarum, à probatione pro Patronatu Magnatum, & Communitatum, in quibus illud jus plerumque, ex usurpatione potius quæsitum præsumi solet, propter quod in privatis plenior, & exactior probatio veri tituli exigitur. Jus porrò ex *usurpatione* quærere, teste Budæo apud Pereyram in Elucidario *n.* 732. est *capere possessionem*, qui *n.* 933. ait: *Usurpare*, apud latinos idem esse, ac *in frequenti usu habere*, *sive verbis*, *sive factis*; ac apud Juristas (quando sumitur in bonam partem) esse idem, quod est usucapio *L.* 2. *ff.* de injuriis; quamvis (si accipiatur in malam partem) denotet *aliquid contra jus*, *usum & consuetudinem invadere*; quibus præmissis:

§. 1.
De Probatione per Documentum authenticum.

3327 PRima quæstio est, quid veniat nomine *authentici documenti?* ante responsionem not. quòd nomine authentici documenti veniat publica scriptura duorum, vel trium testium subscriptione, vel præsentia confecta per manum publicam, cuique necessariò fides adhibetur. Gloss. in c. 1. de fide instrum. de quo plura diximus l. 2. tit. cit. de fide instrumentorum. *Not.* 2. in præsenti materia sub nomine *authenticæ scripturæ* venire consensum Episcopi in scriptis concessum, ad fundandam, construendam, vel dotandam Ecclesiam, quâ posita consequuntur jura, quæ beneficio Ecclesiæ, Fundatoribus ejusmodi, Constructoribus, vel Dotatoribus Ecclesiarum conceduntur; sic relato Aloysio Riccio in praxi fori Eccles. res. 125. tradit Barbos. 3. *p.* de potest. Episc. *alleg.* 72. *n.* 24.

3328 *Not.* 3. si fortè non amplius haberi posset originalis, seu authentica Scriptura, jussu Episcopi in eum finem confecta, sed solùm illius exemplar, seu transumptum, opus omninò esse, ut, si per id exhibitor fidem facere, ac debitam probationem præstare cupiat, habeat omnia ad id, de jure requisita; de quibus egimus *l.* 2. *cit. tit.* de fide instrument. nimirum, ut sit authoritate Judicis extractum cum citatione illorum, quorum interest, & cum originali sit recognitum, si de ipsius fide dubitaretur, & illud haberi posset, de quo plura remissivè ad loc. cit. his positis:

Dubitatio est, an sola *Scriptura authentica* in dicto Decreto Tridentini nomine *authentici Documenti* veniat? videtur negandum ex eo, quia Concilium notanter non fuit usum verbo *instrumenti*, sed *documenti*, at nomine *documenti* quælibet probationes comprehensæ sunt, quibus de veritate docemur, ut videtur sentire Glossa in c. 1. *de exception. in* 6. V. *Documentum per tex.* ibi: *probare valeant apertissimis documentis*; sic Garcia *p.* 5. *c.* 9. *n.* 113. at dicendum in eo Decreto *documentum* non accipi generaliter pro qualibet probatione, docente veritatem, sed restrictè pro *authentico instrumento*, seu scriptura, cujus ratio est; quia si verbum *documento*, sumeretur generaliter pro qualibet probatione, nullum haberent effectum distinctum reliqua verba, quibus exponit Concilium alios modos probandi Patronatum *per multiplicatas præsentationes*, &c. sed admitti non potest, hæc verba nihil operari, seu non habere distinctum effectum, ergo. 3329

Altera quæstio est, qualiter privari *ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum*, qui excedat hominum memoriam rectè probent Patronatum sibi competere titulo fundationis, constructionis, vel dotationis Ecclesiæ? In hoc enim dubitari potest 1. quod præsentationes factas probare debeant, ut verificetur verbum: *multiplicatis præsentationibus*? 2. ut verificetur tempus immemoriale? ad 1. censent aliqui verificari ea verba, si probent factas præsentationes saltem *duas*, quia *multiplex* verificatur etiam duobus; ita Riccius in praxi, resol. 127. Barbosa *p.* 3. *alleg.* 72. *n.* 31. Sed requiri plures ex mente Concilii, probabilius est; quia Concilium non petit multiplicatas præsentationes utcunque (hoc enim verificari posset per præsentationes etiam plures intra 4. vel 6. annos, si intra hoc tempus beneficiati obiissent) sed exigit, ut multiplicata sit *cum ea quantitate temporis*, quæ hominum memoriam excedat; quæ quantitas ex communi sensu centenaria est; in tanto autem tempore vix contingit, quòd præsentatio tantùm 3330

semel,

semel, vel bis facta sit; videtur ergo rectius exigi, factas esse plures, quàm tantùm duas; Sic Menoch. de arbitr. casu 2. Farinac. in praxi crim. *q.* 47. *n.* 112. & alii.

3331 Ad 2. R. ut illud *immemoriale* probetur, non requiri, quòd in ejus probatione per scripturam v. g. in ea fiat mentio tituli (Fundationis, Constructionis &c.) ex quo fecerint multiplicatas præsentationes; nam ex immemoriali tempore præsumitur; nec etiam, quòd probetur initium præsentationum; Sed solùm *immemorialitas*, seu quòd non sit memoria in contrarium; unde si per scripturas probari possit per centum, & plures annos præsentationes constanter factas à talibus privatis, indirectè saltem sufficienter probata erit immemorialitas; nam sic saltem tacitè innuitur non esse memoriam in contrarium; qualiter censetur probata, si testes, saltem quadragenarii deponant, à tempore quo ipsi vivunt, usque ad tempus motæ litis, continuatas esse præsentationes ab istis, insuperque à suis majoribus se accepisse, etiam antecedenter sic ab iisdem practicatum esse, modò non constet principium fuisse vitiosum, & usum illum, & exercitium præsentandi nullo titulo; ubi enim constaret de nullitate tituli, cadit præsumptio instituendi etiam pro temporis immemorialitate. V. Covar. *ad reg. possessor. p.* 2. *§.* 3. *n.* 7. & alii apud Barbos. *in Trid. Sess.* 25. *de Reform. c.* 9. *n.* 16.

§. 2.

De Probatione per alia media secundùm Juris dispositionem.

3332 Post primum modum, quo privati probare possunt titulum Patronatus ex fundatione, constructione vel dotatione Ecclesiæ, qui fit per authenticum documentum, ut exposuimus §. præced. subjungit Concilium hæc verba: *& aliis de jure requisitis ostendi*; quo innuitur, à privatis (prout nimirum privatus quis dicitur relatè ad Magnates, & Communitates, ut colligitur ex textu in *n.* 3325.) titulum Patronatus ex illis tribus capitibus, vel uno eorum sibi competentem, probari posse etiam omnibus illis modis, quibus aliàs probatio recipitur à jure. Multis igitur modis probatio à personis privatis, & in quas usurpationis præsumptio non cadit, probari potest ille titulus; cùm, ut ostendunt citata Concilii verba, in illis quoad hujusmodi probationem nihil alteraverit, ut tradit Barbos. *cit. n.* 21. cum aliis affirmantibus, id sæpius à Rota dictum esse.

In jure autem probatio tituli sibi 3333
competentis ad aliquem actum sufficiens foret fama concurrente longissima possessione; nam talem probationem authores communitet censent æquivalere probationi immemoriali, quæ titulum infert, ex c. *super quibusdam* de verbor. significat. L. *hoc jure* §. *ductus aquæ. ff.* de aqua quotid. & æstiva. Sic Felin. in c. *causam col.* 3. de præscription. Covarr. reg. *possessor. malæ fidei* 2. *p. §.* 10. *n.* 2. *fine.* Ubi tamen nota, etsi necesse sit famam esse probatam, non tamen requiri, quòd testes deponentes de fama, deponant ex dotatione, aut fundatione tibi competere; sufficit, si deponat Jus Patronatus tibi competere ex fundatione, vel dotatione, quia in dubio sic est præsumendum, ne Patronatus pereat & præsentationes irritæ sint juxta Trid. aufferens omnes Patronatus aliâ viâ acquisitos.

Deinde probatur titulus Patronatus 3334
probatâ præscriptione quadragenaria cum titulo colorato, hoc est, qui justam præscriptionis causam concedere possit; ratio est; quia hæc probatio æquivalet immemoriali, ut probat textus in c. 1. junct. Gloss. V. *legitimè*: de præscript. in 6. & c. *cùm personæ. §. quòd si tales.* de privileg. lib. 6. Tertiò probatur inscriptione lapidi publicè posito, continente assertionem Juris Patronatus tali competentis; non enim id permitteret Ministri Ecclesiæ, si veritate inscriptio destitueretur; sic Aloysius Riccius in praxi fori Eccles. resol. 175. *n.* 3. fine. Mascardus, de probat. concl. 105. *n.* 10. Sic etiam arma, & insignia alicujus familiæ in aliqua capella, ab antiquo tempore posita, sufficienter denotant, eam non esse liberam, sed juri Patronatus subjectam; sic Castropal. *tom.* 2. *tr.* 13. *D.* 2. *p.* 3. *n.* 6.

Dubi-

3334 Dubitari posset an privatus sufficienter probaret jus patronatûs sibi competere si ad hoc produceret literas Episcopi, quibus iste testaretur, institutionem Clerici in tali beneficio à se factam esse ad illius præsentationem? Ratio dubitandi est, quòd Concilium exigat *multiplicatas præsentationes*; ergo non videtur sufficere attestatio *de una tantùm*; econtra, si Ordinarius testetur beneficium jure patronatûs alicui competere, tacitè innuit titulum habere; quia non est credendum Ordinarium sic beneficium concessurum, nisi sibi de titulo, & jure probato constaret, cùm talis provisio sibi, & successoribus damnosa sit; sic Flamin. *de resignat. l. 8. q. 11. n. 38. & Barbos. de offic. & potest. Episcopi q. 3. alleg. 72. à num. 47.* in hoc dicendum, si literæ testarentur sic esse factum quadragenario tempore, sufficienter probatum fore jus patronatus ex præscriptione completa, pro qua sufficit titulus etiam coloratus, modò intra id tempus effectum habuerint præsentationes, si plures factæ sint; aut præsentatus per 40. annos beneficium administraverit ad unam tantùm præsentationem à Patrono factam super hoc nunquam inquietato.

Et quoniam non est credendum, sine sufficienti fundamento, Visitatores declaraturos fore in favorem patronatûs, (cùm in hoc agatur de gravi præjudicio Ordinariorum) quod supra dictum est de institutione; valde rationabiliter etiam dicitur, si privatus (cui onus probandi titulum patronatus incumbit) produceret libros multiplicatæ visitationis, ubi semper habitum est tale beneficium illius patronatui subjectum, aut motâ illi lite supra Patronatu coram Ordinario, is in ipsius favorem sententiam tulit, procedentem ex testium depositione, saltem in casu sententiæ ante annos 40. latæ, nec inquietatæ.

§. 3.

De probatione Patronatus ex Usurpatione.

3335 VT in ordine ad Patronatum obtentum rectè probetur verus titulus (nimirum non directè probando titulum fundationis, constructionis, vel dotationis, sed solùm ex immemoriali tempore) juxta Tridentinum relatum *num.* 3325. requiritur plenior, & exactior probatio; unde non sufficit sola probatio temporis immemorialis, sed præter alia, ad eam requisita authenticis scripturis probandæ etiam sunt præsentationes etiam continuatæ, non minori, quàm quinquaginta annorum spatio, & quidem omnes effectum fortitæ, ita Concilium relatum n. id cit. quibus positis:

Not. 1. hunc modum, ex immemoriali 3336
tempore probandi verum titulum patronatûs, in isto casu à Concilio statui, tanquam formam sic, ut eâ non plenè, & exactè servatâ, probatio nulla sit. Not. 2. hanc probationem non exigi nisi in iis personis, in quibus jus Patronatûs ex usurpatione plerumque præsumitur; istæ autem personæ (prout censuit sacra Concilii Congregatio) sunt Duces, Marchiones, Comites, aliique Domini Civitatum, locorum, Castrorum, perpetuam jurisdictionem in vasallos habentes, ubi beneficium fundatum est, tametsi ipsi superiorem recognoscant; sic Aloysius Riccius in praxi, *resol. 132. n. 1. Barbos. p. 2. alleg. 72. num. 65.* quibus etiam accedunt omnes, quot quot veniunt nomine Magnatûm; item Communitates, vel Universitates; cùm in decreto Tridentini, & hæ expressæ sint, non tamen Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, ut testatur, decisum à Rota, Gonzalez *ad regul. Mensium. gloss. 18. n. 55.*

Circa istum probandi modum dubita- 3337
tur 1. an ad probandam *usurpationem immemorialem*, vel per tempus præscriptum continuatas præsentationes semper cum effectu secuto, sint *idonei testes subditi* talium Magnatum, vel Communitatum? Negativam sequitur Gonzalez cit. & Garcia *p. 5. de benefic. c. 9. num. 102.* & alii; rationem dant, quia præsumuntur corrumpendi propter eorum potentiam. Hæc tamen præsumptio videtur rectè elidi ex præsumptione, quòd si beneficiorum collator esset æqualis, vel majoris potentiæ, quàm sint illæ personæ, in quibus præsumitur usurpatio, non admisisset in suum præjudicium eorum præsentationes, si in eis non agnovisset verum titulum; & ideo Rota apud Farinac. *tom. 2. decis. 578.* istam præsumptionem secuta, ab usurpatione excusavit Duces de Bejar, volens, cùm dicitur de istis magnatibus, præsumi jura Ecclesiæ usurpata, procedere, ubi non datur con-

concursus potentiæ, & authoritatis in Rectore Ecclesiæ; secùs, si Rectori Ecclesiæ sit æqualis, vel major authoritas, quo stante non intrat dispositio Concilii *sess. 25. c. 9.*

3338 Dubitatur 2. an ad hanc probationem sufficiat, probasse præsentationes primas, & postremas intra spatium 50. annorum? videtur affirmandum ex eo, quia, ut notat Tiraquelus *de præsumpt. Gloss. 5. §. 1.* probatis extremis probata etiam præsumi media: sed cùm Concilium exigat *veram* probationem præsentationum continuatarum, dicendum est negativè; nam ex illa Tiraqueli doctrina continuatio præsentationum probatur solùm *præsumptivè*; non autem, *verè*; ita Riccius *cit. resol.* 133. *Barbosa cit. à n.* 54. *& alii.*

3339 Dubitatur 3. an sufficiat, probatas esse præsentationes, *esse continuatas*? R. quòd non; Sed requiri præterea, etiam probatum esse, illas *sortitas effectum*, hoc est, ex vi earum præsentatum esse institutum, & accepisse beneficii possessionem juxta c. *Cumana, de elect.* ratio sumitur ex ipso decreto Concilii, ibi: *nec immemorialis temporis probatio aliter eis suffragatur, quàm si, præter reliqua ad eam necessaria, præsentationes etiam continuatæ, non minori saltem, quàm 50. annorum spatio* (quæ omnes effectum sortitæ sint) *authenticis scripturis probentur*; sic Garcia *p. 5. c. 5. n.* 109. *& c. 9. n.* 105. *Barbos. cit. alleg.* 72. *à num.* 56. *& alii.*

3340 Dubitatur 4. an opus sit authenticis scripturis probare, præsentationes *omnes* esse effectum sortitas? R. quod sic; nam Concilium petit probari per authenticas scripturas, non tantùm factas præsentationes utcunque, sed cum expressis qualitatibus; expressæ autem sunt istæ; quòd continuatæ, ac *omnes* effectum sortitæ; ergo & hæ probandæ sunt per authenticas scripturas, & ita tradit Castropalaus *tom. 2. tr.* 13. *D. 2. p. 3. n. 9.* cum Gonzalez. *cit. gloss.* 18. *n.* 82. *Barbosa cit. n.* 60. contra Garciam. *p. 5. c. 9. n.* 105. cujus ulterior ratio est, quia si una etiam non esset effectum sortita, non fuissent *continuatæ*; præsentationes enim *continuari* non possunt, nisi ad vacationem unius præsentationis alius præsentetur, ac instituatur, & continuatio per authenticas scripturas probanda est ex præcedentibus: ergo.

Dubitatur 5. an probatio de factis præ- 3341
sentationibus, quæ fit solùm per depositiones testium, saltem in aliquo casu admitti possit? R. probabiliter affirmari in casu, quo testes ad hanc depositionem admittendi essent homines literarum periti (ut sunt Doctores, Advocati, Tabelliones, Notarii publici) & deponerent de amissione scripturæ authenticæ, & contentis in illa, habentis debitam scripturæ authenticæ formam nec laborantis ullo vitio, quia tali casu non tam fieret probatio ex vi depositionum, sed per ipsam scripturam per depositiones in judicio exhibitam; sic Garcia *cit. p. 5. de benefic. c. 9. n.* 113. *arg. c. cùm olim. elig.* 1. *de privileg. c. sicut, de re judicat. L. Testium. C. de testibus.*

Præter hæc not. 1. cùm probandæ sunt 3342
continuatæ præsentationes per spatium 50. annorum, annos esse numerandos ab illa prima præsentatione, quæ sortita est effectum, nam aliàs non probatur *continuatio*; deinde præsentationes sic continuatas esse usque ad præsens tempus motæ litis, 2. si nunc moveretur lis, & præstandæ forent probationes ex tempore immemoriali, non venire tempus ante Concilium, sed decursum usque ad controversiam, ita Gonzalez *cit. gloss.* 18. *an.* 89. tertio non amplius esse opus illa rigorosa probatione, motâ rursum lite, postquam probatio semel facta est, & præsentatus exinde admissus est ab Ordinario, quia tunc Patronus suam intentionem in judicio possessorio habet fundatam: 4. hanc plenam, & exactam probationem Patronatûs non exigi, si jus patronatûs probandum sit, non adversus Ecclesiam, qua quis eam contendit sibi esse subjectam, sed adversus alium Patronum, nam Concilium in eo decreto, quo illam probationem requirit, non agit de casu, & controversia, quo Ecclesiam relinquit subjectam, & solùm controvertit, de termino, cui subjecta sit ex pluribus litigantibus, sic Barbosa *cit. à num.* 67. *& alii.*

Not. 5. per Trid. *sess. 25. de Reform.* 3343
c. 9. omnes Patronatus alicui, *ex privilegio* competentes, omnino sublatos esse, iis duntaxat exceptis, qui sunt super Cathedrales Ecclesias, ac qui sublimibus, supremis Principibus sunt concessi, licet in privilegio sit expressum, ut tale jus habeatur ejus naturæ, qualitatis, & prærogativæ, acsi

acsi competeret ex vero titulo fundationis. &c. Nam per hanc clausulam non habet aliud, quàm quòd sit ex privilegio tale; & sic sæpius declaratum esse à Sacra Congreg. refert Garcia *p. 5. de beneficio c. 9. à n. 17.* Hæc tamen intellige, si competat ex privilegio *merè gratioso*; secùs, *oneroso*; huic enim per clausulam generalem non derogatur ex dict. alibi, præsertim, cùm talis causa, vel titulus onerosus æquiparetur dotationi, vel fundationi sic Castropal. *cit. n. 13. & alii.*

QVÆSTIO XXXIX.

IN TIT. XXXIX. DE CENSIBUS, EXACTIONIBVS, ET PROCVRATIONIBVS.

3344 HOc titulo jus Canonicum continuat agere de servitutibus, seu oneribus Ecclesiæ imponi solitis; postquam enim egit de jure patronatus (quod est quædam servitus; cùm eo titulo Ecclesia certis hominibus subjiciatur ad recipiendum Clericum ex præsentatione Patroni, quæ cæteroquin libera foret) agit nunc de Censibus, Exactionibus, & Procurationibus, quæ quandoque multum onerant Ecclesias, si immoderatè illis imponantur; quibus, ut summi Pontifices debitè prospicerent, multa illis oportuna remedia constituerunt, de quibus in seqq. Accedit & altera ratio hujus ordinis; nam ex hoc, quòd Patronus, vel Advocatus Ecclesiæ, in ejus fundatione, vel dotatione, ab initio sibi authoritate Episcopi, reservare soleat certos reditus annuos, & census moderatos, agitur hic de censibus aliisque præstationibus, & tributis.

ARTICULUS I.

De Censibus.

3345 CEnsus, generaliter acceptus, significat, quid quid annuatim penditur; strictè verò, ac specificè hic significat onus reale, impositum Ecclesiæ, vel locis piis solvendum, vel superioribus ut Episcopo in signum subjectionis, vel eorum Advocatis, ratione protectionis; solvitur quandoque in pecunia numerata, quandoque in re alia, secundùm quod in principio constitutum est c. *olim.* 20. *h. t.* Ex hoc colliges, quòd ex solutione censûs non rectè, ac determinatè concludatur *subjectio*; cùm fieri possit alio titulo v. g. protectionis, exemptionis &c. *arg.* c. *Præcipimus 8. de privil.* ubi dicitur, per solutionem censûs, quæ fit Romanæ Ecclesiæ, non probari exemptionem à jurisdictione Episcoporum, nisi aliunde colligatur, fieri titulo subjectionis; quo sensu accipiendum est *c. 2. h. t.* ubi habetur, quòd *præstare tributa* sit probatio subjectionis, quæ nimirum exhibent Ecclesiæ suo prælato, quamvis 40. annis contra hoc jus Episcopale præscribere possint. *Abb. in c. 20. & pen. h. t.*

Not. autem 1. censum, solitò majorem, 3346
non debere imponi Ecclesiis; nec antiquum augeri, ut dicitur *c. 3. & 7. h. t.* Cùm enim quidam Presbyter (hic Episcopum intelligi rectè probat Panormitanus) Monasterio Massæ novas consuetudines vellet imponere, Abbate super hoc Gregorio Pontifici conquerente; iste rescripsit, mandando: *quatenus, si ab initio hoc non fuerit, etiam labentibus temporibus aliquid noviter imponi, non permittas.* Constat hoc ipsum ex *Concil. Lateran. relato c. 7. h. t.* ibi: *prohibemus insuper, ne ab Abbatibus, Episcopis, vel aliis Prælatis novi census imponantur Ecclesiis; nec veteres augeantur; nec partem reddituum suis usibus appropriare præsumant; sed libertatem, quam sibi majores conservare desiderant, minoribus suis bona voluntate conservent; Si quis verò aliter fecerit, irritum, quod egerit, habeatur*; Sed de hoc plura in seqq.

Not. 2. in novi censûs impositionem, 3347
quæ fieret Ecclesiis, horum Rectores con-

sentire non posse sine Diœcesani authoritate; colligitur 1. ex c. *Præterea* 8. *h.t.* ibi: *qui, ignorante Episcopo, auctoritate suâ pensionem annuam de Ecclesiis quadam illusione solverint, sive receperint, eis defunctis in receptione pensionis non sunt aliquatenus audiendi, si Pontificis, aut alterius, qui de jure id facere potuerit, auctoritatem, & assensum super hoc, non interveniſſe, constiterit.* Non enim simplices sacerdotes, vel Clerici possunt Ecclesias, quibus præsunt, auctoritate suâ (præsertim post decessum suum) efficere censuales. Ex quo habetur, quòd Prælatus, seu Rector Ecclesiæ non possit, præsertim post mortem, Ecclesiam suam propria auctoritate constituere censualem. Cui suffragatur c. *Cùm Clerici.* 11. *eod.* ubi dicitur, Clericos, qui per collusionem constituunt Ecclesiam censualem, ab iis Ecclesiis, appellatione remotâ, sine dilatione removendos esse.

3348 Not. 3. si contingat, aliquem debere jurare, seu juramento promittere solutionem novi censûs alteri faciendam, recipientem teneri ad remittendum ejusmodi juramentum, ex c. *significavit.* 13. *h.t.* ubi, cùm Thomas Rector Ecclesiæ de Fulsig. Religiosis quibusdam de solvendo annuo censu trium marcarum, quas prædecessor ipsius solvit, præstitisset juramentum, idque, ne faceret, Episcopus interdixisset, nisi constaret censum Episcopali authoritate constitutum esse. Mandat Pontifex, si censum authoritate Præsulis non de novo impositum fuisse constiterit, prohibitionem relaxari: Si verò census de novo sit impositus, sive authoritate Episcopi factum fuerit, sive non, Monachos compelli, ut Cleticum à juramento absolvant.

Idem habetur in c. *Gravis.* 15. *eod.* ubi, Cùm Patroni Clerici nollent quemquam præsentare, nisi novum censum Ecclesiis imponerent, aut veterem contra Concilium Lateranense relatum *c.* 7. §. *prohibemus sup.* augerent, sub juratoria, aut fidejussoria cautione præstandâ ad solutionem cogentes, mandat Pontifex, quæcunque post dictum Concilium contra ipsius decretum super Ecclesiis, vel eorum censu attentata in irritum revocari, & Presbyteros ab illicito juramento absolvi, ac transgressores deinceps canonicè puniri. Ex quo vides, quòd, licet in principio, cùm aliquis fundat, construit, vel dotat Ecclesiam, possit cum consensu ordinarii reservare sibi aliquid annuatim, vel certis temporibus præstandum ab Ecclesia; Secùs tamen esse post fundationem; &, cùm supra diximus, in constitutione census, Ecclesiis impositi ab eorum Rectoribus, debere intervenire consensum Episcopi, debere intelligi, *de necessitate*; sed *non sufficientia*, saltem quando constitutio censûs importaret alienationem sine juris solennitate, prohibitam juxta *dict. supr. tit.* 13.

Not. 4. definitionem censûs à nobis ibi 3349
restrictam esse ad censum Ecclesiis impositum; quia verò census in tota latitudine suæ significationis aliquando importat æstimationem patrimonii in hunc finem factam, ut inde annuum tributum solvatur, de quo censu extat titulus 15. *lib.* 50. Digestorum, & ejus discussio pertinet ad jus publicum; aliquando autem tributum solvendum in recognitionem subjectionis, jurisdictionis ve alterius, aliquando verò pensionem solvendam titulo constituto ex aliis causis v. g. alicujus contractûs: ideo census universim loquendo dici potest: *jus percipiendi annuam pensionem ex re, vel persona alterius*; ubi adverte, quòd is, qui tale jus habet, vocetur *Censualista*; qui verò pensionem debet, vocetur *Censuarius*, qui in hoc contractu est venditor, quia vendit Censualistæ jus exigendi annuam pensionem; quamvis communiter vocari soleat alter *Creditor*; alter *debitor*, & est modus loquendi expeditus.

Not. 5. quando census constituitur in 3350
aliqua re corporali, ac immobili, fundo v. g. dominium ejus rei tam directum, quàm utile esse penes Censuarium; non autem Censualistam; quo differt ab emphyteusi; nam in hoc dominium rei directum non manet penes emphyteutam, sed eum, cui iste pensionem debet, præterquam, quòd Censuarius ob non solutum censum non amittat jus suum, sicut emphyteuta ob non solutum canonem, item, quòd Censuarius etiam irrequisito Censualistâ possit vendere rem censualem, & non teneatur ad laudemium: Secùs emphyteuta, hic enim & tenetur ad laudemium, & rem emphyteuticam irrequisito domino vendere non potest, ut suo loco diximus sup. his in genere præmissis:

§. 1.

§. 1.

Quotuplex sit census?

3351 CUm *Census* sit jus percipiendi pensionem in fructibus, vel in pecunia, (nam in constituto censu Censuarius obligationem habet solvendi pensionem, & Censitor jus illam exigendi) hoc autem jus variis modis constituatur, & juxta illorum diversitatem species censuum multiplicentur (de quibus *in seq. à num.* 3357.) in præsenti solùm dabimus magis notas censuum species ex communi census divisione, quæ primò est in censum reservativum, & consignativum. *Reservativus* est, quando quis suum fundum pleno dominii jure in alium transfert reservatâ sibi annuâ pensione ex eodem fundo, in quo contractu nulla intervenit emptio, aut venditio, sed potius est contractus innominatus, *do, ut des*, aut permutatio, de qua loquitur lex ultima C. de rerum permutat. ea lege rebus donatis Candido, ut quod placuerat, menstruum, seu annuum tibi præstaret; hujusmodi conventio non nudi pacti nomine censetur, sed rebus propriis dictæ legis substantiâ muniatur ad implendum tibi placitum (sicut postulas) præscriptis verbis competit actio: *Consignativus* autem, cùm quis contractu aliquo alteri constituit, ac designat jus ex re sua, reditus annuos percipiendi. Porrò, quia frequentius solet hujusmodi jus emi pecuniâ, de hac ratione constituendi maximè hoc loco agitur, quia est species emptionis, quando v.g. 1000. florenis emo jus percipiendi annuatim ex tuo fundo 10. scaphas frumenti.

3352 Secundò census consignativus subdividitur in *realem*, & *personalem*; Realis fundatur in re, quam obligatio ita perpetuò comitatur, & immediatè afficit, ut etiam redundet in personam; Personalis est, quæ cadit immediatè super personam, quæ obligatur ad pensionem; nec illi obstat, si superveniat alter contractus hypothecæ. Ex hoc fit esto res pereat, quæ in hypothecam Censualistæ data est, non perire censum personalem superstite personâ Censuarii; Secùs si census sit realis, & iste, cùm fundetur in re, ad quemcunque hæc transeat, eo ipso transibit cum suo onere.

3353 Altera subdivisio census Consignativi, ratione pensionis, est in *fructuarium*, ex quo scilicet debentur fructus; & *pecuniarium*, ex quo debetur pecunia: tertia ratione temporis in *perpetuum*, & *temporalem*, ille in *redimibilem*, & *irredimibilem*: temporalis in eum, qui fit ad *certum* tempus, v.g. 10. annorum, & in eum, qui fit ad tempus *incertum*, v.g. ad vitam unius, vel duorum, & dicitur *vitalitius*. Quartò in censum *certum*, & *incertum*; certus est, cùm determinatæ pecuniæ summa, vel fructuum mensura constituitur in pensionem; incertus cum indeterminata, v.g. tertia, vel quinta pars fructuum constituitur solvenda: hic autem modus non est licitus nisi in censu reservativo.

Sub prædictis continentur, *Affictus*, seu 3354
Fictus, Albergaria, & census ignorantiæ. *Affictus* (alio nomine *Fictus*) habetur c. *Pisanis, de restit. spol. &, ut videre est apud Bald. in tit. de pace Constan.* & c. *ad audientiam, de præscript. & Specul. de locat. & conduct. §. sequitur in princ.* vulgaris vox est Lombardorum, & significat censum, qui solvitur ratione prædiorum conductorum. Unde *affictare*, est locare ad fictum, & ad firmum. *Albergariæ*, ut habetur in c. *ad audientiam, de rescript.* sunt procurationes, quas certæ villæ debent dominis suis ad eas venientibus; seu juxta Glossam ad c. *Præterea, de jure Patron.* sunt census, qui debentur pro comestionibus: *de hoc* V. *num. supr.* 3351. *census ignorantiæ*, est ille, cujus causa ignoratur; *de quo Sylv.* V. *Gabella.* 2. *num.* 15. ubi quærenti, an solvi debeat? respondet negativè.

Ex observatione harum *censûs* divisio- 3355
num, sequitur, si res, subjecta censui reali, vendatur à Censuario, non esse in arbitrio Creditoris, seu Censualistæ, an velit immediatè convenire novum possessorem, seu Emptorem, an venditorem? hunc enim deinceps convenire non poterit, nisi in casu, quo teneretur de evictione; sicut enim res à priori censuario seu venditore translata est in novum possessorem, seu emptorem, sic & onus infixum rei, seu reale; nam res transit cum onere.

Sequitur 2. censui consignativo non 3356
posse adjici pactum legis Commissoriæ, nimirum, ut Censuarius, si pensionem non solvat, committat, seu perdat dominium rei, ex qua census est solvendus; quia cùm Censualista non det Censuario dominium

rei subjectæ censui, sed pretium minus, quàm ipsa res valeat; si pactum illud ipsius rei amittendæ adjici legitimè posset, staret pactum legitimum super re iniqua, quod dici non potest; aliud autem est in censu reservativo, ubi Censuario totum rei dominium donat Censualista, reservato solùm censu annuo. Census porrò temporalis constitutus ad longum tempus, numeratur communiter inter bona immobilia; Secùs, ad tempus breve; nimirum minus decennio, & de illo videtur loqui Clementina Exivi. *de* V. *s.* §. *Cumque annui*; quando dicit, annuos census inter immobilia censeri à Jure.

§. 2.

Quæ conditiones servandæ sint in Constitutione censûs.

3357 AD istas debitè proponendas not. sæpius controversum fuisse, an contractus censûs consignativi licitè celebrari, vel constitui possit? quibusdam existimantibus, non posse sine usura, quæ jure divino, & humano illicita est. Ad hanc dubitationem dissolvendam plures Bullæ Pontificum, Calixti III. Nicolai V. & Pii V. emanârunt. Ex his Bulla Pii V. in ordine 80. An. 1568. edita, sic habet: Cùm munus Apostolicæ Servitutis obeuntes cognoverimus, innumeros celebratos fuisse, & indies celebrari *censuum contractus*, qui nedum non continentur intra limites, à nostris Antecessoribus eisdem contractibus statutos; verùm etiam (quod deterius est) contrariis omnino pactionibus, propterea ardentem avaritiæ stimulum, legum etiam divinarum manifestum contemptum præ se ferunt: non potuimus animarum, prout tenemur, saluti consulentes, ac piarum mentium petitionibus etiam satisfacientes, tam gravi morbo, lethiferoque veneno, salutari antidoto non mederi.

3358 Hac igitur nostrâ Constitutione statuimus. 1. censum, seu annuum reditum creari, constituive nullo modo posse, *nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de sui natura fructifera, & quæ nominatim certis finibus designata sit.* 2. *rursum non nisi verè in pecunia numerata, præsentibus testibus, ac Notario, & in actu celebrationis instrumenti, non autem prius recepto integro, justoque pretio.* 3. solutiones, quas vulgò *anticipatas* appellant, *fieri, aut in pactum deduci, prohibemus.* 4. conventiones, directè, aut indirectè obligantes *ad casus fortuitos* eum, qui aliàs ex natura contractûs non tenetur, nullo modo valere volumus. 5. Quemadmodum nec *pactum auferens, aut restringens facultatem alienandi rem censui superpositam*; quia volumus rem ipsam semper, & liberè, ac *sine solutione laudemii*, seu quinquagesimæ, aut alterius quantitatis, vel rei tam inter vivos, quàm in ultima voluntate alienari. 6. Ubi autem vendenda sit, volumus *Dominum censûs aliis omnibus præferri*, eique denuntiari conditiones, quibus vendenda sit & per mensem exspectari.

Septimò *pacta* continentia morosum 3359
censûs debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, seu certas expensas, aut certa salaria, seu expensas medio juramento creditoris liquidandas, aut rem censui subjectam, sive aliquam ejus partem amittere, aut aliud jus ex eodem contractu, sive aliunde quæsitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere, *ex toto irrita sint, & nulla.* 8. imò, & censum augeri, & novum creari super eadem vel alia re in favorem ejusdem, aut personæ per eum suppositæ pro censibus temporis, vel præteriti, vel futuri, omninò prohibemus. 9. Sicut etiam annullamus pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem aliàs de jure, & ex natura contractûs non spectarent.

Postremò: census omnes in futurum 3360
creandos non solùm re in totum, vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum, vel pro parte effecta, volumus *ad ratam perire*, sed etiam posse pro eodem pretio extingui, non obstante longissimi etiam temporis, ac immemorabili, imò centum, ac plurium annorum præscriptione, non obstantibus aliquibus pactis directè, aut indirectè talem facultatem aufferentibus, quibuscunque verbis, aut clausulis concepta sint. Cùm verò traditione pretii redditus extinguendus erit, volumus *per bimestre ante id* denuntiari ei, cui pretium dandum erit, & post denunciationem, intra annum tamen, etiam ab invito pretium repeti posse, & ubi pretium nec volens

intra

intra bimestre solvat, nec ab invito intra annum exigatur, volumus nihilominus quandocunque reditum extingui posse, prævia tamen denuncia, de qua supra, & non obstantibus his, de quibus supra; idq; observari mandamus, etiam, quod pluries, ac pluries denunciatū fuisset, nec unquam effectus secutus fuisset; pacta etiam continentia pretium censûs, extra casum prædictum, ab invito, aut ob pœnam, aut ob aliam causam repeti posse omninò prohibemus; *contractusque sub alia forma posthac celebrandos, fœneratitios* judicamus; & ita, illis propterea non obstantibus, quid quid vel *expressè*, vel *tacitè* contra hæc nostra mandata dari, remitti, aut dimitti contingat, à fisco volumus posse vindicari.

3361 Et subjungit: hanc autem salutiferam sanctionem nedum in censu noviter *recreando*, verum etiam in *creato* quocunque tempore alienando, modò post publicationem constitutionis creatus sit, perpetuò, & in omnibus servari volumus, declarantes, *pretium, semel censui constitutum, nunquam posse* ob temporum, aut contrahentium qualitatem, seu aliud accidens, nec quoad ultimò contrahentes minui, vel augeri; & licet legem ipsam ad contractus jam celebratos non extendamus, illos tamen omnes, in quos sub alia forma pervenerunt census, hortamur in Domino, ut singulos contractus censuræ bonorum Religiosorum subjiciant, & animarum saluti consulant, non obstantibus quibuscunque, &c.

3362 Circa istam Pii V. constitutionem, cùm primis agentem de his, quæ necessaria sunt, ut valida, licitaque sit emptio censûs, not. 1. distinguendum esse inter conditiones in ea præscriptas; quædam enim sunt requisitæ *jure naturali*, & *divino*; quædam autem *solo jure Ecclesiastico*; hinc in quæstione, (num illæ constitutiones Pontificum in hac materia, præsertim Pii V. ubique & omnes obligent?) Difficultas solùm est de his, quæ jure solùm humano requiruntur; nam de requisitis jure naturali, & divino, difficultas esse non potest; cùm hoc jure omnes omnino homines obligentur. Not. 2. constitutionem Pii V. latam esse *propter præsumptionem usurarum* quæ in his contractibus, & obligationibus intercedere solent, prout colligitur ex illis verbis: omnes alios contractus posthac sub alia forma (quàm præscriptâ) celebrandos *fœneratitios* judicamus: ubi nota, non dici *fœneratitios esse*, sed tantùm *fœneratitios judicamus*.

Cæterùm circa hujus constitutionis 3363
vim obligandi in omnibus terris fidelium, quoad conditiones jure solùm Pontificio requisitas, non conveniunt Doctores; quidam enim indefinitè affirmant, ubique obligare, ita complures, quos refert Castropalaus *tom. 7. de just. commut. D. 6. p. 15. n. 5.* alii negant, & 1. excipiunt ab ejus obligatione Hispaniam, ut habetur *ibidem num. 6.* alii excipiunt omnes illas terras, in quibus constitutiones illæ non sunt publicatæ, volentes non sufficere unicam Romæ factam publicationem, & propterea excipientes ab illa obligatione, Belgium, Germaniam, Galliam, & Siciliam; ita Lessius *l. 2. de just. c. 22. dub. 13.* sententiam hanc satis probabilem censente Castropalao *loc. cit. num. 6. §. Præterea.*

Quid porrò secundùm ea, quæ tradidi- 3364
mus *l. 1. tit. 2. de constitut.* in præsenti materia dicendum? ex ibidem resolutis petendum est. Quæ porrò conditiones in illa Pii V. Extravagante, juris tantùm humani sint? colligi poterunt, tum ex ipsius verbis à *num. 3357.* tum etiam ex dicendis, non enim dubium est, plura ex his, quæ continentur in hac Pii V. constitutione, nec esse juris divini, & naturalis, neque ad observationem illius pertinere, etsi aliquo modo utilia videantur; uti sunt, ne census constituatur, nisi ex pecunia numerata coram tabellione, & testibus; ne possit redimi, nisi creditor bimestri ante redemptionem monitus fuerit, factaque denuntiatione necessariò census redimendus sit, creditorque censûs omnibus aliis Creditoribus sit præferendus, & alia hujusmodi; sicuti advertit *Navarr. Comment. de usuris num. 105. & seq. Philiarc. 2. p. sum. lib. 5. c. 17. Salon. 2. 2. q. 78. a. 5. controvers. 4. & 5. Molina D. 392. concluſ. 12. & favet Gloſſa in Clementin. diſpendioſa. de judiciis*, V. *Usura.*

Not. 3. Cùm dixerimus constitutio- 3365
nem Pii V. procedere ex præsumptione usurarum, dubitari posse, an ei locus sit etiam in foro conscientiæ, tametsi fallat in casu particulari? hoc est, licet census emptus sit non observatis omnibus conditionibus

nibus jure humano præscriptis, sic tamen, ut nulla penitus usura in eo particulari casu intervenerit? Haunoldus *tom.* 4. *tr.* 10. *n.* 318. censet affirmandum; quia lex illa non fundatur in præsumptione fallibili, fraudis fortè intervenientis in quovis particulari casu, sed in præsumptione moraliter infallibili, multarum fraudum, & usurarum, quæ fierent, nisi tales contractus penitus annullarentur; atque adeo talem contractum censualem, sicut matrimonium clandestinum, nullum esse vi legis non fundatæ in præsumptione fraudis in casu particulari, sed fraudum plurium eventurarum. Contrarium tamen tenent Navarrus in *Comment. de usuris à n.* 69. *Valentia* 2. 2. *D.* 5. *q.* 22. *p.* 2. *Emmanuel Saa.* V. *Census. n.* 2. negantes in hoc comparationem censûs, sine dictis solennitatibus, cum matrimonio simpliciter clandestino; nam licet utrobique lex procedat ex generali præsumptione fraudis, non tamen utrinque disponit eodem modo; nam de matrimonio expresè dicit, sic celebratum, *irritum esse*; de censu autem sic empto solùm, *fœneratitios judicamus*, ut notavimus *num.* 3362. magnum autem in hoc discrimen esse ostendimus *l.* 2. *tit.* 23. *de præsumptionib.* ubi de vi legis procedentis ex præsumptione.

3366 Not. 4. à nobis non negari, conditiones etiam jure solùm Ecclesiastico præscriptas in emptione censûs esse substantiales, & earum omissione invalidari contractum, ubi ea constitutio in usum deducta est; sed solùm juxta mentem dispositionis, nimirum in foro externo ante sententiam judicis; post autem etiam in foro poli, juxta dicta *l.* 2. *tit.* 23. Not. 5. Constitutionem Pii V. non procedere de quolibet censu; sed eo tantùm, in quo est periculum usuræ, ubi nimirum non est titulus merè lucrativus, sed utrinque onerosus.

§. 3.

De singulis conditionibus, in particulari à Pio V. requisitis in constitutione census.

3367 CAstropalaus *loc. cit. p.* 15. *num.* 1. numerat septem conditiones in particulari requisitas à Pio V. & contentas in dicta Constitutione, de qua *n.* 3357. alii plures; Haunoldus *cit. tom.* 4. *tr.* 10. *num.* 150. planè undecim, ex quibus prima est: census non constituatur, nisi super re immobili, suâ naturâ, seu æquivalenter frugiferâ, & certis finibus designata; secunda, non celebretur, nisi numeratâ pecuniâ in actu celebrationis instrumenti coram Notario, & Testibus; tertia, ne pensiones anticipatæ deducantur in pactum; quarta, ne venditor censûs obligetur ad casus fortuitos, vel ad alia onera, ad quæ ex natura contractûs non tenetur; quinta, non fiat pactum restringens libertatem Censuarii, alienandi rem censui subjectam, & ne fiat pactum solvendi censitori laudemium.

Sexta, ut dominus rei censitæ, volens 3368
eam vendere, admoneat Censualistam, ut possit, si velit, eam emere eodem pretio, eumque aliis præferat, eo tamen recusante emere, poterit censuarius, uni, vel pluribus rem etiam divisam vendere, translato onere in emptores; quibus non solventibus, pensionem non tenetur venditor solvere; septima, ne valeat pactum, quòd Censuarius morosus teneatur ad interesse lucri cessantis, vel ad aliam pœnam, vel ad amittendam rem censitam, vel ad expensas; octava, ne possit augeri census constitutus ex pensionibus jam debitis, non solutis; nona, semper liberum esse debeat Censuario, redimere censum, quando volucrit, refuso eodem pretio, quo vendiderat, non obstante quocunque pacto, aut temporis lapsu: præmonito tamen Censualistâ duobus mensibus antè, ut supra explicatum est, à quo tempore potest post annum cogi ad redimendum; decima, Censuarius non sit cogendus absolutè ad redimendum censum, nisi in casu jam relato; undecima, pretium census semel constitutum non possit augeri, vel minui ob circumstantias supervenientes.

Circa istas conditiones not. 1. probabi- 3369
lius esse, ex defectu unius conditionis requisitæ totum contractum censualem esse nullum, ubi constitutio Pii V. obligat ad servandam formam in ejusmodi contractu præscriptam; contractus enim *fœneratitius*; qui talis prudenter judicari potest, est nullus, vel saltem non ita firmus, ut à Judice rescindi non possit; sed contractus censualis etiam sine conditione in constitutione Pii V. præscripta, prudenter judicari potest *fœneratitius*, imò talis judicatur ab ipso Papa, ut constat ex *n.* 3362. ergo,

Not.

3370 Not. 2. in illis verbis Bullæ (*quid quid contra hæc mandata dari, aut dimitti contingat, à fisco volumus posse vindicari*) non comprehendi, nisi quorum acquisitio per donationem, vel remissionem Censuarii accederet Censualistæ contra prohibitionem dictæ constitutionis; ut, si Censuarius sponte, ac non invitus, illi pretium censûs remitteret, pœnam, vel laudemium solveret, &c. dixi *sponte*; nam si ad hoc coactus esset, & ea sibi restitui vellet, fisco præferendus esset; quia tunc non pervenissent ad Censualistam donatione.

3371 Not. 3. quò majus est onus censûs *consignativi*, hoc majus exigi pretium, ut sit justum & ejus depositione census empto constituatur; nec enim solùm onus pensionis præstandæ; sed etiam obligatio, quam Censuarius in se recipit, ultra illud æstimari debet; hinc quoniam census irredimibilis, est multò majoris oneris, quàm redimibilis, majus utique pretium exigetur, ut sit justum, & ille, quàm iste constituatur; cùm verò census constitutus alicui, ut redimi quidem possit, sed non nisi *tali monetâ in specie*, multum accedat ad censum irredimibilem, utique majus hoc casu esse debebit, quàm si careret hoc onere.

3372 Potest autem onus non redimendi censum, nisi in tali, vel in eadem specie monetæ, dupliciter considerari, primò, ut intelligatur identitas pretii non tantùm in auro, seu materialiter; sed etiam formaliter, nimirum in auro tanti valoris quoad æstimationem, esto non quoad numerum; secundò eadem quoad aurum, & numerum; primum fieret, si quis censum emisset centum aureis Ungaricis, quolibet valente tres florenos rhenenses, cum pacto, ne iste census redimi possit, nisi Censuarius deponat in aureis Ungaricis tot, quot adæquant summam illorum 100. nimirum trecentos florenos; quo casu Censuarius censum justè redimeret dando quinquaginta aureos Ungaricos in specie, si valor singulorum interim crevisset in duplum; sic enim ista quinquaginta, quorum quilibet nunc valet 6. fl. adæquarent in summa secundùm æstimationem illos centum, quorum quilibet valebat tres solùm rhenenses: secundum autem, si quis censum emisset centum aureis Ungaricis in specie, cum pacto, ne talis census redimi possit, nisi Censuarius deponat in aureis Ungaricis eundem etiam specie numerum aureorum, esto valor interim crevisset, quibus positis:

Dicendum videtur, secundum casum census non redimibilis, nisi servata identitate monetæ, non esse jure naturæ irritum, si periculum sit æquale quoad futurum incrementum, vel decrementum valoris in moneta, quia sic quilibet contrahentium in se recipit æquale onus, modò in cæteris sit pretium justum; an autem pretium eo titulo (quòd census redimi non possit, nisi servata identitate monetæ) in constitutione talis census debeat esse majus secundùm proportionem oneris (quod hoc casu in se recipit Censuarius) mihi videtur affirmandum ex dictis; nec etiam census talis, sub prohibitione Bullæ videtur comprehensus; nam cum hoc stat, quòd Censuarius semper possit censum redimere illo pretio, quo vendiderat. 3373

§. 4.

Qualiter, vi dictæ Bullæ census constitui debeat in re immobili, certa, & frugifera?

3374 HÆc est prima conditio in Bulla Pii V. ad constituendum censum consignativum, ut constat ex *num.* 3357. ubi tamen nota, ibi dici: *nisi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur*; quo posito quæstio est 1. an Censualista possit alteri constituere reflexè census in suo censu directo, quem v. g. habet in bono immobili alterius? saltem, quantum est ad hoc, ut verificetur, quòd sit *constitutus in re immobili, vel quæ pro immobili habeatur*? censum immobilibus annumerari videtur dici *clement. Exivi de paradyso, §. cumque annui reditus, de verb. signif.* ibi: *cumque annui reditus inter immobilia censeantur à jure &c.* ita Gutierez *practicar. l. 2. q.* 146. *num.* 1. & alii cum Barbosa *in cit. Clement. num.* 15. ex quo ad factam quæstionem videtur affirmandum, non tantùm quando census irredimibilis est, sed etiam redimibilis, sic tamen, ut hoc redempto Censualistæ reflexo constituatur in alia re immobili, vel hoc prætermisso extingueretur census ille reflexus. Cæterùm in dato casu verificantur etiam aliæ

duæ particulæ hujus conditionis, nimirum, quod census alteri à censualista constitutus sit *in re certa*, & *de sui natura frugifera*; nam census ille directus determinatus est, & natura sua frugifer annuæ pensionis.

3375 Quæstio est 2. an per illam primam conditionem in *num.* 3374. excludatur census alicui constitutus in omnibus bonis Censuarii, præsentibus, & futuris? 3. constitutus in pluribus rebus? 4. in omnibus bonis Censuarii præsentibus solùm generaliter expressis? ad 2. R. quòd sic; nam in casu, quo bona præsentia perirent, obligatio redundaret in personam, quæ teneretur pensionem præstare ex bonis acquirendis. Ad 3. R. affirmativè, modò existant, & sint determinatæ; sic enim sub unum jus coadunari possunt. Ad 4. R. quòd sic; quia in illis terminis generalibus subest periculum palliandi censum *personalem*, & in generali sermone nihil determinatè venit.

3376 Quæstio est 3. qualiter verificari debeat, censum esse constitutum *in re frugifera*? R. non sufficere rem, quæ solùm per accidens, & merâ hominis industriâ ferat fructum; sed requiri esse frugiferam naturâ suâ, hoc est, quòd ferat fructum, naturâ saltem principaliter operante; ratio est, quia id expressè ponitur in prima conditione, de qua *num.* 3374. sed reflexio facienda est, an istæ qualitates rei, in qua constitui possit census consignativus juxta dispositionem Bullæ Pii V. ad contractum censualem ex natura rei, an solo jure humano, eoque in hoc, vel illo loco receptæ sint? juxta dicta à *num.* 3362. Nam stante constitutione illius Bullæ reprobatur census personalis; sed solùm juxta dicenda in seqq.

§. 5.

Qualiter census consignativus vi Bullæ Pii V. numeratâ pecuniâ constituendus sit?

3377 EX *num.* 3358. constat, vi dictæ Bullæ requiri, quòd, cùm census emitur, id fiat numeratâ pecuniâ, & integro pretio persoluto confecto instrumento coram Notario, & Testibus. Constitutum hoc fuerat propter multas cæteroquin fraudes Emptorum, & damna venditorum, ubi isti pensiones integras solvere cogebantur, nullâ, vel tantùm parte, pecuniâ acceptâ. Circa istas igitur conditiones, vi dictæ Bullæ requisitas, quæstio est 1. an illæ jure naturali necessariæ sint? 2. si loco pecuniæ res aliæ darentur? 3. an authoritate Judicis talis census imponi possit ad tempus moroso debitori? 4. an pecunia in præsenti numerata esse debeat, quando census ante constitutus legitimè alteri venditur? 5. an emi possit numerata in præsenti pecunia, sed adjecto pacto, ut Censuarius (qui aliunde debet aliquid emptori) statim reddat pecuniam eidem ad extinguendum illud anterius debitum?

Ad 1. R. non requiri ad istum contractum jure naturæ, quòd totum pretium venditori deponatur præsente Notario, & Testibus; nam sine his potest contractus emptionis, & venditionis esse perfectus quoad substantiam jure naturali, & gentium, ut constat ex *tit.* 17. Deinde, nec requiri jure naturæ *totum* pretium deponi simul, ut constat in multis ejusmodi venditionibus, ubi venditor etiam suo commodo relinquit credito pretium apud Emptorem, maximè si pensio solvatur solùm proportionata parti soluti pretii. Ad 2. R. quantum est de jure naturali posse censum constitui sine pretio, & emptione, puta permutatione, &c. consequenter jure naturæ non requiri *pecuniam* pro tali censu constituendo; spectato autem jure Pontificio, censum consignativum emptione non constitui validè, *loco pecuniæ*, aliâ re datâ; cùm Pontifex apertè declaret irritos ejusmodi contractus initos sine forma à se præscripta. Ad 3. R. quòd sic; nam licet Pontifex expressè petat *pecuniam* numeratam; id tamen solùm exigit pro constituendis censibus ex contractu; non autem illis, quæ creantur sententiâ, testimonio, donatione. Ad 4. R. affirmativè, ut patet ex ipsis Bullæ verbis, ibi: *nedum in censu noviter creando, verùm etiam in creato quocunque tempore alienando, modò, post publicationem constitutionis, creatus sit, perpetuò, & in omnibus servari volumus.* Ad 5. affirmat Molina *D.* 390. *num.* 2. quia numerata pecunia de præsenti, maximè coram Notario, & Testibus, satisfieret huic secundæ conditioni à Pio V. requisitæ, de qua *n.* 3358. alii tamen negant, volentes exigi pecuniam non utcunque numeratam de 3378 præ-

præsenti, sed constitutam in libero usu venditionis, tanquam ejus Domini; quòd non fieret in dato casu, cùm per pactum restringeretur ad unum tantùm usum, nimirum ad extinguendum ejusdem redditione debitum præexistens, sed fortè id non repugnat ejus dominio, dependenter à libero consensu domini, sic restricto, ut alibi diximus.

§. 6.

De reliquis conditionibus à Pio V. requisitis.

3379 TErtia conditio Pii V. pro constituendo censu ex contractu, est, ne adjiciatur *pactum anticipatò solvendi pensiones*, v. g. ne constituens censum pretio 100. fl. pro annua pensione 5. fl. cum Censuario paciscatur de solvendo censu, datis 95. reservatis Censualistæ illis 5. aliàs solvendis, secluso hoc pacto, & dato integro pretio; nam isto pacto vitiaretur contractus jure naturæ, propter inæqualitatem; plus enim reciperet Censualista, quàm emerit numeratâ pecuniâ; nam census annuus 5. fl. valet 100. fl. ut ponit casus; & Censualista daret solùm 95. Cœterùm, si contractui (persoluto integro pretio) adjiciatur pactum solvendi dimidium censum post lapsum dimidii anni, nulla fit anticipatio jure naturali, vel hac constitutione Pii V. interdicta.

3380 Quantum ad quartam conditionem, de qua *num.* 3367. ne venditor censûs obligetur ad casûs fortuitos, vel alia onera, quæ non cadunt sub obligationem ex natura contractûs, dicendum non prohiberi hic illa pacta, quæ naturâ insunt contractui; sed ea tantùm, quæ naturâ non insunt; quale foret pactum, quo Censuarius se obligaret ad quoslibet casus fortuitos; ut Censualistæ solvat laudemium, ut alienare non possit rem censui subjectam. &c.

3381 Illa conditio, ut Censuarius volens rem censui subjectam vendere, prius admoneat Censualistam, ut is, si velit, possit eam emere pretio eodem, quo alius Emptor, non requiritur ex natura rei; & quamvis videatur præcipere, ut Censualista præferatur aliis emere volentibus, non tamen intelligendum venit etiam de illis, qui jure *Retractûs* eam emere possent; quia cùm id non exprimat, non censetur Pontifex hac constitutione præjudicare voluisse juri quæsito aliis ex retractu, & favore Censualistæ.

Præter alia in dicta constitutione prohi- 3382
betur etiam *pactum assecurationis*, nimirum etiam pereunte ipsâ re censui subjecta, solvendi censum; idque vel propter periculum usuræ, vel ne census iste realis transeat in personalem: ex natura tamen rei non videtur hoc pactum illicitum, modò pretium, quo census emitur sub tali onere, sit proportionatum valori censûs annui etiam pendendi pro tali eventu; quod utique ex natura rei majus esse debet, secluso tali pacto.

Quoniam autem fieri potest, quod res 3383
censui subjecta fiat infrugifera, vel ex toto, vel solùm ex parte, plures in hoc casu dubitationes oboriri possunt; prima est, an si fiat infrugifera tantùm ex parte, integer tamen census solvendus sit, si fructus sufficiant ei, deductis expensis? Duplex est sententia; prima negans, & docens censum tunc dividendum secundùm proportionẽ partis frugiferæ ad rem totam censui subjectam; altera verò affirmans quam sequitur Haunoldus *tom.* 4. *tr.* 10. *num.* 334. In hac quæstione, dubitationi videtur solùm locus esse in casu, quo non constat, an partes convenerint de integro censu solvendo etiam pro tali eventu? si enim etiam pro isto casu convenissent, solvendus esset integer; si autem tantùm juxta proportionem partis frugiferæ? secùs.

Quæstio igitur procedit in casu, quo 3384
neutrum constat, an scilicet totus census constitutus sit in toto, & totus in qualibet etiam parte? an totus in toto, & tantùm pars in parte? Haunoldus cit. ait: sententiam negantem, solvendum esse etiam ex sola parte frugifera integrum censum in tali eventu, esse communem inter Theologos; hanc tamen communem doctrinam non esse ita fundatam, ut non potius in praxi contrarium tenendum sit, ob decisionem Rotæ Romanæ 30. Octobr. 1602. in qua definitur, reditus integros solvendos ex parte prædii remanente, si ejus fructus sufficiant, & de hoc intelligendam Bullam, quam responsionem Rotæ acceptavit summus Pontifex.

Hæc resolutio videtur omninò stare pro 3385
sententia affirmante, etiam in eo eventu, pensionem integram solvendam esse, etiam

iam ex sola parte remanente frugifera; sed solùm in casu, quo pretium est æquale pensionis valori, & superaddito oneri; pluris enim est teneri etiam ex parte solvere tantum, quantum ex toto; quàm solùm ex toto. Deinde non videtur posse admitti, ut in casu divisionis fundi (quo unus haberet unam, alter alteram partem) quilibet teneatur solvere tantam pensionem, quantam, qui habet totum; vix enim declinabitur usura; cùm sic Emptor in duplo reciperet mercem, nisi vel pensio minuatur; vel augeatur emptionis pretium; sed tunc sumus extra casum.

3386 Quæstio est 3. an census solvi debeat, si res censui subjecta pereat, vel infœcunda reddatur dolo, vel culpa Censuarii? R. teneri, quàm diu census non redimitur; poterit tamen redimere, si redimibilis sit; vel si irredimibilis, in alia re constitui. Censualista enim non tenetur subire jacturam debiti ex alterius dolo, vel culpâ. In casu autem, quo census redimitur, redimendus est eodem pretio, quo emptus, vel constitutus juxta Bullam Pii V. *supr. in n.* 3358. Advertendum tamen, redimibilitatem, non esse de substantia contractûs censualis secundùm se, & ex natura rei, cùm aliæ res, justo pretio emi ac vendi possint irredimibiliter.

3387 Dubitari tamen potest, an Pontifex in sua Bulla constituerit, ut omnes census, deinceps empto constituendi, *redimibiliter* constitui debeant, ut secùs invalidi sint? an verò tantùm, ut, si redimibiliter constituantur, pro redemptione non plus pretii, quàm in constitutione datum sit, exigatur, & detur? R. si attendantur verba Bullæ, probabilius standum pro primo, nam vi ejus semper liberum esse debet Censuario, redimere censum, quando voluerit, refuso eodem pretio, quo vendiderat, non obstante quocunque pacto, vel temporis lapsu &c. de quo V. *n.* 3358. rejicitur ergo pactum, *ne unquam redimi possit etiam refuso eodem pretio*, sed hæc conditio est tantùm juris positivi ex *præced. numero, de quo* V. *num.* 3367.

3388 Quæstio est 4. an censui adjici possit pactum, redimendi censum *in favorem Censualistæ*? puta, ut pro arbitrio possit à Censuario repetere pretium, remissâ vicissim obligatione pensionis annuæ? R. spectato jure naturali posse; cùm res etiam aliæ vendi, ac emi possint sub pacto reluitionis, seu revenditionis depositio pretio: sed jure positivo Bullæ (ut habetur *num.* 3357. in conditione 10.) Censuarius non est cogendus absolutè ad redimendum censum, nisi præmonitione duobus mensibus antè facta. Et quamvis in conditione 11. de qua *num.* 3360. dicatur, pretium censûs, semel constitutum, non posse augeri, vel minui ob circumstantias supervenientes, hoc tamen intelligendum est juxta *num.* 3368.

§. 7.

De emptione census realis.

QUæstio est, an licitum sit emere census realem à nobis *num.* 3352. definitum? ratio dubitandi est, quia videtur apertè usurarius, nam Censualista emens census in fundo alterius v.g. 100. fl. numeratæ pecuniæ cum pacto, ut Censuarius annuatim solvat 5. fl. hac ratione percipiens census per 20. annos, reciperet ultra pretium (quod reddi deberet à Censuario, si census redimeret) totum etiam valorem pretii, & hoc ex pacto ultra debitum; at hoc apertè continet usuram 1. quia talis emptio non est tam emptio, quam mutuum, siquidem dantur centum pro quinque in singulos annos solvendis: at hæc quinque emi non possunt, quia pecunia emptionis capax non est, sed mutui, ergo est mutuum, at in mutuo recipi non potest plus, quàm datum sit, cùm tamen per hanc censûs constitutionem longè plus recipiatur, recipiuntur enim pensiones, quæ in infinitum excedunt pecuniam receptam, si census sit irredimibilis, si verò redimibilis, ultra ipsas pensiones, debetur Sors: ergo recipitur amplius, quàm datum sit. Deinde, esto demus, istum contractum constitui emptione; Nam in istis contractibus necessariò æqualitas inter datum, & acceptum, hoc est inter pretium, & mercedem servanda est; at, non servatur æqualitas, siquidem pretio determinato v.g. centum emis in censu irredimibili pensiones in infinitum, in censu verò redimibili ipsas pensiones, dum sors integra non redditur: at hoc excedit notabiliter pretium datum, aliàs non esset usura mutare pecuniam cum pacto, ut interim, ac non solvitur, pensio censualis solvatur. 3389 Si autem dicatur

tur in tali casu non emi pensiones, sed jus ad pensiones, quod non videtur pluris æstimandum, quàm ipsa pecunia; nam contra est, quia jus certum, ad pecuniam recipiendam, tanti æstimari debet, quanti æstimatur pecunia recipienda: at pecunia recipienda in singulos annos pluris valet, quàm pecunia, quæ de præsenti conceditur: ergo jus ad illam pecuniam recipiendam pluris æstimari debet; ergo hic contractus inæqualitatem continet.

3390. Verùm hoc non obstante ℟. censum realem licitè emi posse; ita communis; cujus ratio est, quia talis census, sub conditionibus in Bullis Pontificum præscriptis, etiam jure Ecclesiastico approbatur, ut constat ex hactenus dictis. Et ideo censum realem emi licitè, tenent omnes prope Doctores apud *Navarr. in Comment. de usuris. Not. 22. num. 69.* & aliàs. Ante *prob. not. 1.* prius statuendum esse, quid sit illud, quod in hoc contractu venditur, & emitur? Prætermissis autem aliorum opinionibus, ℟. rem, quæ venditur, non esse ipsa bona censui supposita, nec ipsas pensiones annuas; sed *jus eas percipiendi*, & obligationem illas solvendi resultantem in Censuario, sic *Covarr. 3. variar. c. 7. num. 1. Molina tom. 2. de just. D.* 383. & alii. Nam in dato casu aliquid à venditore possessum, debet esse venditum; ergo vel pensiones, seu fructus, vel bona, vel jus inde percipiendi pensionem. Minor probatur; *non pensiones*; nam istæ in actu venditionis non possidentur à venditore, sicut nec fructus; *non bona*; nam hæc subjiciuntur hypothecæ, ergo ipsa, seu dominium eorum non venditur; aliàs Emptori res sua hypothecata foret; ergo jus percipiendi pensionem, quod formaliter constituitur per contractum, sicut in quo jus alio contractu.

3391. Pro solut. in contrarium not. jus reale censûs, emptum 100. fl. ut quovis anno venditor, seu Censuarius ex re censui subjecta solvat 5. posse dupliciter considerari. 1. secundùm se præcisè. 2. in quantum subest laboribus, & expensis, aliisque incommodis, quæ decursu temporis præsumuntur moraliter eventura in percipiendis illis fructibus, tum propter periculum amittendi censum re pereunte; tum ob frequentissimam difficultatem rehabendi sortem integram in casu, quo vel illâ indigeret, vel negotiatione notabile lucrum faceret &c. Not. 2. rem, quæ secundùm se præcisè valet *centum*, vehementer decrescere in valore, si consideretur, prout subest circumstantiis, & periculis non tantùm lucri cessantis, & damni emergentis; sed etiam jacturæ totius sortis, difficultatibus, litibus &c. adeo quidem, ut propter hoc in valore quandoque decrescat etiam ultra dimidium. Not. 3. jus, etiam perpetuum, & ad tempus infinitum, quotannis percipiendi fructus ex aliqua re, etiam aliena, vel ex se, vel per hominis industriam frugifera, æstimari determinatâ pecuniâ, hoc est pretio determinato, & finito, etiamsi cum tempore valor fructuum successivè perceptorum transcendat valorem illius determinati pretii, & tale jus, hoc non obstante, licitè emi. Manifestum enim est, in usufructu alicujus prædii, emphyteusi, servitute rustica, & urbana, etiam ad tempus infinitum, quæ pretio determinato, & finito licitè emuntur, etiamsi cum tempore valor fructuum, & commodorum, exinde perceptorum, transcendat valorem illius pretii; quia res empta non sunt fructus, & commoda; sed jus reale percipiendi ea ut subest cum illis circumstantiis, & periculis, ratione quorum est longè minoris valoris, quàm secundùm se, quibus positis:

℟. ad rationes in contrarium in *n.* 3389. 3392 N. min. ad 1. ejus probationem, Neg. talem emptionem censûs esse mutuum; nam res mutuo data transit in dominium mutuatarii, non autem res censui subjecta. Deinde, etiam in mutuo licitè recipitur sors integra tempore per contractum definito, non obstante, quòd mutuans, per lapsos annos percepisset tantum, quantum valet sors ex annuis solutionibus, justo titulo constitutis, nimirum lucri cessantis, damni emergentis &c. propter quæ mutuum in valore minus est pretio, si hæc non compensarentur certa pecunia annuatim; idem est in usufructu, &c. & tamen in his non contingit *usura*; quia res non pluris valet, quàm sit valor pretii determinati, & finiti; ergo; ad 2. prob. datâ ma. N. min. & ejus suppositum, quòd emantur pensiones, ut constat ex *num.* 3390. ad id, quod additur (*jus certum ad recipiendam pecuniam tanti æstimari, quanti æstimatur pecunia recipienda*) ℟. hoc manifestè instari in emptione usûs fructûs, etiam

perpetui; ponamus enim, quòd validè, ac licitè ematur mille florenis; in hoc casu computando fructus, quotannis perceptos, eorum valor frequentissimè transcendit in valore pretium emptionis, quin propterea pretium pro re empta (*jure* nimirum *ad eorum perceptionem*) datum, dicatur non æquale cum valore rei emptæ; falsum igitur est, jus percipiendi quotannis pecuniam valere tanti, quanti valet ipsa pecunia per & annos, & annos percepta, simul sumpta.

3393 Ratio hujus est; quia *pecunia illa*, successivè percepta, sed simul sumpta, computatur quoad valorem *præcisis illis periculis*, propter quæ cæteroquin decrescit valor rei, quem habet illis seclusis: at *jus eos fructus successivè percipiendi* computatur quoad valorem *inclusis illis periculis*, ergo hoc non potest esse tanti valoris, ac ea pecunia simul sumpta; ergo licet *quantitas valoris pecuniæ* successivè percipiendæ transcendat *quantitatem pretii*, quo emptum est jus fructuum; non propterea tamen *quantitas juris empti* transcendit *quantitatem pretii*, quo ipsum est; cùm etiam ipsum habeat valorem, & æstimationem determinatam, ac finitam, id quod clarè instatur in usufructu, & servitutibus emptis; ergo emi licitè potest census realis, modò, ut supponimus, venditori constituatur pretium justum, de quo *infra. tit.* 18. hic.

§. 8.

De emptione, ac venditione censûs personalis.

3394 Quæstio est, an talis census pretio validè, ac licitè constituatur? plures sequuntur negativam, ex quibus Fachinæus *l.* 2. *Controvers. c.* 44. *Navarr. de usur. num.* 81. & alii, approbantes solos census *reales.* 1. authoritate Martini V. in Extravag. 1. & Calixti III. *in extravag.* 2. *de empt. & vendit.* inter communes. Deinde Pii V. in sua *Extravag. de censib.* ubi expresè statuit census *super re immobili, & non aliter constitui posse*; 3. quiá *persona* non potest solutioni pensionum censualium adstringi, maximè si nec bona habeat, & laborare impediatur, & ipsa pereunte non perit census; 4. quia ex concessione censûs *personalis*, aperitur via palliandi *usuram*, asserendo, se, pro censu, annuoque reditu, pensionem ultra sortem non accipere; præcluditurque via concedendi mutuum; cùm petentibus mutuum respondere mutuans possit, ut in censum redimibilem quantitatem illam accipiat.

Affirmativam autem sequitur *Covarr.* 3395
3. *Variar. c.* 7. *àn.* 5. *Less. l.* 2. *c.* 22. *D.* 4. *Salas de censib. dub.* 3. *n.* 3. Layman *l.* 3. *summæ, tr.* 4. *c.* 18. & alii, quos citat, & sequitur Castropalaus *tom.* 7. *D.* 6. *p.* 11. *num.* 2. Fundamentum hujus sententiæ est. 1. quia obligatio solvendi singulis annis determinatam pensionem imponi personæ potest, lege, & statuto, uti imponuntur tributa, regalia; & declaratur *L. ult. §. Lucius Titius ff. de contrahend. empt.* decimæ personales, lege Ecclesiasticâ statuuntur, c. *Decimæ.* 26. *q.* 1. c. *non est*, c. *Apostolicæ*, & c. *pastoralis. de Decimis*, sed quod lege statuitur, potest conventione partium statui; item, gratis te potes obligare ad solutionem pensionis in singulos annos; ergo poteris pretio sumpto eam obligationem suscipere, quia inter pretium, & ipsam obligationem æqualitas intercedere potest. Hanc sententiam ob auctoritatem probabilem censet Haunoldus *tom.* 4. *de Just. tr.* 10. *num.* 305. Negativam autem speculativè loquendo veriorem, quam etiam communiorem ait, & sequitur Molina *D.* 387.

Nobis videtur, emi censum personalem 3396
non esse ex natura rei illicitum; & in hoc sensu accedimus sententiæ affirmantium; ratio est, quia nullo titulo repugnat juri naturali, ut constabit ex responsionibus ad rationes in contrarium; de authoritate autem Pontificum, qui referuntur pro sententia contraria constabit ex dicendis à *n.* 3403. ad 1. igitur rationem *dist. ant.* persona non potest ratione censûs adstringi, ut Emptor habeat jus, & dominium *in ejus corpus. trans. ut pensionem præstet ex suis bonis, quæ habet, & habitura est.* N. ant. cùm enim hoc justè, & citra ullam oppositionem cum jure naturali fieri possit *lege, statuto*, vel etiam *obligatione voluntaria*, non est unde id repugnet, si fiat idem justo pretio, & emptione? V. *tit.* 18. ad id, quod dicitur: *pereunte persona non perire censum*, non probat, non obligari personam in bonis habitis, & habendis;

dis; nam cùm ea tali casu in securitatem solutionis hypothecæ, & pignoris jure assumantur; successor personæ recipit eandem obligationem solvendi, manente jure pignoris, & hypothecæ.

3397 Ad 1. ℣. per hoc, quòd census personalis ex natura rei validè, ac licitè emit possit, nec aperiri viam usuræ, nec claudi mutuo: *non usuræ*, quia, ut in proximo dicemus, in tali casu servaretur æqualitas pretii, & rei emptæ; *non mutuo*; quia mutuans potest recuperare sortem; non Censualista, ut tradit Castropalaus *cit. num.* 3. ergo per censum personalem non impeditur mutuum; & licet non minus periculum usuræ sit in mutuo, non tamen eo titulo contractus mutui ex natura rei illicitus est; ergo licet periculum aliquod sit palliandi usuram in censu personali, non propterea talis contractus ex natura rei illicitus erit.

3398 Potissima ratio contrariæ sententiæ desumitur ex eo, quòd ex natura rei repugnet emptio, & venditio, ubi non servatur æqualitas dati, & accepti; sed in emptione, & venditione censûs personalis non servatur æqualitas dati, & accepti: ergo emptio, & venditio census personalis ex natura rei repugnat. Minorem probat Haunoldus *cit. num.* 306. qui emeret v. g. 150. florenos solvendos successivè, nec tamen majus pretium daret, quàm 100. fl. ita, ut per 30. annos singulis annis solvendi essent 5. si omnis alius titulus absit, omnes fatentur fore usuram; quia non est æqualitas inter pretium, & rem emptam; & ob hanc causam supra dictum est, quòd, quando emitur census realis, non emantur ipsi fructus collectivè, seu cumulus omnium fructuum percipiendorum, & per modum unius consideratorum; sed emi *jus reale*, quod non æstimatur, nisi 100. fl. subsumit: atqui emens censum merè personalem, emit ipsas pensiones successivè solvendas, per modum unius cumuli consideratas; ergo si iste cumulus excedit pretium, est inæqualitas, & usura. Minor probatur: emere jus ad accipiendum equum, est formalissimè idem, ac ipsum equum emere, ut fatentur omnes, & patet ex dictis de contractu emptionis; solùm enim ex vi emptionis datur actio personalis, & Emptori non competit jus in re, sed jus ad rem solùm; atqui emens censum personalem emit solummodo jus ad pensiones, & nullum jus reale: ergo formalissimè emit ipsas pensiones, quæ semel in unum computatæ, & tandem solutæ, excedent pretium. Ex hac ratione infert Haunoldus *n.* 308. hoc procedere de censu non tantum personali, sive perpetuo, seu irredimibili; sed etiam temporali, seu redimibili, & consequenter solùm ad tempus certum ex eadem ratione; non ad tempus incertum, v. g. ad vitam emptoris, vel venditoris, ut habet communis sententia contrà paucos; ratio est, quia emptio censuum ad tempus incertum, quod æquè facilè potest afferre damnum, ac lucrum emptori, est exposita fortunæ, sicut ludus, aut jactus retis: atqui talis spes mixta cum tali periculo potest certo pretio æstimari: ergo valebit talis emptio censûs personalis.

Pro solut. arg. not. pensiones successivè 3399
solvendas, etiam simul sumptas, secundùm se, posse valoris majoris esse, quàm sit pretium, quo emuntur, quin ex hoc sequatur inæqualitas valoris in dato, & accepto, seu pretio, & re empta, modò non sint majoris valoris prout consideratæ, ut subsunt diversis periculis, longo tempori, & incommodis, ac difficultatibus, quæ per se loquendo communiter in iis recipiendis occurrunt. 2. pensiones successivè recipiendas, etiam simul sumptas, prout includunt hæc incommoda, comparatas cum illis sumptis secundùm se, & secluſis illis periculis, non tantùm non valere tanti, sed etiam multo inferioris valoris esse, ut jam ostendimus. 3. cumulum pensionum successivè percipiendarum, etiam jure perpetuo, posse æstimari valore certo, ac determinato, consequenter adæquari pretio, esto temporis successu omnes jam perceptæ, secundùm se acceptæ conficiant plus, quàm sit pretium datum pro jure illas percipiendi in perpetuum, ut ostendimus. 4. cumulum earum pensionum adæquari pretio legitimo, vel naturali; utrumque enim est pretium justum, pretio autem justo valor rei venalis adæquatur: quibus positis:

℣. ad objectionem in *n.* 3398. C. ma. 3400
N. min. ad hujus prob. transeat interim major; N. min. ad prob. istius, N. ma. nam jus ad accipiendum, seu sibi tradendum equum, & ipse equus non sunt idem, sicut nec jus in re ad pensiones, & ipsæ pensiones;

siones; atqui emens jus in re ad pensiones, non emit formalissimè ipsas pensiones, ut fatetur in argumento Haunoldus; ergo qui emit jus personale ad pensiones (nimirum personale, vi cujus venditoris persona teneatur solvere pensiones in bonis habitis, & habendis) non eò ipso formalissimè emit pensiones, sed tantùm jus in personam, vi cujus eum obligare possit ad pensionem annuam ex bonis habitis, & habendis persolvendam; cùm ergo tale jus habere possit æstimationem certam, & determinatam, ac ei correspondens pretium justum *legitimum*, vel *naturale*, quantumvis pensiones veniant successivè ad majorem quantitatem, quàm fuerit pretium; nulla inde fiat inæqualitas inter pretium, & rem emptam, nimirum jus personale adversus venditorem tradendi quot annis constitutam pensionem; quia pretium non debet coæquari, nisi rei emptæ, & jus, quod emitur, non æstimatur ex pensionibus, consideratis secundùm se, ut dictum est; sed cùm attentis incommodis, periculis &c. de quibus supr. ratione quorum longè minoris sunt, quàm secundùm se.

3401 Dixi: *transeat interim major*, nimirum, quod, *si pensiones essent successivè* (videlicet per annos 30.) *solvendæ*, *abesset omnis alius titulus per se loquendo*, quod tamen supponit major; nam si tanto tempore primò conficeretur summa 150. fl. pretio centum, per se loquendo, & moraliter fieri non potest, quòd non intercurrant plurima incommoda, difficultates, pericula, &c. comparatione quorum illi 150. fl. ut conjuncti cum dictis circumstantiis in æstimatione hominum longè minoris valoris sunt, & vix adæquabunt valorem 100. fl. numeratæ pecuniæ; ergo ex una parte supponendo solutionem earum pensionum fieri tantùm *successivè*, & quidem spatio 30. *annorum*, non potest ex altera parte supponi, *abesse omnem alium titulum*; cùm tantùm tempus successivum per se loquendo importet alios titulos, ergo adhuc servaretur æqualitas, licet emerentur ipsæ pensiones successivè solvendæ; hinc licet in aliquo casu fingeremus, nullum incommodum, & difficultatem futuram, non obinde infertur, minoris emi non posse, quia ad honestatem emptionis satis est, quòd frequenter eæ difficultates, & incommoda intercedant, quibus inspectis leges statuerunt *justum pretium* illarum pensionum esse minorem summam numeratam.

Ad id, quod in objectione dicitur de au- 3402
thorit. summorum Pontificum ibidem relatorum. R. quòd Martinus V. & Calixtus III. non negent, posse constitui census *personales*; sed solùm decidant, Censuarium, pereunte re non esse obligatum reddere sortem; in quæstione autem, an tali casu teneatur solvere censum, seu pensionem annuam? in neutram partem quidquam ab illis definitum esse, imò (ut habet P. Ferdinandus de Castropalao *tom. 7. D. 6. p. 11. num. 3.*) Nicolaus V. & Gregorius XIII. in suis constitutionibus de censibus, expressè affirmant, *personam in censu obligari posse, obligationemque personæ esse præcipuam; tametsi bona aliqua in securitatem solutionis, hypothecæ, & pignoris jure assumantur.*

Quod adducitur ex constitutione Pii V. 3403
de qua supr. à *num.* 3358. verum habet, Pium voluisse, ut census deinceps non constituerentur, *nisi in re immobili, & frugifera*; ex quo communiter deducunt Doctores, prohibitum esse emere censum *personalem*, id quod valde probabiliter dicitur: ex hoc tamen non sequitur, esse illicitum *ex natura rei*, seu jure naturali, sed tantùm Ecclesiastico; quo casu juxta dicta à *num.* 3362. dicendum erit de ipsius valore, imò & licita constitutione, saltem in loco, ubi ea constitutio, vel non debitè promulgata est, vel usu non recepta. Cæterum Castropalaus loc. cit. ait: quòd Pius V. in illa Extravagante sua non declaraverit census *personales illicitos*, *esse*; sed ad vitandum periculum usuræ statuerit, *ne constituerentur*.

Ex his deducitur, censum personalem 3404
ex natura rei non esse illicitum, sive perpetuus sit, sive temporalis etiam ad certum tempus, quamvis utrumque neget Haunoldus, ut diximus *num.* 3398. ratione negantium est ex eo, quia ex parte, qua cumulus pensionum excedit sortem, injusta est emptio, cùm pretium excedat; ergo secluso damno emergente, lucro cessante, aliove simili titulo, recipi non potest. Deinde, quia perinde est emere pecuniam solvendam simul, ac emere illam per partes: at major pecuniæ summa emi nequit minori,

minori, cùm certa est ejus solutio. Denique non potest quis, secluso damno emergente, vel lucro cessante, mutuare centum sub obligatione reddendi 15. in singulos annos per decennium; ergo neque emere.

3405 Sed affirmandum est cum D. Thoma in *Opusc. de usuris p. 2. c. 1. Lessiol. 2. c. 22. D. 6. ànum. 42.* Salas de censibus *dub. 4. ànum. 2.* nam debitum in singulos annos distributum, communi hominum æstimatione, minoris valet, quàm si simul esset; sic enim subjicitur frequenti periculo interitus cum difficultatibus, & expensis in ejus perceptione, & minus aptum est, ut ex illo lucrum aliquod comparetur, & necessitatibus contingentibus occurratur; ergo hoc debitum tam in fructibus, quàm in reditibus sic speratis, minoris emi poterit, quàm si simul præsens esset.

3406 Confirmatur ex eo, quod aliqui hoc concedant in emptione censûs realis. Nam ideo licita est per eos emptio census *realis* minori pretio, quàm est cumulus fructuum, qui sperantur percipi, quia fructus *in potentia*, qui in censu reali emuntur, utpote multis periculis subjecti, minoris æstimationis sunt, quàm si actu existerent; sed in censu personali idem contingit: pecuniæ enim futuræ, minutim per longum tempus recipiendæ, periculis sunt subjectæ, & suis dominis minùs commodæ. Aliqui contractum, seu censum personalem *vitalitium*, nimirum ad tempus vitæ Censuarii, aut Censualistæ, comparant ludo aleæ interdicto; sed hoc meritò negatur; nam in ludo aleæ non intervenit emptio alicujus rei, & res pendet ex mero casu, non causis naturalibus, sicut vita hominis.

§. 9.

De censibus Ecclesiasticis.

3407 PEr censum Ecclesiasticum hìc intelligimus onus reale impositum Ecclesiæ, vel quamlibet pensionem, aut reditum annuum, quem ex proventibus Ecclesiasticis, Ecclesiæ, Monasteria, & alia loca solvere debent superioribus Prælatis, vel ex causa recognoscendi subjectionem, vel alio titulo; & hæc acceptio censûs est propria, prout hoc titulo de censibus agitur. Prima igitur quæstio est, an ex solutione censûs rectè probetur, solventem esse subjectum ei, cui solvit censum? R. quòd non; nam ex obligatione, quæ nasci potest ex pluribus titulis, nunquam bene arguitur ad unum determinatè; sed obligatio solvendi censum ex proventibus Ecclesiasticis, nascitur ex pluribus titulis; aliquando nimirum ad recognoscendam subjectionem, vel in signum libertatis, & exemptionis, juxta c. *Recipimus. 8. de privileg.* vel in signum advocatiæ, seu protectionis, aut competentis Patronatûs ex fundatione &c. arg. c. *Præterea. 23. de jure Patronat.* ergo ex obligatione solvendi censum ex proventibus Ecclesiasticis non bene arguitur determinatè, quòd fiat *titulo subjectionis.* Hinc petens sibi ab aliquo solvi censum, debet allegare titulum, seu causam, ex qua id juris habeat; nam census, cujus causa ignoratur, non est ex obligatione solvendus, prout habetur in c. *Pervenit. 5. h. t.* Cùm enim Fraxinorensis Abbas Carpensem Ecclesiam fuisset deprædatus, occasione videlicet cujusdam censûs, qui ad quid, & quo titulo solvi debeat, ignorabatur; & super hoc Archipresbyter Paschalem 11. interrogasset; respondit Paschalis: *censum ignorantiæ nec divinis, nec humanis legibus inveniri, oportere enim, ut census omnes, ad quid, & quo modo persolvi debeant præsciatur;* adeoque prædam omnem Carpensi Ecclesiæ restituendam esse, nec permittendum deinceps, ut Fraxinorensis Abbas, aut quilibet alius, eam inquietet.

Causa porrò debendi censum, & consequenter titulus, in quo fundetur jus petendi, sufficienter probatur; si allegetur annua præstatio illius per tantum tempus, ut ejus initii non extet memoria, ut colligitur ex L. *hoc jure, 3. §. Aquæ ductus. ff. de aqua quotid. Abb. inc. ult. n. 7. de causa possess. & propr. & in cit. c. Pervenit; n. 3. h. t. Covarr. in Reg. possessor p. 2. §. 4. n. 4.* sed hoc accipe, si constet de solutione annuatim præstita *tanquam debita*; non autem, si *merè liberaliter*, & gratuitò, vel cum protestatione, quòd non ex debito. Hæc intelligenda sunt, quando actor petit sibi censum solvi judicio petitoris, si autem agat possessorio (pone, si Censuarius recuser solvere censum, tanquam indebitum) tenebitur probare, se hactenus fuisse in possessione, quorannis percipiendi censum, eumque sibi tanquam debitum fuisse per tot annos solutum, nunc autem à 3408

Censuario spoliatum, quo casu restituendus erit, esto reus opponat proprietatem, prout exposuimus *lib. 2. tit. 12. de causa possess. & propriet. ex* c. *Cùm olim. 7. eod. & c. fin. de ord. cognition.*

3409 Not. autem 1. in hoc casu non requiri, ut actor spoliatus possessione, vel quasi possessione juris percipiendi censum ex tali loco, vel fundo, probet titulum, quo acquisivit jus, ubi possessio est temporis immemorialis; quia in hoc agitur solùm de *continuatione* possessionis, non *acquisitione*; esto enim titulum acquisitionis probare non possit propter tempus immemoriale initii, ut sæpe fit; sufficit tamen præsumptio, quam ex possessione tanti temporis, pro justitia possessionis, & consequenter acquisitionis, pro se habet. Hinc non ex decursu temporis habetur illa Censuarii obligatio; sed ex præsumptione juris in tali circumstantia, Censualistæ assistētis.

3410 Not. 2. id procedere non tantùm in censu reali, sed etiam personali, nimirum, ut spoliatus solutione censûs personalis, antecedenter ex debito soluti, possessorio judicio spoliatorem convenire possit in judicio possessorio *recuperandæ*, prout deducitur ex c. *Querelam. 24. de Elect.* ubi, cùm Cardinalis tituli S. Vitalis per Oeconomum, seu Syndicum Ecclesiæ S. Agathæ, quam ipse habebat in commendam (præter alia) petiisset pensionem sexdecim denariorum Papiensium ab Ecclesia S. Salvatoris, nunc autem ab hujus Ecclesiæ Presbytero negatam, seu subtractam; Pontifex ad quæstionem præstandæ pensionis respondit: *quia fuit liquidò comprobatum*, quòd pensio sexdecim denariorum Papiensis monetæ fuerit Clericis Ecclesiæ vestræ pro Ecclesia S. Salvatoris de thermis annuatim, per multa tempora persoluta, sed de novo subtracta, *vos in eundem statum percipiendi hujusmodi de Ecclesia S. Salvatoris de thermis Ecclesiam vestram decernimus reducendam, & ad solutionem pensionis subtractæ, condemnamus Presbyterum ante dictum, salvâ quæstione proprietatis inter Ecclesias memoratas.*

3411 Nam ex hoc textu deducitur, quòd pensionarius, seu Colonus pensionem solvere recusans, si ea antè tanquam debita soluta sit, cogendus sit spoliatum restituere juri suo, & negatam pensionem solvere; sic tamen ut deinde possit super jure proprietatis solvendæ pensionis litem movere; ubi nota, quòd absolutè decernat solutionem census, non distinguendo, an sit realis, an personalis? Unde, quando dicitur, non posse fieri, quòd habeatur possessio præstationis, seu debiti *merè personalis*, cùm persona libera, & illi inhærentia, possideri non possint; respondetur, negando, non posse in persona fundari obligationem præstationis, seu debiti merè personalis nomine alicujus causæ præcedentis, v. g. pacti, contractus, ultimæ voluntatis, &c. pat. in decimis, & tributis *personalibus*; in Vasallis, obligatis ad obsequia personalia domini directi, &c. Unde in istis casibus non tam possidetur persona libera, quàm jus personale, quo habens tale jus exigere possit debitum, pensionem sibi præstandam à tali persona ex ejusdem lucris, adeoque eo spoliatus, in eo meritò defendendus erit æquè, ac spoliatus possessione juris realis.

§. 10.

An Ordinarii locorum, aut Rectores, Ecclesiis sibi subjectis possint imponere debitum solvendi censum?

DE hoc agitur in c. *Scientes. 3. h. t.* 3412 Nam, ubi quidam Abbas Gregorio Pontifici conquestus esset, quòd Episcopus Massæ suo Monasterio consuetudines (seu census, & pensiones, ut notat Hostiensis hic, & Rubrica) velit imponere; rescripsit: *si ab initio hoc non fuit, etiam labentibus temporibus aliquid novi non permittendum imponi*: Deinde in c. *Prohibemus. 7. eod.* quod desumptum est ex Concilio Lateran. ubi Alexander III. *prohibemus insuper*, inquit, *ne ab Abbatibus, Episcopis, vel aliis Prælatis novi census imponantur Ecclesiis, nec veteres augeantur, nec partem redituum suis usibus appropriare præsumant*: sed libertatem, quam sibi majores conservare desiderant, minoribus suis bonâ voluntate conservent; si quis verò aliter fecerit, *irritum, quod egerit, habeatur.*

Ex his juribus deducitur 1. censum no- 3413
vum (qui scilicet in Ecclesiæ fundatione constitutus non est) non posse deinde imponi Ecclesiis, vel Monasteriis ab Ordinariis locorum; sic Vivianus in Rationali juris Pontific. *l. 3. pag. 392. & alii. 2.* nec

vete-

veterem augeri; patet ex textu *c.* 2. ibi: *nec veteres augeantur*; *& c.* 3. ibi: *aliquid noviter non permittas imponi*; augmentum autem imponere, foret aliquid noviter imponere; ergo. Censent autem communiter Doctores, sermonem hic esse de censu perpetuo, & reali; Secùs solùm personali, & ad tempus; ratio primi est; quia licet in permutatione beneficiorum, ubi unum alteri præponderat, defectus minus valentis in ipsâ permutatione, etiam pecuniâ, compensetur, ut dicitur c. *ad quæst.* 6. de rerum permutatione, isti tamen contractus permutationis, & supplendi defectum, *non possunt commisceri*, adeoque nec alius (qualis est census realis, & perpetuus) constitui; nemo enim, Papâ inferior, potest Ecclesiam perpetuò censualem constituere, ex dict. c. *Prohibemus*: ratio secundi est ex c. *cùm venissent.* 9. *de restit. spoliat.* ibi: *& interim auctoritate ejusdem Archiepiscopi, vivente Clerico perceperunt annuam possessionem*; c. *Nisi essent.* 21. *de præbend.* ubi duobus, ad unam dignitatem electis, permittitur, ut à Judicibus, in quos compromissum est, uni eorum, pro bono pacis, constituere annuam pensionem non à dignitate, sed ab eo, qui dignitatem accipit, persolvendam, sic tamen ut extinctâ personâ gravati, extinguatur obligatio solvendæ pensionis nec transeat ad successorem.

3414 Decisionem porrò de novo censu, vel pensione non imponenda Ecclesiis, à locorum Ordinariis, limitant aliqui, ut solùm intelligatur, *sine causa rationabili, & justa*, ita Pirhing *h. t. num.* 9. sed de hoc V. dicta Superius à *n.* 915. Observandum quoque, quod in c. *prohibemus* (prohibente impositionem novi census, vel augmentum veteris) addatur: *nec partem reddituum suis usibus appropriare præsumant*; quo videtur indicari, novis censibus, ab Ordinariis locorum, non posse gravari Ecclesias, *pensione cedente in ipsorum usum, & commodum*; an autem nec in utilitatem aliorum? diximus à *num.* 915.

3415 Quod attinet Rectores Ecclesiarum, Episcopis inferiores, aut alios Beneficiatos, *an ipsi possint novis pensionibus gravare suas Ecclesias, aut beneficia?* videtur dicendum negativè à fortiori; & colligitur ex c. *Præterea.* 8. *h. t.* ubi Alexander III. ad Episcopum Vigoriensem scribit: *qui Episcopo ignorante, auctoritate suâ, pensionem annuam de Ecclesiis, quadam illusione, solverint, sive receperint, eis defunctis in receptione pensionis, non sunt aliquatenus audiendi, si Pontificis, aut alterius, qui de jure id facere potuerit, auctoritatem, & assensum super hoc non interveniisse constiterit; non enim simplices sacerdotes, vel Clerici possunt Ecclesias, quibus præsunt, auctoritate suâ (præsertim post decessum suum) efficere censuales.*

Ex hoc textu habetur 1. Rectores Ec- 3416
clesiarum, aut Beneficiatos, locorum Ordinariis inferiores, sine istorum consensu, consequenter authoritate propriâ, non posse suas Ecclesias, vel beneficia constituere censualia, censu durante, etiam post mortem ipsorum, qui eum in sua Ecclesia, vel beneficio constituerunt; constat apertè ex *cit. litera n. præced.* 2. non posse dictas Ecclesias constitui censuales, sine Ordinarii consensu ad tempus; ratio est, quia particula *præsertim* implicat; non autem, *excludit* casum alterum, sed solùm determinat à fortiori, ut multò minus liceat constituere censum duraturum, etiam post mortem constituentis; habetur 3. juxta id, quòd notat Barbosa in dict. c. *Præterea. n.* 2. quòd census constitutio super rebus Ecclesiæ, accedente Superioris consensu, etiam successores obliget; deducit hoc cum Pereyra *de empt. c.* 27. *n.* 6. ex illis literæ verbis: *Episcopo ignorante*: Verùm ex hoc: *Rector Ecclesiæ non potest authoritate propria suam Ecclesiam constituere censualem ignorante Episcopo*, non rectè sequitur: *ergo potest eo conscio, & consentiente*; nam ex dicto anteced. non rectè infertur istud consequens; cùm non sit contradictorium antecedentis, & in dicto casu possit verum esse utrumque, & quòd non possit authoritate propria, ignorante, ac non consentiente, & quòd non possit authoritate propria, sciente, ac consentiente Episcopo, cùm in pluribus etiam consensus Episcopi non proficiat, ubi scilicet potestas, & consensus altior exigitur. Cœterùm ubi super hoc disponere potest (de quo diximus à *n.* 915.) admitti potest.

Quæstio ulterior est, an Episcopus pos- 3417
sit novum censum imponere Ecclesiæ, de

manu, seu potestate Laicorum redemptæ? ad hoc respondetur ex c. *Ecclesiis. 9. h. t.* ubi dicitur: *Ecclesiis, quas de novo Episcopi de manibus Laicorum eripiunt, præter cathedraticum, juraque omnia, quæ aliis Ecclesiis imponuntur, non videmus exactionem imponendam; quin, novis exactionibus, decreto nostro, prohibemus generaliter amodò Ecclesias prægravari.* Ex hoc enim sequitur, quòd Episcopus majorem exactionem imponere non debeat, præter Cathedraticum, & alia jura, quæ habet in antiquis Ecclesiis, quamvis eriperet, & liberaret Ecclesiam de manibus Laicorum; Vivianus in Rational. *l. 3. juris Pontific. pag. 394. & alii.* De aliis porrò juribus Episcopi, quæ vi legis Diœcesanæ potest exigere ab Ecclesiis sibi subjectis, dicemus à infra.

3418 Quæstio est 2. an, qui juravit solvere *novum* censum, ab eo, qui tale juramentum promissorium ab ipso recepit, ab hac jurata obligatione liberari debeat? R. quòd sic ex c. *significavit. 13. h. t.* nam cùm Rector Ecclesiæ de Fulsius denuntiasset Lucio III. quòd, cùm à Monachis de Castig. ad regimen ipsius Ecclesiæ fuisset electus, de solvendo eis annuo censu trium marcharum, quas prædecessor ejus solverat, præstitit sacramentum: postmodum Episcopus Diœcesis, ne ipsum censum Monachis solveret, nisi prius constaret, quòd Episcopali auctoritate fuisset impositus, in periculum ordinis sui interdixit; quo intellecto Pontifex respondit: mandamus, quatenus, si prædictum censum auctoritate Præsulis, & non de novo impositum fuisse constiterit, Episcopo præcipias, ut prohibitionem sine dilatione relaxet; si verò census sit de novo impositus, & sine auctoritate Episcopi hoc factum fuerit, sive non, eosdem Monachos, ut Clericum à juramento absolvant (appellatione remotâ) compellas; Creditor igitur, qui alicui Clerico imposuit novum censum sub obligatione jurata solvendum, etiamsi debitor se soluturum juraverit, sive hoc factum sit cum, sive sine authoritate Episcopi, tenetur ei talem obligationem remittere, & ad hoc cogi potest; secùs, si non sit novus, sed jam ante cum authoritate Episcopi constitutus; quo nec habetur juramentum posse relaxari à partibus, in quorũ utilitatem fuit juramentũ; ita Sanchez in *Dec. l. 3. c. 20. n. 4.*

3419 Et hoc etiam procedit de Patronis Ecclesiarum, etiam Clericis, si novum censum imponant Ecclesiis, aut veterem augeant, receptâ super hoc solvendo cautione, vel juramento, prout expresè statuit Clemens III. ubi (ut habetur in c. *Gravis. 15. h. t.*) *gravis admodum, & correctione dignissima nuper querela*, inquit, *in audientia est nostra proposita*; quod, salvâ conscientiâ, sub dissimulatione transire non possumus; cùm enim Ecclesiasticæ personæ Ecclesias, quàm plures in Simon. Diœcesi habeant, cùm eas vacare contigerit, non aliter quemquam ad ipsarum regimen volunt vocare, nisi aut novum censum in Ecclesiis illis imponant, aut veterem contra constitutionum Concilii Lateran. augmentent, ad ipsius solutionem instituendum Presbyterum juratoria quandoque, vel fidejussoria cautione cogentes: quandam etiam partem suis usibus redituum applicare contendunt; unde sæpe contingit, ut, Diœcesano Episcopo excessus hujusmodi ignorante, vel eo minimè requisito in Ecclesiis illis inducant pro suæ voluntatis arbitrio Sacerdotes. Quoniam igitur prædictas constitutiones Concilii pati nolumus, neque debemus, aliquorum injuriâ violari, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, cùm super hoc fueritis requisiti, partibus ad vestram præsentiam convocatis, quæcunque noveritis contra constitutionem prædictam super Ecclesiis illis, vel earum censu ab aliquibus à tempore constitutionis attentata, contradictione, & Apostolica cessione, in irritum revocantes, ab augmentatione censuum Ecclesias penitus absolvatis, & ad statum debitum reducatis: Presbyteros, quos super his juramenta illicita præstitisse noveritis, congrua satisfactione imposita, facientes absolvi, eos etiam, quos de cætero contra formam canonum super his venire noveritis, sine cujuscunque personæ acceptione, sub Apostolicæ observationis censura canonica puniatis.

Not. autem, hoc procedere de censu, 3420
quem Patroni noviter imponerent Ecclesiis Patronatis, nimirum extra limen fundationis, seu primò post fundationem; cæterùm illicitum non est, si in ipsa fundatione Ecclesiarum, de consensu Ordinariorũ, sibi censum, vel pensionem annuam reservent, quæ cæteroquin possibilis est, & Ecclesias nimia servitute non gravat. de quo V. titulum 38. de jure Patronat.

ARTI-

ARTICULUS II.

De Exactionibus.

3421 SEcunda pars tituli est de *Exactionibus*, quorum nomine veniunt tributa, aliæque similes collectæ pecuniariæ, seu pensitationes, quæ justis de causis solvi debent Principibus laicis ex ipsorum impositione vel Prælatis Ecclesiasticis, dispositione sacrorum Canonum; *pensitatio* autem *publica*, juxta Molinam *tom.* 3. *D.* 661. *n.* 3. *lit. E.* est vox generalis, quæ comprehendit sub se omnem censum, sive patrimonii, sive capitis; imò ad plura extenditur, ut notat *Gloss. ad Rubric. c. Si propter publicas pensitationes*; at juxta Azonem in summa *rub. citat. pensitationes publicæ* dicuntur annuæ exactiones tributorum, vel vestium, auri, vel argenti, quæ à certis personis solvebantur fisco. *Pensitatio* autem, ex vi vocis est, quasi pensionis solutio; sicut *exactio* est illius petitio. *Exactiones* porrò, seu tributa sunt in duplici genere; nam alia dicuntur *ordinaria*, nempe, quæ à lege certis regulis perpetuò imponuntur. L. *unic. C. de vacat. publici mun.* alia *extraordinaria*, & sunt, quæ non semper, nec ordinariè, sed extraordinariè, & ad tempus imponuntur pro aliqua urgenti necessitate, quæ supervenit; ut, si Rex opprimatur bello, ad quod eget pecuniis.

§. 1.

De portione canonica Episcopali.

3422 PRima quæstio est, quid veniat nomine *portionis canonicæ*? generatim loquendo, canonicam portionem esse illam, quæ approbatur per canones, & per eosdem debetur Ecclesiæ; specificè autem illam, quæ ab Ecclesiis ex omnibus bonis, quæ ipsis relinquuntur, & obveniunt legato, vel oblato ratione funeris persolvi debet; hæc duplex est, *Episcopalis*, & *Parochialis*; illa est, quam Episcopo debent omnes Ecclesiæ, quæ sunt in ipsius Diœcesi constitutæ, ex omnibus bonis, quæ ipsis relinquuntur, & obveniunt, estque tertia, vel quarta pars; *Parochialis* (quæ similiter *quarta Parochialis*, & alio nomine *quarta funeralis* dicitur) est illa, quam habet Ecclesia parochialis ex his bonis, quæ Parochiani legant, sive relinquunt, vel offerunt ratione funeris, cùm quis alicubi extra Parochialem eligit sepulturam, estque dimidia, vel tertia, vel quarta pars juxta diversas Ecclesiarum consuetudines, c. *Certificari. de sepult.* utraque etiam vocari solet *portio mortuariorum*, aut *funeralium*, ut notat Pirhing *de testam. n.* 95.

Quæstio altera est, ex quibus rebus de- 3423
beatur portio Canonica Episcopalis? pro resol. not. de hac quæstione agi in c. *Requisisti. 15. de Testament.* ubi, Innocentius III. requisitus, qualiter ea, quæ testator pro anima sua legat in ultima voluntate, dividenda sint inter Episcopum, & Ecclesiam, cui aliquid à testatore *legatum* est? respondit Pontifex, *regulariter* verum esse, quòd Episcopus debeat de his, secundùm diversas consuetudines, tertiam, vel quartam portionem habere.

Dixit: *regulariter*, quia, ut hoc proce- 3424
dat, vult considerari, & attendi modum, quo Testator legavit? v.g. an legaverit hoc modo: *relinquo istud Episcopo*; *an. relinquo istud Ecclesiæ*; vel, *relinquo istud Episcopo, & Ecclesiæ*; *relinquo istud Episcopo, & illud Ecclesiæ*; ac subjungit statuend. in primo casu distinguendum esse, utrum relinquatur Episcopo ab extraneo, vel propinquo? *si ab extraneo, generaliter verum est, quod præsumitur esse relictum intuitu Ecclesiæ, non personæ*; unde Cathedralis Ecclesia de illo potest Canonicam petere portionem, quemadmodum Episcopo competit sua portio, *si aliquid Ecclesiæ relinquatur*; & hoc verum est, nisi testator exprimat, *quod velit illud tantùm esse Episcopi, non Ecclesiæ*; quo casu servanda est dispositio testatoris, secùs autem, si exprimat, quòd velit illud tantùm Ecclesiæ, non Episcopi: quia privata dispositio testatoris, non potest generalem constitutionem canonis immutare; non obstante canone, qui hùc allegatur, & est Concilii Agathens. c. 6.

2. Si quid Episcopo relinquitur à pro- 3425
pinquo, præsumi, esse relictum, non intuitu Ecclesiæ, sed personæ, & de isto nihil potest petere Ecclesia in vita ejus. 3. si aliud Episcopo, aliud Ecclesiæ relinquitur, dividi canonicè inter ipsum, & ipsam, nisi velint esse testatoris dispositione contenti, quam satis decens est observare; si aliquid legatur Episcopo, & aliqua Capellis, Monasteriis, aut aliis piis locis le-

gantur, portionem canonicam nihilominus deberi; quia non est tanta communio inter Episcopum, & alia sacra, aut pia loca, quanta est inter ipsum, & Ecclesiam Cathedralem, cui est spirituali conjugio copulatus; unde, quæ acquirit, non illis, sed isti tantùm acquirit. Si illi, qui potest proprium possidere, neque habet prælationem, vel administrationem Ecclesiæ, aliquid specialiter relinquitur, censeri relictum non intuitu Ecclesiæ, sed personæ; nihil inde Episcopo debetur, vel Ecclesiæ, nisi fraus interveniat.

3426 Ex hac decretali sequitur, Episcopum ex omnibus *legatis piis*, quæ à testatore pro salute animæ suæ facta sunt *Ecclesiis, Monasteriis, & locis piis, Episcopo, tanquã Ordinario subjectis*, posse exigere, ac recipere portionem canonicam, nimirum in ea quantitate, quæ usu recepta est, juxta diversas locorum consuetudines, quæ aliquando est quarta, subinde tertia, interdum etiam media pars bonorum Ecclesiis pio legato relictorum; nam si non Ecclesiis, sed solùm personis aliquid ab eo legatum est, portioni canonicæ non est locus, ut apertè sequitur ex textu; ubi tamen Panormitanus, & Wagnereck in exegesi ad dict. c. *Requisisti*, notat, quod dicitur de relictis Episcopo debere Ecclesiam cathedralem habere suam portionem, sicut econtra, defacto non servari.

3427 Dixi: *portionem canonicam Episcopis deberi de omnibus legatis piis, quæ fiunt Ecclesiis*; hoc intelligit Pirhing *de testam. n.* 95. etiam *de donatis causa mortis*; sed donatio causâ mortis non est actus Testatoris, de quo loquitur textus; cùm donatio causâ mortis fieri possit sine ullo actu testantis, seu disponentis per ultimam voluntatem *testamentariam*, unde, quamvis etiam Barbosa *p.* 3. *de potest. Episcopi alleg.* 61. *n.* 1. ex donatione causâ mortis velit deberi dictam portionem, ex vi tamen c. *Requisisti*, non rectè deducitur.

3428 Quia verò plura dubia super hoc communiter moventur, primum est, quis hìc veniat nomine *Episcopi*, cui portio canonica solvi debeat? 2. an obligatio, solvendi portionem Episcopalem, aboleri possit consuetudine contraria? 3. an sit de lege Diœcesana, vel jurisdictionis? 4. à quibus solvi debeat? Ad 1. ℟. nomine *Episcopi* venire hìc etiam inferiores Prælatos (ut Archidiaconum) qui habent in ea Ecclesia jurisdictionem quasi Episcopalem; quia, cùm habeant illam sibi pleno jure subjectam, habere debent cum commodis annexis. Barb. *cit. p.* 3. *alleg.* 86. *n.* 9.

Ad 2. ℟. obligationem portionis Episco- 3429
palis aboleri posse contraria consuetudine 40. annis cum titulo præscripta c. *de quarta. 4. de præscript.* ibi: *de quarta decimæ, & oblationis defunctorum Clericus ab impetitione Episcopi, quadragenali præscriptione temporis se posse tueri videtur; nisi fortè interim pastoralis sedes caruisset pastore, qui jura Ecclesiæ suæ exigere debuisset; nam Romana Ecclesia triennalem præscriptionem*, contra *Ecclesiam, non admittit, sine titulo tempore immemoriali.* Sylvester V. *canonica portio q.* 2. & 3. Sed not. hoc intelligi, quando consuetudo est contra jus; nam si sit præter jus (ut si consuetudo foret non dari medietatem) sufficerent 10. anni; sic Sylvester cit.

Ad 3. respondet Barbosa *p.* 3. *de offic.* 3430
& potest. Episcopi alleg. 86. *n.* 9. ex c. 1. de statu Monachorum, eam esse *de lege jurisdictionis*; sed rectius affirmant alii, eam *esse legis Diœcesanæ*, de utraque egimus *l.* 1. *tit.* 1. *à n.* 1286. *ubi etiam à n.* 1287. probavimus Regulares *jure communi exemptos esse à Lege Diœcesana Episcopi*, non autem à lege jurisdictionis, nisi speciali privilegio sint muniti. Quòd autem portio Episcopalis debeatur ex lege Diœcesana, non jurisdictionis est ex ipsâ definitione legis Diœcesanæ, quæ consistit *in recipiendo*, hoc est, quæ statuit de his, quæ sunt Episcopo conferenda, & ab ipso recipienda, v.g. Cathedraticum, quarta funeralis, & visitatio annua, &c. sic Pereyra in Elucidario, seu expositione idiomatis, de proprietate Sermonis Theologici, Canonici, & Civilis *n.* 196.

De hac lege Diœcesana agit etiam Sua- 3431
rez *tom.* 5. *in* 3. *p. D. Thomæ sub fin. in tract. de Legib. l.* 4. *c.* 20. *num.* 1. ubi notat 1. à Doctoribus distingui duplicem legem Episcoporum, & unam dici *legem jurisdictionis*; alteram *Diœcesanam strictè sumptam.* Solet enim interdum, inquit, Suarez, *lex Diœcesana*, sumi *largè* pro toto jure Episcopali; ut in c. *Audistis*, de præscriptionibus; & tunc comprehendit etiam legem jurisdictionis; alio verò modo

modo sumitur *strictè*, & sic distinguitur à lege jurisdictionis, ut in c. *Dilectus, de offic. Ordin. &* 10. *q.* 1. *in summa, & c.* 1. ubi dicitur: *Religiosos esse exemptos à lege Diœcesana*; & supponitur *non esse exemptos à lege jurisdictionis.* Hæc Suarez, qui *n.* 2. subjungit, per Glossam cit. *jura Episcopalia*, sic explicari; ut lex jurisdictionis sit illa, *quæ consistit in agendo, gubernando, seu ministrando*; lex autem diœcesana ea, quæ consistit *in recipiendo*, id est, *quæ statuit de his, quæ sunt conferenda Episcopo, & ab ipso recipienda*; quod his exemplis declarant; nam ad legem jurisdictionis inquit, pertinent omnia, quæ circa judicia aguntur; ut sunt citatio, causæ examinatio, decisio, punitio, vel absolutio, ut ex illo textu colligitur. Unde omnia etiam, quæ pertinent ad gubernationem Diœcesis, ad hanc legem spectabunt, & consequenter etiam statuta condere, & leges, ad eandem legem, pertinet. Addit etiam illa Glossa, Sacramentorum collationem, consecrationem Ecclesiarum, & confectionem chrismatis, ac similia, etiam pertinere ad legem jurisdictionis: ad legem autem Diœcesanam, ait illa Glossa, pertinere *cathedraticum, quartam decimationem, & mortuariorum, Synodum, visitationem annuam*, de quibus in c. *Conquerente, de offic. Ordin.* & videtur fundari in hoc, quòd ab hujusmodi juribus, & oneribus eximantur monasteria in jure in c. *inter alia.* 10. *q.* 3. cum aliis, quæ ibi à Glossa citantur.

3432 Dices: licet jus, seu lex Diœcesana consistat in recipiendo *quædam*; non consistit tamen *unicè in his.* 2. nullo jure probatur, legem Diœcesanam consistere *semper in recipiendo*; primum patet, quia *Synodi congregatio* non consistit in recipiendo: nam vocare ad Synodum, *agere est*, & propriissimus actus jurisdictionis, & similiter illi præsidere: *Visitatio* etiam annua, jurisdictionis est, & in agendo consistit; altera pars non aliter probatur, nisi quia Glossa nullum textum ad id probandum adducit. Sed ℟. ad 1. quoad *jus Episcopi*, duo spectari; unum, quod est *regere*, & *pascere*; & hæc omnia, quæ ad hoc munus spectant, dicuntur esse *de lege jurisdictionis*: aliud est *pasci*, seu *debitum stipendium accipere*, & hæc omnia servitia, & subsidia temporalia, quæ debentur Episcopis ratione sui muneris, dicuntur pertinere *ad legem Diœcesanam sic strictè sumptam*; quo posito: distinguenda est *visitatio annua*, ut intelligatur semel activè pro jure, & actu indicendi visitationem, & eam exercendi, 2. quasi passivè pro debito præstandi procurationes in visitatione, de quibus agetur infra: hac distinctione utriusque legis, & visitationis facilè respondetur, *N. anteced. in* 1. *part. ad ejus prob.* ℟. *vocare ad Synodum*, quatenus importat præcisè *actum convocandi*, agere est, & propriissimus actus jurisdictionis C. quatenus importat receptionem Synodatici, seu Cathedratici N. similiter disting. alterum: visitatio annua, *sumpta activè*, in agendo consistit, & est actus jurisdictionis C. *sumpta passivè*, in quantum importat receptionem procurationum, N.

Ad 2. propos. ℟. dato, hanc distinctio- 3433
nem jurium Episcopalium, quorum unum consistat in lege jurisdictionis, alterum in lege Diœcesana juxta explicationem Glossæ, non reperiri expressè in jure, sufficienter tamen ex jure colligi 1. jus consistens in lege jurisdictionis distingui à jure consistente in lege Diœcesana, cùm, ut probavimus *lib.* 1. *à num.* 1286. jus expressè has leges distinguat; & à *Diœcesana*, Regulares simpliciter exemptos esse affirmet, non autem à lege *jurisdictionis*, deinde ex data distinctione sufficienter indicatur in lege jurisdictionis importari solùm ea, quæ pertinent ad jus, quod est *pascere*, & *regere*, ut exposuimus num. priori, atque adeo spectent propriè *ad agendum cum Diœcesanis*, tanquam subditis, consequenter relatè ad subjectionem, quam Episcopo debeant omnes in ea Diœcesi, nisi speciali privilegio sint exempti; quo fit, *jus recipiendi*, in quantum scilicet importat alterum jus, nimirum *pasci*, seu debitum stipendium accipere, consequenter omnia servitia, quæ debentur Episcopo ratione sui muneris; non dici relatè ad agendum, quæ sunt pastoralis curæ; sed potius ad recipiendum à suis ovibus, quas pascit.

Ad quartam quæstionem, de qua *num.* 3434
3429. ℟. portionem canonicam, seu quartam funeralem Episcopo solvendam, ex dispositione juris Ecclesiastici, deberi *regulariter* à qualibet Ecclesia, vel loco

pio,

pio, cui pro salute animæ suæ aliquid à Testatore defuncto relictum est, ut constat *à num.* 3426. Dixi *regulariter* (nam sic expresè loquitur Pontifex in c. *Requisisti, de quo num.* 3423.) quia hoc non procedit indefinitè, ac universaliter, & in pluribus meritò limitatur; primò enim hæc non debetur de legatis, quæ relicta sunt Ecclesiæ, vel loco pio *exempto*, vel si talis Ecclesia, aut locus pius non sit intra, sed extra Diœcesim talis Ordinarii; sic Barbosa *p.* 3. *de potest. Episcopi alleg.* 86. *num.* 10. & cum eo Innocentius, Abbas, Baldus, Sylvester, Lapus, Ubaldus, Miranda, & alii ibidem relati; nam hoc jus Episcopi, & debitum Ecclesiarum constitutum est ob recognitionem superioritatis in Episcopo, quam ei præstant inferiores Ecclesiæ, c. *Conquerente, de offic. ordin. junct. Glossa* V. *Mortuariorum*; vel ob communicationem, quæ reperitur inter Episcopum, & Ecclesias subjectas, c. *Requisisti de Testam.* vel propter onus, quod sustinet in actibus jurisdictionis exercendis pro bono, & cura Ecclesiarum: sed relatè ad Ecclesias *exemptas*, nulla istarum rationum reperitur; non *recognitio superioritatis*, quia ponuntur exemptæ ab illa; 2. non ratione *communicationis inter Episcopum, & exemptas Ecclesias*, vel *curæ*, ac spiritualis pabuli, quod Episcopi suis ovibus præstant, quia nihil horum intercedit inter Episcopum, & Exemptos ab illo; ergo.

3435 Confirmatur 1. quia Regulares non obligantur Episcopali lege Diœcesana, ut notavimus *num.* 3430. ergo nec pendere Episcopo quartam funeralem de legatis Ecclesiæ suæ factis; nam hujus obligatio fundatur in lege Diœcesana *ex dict. à num.* 3430. Deinde Episcopus non recipit quartam ex legatis Ecclesiæ à Testatore factis pro salute animæ suæ, quæ non pertinet ad suam Diœcesim; nam erga non subjectum jus Episcopale non porrigitur, sed Ecclesiæ exemptæ non pertinent ad Diœcesim Episcopi, à quo sunt exemptæ, ut ostendimus *lib.* 1. *tit.* 1. *de Constit. loc. supra cit.* ergo. 3. Si tales Ecclesiæ exemptæ tenerentur Episcopo, seu Ordinario præstare quartam funeralem, utique tenerentur illam solvere, ac præstare Episcopo, & Ordinario *suo*; non autem, *alieno*; Ecclesiæ autem exemptæ, illum Episcopum, vel Ordinarium, in cujus Diœcesi sunt tantùm materialiter, non autem juridicè, non recognoscunt tanquam Episcopum, & Ordinarium *suum*; aliàs non forent exemptæ ab illo; 4. Episcopus neque exigit, neque percipit jura Episcopalia in locis exemptis, c. *Luminoso* 18. *q.* 2. c. *Cùm Episcopus.* 7. *de offic. ordin. in* 6. ubi Glossa recepta V. *Exempto*; cùm solus Papa dicatur ordinarius Episcopus Exemptorum c. *Nulla dist.* 93. *junct. Gloss. ult. ibid.* c. *Auctoritate.* 4. *de privileg. in* 6.

Dices: Religiosi, quamvis Exempti, 3436
coguntur solvere Ecclesiæ Parochiali, Canonicam portionem de omnibus obventionibus, tam funeralibus, quàm aliis quibuscunque, & quomodocunque relictis; ergo dicendum similiter de quarta funerali præstanda Episcopo; anteced. patet ex Clement. *Dudum.* de sepulturis §. *Verùm*, ibi: Verùm *ne Parochiales Ecclesiæ, & ipsarum Curati, sive Rectores*, qui ministrare habent Ecclesiastica Sacramenta, quibus noscitur de jure competere, prædicare, seu proponere verbum Dei; & confessiones audire fidelium, *debitis, & necessariis beneficiis defraudentur*, cùm operariis mercedis exhibitio debeatur; *auctoritate Apostolica constituimus, & ordinamus eâdem, ut dictorum Ordinum fratres, de obventionibus omnibus tam funeralibus, quam quibuscunque, & quomodocunque relictis, distinctè, vel indistinctè, ad quoscunque certos, vel determinatos usus, de quibus etiam quarta, sive canonica portio dari, sive exigi non consuevit, vel non debet de jure: nec non de datis, vel qualitercunque donatis, in morte, seu mortis articulo, in infirmitate donantis, vel dantis, de qua decesserit, quomodocunque directè, vel indirectè fratribus ipsis, vel aliis, pro eisdem, quartam partem* (quam authoritate Apostolica taxamus, & etiam limitamus) *Parochialibus Sacerdotibus, & Ecclesiarum Rectoribus, seu Curatis, largiri integrè teneantur.* R. 1. ab antecedenti (etiam ut jacet transmissio) non inferri legitimè idem *de portione Episcopali*; textus enim ille non agit *de jure Episcopali*, sed *Parochiali*, quod Parochis debetur

betur propter ministerium Sacramentorum, & cœtera officia pastoralia, ut habetur in §. *verum*, in principio, quæ omnia, cùm Parochus exercuerit in Parochianum, quamvis in loco exempto elegerit sepulturam, non mirum, si *Ecclesiæ Parochiali* debeatur quarta illa portio, respectu cujus non deficit, imò etiam viget ratio debiti; cùm tamen circa *jus Episcopale*, suppositâ exemptione, rationes omnes deficiant, ut modò consideravimus. R. 2. antecedens salvari, si transmittatur, quoad exemptos solùm à lege jurisdictionis, non autem utraque. R. 3. antecedens sic indefinitè prolatum omninò fallere, ut constat ex dict. à *num.* 2432. ubi ex professo egimus de jure Parochiali quoad quartam funeralem.

3437 Confirmari potest ex decisione Rotæ, 15. Jan. 1618. quam refert Barbosa *cit. p.* 3. *allegat.* 86. *num.* 17. ubi clarè habetur ab exempto Monasterio non deberi Episcopo portionem Canonicam de legatis; ubi ait: *quamvis de jure communi ista quarta spectet ad Episcopum, vel Parochum* (Clement. *Dudum, de sepult. c.* 1. *&* 4. *cum aliis eod. tit.* c. *Cum quis pariter eod. tit. in* 6.) *attamen secus est, quando monasterium eximitur à dicta solutione.* In casu autem, de quo agitur, ne dum prædictum monasterium, sed etiam tota Religio est exempta à dicta solutione quartæ funeralium, cùm Paulus IV. & Gregorius XIV. dictis Clericis Regularibus communicaverit omnia privilegia aliis Regularibus concessa; quæ censentur etiam communicata privilegia eximentia à dicta solutione quartæ, inter quæ adest privilegium Julii II. concessum Minimis de anno 1506. ac ejusdem Pontificis concessum minoribus de observantia anno 1511. sui Pontificatus 8. & aliud Pauli III. concessum Minoribus anno 1544. & postremò aliud Pauli IV. concessum ordini Prædicatorum anno 1556. quæ per extensum refert Archangelus Caraccia de quarta funeralium c. 1. Ad id autem, quod allegatur ex *Trid. sess.* 25. *de Reform. c.* 13. *respondimus à num.* 2432. ubi plura etiam ad quæstionem præsentem.

3438 Secundò portio Canonica, seu quarta funeralis non debetur Episcopo de his, quæ à defuncto relinquuntur pauperibus in genere; sic enim relinquitur personis, non locis piis; at Episcopus non habet quartam de relictis, quæ fiunt personis, c. *Ex parte.* 31. *de verb. signific.* ubi, cùm Legatus Pontificius constituisset in suæ legationis Provincia, quod liceret Prælatis Ecclesiarum de his, quæ ipsis legantur à decedentibus, tertiam partem exigere, ac eandem Constitutionem innovasset ejus in legatione successor, ac subinde ambo declarâssent, se non intellexisse, quòd de his, quæ in ornamentis Ecclesiasticis, vel ad fabricam Ecclesiæ, reparatione indigentis, aut Ecclesiæ luminaria; nec non de his, quæ pro anniversario, septimo, tricesimo, ac vicesimo faciendis, vel de his, *quæ personis specialiter*, nisi forsan id fiat *Ecclesiæ ratione*, à quocunque legantur, aliqua deberet solvi portio Ecclesiæ Cathedrali: Pontifex dictam interpretationem approbavit; ibi: *nos interpretationem eorum ratam habentes, secundùm ipsam Constitutionem præfatam præcipimus observari firmiter, inhibentes, ne in prædictis aliquid fraudulenter in præjudicium Cathedralis Ecclesiæ procuretur.* ubi not. quòd in hoc c. expressè solum sermo sit de portione, seu quarta de his, *quæ Ecclesiis legantur à decedentibus*; non autem, quæ *Personis*, nisi hoc fiat intuitu Ecclesiæ.

Tertiò portio Canonica non debetur 3439
Episcopo ab Ecclesiis, quæ privilegio Papæ eximuntur à solutione quartæ; effectus enim privilegii, legitimè concessi contra legem eximit ab obligatione legis, tale autem privilegium concessum esse pluribus Religionibus, earumque Ecclesiis, constat ex *num.* 3437. ergo ab illis Ecclesiis, & omnibus, idem privilegium participantibus, nulla debetur Episcopo portio Canonica, seu quarta de his, quæ ipsis legata sunt à decedentibus. Quod autem aliqui dicunt, ejusmodi privilegiis derogatum esse per Concilium Tridentinum *sess.* 25. *de reform. c.* 13. ad hoc constat responsio ex dict. à *num.* 2422. ubi de quarta Parochiali.

Ex dictis sequitur 1. ex Legatis, quæ 3440.
fiunt Regularibus *Exemptis* (v. g. P. P. Carmelitis,) nihil deberi Episcopo. 1. si fiant personis ratione sui, & non ratione, vel intuitu Ecclesiæ; 2. esto fiant per-

sonis intuitu Ecclesiæ exemptæ; primum constat ex *num.* 3434. quia sunt exempti; deinde ex *num.* 3435. per c. *Ex parte*, ubi clarè dicitur, nihil deberi, si fiant personis, & non fiant intuitu Ecclesiæ; 3. ex *num.* 3425. secundum etiam constat ex *num.* 3430. sequitur 2. nihil etiam deberi Episcopo ex Legatis, à decedentibus factis Monasterio, Collegio, Ecclesiæ, vel loco pio *exempto*; ratio est ex *num.* 3434. id, quod etiam procedit de Confraternitatibus exemptis; tunc enim nullus titulus eo ipso, quod exemptæ sint, in quibus fundetur debitum quartæ funeralis ex Legatis, in eas cadit, ut diximus *num.* 3434.

3441 Sequitur. 3. idem dicendum de Ecclesiis etiam subjectis Episcopo, si munitæ sint privilegio ipsas eximente ab onere solvendi quartam funeralem Episcopo de legatis, tali Ecclesiæ factis non tantùm illis, de quibus loquitur c. *Ex parte* relatum *num.* 3438. sed etiam aliis quibuscunque; privilegium enim eximens à lege, tollit obligationem legis in his, qui per illud exprimuntur, de hoc autem privilegio V. dicta à *num.* 3437. si autem legatum aliquod fieret Ecclesiæ, unitæ alteri exemptæ, dubitari posset, an quarta funeralis debeatur Episcopo ex Legato tali Ecclesiæ unitæ facto? casus est eventu facilis; cùm enim multa sint Monasteria, quibus unitæ fuerunt plures aliæ Parochiales, quas Superiores Monasteriorum, vel per suos Religiosos, vel Clericos seculares administrant; si tali Ecclesiæ aliquid legaretur à Morientibus, quæri potest, an ex eo legato quarta deberetur Episcopo? R. si talis Ecclesia, alteri unita, foret exempta à juribus Episcopalibus, nihil tunc deberi Episcopo, nam ab Ecclesia exempta nihil debetur Episcopo de legatis tali Ecclesiæ unitis ex *num.* 3434. sed Ecclesia de se non exempta, evadit exempta, *si accessoriè* unitur exemptæ ex *num.* 936. *& seqq.* ergo; hoc tamen limitandum est, ut procedat de unione, quæ Ecclesiam unitam *jure plenissimo* subjicit Monasterio, nimirum non tantùm quoad temporalia, & spiritualia, sed etiam quoad perpetuum; si enim iste adhuc maneat subjectus Episcopo, in talem Ecclesiam videtur cadere titulus, in quo fundatur jus Episcopi recipiendi ab ea quartam, de quo titulo egimus à *num.* 3426.

In hac limitatione advertendum, debitum quartæ Episcopalis solùm habere 3442
locum in piis *legatis* tali Ecclesiæ factis, non autem in *donatis* donatione causa mortis, vel inter vivos; textus enim imponens quartam Episcopalem solùm agit *de legatis*. 2. nec habere locum in his, quæ cum funere deferuntur ad Ecclesiam, si tumuletur in illa, ut sunt lumina, faces, candela, linteum, si quod ex more Regionis imponatur feretro; nam ista non veniunt nomine *legati*; 3. nec habere locum in illis, quæ hæredes defuncti liberaliter, *ultra legatum* à Testatore constitutum, offerant Ecclesiæ; nam sic *donata* non veniunt nomine *legati* à decedentibus facti; 4. nec iis, quæ legantur Ecclesiæ ad certum finem, v. g. ad curanda, vel reparanda ornamenta, vel ad fabricam Ecclesiæ indigentis, ad luminaria, ad fabricam, vel ad celebranda sacra in anniversario, die septimo, trigesimo, &c. ut expressè decisum est in c. *Ex parte*. 31. de verborum significatione, de quo V. *num.* 3435.

Dices 1. in textu c. *Ex parte* non dici- 3443
tur absolutè, quartam *non deberi* ex relictis pro fabrica Ecclesiæ; sed cum addito, nimirum, *Ecclesiæ indigentis*; ergo ex legato, vel relictis Ecclesiæ, *de præsenti non indigentis*, debebitur quarta funeralis; & ita, ut testatur Seraphinus apud Barbos. in dict. c. *Ex parte num.* 2. censuerunt Hostiensis, Jo. Andr. Ancharanus, & alii. Covarr. existimante, esse communem opinionem; alii existimant, servandam esse formam legati sic, ut servetur *communis sententia*; si testator voluit, ut statim, vel in singulos annos legatum cedat Ecclesiæ pro reparatione, qua tunc non indigeat; oppositа autem, si legat, quoties restauratione indigebit; addit Barbosa cit. quartam deberi non tantùm in primo casu, sed etiam, si usus sit indeterminatus, & non determinatus perpetuo cultui divino. In hac quæstione dicendum omnino, si constet de mente testatoris, eam adimplendam; Cæterùm ubi prudenter dubitatur, an id, quod legaverit, solùm pro sublevanda Ecclesiæ *præsenti* indigentia? an etiam *deinceps*, cum

cùm egebit, ut facilè contingit, tenendum cum sententia negante tunc debitum quartæ funeralis; cùm enim hæc dispositio Testatoris (ut legatum impendatur pro fabrica Ecclesiæ indigentis) sit dispositio pia in favorem Ecclesiæ, & intelligi possit, de fabrica, vel *conservanda*, vel *reparanda* etiam, cùm Ecclesia tali reparatione indigebit, & textus ab onere quartæ apertis verbis excipiant relicta pro fabrica Ecclesiæ indigentis (non enim faciet fabricam, quâ non indiget, aut indigebit) non debet restringi exceptio tam pia; sed potius ampliari pro omni usu contingentis indigentiæ, seu cùm opus fuerit aliquid fabricare, consequenter in neutro casu locum dari quartæ non tantùm Episcopali, sed etiam Parochiali; cùm textus etiam de hoc procedat, ut observat etiam Barbosa *cit. àn.*

§. 2.

De quarta decimationum, & Cathedratico, seu Synodatico.

3444 AD exactiones, quas Episcopi jure sibi competente, dispositione sacrorum Canonum facere possunt, pertinet etiam *quarta decimationum.* Pro explicatione hujus juris supp. 1. quòd tempore primitivæ Ecclesiæ, cùm Episcopi adhuc essent pauperes, nondum videlicet bonis temporalibus, ut modò, fundationibus piorum hominum in Ecclesias translatis; concessum fuisse sibi semere medietatem de oblationibus Matrici Ecclesiæ factis, ut dicitur c. *Antiquos.* 8. *caus.* 10. *q.* 1. ibi: *Antiquos canones relegentes, priora statuta credimus renovanda, ut de his, quæ in altari; oblatione fidelium conferuntur, medietatem sibi Episcopus vindicet, & medietatem sibi dispensandam secundum gradus,* Clerus accipiat, tam de propriis prædiis, quàm de omni commoditate in Episcoporum potestate durantibus. Subinde autem, posteriori nimirum tempore, tantùm ex Parochialibus Ecclesiis haberent tertiam partem oblationum, decimarum, tributorum, & frugum, ut habetur c. *De his.* 7. & c. *Decernimus.* 10. *ead. causa, & quæst. sed tunc habebant annexum onus fabricæ Ecclesiarum, ita, ut secùs eam exigere non possent, ut apertè constat ex* 10. *q.* 3. *c. placuit.* 1. *& c. Vnio.* 10.

Nunc autem, & tempore recentiori, 3445
constitutum est, ut quarta tantùm, sed sine onere fabricæ, Episcopis pendatur ex omnibus decimis Ecclesiarum Parochialium sui Episcopatûs: constat 1. ex c. *Conquerente.* 16. *de offic. Ordin.* ubi, cùm Episcopus Assismatin, ab Oeconomo Monasterii S. Benedicti, Honorio III. denunciatus, quòd juribus Episcopalibus non contentus, quæ in Ecclesiis, seu Capellis ejusdem Monasterii debet habere, à quibusdam earum procurationem exigit, quas ad dandam procurationem, minimè sufficere proponebat, & exinde Pontifex rogatus esset, ut specificare, quæ Episcopo ratione juris Episcopalis competerent in eisdem? Honorius respondit: *Nos decrevimus*, ut in Ecclesiis, seu Capellis *tuæ Diœcesis*, ad monasterium ipsum spectantibus, habeas canonicam obedientiam, subjectionem, & reverentiam, institutionem, & destitutionem, correctionem, & reformationem, ac censuras Ecclesiasticas; jurisdictionem quoque causarum omnium ad forum Ecclesiasticum, de jure spectantium, pœnitentias, & sacramentorum omnium, quæ ab Episcopo sunt recipienda, collationem, Synodum, & *Synodatici*, seu *Cathedratici* nomine *duos solidos*; *quartam decimationum*, & *mortuariorum*, *visitationem* quoque annuam; ita quòd, cùm ad eas visitandas accesseris, non amplius *procurationis nomine* requiras ab eis, *nisi quantum* (*pensatis facultatibus earundem*) *moderatè poterunt exhibere*; nec plus Cœteris Capellis ejusdem Diœcesis in procurationibus onerentur; tu autem his juribus in præfatis Ecclesiis contentus existens, non amplius ab eis exigas præter *moderatum auxilium*, quod juxta formam Lateranensis Concilii (si manifesta, & rationabilis causa extiterit) cum charitate postulandum, sicut ab aliis Ecclesiis ejusdem Diœcesis pro necessitate temporis sustinemus. Ubi not. ut rectè observat Rubrica hujus c. per hunc textum declarari, quæ sint jura Episcopalia, tam in agendo, quàm in recipiendo; & inter hæc postrema numerari *quartam decimationum*, cum satis notabili distinctione actuum, qui sunt juris agendorum, & juris recipiendo-

rum, quorum illud venit sub lege jurisdictionis; istud sub lege Diœcesana.

3446 De eadem quarta decimarum sermo est in c. *Quarta.* 4. *de Præscript.* ibi: *de quarta decimæ, & oblationis defunctorum Clericus ab impetitione Episcopi quadragenali præscriptione temporis se posse tueri videtur;* & in c. *Cùm olim.* 19. *h. t.* ibi: *Abbatem ipsum ad integram solutionem quartæ omnium decimarum, nullis factis deductionibus, & ad præstationem procurationum, & aliorum Episcopalium jurium in prædictis Ecclesiis condemnamus.* Ex his igitur juribus communiter deducunt Interpretes, quartam decimationum Episcopis deberi ex omnibus decimis Ecclesiarum Parochialium suorum Episcopatuum sine ullo onere fabricæ; sic praxis *Episcop. p.* 1. *V. decimæ.* §. 10. Suarez *de Relig. tom.* 1. *lib.* 1. de divino cultu *c.* 28. *num.* 9. Nec obstat, quòd plerique Canones 10. *q.* 1. & 10. *q.* 3. Videantur concedere Episcopis *tertiam partem,* si quidem procedunt attento jure antiquo, secundùm quod tertia decimarum dabatur Episcopis *cum onere fabricæ,* & reparationis Ecclesiarum, quam, quia multi negligebant, *quarta* absque illo onere videtur instituta, quæ præscriptione, vel consuetudine immutari, minui, & augeri potest, secundùm omnes, prout dicitur in cit. c. *cùm olim,* & c. *Conquerente.*

3447 Per *Cathedraticum* autem intelligitur certa portio, quam Episcopus exigere potest à Presbyteris sibi subjectis, dispositione sacrorum Canonum ei danda *in recognitionem subjectionis,* & *reverentiam Cathedræ,* hoc est dignitatis Episcopalis, & Ecclesiæ Cathedralis; & quoniam quandoque solvi consuevit in synodo, etiam *Synodaticum* vocari solet, c. *Cùm olim.* 19. *de censibus.* De hoc agitur in c. *Conquerente,* de quo superius, & in c. *Pastoralis* 7. de donationibus, ubi, cùm Episcopus Helicnsis quæsivisset ex Innocentio III. an, si Episcopus, consentiente Patrono viris Religiosis aliquam Ecclesiam concedendo, hac utatur simplicitate verborum (*concedimus vobis illam Ecclesiam*) utrum eo ipso videatur in eorum usum fuisse concessa, vel jus tantummodo Patronatûs? Respondit Innocentius: quòd si Episcopus Ecclesiam illis conferat de consensu Patroni, profecto Patronus, quod suum est, conferre videtur, jus videlicet Patronatûs, & Episcopus, quod temporaliter obtinet in eadem; ut, si fructuum Ecclesiæ ejusdem aliquam recipiat portionem, in eorum usus illa portio convertatur. Quod si ex ipsius proventibus nullam debeat portionem habere, omnes proventus (*præter cathedraticum*) in eorum usus credimus convertendos; sed ut Episcopi donatio sit legitima, consensus est sui Capituli requirendus.

Circa istam portionem cathedraticam 3448
dubitari potest 1. quæ sit ejus taxa, seu quantitas juris dispositione? 2. an debita sit etiam ultra procurationes? 3. an possit augeri? 4. an abrogari consuetudine? 5. an contra illam præscribi? 6. an ab Episcopo remitti? 7. an ad eam etiam teneantur Regulares? Ad 1. ℟. Constare ex cit. c. *Conquerente* (ut habetur in textu *n. seqq.*) esse *duorum solidorum;* sed solidorum valor non idem ubique, sed varius est juxta diversam Provinciarum taxationem; unde Pereyra in Elucidario *n.* 816. *Aureus,* & *solidus,* inquit, in jure idem sunt omnino, colligens id ex §. finali Instit. de pœnis temerè litigant. & libram auri confici 72. solidis; ex L. *Quoties. C. de suscept.* & arca: sed in his attendi debet consuetudo rationabilis, & legitima quoad taxationem in qualibet Ecclesia Cathedrali, ut monet Zerola in Praxi Episc. v. *jus Cathedraticum.* §. 5.

Ad 2. ℟. quòd sic; constat ex c. *Conque-* 3449
rente, ubi referuntur tanquam debita distincta, & diverso titulo exigi solita; *cathedraticum* in recognitionem subjectionis; *procurationes,* titulo annuæ visitationis; sic *Gloss. in c.* 1. *& c. Intercætera.* 10. *q.* 3. Ad 3. ℟. posse, inducta consuetudine, tradi à Barbos. *p.* 3. *de potest. Episcopi alleg.* 86. *n.* 43. sed hoc accipe non aliter, nisi legitimè inducta, servatis nimirum iis, quæ necessaria sunt, ut consuetudo pro lege recipiatur, quod non contingit, si augmentis ejusmodi quandoque cogantur submittere colla sua Clerici, plus æquò gravati, cujus clarum exemplum habetur in c. *Inter Cætera.* 10. *q.* 3. Ad 4. per consuetudinem posse videtur introduci, respondet Zerola *cit. p.* 1. V. *jus cathedraticum.* §. 4. non tamen penitus abrogari, vel, præscribi, penitus tollendo, ex quo etiam constat ad 5. Cæterùm cùm hoc debitum sit juris tan-

tum

tùm Ecclesiastici (etsi fortè subjectio, quam superioribus, & Prælatis Ecclesiasticis à subditis sic præscribi non possit, ut nulli omnino subsint, c. *Nulla ratione. dist.* 93.) videtur tamen posse respectu hujus determinati, & simpliciter quoad recognitionem per alicujus pensionis præstationem; ad 6. negativè respondet Abbas in c. *Venerabilis. 24. de Censibus n.* 3. at in hoc textu id non dicitur; sed solùm, quòd Ecclesia etiam Civitatensis teneatur procurare Episcopum visitantem; & quamvis in cit. c. *pastoralis* dicatur, esto per Episcopum aliqua Ecclesia pleno jure liberata daretur Regularibus, adhuc non censeri remissum cathedraticum, & hoc non venire in generali dispositione; non tamen dicitur Episcopum id non posse remittere, si exprimeret specificè illius remissionem; ad 7. R. quòd non, per c. *Inter cætera.* 10. 3. ubi postquam exactiones Episcoporum, quas à Parochialibus Presbyteris Galliæ faciebant, reprobatæ sunt, & statutum ne ultra duos solidos sibi exigant, subjungitur: *Monasteriorum tamen Basilicis ab hac solutionis pensione sejunctis.*

§. 3.

De subsidio charitativo.

3450 SUpponend. Episcopis concessam esse facultatem à subditis suis colligendi quandoque aliquod subsidium, seu auxilium pecuniarium, ex rationabili, & manifesta causa; constat 1. ex c. *Cùm Apostolus.* 6. de censibus §. *prohibemus* ibi: Prohibemus etiam, ne subditos suos talliis, & exactionibus Episcopi gravare præsumant; *sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt* (ut si manifesta, & rationabilis causa extiterit) *cum charitate moderatum abeis valeant auxilium postulare*; cùm enim dicat Apostolus, *non debent filii thesaurizare parentibus, sed parentes filiis; multum longè à paterna pietate videtur. si Præpositi subditis suis graves existant, quos in cunctis necessitatibus, Pastoris debent more fovere; Archidiaconi verò, sive Decani, nullas exactiones, sive Tallias in Presbyteros, seu Clericos exercere præsumant*; ubi not. per *tallias*, vel *talleas* intelligi vectigal aliquod, vel similes pensiones, ut notat Pereyra in Elucidar. *n.* 1273. Hujus subsidii petendi facultas Episcopis concessa reperitur in c. *Conquerente* 16. *de offic. ordin. relato supr. n.* 3449. item in Clement. 1. de excessibus Prælatorum. §. *in exigendo*, ibi: *in exigendo insuper ab ipsis* (nimirum Regularibus exemptis) *ipsorumque subditis, subsidia charitatis excedunt nimium contra eos, & insolitas, ac indebitas ipsis contra jura exactiones imponunt: novos census, & indebita onera Parochialibus imponunt Ecclesiis, in quibus exempti jus obtinent patronatus. &c.*

Not. autem hoc subsidium, secundùm 3451
Hostiensem, & alios, in cit. c. *Conquerente* vocari *charitatis* auxilium, quia à principio ex charitate peti debebat, non per vim extorqueri, ut colligitur ex c. *Ex parte*, de censibus, & appellatur *subsidium*, quia sicut *subsidiaria actio* datur, quando deficit propria, & specialis actio, ut in §. *fin. Instit. ad L. Aquil. & in §. fin. ubi Gloss. Instit. de interdict.* ita hoc subsidium petitur, quando reditus propriæ Ecclesiæ non sufficiunt pro oneribus incumbentibus; non obstante autem, quòd hoc *subsidium* dicatur *charitatis*, consequenter *non justitiæ*, vel alterius obligationis; ubi tamen subsistit manifesta, & rationabilis causa illud exigendi, poterit Episcopus sibi subjectos, indebitè reluctantes, ad id præstandū, etiam per censuras compellere, ut tradunt Doctores communiter apud Barb. *cit. n.* 4. ubi enim ejusmodi manifesta, & rationabilis causa urget, charitas obligat ad succurrendum, non minus, quàm tempore necessitatis cum Eleemosynam indigentibus; his permissis:

Prima quæstio est, quibus concessum sit 3452
exigere subsidium charitativum? R. id concessum esse Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis, seu Primatibus, ex cit. c. *Conquerente*; & c. *Cùm Apostolus*, §. *prohibemus*; quod verum est etiam de Episcopis *electis solùm, & confirmatis*, esto nondum consecratis; cùm hæc facultas non fundetur in potestate ordinis. 2. Capitulo sede vacante, per Glossam in c. *Cupientes*, §. *ad hæc, de Elect. in* 6. V. *aliunde.* 3. Cardinalibus in Ecclesiis suorum titulorum, ubi Episcopalia jura obtinent. c. *Querelam, de Elect.* 4. Legatis Papæ, quibus commissum est officium plenæ legationis in sua Provincia; nam in hac possunt omnia, quæ illius Episcopi. 5. Prælatis Episcopo inferioribus, jure

communi non concedi; secùs privilegio, si quod habent, vel consuetudine, quamvis Barbosa *cit. n.* 29. cum Calderino censeat, Præpositum totius ordinis Regularis, posse hujusmodi subsidium petere à Monasteriis ordinis sui pro sumptibus necessariis ad gubernationem ordinis; si aliunde ratione Præfecturæ non habet bona, quæ ad hoc onus sustentandū destinata sufficiant. Not. autem Archiepiscopū, Patriarchas, & Primates à Clericis suæ provinciæ (qui sunt extra ipsius Diœcesim) non posse exigere subsidium charitativum; sic Azor *cit. c.* 14. *q.* 5. Episcopum autem, quando à Clero suo exigere vult charitativum subsidiū, debere facere *cum consilio Capituli sui*, & *etiam ipsorum Clericorum*, per text. in c. *Novit*, & in c. *quanto*, de his quæ fiunt à Prælatis. Not. 2. Vicario generali non concedi hanc facultatem sine speciali mandato Episcopi, ac proinde in generali mandato, quod accipit à suo Episcopo, hanc non contineri; sic Azor *cit. q.* 5. V. *Vicarius*; secùs est de Coadjutore dato Episcopo à Papa, vel Ecclesia Cathedrali, per c. *Is, cui, de Elect. in* 6. *& c. fin. de supplend. neglig.*

3453 Altera quæstio est, ex quibus causis exigi possit subsidium charitativum? R. quòd non, nisi causa sit manifesta, & rationabilis, ne nimirum cæteroquin subditi graventur plus, quàm par est, ut constat ex c. *Conquerente* cit. c. *Cùm Apostolus, §. prohibemus* & c. *Inter Cætera*, de quo in ante dictis. Quænam autem dicatur manifesta, & rationabilis causa quoad intentum? nihil in jure definitur, adeoque arbitrio Judicis relinquendum existimat Glossa, V. *rationabiles*, in dict. §. *prohibemus*. Cæterùm rationabilis causa, dictum subsidium exigendi secundùm Doctores communiter censetur 1. si urgeat solutio debitorū, quæ contraxit Episcopus pro jure suæ Ecclesiæ defendendo, non solvendorum comodè ex bonis Ecclesiæ; sic Immola in cit. c. *Conquerente*. Deinde, si Episcopus fecit magnas expensas in negotiis communibus pertractandis suæ Diœcesis; Innocent. in c. 1. de stat. Monach. tertiò, si Episcopus iter facere debeat ad Papam, Cæsarem, vel Regem ob commune bonum, vel totius Ecclesiæ, vel ob bonum suæ Ecclesiæ, aut Diœcesis; sic Ancharanus Clem. 1. de Excessib. Prælator. quartò si Episcopus emit rem magni momenti ad conservationem suæ Ecclesiæ necessariam, sic Imola in cit. c. *Conquerente*.

Quintò, si Episcopus visitet limina Apostolorum, ut jusjurandum impleat. c. *Ego enim. de Jurejur. & coll. ex c. ea, quæ de censib.* sextò si iter facere debeat ad Concilium generale, c. *Placuit dist.* 18. *quod extendit Innoc. cit. in c.* 1. *de stat. Monach.* si ire debeat ad Concilium provinciale; septimò, si fecit expensas alicujus momenti in adventu Imperatoris, Regis, vel Principis, præsertim, si ab eo habeat regalia; quo tamen casu subditi non debent nimium gravari. Archidiac. in c. *unic.* 10. *q.* 21. Advertendum tamen, non sufficere causam *esse rationabilem* secundū se; sed, requiri simul, *esse manifestum*, quòd hic & nunc in re adsit talis causa; quarè, ubi solummodo dubium, aut incertum est, dari talem causam, qua justificetur petitio, dubia solùm, & incerta est obligatio subveniendi charitativè.

Sub opinione est, an Episcopus hoc subsidium jure possit exigere, si fecit expensas ad solvendam annatam, quæ solvi consuevit, cùm Episcopus, vel Antistes promovetur? aut, cùm fecit expensas ad electionem suam in Curia Romana prosequendam? In hac quæstione aliqui affirmant, aliqui negant apud Azor *p.* 2. *l.* 9. *c.* 14. *q.* 4. §. *dubiæ quæstionis negantem*; nisi consuetudo exigendi pro tali casu sit recepta, vel bona Episcopatūs ad ea non sufficiant pro annata: de expensis autem litis res magis ambigua est, si enim impugnetur electio, nondum habet jus certum.

Tertia quæstio est, à quibus personis subsidiū charitativum possit exigi? R. posse regulariter tantùm *à suis subditis*, ut constat ex juribus relatis à *n.* 3452. quo nomine veniunt *Clerici*, & Ecclesiæ suæ Civitatis, ac Diœcesis, non autem Laici, 10. *q.* 3. c. *quia cognovimus* ibi: *quia cognovimus, Episcopos per Parochias suas, non Sacerdotaliter, sed crudeliter desævire, & dum scriptum sit* (forma estote gregi, neque ut dominantes in Clero) *exactiones Diœcesi suæ, vel damna infligant, ideo censemus*, (excepto, quòd veterum constitutiones à Parochis habere jubent Episcopos) *ut alia, quæ illis hucusque præsumpta sunt, denegentur*, hoc est, *neque in angariis Presbyteri, aut Diaconi, neque in aliquibus fatigentur indictionibus*;

bus; ne videamur in Ecclesia Dei Exactores potius, quàm Dei Pontifices *nominari; hi verò Clerici tam locales, quàm Diœcesani, qui se ab Episcopo gravari cognoverint, querelas suas ad Metropolitanum deferre non differant; & Metropolitanus non moretur ejusmodi præsumptiones coercere.*

3455 2. non veniunt Regulares, & Monasteria; nam exactio charitativi subsidii est de lege *Diœcesana*, & non jurisdictionis, ex dict. à *n.* 3431. & tenet Barbos. *p.* 3. *de potest. Episc. alleg.* 87. *n.* 45. *& cum eo Bellacin. in tract. de subsid. charitat. q.* 28. *Cochier de jurisdict. ordin. in exemptos p.* 1. *q.* 25. *n.* 8. & alii; sed Regulares, & Monasteria exempta sunt à lege Diœcesana; desumunt hoc aliqui ex 16. *q.* 1. c. *Ne pro cujuslibet.* 37. sed ibi de hoc non est expressè sermo, alii ex c. 1. de statu Monachorum, ubi Gregorius Pontifex ad Archi-Episcopum Neapolitanum: *alicui monasterio*, inquit, *nec tu, nec Presbyteri tui, præter diligentiam disciplinæ, aliquid molestiæ inferatis; aut, si quid illic pro diversorum devotione accesserit, vobis vindicare æstimetis; cum Monachis sibi servientibus debeat proficere, quid quid à fidelibus taliter offerri contingit.* Cœterùm clarius id ostendimus *l.* 1. *tit.* 1. *à n.*

3456 Dices: in Clement. 1. & 2. de censibus, dicitur: *Religiosos debere solvere jura Episcopalia, & subire onera, nisi se tueri possint speciali privilegio Papæ, & consuetudine*; ad hoc respondet Barbosa cit. ibi sermonem esse de monasteriis habentibus Ecclesias Seculares sibi subjectas, quæ Ecclesiæ, antequam monasterio subjicerentur, solvere consueverant Episcopo tale subsidium charitativum, & alia jura Episcopalia; ac proinde censetur unita Monasterio cum suo onere, cum quo transivit res, c. *Pastoralis, de decim.* c. *quia Monasterium, de relig. domib. pro quo ibidem refert* P. Azor *p.* 2. *l.* 9. *c.* 14. *q.* 6. Cochier cit. *n.* 9. *R.* 2. nec in prima, nec in secunda Clementina de Censibus sermonem esse *de subsidio charitativo*, sed de *procurationibus in visitatione*; Cœterùm, quod spectat Ecclesias unitas Regularibus, qualiter illæ teneantur ad jura Episcopalia præstanda, diximus à *n.* 3441.

3457 3. Subsidio charitativo non est locus relatè ad personas, & Ecclesias *exemptas*; cùm exigi possit solùm à subditis, quod maximè procedit, si exemptio sit data cum plena libertate; id enim importat exemptionem non modò à jurisdictione, sed etiam ab omnibus, quæ sunt de lege Diœcesana, inter quæ charitativum subsidium numeratur, ut supra dictum est, sic Bellencinus cit. *q.* 32. *n.* 8. Cochier *q.* 9. *n.* 1.

Præter hæc not. Episcopis non esse fa- 3458
cultatem exigendi subsidium charitativum *à Clericis, nullum beneficium Ecclesiasticum habentibus*, esto sint opulenti in bonis patrimonialibus; cùm illud subsidium debeatur solùm ex bonis Ecclesiasticis; nec *à Clericis inopiâ pressis, & pauperibus*, (censentur autem *pauperes*, qui ex suis beneficiis nihil habent, nisi commodum, & honestum victum, aliàs enim nimium gravarentur) nec à Clericis habentibus quidem beneficium, sed nullos ex illo fructus ex temporum injuria, vel simili causa, secùs est, si fructus non habeat suâ culpâ v. g. propter excommunicationem, vel suspensionem; sic Azor cit. §. *quid item.* si autem duo litigent de beneficio, liberum est Episcopo subsidium exigere, à quo maluerit; sed si is, qui solvit, vincatur ab adversario, jure compensationis uti poterit, & ab altero tantùm repetere, si locus sit compensationi, existentibus nimirum circumstantiis ad hoc requisitis.

Et quoniam hoc subsidium solvi debet 3459
Episcopo à personis Clericorum, ratione suorum beneficiorum, juxta dict. c. *Conquerente*, & c. *Cum Apostolus* (ut tradunt communiter Navarrus in tit. de Censibus, Sayrus in Floribus, eod. &c.) inferri potest, quòd ex fructibus, oblationibus, & eleemosynis, quæ dantur ad opus fabricæ, non solvatur decima, *neque subsidium*; quia ista non sunt *fructus beneficiorum*; *arg.* L. *in agris, ff. de acquir.* rerum domin. nec percipiuntur per *beneficiatum*; sed, per deputatum ad opus fabricæ; ita Extravag. *unica. §. de Eleemosynis*, de decimis, ubi Glossa V. *beneficiorum.*

Quæstio ulterior est, an Rector Ecclesiæ, 3460
habens in una Diœcesi suam Ecclesiam, & in altera suas possessiones, & prædia, solvere debeat subsidiũ Episcopo, in cujus Diœcesi est Ecclesia? *R.* quòd sic; nam hujus titulo debetur subsidium à Clerico ex dict. sup. si autem Papa alicui assignet pensionem ex alieno beneficio cum immunitate

ab

ab onere *subsidii*; totum subsidium præstat Rector beneficii; præsumitur autem hæc immunitas, si eam assignet in alimenta; hæc enim immunia sunt à Contributionibus; sic Azor cit. §. *si quæras*. Quoniam autem quandoque causâ communis pietatis eriguntur domus hospitales, de his etiam quæri potest, an Episcopus jure ab illis exigere possit subsidium? R. 1. posse, si habeant titulum beneficii Ecclesiastici. 2. non posse, si sine auctoritate Episcopi erectæ sint, quia sic sunt domus laicæ; 3. si erectæ sint auctoritate Episcopi, & sint hospitalia Ecclesiastica, non tamen beneficia, probabilius est, non posse; nam solum *jus visitandi* non facit *jus exigendi* subsidium; cùm etiam hospitalia laica, saltem post mortem Fundatoris, visitare possit Episcopus, quando in ipsa fundatione non excluſus est, ut notat Pirhing de *Relig. domib. n.* 26. & tamen ab illis subsidium exigere non possit.

3461 Quæstio altera est unde solvendum sit hoc subsidium? R. quòd *tantum ex fructibus beneficiorum Ecclesiasticorum*; non autem ex distributionibus quotidianis; nam hæ, nomine fructuum, seu reditum Ecclesiasticorum non veniunt, teste Barbos. *de offic. Episcopi alleg.* 84. *n.* 44. *per fructus* autem intelliguntur reditus, quos Clerici percipiunt ex suis beneficiis; & sub his non venire distributiones quotidianas, de quibus fit mentio c. *licet de præbend.* & vocantur *manualia beneficia* c. *olim. de verbor. signific. item victualia* c. *de cætero. de cleric. non resid.* sunt portiones, quæ debentur quotidie Clericis beneficiariis eò, quòd statis horis intersint officiis divinis. Unde nomen habent ex eo, quòd pro certarum horarum varietate in singulos quotidie distribuantur, ita, ut qui Missæ interest, certam sibi fructuum portionem vendicet; qui matutinis, aliam certam; & sic de reliquis, ita tradit Pereyra in Elucid. *n.* 1310. §. *obventionum*, ubi distinguit has à distributionibus simpliciter, dicens: *distributionum* appellatione absolutè venire anniversaria defunctorum, ut tenet Moneta tract. *de distrib. p.* 1. *q.* 3. *n.* 12. Secùs distributionum *quotidianarum* appellatione, ut docet Tuschus *tom.* 2. *lit. D. concluſ.* 511. *num.* 2. quid quid in oppositum dicant multi apud Barb. *appell.* 75. *num.* 2. Quotuplices sint hujusmodi distributiones? latè explicat Azor *p.* 2. *lib.* 7. *quæst.* 3.

Ex his deducitur, hoc subsidium solven- 3462
dum esse ex Capellaniis, quæ sunt beneficia Ecclesiastica, non autem deberi ex Capellania Laica, licet possideatur à Clerico; quia ejus proventus non sunt reditus *Ecclesiastici* per se, sed tantùm per accidens, ratione personæ, ut not. Castropal. *tr.* 13. *D.* 1. *p.* 6. *num.* 1. nam aliàs ex omnibus bonis vinculatis, ratione Missarum, deberetur subsidium, licet non sint bona ullius Ecclesiæ. 3. deberi ex Capellaniis Ecclesiasticis etiam ad nutum amobilibus (quia earum bona sunt per se Ecclesiastica, seu verè sunt bona Ecclesiæ) esto fundator disposuerit, ne solvatur subsidium, sic Garcia apud Castropal. cit.

ARTICULUS III.

De Procurationibus.

TErtia pars Rubricæ hujus tituli est de 3463
procurationibus, quo nomine veniunt eæ expensæ, quæ præstari debent illis Prælatis, quibus ex officio incumbit visitare Ecclesias, sive seculares, sive Regulares. Cùm enim visitantes, spiritualia seminent in utilitatem Ecclesiarum, quas visitant, meritò ab eisdem præstantur procurationes, & temporalia in sustentationem; nam, qui spiritualia seminat, non est magnum, si metat carnalia, seu temporalia, cùm nemo cogatur suis stipendiis militare, juxta Apost. 1. ad Corinth. 9. & habetur etiam in c. *Cùm ex officii.* 16. *de præscript. de quo c. dicemus à infra.*

§. Unicus.

An, & qualiter solvi debeant procurationes, & quid veniat hic nomine illarum?

ANte resolutionem not. 1. *procura-* 3464
tiones non præstari in pretium correctionis, aut visitationis, hoc enim foret simoniacum, cùm illi actus sint actus jurisdictionis spiritualis, sed tanquam debitum stipendium laboris, & alimentorum, quamvis enim Prælati, quorum est visitatio activa, habeant sufficientes reditus aliunde

CK

ex suis beneficiis, & dignitatibus, ut de suo possent facere impensas in visitationibus necessariis; ut tamen magis alliciantur ad eas sedulò peragendas (ne, quod subinde fieri posset; metu sumptuum à se faciendorum, in opere tam salutari, esto ex officio ad id teneantur, minus diligentes sint) jure constitutum est, procurationes esse solvendas ab Ecclesiis per ipsos visitandis; sic esto Canonici teneantur aliunde ad divina officia suæ Ecclesiæ; ut tamen solertius ad ea certis temporibus compareant, constitutæ illis sunt distributiones quotidianæ, ultra reditus sui beneficii, ut jam supra dictum est, & tradit Abb. in c. *cùm ex officii* 16. de Præscript. n. 9. & c. *Procurationes.* 23. h. t. n. 5. quibus positis:

3465 Dicendum Procurationes in visitationibus Ecclesiarum ab his omnino solvendas esse, de jure communi, prout habetur in c. *Cùm Apostolus.* 6. h. t. c. *Sopita.* 14. eod. ubi dicitur, quod Archiepiscopus, visitans provinciam procurari debeat etiam à Monasteriis, intellige ipsius visitationi subjectis, c. *cum instantia.* 17. eod. ubi habetur, omnes Ecclesias, nisi, quæ ad hoc per privilegium Apostolicum sunt exemptæ, ad procurationes teneri Legatis Sedis Apostolicæ, seu illius Nuntiis; similiter in c. *Cùm olim.* 19. eod. dicitur, quod Ecclesiæ teneantur Episcopo, (in cujus diœcesi sunt) *respondere de procurationibus*; c. *Procurationes.* 23. eod. *quòd Prælati tunc sint procurandi, cùm personaliter visitant*; & debent tunc servare Concilium Lateranense, & prædicationi, correctioni, & reformationi, vacare; Legati, & Nuntii Apostolici pro his diebus tantùm, pro quibus moram trahunt, procurari decent, & contra *hanc constitutionem exactum*, restituitur duplicatum; c. *venerabili.* 24. eod. quòd Ecclesia etiam Civitatensis teneatur procuratore Episcopum visitantem; quanquam ipsum nunquam procuraverit. c. *Cùm nuper.* 25. quòd, qui jure metropolitano, vel legationis, visitat provinciam, in provinciales, qui sibi procurationes denegant, possit ferre sententiam. c. *auctoritate.* 27. eod. quòd, *propter privatum oratorium*, procuratio, ratione visitationis, non debeatur.

Ex his juribus deducitur ulteriùs, 3466 procurationes ab Ecclesiis, tempore visitationis solvendas, debere esse *moderatas*, ne plus æquò graventur Ecclesiæ; & ideo Prælati visitantes certum numerum equorum, & evectionum excedere non debent pro diversitate Provinciarum, & facultatibus Ecclesiarum; nec sint onerosi subditis; & Archiepiscopi non excedant numerum 40. vel 50. Episcopi 20. vel 30. Cardinales 25. Archidiaconi 5. vel 7. Decani 2. nec ducant canes venatorios, nec sumptuosas epulas quærant, sed accipiant, quæ honestè, & competenter ministrantur, & *in omnibus quærant Christum*; ut dicitur in c. *Cùm Apostolus* cit.

Huic Constitutioni Concilium Trid. 3467 Sess. 14. de reform. c. 13. addidit monitionem valde Salutarem his verbis; *quæ, ut facilius, feliciusq; succedant, monentur prædicti omnes, & singuli, ad quos visitatio spectat, ut paternâ charitate, Christianoq; Zelo, omnes amplectantur; ideoq; modesto contenti equitatu, famulatuque studeant quàm celerrimè, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absolvere; interimq; caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves, onerosive sint*; Consideravit nimirum Concilium, quandoque revera graves excessus à visitantibus Ecclesias factas esse, prout Pontifex ipse insinuat in dict. c. *Cùm Apostolus*, ibi: *grave nimis esse dignoscitur, quòd quidam Prælatorum ita in procurationibus graves existant, ut interdum Ecclesiastica ornamenta subditi exponere compellantur, & longi temporis victum brevis hora consumat.*

Quæri per accidens hîc potest, quare in dicto c. *Cùm Apostolus*, Cardinalibus, Ecclesias suas visitantibus, pauciores equi concedantur in comitiva, quàm Episcopis? Respondet Gambar. de offic. & potest. Legati de Latere, Lib. 7. n. 126. apud Barbos. in cit. c. *Cùm Apostolus*, n. 4. Cardinales antiquitus per humiliora charitatis opera se exercuisse, & usque ad tempus Bonifacii VIII. nullus erat Episcopus, qui vellet fieri Presbyter Cardinalis; quia putebant non licere descendere à majori dignitate ad minorem; & usque ad Clem. III. qui floruit anno Domini 1190. ea dignitas non

nisi Monachis, & Abbatibus, Decanis, aut Prioribus conferebatur, ut tradunt cit. per Cened. ad Decretal. collect. 115. n. 1. & præcipuè Marsil. Columna de Ecclesiast. redit. origine, p. 2. c. 13. à n. 33. Sic ille.

3469 Deducitur 2. tempus, intra quod visitatio peragi debeat, non esse jure definitum; cùm una Ecclesia uno die visitari queat; alia verò visitari non possit tribus, quatuorve diebus, vel propter ipsius plebis latitudinem, vel propter negotiorum multitudinem; quare boni viri arbitrio relinquitur judicandum, quanto tempore durare debeat visitatio, ut docent Surdus de aliment. tit. 4. quæst. 22. num. 8. Azor instit. moral. part. 2. lib. 3. cap. 42. quæst. 6.

3470 An alteram in titulo §. propositam quæstionem 8. nomine procurationum visitationibus præstandarum hîc intelligi *victualia*, quæ scilicet pertinent ad victum, hoc est *cibum*, *& potum honestum, & sufficientem* pro ipso Visitatore, ejusque moderato Comitatu; & pabulum pro equis ac jumentis, quibus utitur; in quibus suppetendis consuetudo patriæ, seu Provinciæ, facultates subditorum, qui visitantur, & Visitatoris conditio spectanda est, Azor p. 2. Instit. l. 3. c. 42. q. 7. §. *quares*; Zerola in praxi Episc. p. 1. V. *Visitatio* ad dub. 6. Secùs est de vecturis equorum, aut jumentorum, Sarcinas deferentium, nisi visitator sit Prælatus à Summo Pontifice delegatus: tunc enim solvi debent mercedes equorum conductorum, & viaticum, ut ab uno loco ad alium transire commodè possit; Azor. cit. L. 3. q. 8. Barbos. de offic. Episc. alleg. 73. n. 57.

3471 Præter, hæc quæri potest 1. an loco victualium in visitationibus possint visitatores exigere pecuniam? 2. an Visitatores uno die possint recipere plures procurationes, si plura loca visitaverint? 3. an aliquid ultra victualia exigere? quæ non absumantur in loco visitationis, sed alio transportentur? 4. an Notarii visitantium pro Scriptura in visitatione confecta? Ad 1. 8. de hoc agi in 10. q. 1. c. *Relata* 9. quod desumptum est ex Concilio Toletano, ubi habetur querela, quòd sint quidam Episcopi, nolentes ad prædicandum, vel ad confirmandum, suas per annum Parochias circumcurrere, qui tamen exigunt, ut mansiones, quibus in profectione uti debuerant, *aliquo pretio redimant*, qui parare debebant; & demum subjungitur, à PP. ibi congregatis statutum esse, *ne quis ultra exerceat id cupiditatis ingenium*; &, *ut Sollicitiores sint Episcopi de suis gregibus visitandi*; *idq; propterea, quòd illud contineat duplicem infamiam, negligentiæ, & avaritiæ*, & ideo olim ab invitis non licebat pecuniam exigere, ut constabit ex n. seq. Cæterùm si visitati potius in pecunia dare voluerint, quod necessarium juxta vires, & facultates Ecclesiæ fuerit pro visitationis factæ procurationibus, id permittitur, ut habetur in c. *Felicis*. 3. h. t. in 6. mox referendo.

Ad 2. 8. negativè, ex dicto c. *Felicis*, ubi Bonifacius VIII. postquam retulit à Gregorio X. Prædecessore suo, prohibitum fuisse in Concilio Lugdunensi, ut habetur c. 2. h. t. in 6. ne aliqui, ob procurationem sibi ratione visitationis debitam, exigere pecuniam præsumerent, vel etiam recipere à volente; postea verò experientia docente ex hoc tam personis visitantibus, quàm locis, & Ecclesiis visitatis multa incommodorum dispendia provenire, concessisset, ut Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & alii, quibus ex officio competit visitare, à volentibus Ecclesiarum, & locorum visitatorum Rectoribus, seu personis pecuniam licitè recipere valeant, pro sumptibus moderatis faciendis in victualibus, diebus, quibus visitationis officium personaliter exercebunt; Subjunxit, *quòd non liceat visitanti, nisi unam procurationem recipere una die, sive unum locum solum visitaverit, sive plura, etiamsi locus quilibet visitatus ab illo, sufficeret ad procurationem integram persolvendam; cùm eidem sufficere debeat, ut temporalia metat à locis personaliter visitatis, pro diebus, quibus eis Spiritualia subministrat: Cætera verò in ejusdem Prædecessoris constitutione contenta in suo volumus robore perdurare.* Ad 3. 8. quòd non, intellige ex debito; nam procurationes non extendunt se, nisi ad victualia necessaria in loco visitationis, ut dict. est. ad 4. 8. posse accipere justum 3472

stipen-

stipendium à visitatis, ratione decretorum, & ordinationum in visitatione factarum, quas expedit, si non sit de familia visitatoris, nec salarium ex publico habeat, nec consuetudo habeat, vel statutum decernat, ut gratis officium præstet in visitationibus, nam licet etiam ordines gratis conferri debeant, Notario tamen solvitur stipendium pro Scriptura, quâ fidem facit de Collatis Ordinibus, si Salarium non habeat ex publico. Navarr. lib. 3. consil. 1. h. t. Zerola in praxi V. *visitatio.* dub. 4.

3473 Quæri potest 5. an liceat visitantibus accipere munera à visitatis? de hac quæstione plura constituit Innocentius IV. in c. *Romana.* 2. h. t. de quibus infra; ad præsentem autem quæstionem sic loquitur in cit. c. 2. §. *Procurationes: caveat insuper* (visitator) *ne ipse, vel quisquam suorum aliquod munus; quodcunq; sit, & qualitercunq; offeratur, præsumat recipere, ut non, quæ sua sunt, videatur quærere, sed quæ JESU Christi; quòd si fuerit contra præsumptum, recipiens maledictionem incurrat, à qua nunquam* (*nisi duplum restituat*) *liberetur; volumus enim in his fraudem quamlibet penitus evitari.* Quoniam verò hoc decretum Innocentii IV. non servabatur, in illo Capitulo, quo præceperat procurationes in Victualibus, non in pecunia recipi, & non recipi munera, nec etiam procurationes in victualibus à locis non visitatis illam confirmat, pœnas adjiciens Gregorius Decimus ut habetur in c. *Exigit.* 2. eod. in 6. ait ibi: Constitutionem itaque felicis recordationis Innocentii Papæ IV. Prædecessoris nostri, editam super non recipiendis in pecunia procurationibus, ac super receptione numerum visitantibus, eorumque familiaribus interdicta, quàm mætorum fertur temeritas præterire, *volentes inviolabiliter observari*, eam decernimus pœnæ adjectione juvandam, *statuentes*, ut universi, & singuli, qui ob procurationem sibi ratione visitationis debitam *exigere pecuniam*, vel etiam à volente recipere, vel aliàs constitutionem ipsam, *recipiendo munera*, sive visitationis officio non impenso procurationem in victualibus, aut aliquid aliud procurationis occasione violare præsumpserint, *duplum ejus, quòd receperint, Ecclesiæ, à qua id receptum fuerit, intra mensem reddere teneantur*; alioquin ex tunc Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi duplum ipsum ultra prædictum tempus restituere differentes, ingressum sibi Ecclesiæ sentiant interdictum; inferiores verò ab officio, & beneficio noverint se suspensos, quousque de duplo hujusmodi gravatis Ecclesiis plenariam satisfactionem impendant, nulla eis in hoc dantium remissione, liberalitate seu gratia valitura. Post utramq; Constitutionem primam Innocentii IV. alteram Gregorii X. Bonifacius VIII. in illis immutavit prohibitionem, *ne procurationes in pecunia reciperentur*, & posse accipi, concessit ut notavimus ex c. *Felicis* n. præced. Cætera verò in ejusdem prædecessoris constitutione contenta in suo voluit robore perdurare.

Cætera verò, quæ continentur dict. 3474
c. *Romana*, circa quæ Bonifacius nihil immutavit, sed præcepit in suo vigore permanere, quando Ecclesiæ visitantur, sunt seqq. 1. quòd Archiepiscopus, volens Provinciam visitare, prius debeat visitare Ecclesiam, Civitatem, & Diœcesim propriam, Clericos, & Laicos eorundem. Secundò, quòd visitatâ suâ Diœcesi Archiepiscopus in parte, vel in totum visitet omnia loca Ecclesiastica, Clerum, & populum provinciæ, procurationem à visitatis recipiendo; tertiò, quòd Archiepiscopus, post inceptam visitationem in una Diœcesi, transiens ad aliam, ad primam redire non possit, nisi de novo reiteret in tota provincia; quartò, quòd expedita visitatione non reiterat illam Archiepiscopus sine Consilio suffraganeorum, & definitione in scriptis prius facta; debet tamen recipere ab illis, qui in prima non fuerant visitati; quintò, quòd Archiepiscopus visitans debeat proponere verbum DEI, inquirere de vita Ministrorum, & de pertinentibus ad divinum officium *absq; juramento*, in famatos ordinariis denuntiet, & notoria crimina puniat. Sextò, quòd hanc visitandi formam visitationis præmissam servare debeat in Episcopis, & aliis Prælatis inferioribus Regularium consuetu-

suetudinibus exceptis; nam de his, quæ continentur in §. *Procurationes*, diximus superius.

3475 Circa hæc Not. 1. quædam in hoc c. *Romana* statui, quæ concernunt solùm *Archiepiscopum*, quando visitat suam Provinciam; qualia sunt, quæ habentur in initio dicti c. tum in §. *Deinde*, §. *Ex quo*, §. *Postquam* §. *Archiepiscopus*; quædam verò, quæ *Communia sunt omnibus Ordinariis*, visitantibus Ecclesias sibi subjectas; qualia sunt, quæ habentur in §. *Procurationes*, & §. *hanc autem*; quæ n. præced. retulimus. Quam porrò pœnam incurrant Visitatores, quando visitant ratione sui officii, & malè (seu contra sacrorum Canonum prohibitionem) constat ex c. *Exigit.* 2. h. t. in 6. de quo supr n. 2473. Quòd autem hodie visitatores possint recipere procurationes etiam in pecunia volentibus visitatis (cujus contrarium olim constitutum erat in c. *Romana*, §. *Procurationes*) constat ex c. *Felicis* 3. eod. in 6. de quo in præmissis, & Trid. Sess. 24. de Reform. c. 3. vers. *sit tum in optione*; ubi addit Barbos. in dict. c. *Felicis*. n. 2. Visitatorem tunc teneri recipere pecuniam in ea specie.

3476 Not. 2. numerum procurationum commensurari debere numero dierum, quibus durat visitatio, nec eorum numerum excedere, ut notat Hostiensis in c. *Procurationes*, 23. h. t. V. *numerus Procurationum*; ubi etiam dicitur, circa Legatos, & Nuntios Sedis Apostolicæ, adhibito hoc moderamine quoad præstandas illis pensiones, etiam extra visitationem procedendum esse, ut, cùm oportuerit eos apud aliquem locum morain facere necessariam, ne locus ille propter illos nimium aggravetur, *procurationes recipiant moderatas, ab aliis Ecclesiis, vel personis, quæ nondum fuerant de suis procuratoribus aggravatæ*, ita quod numerus procurationum, numerum dierum, quibus hujusmodi moram fecerint, non excedat; & cùm aliqua non sufficerit, per se ipsam, duæ, vel plures conjungantur in unam.

3477 Not. 3. Prælatis, qui exigunt procurationem, quando ipsi personaliter non visitant, constitutam esse jure canonico hanc pœnam, ut non tantùm restituant totum id, quod à tali Ecclesia receperunt; sed etiam tantundem, adeoq; duplum, ut dicitur in cit. c. *Procurationes*, §. *porrò*, ibi: *Porrò visitationis officium exercentes, non quærant, quæ sua sunt, sed quæ JESU Christi*, prædicationi, & cohortationi, correctioni, & reformationi vacando, ut fructum referant, *qui autem contravenire tentaverit, & quod accepit, reddat, & Ecclesiæ, quam taliter aggravavit, tantundem impendat*, de qua pœna dupli, & aliis insuper adjectis, agitur in c. *Exigit.* 2. eod. in 6. relato superius.

Dices: in dictis casibus constitutam esse pœnam quadrupli c. *Quoniam.* 7. Dist. 18. ibi: *Porrò non habeat Metropolitanus licentiam ex his, quæ defert Episcopus secum, sive jumentum, sive aliam speciem expetendi; quod, si hoc egisse convictus fuerit, solvat quadruplum.* Sed 1°. ibi agi de casu, non visitationis Ecclesiarum, de qua aliquid aufert Episcopus ex his, quæ secum defert, dum proficiscitur ad Synodum provincialem. 3478

Not. 4. dum dicitur, *non posse ab Episcopo remitti jus procurationis debita in visitatione*, intelligendum esse non posse in perpetuum, & ex toto, sic ut deinceps nulli eas præstare teneatur, non autem, ut hîc, & nunc, dum ipse visitat, & sponte, de suo expensas facit, nolens gravare Ecclesiam visitandam; ratio prioris est, quia obligatio præstandi procurationes visitandi, est juris publici, cui pactis privatorum derogari non potest. L. *jus publicum.* 38. ff. de pact. & Gloss. in Clem. 2. h. t. V. *Compositiones.* 3479

Not. 5. Si in aliquo loco, vel Diœcesi de procurationibus, & aliis servitiis, Episcopo præstandis, nihil certum statutum esset, in iis ordinandis attendendam esse consuetudinem aliarum Ecclesiarum; Cùm enim Compostellanus Archiepiscopus Pontificem consuluisset, cùm fere tota provincia Compostell. de novo sit ad jurisdictionem Ecclesiæ suæ conversa, qualiter provinciam, vel partem provinciæ visitanti obsequi debeat, & servire, nec non in procurationibus providere? respondit Pontifex, quòd *illud observare teneatur, quod in vicinis provinciis observatur*; sic c. *super.* 3480

c. *super.* 22. h. t. ex quo præterea deducitur, quòd consuetudo vicinorum locorum in dubio sit servanda, ubi non adest particularis, & specialis, ut notat Barbosa in dict. c. *Super* n. 2. cum Boërio, Cavalerio, Rebuffo, & aliis ibid. relatis. Dici etiam hoc loco posset de jure visitandi quibus competat? & quorum locorum? sed de hoc infr. V. titulum. 26. supr. de Relig. Domibus.

QUÆSTIO XL.

IN TIT. XL. DE CONSECRATIONE ECCLESIÆ, VEL ALTARIS.

3481 IN hoc titulo non est sermo de consecratione *Eucharistica*, seu Sacramentali, quam facit Sacerdos in sacrificio, vi verborum, nomine, ac in persona Christi panem & & vinum transsubstantiando in corpus, & sanguinem Christi, DEI ac Domini nostri; sed de illo actu, quo res aliqua DEO dicatur; hinc universim *consecratio* hic idem est, ac *solemnis DEO dicatio*; & quamvis propriissimè *consecrari* dicatur Episcopus: *Ordinari* verò Clericus. c. 2. §. *diebus.* de feriis: tamen *consecrationis* appellatione comprehenditur etiam *ordinatio* quorumcunque ordinum c. *pœnitentes*, dist. 55. &c. *nulli*, dist. 54. imò *consecrandi* verbum potest etiam competere monialibus, c. *sanctimonialis*, dist. 23. Ecclesiæ porrò fundatæ, constructæ, ac dotatæ, secundùm antiquam Ecclesiæ consuetudinem *consecrari* solent; ritus autem, consecrandi Ecclesias, habetur p. 2. Pontificalis Romani sub Clem. VIII. postea recogniti ab Urbano VIII. *Consecratio* igitur Ecclesiæ, vel altaris, est *solemnis ejus dedicatio, facta Deo à legitimo Ministro, cum intentione canonica & interventu debitæ materiæ, ac formæ*; ut constabit ex seqq.

ARTICULUS I.

De Consecratione Ecclesiæ.

3482 ACtum *consecrandi Ecclesiam*, esse actum *ordinis Episcopalis*; *non* autem *inferioris*, deducunt aliqui ex c. *Nemo.* 9. dist. 1. de Consecrat. ibi: *nemo Ecclesiam ædificet, antequam Episcopus civitatis veniat, & ibidem crucem figat, publicè atrium designet, & ante præveniat, qui ædificare vult, quæ ad luminaria, & ad custodiam, & ad stipendia custodum sufficiant*: & oblatâ donatione, si domum ædificet, & postquam consecrata fuerit, atrium ejusdem Ecclesiæ sanctâ aquâ conspergat, deinde ex c. *nullus* 15. ibi: *nullus Presbyter missas celebrare præsumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis, qui sui particeps de cætero voluerit esse sacerdotii*: ex neutro tamen solidè hoc sequitur, cùm c. *Nemo* (quod desumptũ est ex CC. Aurelianensi) loquatur de his, quæ facienda sunt ante ædificationem; & c. *Nullus* (quod est Sylvestri Papæ in generali Synodo dicentis) *missam non esse celebrandam in loco ab Episcopo non sacrato.*

Videtur tamen rectè colligi ex c. 3483
Aqua. 9. h. t. ubi Gregorius IV. Astoricensi Episcopo scribens, ait: *Aquâ, per Episcopum benedictâ, Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum, non negamus; per Sacerdotes simplices hoc fieri de cætero prohibentes, non obstante consuetudine provinciæ Bracharen.* (*quæ dicenda est potius corruptela*) *quia, licet Episcopus committere valeat, quæ jurisdictionis existunt: quæ ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris gradus Clericis demandare.* Quod autem mandantibus Episcopis super reconciliatione factum est, hactenus per eosdem, misericorditer toleramus.

Ex hoc c. deducitur. 1. quòd *reconciliare Ecclesiam* (intellige *consecratam*, propter seqq.) non possit ab Episcopo committi simplici Sacerdoti, nimirum non Episcopo; cùm sit ordinis Episcopalis, ut dicitur in textu; bene tamen alteri Episcopo: per dict c. *Aqua*, ibi: *reconciliari posse per alium Episcopum non negamus*; an autem Summus Pontifex, 3484

possit committere simplici Sacerdoti *reconciliationem* Ecclesiæ per aquam ab Episcopo benedictam? dubitari potest; nam quæ sunt *ordinis Episcopalis*, non Episcopo committi non possunt: Affirmat tamen Wagnereck in Exegesi ad c. *Aqua* n. 1. ubi dict. per simplices Sacerdotes id fieri non posse, *nisi ex commissione Pontificis*; pertinet enim hoc ad potestatem ordinis Episcopalis, (ut dicit Pontifex) saltem *secundariò*, id est, *non jure divino* (alioqui nec Pontifex id simplici Sacerdoti posset demandare) *sed positivo Ecclesiastico*. Ex hoc autem sequitur à fortiori, si actus reconciliandi Ecclesiam est actus ordinis Episcopalis, magis ejusdem ordinis esse actum consecrandi. Sed V. dicenda paulò post n. 3518.

3485 Deducitur 2. Ministrum Ordinarium pro consecratione Ecclesiæ, esse Episcopum; nam aliis Episcopo inferioribus id non competere, habetur ex decreto Calixti II. Papæ in c. *Interdicimus*. 10. 16. q. 1. ibi: *interdicimus, etiam Abbatibus, & Monachis*, publicas pœnitentias dare, infirmos visitare, & unctiones facere, & missas publicas cantare, Chrisma, & oleum, *consecrationes altarium*; *ordinationes Clericorum ab Episcopis accipiant, in quorum Parochiis manent*, intellige *jure ordinario*, secùs est ex Pontificio privilegio, juxta dicta num. præcedent. Hoc quidam Neotericus h. t. § 3. n. 4. (nimirum *Ordinarium Ministrum hujus consecrationis esse Episcopum consecratum*) probat ex c. *Nemo*. 14. & c. *Nullus*. 25. dist. 1. de Consecrat. sed in hac dist. c. 14. non est capitulum *nemo*; nec in 25. *nullus*; illud enim in ea distinctione est 9. & alterum 15. ut constat ex n. 3482.

3486 *Consecratio* porrò, de qua hic agimus, fieri debet *solenniter* (nimirum juxta formam ab Ecclesia præscriptam) à proprio Episcopo, jure ordinario. Fieri autem potest, quolibet die, etiam profano, ex c. *tua*. 2. h. t. ubi Innocentius III. Tornacensi Episcopo, *respondemus*, inquit, *quòd in Diœcesi tua licet tibi Ecclesiis dedicationem impendere tam diebus Dominicis, quàm privatis*; sed non nisi Episcopo missam celebrante, idq; ex præcepto, & consuetudine Ecclesiæ Romanæ ex c. *Omnes*. 3. dist. 1. de Consecrat. ibi: *omnes Basilicæ cum missa debent semper consecrari*. Sic Hyginus Papa dict. c. *ad omnes*; & c. *De Fabrica* 24. ibid. ubi Vigilius Papa ad Eucherium Episcopum, ibi: *& ideo, si quæ Sanctorum basilica à fundamentis etiam fuerit innovata, sine altaris motione sine aliqua dubitatione, cum in ea fuerit missarum solennitas celebrata, totius consecrationis sanctificatio implebitur; Si verò Sanctuaria, quæ habebat, ablata sunt, rursus eorum expositione, & missarum solemnitate, reverentiam sanctificationis accipiet*; si autem missa tunc omitteretur, consecratio illicita foret, non tamen invalida; sic Azor p. 2. Instit. moral. l. 9. c. 4. q. 2. his præmissis.

Quæstio est. 1. an Ecclesia semel con- 3487
secrata, debeat, aut possit iterum consecrari? Ræ. quòd non, loquendo *regulariter*, per c. *Ecclesiis*. 20. dist. 1. de consecr. desumptum ex CC. Nicæno, ibi: *Ecclesiis semel Deo consecratis, non debet iterum consecratio adhiberi*, nisi aut ab Igne exustæ, aut sanguinis effusione, aut cujuscunque semine pollutæ fuerint: quia sicut infans à qualicunque Sacerdote in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti semel baptizatus, non debet iterum baptizari: ita *nec locus Deo dicatus, iterum consecrandus est, nisi propter eas causas, quæs superius nominavimus*, si tamen fidem sanctæ Trinitatis tenuerint, qui eum consecraverunt; excipe tamen 1. nisi omnino non constet de facta consecratione, vel de ea meritò dubitetur c. *Ecclesiæ* 18. dist. 1. de consecrat. *Ecclesia, vel altaria, quæ ambiguæ sunt de consecratione, consecrentur*. 2. nisi passa sit execrationem, de quo infra.

Quæstio est. 2. *an Ecclesia, nec dum* 3488
dotata, consecrari possit? Ræ. in c. *Nemo*. 9. dist. 1. de consecratione, de quo supr. n. 3485. statui, prius illi constituendam dotem competentem, „quæ ad luminaria, custodiam, & ad stipendia custodum sufficiant; atque adeo, si in fundatione, vel constructione, hoc omissum sit, non debere prius consecrari per c. *Cùm sicut*. 8. h. t. ubi Honorius III. scribens Reginæ Hungariæ, ait: cùm ex relatione Capituli Oradiensis nobis innotuerit, quòd eorum feceris Ecclesiam consecrari; profectò speramus, quòd Zelus ille, qui te ad ejusdem Ecclesiæ consecrationem induxit, te quoque, ut eidem dotem

dotem conferas, debeat animare; & quidem, *cùm non sit Ecclesia nisi de dote ei provisum fuerit, consecranda*, eò liberalius ad dotandum prædictam Ecclesiam aperire manus tua munificentiæ debes; quoad hoc fortius, tanquam *ex debito jam tenetur*.

3489 Ex hac c. deducitur, dotem Ecclesiæ dandam esse ab eo, qui eam fundavit, construxit, & consecrari fecit; sic Lambertinus de jure patron. l. 1. p. 2. q. 5. a. 10. hinc nullus debet dedicare, seu consecrare Ecclesiam aliquam, nisi fuerit antea eidem Ecclesiæ assignata dos competens, c. *nemo* de consecrat. dist. 1. ubi gloss. penult. imò, consectantem, Ecclesiam adhuc indotatam, teneri de suo ei providere deducunt complures ex c. *cùm sicut* cit. sicut, qui aliquem ordinavit sine titulo, tenetur ei providere de sustentatione congrua per C. *cùm secundùm* 16. de præbend. Ab hoc onere dotis, ante consecrationem constituendæ, excipiunt aliqui Ecclesias Regularium Mendicantium, quæ sine dote prius constituta ædificari possunt, & Ecclesias in Monasteriis, annuos reditus habentibus; sic Azor cit. *p. 2. l. 9. c. 3. q. 7.* & alii.

3490 Quæstio est 3. *quanta esse debeat dos Ecclesiæ constituenda?* R. de hoc agi 1. q. 2. c. *placuit*, quod desumptum est ex CC. Bracarensi, ubi dicitur: placuit, ut quoties ab aliquo fidelium ad consecrandas *Ecclesias* Episcopi invitantur, *non quasi ex debito munus aliquod à fundatore requirant*: sed si ipse quidem aliquid ex suo voto obtulerit, non respuatur: si verò aut paupertas illum, aut necessitas retinet, nihil exigatur ab illo. *Hoc tamen unusquisq. Episcoporum meminerit, ut non prius dedicet Ecclesiam, nisi antea dotem basilicæ, & obsequium ipsius, per donationem chartulæ* confirmatum, *accipiat. Nam non levis culpa est ista temeritas, si sine luminariis, vel sine substantiali sustentatione eorum, qui ibidem servituri sunt, tanquam domus privata, consecratur Ecclesia.* Ex quo communiter deducunt, ut dos sit competens, requiri, quòd sufficiat pro luminaribus, & ad honestam sustentationem Presbyteri, seu Parochi, cum uno Clerico Ministro, si sit *Ecclesia* Parochialis; vel Capella cit. c. *Nemo* junct. gloss. V. *Custodum*: non requiri tamen, quòd dos in principio constituta, sufficiat etiam ad hospitalitatem exercendam, & jura Episcopalia solvenda: Hostiens. in cit. c. *Cùm sicut* V. *Consecranda*; Azor. *cit. cap. 3. q. 7.* contra glossam.

ARTICULUS II.

De execratione, pollutione, ac reconciliatione Ecclesiæ.

SUpponendum, *Ecclesiam* dici *execratam*, quando amisit consecrationem; *pollutam*, quando violatur reverentia, quæ loco, ad Dei cultum deputato, per unum, vel plures actus, in jure expressos, ut constabit ex seqq. 3491 Hinc non est idem, *Ecclesiam execrari*, & *polluì*; nam *Ecclesia execrata*, ut reconcilietur, indiget novâ consecratione; *polluta* verò, solùm novâ benedictione; hæc autem benedictio (quæ etiam vocatur *reconciliatio*) fieri non potest, nisi ab Episcopo c. *penult.* h. t. nec hoc, etiam Episcopi commissione, committi potest simplici Sacerdoti, licet aqua benedicta foret ab ipso Episcopo c. cit. idque non obstante consuetudine contrariâ. Nomine autem *Ecclesiæ*, quantum est ad hunc effectum, venit *tantùm Ecclesia*, h. e. *locus benedictus*, quo intelligitur omne illud spatium, quòd pertinet *ad interius corpus Ecclesiæ à tecto interiori usq. ad pavimentum*, adeoq; etiam Capellæ intra illam *Ecclesiam*; non autem, Sacristia, Turris, Cameræ adhærentes *Ecclesiæ*, tectum exterius, & spatium intra illud, nec locus infra Ecclesiam, nisi forte constitutus sit ad sepulturam; ita Zoësius h. t. n. 3. his præmissis:

Quæstio. 1. est, quot modis *polluatur* 3492 Ecclesia? R. quòd pluribus; primò enim polluitur Ecclesia, seu violatur, quoad reverentiam debitam loco, ad Dei cultum deputato. 1. per *homicidium directum, vel indirectum, voluntarium, & injuriosum, in ea commissum* c. 4. h. t. ibi; proposuisti: quòd venientibus ad Ecclesiam sancti Jacobi, ex diversis regionibus, peregrinis, & volentibus aliis ab aliis, per contentiones, & rixas, altaris de nocte custodiam vindicare, *homicidia contingunt fieri interdum, & aliquando vulnera inferrentur*: Fraternitati tuæ taliter respondemus, *quòd, manente Ecclesiâ*,

siâ, & altari, ipsa reconciliari poterit per aquam cum vino, & cinere benedictam: & hoc verum est, licet fiat sine sanguinis effusione v. gr. suffocatione, vel etiam alicujus suspensione, etiam eâ digni; quia per hoc non cavetur injuria loci sacri, quæ hic maximè consideratur. Ad hanc Ecclesiæ violationem, quæ posita reconciliari debet, reducitur *lethale vulnus*, in Ecclesia datum, etiam citra sanguinis effusionem, si vulneratus ex eo moriatur, etiam extra Ecclesiam; quia tota actio injuriosa, per se illativa mortis, & Ecclesiæ injuriosa, facta est intra Ecclesiam; quamvis hoc neget Zoësius hîc n.4. sed textus clarè loquitur etiam *de vulnere.*

3493 Alter casus, quo polluitur, seu violatur Ecclesia, *fit per humani sanguinis effusionem in ea factam voluntariè, cum injuria*; c. *fin.* h. t. ibi: *si Ecclesia non consecrata, cujuscunq; semine fuerit, aut sanguinis effusione polluta, aquâ protinus exorcizata lavetur, ne divinæ laudis organa suspendantur: est tamen, quàm citiùs fieri poterit, consecranda*, & c. *Unico*, eod. in 6. ibi: *si Ecclesiam, pollui sanguinis effusione contingat, ipsius cœmeterium, si contiguam sit eidem, censetur esse pollutum: unde, antequam reconciliatum fuerit, non debet in eo aliquis sepeliri: Secùs si remotum fuerit ab eadem. Non si quoq; in casu converso sentimus, ut videlicet polluto cœmiterio (quamvis Ecclesiæ contiguo) debeat Ecclesia reputari polluta; ne minus dignum, majus; aut accessorium, principale ad se trahere videatur. Non unum, sed plura cœmeteria esse noscuntur, quæ, quamvis sibi cohærentia, parietate tamen medio se jungunt; ideoq; violato eorum altero, alterum (licet de uno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus) non propter hoc reputabitur violatum.* Ut autem verificetur *effusio sanguinis*, cùm denoter aliquam sanguinis abundantiam, non sufficiunt solùm paucæ guttæ, ut notat Abbas in cit. c. *proposuisti* num.3. addit Pirhing h. t. n.11. ex Diana p.6. tr.6. resol.24. non pollui Ecclesiam, *si etiam copiosus sanguis* fluat *ex naribus, propter percussionem alapâ, seu pugno*, quia nares sunt organum, undè sanguis facilè emittitur; sed quid obstat, quò minus verum sit, in Ecclesia *factam esse voluntariè, ac injuriosè humani sanguinis effusionem?* hâc autem polluitur Ecclesia ex dict.

Not. præterea, homicidium, vulnerationem, vel sanguinis humani effusionem in Ecclesia, debere esse *voluntariam*, adeòque si fiat solùm casus non pollui Ecclesiam; sic glossa in c. *unic.* h. t. in 6. V. *sanguinis*; deinde, debere esse *injuriosam*, seu injustam; relatè nimirum ad eum, qui patitur; ubi tamen aliqui censent, per ejusmodi actus pollui Ecclesiam, esto fiant *sine injuria personæ*, quæ v. g. occisa est, vel vulnerata; si sint contra reverentiam loco sacro debitam, ut, si quis Reus mortis, in Ecclesia suspenderetur; hinc dicunt, ad actionem, quâ polluitur Ecclesia, sufficere, quòd facta sit voluntariè *vel* cum injuria alterius, *vel* cum irreverentia loci sacri, vel utroque modo. Quando autem dicitur effusione humani sanguinis pollui Ecclesiam, non interest, an tangat, vel non tangat pavimentum Ecclesiæ; cum hoc stare possit, & tamen sanguis effundi, impeditâ ejus defluxione in terram. 3494

Tertius casus, quo polluitur Ecclesia, 3495
fit *per humani seminis effusionem* nimirum *voluntariam, publicam*, ac *illicitam, factam intra Ecclesiam*; constat ex c. *fin.* h. t. de quo supra; ubi tamen nota, cùm dicitur: *illicitam*, intelligi non tantùm illum actum Venereum, de se illicitum, prout importat peccatum carnis per fornicationem, adulterium mollitiem; sed etiam prout importat actum de se licitum (v.g. conjugalem copulam) citra causam excusantem, intra Ecclesiam exercitum; quia est contra reverentiam, loco sacro debitam. De adulterio extra Ecclesiam commisso habetur etiam in c. *significasti.* 5. de Adulteriis, ubi, postquam, innotuit, adulterium intra Ecclesiam commissum esse à quodam Sacerdote cum conjugata, Alexander III. mandavit, *Ecclesiam per aspersionem aquæ benedictæ reconciliari*; idem de hoc tertio casu habetur in c. *Ecclesiis.* 20. dist. 1. de Consecrat. superius relato; excipe tamen casum, quo duo conjuges, diu in Ecclesia clausi esse cogerentur, cum periculo pollutionis, si tunc deberent abstinere ab usu conjugali; nam hoc, ad conservandam vitam animæ, non foret contra legem cæteroquin ejusmodi

modi actus Venereos intra Ecclesiam prohibentem; sicut nec sanguinis effusio conservandæ vitæ corporali necessaria. Sed & illud observandum est, Ecclesiam non pollui seminis humani effusione intra ipsam facta, quamdiu *occulta* est; nam Ecclesia non judicat de occultis; & reconciliatio Ecclesiæ in casu capituli *significasti*, decreta fuit, quando adulterium illud *publicè detectum fuit*; unde, si factum occultè, deinde fiat publicum, solùm, à tempore publicitatis, reconciliationis necessitas oritur.

3496 Quartus casus est, quo polluitur Ecclesia, *si in ea sepultus sit defunctus in excommunicatione*; c. *Consuluisti*. 7. h. t. ubi Innocentius III. Episcopo Sennonensi rescribit: *Cœmeteria, in quibus excommunicatorum corpora sepeliri contingit, reconcilianda erunt aspersione aquæ solemniter benedictæ, sicut in dedicationibus Ecclesiarum fieri consuevit*; ex quo à fortiori; sequitur idem dicendum, si sepultus sit intra ipsam Ecclesiam; cùm irreverentia sit major, quamvis verum sit, polluto cœmeterio, non hoc ipso pollui Ecclesiam; quin hoc procedat è converso, ut pollutâ Ecclesiâ eo ipso etiam pollutum sit cœmeterium; cujus ratio sumitur ex n. 3493. Not. autem per *excommunicatum* hîc non intelligi, nisi excommunicatum *nominatim*, & *denuntiatum*; vel *notorium Clerici percussorem*; non autem *toleratum*, saltem post CC. Constantiense de quo plura lib. 5. tit. 39. de sentent. excommunicat. Not. 2. cùm effectus, quòd ex tali sepultura polluatur Ecclesia, vel cœmiterium, reducatur in decretum pœnale, quo excommunicati in pœnam excluduntur à sepultura Ecclesiastica, decretum non debere extendi ultra expressa; consequenter non pollui Ecclesiam per sepulturam defuncti *nominatim interdicti*; cùm de illo textus pœnalis non loquatur; sic Layman l. 3. Summæ, tr. 5. c. 5. n. 8. Zoësius hîc n. 11.

3497 Quintò polluitur Ecclesia *per factam in ea sepulturam hominis non baptizati, pagani, vel infidelis*; habetur c. 27. & 28. dist. 1. de consecr. ubi solùm dicitur. 1. quòd dato tali casu in ejusmodi Ecclesia non liceat missas celebrare, usque dum reconcilietur. 2. quòd prius debeat cadaver sepulti pagani foras projici, & Ecclesia purgari, radendo parietes, & tigna; sed quod dicitur de *radendo pariete*, intellige, si casus contigit in Ecclesia non consecrata; si verò consecrata sit, sufficit eorum dealbatio, ne consecratio perdatur. V. Layman cit. n. 15. Quando autem mater fidelis cum fœtu, sine baptismo in utero mortuo, in Ecclesia sepelitur, ea per hoc non violatur; quia fœtus tunc est pars corporis materni; sic Azor p. 2. l. 9. c. 7. q. 1. Layman cit. c. 5. n. 8. secùs est de fœtu separato à Matre; Zoësius cit. n. 14.

Sextò, Ecclesiam etiam pollui si ab 3498
Episcopo notoriè excommunicato consecrata sit, vel benedicta) censet Sylvester V. *Benedictio*. qu. 6. sed verius est oppositum; cùm hujus in jure nullum sit fundamentum, & lex pœnalis ad casum non expressum extendi non debeat; sic Layman cit. cap. 5. n. 9. Suarez tom. 3. D 81. Sect. 4. & alii, his præmissis.

Quæstio altera est, quot modis Ec- 3499
clesia execretur, seu consecrationem amittat? hac enim amissâ dicitur *execrata*; ea porrò consecratio consistit in exteriore parte, seu superficie parietum, qui chrismate liniuntur appositio signo crucis; ex hoc colligitur Ecclesiam execrari, si igne sic exusta sit, ut parietes interiores sint devastati, aut ex toto, vel majori parte abrasi c. *Ecclesiis* 20. dist. 1. de consecrat. 2. si *totum* Ecclesiæ ædificium, sive casu fortuito, sive consulto destruatur, præsertim quoad parietes sic, ut de novo fieri debeant c. 24. de Consecrat. dist. 1. junct. gl. V. *Innovata*; non autem, si parietes non sint læsi, sed tantùm alia v. g. ædificia lignea, & reparentur solùm per partes, & successivè c. 6. h. t. ibi: *ligneis ædificiis Ecclesiæ vestræ casu consumptis parietibus tamen illæsis, ac mensâ principalis altaris in sua extremitate modicam passa fracturam*, inquisit: tuæ duximus respondendum, quòd *cùm parietes in sua integritate permanserint, & tabula altaris mota, vel enormiter læsa non fuerit, ob causam prædictam nec Ecclesia, nec altare debet denuò consecrari.*

Quæstio tertia est, quis sit effectus, 3500
cùm Ecclesia execratur, vel polluitur? R. cùm constet ex dictis num. 3482.

nulli licere missas celebrare, nisi in sacratis ab Episcopo locis; ubi Ecclesia fuerit execrata, vel polluta, priusquam reconcilietur, in ea non licere celebrare missas, & peragere divina ministeria, quæ vel in constitutione sua, vel sacrorum canonum dispositione fieri non debent, *nisi in locis sacratis*; quo habetur, effectum execrationis, vel pollutionis Ecclesiæ, esse suspensionem divinorum, duraturam usque ad reconciliationem; & quidem, per consecrationem novam (quando Ecclesia execrationem passa est) vel benedictionem, si polluta fuerit. Unde Suarez tom. 3. D. 81. Sect. 4. docet, *ex suo genere, & per se loquendo*, peccatum mortale committi, in Ecclesia violata missam dicendo, antequam purificetur; rationem reddit; quia *pollutio Ecclesiæ nihil est aliud, quàm quædam prohibitio, jure Ecclesiastico introducta, ut nec sacrum, nec alia divina officia fiant, in hujusmodi Ecclesia, quando aliquid ex prædictis delictis, seu impedimentis intervenit*; ut constat ex cit. canonibus; hoc autem præceptum est justum, & grave, pertinetque ad reverentiam Ecclesiarum: ergo obligat sub mortali; sic ille.

3501 Cæterùm, loco cit. tradit, ex D. Thoma, de licentia Episcopi posse fieri sacrum in Ecclesia violata, ante reconciliationem, quia, si Episcopus potest dare licentiam, in loco non consecrato sacrificandi; ergo & in loco nondum reconciliato; quia in c. *missarum*, absolutè dicitur, *missam posse dici* (*ubi Episcopus permiserit*) & in c. *Hic ergo* de consecrat. (*ubi Episcopus jusserit.*) ergo sub hac generali regula comprehenditur etiam Ecclesia polluta, si Episcopus in ea jusserit, vel permiserit celebrari. Addit verò Soto (& videtur quidem verum) ut hoc justè fiat, requiri gravem causam: quia est dispensatio quædam in lege Ecclesiastica, & gravi. Et tanta posset esse necessitas, ut, si non posset accersiri Episcopus, etiam sine facultate ejus id liceat; quia Ecclesiasticum præceptum non obligat cum tanto rigore. Atque his modis excusantur, qui in regionibus Septentrionalibus sacrificant in locis, in quibus sepulti sunt hæretici; quia, vel necessitate coguntur, quia alibi commodè sacrificare non possunt; vel etiam Episcopi videntes, & consentientes, facultatem præbere censentur; ita Suarez loc. cit.

Quæstio est 4. *an Sacerdos, contra ca-* 3502
nones, celebrans in Ecclesia violata, incurrat aliquam pœnam? dubitatio maximè procedit de irregularitate? R. hanc ratione hujus delicti præcisè, *immediatè, ac proximè*, non incurri; ita Suarez cit. & apud eum Sylvester V. *Consecratio.* 2. q. 9. & alii, dicens, id expresè declaratum in c. 15. *qui* 18. de sentent. excommunic. in 6. ibi: 15. *qui in Ecclesia sanguinis, aut seminis effusione pollutâ, vel qui præsentibus majori excommunicatione innodatis, scienter celebrare præsumit: licet in hoc temerariè agat, irregularitatis tamen* (*cùm id non sit expressum in jure*) *laqueum non incurrit.*

Dices: licet non sit expressum sub 3503
specifica ratione; tamen est expressum sub generali ratione *interdicti*; nam (ut ibidem dicitur §. 15. *verò qui*) *qui celebrat in loco interdicto, irregularis fit.* Sed Ecclesia violata est interdicta: ergo R. N. ma: nam, quando dicitur, celebrantem in loco *interdicto*, irregularem fieri, ut habetur in dict. c. 15. *is qui* §. *is vero*, sermo est *de interdicto, quod vere; ac propriè est censura Ecclesiastica*; at prohibitio Ecclesiastica, ne celebretur in Ecclesia violata, non est, verè, ac propriè censura Ecclesiastica; aliàs etiam *interdictum*, ne fiant nuptiæ in certis casibus, aut temporibus, esset censura propriè dicta: ergo.

Si dicas: ergo saltem incurret irre- 3504
gularitatem *mediatè*. Nam, ut tradit Sylvester cit. cum nonnullis aliis, qui celebrat in Ecclesia violata, manet ipso jure suspensus; ergo si post hanc suspensionem rursum celebrat, fieri irregularis, *mediatè*; probat conseq. ex c. *Episcoporum* 8. de privil. in 6. ubi interdicitur ingressus Ecclesiæ Regularibus, vel Secularibus (quamvis exemptis) qui scienter celebrant, vel celebrari faciunt divina in civitatibus, vel locis interdictis? R. N. illatum; ad prob. N. ant. quamvis enim verum sit, suspensum, durante suspensione, peragentem divina, à quorum usu activo suspensus est, evadere irregularem; negatur tamen

cele-

celebrantem in Ecclesia violata suspensionem incurrere; cùm suspensio in dict. c. *Episcoporum* imponatur iis solùm, qui faciunt divina *loco interdicto, per censuram Ecclesiasticam*; non autem nudam prohibitionem, qualis est hoc, quam importat violatio Ecclesiæ, ut jam dictum est num. præced.

3505 Quæstio est 5. *qualiter Ecclesia execrata, vel polluta reconcilianda sit?* R. si verè sit *execrata*, prout jam exposuimus, esse reconciliandam novâ consecratione; si autem solùm *polluta*, per aspersionem aquæ solenniter benedictæ ab Episcopo; prima pars colligitur ex c. 1. h. t. & c. *quod in dubiis* 3. eod. ubi textus loquens de altari consecrato, & postea moto, vel enormiter fracto, ait: *debet non immerito consecrari*; item ex c. *ligneis* 6. eod. relato superius: altera verò pars ex c. *proposuisti* 4. eod. ibi: *reconciliari poterit per aquam cum vino & cinere benedictam*; c. *Consuluisti.* 7. eod. ibi: *reconcilianda erunt aspersione aquæ solenniter benedictæ, sicut in dedicationibus Ecclesiarum fieri consuevit*; c. *si Ecclesia* 10. eod. ubi de Ecclesia etiam non consecrata, si violata sit, dicitur: *aquâ protinus exorcizatâ lavetur*; quibus autem cæremoniis fiat solennis consecratio, qualiter hæc differat à simplici benedictione Ecclesiæ, videri potest in Pontificali, seu ordine Romano.

3506 Quoniam autem superius n. 3491. diximus ex c. *Aqua*, Ecclesiam non posse reconciliari *per simplicem Sacerdotem*, etiam si adhiberet aquam per Episcopum benedictam; neque hoc illi ab Episcopo committi posse, dubitari potest, an hoc procedat in casu Ecclesiæ pollutæ non solùm quando *consecrata* est; sed etiam *solùm benedicta?* R. intelligendum de casu, quo Ecclesia *consecrata* violatur; non autem si *tantùm benedicta*; ita Suarez cit. tom. 3. p. 5. & ult. D. 81. Sect. 4. §. *Secundò quæret.* ubi ait: quòd Sacerdos, si, dum celebrat, Ecclesia violetur post inceptum canonem, finito sacrificio, ipse possit statim eam reconciliare juxta c. *si Ecclesia* 10. h. t. per aspersionem aquæ benedictæ, & alias breves & faciles cæremonias, prout habetur in Cæremoniali Ecclesiastico.

ARTICULUS III.

De consecratione, execratione, pollutione, ac reconciliatione Altaris?

ANte resolutionem notandum, *Altare* omnino requiri, ut licitè sacrificium celebretur, ut dicemus in tit. seq. *Altare* dicitur ab altitudine, quasi *alta ara*; quia, ut notat Suarez D. 81. Sect. 3. locus sacrificii, in altum erigi solet; tum propter significationem; tum propter sacrificandi commoditatem. *Altare* enim, ut ex variis tradit Gavantus ad Rubric. Missal. part. 1. tit. 20. significat. 1. mensam Domini; 2. crucem; 3. Christum, per quem sacrificia à Deo acceptantur: 4. Ecclesiam spiritualem; cujus cornua sunt quatuor mundi plagæ. *Altaris* usum desumptum ex sacra Scriptura Genes. 8. & 1. Corinth. 9. Sixtus 2. decrevit. *Ara* (sumpta pro *Altari*) est propriè illa superior pars altaris, quæ *area plana* vocari potest. Hinc nomen habet ab *area*, vel ab *ariditate*, quam ignis affert, vel ab ardore ignis, quo sacrificia cremantur, juxta Gemmam. lib. 1. cap. 122. Nominatur multipliciter ab Ecclesiasticis Authoribus: scilicet *Viaticum*, à Bonifacio VIII. c. *ult.* de privil. in 6. Dicitur *Antimense*, à Nicephoro apud Belingerum lib. 3. cap. 30. & Balsamine ad Concil. 6. can. 31. *tabula itineraria*, ab ordine Romano: & *tabula Altaris*, in Concil. Triburiensi; & c. *concedimus*, de consecrat. dist. 1. præcipitur in Rubr. 20. Missalis, ut *ara sit lapidea, ab Episcopo consecrata, altari inserta, & tam ampla, ut Hostiam, & majorem partem calicis capiat.* 3507

Not. 2. altaria esse in duplici genere; quædam sunt *stabilia*, quæ ita loco, & basi, cui insistunt, affixa sunt, ut prius erigantur, ac solidentur, quàm consecrationem accipiant; proindeque eam non amittunt per levem fractionem; c. *ligneis*, & c. *quod in dubiis*, de consecrat. Eccles. Sed vel per fractionem enormem, vel per solam amotionem à basi, cui affixa sunt. Quædam sunt *mobilia*, alio nomine *portatilia*; alia *Viatica*, quæ ita fabrefient, ut possint transferri in diversa loca: & ideo *per* 3508

se consecrantur, proindeque solùm deperdunt consecrationem, quando ita franguntur, ut majori parti non possit imponi calix cum patena, quæ hostiam continet.

3509 Not. 3. inter paramenta, seu ornatum Altaris, esse *sigillum*, alio nomine *sepulchrum*, quo intelligitur parvus locellus in ipsa mensa, vel basi altaris, in quo conditæ sunt reliquiæ. De illo habetur mentio c. 1. de consecrat. Eccles. his verbis. *Si Altare motum fuerit, aut lapis ille solummodo superpositus, qui sigillum continet, confractus, &c.* De hoc sigillo latè meminit Sylvester V. *Altare num.* 1. Ubi affirmat id requiri, ut altare sit legitimum. Videtur id suaderi ex c. *placuit*, de consecr. dist. 1. & Synodo 7. generali, can. 7. Ubi præcipitur deponi, *qui Templum consecravit sine sanctis reliquiis.* Verùm Hugo, & Alensis apud Sylvest. cirat. & Sotus in 4. dist. 13. quæst. 2. artic. 3. dicunt, consuetudinem contrarium eviciisse: eò, quòd in tanta altarium multitudine impossibile sit reliquias ubique habere: spectare tamen adornatum altaris, uti & mappæ, pallium, candelabra, tabella, secretarum cussinus, & manutergium, de quibus p. 1. Rubr. tit. 20. his præmissis:

3510 Quæstio est 1. an, ut altare, super quo celebratur, debeat esse consecratum? 2. qualiter execretur? 3. qualiter polluatut? 4. quomodo reconcilietur. 5. an fracto altaris sigillo, vel amissis ex eo reliquiis, manente lapide cæteroquin integro, altare non censeatut execratum? & pro consecratione, sicut ante adhiberi possit? 6. an ex uno altari portatili consecrato, possint fieri duo distincta, si lapis consecratus tantus sit, ut ambæ partes ejus singulæ capiant pedem calicis cum patena & hostia? Ad. 1. 8. altaria omnino consecrari; & hoc fieri posse, non tantùm consecrando unum in una Ecclesia (ut velle videntur quidam hæretici) sed etiam plura in eadem, per c. 5. h. t. ibi: *noveris igitur, quòd plura, in Ecclesia una, altaria, & plures Episcopos simul, poteris consecrare, & quidem in eadem missa*; debent autem altaria esse consecrata, saltem quoad mensam superiorem, quæ sit tantæ capacitatis, seu quantitatis, ut possit capere pedem calicis, & hostiam cum patena; *mobilia* per se consecrantur; fixa verò, non per se, sed quatenus basi affixa sunt, quorum saltem ara, seu tabula superior lapidea sit; sic Layman lib. 5. Summæ, tract. 5. cap. 6. num. 3. Nam, ut habetur cap. 31. dist. 1. de consecr. *altaria, si non fuerint lapidea, chrismatis unctione non consecrentur.*

Ad 2. 8. altare tam *fixum*, quàm 3511
mobile, dici *execratum*, seu consecrationem amisisse, 1. si mensa, seu lapis superior sic frangitur, ut quod integrum remanet, non amplius capiat pedem calicis, & patenam cum hostia saltem potiori parte c. 3. h. t. ibi: *altare vero, in quo tabula, cui consecrationis benedictio, Pontificali ministerio, adhibetur, mota, vel enormiter fracta fuerit, debet non immeritò consecrari*, & c. 6. eod. ibi: *cum tabula altaris mota, vel enormiter læsa non fuerit, ob causam prædictam, nec Ecclesia, nec altare debet denuò consecrari; uti nec si fractura sit modica*; sic Layman cit. c. 6. n. 4. adeoque non, licet illius cornua frangantur, manente integro reliquo corpore; Pirhing h. t. num. 23. Deinde, altare *fixum* amittere consecrationem, si mensa superior, seu lapis consecratus amoveatur à basi, vel inferiori structura, dicitur in c. *si motum.* 19. dist. 1. de consecrat. ibi: *si motum fuerit altare, denuo consecretur Ecclesia; si parietes mutantur, & non altare, salibus tantùm exorcizetur: Si homicidio, vel adulterio Ecclesia violata fuerit, diligentissimè expurgetur, & denuo consecretur*; quo casu indiget novâ consecratione; non autem si lapis cum basi cohærens, manente horum conjunctione, transferatur.

Not. autem execrato altari; non 3512
ideo censeri execratam *Ecclesiam*, c. *ad hæc* 1. h. temp. ibi: *ad hæc si altare motum fuerit, aut lapis ille, solummodo supra positus, qui sigillum continet, confractus, aut etiam diminutus, debet denuò consecrari: propter hoc verò nequaquam reiterare suam consecrationem Ecclesia consuevit, licet id quidam Canones innuere videantur*; & ideò dictum in c. *si motum.* dist. 1. de consecrat. *si motum*

tum fuerit altare, consecretur Ecclesia, *Ecclesiam* sumere intelligitur pro *altari*, ac si diceret, consecretur altare; uti nec econtra, execratâ Ecclesiâ, execratum censetur altare; sic Pirhing h. t. num. 28. sed hoc videtur intelligendum *de ara mobili*, nam pollutâ Ecclesia; etiam censentur polluta omnia ejus altaria *fixa*, non autem *portatilia* in ea existentia; & econtra; sic Abbas in c *proposuisti* 4. h. t. num. 10. & alii. Sylvester V. *altare* qu. ult. &c. sed, de *execratione*, non est idem; & ex hoc patet etiam responsio ad 3. Altare, polluitur, & reconciliatur iisdem modis, quibus violatur, & reconciliatur Ecclesia; sic Miranda in Manuali Prælat. tom. 2. quæst. 39. art. 7. ex quo patet ad 4. ad 5. ne. probabile esse, quòd possit; sic Tamburinus l. 1. Methodi celebrandæ missæ c. 5. §. 1. num. 15. & alii ibid. unde censet Pirhing num. 26. ad legitimam formam consecrationis non esse necessarium, ut in consecratione, altari, in sigillo, seu sepulchro, reliquiæ sanctorum apponantur.

3513 Dicit autem signanter, *ad legitimam formam*, propter c. *placuit*, 26. dist. 1. de consecrat. ubi dicitur: *placuit, ut altaria, quæ passim per agros, & per villas, tanquam memoriæ Martyrum, construuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui locis eisdem præsunt, si fieri potest, evertantur. Si autem hoc, propter tumultus populares, non finitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent; ut, si rectè sapiunt, nullâ ibi superstitione devicti teneantur. Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, nisi ubi corpus, aut reliquiæ certæ sunt, aut origo alicujus habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissimâ origine traditur. Nam quæ per somnia, & per inanes quasi revelationes quorumlibet hominum, ubicunq; constituuntur altaria, omnino reprobentur.*

3514 P. Suarez cit. contra sententiam, quæ negat, esse de essentia consecrationis, ut in altari, seu lapide consecrato; reliquiæ Sanctorum ponantur, ex aliorum mente, opponit, contrarium esse statutum in c. *placuit*, de quo num. præced. quas aliqui volunt requiri saltem requiri in consecratione *altaris fixi*; imò Durandus, in Rationali lib. 1. cap. 7. num. 23. addit, requiri *reliquias*, *vel corpus Christi*, seu particulam hostiæ consecratæ. Sed ad hoc meritò respondet Suarez cit. hoc indecens videri, & improbabile, ut respondisse fertur Innocentius Papa; & docent Turrecrem. cum aliis in dict. c. *Placuit*, & Abbas in c. 1. de consecrat. Ecclesiæ vel altaris. Unde subjungit: *reliquias non esse de essentia consecrationis, ut ex usu constat: & fortasse nunquam fuisse*: nam illud c. *Placuit*, aliam expositionem habere potest: quam supra tradidimus; &, quamvis demus illud tunc fuisse præceptum, non tamen inde fit, *fuisse de substantia consecrationis*: præceptum autem jam cessavit: vel quia cessavit ratio, & occasio ejus, quæ fuit ad resistendum hæreticis, honorem debitum reliquiis Sanctorum oppugnantibus: tum etiam, quia in tanta templorum, & altarium multitudine, jam id commodè impleri non potest.

ARTICULUS IV.

De Consecratione, pollutione, & reconciliatione Cœmiterii.

Per *Cœmiterium*, intelligitur locus, 3515
authoritate Episcopi designatus ad corpora fidelium sepelienda; hinc eodem modo consecratur, vel benedicitur, quo Ecclesia; unde Ecclesiâ consecratâ, etiam Cœmiterium *ei conjunctum* censetur consecratum; quia simul cum Ecclesia eodem ritu consecratur, ut constat ex Pontificali Romano; non autem si non sit ei *contiguum*, seu *conjunctum*. Et ideo etiam pollutâ, vel execratâ Ecclesia, cœmiterium quoque illi conjunctum pollutum, vel execratum censetur; c. *Unic.* h. t. quia sic sequitur naturam principalis; non tamen è converso violato cœmiterio, etiam Ecclesia violata censetur; quia principale non sequitur naturam accessorii: si verò non sit Ecclesiæ conjunctum, sed separatum, violatâ Ecclesiâ non censetur violatum illud, quia tunc non est accessorium.

Quamvis autem cœmiterium pol- 3516
luatur, & violetur iisdem modis, qui-

bus Ecclesia c. *Unic.* h. t. in 6. & c. *Consuluisti* 7. h. t. & pollutâ Ecclesia, etiam censeatur violatum *cœmiterium illi conjunctum* (ut tradit Azor cit. q. 2.) ac eodem modo reconcilietur, quo Ecclesia; quia si per Episcopum (sicut Ecclesia) solenniter est consecratum, & violetur, reconciliari debet ab Episcopo per aquam ab eo solenniter benedictam c. *Consuluisti.* h. t. si tamen ab Episcopo non est solenniter consecratum, sed tantùm benedictum, vel ejus authoritate deputatum ad sepulturam fidelium, à Parocho, Rectore illius Ecclesiæ, aquâ ab eodem Parocho benedictâ, reconciliari potest c. *fin.* h. t. Layman l. 5. tr. 5. c. 5. n. 12.

3517 Si cœmiterium pollutum sit non per se, sed ob pollutam Ecclesiam cui conjunctum est, reconciliatâ Ecclesiâ, eo ipso etiam reconciliatum est cœmiterium; sic Barbosa l. 2. Juris Ecclesiastici cap. 9. num. 11. quando autem execratur Ecclesia, vel cœmiterium, destructis, vel conbastis parietibus, non propterea amittitur benedictio, sed tantùm consecratio: Benedictio enim solo inhærere censetur, quod semper idem manet; sic Layman cit. c. 5. n. 15.

3518 Præter hæc not. cùm quandoque contingat, in cœmiteriis fieri quosdam actus, quibus pollueretur Ecclesia; si in ea facti essent, cujusmodi sunt illi, quos retulimus supra; consequenter fieri debeat reconciliatio, posse in contingentia facti quæstionem moveri, à quo valeat reconciliari? ex. gr. in cœmiterio, conjuncto Ecclesiæ, fusus est injuriosè sanguis humanus, & copiosus, ex injusta percussione; quærebatur, an Rector ejus Ecclesiæ per aquam solenniter benedictam ab Episcopo, vel certè, etiam non benedictam ab Episcopo, sed ab ipso Ecclesiæ Rectore, vel alio Sacerdote posset reconciliari?

Pro resolutione distinguendum est inter cœmiterium, *accessoriè consecratum*, vel *tantùm benedictum*, nimirum ratione Ecclesiæ consecratæ, vel benedictæ; vel seorsim. 2. inter pollutum ratione Ecclesiæ pollutæ, seu violatæ; vel pollutum, & violatum in se, ac non ratione principalis, cui adjunctum est: quo posito 1. si cœmiterium sit violatum, seu pollutum ratione pollutæ vel violatæ Ecclesiæ *consecratæ*, cui est conjunctum, reconciliari non posse nisi per Episcopum, ex num. 3483. si autem ratione pollutæ vel violatæ Ecclesiæ tantùm benedictæ sine ulla consecratione, reconciliari posse ab ipso Rectore *Ecclesiæ* aquâ benedictâ ab ipso *Rectore Ecclesiæ*, ex dict. superius; id, quod etiam procedit de cœmiterio polluto in se, solùm benedicto, vel deputato ad sepulturam Fidelium; reliqua ex dictis deduci possunt.

QUÆSTIO XLI.

IN TIT. XLI. DE CELEBRATIONE MISSARUM, SACRAMENTO EUCHARISTIÆ, ET DIVINIS OFFICIIS.

3519 Hic titulus tria puncta continet; primum, de celebratione missarum; alterum, de Sacramento Eucharistiæ: postremum, de divinis officiis; pleraque tamen sunt, quæ pertinent solum ad forum internum, & tractari solent à Theologis Moralibus, in tract. ad præcepta primæ Tabulæ: de Sacramento autem Eucharistiæ agunt Theologi Scholastici specialiter: & ideo in hoc titulo (tanquam continente pauca spectantia ad forum externum) parum immorantur Canonistæ; trademus tamen ea, quæ in hoc titulo de singulis tanguntur.

ARTICULUS I.

De Celebratione Missarum.

IN c. *quidam* 2. h. t. agitur *de Missis votivis*, & dicitur, quosdam Laicos 3520

habere

habere in consuetudine, ut per singulos dies audiant Evangelium, *in principio erat Verbum*, *& missas peculiares*, hoc est de sancta Trinitate, de sancto Michaële, & propter hanc consuetudinem sancitum esse in CC. Triburiensi, ut ulterius hoc non fiat, nisi sub tempore, & nisi aliquis velit *propter reverentiam sanctæ Trinitatis*; non pro alia devotione, audire; sed si voluerint, ut sibi missa cantetur, de eadem die missas audiant, pro salute vivorum, & etiam defunctorum.

3521 Pro explicatione not. per missas *peculiares* intelligi *votivas*, & per missam *de feria*, missam *currentem*, hoc est secundùm dispositionem Calendarii, & Rubricarum; not. 2. per hunc textum non reprobari missas votivas, quæ fiunt ex speciali devotione, v. g. ob reverentiam SS. Trinitatis, vel erga aliquem Sanctum, aut ex alia rationabili causa, v. gr. pro infirmis, iter agentibus, &c. sed tantùm *consuetudinem quandam*, quæ plus videtur superstitionis, quàm devotionis habere, quotidie celebrandi, vel audiendi missam talis Evangelii, quasi nimirum melius esset; audire hanc, vel votivam; quàm currentem, &c. Sed ex hoc dubitari potest; an Fideles agant contra hunc canonem, die festo, ubi auditio missæ est sub obligatione, audiendo votivam, si quæ diceretur? R. quòd non, nam iste canon solùm prohibet *superstitiosam consuetudinem* dicendi, vel audiendi missas votivas, prætermissis currentibus; præsertim, quòd aliàs, celebrans ageret contra illam rubricam, quæ ponitur ante missas votivas, & petit, ut divinum officium *regulariter*, & missa, concordent: ibi: *sequentes missæ votivæ, licet pro Sacerdotis devotione, quacunque die, dici possint per hebdomadam, quando festum non occurrit; hoc tamen passim, nisi rationabili de causa, fieri non debet; sed quoad fieri potest missa cum officio conveniat*; & in Rubric. quæ ponitur ante missas votivas Beatissimæ Virginis ibi: *Quæ missæ votivæ dici possunt quocunque die, nisi fuerit dominica, vel officium duplex.* Ubi rectè notat Gavantus in Rubric. Miss. p. 1. tit. 4. litt. O. idem propter paritatem rationis, esse in omnibus votivis; ut nimirum passim non dicantur in Dominica, vel Officio duplici. Ex hoc ulterius sequitur, fideles etiam die festo audiendo votivam, satisfacere præcepto audiendi missam; cùm sic ponatur totum, quod est directè sub præcepto.

Altera quæstio pertinens ad celebrationem missarum est de celebratione *plurium missarum* eodem die, prout habetur in c. *Consuluisti* 3. h. t. ubi quæsitum fuit ex Innocentio III. utrum uno, eodemque die liceat Sacerdoti, plures missas celebrare? ad quod respondit Pontifex (*excepto die Nativitatis Dominicæ*) *nisi causa necessitatis suadeat, sufficere Sacerdoti, semel in die unam missam solummodo, celebrare.* In hoc textu videtur, non *simpliciter* prohiberi, plures eodem die missas celebrari ab eodem Sacerdote, adhuc jejuno; cùm textus expressè dicat solùm, *sufficere*, semel in die missam celebrare; sed dicendum, non licere secluso *casu necessitatis*; sic enim in eodem textu ly *sufficit Sacerdoti*, apertè limitatur, per exceptionem *festi Nativitatis Dominicæ*, *& casum necessitatis*; quem communiter duplicem ponunt DD. 1. si foret necessitas dandi viaticum morituro, non extante tunc aliâ hostiâ consecratâ. 2. si idem Sacerdos præficeretur duabus Parochiis cum obligatione in utraque celebrandi; de quibus plura Theologi morales. 3522

Tertia quæstio est in c. *Consilium* 4. h. t. & continet hoc dubium, *an*, quando fit missa de aliquo sancto in die *professo*, hoc est, extra diem festi ipsius, secundùm ordinem rubricarum, dicendus sit *hymnus Angelicus* (nimirum *Gloria in excelsis*) & Symbolum Apostolicum, seu *Credo*? sic enim quæstio proponitur in c. *Consilium* cit. ibi: *Requisisti* utrum in diebus professis, in quibus ad honorem Sancti Spiritus, B. Virginis, & sanctæ Crucis, missam celebrari contingit, hymnus Angelicus, Symbolum ac præfatio propria, debeat decantari? præsertim, cùm in partibus tuis (nimirum Archiepiscopatu Bracharensi) in honore B. Virginis, Sabbatorum diebus, missa solenniter celebretur; Evangelistæ à Christo esse dicta non testantur: ad quod Pontifex, inquisitioni tuæ, inquit, 3523

taliter

taliter respondemus, *quòd apud nos in diebus festis, cùm missarum solemnia, in honorem B. Virginis, celebrantur: neq; hymnus Angelicus, neq; Symbolum decantatur, licet in missa propria præfatio decantetur: ut inter commemorationem, & solemnitatem, differentia ostendatur: unde: Te DEUM laudamus, regularius dimittitur, quàm dicatur in laudibus matutinis.*

3524 Quarta quæstio in c. *cùm Marthæ* 6. h. t. quod continet hoc dubium, an omnia verba in canone Missæ, Apostoli acceperint à Christo, & Successores Apostolorum ab ipsis? talia verba sunt, *mysterium fidei*; *elevatis oculis in cœlum*, *ac æterni testamenti*; nam hæc nunc recipiuntur in canone Missæ, quæ tamen non leguntur in Evangelio? ad hanc quæstionem affirmativè respondetur in cit. c. 6. §. *Verùm*, ubi idem pluribus Scripturæ locis exponit & probat Innocentius III.

Deindè in eod. c. *cùm Marthæ*, dicitur in canone Eucharistiæ, addi ea verba: *mysterium fidei*; quoniam *aliud ibi creditur, quàm cernatur; & aliud cernitur, quàm credatur; cernitur species panis & vini, & creditur veritas carnis, & sanguinis Christi, ac virtus unitatis & charitatis.* Subjungit postea, *distinguendum esse tamen subtiliter inter tria*: quæ sunt in hoc Sacramento discreta; videlicet *formam visibilem, veritatem corporis, & virtutem spiritualem.* Forma, est panis & vini; *veritas*, carnis & sanguinis: virtus, Unitatis & Charitatis. Primum est Sacramentum, & non res; Secundum, est Sacramentum, & res: Tertium, est res & non Sacramentum; Sed primum, est Sacramentum geminæ rei; Secundum est Sacramentum unius, & alterius res existit: Tertium est res gemini Sacramenti. Credimus igitur, quòd formam verborum sicut in canone reperitur, & à Christo Apostoli, & ab ipsis eorum acceperint Successores. Sed de hoc ex professò egimus in tract. Theologico, agentes in specie de Sacramento Eucharistiæ; de quo V. hîc à n. 3535. & seq.

3525 In c. *ex parte* 5. h. t. quærebatur, an *Sacerdos semper vino perfundere*, seu, ut alii exponunt, vinum infundere, ac sumere, debeat, *postquam totum accepit*, seu sumpsit *Sacramentum?* Respondit idem Innocentius III. *quòd ita*; nisi, cùm eodem die aliam missam debuetit celebrare: ne, si fortè vinum perfusionis acciperet, celebrationem aliam impediret. Ex hoc c. nascitur quæstio, an per illam *perfusionem*, de qua loquitur textus, intelligatur non tantùm *purificatio*, per quam Rubricæ intelligunt, infusionem *nimirum* vini ad calicem, immediatè post sumptas sacras species panis, & vini; sed etiam *ablutio*, per quam intelligitur infusio, quæ deinde abluuntur digiti? consequenter, *an & purificatio, & ablutio, ex obligatione conscientiæ, fieri debeat vino?* Ad 1. R. textum in indicto c. 5. solùm loqui de *purificatione*; nam de illa perfusione, faciendâ vino, loquitur textus, quæ non fit, quando Sacerdos celebraturus est eo die adhuc aliam missam; sed talis non est perfusio, quæ fit ad abluendos digitos; hæc enim etiam tunc fit, cùm Sacerdos celebraturus est plures missas; ergo solùm loquitur de perfusione, quæ est purificatio. Ex hoc sequitur, nullum esse peccatum, faciendo ablutionem tantùm in aqua, sine vino; cùm nullum extet præceptum, de adhibendo vel puro vino; vel vino & aqua.

Dices: in Rubricis generalibus initio Missalis, §. *Quibus sumptu*, sic haberi: *Sacerdos porrigit calicem Ministro, quo vinum fundente, se purificat; Deinde, vino, & aqua abluit pollices, & indices super calicem.* Resp. 1. etiam extare Rubricam, in qua nullâ fit mentio *aquæ*, ut habetur in Rubricis, appositis in canone, post factam communionem §. *Abluit digitos*, sic: *infundit parum vini quo se purificat; deinde abluit, digitos extergit, & sumit ablutionem.* Resp. 2. probabilius videri, has Rubricas de purificatione, & ablutione facienda per infusionem vini, *in vi Rubricæ*, non inducere obligationem conscientiæ, seu non esse præceptivas, sed solùm directivas juxta dicta l. 1. de Rubricis in tit. 1. cùm illæ actiones non contineant ullam specialem significationem. 3526

Difficultas est de *purificatione*, an 3527 ex

ex præcepto facienda sit *vino?* pro affirmativa stat. c. *Ex parte*, de quo in præced. & ita tenent Sanchez in Decal. lib. 4. cap. 11. num. 43. Azor tom. 1. lib. 12. cap. 20. quæst. 7. Barbosa in Coll. ad lib. 3. decr. in c. *ex parte* 4. quæstio autem est, an *grave?* an tantùm *leve?* Non esse *grave*, multò probabilius videtur, tum ratione materiæ; tum ratione finis, propter quem adhibetur purificatio; esse *levem*, censent aliqui, quia dicitur *debet* vino *perfundere?* at verbum *debet* non semper importat obligationem conscientiæ, sed quandoq; solius decentiæ, ut ostendimus lib. 1. tit. 1. id, quod rectè inter alia colligitur ex materia substrata; & fine legis; quando res præcepta & necessaria ad finem legis; quod non videtur in præsenti; maximè, cùm dici possit, responsionem Papæ fuisse ad quæstionem directè propositam, an Sacerdos, post sumptas sacras species debeat facere aliquam infusionem ad purificandum calicem? propter madorem in calice remanentem ex speciebus consecratis; non autem, quo liquore?

3528 In c. *De homine* 7. h. t. solùm habetur casus de Sacerdote, qui conscius peccati mortalis celebrare debeat, &c., ne sacrilegium (in tali statu celebrando) committeret, cùm missam diceret, fictè consecravit, omissis nimirum verbis consecrationis; atque adeo nudum, ac merum panem, & vinum sumpsit, credens ita populo à se satisfacturum: hoc casu ad Innocentium III. delato, rescripsit Rectoribus Romanæ Fraternitatis; *cùm falsa sint abjicienda remedia, quæ sunt veris periculis graviora: licet is, qui pro sui criminis conscientiæ reputat se indignum, ab hujusmodi Sacramento reverenter debeat abstinere, ac ideo peccet graviter si se ingerat irreverenter ad illud: tamen gravius procul dubio videtur offendere, qui sic fraudulenter illud præsumpserit simulare; cùm ille culpam vitando, dum facit, in solius misericordis Domini manum incidat: iste verò culpam faciendo, dum vitat, non solùm DEO (cui non veretur illudere) sed populo, quem decepit, se astringat.* Ex hoc textu habetur, gravius peccare Sacerdotem, qui simulat consecrare, & exponit hostiam non consecratam adorandam populo; quàm illum, qui in peccato mortali offert sacrificium, & consecrat; ratio autem patet ex textu.

In c. *Cùm Creatura* 11. h. t. Honorius III. statuit, quòd duæ Missæ solennes Conventuales in Ecclesiis Cathèdralibus, & Collegiatis habendæ sint, ubi plures sunt Sacerdotes; una pro anniversariis defunctorum; altera pro feria, vel festo currenti, secundùm temporum congruentiam. Ubi not. 1. *anniversarium* dici, quod pro defuncto fit, anno revoluto à die mortis suæ; sic gloss. hîc V. *Anniversariis*, qui addit hic *anniversarium* sumi, pro eo officio, quod fit quotidie pro defunctis, seu Missis pro defunctis: quo habetur, in dictis Ecclesiis, non obstante, quòd Missa fuit pro anniversario (ut, si pro eo extat fundatio) debere nihilominus haberi missam alteram de feria, vel festo, secundùm temporis congruentiam; ne scilicet temporale lucrum, quod recipitur ex talibus anniversariis, studio divini cultus proferatur, & prætextu Missæ semel in die pro anniversario celebrandæ, sacra Missarum solennia, quæ ratione diei, vel festi solent solenniùs celebrari, culpabili negligentia prætermittant, quasi non sint obligati Domino, & quasi Dominus fortè pro tantis obsequiis non sufficeret eis æquâ vicissitudine respondere. 3529

In c. *Te referente* 12. h. t. habetur casus, circa confectionem chrismatis, quum Archiepiscopus Sipontinus Honorio III. proposuit, & quæsivit, an, cùm in die Cœnæ Domini manè in Ecclesia Garganica de more debeat recipere peregrinos; in Ecclesia autem sua (nimirum Sipontina) ex antiqua consuetudine, teneatur chrisma conficere; in hac id possit peragere, si prius in Garganica celebravit Clero & populo ad hoc compellente? Respondit Honorius, quòd, *cùm chrisma eo die intra Missarum conficiatur solennia, & cuilibet Sacerdoti, quacunque dignitate præfulgeat, unam in die celebrare Missam sufficiat (nam & felix valde est, qui celebrat dignè unam) Fraternitati tuæ mandamus, quatenus die prædicto, in Ecclesia Sipon-* 3530

tina dumtaxat, in qua teneris chrisma conficere, Missarum studeas solennia celebrare. Ex quo textu communiter deducunt Authores, sacrum chrisma conficiendum esse celebrante Episcopo in sua Ecclesia. Hujus c. occasione quærunt aliqui, an liceat *cuilibet* Sacerdoti; emissæ Sacrificium facere feriâ quintâ, quæ dicitur in Cœna Domini. Sotus in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 2. Navarrus in man. cap. 35. num. 88. Angles in floribus Theolog. ubi de Eucharistiæ Sacramento. quæst. 8. de valore missæ. diffic. 4. concl. 3. Francolin. in tract. de horis canonicis, cap. 30. num. 2. & 9. (quos refert, & sequitur Azor instit. moral. part. 1. lib 10. cap. 24. quæst. 5.) ingenuè testantur, *eodem die sacro Cœnæ Domini negandum non esse, quin liceat Sacerdotibus privatim sacrificare*; nihil enim de hoc Canones, & jura constituerunt; nisi, quod alicubi est usu receptum, ne Sacerdotes privatim rem divinam faciant, præsertim in Monachorum, ac Religiosorum Collegiis, atq; Conventibus; eò quòd soleant omnes, à Superiore eo die sacram Communionem accipere, exemplo Apostolorum, quibus corpus suum, propriis manibus Dominus impertivit.

3531 In c. *Pernitiosus* 13. h. t. proponitur quæstio, *de quantitate aquæ*, vino admiscendæ, pro consecratione calicis; de qua quæstione in dict. c. rescribit Honorius III. Archiepiscopo Upsalensi (ut notat Gonzalez hîc) dicens: *pernitiosus valde, sicut audivimus, in tuis partibus inolevit abusus, videlicet, quòd in majore quantitate aqua ponitur in sacrificio, quàm de vino: cùm secundùm rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis, plus in ipso sit de vino, quàm de aqua ponendum.*

Ideoque Fraternitati tuæ mandamus, quatenus hoc nec de cætero facias, *nec in tua provincia fieri patiaris*; ubi nota; illam aquæ admixtionem non requiri *de necessitate Sacramenti*, siquidem contrarium verum est, & probatur ex D. Cypriano lib. 2. epist. 3. Innocent. III. lib. 4. de sacrif. missæ, cap. 32. & Rubrica Missalis Rom. c. 4. de defectibus vini, num. 7. ubi dicitur, quòd, si Sacerdos, post consecrationem calicis, agnoscat, non fuisse appositam aquam, nullo modo apponat; quia non est de necessitate Sacramenti, sed solùm ex necessitate præcepti, ut constat ex Trid. Sess. 22. de Sacrific. Missæ cap. 7. ibi: *Monet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tùm quòd Christum Dominum ita fecisse credatur; tum quia è latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur: & cum aquæ in Apocalypsi beati Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo, unico repræsentatur.*

Circa quantitatem aquæ vino ad- 3532
miscendæ in textu c. *pernitiosus*, nihil determinatur; sed solùm reprobatur abusus Ecclesiæ Upsalensis, tanquam pernitiosus, quòd *in majori quantitate aqua* ponatur in sacrificio, quàm *de vino*; sed nec in Trid. cit. quicquam determinatur; cùm solùm dicatur, *aquam vino in calice offerendo miscendam.* P. Suarez tom. 3. de Sacram. Eucharist. D. 45. Sect 3. §. *Secundò quoad quantitatem*, ait, docere omnes Theologos, aquam debere misceri *in parva quantitate*, servatâ proportione ad quantitatem vini; quæ verò debeat esse hæc proportio? non eodem modo, nec facilè explicari; non debere esse in majori quantitate, quàm sit vinum, ex dict. constat.

Quæstio est, an possit esse *æqualis?* 3533
Suarez cit. meritò negat, dicens *certum* oppositum; quia, licet in hujusmodi mistionibus, si aliquid vini conservetur, probabile sit, consecrationem esse validam; tamen ille modus miscendi aquam, & consecrandi materiam, est indebitus, & præter usum Ecclesiæ; & interdum potest reddere materiam, vel nullam, vel dubiam: oportet ergo, ut aqua sit in minori quantitate, quàm vinum: in quanta verò proportione debeat esse *minor* quantitas, vix potest definiri: nam licet in Concilio Tiburiensi, cap. 19. dicatur, *duæ partes sint vini; tertia aquæ, quia major est majestas sanguinis Christi*; tamen Concilium Florentinum dicit, *miscendum esse paululum aquæ, & aquam modicissimam*: quibus verbis multò minorem

norem quantitatem indicat. Et hoc etiam videtur Ecclesiæ usus docere: nec potest certior regula præscribi; quàm, ut sit aqua in modicissima quantitate. Et ratio adjungi potest; quia certum est, *quamlibet guttulam aquæ*; dummodo satis sensibilis sit, *esse sufficientem*, quia illa est vera aqua sensibilis, & ad significationem sufficit; ita Suarez cit. loc.

3534 Denique in c. *Literas* fin. h. t. statuit Honorius III. perpetuò deponendum esse ab officio, & beneficio Sacerdotem, qui ex malitia, vel nimia desipientia, præsumit celebrare *in pane fermentato*, vel *scypho ligneo*, vel *sine igne*, vel *aquâ*; ex quo deducitur, quòd Sacerdos Latinus non possit in Ecclesia latina, etiam in necessitate, conficere Sacramentum Eucharistiæ in pane fermentato; Suarez cit. tom. 3. Disp. 71. Sect. 5. dub. 2. Bonacina de Sacrament. Disp. 4. quæst. 2. p. 1. n. 11. resolvens, Sacerdotem potius permittere debere infirmum, absque viatico decedere; quàm conficere in fermentato; & n. 9. vers. *ex quo*, tenet cum Azorio, graviter peccare Sacerdotem Latinum, non conficiendo in pane azymo; cùm faciat contra consuetudinem, & præceptum Ecclesiæ in re gravi: usus enim, & consuetudo Latinorum est, ut in azymis conficiant, & Christum imitentur, qui in azymis confecit, & Apostolos in azymis communicavit, ut testantur Chrysostomus, Augustinus, Beda, & alii SS. Patres; excipiunt tamen casum, si Sacerdos Latinus transeat per Græciam; Suarez in 3. p. q. 78. art. 4. D. 44. Sect. 4. Sanchez de Matr. l. 3. D. 18. n. 10. & alii. Quamvis autem olim Sacerdotes non aureis, sed ligneis vasculis, seu calicibus, uterentur c. *Vasa* de Consecrat. dist. 1. postea tamen Zephyrinus Papa instituit, ut calices, non ex ligno, ut antea; sed ex vitro, vel ex auro, aut argento, vel stanno fierent, ut testatur Platina in ejus vita; tandem, hujusmodi antiquatâ constitutione, sancitum est, ut *nec ex vitro* fierent propter fragilitatem; *nec ex ligno* ob raritatem, qua Sacramentum imbibitur; *nec ex ære*, ob tetrum saporem, *nec ex aurichalco*; quia æruginem facit, & vomitum excitat, ut habetur in cap. *ut calix*, de consecr. dist. 1. sic Azor instit. moral. part. 1 lib. 10. cap. 28. quæst. 3. Ex cod. cap. 14. deducitur, quòd ad missæ sacrificium *lumen* requiratur; non autem ex consuetudine conficiendum *ex cera*; in necessitate verò sufficere lumen *sebaceum*, vel *olei*, ut docent Azor dict. cap 28. quæst. 15. vers. *Quæres*; Vasq. in 3. p. D. 223. c. 4. n. 25. & alii: de admixtione autem aquæ, jam dictum est in præced.

ARTICULUS II.

De Sacramento Eucharistiæ.

NOn agimus de hoc Sacramento, 3535
nisi quantum tangitur in sacris canonibus hujus tituli; ubi de hoc præcipuè agitur in c. *Marthæ* 6. h. t. quòd continet plures quæstiones, quas proposuit Joannes Archiepiscopus Lugdunensis; an omnia verba canonis acceperint immediatè à Christo Apostoli? deinde legitimè per traditionem ad nos pervenerint; eaque omnia sint essentialia consecrationis? ad 1. constat responsio, ex dict. num. ad 2. 3. in hac quæstione esse triplicem sententiam; prima docet, illa verba: *qui pridie quàm pateretur &c.* non esse quidem de essentia formæ; ita tamen esse necessaria, ut illis omissis invalidum esset Sacramentum? ita Scotus in 4. D. 8. q. 2. secunda sententia docet, omnia verba, quæ in consecratione præcedunt, & subsequuntur ista (*hoc est enim corpus meum*) esse essentialia formæ: tertia vult solùm ista: *hoc est corpus meum*; *hic est sanguis meus*; vel, *hic est calix sanguinis mei*. Pro decisione nota: in Missali ante *verba consecrationis* corporis (*hoc est enim corpus meum*) præscribi Sacerdoti hæc verba prævia, *qui pridie, quàm pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, & elevatis oculis in cœlum benedixit, fregit, dedit q. discipulis dicens: accipite, & manducate ex hoc omnes*; quibus positis subjunguntur verba consecrationis. *hoc est enim corpus meum*; similiter in consecratione calicis præcedunt hæc verba: *simili modo, postquam cœnatum est, accipiens & hunc præclarum calicem in sanctas, ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens,* bene-

benedixit, deditq; discipulis suis dicens, accipite & bibite ex eo omnes, & subjunguntur hæc verba consecrationis pro calice: *hic est enim calix sanguinis mei, novi, & æterni Testamenti: mysterium fidei: qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* his præmissis.

3536 Dicendum videtur, formam verbalem, qua consecratur corpus Christi, intrinsecè constare solis his verbis: *hoc est corpus meum*; sic Arriaga D. 1. de Eucharist. quæst. 1. sect. 3. § 1. cum communi. Nam illa verba sunt essentialia formæ, quibus demonstrativè significatur corpus Christi præsens sub speciebus panis; sed hoc habent sola illa verba, vel illis in eodem sensu æqualentia; ergo? Min. videtur certa Ma. pat. nam alia verba non sunt essentialia formæ, quàm quibus Christus consecravit panem, sub ejus speciebus constituens, & significans præsens corpus suum. Sed Christus *ad hoc* non est usus aliis verbis: ergo. Ma. prob. ex S. Chrysostomo Hom. 2. in 2. Epist. ad Timoth. *sicut enim verba, quæ locutus est Christus, eadem sunt, quæ Sacerdotes nunc quoque pronuntiant, ita & oblatio eadem est.* & Hom. de proditione Judæ: *hoc est*, inquit, *corpus meum, hoc verbo proposita consecrantur.* Deinde Florentinum in decreto unionis, expressè docet, formam hujus Sacramenti esse verba Salvatoris, quibus conficitur hoc Sacramentum: sed verba Salvatoris, quibus confecit hoc Sacramentum, alia non sunt, quàm quibus demonstrativè per verba significavit esse præsens corpus suum sub speciebus panis; ergo. Ex dict. coll. 1. in consecratione corporis Christi verba præcedentia hos terminos: *hoc est corpus meum*, non esse essentialia formæ; ita communis contra Scotum cit. nam illa verba, non sunt verba Christi, sed Evangelistæ: at forma consecrationis essentialiter consistit in *solis verbis Christi*, ut pat. ex dict. ergo. Idem dicendum est de verbis quæ præcedunt consecrationem calicis.

3537 Dices, Scotum non docuisse, illa verba prævia esse essentialia formæ; sed tantùm esse necessaria ad valorem Sacramenti; Sed esto verum sit, Scotum sub his terminis non docuisse; ex eo tamen, quod doceat sine illis verbis non fieri validum Sacramentum, deducitur, illa esse essentialia. Nam sine quo non potest sufficienter significari præsentia Christi sub speciebus, tanquam eo, quod pertinet ad hoc significandum, illud est essentialiter forma; pertinens formaliter ad illam; sed sine illis verbis per Scotum non potest sufficienter significari præsentia Christi sub speciebus, tanquam sine eo, quod pertinet ad significandum: ergo.

Dices cum Scoto: id sine quo non 3538
significatur præsentia Christi, pertinet ad valorem consecrationis; sed sine illis verbis; *qui pridie quàm pateretur* &c. non sufficienter significatur præsentia Christi. probr. Nam quando Sacerdos dicit: *hoc est corpus meum*, ly *meum* est indifferens, ut referatur ad corpus Christi præsens, vel corpus Sacerdotis; nec ab alio ad illud significandum determinari potest, quam per illa verba prævia: ergo. &. C. ma. N. min. ad hujus prob. dist. si Sacerdos dicat illa verba cum intentione illa proferendi in persona Christi, ly *meum* adhuc manet indifferens. N. si sine tali intentione. trans. anteced. N. cons. id ergo, quo ly *meum* determinatur ad significandum corpus personæ, cujus vices tunc gerit Sacerdos, est dicta indictio, non autem illa verba prævia; Nam quando Sacerdos legit historiam institutionis prout est in Evangelio, vel Epist. la D. Pauli, ac etiam profert illa verba: *hoc est corpus meum*, talis lectio vel pronuntiatio non sufficit ad consecrationem non ex alio c. nisi quia illa verba non profert *ut vices gerens Christi*, seu formaliter & significativè, sed tantùm historicè, & recitativè, ob solum defectum intentionis proferendi ea in persona Christi; ergo non dicitur Sacerdos induere personam Christi, & in persona ipsius loqui, quatenus solum recitat, quæ Christus dixit, & fecit, sed quatenus à Christo habens commissionem idem suo nomine loquendi & faciendi, quod ipse dixit, & fecit, sed hoc pendet ab intentione Ministri. ergo.

Colliges 2. illa verba præcedentia 3539
requiri quidem, ut verba formæ habeant

beant

beant sensum recitativum, seu historicum; sed non significativum formaliter, quòd Minister agat in persona Christi, ille autem sensus non est essentialis formæ, ut requisitæ ad valorem Sacramenti ergo: prima pars ma. prob. nam particula *enim* importat connexionem posteriorum cum prioribus historicæ narrationis; prob. quoque secunda pars, ex dict. priore num. Min. autem etiam constat; nam hoc non pertinet ad verba Christi, qua talia; sed quæ sunt Evangelistæ narrantis facta Christi. Colliges. 3. illa verba præcedentia saltem ea, quæ non sunt verba Christi, sed Evangelistæ, nec ad substantiam, seu integritatem formæ pertinere; ratio est, quia quod pertinet ad integritatem formæ, debet esse verbum Christi. At non omnia illa verba prævia sunt verba Christi: ergo. Colliges 4. particulam *enim*, non esse essentialem formæ. Nam essentia formæ salvatur in his verbis: *hoc est corpus meum*, ut constat ex n. 3536. Deinde illa verba solùm sunt essentialia formæ, quæ necessaria sunt ad significandam præsentiam corporis Christi sub speciebus; sed ad hoc necessaria non est particula *enim*; Christus enim illam non addidit ad asserendam præsentiam sui corporis; sed ad exhibendam, & significandam causam, cur dixerit *comedite*.

3540 Dicendum 2. illa verba, quæ in consecratione calicis, sequuntur post hæc verba: *Hic est calix sanguinis mei*; non esse essentialia formæ calicis; ita communis contra Gonet D. 7. de Eucharist. num. 15. qui dicit esse opinionem suam conformicorem menti St. Thomæ. Conclusio igitur nostra est, essentiam formæ, qua consecrantur sanguis Christi, salvari in his verbis; *hic est sanguis meus*, vel *hic est calix sanguinis mei*, adeoque hæc verba: *novi & æterni Testamenti* &c. quæ sequuntur, non esse essentialia formæ; quia, si alia verba essent essentialia formæ, plurimæ Ecclesiæ, & viri sanctissimi multis seculis invalidè consecrâssent, atque adeo caruissent vero sacrificio. Ut rectè notat Cardin. de Lugo hîc Disp. 11. num. 61. sed hoc admitti non potest, cùm Ecclesia Romana eos nunquam correxerit, sed toleraverit; nec etiam præsumi possit, eos vel ignorâsse, vel omittere voluisse essentialem formam consecrationis; ergo. Ma. prob. quia plurimæ Ecclesiæ, & viri sanctissimi consecrarunt, quin adderent illa verba sequentia præsertim ly *novi & æterni Testamenti*, *& mysterium fidei*; imò ut constat ex Liturgiis S. Joannis Evangelistæ, SS. Apostolorum, S. Eustasii, S. Joannis Patriarchæ &c. non sunt usi aliis verbis, quàm his: *Hoc est caro mea*; *hic est sanguis meus*, & his verbis meis, virtutem convertendi panem, & vinum, tribuit. S. Damascenus cit. apud Card. de Lugo num. 61. ergo.

Ratio 2. est, quia, si alia verba forent ad essentiam formæ necessaria, 3541
Paulus 1. ad Cor. 11. instruens suos Corinthios de institutione hujus Sacramenti, diminutè & imperfectè docuisset illos de necessariis ad ejus valorem; tum quia nullam facit mentionem omnium eorum verborum, quæ sequuntur; tum quia nec ipsi Evangelistæ cuncta referunt; sequela verò admitti non potest: ergo. Confirmatur, quia illa solùm verba sunt essentialia formæ, quibus sufficienter significatur præsentia sanguinis Christi sub speciebus vini; sed hoc fit, per hæc sola: *hic est sanguis meus*: ergo. Min. videtur certa. Ma autem constat ex argumento in præcedentibus.

Respondet 1. Comeius N. min. 3542
nam ait: *verbis formæ* significari non utcunque sanguinem Christi præsentem, *sed ut effusum in remissionem peccatorum*. Verùm contra est; quia sic etiam dici possent per formam, qua consecratur corpus Christi, significari corpus Christi non utcunque præsens, *sed ut tradendum pro nobis & immolandum in cruce*, consequenter etiam hæc verba, *quod pro Vobis tradetur*, intrinsecè pertinerent ad essentiam formæ, qua consecratur corpus Christi, quòd tamen adversarii negant. 2. si verba formæ essentialia significarent sanguinem *ut effusum*, invalidè forent illæ consecrationes, de quibus diximus num. 3540. hoc autem dici non potest; ergo.

3543 Respondet 2. Corneius, & Amicus, per effusionem sanguinis compleri *passionem*; per corporis autem traditionem, solùm *inchoari*, consequenter illius, non hujus significationem necessariam esse. Verùm hæc ratio nulla est, nam apud omnes certum est, sine expressione sanguinis effusione Christum potuisse instituere consecrationem calicis, & verò etiam sic instituisse, clarum est ex tot Ecclesiarum, & sanctissimorum Virorum consecratione non usurpantium verba significantia formaliter *sanguinem effusum*, sed solùm *sanguinem Christi præsentem*, quæ ratio in q. facti validissima est.

3544 Respondent 3. aliqui Thomistæ: illa verba omnino non esse essentialia, sed tantùm substantialia formæ: distinguunt enim *essentiam* rei à *substantia*, per quam intelligunt integritatem rei, volentes *partem substantialem*, idem significare, ac *partem integralem*; rationem dant, quia illa verba componunt formam *integraliter*, quæ non sunt simpliciter necessaria ad consecrationem; sunt tamen à Christo prolata ad conficiendum Sacramentum, & significandam præsentiam Christi sub speciebus, sed hoc habent illa verba, quæ sequuntur: ergo. Sic etiam videtur sentire Esparza hîc quæst. 60. artic. 9. quoad hanc responsionem nota, illam posse procedere in duplici sensu. 1. ut dicantur sic substantialia, ut iis omissis, quantumvis Minister idoneus cum debita intentione proferat alia verba (nempe, *hic est sanguis meus*) invalidè consecraret, ut volunt multi Thomistæ: secundò, ut iis omissis adhuc validè consecraret, ut apertè concedit Esparza a. 2. quibus positis:

3545 Dicendum. 3. illa verba posteriora: *novi, & æterni Testamenti* &c. non esse *substantialia* in primo sensu; ita S. Thom. hîc q. 78. a. 1. quem citat, & sequitur Esparza; ratio est, quia eo ipso forent *essentialia*; sic enim illis præcisè ablatis auferretur valor Sacramenti; hîc non esset adæquatè distinctus ab illis verbis, aliàs vi hypothesis, qua ponuntur auferri ea verba, & nihil aliud adæquatè distinctum ab illis, periret, & non periret valor Sacramenti. *periret* ut concedunt; *non periret*; quia nihil adæquatè distinctum ab iis verbis perit vi hypothesis formaliter; sed valor Sacramenti per eos est adæquatè distinctus ab iis verbis, ut volunt: ergo hîc non periret vi hypothesis formaliter: at perit, etiam ex ipsorum confessione: ergo non est adæquatè distinctus ab iis verbis; ergo hæc essent essentialia valoris.

Dicendum 4. nec in secundo sen- 3546
su esse *substantialia formæ*, qua significatur, sanguinem Christi, esse præsentem. Nam etiam illis omissis, & solis verbis: *hic est sanguis meus*, ab idoneo Ministro prolatis cum intentione debita, præsens esset sanguis Christi; & ut talis significatur per illa sola verba consecrationis; ita S. Thom. cit. ad 4. ibi: *Unde dicendum, quòd* si Sacerdos *sola verba prædicta proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeret hoc Sacramentum.* Verba autem *prædicta*, ad quæ se refert S. Thomas sunt verba in titulo articuli proposita, nimirum *utrum hæc sit forma hujus Sacramenti: hoc est corpus meum*, &, *hic est calix sanguinis mei.* ergo.

Dicendum 5. illa verba esse sub- 3547
stantialia formæ in secundo sensu, si forma sumatur pro forma hujus Sacramenti, non qua præcisè significatio præsentiam sanguinis Christi (quo sensu accipitur essentialiter) sed etiam, qua simul significantis virtutem sanguinis effusi in passione, & operantem in hoc Sacramento; ita S. Thomas cit. art. 3. in concluſ. Quia integritas formæ, significationi essentiali, nimirum conversioni vini in sanguinem seu sanguinis Christi præsentis, addit quandam ejus modificationem, qua significatur etiam multiplex virtus hujus sanguinis: ergo verba significantia illam virtutem pertinent ad integritatem hujus Sacramenti.

Illa porrò multiplex virtus ad tria 3548
ordinatur, ut loc. cit. ait S. Thomas 1. ad adipiscendam æternam salutem, seu hæreditatem, hæc significatur per ly *novi, & æterni testamenti*, & constat ex iis verbis ad Hebr. 10. ibi: *habemus fiduciam in introitu Sanctorum in sangui-*

ne

ne Christi. 2. ad justitiam gratiæ, quæ est per fidem juxta illud ad Rom. 3. quem proposuit DEUS propitiatorem *per fidem* in sanguine ipsius, ut sit ipse justus, & *justificans eum*; *qui ex fide est JESU Christi*, & ideo additur *mysterium fidei*: 3. ad removenda peccata, quæ sunt impedimentum illius hæreditatis, & justitiæ; habetur ex illo ad Hebr. 9. ibi: *Sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis*, id est, peccatis. Et ideo subditur? *qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

3549 Sed, dices 1. Christus in consecratione sui corporis, & sangui sanguinis, non est usus ullis verbis; sed ea solùm, quibus nunc utimur, instituit, ut à nobis proferenda pro consecratione ergo ex actionibus CHRISTI in consecratione colligere non possumus, quæ verba sint essentialia formæ. Anteced. tenet Innocentius III. l. 4. de mysteriis missæ cap. 17. & alii apud Gonet D. 7. n. 49. Volentes Christum in consecratione usum solâ potestate suæ Excellentiæ. R. N. anteced. nam Tertullianus l. 4. contra Marcionem expresè ait, quòd Christus acceptum panem & distributum discipulis *fecerit suum corpus*, *dicendo: hoc est corpus meum*; & Damascenus lib. 4. fidei c. 14. docet, quòd, sicut Deus fecit lucem, *dicendo*, fiat lux, sic Christus per, fecerit hoc Sacramentum, *dicendo:* hoc est corpus meum.

3550 Dices 2. contra num. 3535. nisi addantur hæc verba, *qui pridie quàm pateretur.* &c. Ista: (*hoc est corpus meum*) non sunt determinata ad significandum corpus Christi. ergo etiam illa sunt essentialia. R. N. anteced. ex n. 3538. nam falsum est, illam determinationem fieri per aliquod signum sensibile, præcedens alia verba, quibus ista determinentur, ad significandum verbaliter, id fieri nomine Christi; quia sufficit solam intentio Ministri. Idem est in aliis: ergo.

3551 Pro reliquis contra eund. num. not. 1. negandum esse, verba Sacramentalia, vi propriæ significationis extra Sacramentalis, debere significare id, quod consecratione efficitur; nam ex vi propria sermonis non referuntur ad personam Christi; sed ex institutione Christi, & intentione Ministri, quam exigunt verba ut prolata à legitimo Ministro. Not. 2. negandum pariter, quòd Patres probent realem præsentiam Christi ex vi, & proprietate verborum consecrationis, sed ex significatione, quam habent vi institutionis Christi, & intentionis Ministri faciendi, quod Christus instituit. Sic enim habent significationem infallibilem. Quamvis autem verum sit ex eo, quòd Christus protulit illam formam, ex vi pronominis intelligi eum locutum esse de corpore *proprio*, quia Christus fuit ejus Sacramenti institutor, & auctor; secùs tamen est in Ministro Christi, quia hic non loquitur in persona propria; nec ut Auctor Sacramenti.

Not. 3. quamvis verum sit, quòd hæc 3552
verba: *hoc est corpus meum*, ex institutione sua *extra Sacramentali* non significent, nisi corpus proferentis proprium; negandum tamen, si sumantur *Sacramentaliter*, scilicet secundùm institutionem Christi. Quare habent vim significandi corpus ejus, in cujus persona loquitur Minister, non nudè sumpta, sed ex intentione Ministri, ut substituantur institutioni Christi. Not. 4. non requiri, quòd verba ex se indifferentia ad significandum corpus loquentis, vel ejus, cujus nomine loquitur, ad hoc determinentur per alia verba conjuncta; sed sufficere, quòd determinentur per intentionem loquentis relatam ad ea, ut substituat institutioni, quam habent à Christo. Neque Ecclesia (præcipiens in casu consecrandæ novæ hostiæ in eodem Sacrificio, ut initium fiat ab illis verbis, *qui pridiè quàm pateretur*) ideo præcipit, quasi putaret, quòd verba Ministri ex ejus intentione sine illis non possent significare corpus Christi; sed ideo, ut servetur ritus Ecclesiæ, quo Ecclesia repræsentat historiam actionum Christi, factarum in institutione hujus Sacramenti.

Not. 5. Nos non dicere, significa- 3553
tionem verborum consecrationis pendere à *sola* intentione Ministri nudè, & abso-

absolutè sumpta (sic esto per ly *panis* velim significare *lignum*; ea tamen vox non significabit lignum) bene tamen ab intentione Ministri relata ad verba, quoad vim significandi, quam habent ex institutione Christi; nam vim significandi verba Sacramentalia *Sacramentaliter* non habent nisi ex institutione Christi, & intentione Ministri relata ad istam.

3554 Dices 3. contra num. 3539. Christus in sua consecratione usus est particulâ *enim*; ergo essentialiter pertinet ad essentiam formæ; prob. ant. quia formæ essentia pendet ab institutione Christi; 2. quia particula causalis pertinet essentialiter ad significandum sensum propositionis *causalis*; sed forma, qua Christus consecravit, est propositio habens sensum *causalem*: ergo. Resp. cum Mastrio hîc Disp. 3. num 153. eam particulam non esse essentialem formæ. Nam sine illa consecravit D Jacobus, ut pat. ex ejus Liturgia. Hinc fit eam à Christo non esse appositam ad significandam præsentiam sanguinis, quod essentiale est formæ; sed tantùm ad continuandum eum sermonem cum priore, qua dixit, *accipite, & manducate*; & causam dedit, *quia est corpus meum*; quod est accidentale formæ. Quare dist. anteced. Christus usus est particula *enim* ad continuandum sermonem suum, cum verbis prioribus C. ad significandum, & constituendum virtute verborum corpus suum sub speciebus N. anteced. & cons. ex quo etiam constat ad 1. prob. ad 2. ℟. C. ma. N. min. nam forma, *quà consecrativa*, non est propositio *causalis*; sed, *quà continuativa* verborum Christi cum prioribus.

3555 Instabis: illud essentialiter pertinet ad formam, cujus defectu forma esset falsa; sed defectu *causalis illius* forma esset falsa; ergo. ℟. dist. ma. cujus defectu forma, *quà consecrativa*, esset falsa C. *quà continuativa sermonis dantis rationem dicti prioris* N. ma. dist. min. sed defectu illius *causalis* forma esset falsa, *quà est continuativa* sermonis: transf. *quà est consecrativa*, seu significans, & causans præsentiam corporis Christi sub speciebus N. min. & sub ead. distinct. cons. hujus enim formæ à Christo prolatæ. *Hoc est enim Corpus meum*, sensus est complexus, & sic resolvitur: *hoc est Corpus meum*; &, *quia est Corpus meum*, comedite: ubi primus sensus pertinet ad formam essentialiter, *quà consecrativam*, aliàs S. Jacobus invalidè consecrâsset.

Dices 4. Licet Græci in collatione 3556
confirmationis aliâ formâ utantur, quàm Latini; & aliâ in collatione ordinum, ut videri potest apud Gonet hîc D. 7. num. 47. tamen ex illorum ritu nihil concluditur ad Ecclesiam Latinam: ergo similiter, licet alii alia Liturgia usi sint, & forma consecrationis; ex hoc tamen nihil concludetur ad Ecclesiam Latinam; cujus ratio est; quia non omnes materias, & formas, Christus determinavit *in individuo*, sed tantùm in *genere*, vel *specie*; & ulterius determinandas reliquit Ecclesiæ: ergo ex diversis Liturgiis ibi allatis non concluditur, illa verba: *novi & æterni Testamenti* &c. non esse de essentia formæ calicis; ita Gonet. cit. Resp. transf. anteced. (nam hoc solùm probat, eorum Sacramentorum formam, *quoad sensum in individuo*, non esse determinatam à Christo) N. conseq. nam de forma consecrationis constat, Christum esse usum his verbis: *hoc est Corpus meum, hic est Sanguis meus*; quibus sufficienter exprimitur res significata per hoc Sacramentum. Undè, cùm alia verba in tam diversis Liturgiis omittantur à tam sanctis Viris, morali certitudine concluditur, ea non esse de essentia formæ. Unde Cajetanus ad argumentum ex diversis Liturgiis petitum pro sententia negante, alia verba ad essentiam formæ pertinere, illud tam solidum judicavit, ut dixerit, sibi nullam apparere dubitandi rationem probabilem; & Suarez, se nihil invenire, quod probabiliter responderi possit.

Pro reliquis Not. 1. Sacramentum 3557
Eucharistiæ, quà est essentialiter Sacramentum, non esse institutum, ut significet virtutem sanguinis effusi in passione; sed tantùm, quà est integraliter tale habetur ex D. Thom. cit. Quare

negan-

negandum est, quòd asserit Gonet cit. n. 23. illa verba esse de essentia formæ consecrationis, quæ significant Eucharistiam, secundùm quod habet non tantùm rationem *Sacramenti*, sed etiam *Sacrificii*, hæc enim non dicuntur ad convertentiam simpliciter, ut notavimus supra.

3558 *Not.* 2. quando S. Thomas cit. à. 3. dicit, non tantùm hæc verba: *hic est calix sanguinis mei*; sed etiam alia, quæ sequuntur, esse *de substantia calicis*, substantiam hic non accipi pro *essentia*; sed pro integritate Sacramenti, juxta sensum expositum ab ipso S. Thoma sup. & patet ex ratione conclusionis. Quare negandum est, quòd quoties S. Thomas agit de *essentia* Sacramentorum, pro eodem accipiat *esse de essentia*, & *esse de substantia*. Nam primò id negant ipsi Thomistæ plures, ut Cajetanus, Joannes à S. Thom. & alii apud Gonet n. 14. & ipsi fatentur à S. Thoma sæpius (*esse de substantia*) sumi pro *esse de integritate*. Secundò pat. ex loc. S. Thomæ, cit. à nobis in præcedentibus.

3559 Nec audiendus est Gonet n. 29. dicens, quod quando S. Thomas loc. cit. admittit, Sacramentum hoc perfici (si à Ministro idoneo cum intentione debita proferantur hæc verba: *hic est sanguis meus*) ab essentia formæ solùm excludat verba præcedentia, *qui pridie &c.* non autem subsequentia, *novi & æterni testamenti &c.* nam cum ibi referret, quosdam dixisse, prædictis verbis prolatis (*nimirum hic est sanguis meus*) & aliis prætermissis, præcipue, quæ sunt in Canone Missæ, hoc Sacramentum perfici non posse, subjungit: *sed hoc patet, esse falsum*; cujus duplicem dat rationem. 1. *quia Sacramentum hoc perficitur solo sermone Christi*, at non omnia illa verba Canonis, sunt verba Christi: ergo: 2. quia forma Consecrationis, qua continet sermonem Christi apud omnes eadem est; at Canon Missæ non est apud omnes idem, ergo: sed hæc minor evidenter includit non tantùm verba præcedentia, sed etiam subsequentia, nec enim verba subsequentia apud omnes ead. sunt, ergo. *Not.* 3. per sola hæc verba, vel illis æquivalentia: *hic est sanguis meus*, effici conversionem vini in sanguinem; nam *formæ Sacramentorum, significando efficiunt*, ut ait S. Thomas in 1. ad Corinth. 11. lect. 11. sed sola verba significant formaliter præsentiam sanguinis: nam reliqua teste D. Thoma, sup. cit. n. solùm significant virtutem sanguinis effusi in passione, ergo. dixi *formaliter significant*, nimirum *sacramentaliter*, non autem solùm materialiter, & grammaticè, sed verè ex ipsa institutione Christi, hinc ipse Gonet n. 33. fatetur, quòd Eucharistia significet sanguinem *effusum*, quatenus habet rationem Sacramenti & Sacrificii, sed sic non dicit formaliter rationem Sacramenti; falsum autem est, quod ibid. dicat, formam baptismi non significare invocationem Trinitatis, qua est Sacramentum, quia Christus alligavit institutionem suam sensui formæ *invocantis Trinitatem*.

Dices 5. si verba posteriora (*novi* 3560
& æterni Testamenti. &c. pertinent saltem ad integritatem Sacramenti, sequitur illas Ecclesias, quæ consecrârunt omissis illis verbis, non habuisse *integrum* Sacramentum Eucharistiæ. R. solùm sequi non fuisse integrum *quoad modum significandi*, non autem, *quoad rem significatam*. Hinc nota 1. quando Innocentius III. c. *cùm Marthæ.* dicit, eas particulas: *mysterium fidei*, adjectas esse verborum formæ, quâ usus est Christus; ex quo inferunt, ergo nec pertinent integraliter ad formam; quia hæc, etiam integraliter sumpta, non constat, nisi verbis Christi: responderi, esse adjectas verborum formæ, prout expressæ per Evangelistas, à quibus non est expressa forma tota, sub qua Christus consecravit, ut ostendit Pontifex in eo c. *Not.* 2. concedi, quòd illa verba, *novi & æterni testamenti*, &c. non causent, nec concurrant ad constituendum sanguinem sub speciebus vini; ex hoc autem solùm sequi, illa non esse essentialia formæ; non autem esse integralia, qua significat virtutem sanguinis effusi in passione.

Tertia quæstio in c. *cùm Marthæ*, 3561
ab Archi-Episcopo Lugdunensi proposita erat, *utrum aqua cum vino in sanguinem convertatur?* ad hoc respondet Pontifex: *super hoc esse varias Scholasticorum opiniones*; &, illis relatis, demum concludit, *inter prædictas opiniones illam probabilio-*

biliorem judicaturi, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari; quæ erat ibi ex relatis opinio prima, & hanc tanquam probabiliorem Pontifex præfert aliis duabus ibidem recensitis, quarum prior dicit, *aquam vino admixtam prius converti in vinum, & sic deinde conversione* nimirum *mediatâ transire in sanguinem*; posterior autem, *aquam nec mediatè, nec immediatè transire in sanguinem, sed remanere accedentibus prioris vini circumfusam*; demum addit quorundam opinionem, qui dicebant, aquam in phlegma converti; sed hanc positivè reprobat, dicens: *nefarium esse, hoc opinari.*

3562 Tametsi autem ex hac Summi Pontificis responsione clarum sit, posteriores duas opiniones Scholasticorum, negantium aquam etiam immediatè *cum vino* converti in sanguinem, judicari minus probabile; & oppositam probabiliorem; nihilominus tamen in quæstione (an aqua vino admixta *immediatè* convertatur in sanguinem?) negativam sequitur Gonet Thomista de Euch. Mastrius Scotista D. 3. hic a. 92. dicens n. 20. hanc sententiam esse D. Thomæ, Scoti, omnium Thomistarum & Scholasticorum. Hi ergo volunt, aquam illam vino affusam, per Consecrationem non converti in sanguinem Christi, *nisi mediatè*, ita, quòd prius debeat converti in vinum. Unde dicunt, sic aliquo casu per accidens, tempore Consecrationis, aqua non sit in vinum conversa, non converti etiam tunc in sanguinem, sed in propria natura aquæ remanere, sic Gonet cit. n. 38. Sed,

3563 Dicendum, aquam vino admixtam in consecratione calicis *simul cum vino immediatè converti in sanguinem Christi, esto prius non transmutetur in vinum* ita 4. Cardinales, Alanus, Toletus, Baronius, & Lugo, quos cit. & sequitur Haunoldus *l.* 4. *n.* 799. cum Præposito, Layman. Coninch, & compluribus aliis. Probatur: id, quod fieri potest, & sic fieri in consecratione calicis, testantur Concilia, & Patres, Theologicè asserendum est; sed in consecratione calicis, aquam immediatè converti in sanguinem, possibile est, & sic de facto fieri, testantur Concilia & Patres; ergo id Theologicè asserendum est. Min. prima pars certa videtur: Christus enim æquè consecrare potuisset in sola aqua, ac in vino diluto, aut mero. Secunda pars probatur: Patres, & Concilia docent, non tantùm substantiam vini, sed etiam aquæ vino admixtæ, *esse materiam* calicis, & consecrationis: ergo testantur, aquam immediatè converti in sanguinem; consequentia prob. nam illud solùm dicitur *materia consecrationis* quòd per consecrationem convertitur immediatè (nam vi consecrationis nulla fit conversio *mediata*; falsificaretur enim forma consecrationis) ergo si ex mente CC. & PP. non solùm substantia vini, sed etiam aquæ est *materia consecrationis*, ex eorum suffragio etiam aqua immediatè convertitur in sanguinem. Anteced. autem etiam probatur; nam illud, etiam secundùm doctrinam CC. & Patrum est materia calicis & consecrationis, quod docent, offerri, benedici, & consecrari: sed hoc dicitur de aqua: ergo. Hæc ultima minor probari potest inductione plurimorum Patrum, paucos adducam ex Haunoldo *n.* 799. & Coninch. *q.* 74. *a* 8. Nam *c.* 4. de consecr. dist. 2. S. Justinus in Apolog. 2. S. Justinus in Apolog. 2. ad Antoninum pium, ait, apud nos diaconi dicuntur, qui unicuique, qui adsunt, dant percipiendum panem, vinum, & aquam, *quæ cum gratiarum actione consecrata sunt*, atque cibus hic apud nos Eucharistia vocatur. Ubi vides tam *aquam*, quàm vinum, & panem dici, distribui, & consecrari, quod tamen falsum esset, si aqua prius transiret in vinum. Nam si non aqua, sed vinum merum fieret sanguis Christi: ergo. Sic enim loquitur S. Hieronimus, & alii. Cæterum *c.* 4. *dist.* 2. de Consecrat. hæc verba habet: Non oportet aliquid aliud in Sacramento *offerri præter panem, vinum, & aquam, quæ in typo Christi benedicuntur*; quia, dum in cruce penderet, de corpore ejus sanguis effluxit, & aqua. *Hæc tria* unum sunt in Christo JESU, *hæc hostia & oblatio* DEI in odorem suavitatis.

S. Ambrosius *l.* 4. de Sacram. *c.* 4. 3564 relatus in *c.* 55. de consecr. dist. 2. ait: *ante verba Christi calix est vini & aquæ plenus* (nota ly *ante* consecrationem) *ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur*; ergo aqua manens aqua usque ad consecrationem, & operationem verbo-

verborum Christi, ex mente D. Ambrosii, per verba Christi convertitur in sanguinem; at hæc conversio non est mediata. 1. quia verba Christi non operantur aliam conversionem, quàm in sanguinem; ergo nulla conversio mediata fit *virtute verborum Christi*; non etiam *virtute agentis naturalis*, tum quia ponitur adhuc esse aqua ante operationem verborum Christi; tum quia, si in consecratione commissus sit error (ut si loco vini calici affusa est mera aqua) jussu miss. salis Romani infundendum est vinum, aquâ miscendum, offerendum, & statim consecrandum, quo casu tantâ temporis brevitate vinum nequit aquam convertere in vinum, præsertim, si vinum valde debile sit; imò meliores Philosophi semper negârunt vino inesse Physicam vim in se convertendi aquam, ut tradit Innocentius 3. in *c. cum Martha* de consecr. ergo Deinde S. Augustinus l. de Bapt. ut refert Goufredus ex Ordine Cisterc. Charevallensium in ep. ad Cardin. Albanensem sic loquitur: Unde & *aqua* mittitur in calicem, *& fit sanguis consecratione Verbi cælestis.* Quæ verba, tametsi nunc vel injuria temporum, vel alicujus fraude perierint, extitisse tamen in eo libro D. Augustini per quam credibile facit testimonium doctissimi Goufredi. Et quid tandem afferri potest, ait D. Damascenus l. 4. Orth. fid. c. 14. *quin ex pane corpus, ex vino, & aqua, sanguinem suum efficere queat?*

3565 Respondent communiter, hæc omnia rectè salvari per conversionem *mediatam.* Nam Patres nullibi loquuntur de conversione *immediata.* Verùm contra est. 1. quia Patres dicunt aquam converti in sanguinem, ea conversione, quam operantur verba Christi (*hic est sanguis meus,*) sed hæc non operantur mediatam conversionem aquæ in sanguinem. pat. manifestè. nam *mediata conversio aquæ* in sanguinem Christi, est *immediata conversio aquæ in vinum & vini in sanguinem*, sed verba Christi non operantur *immediatam conversionem aquæ in vinum*; ergo non operantur *mediatam conversionem aquæ in sanguinem.* Min. prob. 1. quia ipsi Adversarii fatentur, aquam in vinum immediatè converti, non virtute verborum, sed virtute Physicâ vini, cui permiscetur, 2. quia sic verba (*hic est sanguis meus*) essent falsa, pat. quia verba non operantur nisi quando extat ultima syllaba formæ prolatæ; vel ergo tunc locò aquæ est vinum immediatè, vel sanguis Christi? non secundum? quia sic non esset conversio *mediata*. virtute verborum, contra suppositum: non primum? quia sic falsum esset, quod sit sanguis eo instanti, si eo instanti virtute verborum immediatè esset vinum locò aquæ; falsum enim est, *vinum est sanguis?* ergo. 3. quia Patres eodem modo loquuntur de conversione aquæ, ac vini, imò universaliter, & sine ulla restrictione dicunt, aquam converti in sanguinem virtute verborum, quæ locutio esset valde impropria, si intelligeretur de conversione solùm mediata; sicut impropriè dicerem, granum tritici, vel massam panis incoctam, converti in corpus Christi, esto convertatur mediatè.

Contra est 2. quia Patres dicunt, 3566
aquam manentem usque ad consecrationem, virtute hujus converti in sanguinem: ergo non loquuntur de conversione *mediata*; quia sic falsum esset, quod usque ad consecrationem manens aqua convertatur in sanguinem; quia prius, quam per consecrationem fieret sanguis, esset vinum. Respondet Gonet n. 57. ad veritatem sententiæ Patrum sufficere, quòd usque ad consecrationem maneat *aqua materialiter* (scilicet secundùm mat. am primam) licet sit sub alia substantiali forma *vini*: Sed quis non videt, hanc expositionem Patrum esse planè violentam, & nullo modo æquipollentem dictis Patrum. Nam aqua *materialiter*, seu materia prima, quæ fuit sub forma aquæ, non est aqua, sine addito, aliàs in homine dici posset piscis, porcus, & similia, si sufficeret, quòd in eo sit materia, quæ prius fuit sub forma piscis, porci &c. Deinde, si ad verificanda dicta Patrum sufficiat, quòd aqua *materialiter* (nempe materia prima, nunc existens) sub forma vini convertatur in sanguinem, cur non etiam verificaretur vermem, qui est panis *materialiter* (scilicet includens materiam primam, quæ prius fuit sub forma panis) consecrari in corpus Christi.

Dicunt alii, pronunciata SS. Patrum 3567
sufficienter verificari de *aqua transmutata* in vinum. Verùm aqua transmutata in vinum, nihil habet aquæ nisi materi-

am primam, quæ prius fuit sub forma aquæ? ergo nihil est aquæ, nisi aqua materialiter; sed aqua materialiter non verificat dicta Patrum ex priore num: ergo nec aqua transmutata. Deinde Patres indubitatè pronuntiant, *aquam cum vino converti in sanguinem*; sed hoc pronuntiare indubitatè non potuissent, nisi indubitatum esset, aquam à vino non transmutari; id quod nec adversarii dicere possunt; & constabit infra ex Innoc. 3. cujus authoritate utuntur adversarii: ergo si dicas cum Mastrio n. 103. Patres supposuisse, aquam prius converti in vinum; & hoc supposito nixos, simpliciter, & absolutè pronuntiasse aquam converti in sanguinem. Verùm hoc certò falsum est. Nam qui aliquid simpliciter & absolutè pronuntiat ex supposito, ei tale suppositum debet apparere indubitatum; Patribus autem hoc suppositum non fuit indubitatum, quod aqua prius convertatur in vinum; quia ut fatetur Innocentius 3. infra citandus, *de hac virtute vini magnum dubium est*, ergo.

3568 Dices 2. cum eodem, conversio nutritiva panis, in carnem hominis rectè dicitur de pane, quamvis cadat supra panem solùm ampliativè sumptum, consequenter esto hæc conversio solùm sit mediata (nam panis comestus non transit immediatè in carnem, vel substantiam aliti, sed mediante chilo) ergo similiter conversio Eucharistica rectè dicitur de aqua, quamvis cadat supra aquam solùm ampliativè sumptam, consequenter esto hæc conversio solùm sit mediata, aquâ prius in vinum transeunte. R. N. cons. discrimen est, quia conversio *nutritiva*, quæ scilicet fit à virtute nutritiva est duplex, una cibi in chilum; altera chili in substantiam aliti; hinc, cùm panis virtute nutritivâ convertitur in chilum, & hoc mediante in alitum, recte conversio nutritiva verificatur de alimento, tametsi mediatâ; non datur autem duplex conversio Eucharistica, quæ scilicet sit *virtute verborum Christi*; nam conversio aquæ in vinum non fit *virtute Sacramenti*, sicut conversio panis in chilum fit virtute nutritiva: ergo, cùm nulla detur conversio Eucharistica mediata aquæ in vinum, & tamen Patres dicant, aquam etiam sacramentaliter converti in sanguinem, hoc verificari non potest, nisi per conversionem immediatam.

Confirmatur responsio quia probabilius est, quòd Christus consecraverit 3569
vinum aquâ mixtum, quando aqua nondum fuit conversa in vinum; ergo licet aqua non convertatur in vinum, tamen virtute consecrationis transit immediatè in sanguinem; prob. consequentia; quia materia, quam Christus consecravit, ita tota transivit in sanguinem, & ita consecrata est, ut nihil remanserit non consecratum à Christo C. nam oppositi nullum omnino est fundamentum, & S. Thomas hic q. 74. a. 8. in O. ait: quidam dicunt, *quòd aqua adjuncta vino per se manet, vino converso in sanguinem; sed hæc opinio stare non potest, quia in Sacramento Altaris post Consecrationem nihil est nisi corpus & sanguis Christi, alioquin non totum adoraretur veneratione latriæ*, ita S. Thomas ex quo vides quomodo Gonet à nobis relatus n. 3562. sequatur doctrinam sui Magistri, quando dicit, post consecrationem remanere aquam in natura sua, si prius non transivit in vinum, (quod sæpissimè saltem fieri, certum est) sed materia, quam Christus consecravit, fuit *vinum & aqua non transmutata in vinum*, etiam hæc est consecrabilis, & consequenter immediatè convertibilis in sanguinem. Ma. constat ex Lithurgia S. Marci, qui consecrationem, à Christo factam, sic describit: *Similiter & calicem, postquam cænavit, accipiens, factaque vini & aquæ commixtione, suspiciens ad cœlum, ad te Patrem suum, Deumque nostrum, & DEum universorum, gratias egit, benedixit, sanctificavit, implevit Spiritu Sancto, & tradidit.* Quis hic credat, unum quadrantem, vel etiam dimidium intercessisse? quod tamen Adversarii requirunt, ut aqua prius convertatur in vinum: ergò longè probabilius est, Christum consecrâsse vinum, *mixtum aquâ non transmutata*, præsertim, cùm credibilius sit, Christum eas actiones fecisse ex more humano, hoc est, ut homines solent. Ejusmodi autem actiones brevissimè fiunt inter homines: ergò. Idem habetur in Lithurgia S. Jacobi apud Card. de Lugo hic *D. 4. sect. 3. n. 50.*

Dices

3570 Dices 1. materia calicis est vinum de vite, cui modica aqua misceri debet; sed vinum mixtum aqua non est vinum de vite, ergo vinum mixtum aquâ non est materia calicis: Ergo ut vinum mixtum aquâ sit materia calicis, aqua prius converti debet in vinum. Hæc est præcipua, & fundamentalis ratio Patris Gonet D. 3. n. 51. Verùm ℟. 1. ad hominem retorquendo: sed vinum mixtum aquâ transmutatâ non est vinum de vite; ergo non est materia calicis. Sequelam negat Gonet. Et tamen vi sui argumenti admittere illam cogitur. Nam aqua illa in vinum transmutata non est *liquor ex uvis expressus*, vel *qui crevit in vite*, sed *vinum de vite*, juxta illum n. 47. *dicit talem liquorem*: Ergo aqua transmutata non est vinum de vite; & tamen juxta Gonet est materia Calicis, & convertitur in sanguinem, ut docet n. 39. Not. ergo, *per vinum de vite*, intelligi *vinum* prout est potus humanus, & usitatus inter homines; consequenter *vinum usuale*. Hoc autem æque verificatur de vino diluto, ac mero, nam aquæ admixtio, facta vino, non tollit, quò minus tale vinum, leviter dilutum, sit *vinum usuale*. Et ratio est, quia vinum, leviter dilutum, retinet rationem symbolicam, propter quam à Christo vinum est assumptum in Sacramentum sanguinis, nempe rationem signi significantis gratiam animæ nutritivam signo potûs, his positis: Resp. 2. dist. ma. materia calicis est vinum de vite, qua dicit vinum in communi usu potus humani; C. qua dicit vinum, quod secundùm omnes partes inclusas crevit de vite N. ma. dist. min. sed vinum mixtum aquâ non est vinum de vite includens merè partes oriundas à vite C. qua dicit vinum, prout est in communi usu humani potûs N. min. & conseq.

3571 Dices 2. si non est necessè, aquam transmutari prius in vinum, non est ratio, cur præcipiatur ejus affusio in tam modica quantitate. Resp. N. anteced. Ecclesia enim non præcipit *modicam quantitatem aquæ*, quia debet in vinum prius converti, quod obtinere non posset, si multum affunderetur: Sed quia, si multum affunderetur, & vinum in quantitate non notabiliter excederet aquam, vinum desineret esse *vinum usuale*. 2. Quia Ecclesia vult per eam aquam admixtam significare Christi humanitatem, & populum Christianum mysticè conjunctum Christo Deo: ergo sicut divinitas significata *vino* plurimum excedit humanitatem Christi, & populum Christianum significatum *aquâ*; sic vinum debuit notabiliter excedere aquam in illa mixtione

Dices 3. in CC. Trid. Sess. 13. can. 3572
3. dicitur post Consecrationem, *duntaxat species panis & vini manere*; sed hoc *duntaxat* non verificaretur, si aqua immediatè transiret in sanguinem; nam sic etiam maneret species aquæ. ergo. ℟. 1. dist. ma. dicuntur manere *duntaxat* species vini, particula exclusivâ solùm cadente supra species. N. ma. cadente supra species, quas affirmat manere, & supra substantiam vini, quam excludit, seu negat manere C. ma. dist. min. Sed hoc verum non esset eo casu, quo etiam manerent species aquæ, si ea particula exclusivè caderet supra solas species, trans. min. si positivè caderet supra species, & exclusivè supra substantiam panis & vini N. min. & conc. Ibi mens Concilii erat solùm *excludere substantiam panis & vini*, ut sensus sit: *post consecrationem manent species vini, & non manet substantia panis, & vini*; non autem, quòd nihil aliud maneat, *quam species panis & vini*. Nam si hoc sensu Adversarii accipiant particulam exclusivam, apertè loquuntur contra se, dum concedunt, post Consecrationem manere substantiam aquæ, ac ejus species, in casu quo aqua prius conversa non est in vinum.

℟. 2. dist. ma. post consecrationem 3573
manet *duntaxat* species panis & vini *usualis*, C. secus N. ma. hoc autem verum est, licet cum speciebus vini remaneant species aquæ speciei vini commixtæ. Nam licet aqua ex se solâ non sit vinum usuale; tamen propter commixtionem localem cum vino est vinum usuale denominativè, & moraliter, nimirum juxta communem usum hominum, quatenus ambæ species conficiunt unum totum, quod est usitatus hominum potus tanquam vini.

Hinc etiam sal permixtus farinæ communem usum hominum facit panem usualem, & cum pane per consecrationem immediatè transit in corpus Christi, id quod etiam de modica farina hordei concedit D. Thomas.

3574 Instabis: si aqua permixta vino immediatè consecratur, etiam modica quantitas sacchari, vel farinæ amygdalinæ permistæ farinæ triticeæ immediatè consecrabitur. Sequela est falsa, ergo seq. probatur: nam non minus modica quantitas farinæ amygdalinæ v. g. cum farina triticea, sensibiliter constituit panem usualem, quàm aqua vinum usuale; sed ex hoc ista immediatè consecratur: ergo & illa &c. N. seq. ad hujus probationem transma. N. causalem min. si nihil aliud velit ly *sensibiliter*, ac *sensu indiscernibiliter*. Ideo ergo aqua modica, mixta vino, immediatè consecratur, quia est id, quod universaliter, seu ex communi usu hominum adhiberi solet ad vinum prout est potus communis hominum, id quod nec habet saccharum, nec amygdalum &c.

3575 Pro reliquis objectionibus nota 1. quando in Cathechismo Pii. 5. de Eucharistia *c.* 4. dicitur: *Ecclesiasticorum scriptorum sententiâ, & judicio aquam illam vino admixtam in vinum converti*, responderi concedendo, quòd illi hoc judicaverint (quia probabilius est, eos fuisse Patronos sententiæ Thomisticæ) negari tamen, ibid. à Pontifice asseri, *quòd verum judicaverint*, cum in oppositum sint innumeri, & communis sententia probabilior, ut restatur Innocentius III. proximè referendus. Accedit pro nobis auctoritas sanctorum Patrum, qui meritò præferendi sunt illis scriptoribus. Deinde cum Card. de Lugo D. cit. n. 59. dici potest, eos locutos esse de conversione solùm lata, quoad denominationem *vini* prædominantis in illo mixto, atque adeo de conversione reddente aquam *denominativè vinum*; non autem substantialiter. Not. 2. omnino concedi, quòd illa sit materia Eucharistiæ, pro cujus conversione Apostoli acceperunt potestatem à Christo. Cùm autem acceperint potestatem consecrandi vinum usuale, & hoc tale sit non modo vinum merum, sed etiam dilutum, eo ipso acceperunt potestatem etiam immediatè consecrandi aquam *non solam*, sed *vino modicè admixtam*. Not. 3. ex eo, quòd aqua vino admixta immediatè convertatur in sanguinem, non inferri: ergo aqua est materia necessaria *necessitate Sacramenti*. Nam licet aqua vino non admisceatur, tamen adhuc validè consecratur vinum etiam solum ex n.

Quando autem ex Trid. Sess. 3. can. 3. 3576
objicitur, totum Christum contineri sub singulis cujusque speciei partibus, separatione factâ, idque verum non fore in nostra sententia, si per artem Chymicam species aquæ separarentur à speciebus vini. (Nam Christus non est sub speciebus aquæ, sed vini) respondetur, Tridentinum loqui de speciebus, quæ factâ separatione retinent denominationem *panis*, & vini; species autem aquæ taliter separatæ non retinerent eam denominationem, sicut eam non retinent species fermenti, aut salis, si separentur à speciebus panis, quem consecrant Græci; ergo non est necesse est mente Tridentini ut species aquæ, taliter separatæ, tunc continerent Christum; sed sufficit, etiam juxta S. Thomam, quòd contineant tunc, quando sic permixtæ sunt speciebus vini, ut ab harum excessu illæ absorbeantur, hoc est ex omni usu censeatur mixtum illum simpliciter *species vini*, quod explicat aquæ in vinum conversionem solùm moralem. S. Thom. q. 74. a 3. ad tertium.

Not. 4. negandum esse, quod asse- 3577
rit Gonet Thomistan. 39. Innocentium III. Pontificem in *c. cùm Marthæ*. De celebr. miss. judicasse; & dixisse, *probabiliorem esse sententiam, quæ tenet aquam non aliter converti in sanguinem, quam prius transmutatam in vinum*. Cùm enim responderet Archi-Episcopo Lugdunensi quærenti (*utrum aqua infusa calici convertatur in sanguinem*) relatis tribus sententiis diversis (quarum prima docet, aquam illam converti in aquam, quæ fluxit de latere Christi) secundam referens ita loquitur: *alii verò tenent, quòd aqua cum vino transubstantietur in sanguinem, cum in vinum transeat mixta vino, licet Physici contrarium asseverent, qui aquam à vino per*

no per artificium posse asserunt separari, subjungit: *Verum inter opiniones praedictas illa probabilior judicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari.*

Nam ex hoc dicto Pontificis nullo modo legitimè deducitur: ergo Pontifex judicat, illam sententiam esse probabiliorem, quæ docet, *aquam prius substantialiter in vinum conversam, transire in sanguinem, & non aliter*: Ad quod intelligendum, nota, quòd secunda sententia sit bimembris, & habeat hunc sensum: *aqua vino in calice affusa transit in sanguinem, per conversionem vel aquæ transmutatæ, vel inseparabiliter vino permistæ per minima inseparabilia.* Illum enim transitum aquæ in vinum secunda sententia affirmat, quem negabant Physici, ut pat. ex textu; sed hi negabant utrumque illum transitum; non enim negant solum transitum aquæ in vinum substantialiter, sed etiam eum, quo aqua & vinum commisceantur per minima, ut inseparabilia sint, teste gloss. in loc. cit. V. *Physici*: ergo alterutrum asserebat secunda sententia: ergo de hoc transitu dicit Pontifex, quòd iste probabilior sit aliis duabus sententiis; at inter illas duas sententias non ponebatur nostra, de aquæ conversione immediatâ, ut per se patet; nam tertia docebat, etiam post consecrationem, aquam remanere corpori Christi sub speciebus vini circumfusam: ergo, dum ait secundam sententiam ex propositis probabiliorem, non dicit eam probabiliorem sententiâ docente *immediatam conversionem aquæ.*

3578 Deinde, vel est inter sententias propositas eo loco nostra etiam sententia, vel non? si non? ergo malè inferunt Thomistæ, quòd Pontifex Thomisticam sententiam vocet probabiliorem. Nam sententiam, quam ait esse probabiliorem, illam ait esse *ex prædictis*, seu *tribus propositis probabiliorem*, non autem aliis, non propositis, si verò est inter propositas, tum nostra erit non prima ut per se patet, quæ docet conversionem aquæ in aquam; non etiam ea, quæ docet aquam remanere post consecrationem; sed ea, quæ docet, *aquam cum vino in sanguinem transmutari*, sive transmutatio sit stricta, qua aqua fit substantialiter vinum; sive lata, qua fit solum vinum usuale, ad hanc Pontifex ait esse probabiliorem. ergo.

Denique Pontifex, ex tribus sen- 3579
tentiis (quarum prima docet aquam in aquam lateris Christi converti; secunda, *aquam cum vino in sanguinem transmutari*; tertia, aquam corpori sub speciebus vini manere circumfusam) secundam vocat probabiliorem; non quà dicit *aquam in vinum* transmutari prius, sed quà dicit *aquam cum vino* in sanguinem transmutari, præscindendo ab eo, quod prius transeat in vinum; ratio est, quia in sua responsione se non refert ad causalem secundæ sententiæ, utpote dubiam, sed solùm ad substantiam sententiæ, pat. 1. quia in sua responsione loquitur simpliciter, dicens: *probabilius esse aquam cum vino transmutari*, quidquid fit, de hoc, an prius transeat, vel non transeat in vinum. Nam hoc non definit. 2. quia ibid. gloss. V. *cum vino* id exponit, de vino aquatico, seu composito, & compacto ex aqua & vino, & hoc vinum ait in sanguinem transire; ergo.

Not. 5. contra P. Gonet n. 42. fal- 3580
sum esse, quòd omnes Canonistæ, qui decretalem illam Innocentii sunt interpretati, illam exposuerint de aqua *prius* in vinum conversa. Videatur Tellez in eam decretalem, & plures alii, qui oppositum sentiunt. Deinde si *vera est doctrina* Patris Gonet relata n. 3577. in fine, Sacerdos semper exoneret se periculo non communicandi jejuno stomacho, quoties plures missas in uno die diceret; sic enim præter species vini sumpsisset etiam substantialiter aquam.

Not. 6. cùm Innocentius l. 4. de al- 3581
taris mysterio. c. 31. apud Gonet cit. ait: (*aqua transit in sanguinem, eâ scilicet ratione, quod aqua per admixtionem transit in vinum, & vinum per consecrationem in sanguinem, quis enim ambigat, aquam in vinum transire, cùm multo vino modicum aquæ infunditur*) Innocentium loqui de transitu aquæ *in vinum usuale.* Nam de illo transitu loquitur, *de quo*

nullus

nullus ambigat; sed de solo transitu aquæ in vinum usuale nemo ambigit. An verò aquam vinum in se substantialiter convertat, plurimi ambigunt, cùm fateatur ipse Innocentius, *Physicos id negare*; ergo. Not. 7. quando gloss. in cit. c. *cùm Marthæ*, dicit: *non transeunt duo in sanguinem* (aqua scilicet & vinum) sed vinum, *quod aquam sibi incorporavit*, à gloss. solùm negari aquam *sub apparentia aquæ* converti; non autem *sub apparentia vini usualis*; nam vinum (quod Pontifex ait converti in sanguinem) glossa expressè exponit de vino *aquatico*, seu *diluto*: ut dixi n. 3579. ergo.

3582 Not. 8. verum esse, quòd S. Thomas in 4. *D.* 11. *q.* 2. *a.* 4. videatur supponere, quòd aqua prius convertatur in vinum, quàm in sanguinem; hoc tamen exponi potest & debet. 1. de conversione *in vinum usuale*, non de conversione *substantiali*; secundò, de conversione *quoad sufficientiam*, ut transeat in sanguinem, non *quoad necessitatem*. Nam 1. ut dixi ex S. Thoma superius, *post consecrationem nihil est, nisi corpus, & sanguis Christi*; sed hoc falsum esset, si aqua non transmutata non transiret in sanguinem; sic enim aqua remaneret post consecrationem, si ante, ut facillimè fit, maximè si statim fiat consecratio, ut, si contigit prius error, non esset transmutata; secundò, S. Thom. q. 74. a. 3. ad 3. expressè docet, si multæ farinæ triticeæ misceatur modica farina alterius frumenti v. g. hordei, confici panem, qui est materia hujus Sacramenti: ergò etiam si multo vino aqua modica: sed materia hujus Sacramenti immediatè convertitur: ergo *multum vinum cum aqua modica immediatè convertitur* in sanguinem Christi; & *a.* 6. *§. contra*, ex Alexandro Papa dicit, inter Missarum solemnia *vinum, aquâ permixtum, in sacrificium offerri*; hostia porrò sacrificii immediatè destruitur vi consecrationis; quod verum non esset, si vinum in se converteret aquam: ergo.

3583 Quarta quæstio ibid. proposita fuit, quare fuerit mutatum, quod in secreta B. Leonis, secundùm antiquiores codices continetur, sic videlicet: *annue nobis Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio*; cùm in modernis Sacramentariis habeatur: *Annue nobis quæsumus, ut intercessione beati Leonis hæc nobis prosit oblatio*: ad hanc quæstionem respondit Pontifex, esse mutatum propterea, quia sacra scriptura dicit, quod injuriam facit Martyri, qui orat *pro* Martyre; idem est ratione consimili de sanctis aliis sentiendum: quia orationibus nostris non indigent, pro eo, quòd, cùm sint perfectè beati, omnia eis ad vota succedunt: sed nos potius orationibus eorum indigemus, quos (cùm miseri simus) undique mala nostra perturbant. Unde quod in plerisque orationibus continetur: *Prosit, vel proficiat huic Sancto, vel illi, talis oblatio ad gloriam, & honorem*; ita debet intelligi, ut ad hoc prosit, *quod magis, ac magis à fidelibus glorificetur in terris*: licet plerique reputent non indignum, Sanctorum gloriam usque ad judicium augmentari; & ideo Ecclesiam interim sanè posse augmentum glorificationis eorum optare.

Circa hunc textum existimant aliqui, 3584
quòd, cùm verba illa (qui orat pro Martyre &c.) non reperiantur in *sacris* literis; sed apud D. August. *serm. 27. de verbis Apost.* Pontificem in præsenti textu sententiam hanc D. Augustini appellâsse scripturam *sacram*, prout opponitur scripturæ *profanæ*; sic Bellarmin. *tom.* 1. *controvers. l.* 2. *de Conciliis*, *c.* 12. de quo plura Gonzalez ad c. *cum Marthæ*, 6. *§. tertio loco n.* 2. quamvis rectè dicatur, id, quod dixit D. Augustinus, *implicitè* dictum à sacris literis.

Præter hæc in c. *sanè* 10. *h. t.* statuit 3585
Honorius III. districtè præcipiendo, ut à Sacerdotibus Eucharistia *in loco singulari, mundo, & signato, semper honorificè collocata, devotè ac fideliter conservetur*. 2. Sacerdos frequenter doceat plebem suam, ut, cùm in celebratione Missarum elevatur hostia salutaris, se reverenter inclinet; idem faciens, cùm eam defert Presbyter ad infirmum. 3. ut sacram Eucharistiam in habitu decenti, superposito mundo velamine, ferat, & referat manifestè, ac honorificè ante pectus, cum omni reve-

reverentia, & timore, *semper lumine præcedente*; cùm sit candor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes fides, & devotio augeatur. 4. ut Prælati hujusmodi mandati graviter punire non differant transgressores: si & ipsi divinam & nostram voluntatem effugere ultionem. De primo puncto quoad custodiam Eucharistiæ, dicemus infra tit. 40. de secundo, & tertio diximus *supr. tit.* 29. de Parochiis; nam onus deferendi sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ad infirmos, est de pertinentibus ad curam animarum, ut decidit Rota, de quo Barbosa in dict. c. *sanè. n.* 5.

ARTICULUS III.

De divinis officiis.

3586 HÆc est tertia pars hujus tituli; ubi nota, per *divina officia* hìc potissimum intelligi *recitationem horarum canonicarum*; de qua materia in hoc titulo extant duo speciales canones; primus in c. *Presbyter.* 1. *h. t.* ibi: *Presbyter, manè matutinali officio expleto, pensum servitutis suæ (videlicet primam, tertiam, sextam, nonam, vesperamque) persolvat, ita tamen, ut horis competentibus juxta possibilitatem, aut à se, aut à scholaribus publicè compleantur*, alter in c. *Dolentes.* 9. *eod.* ubi Innocentius III. sic loquitur: *Dolentes referimus, quòd non solum quidam minores Clerici, verùm etiam aliqui Ecclesiarum Prælati circa comessationes superfluas, & fabulationes illicitas (ut de aliis taceamus) fere medietatem noctis expendunt, & somno residuum relinquentes, vix ad diurnum concentum avium excitantur; transcurrendo (undique) continuatâ syncopâ matutinum. Sunt & alii, qui Missarum solemnia vix celebrant quater in anno, & (quod deterius est) interesse contemnunt: & si quando, cùm hæc celebrantur intersint, chori silentium fugientes, intendunt exterius collocutionibus Laicorum: dumque auditum ad indebitos sermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad divina. Hæc igitur, & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus, districtè præcipientes, in virtute obedientiæ, ut divinum officium pariter, & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiosè celebrent pariter, & devotè.*

Ex his canonibus, quantum ad præsens 3587
duo in quæstionem venire possunt. 1. an sit sub obligatione conscientiæ divinum officium, seu horas canonicas, *non simul uno tractu omnes*, aut ferè omnes, sed *distinctis temporibus recitare?* 2. *an officium matutinum* (nimirum nocturni & laudes) *debeant manè persolvi, & quidem ante sacrificium?* nam hæc videntur in his juribus peculiariter tangi; reliqua, quæ pertinent ad plenam notitiam de horis canonicis, tradidimus in materia de præceptis primæ tabulæ. Ad. 1. R. verum esse, singulis horis præscriptum esse certa tempora, quibus debent dici, ea videlicet, ex quibus nomina sumpserunt, ut tradit P. Thomas Sanchez in *Consil. moral. l.* 7. *c.* 2. *dub.* 35. *n.* 1. *qui dub.* 36. *n.* 1. docet, non peccari mortaliter, quacunque die horâ recitentur horæ canonicæ *privatim*, intra diem naturalem, qui constat ex 24. horis; nimirum à duodecimâ noctis præcedentis hora, usq; ad duodecimam sequentis; & 2. ibid. nullam esse culpam, si non recitentur debitis horis *justa de causa*; venialem tamen, si citra istam causam. Rationem primi dat, quia substantia præcepti consistit *in hoc, quòd horæ dicantur*: at quòd dicantur *tali tempore*, est modus quidam, & circumstantia, non adeo necessaria; & pro hac sententia refert Navarrum, Armillam, Sylvestrum, Sotum, & complures alios; rationem verò postremi, de peccato *veniali*, desumit ex eo, quia in *c.* 1. *de celebr. missar. & Clement.* 1. *eodem*, præcipitur, *ut debitis horis recitentur*; addit autem ibidem *n.* 3. justam causam esse, & à culpa immunem reddere, *si Scholasticus differat horas in vespertinum tempus*, eò quòd matutinum est aptum studio, non autem vespertinum: hoc verò est aptum ad recitandum; & *n.* 4. quando quis impedimentum timet, melius esse, ut horas præponat, quàm postponat. Ratio, quia primum est *providentiæ*; at secundum, est *negligentiæ*; sic ille.

Mihi videtur dicendum, obligatum ad 3488
dicendas horas canonicas *privatim*, nullam committere culpam, etiam manè, vel alio tempore, intra diem naturalem, recitando consequenter omnes horas divini officii, *quando adest justa, & rationa-*

bilis causa, v. g. si prævidet, se alio tempore impediendum vel absolutè, vel in tantùm, ut non possit, nisi cursim, vel minus devotè, aut dispositum, ad debitam intentionem eas dicere, vel ex fatigatione itineris, laboris, studii, aut alterius occupationis honestæ, modo in ea recitatione servetur substantia horarum cum attentione, & pronuntiatione debita; id sentire videtur Sanchez cit. Lessius, Azor, Vasq. Bonacin. & alii, quos refert Barbos. in dict. c. *Presbyter n.* 8. cùm expressè teneant, *nullam esse culpam, dicere divinum officium, ex justa causa, non servando horarum ordinem*; ex hoc enim rectè idem colligi videtur, si ex justa causa non servetur *distinctio temporis*; cùm hæc non magis videatur præcepta, quàm horarum ordo; & ratio est; quia horas, etiam simul omnes, consequenter, etiam extra tempora, quæ designantur earum nominibus, ex justa causa privatim recitare nullo jure prohibitum est, ut agnoscunt Authores cit. & complures alii; & 1. talem horarum recitationum *privatam*, nullibi graviter prohibitam esse, constabit ex mox dicendis.

3589 Sed nec etiam prohibita est *sub veniali culpa*, ubi adest causa justa, & rationabilis in contrarium; constat. 1. ex dict. c. *Presbyter.* 1. *h. t.* juxta id, quod apud Barbos. in cit. *c.* 1. *n.* 11. tradit Azor *p.* 1. *l.* 10. *c.* 9. *q.* 4. ubi Barbos. V. *Vesperamque persolvat*; ubi notatur, inquit, quòd Clericus, negotiis implicatus, *statim manè omne, pensum horarum* solvere usque ad vesperum potest; & addit, per illa verba ita tamen, *ut horis competentibus juxta possibilitatem, aut à Scholaribus publicè compleantur*, juxta P. Azor loc. cit. *significari*, concedi Clerico, ut *privatim, extra chorum, manè horarias preces peroret*, & curet insuper, ut publicè in templo à cæteris Clericis minoribus (quos text. hujusmodi scholares appellat) tempestivè decantentur. Ex hoc deducitur altera responsio ad dictum c. *Presbyter*, dato, quòd dictus canon contineret præceptum, recitandi horas distinctis temporibus, cum tamen non agere de recitatione horarum *privatâ*, sed *publica*; &, *quæ fit per cantum*, probatur. 1. ex eo, quia loquitur de divino officio horis competentibus (si Presbyter ipse non potest) *a secularibus complendo*; ubi per *scholares publicè* intelliguntur *Clerici minores*, ut notat Barbosa *cit. n.* 11. nimirum *Psalmistæ*, qui erant in schola Cantoris ad psallendum in Ecclesia, ut pluribus probat Gonzalez ad cit. *c.* 1. *h. t. n.* 5.

Probatur. 2. exinde, quia textus loqui- 3590
tur de *Presbytero*, ut manifestum est; ex hoc autem, attendendo dictum verbum *Presbyter*, clarè deducitur, textum loqui de horis canonicis *non privatim*; sed *publicè dicendis*; pro quo not. ex Filesco in *c.* 15. *§.* 2. *de offic. ordin.* apud Gonzalez cit. *n.* 12. *Presbyterum* in hoc textu accipi pro *Parocho*; & veterem autem Ecclesiæ Gallicanæ morem fuisse, ut horæ dicerentur *etiam in Ecclesiis Parochialibus*; Parochi enim olim tenebantur secum habere Clericos juniores, ad sibi ministrandum, & ut illis absentibus, horas canonicas publicè in Ecclesia recitarent, cap. *nullus* 11. *q.* 1. cap. *ut quisque* de vita & honestate Cleric. Concil. Vasense 1. can. 2. ibi: *hoc enim placuit, ut omnes Presbyteri, qui sunt in Parochiis constituti, secundum consuetudinem, quam per totam Italiam satis salubriter teneri cognovimus, juniores lectores quantoscunque sine uxore habuerint, secum in domo, ubi ipsi habitare videntur, recipiant*, & eos quomodo boni PP. spiritualiter nutrientes, *psalmos parare, divinis lectionibus insistere, & in lege Domini erudire contendant*, nihil igitur ex *c.* 1. *h. t.* rectè ad intentum de recitandis *privatim* horis secundùm distincta tempora, ritè concluditur.

Dices. P. Eusebius Nierembergius in 3591
spirituali *institut. l.* 2. *Pandect. l.* 2. doctrinâ 12. *c.* 77. ex B. Petro Damiano refert, S. Severinum gravissimas purgatorii pœnas luentem, rogatum, ut aperiret, cur tanto incendio cruciaretur? respondisse, nihil in se remansisse, ultione plectendum, præter hoc tantùm, quia, dum in aula regia constitutus, imperialibus se consiliis vehementer implicuit, canonici Synaxis officia per distincta horarum spatia non persolvit. Manè quippe simul coacervans, inquiebat, tota die negotiis ingruentibus secura libertate vacabam. *Ob hanc itaque negligentiam horarum, ardoris hujus fero supplicium*, ergo, cùm talis horarum oratio tam graviter puniatur, signum est, divinum officium, seu horas

cano-

canonicas temporibus præscriptis non persolvere, non esse peccatum leve.

Sed hæc objectio ipsa includit solutionem; non enim dixit Sanctus, se tantas sustinere pœnas, quòd mane simul dixerit horas omnes *etiam stante causa rationabili, & justa*; sed, *quòd coacervaverit, ut secura libertate negotiis secularibus tota die vacaret*, quadam nimirum talium negotiorum appetitione minus moderatâ, quam exigeret devotio precandi, deordinatione quadam exiguâ, & levi, vel in fine, propter quem horas manè statim coacervavit; vel in modo, prout colligi posse videtur ex verbo *coacervans*, quod denotat congeriem rerum minutarum.

3592 Ad. 2. quæstionem de matutino, & laudibus, *antequam Sacerdos celebret*, ex obligatione persolvendis, sunt diversæ opiniones; quidam enim asserunt, peccari mortaliter, si matutinum & laudes, serius dicantur sine justa causa, quàm Missa celebretur; sic multi Doctores apud Baldellum *tom. 2. disp. 31. n. 9.* nominatim S. Anton. Paludanus, Navarrus, Gabriel Armilla, Angelus, Azor, Toletus, & apud Thomam Sanchez *l. 7. consil. c. 2. dub. 38.* alii dicentes idem, *nisi omissio fieret ob causam urgentem*, puta vitandum grave damnum, vel scandalum; pro qua opinione refertur ibidem etiam Margarita Confessorum. &c. Aliqui ex illis moventur ex his capitibus. 1. quia in Missali §. *de præparatione Sacerdotis celebraturi*, statim in principio dicitur. *Sacerdos celebraturus Missam, saltem matutino cum laudibus absoluto, orationi aliquantulum vacet: & orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat.* Et in Rubrica de defectibus Missæ §. 10. inter alios defectus, ob quos sub gravi peccato prohibitum est, celebrare Missam, ponitur iste: *si celebrans Matutinum cum Laudibus non dixerit*: Ad hæc Julius III. in Brevi S. Patri nostro, pro confirmatione privilegiorum nostrorum concesso, Anno 1552. quod incipit: *Dilecte fili*: sic loquitur; *ut tu, & Societas quietius, & devotius, in humilitate Spiritus, Altissimo gratum præbere positis famulatum, facultatem, & licentiam anteponendi, & postponendi officium divinum, alias vobis concessam ad hoc, ut tu, & pro tempore existentes Religiosi Societatis hujusmodi, ex legitimis & justis causis* (in quo tuam, ac successorum tuorum Præpositorum Gen. pro tempore existentium, & aliorum, quos ad hoc substitueritis, conscientiam oneramus) *officium ipsum celebrationi Missæ liberè & absque conscientiæ scrupulo, postponere possitis, Authoritate, & tenore prædictis extendimus, & ampliamus.* Quod privilegium ne frustraneum sit, & ne conscientia immeritò oneretur, supponit obligationem de jure communi, *Matutinum, & Laudes dicendi ante Missam.*

Verùm his non obstantibus, cum pro- 3593
babiliori, & veriori sententia dicendum, *non esse peccatum mortale*, facere sacrum, antequam recitetur matutinum, etiam si nulla justa causa interveniat; ita tenet Sanchez *l. 7. consil. c. 2. D. 38. n. 3.* & apud eum Sotus, Medina, Sylvester, & complures alii cum Baldello cit. & novissimè P. Illsung in Arbore vitæ, seu *Theol. practic. tr. 5. D. 1. q. 1. a. 4.* nam obligatio gravis in hoc puncto nullo prorsus titulo probatur; nec enim vel ex natura rei, vel illius juris dispositione ea est connexio horarum cum Missa, vel vicissim, ut citra culpam gravem separari non possint, *quoad illum ordinem*; quod *non ex natura rei*, certum est; quòd *non dispositione juris positivi*, constabit ex solutione fundamentorum contrariæ sententiæ; & ratio ulterior est; quia *Missa* non dicit ullo jure majorem ordinem ad horas, & vicissim; quàm ipsæ horæ *inter se*; at non servare ordinem horarum inter se, non est peccatum grave, etiam nulla interveniente causa, intellige quantum est vi obligationis recitandi quotidie horas divini officii; ergo.

Ad rationes in contrarium, & ad. 1. *R.* 3594
1. admisso toto textu illius rubricæ nullam inde duci legitimam illationem *de gravi præcepto*, cùm ne verbum quidem contineat *graviter* præceptivum; nec etiam materia subtracta directioni, quam continet rubrica, id inferat. 2. cùm æqualiter loquatur, & in eodem contextu *de matutino, & orationibus inferius positis*, si contineret gravem obligationem, ambo essent sub gravi præcepto; quòd tamen de illis orationibus nemo facilè dicer, peccari mortaliter, si quis celebret illis prius non dictis; 3. not. quod in cit. §. *de præpara-*

paratione (ubi dicitur, *quòd* celebraturus Missam, absoluto matutino cum laudibus, dicat *orationes inferius positas*) statim reddatur: *pro temporis opportunitate*, ex his enim ne quidem venialis obligatio deducitur, ubi temporis opportunitas non est; denique asserere: ex præcepto juris humani aliquid esse *sub obligatione gravi*, consequenter *sub amissione æternæ vitæ, & incursu æternorum tormentorum*, sine clara lege, vel convincenti ratione, non videtur congruere menti Legislatorum, cum primis benignæ Matris Ecclesiæ; præsertim, cùm *contra eum, qui legem dicere potuit, apertius sit interpretatio facienda*, ut dicitur, *reg. 57. de reg. jur. in 6.*

3595 Ad. 2. ex §. 10. ℞. cùm in eo §. referantur promiscuè defectus in missâ quandoque contingentes, tam *graves*, quàm *leves*, non rectè circa *singulos* inferri obligationem *gravem*; cùm res levis tam de se, quam etiam relatè ad finem intentum à Legislatore, non possit graviter præcipi, at recitare matutinum, & laudes, *antequam* quis missam faciat, non modò de se, sed etiam relatè ad finem à Legislatore intentum, est res levis; cùm inter ea duo nulla sit omnino connexio, vel dependentia, ergo; Censet tamen P. Illsung loc. cit. ex dicto §. 10. inferri, *obligationem sub veniali*; *quæ tamen culpa etiam evitetur per justam causam*; id, quod quoad evitationem culpæ etiam venialis propter justam causam, verum censet etiam Sanchez *cit. l. 2. Consil. c. 2. D. 38. n. 5.* & Suarez *tom. 3. de Sacrament. D. 82. sect. 1.* dicens: *nullam esse obligationem vel ex lege scripta, vel non scripta*, recitandi matutinũ prius, quàm quis privatim, vel solenniter celebret, saltem loquendo de officii divini recitatione *privata*, ut ex eo retulimus *lib. 1. decret. tit. 2. de constitut. à* 1319. 1. cujus ratio deduci potest ex ibidem dictis, ubi cum Cardinale Brancatio, Suarez, Quarto, & aliis diximus, rubricas, quæ præscribunt ritus servandos intra missam, tangentes *substantiam* actus, *præceptivas* esse, quæ verò præscribunt *ritus ante, vel post missam*, tantùm directivas. Quod verò dicitur de dispensatione Societati nostræ facta à Julio III. summo Pontifice, ut ipsum officium divinum celebrationi Missæ liberè, & *absque conscientiæ scrupulo* postponi possit (etsi aliqui velint, ex hac secluſa tali dispensatione vel alia causâ justa, talem postpositionem continere culpam venialem) non tam arguit dispensationem propriè dictam (quæ nimirum eximat ab obligatione legis) cùm (ut diximus ex P. Suarez existente justa causa, nulla sit) quàm exemptionem scrupuli conscientiæ, qui quandoque Viris etiam timoratis oritur ex diversitate opinionum.

QVÆSTIO XLII.

IN TIT. XLII. DE BAPTISMO, ET EJVS EFFECTV.

3596 *Baptismus* vox Græca est, quæ latinè redditur *immersio*, *intinctio*. Apud Canonistas in c. *Necessarium, dist. 4. de consecrat.* idem valet *baptismus* atque *ablutio corporis exterior*, facta sub ordinata forma: apud Theologos duces Thoma 3. *p. q. 66. a. 11.* Baptismus est triplex, seu potius sumitur tripliciter. 1. pro baptismo *sanguinis*, de quo Christus Dominus Luc. 12. Baptismo habeo baptizari, & est idem atque Martyrium, hoc enim (ut docet Suarez *D. 22. sect. 1.*) per quamdam analogiam vocatur baptismus sanguinis: quia sicut verus baptismus, tangendo corpus, ex opere operato lavat animam ab omni culpa, & pœna, sic Martyrium id præstat ex speciali privilegio, ita ut aliquando defectum baptismi suppleat. Deinde pro baptismo *flaminis*, hoc est spiritus sancti, qui *flamen* appellatur: & est idem, atque *baptismus charitatis*, & pœnitentiæ, quando quis per actum charitatis, seu contritionis, cum proposito suscipiendi baptismum, sufficienter disponitur, ut recipiat gratiam habitualem, quæ est aqua cœlestis, abluens animi-

mi sordes. Hic per metaphoram baptismus est, quia nec imprimit characterem, nec confert aliquem effectum ex opere operato, sed solùm ex dispositione operantis cum divino auxilio gratiam sanctificantem, & remissionem peccati: & propriissimè pro baptismo fluminis, quod est primum Sacramentum, & janua, qua Ecclesiam quis intrat, dum elementari aquâ abluitur, pronuntiante Ministro: *Ego te baptizo in nomine Patris & filii, & spiritus sancti.* De baptismo porrò in postrema acceptione agitur præsenti titulo. Quia verò de hoc Sacramento particulaliter agunt Morales Theologi; ea solùm attingamus, quæ in sacris canonibus h. t. proponuntur.

ARTICULUS I.

De Baptismo.

3597 BAptismus *fluminis* multipliciter nominatur à sacra scriptura, & Patribus, ut videre est apud Bellarm. *lib.* 3. *de sacram. cap.* 1. Dicitur enim *circumcisio Christi*, non manu facta, ad Colosſ. 2. Dicitur *sepultura*, *ad Roman.* 6. quia per Baptismum spiritualiter consepelimur Christo, ut resurgamus ad vitam gratiæ. Dicitur *Lavacrum regenerationis*, *Joan.* 3. Dicitur *Illuminatio*; Nam illud ad Hebræos. 6. *impossibile est eos qui semel illuminati sunt*, explicatur de baptismo. Dicitur *donum*: quia in eo maxima fit peccatorum, eisque pœnæ debitæ condonatio. Dicitur *unctio*: quia per illum Spiritus sancti gratiâ inungimur in regnum Sacerdotale Christi. Dicitur *Indumentum*: quia per ipsum tegitur nuditas, quam peccatum originale induxerat. Denique antonomasticè *signaculum* appellatur: quia per baptismum omnes Christi oves primum ejus signum accipiunt, quo ab alienis discernantur.

3598 In Catechismo Romano *p.* 2. *c.* 2. definitur: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ.* Loco generis ponitur *Sacramentum.* Reliqua ponuntur loco differentiæ: præsertim particula (*regenerationis*) per hanc enim sufficienter distinguitur baptismus à reliquis Sacramentis, quæ, licet suo modo vivificent; & pœnitentia spiritualiter mortuos resuscitet: at solus baptismus dicitur *regenerare*: quia solus confert vitam spiritualem omnino primam: est autem *regeneratio*, quasi secunda generatio, quæ post primam naturalem, collatam à parentibus, supernaturaliter confertur à Christo. In illis verbis (*Per aquam in verbo vitæ*) continetur alia definitio physica, tradita per partes physicas, nempe *per aquam elementarem*, quæ est materia remota; & per *verbum vitæ*, scilicet invocationem S. Trinitatis, quæ est illius forma.

Magis perspicuè traditur definitio phy- 3599
sica à Magistro in 4. *dist.* 3. in hunc modum: Baptismus est ablutio corporis exterior facta sub forma præscripta verborum. Reddit hunc sensum per Synecdochen, ut notat Bellanus *quæst.* 66. *a.* 1. *n.* 4. Baptismus est Sacramentum constans ablutione corporis exteriore facta sub præscripta forma verborum: subintellige, cum legitima intentione: Ubi licet fiat solùm expressa mentio materiæ, & formæ partialis, scilicet *ablutionis*, & *prolationis verborum*, quibus constat Baptismus tanquam toto integro materiali, & subjecto, cui inest sacramentalis significatio; hæc tamen inesse intelligitur, & sensus redditur: *baptismus est ablutio corporis, & præscriptæ formæ prolatio, quæ regenerationem spiritualem significant*; his præmissis:

Quæstio. 1. est, an sit de necessitate for- 3600
mæ in Baptismo, ut exprimatur *actus baptizandi?* hanc quæstionem continet c. *si quis.* 1. *h. t.* ubi Alexander III. *si quis*, inquit, *puerunter in aqua immerserit in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti, Amen*: & non dixerit: *ergo baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, non est puer baptizatus.*

Pro explicatione hujus canonis, quantum pertinet ad nostrum institutum, not. 1. olim trinam immersionem fuisse in usu Ecclesiæ, & ex præcepto Apostolorum, ita ut *Pater* nominaretur in prima mersione; *Filius* in secunda; *Spiritus Sanctus* in tertia; non tamen esse de necessitate Sacramenti; & ideo sequendam in unaquaque regione consuetudinem Ecclesiæ Cathedralis rectè tradit Bonacina de Sacrament. *D.* 2. *q.* 2. *p.* 3. *num.* 16. *in n. seq.* dicens, validum esse baptismum sive administretur immergendo corpus in aquam,

ut apud Lusitanos fieri consuevit; sive infundendo, & applicando aquam corpori, ut alibi fit. Quæ autem aqua sit materia remota baptismi, vide per citatos ad *cap. 1. n. 19.* de summa Trinitate.

3601 Not. 2. ex dicto c. 1. esse de substantia *formæ baptismi* verba, quibus exprimatur *actus baptizandi*, seu actio, quæ exercetur circa eum, qui baptizatur, sive exprimatur per verbum *baptizo*, sive per verbum *abluo*, *mergo*, quod verum est, licet exprimatur in secunda, vel tertia persona, ut *baptizaris*, vel *baptizatur*; dummodo significetur actio baptizantis in actu exercito. De essentia autem baptismi non est, quòd exprimatur persona ministri sive explicitè, sive implicitè. Nam in forma Græcorum dicitur: *baptizetur servus Christi*, quin dicatur *a quo*; secùs est, de persona baptizandi, sive dicatur *baptizo te*, sive *baptizo hunc*, sive *Titium*, sive *tu baptizaris à me*, prout hoc colligunt ex *dict. c. 1. & CC.* Florentin. Suarez *tom. 3. D. 21. sect. 2. concluf. 3.* & complures alii.

3602 Altera quæstio est, an sit de necessitate formæ baptismi explicita divinarum personarum expressio, nec sufficiat solùm implicita? v. g. baptizo te *in nomine SS. Trinitatis*, vel *in nomine Christi*, R. quòd omnino sit de necessitate *explicita* illarum expressio; qui enim non est immersus aquæ, vel ablutus *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, non est baptizatus, ut colligitur ex dict. c. 1. ubi & exprimi debere *actionem baptizantis*, & invocationem *Patris, & Filii, & Spiritus sancti* habetur, ut patet ex forma, quam, tanquam substantialem Alexander III. contraponit priori, tanquam laboranti defectu substantiali; item ex c. *Multi. 82. dist. 4. de Consecrat.* ibi: *Multi sunt, qui in nomine solummodo Christi unà etiam mersione se asserunt baptizare: Evangelicum verò præceptum ipso Deo, & Domino Salvatore nostro JEsu Christo tradente, nos admonet, in nomine Trinitatis, trinà etiam mersione, sanctum baptisma uniquique tribuere*, dicente Domino discipulis suis, (ite, baptizate omnes gentes, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti) ita Pelagius Papa ad Gaudentium Episcopum, V. Suarez *tom. 3. de Sacram. D. 21. sect. 3. & seqq.*

3603 Dices: Nicolaus Papa, consultus à Bulgaris, ut habetur in c. *a quodam 24. dist. 4. de Consecr.* quid de iis agendum esset, qui baptizati fuerunt à quodam, de quo nesciebatur, utrum Judæus, Paganus, an Christianus esset? respondit: *si in nomine S. Trinitatis, vel tantùm in Christi nomine (sicut in actibus Apostolorum legimus,) baptizati sint, constat, eos non esse denuo baptizandos*: ergo baptismus collatus *in nomine Trinitatis*, vel *Christi tantum*, non expressis tribus personis divinis, est validus? R. dato anteced. quoad responsum Nicolai; N. conseq. nam licet Pontifex dixerit, eos non esse rebaptizandos, qui baptizati sunt *in nomine sanctæ Trinitatis*, per hoc tamen non definivit, valere baptismum si solùm implicitè tres personæ sint expressæ (nam hoc non erat propositum à Bulgaris) sed tantùm, an valeret, non obstante, quòd collatus sit à *Judæo*, vel *Pagano*? & ad hoc respondit, *propterea non esse rebaptizandos, modo servaverint debitam formam, qua fieri debet invocatio SS. Trinitatis*; ex cit. autem juribus, *c. 1. h. t. & c. Multi supra* clarè constat, fieri debere *explicitatem* trium personarum invocationem; ergo.

Ad alterum, quod dixit Nicolaus Pon- 3604
tifex in cit. c. *à quodam*, non esse rebaptizandos, qui baptizati sunt *in nomine Christi*, triplex est responsio; prima est S. Thomæ. *3. p. q. 66. a. 6. & Glossæ in c. 1. h. t.* V. *in nomine*, & c. *a quodam*, V. *Trinitatis*, dicentis: in primitiva Ecclesia baptismum fuisse collatum *in nomine Christi*, ut amplificaretur nomen ejusdem, ex dispensatione ipsius Christi ad tempus concessâ: sed postea rursum revocatâ; quia in nomine Christi implicitè continentur tres personæ divinæ, scilicet *Pater ungens*; & *Filius unctus*; & *Spiritus sanctus*, per quem est unctus.

Altera est illorum, qui dicunt, quando 3605
baptismus dicitur collatus *in nomine Christi*, non significari, fuisse collatum expressâ invocatione *solius Christi*; sed etiam tunc factam semper explicitam invocationem omnium trium personarum distinctè; atque adeo per verbum illud *in nomine Christi*, aliud non significari, quàm, quòd baptismus administretur, & conferatur *in nomine*, hoc est, *in fide, virtute, & meritis Christi*, à quibus baptismus collatus sub explicita invocatione

trium

trium divinarum personarum omnem suam vim, & originem habet; & sic intelligi, quando actibus Apostolorum dicitur, baptizatos esse *in nomine Christi*, nimirum in *virtute*, & *merito ejus*; non autem *solà invocatione ejus*; ita Suarez *cit. D.* 21. *sect.* 2. *vers. ad decretum*, & alii.

3606 Tertia est eorum, qui volunt, cùm dicuntur validè baptizati, qui baptizati sunt *in nomine Christi*, aliud non intelligi, quàm valere baptismum, si locò hujus nominis *Filii*, expressum sit nomen *Christi*, baptismum scilicet sic conferendo: *ego te baptizo in nomine Patris, & Christi, & Spiritus sancti*; pro hac responsione refert Barbos. *in cit. c.* 1. *n.* 9. Henriquez, Vivaldum, &c. ad quæstionem autem, an aliquando administratus fuerit baptismus *nomine Christi tantùm*? affirmant aliqui, ex dispensatione Christi solùm ad tempus concessa, ut retulimus *n.* 3604. aliis distinguentibus rectius, & negantibus, *si in nomine Christi tantùm* importet idem, ac sub invocatione, seu expressione *Christi tantùm*; affirmantibus verò, si solùm importet idem, ac, *in merito Christi tantùm*, seu tantùm *in vi meritorum* Christi.

3607 Tertia quæstio est, utrum si probabile sit dubium, an, quis sit, vel non sit baptizatus, debeat baptizari? ad hoc respondit Alexander III. ut habetur c. *de quibus.* 2. *h. t.* ibi: *De quibus dubium est, an baptizati fuerint? baptizentur his verbis præmissis: non te rebaptizo; sed si nondum baptizatus es, ego baptizo te.* Occasionem huic Pontificis rescripto dedit Gallia; cùm enim in ibi reperirentur plures baptizati, & dubii, an sub legitima forma? ideo rescripsit Alexander in præsenti, eos iterum baptizandos esse sub forma in præsenti præscripta; sic Gonzalez *in dict. c.* 2. *n.* 1. Sed de hac materia diximus *l.* 5. *tit.* 9. *anum.* 788. plura in Theologia morali, cùm ageremus de Sacramentis in particulari; & videri potest Quintanaduen. in suis singularibus, à singulari. 1. Gibalinus de Irregularit. *c.* 5. *conclus.* 4. Dicastillo de Sacrament. *tom.* 1. *tr.* 2. *D.* 1. *d.* 7. *& alii cum Cardin. de Lugo in Respons. moral.*

3608 Quarta quæstio est, an possit quis se ipsum baptizare, *baptismo fluminis*? hoc dubium propositum fuit Innocentio III. ut habetur in c. *Debitum* 4. *h. t.* ubi, cùm quidam Judæus, in mortis articulo constitutus, ac inter Judæos tantùm existens, in aquam seipsum immersisset dicens: *ego baptizo me in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; & Metensis Episcopus dubitâsset, utrum ille Judæus, in devotione Christianæ fidei perseverans, debeat baptizari? respondit Pontifex: *quòd, cùm inter baptizantem, & baptizatum debeat esse discretio (sicut ex verbis Domini colligitur, dicentis Apostolis: baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti,) memoratus Judæus est ab alio baptizandus, ut ostendatur, quòd alius est, qui baptizatur, & alius, qui baptizat*: ad quod etiam designandum, ipse Christus, non à seipso, sed à Joanne baptizari voluit. Ex hoc aliqui deducunt, etiam in aliis Sacramentis novæ legis, suscipientem egere ministro à se distincto, si excipias Eucharistiam, ut notat Gonzalez ad dict. c. *debitum. n.* 1. sed hoc non procedit in matrimonio.

Quæri potuisset ulterius, *an si Judæus,* 3609 *qui seipsum baptizavit, continuo decessisset, ad patriam* (intellige, cœlestem) *protinus evolâsset per Sacramenti fidem?* respondit ultroneè loc. cit. Pontifex: quòd sic; non tamen propter *fidei Sacramentum*; sed propter *fidem Sacramenti*; id est, per contritionem, & fidem vivam cum voto baptismi. Unde jam colligitur, illum, qui se ipsum in articulo mortis baptizavit, non esse salvandum *ratione baptismi actualis*; quia nullus potest seipsum baptizare; fieri tamen potest, ut salvetur ratione baptismi *in voto*; quia creditur habere contritionem cum proposito baptismi; ita Lazar. in compendio Navarri, V. *baptismus n.* 16. quem refert Bonacin. *dict. n.* 20. *vers. ex dictis.* Bene igitur docent Henriq. *dict. lib.* 2. *c.* 3. §. 4. *in princ. & Ægid. de Coninck. de Sacram. & censur. tom.* 1. *q.* 68. *art.* 2. *n.* 31. voluisse Christum, ut quando à baptismo in re (propter impotentiam in necessitate, vel aliàs ob aliam causam) excusatur adultus, salutem haberet per baptismum *in voto*, id est, per positivum actum contritionis, aut dilectionis Dei, vel Martyrii.

Quinta quæstio est, an illi parvuli sint 3610 baptizati, seu pro Christianis habendi, quos, in articulo mortis constitutos, propter

pter

pter aquæ penuriam, & absentiam sacerdotis, aliquorum simplicitas in caput, ac pectus, ac inter scapulas pro baptismo salivæ consperſione lenivit? respondit idem Innocentius III. (ut habetur c. *Non ut apponeres. 5. h. t.*) cùm in baptismo *duo* semper (videlicet *verbum*, & *elementum*) necessariò requirantur, juxta quod veritas *de verbo* ait: (*Euntes in mundum universum, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*; eademque dicat de *elemento*: *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non introibit in regnum cælorum*) dubitari non debere, illos verum non habere baptismum, in quibus non solùm *utrumque* prædictorum, sed eorum alterum est omissum; ubi not. per *verbum* hic intelligi formam verbalem, de qua supra; ac *elementum*, materiam remotam, quæ est aqua naturalis, seu elementaris, de qua Cassiæ, ac CC. Florent. in decreto unionis Armenorum, de Sacram. §. 1. *& Trid. sess. 7. de bapt. c. 2.*

3611 Sexta quæstio est, an Græci licitè recusent celebrare in Altaribus, in quibus ante celebrarunt Latini Sacerdotes, reputantes propterea ejusmodi altaria inquinata, dum prius laventur? Quæstio hæc mota fuit in CC. generali ut habetur c. *Licet 6. h. t.* Postquam enim Græcorum Ecclesia cum quibusdam complicibus, & fautoribus suis, ab obedientia Sedis Apostolicæ se subtraxit, in tantum Græci cœperunt abominari Latinos, quod inter alia, quæ in derogationem eorum impiè committebant, si quando Sacerdotes Latini super eorum celebrâssent altaria, non prius ipsi sacrificabant in ipsis, quàm ea, *tanquam per hoc inquinata* lavissent; baptizatos etiam à Latinis ipsi Græci rebaptizare ausu temerario præsumebant, & adhuc, prout tunc Pontifici relatum erat, quidam hoc agere non verentur; his intellectis Innocentius III. cum eodem CC. statuit, dicens: *Volentes igitur tantum scandalum ab Ecclesia Dei amovere, sacro suadente Concilio, districtè præcipimus, ut talia de cætero non præsumant, conformantes se, tanquam filii obedientiæ, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, Matri suæ, ut fit unum ovile, & unus pastor. Si quis autem tale quid præsumpserit, excommunicationis mucrone percussus, ab omni officio, & beneficio Ecclesiastico deponatur*; Textus per se clarus est.

Præter dicta, visum est paucis annotare, 3612
seqq. 1. cùm dixerimus, quando morale, seu prudens dubiũ occurrit de validè recepto, vel collato baptismo debere illum iterari sub conditione, cùm baptismus sit necessarius ad salutem, necessitate medii, ut tradit Quintanaduennas *tr. 1. singulari 1. n. 9. & seq. 13.* dubitari posse, quando censeatur *morale periculum*, vel potius quid *morale* simpliciter dicatur? hoc inquiri potest universaliter, quando dicitur, *aliquid, loquendo moraliter, fieri non posse*. Cardinalis de Lugo in Responsis moralibus *l. 1. D. 1. n. 12.* ait: *morale periculum* censeri, *quando prudenter formidare possumus, ne hoc ipsum contingat, cujus periculum morale adesse dicitur*. Hinc censet, quando prudenter dubitatur, an hæreticus in baptismo adhibuerit debitam formam, materiam, vel intentionem *hominem ab illo baptizatum, posse, ac debere baptizari sub conditione*; *sic Cardinal. de Lugo D. 2. n. 4.* Unde, & Quintanaduennas *cit. singul. 1.* censet, *prudens dubium* adesse, si Parochus, vel obstetrix fateatur, se ex pluribus, quos baptizaverunt, non habuisse intentionem baptizãdi circa aliquos, sibi omnino ignotos. 2. si quis baptizatus sit à Pagano, Judæo, Saraceno, aut hæretico, ex hoc præcisè, quòd baptizantes tales sint; prout habet singulari. 3. si infantes à parentibus, cognatis, obstetricibus, vel aliis laicis, ob mortis periculum, vel aliam causam domi, vel alibi baptizati sint; sic habet singulari. 5.

Annotandum. 2. quando propter pru- 3613
dens dubium (*an prior baptismus validus, reiterandus sit sub conditione*) hunc conferri posse à quolibet tam Sacerdote, quàm Diacono, vel Subdiacono; imò & Laico, etiamsi Sacerdos commodè haberi possit, vel Parochus; nec hujus licentiam requiri. 2. in eo casu *Patrinum* non esse necessariò adhibendum; ex hoc baptismo non nasci impedimentum cognationis spiritualis; 4. solennitatem, & ritus baptismi *solennis*, in hoc casu non requiri. 5. conditionem (*si non es verè baptizatus*) à baptizante apponendam sufficere, *mente retentam*, nisi nullitas prioris baptismi notoria foret, de quibus videri

potest

potest Quintanad. à sing. 17. ac demum, Filium Judæi, volentem baptizari, posse baptizari etiam Patre invito, quando dubitatur de sufficienti usu rationis, docet Suarez *tom.* 3. *in* 3. *p.* D. Thom. *D.* 25. *S.* 3. saltem, si necessitas urgeat.

ARTICULUS II.

De Effectu Baptismi.

3614 ANte resolutionem *not. in Clement. unicâ, h.t.* prohiberi, ne de cætero Baptismus conferatur in Aulis, vel Cameris, vel aliis domibus privatis, sed *in Ecclesiis tantùm*, in quibus sunt fontes ad hoc specialiter deputati: nisi baptizandi Regum, vel Principum liberi extiterint, (quod Gloss. hìc V. *Regum*, extendit etiam ad Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum & aliorum Potentatum liberos) vel talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo (sive pueri baptizandi, sive ob hostilitatem, vel locum obsessum, Gloss. hìc V. *Periculo*,) accessus haberi. *Qui autem secùs præsumpserit* (baptizando in talibus locis) aut suam in hoc præsentiam (ex proposito, Gloss. hìc V. *Præsentiam*) exhibuerit, hic *per Episcopum suum puniatur* (arbitrariè) ut alii similia attentare non præsumant; quo posito, nunc descendendo ad quæstionem propositam, p. Baptimi effectum exponi in c. *Majores* 3. *h. t.* idque propter varios errores, qui circa Baptismum parvulorum, seu infantium, varii fuerunt, non solùm hæreticorum, sed etiam Catholicorum, ut notat Gonzalez in dict. c. *Minores à n.* 3. Primò igitur in dict. c. *Majores*, decidit Innocentius III. Baptismum utiliter, & cum effectu, (de quo in seqq.) conferri parvulis, & infantibus, licet nec credant, nec intelligant; quia remittit culpam originalem, & cœlum aperit, quod aliàs originali culpâ omnibus in Adamo lapsis clausum erat; constat ex ipso textu ibi: *respondemus*, quòd Baptisma Circumcisioni successit: absit enim; ut in illam damnatam hæresim incidamus, quæ perperam affirmabat, *Legem cum Evangelio*, *Circumcisionem cum Baptismo servandam*; quoniam, secundùm Apostolum dicentem ad Galatas: *Si circumcidimini*, *Christus vobis nihil prodest.* Cùm ergo Circumcisio, tam *adultis*, quàm *parvulis* ex præcepto Domini conferretur, *ne Baptismus, qui successit in loco ipsius, & generalior tamen existit* (*cùm tam Viri, quàm Fœminæ baptizentur*) *minoris videatur effectus, tam adultis est, quam parvulis conferendus.* Nam sicut olim sine distinctione qualibet Mosaica lex clamabat: *Anima cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo*, ita nunc distinctè vox intonat Evangelica: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in regnum DEI*, ab hac generalitate, *nec sexum, nec ætatem excludens.* Unde sicut anima circumcisi de populo suo non peribat, sic qui ex aqua fuerit, & Spiritu Sancto renatus, regni cœlorum introitum obtinebit.

Advertit autem ibidem Pontifex, car- 3615
tè adnotandum, quantum plus Baptismus hodie conferat Christianis, quàm quondam Judæis Circumcisio contulisset. Dictum est in fine prædictæ Auctoritatis inductæ de veteri lege: *Peribit de populo suo*, in Evangelica verò veritate subjunctum est: *non introibit in regnum DEI*: quoniam, etsi originalis culpa remittebatur per Circumcisionis mysterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum cœlorum, quousque per mortem Christi fuit omnibus observatum: sed per Sacramentum Baptismi Christi sanguine rubricati, culpa remittitur, vitatur periculum, & ad regnum cœlorum etiam pervenitur, cujus januam Christi sanguis fidelibus misericorditer reservavit.

Quoniam verò, qui negabant, par- 3616
vulis *prodesse Baptismum*, susceptum ante usum rationis, hoc non tam ratione, quàm authoritate persuadere nitebantur; iisdem etiam loco cit. legitimam solutionem reddit. Fundamenta illorum erant, quòd, cùm secundùm verbum Jacobi Apostoli dicentis in Epistola sua: *Charitas operit multitudinem peccatorum*, & juxta testimonium veritatis in Evangelio de peccatrice, quæ ipsius pedes laverat, perhibentis: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, non nisi per charitatem, & in charitate crimina dimittantur: parvulis, qui nec sentiunt, nec consentiunt, & charitatem non habent, quæ sentientibus, & consentientibus tantùm infunditur, peccatum non dimittitur in

Baptismo, & sic eis Baptisma non confertur, quia non est talibus conferendum: in Evangelio quoque legitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui autem non crediderit, condemnabitur.* Unde parvuli, sive fuerint, sive non fuerint baptizati, condemnabuntur, utpote non credentes; sic illi.

3616 Ad hæc igitur respondet Innocentius: absit, ut universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin & ipsis misericors DEUS, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuraverit ad salutem, & subjungit: *ex vi literæ* (seu textuum ex scriptura desumptorum, quos contrarii allegant) *satis patere*, prædictas authoritates *intelligendas esse tantummodo de adultis, qui habent multitudinem peccatorum; cùm de parvulis non possent intelligi, qui peccato tantùm originali tenentur.* Similiter etiam illa alia auctoritas solvenda est: *qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c.* cùm non possint *credere* parvuli, sed adulti: & ob hoc tota auctoritas hæc intelligenda est tantummodo *de adultis*, ne ad alios prima, sed ad alios secunda clausula referatur: quamvis nonnulli concedant, quòd parvuli credunt, non per actum, sed per habitum fidei, quem suscipiunt in baptismo: sicut & alia multa verba secundùm communem usum loquendi, non ad actum, sed ad aptitudinem referuntur. Concludit tandem ita loquens: *illud ergo, quod opponentes inducunt, fidem, aut Charitatem, aliasque virtutes parvulis,* utpote non consentientibus, *non infundi, à plerisque non concedi absolutè*, cùm propter hoc inter Doctores Theologos quæstio referatur, aliis asserentibus per virtutem Baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed gratiam non conferri; nonnullis verò dicentibus, & dimitti peccatum, & virtutes infundi habentibus illas quoad habitum, non quoad usum, donec pervenerint ad adultam ætatem.

3617 Deinde in §. *Verùm*, dicit: quamvis eis in Baptismo peccatum originale dimittatur, qui consentire non possunt; non tamen dimitti adultis, amentibus, vel dormientibus, qui non prius consenserunt in Baptismum, remitti peccatum actuale; imò nec originale; tùm quia DEI opera non sunt imperfecta (ac proinde peccata, non ex parte, sed ex toto dimittit) tum quia pœna originalis peccati est carentia visionis DEI; pœna verò actualis peccati (mortalis) est cruciatus perpetuæ gehennæ: unde si dimitteretur alicui primum, non dimisso altero, is non careret visione DEI, propter originale dimissum: & tamen perpetuò cruciaretur in gehenna, propter reatum peccati actualis, non dimissi: quæ, cùm sint impossibilia, non possunt simul subsistere: imò sibi invicem adversantur hæc duo, *originale remitti*, & *actuale* remanere, ita habetur in hoc cap. §. *sed adhuc.*

Demum in §. *Item quæritur* hoc cap. 3611
dicitur, quòd is, qui per terrorem supplicium; ac pœnarum ad Baptismum violenter trahitur, & ne aliud detrimentum, seu damnum incurrat, Sacramentum Baptismi suscipit, Characterem recipit, quia conditionaliter vult, licet absolutè non velit (vult enim baptizari, ut supplicia, vel pœnas evitet, *coacta autem voluntas, est voluntas*, c. *Meritò*, 1. *caus.* 15. *q.* 1. *Gloss.* hìc V. *conditionaliter volens*;) proinde etiam saltem *in foro externo* cogendus est, ad observantiam fidei Christianæ, juxta c. *de Judæis* 5. *dist.* 45. quod est desumptum ex Concilio Toletano; sicut & ille, qui fictè accedit ad Baptismum accipit Sacramentum, qui, quamvis non ore, corde *tunc* dissentit: ut expresè habet textus: ille verò, qui nunquam consentit (in Baptismum) sed penitus contradicit, nec rem, nec Characterem suscipit Sacramenti, ideoque si baptizetur, non erit baptizatus, sicut ille, qui penitus contradicens, & reclamans, cogitur violenter thura offerre idolis; non est reus alicujus criminis.

Dormientes autem, & amentes, si priusquam amentiam incurrerent, aut dormirent, contradixerunt, & nihilominus baptizantur, non recipiunt Characterem Sacramenti; quia in illis intelligitur propositum contradictionis perdurare. Si verò non contradicebant, sed erant Catechumeni, habentes propositum Baptismi suscipiendi: tales, si baptizantur in amentia, vel somno (uti consuevit Ecclesia eos in necessitatis articulo baptizare) recipiunt Characterem Sacramenti, quia

non

non posuerunt obicem contrariæ voluntatis. Ratio est, quia semper præsumitur prior voluntas durare, nisi probetur mutata, Gloss. hìc V. *perdurare.*

3619 Ex hac decisione Pontificia deducitur. 1. Baptismum conferri parvulis utiliter, nimirum cum effectu, quo tollatur in illis peccatum originale, & aperiatur illis cœlum; 2. quòd Baptismus successerit circumcisioni quoad vim tollendi peccatum originale; sic tamen, ut in altero istam superet, quæ non aperiebat cœlum; 3. quòd textus scripturæ in baptizando requirentes fidem actualem, & charitatem, procedant solùm de adultis; 4. per circumcisionem non fuisse apertum cœlum, *quia ejus januam primum Christi sanguis fidelibus misericorditer reseravit*; 5. Juxta communem nunc Theologorum doctrinam per Baptismum, & peccatum dimitti, & virtutes infundi, habentibus (nimirum parvulis, & infantibus) quoad habitum; non, quoad usum; donec pervenerint ad adultam ætatem, de quibus fusè Gonzalez in *c. Majores à n.* 3.

3620 Deducitur, 6. peccatum esse duplex, *originale*, quod absque consensu (nimirum *proprio*) contrahitur; & *actuale*, quod committitur cum consensu, proprio & personali; originale remitti per virtutem Sacramenti Baptismi, etiam sine consensu in Baptismum, intellige illis, qui ipsi consentire non possunt; actuale autem non, nisi accedat consensus in Baptismum, imò tali casu etiam nec originale, cujus rationem, ab ipsomet Innocentio assignatam in textu, retulimus. Quando autem in textu dicitur, quod pœna *originalis* peccati sit carentia visionis divinæ; *actualis* verò peccati sit gehennæ perpetuæ cruciatus, postrema verba (*peccati actualis*) non sunt accipienda *exclusivè*, nimirum, ut ejus pœna sit *tantùm* cruciatus gehennæ, non autem carentia divinæ visionis, sed potius adversativè, ut sensus sit, quod pœna peccati originalis sit carentia divinæ visionis; peccati autem actualis *etiam* cruciatus æternæ gehennæ; hoc enim suadet ratio, quam assignat Pontifex; aliàs DEI amicus, & formaliter beatus (hoc enim præstat visio) esset simul dignus æterno DEI odio, & condemnatus ad æterna tormenta, de quo V. Gloss. in dict. c. *Majores*, V. *propter originale.*

Ad id porrò, quod opponi potest ex 3621
D. Augustino, relato in c. *Firmissimo* 83. *de consecr. dist. 4. in princip.* & præcipuè in versiculo *firmissimè*, (ubi, postquam tradiderat omnem hominem ex viro, & muliere conceptum, cum originali peccato nasci, id est concipi, impietati subditum, & morti subjectum, subjungit, non solùm adultos homines ratione utentes, verùm etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, sive cùm de matribus nati, sine Sacramento Baptismi, de hoc sæculo transeunt, sempiterno igne puniendos) respondetur: accipiendum esse *de pœna damni, & carentia visionis DEI*, nam in sacra Scriptura, & apud Ecclesiæ Patres *ignis nomine* notatur pœna, aut vindicta gravis, quæcunque illa sit, ut colligitur ex Psalm. 76. v. 10. ibi: *Igne nos examinasti*, id est, *verberibus & flagris*, ut optimè notat ibi D. Basilius in Psalmum 139. vers. 11. ibi: *Cadent super eos carbones ignis*, ubi D. Chrysostomus ita inquit: *Carbones ignis, & ignem dicit supplicium, quod à superis mittitur.*

Deducitur 7. eos, qui semel consen- 3622
serunt in recipiendum Baptismum, nec voluntatem suam retractârunt, esto Baptismum recipiant dormientes vel etiam postea facti amentes, recipere Characterem, & Sacramentum, qui autem semper inviti, & *penitus* contradicentes per coactionem absolutam; nec recipere Characterem, nec Sacramentum; qui verò solum conditionali coactione, nimirum metu pœnarum, recipere utrumque: denique qui consentiunt fictè, nimirum ore, dissentiunt corde, ac animo, positivè renitentes etiam solùm internè, nihil quidem recipere; in foro tamen externo cogi posse ad observantiam Christianitatis, quia in foro externo præsumuntur baptizati, consequenter Christiani internè, ut colligitur ex §. *Verùm*, in n. 3618. Sed de his ex professo egimus in Tract. Theologico de Sacramentis in genere. V. Gonzalez in cit. c. *Majores.*

QUÆSTIO XLIII.

IN TITULUM XLIII. DE PRESBYTERO NON BAPTIZATO.

3623 Hic titulus tribus capitulis absolvitur. In c. *Si quis*, 1. *h. t.* habetur, quòd, si quis Presbyter ordinatus, deprehenderit se *non esse baptizatum*, baptizetur, & iterum ordinetur, de quo V. dicenda in seqq. illum solùm hìc annotandum est, hunc textum, ut notat Gonzalez in *cit. c. si quis n.* 1. alibi sic legi: *si quis Presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, ordinetur iterum*; *& omnes, quos prius baptizavit*, ista tamen: *& omnes, quos prius baptizavit*, justè omitti à Gartiano, quia baptizatus non accipit gratiam à Ministro; sed à Sacramento ritè collato; unde etiam baptizatus à Judæo verè Christianus est, si baptizatus sit adhibitâ debtiâ materia, formâ, & intentione, ut alibi dictum est.

3624 Porrò, de necessitate baptismi, prærequisiti, ut quis validè recipiat Ordines, extat specialis casus in c. *Veniens* 3. *h. t.* ubi Innocentius III. Veniens, inquit, ad Apostolicam Sedem dilectus filius, Lator præsentium (quas Pontifex dederat ad Ferrariensem Episcopum) lachrymabili nobis insinuatione monstravit, quòd, cùm per singulos Ordines usque ad gradum sacerdotii ascendisset, comperiit tandem pro certo, quòd non fuerit secundùm formam Evangelii baptizatus. Unde nos eum per venerabilem fratrem nostrum Tuscul. Episcopum ritè fecimus baptizari, quia verò diutius fuit disputatum pro, & contra, num Sacramentum validè recipiatur à non baptizato? seu an Ordines, quos ante Baptismum susceperunt, denuò essent conferendi? an verò etiam ante baptismum validè essent susceptì, quibusdam affirmantibus primum: Pontifex respondit: *quia in CC. apud Compendium legitur constitutum: si quis Presbyterorum ordinatus deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur*: nos, circa Latorem præsentium in hoc dubitabili casu, *quod tutius est sequentes*, mandamus, *quatenus ipsum per singulos Ordines usque ad sacerdotium promovere procures, & permittas eum in sacerdotio ministrare*, quia *non intelligitur iteratum, quòd ambigitur esse factum, nec malè de Sacramento sentitur, cùm illud non religionis contemptus, sed articulus necessitatis excludit.* Et certè de illo, qui natus est de Christianis parentibus, & inter Christianos est fideliter conversatus, tam violenter præsumitur, quod fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probetur.

Rationes autem *pro & contra* in casu 3625
proposito, sic referuntur in textu: dum coram Pontifice, ut dictum est, super quæstione proposita, diutius fuisset disputatum: quidam ibant in eam sententiam, quòd cùm Baptismus sit fundamentum Sacramentorum, ante susceptionem Baptismi non suscipiatur aliud Sacramentum: quoniam ubi fundamentum non est, superædificari non potest: volentibus in oppositum aliis: cùm quis non solùm per Sacramentum fidei, sed per fidem etiam Sacramenti efficiatur procul dubio membrum Christi, & qui Christum habet per fidem, etsi Baptismum non habeat, habeat utique fundamentum, præter quod aliud poni non potest, quod est Christus JEsus, superædificari posse videtur, sicut salutifera opera, sic & quælibet Ecclesiastica Sacramenta, cùm illud non sit generaliter verum, neque de novis, neque de veteribus Sacramentis, quod Baptismus sit fundamentum illorum: quoniam & Sacramentum conjugii, & Eucharistiæ à non baptizatis recipi potest. Præterea Sacramentum Ordinis, non solùm Pontificalis, sed Sacerdotalis etiam, & Levitici, ex institutione sua præcessit Baptismum, per quod forsi-

forsitan videtur, quod ante Baptismum hujusmodi Ordines possent ritè conferri, maximè his, qui baptizati creduntur: quibus auditis Innocentius demum eam dedit resolutionem, quam retulimus num. præcedente.

3626 Ex dicta Pontificis resolutione, auditis pro & contra rationibus, deducitur, 1. si quis per errorem putans, se baptizatum, Ordines suscepisset; ac deinde prudenter, ac justè dubitaret, an *verè* baptizatus sit? cum sub conditione baptizandum; ac deinde rursum ordinandum esse; quo habetur Pontificem secutum esse sententiam eorum, qui stant pro ea parte, quæ dicit, Baptismum fluminis esse januam reliquorum Sacramentorum; & nullum, eo non supposito in veritate, validè recipi. Et quamvis ibi solum dicat, *quod tutius est sequentes*, quia in eo casu Latori videbatur facere præsumptio, de ritè accepto Baptismo, in eo fundata, quod sit natus de Christianis parentibus, & inter Christianos fideliter conversatus.

3627 Dixi, *Baptismum fluminis*; nam esto tam Baptismus fluminis, quàm Baptismus sanguinis justificet, saltem *causaliter*; non tamen reddit propterea capacem, sine Baptismo fluminis, ut quis ritè Ordines, vel alia Sacramenta recipiat. Ei porrò, quòd diximus, hominem per martyrium justificari, (ut ex communissima sententia tradit D. Thomas 2. 2. *q.* 124. *à* 1. & alibi) non obstat, quod dicitur in Trid. *Sess.* 6. *c.* 9. definiente, *translationem à peccato ad gratiam, sine lavacro regenerationis, in re, vel voto, non fieri*, eaque de causa *Sess.* 7. *can.* 5. dicente: *si quis dixerit Baptismum esse liberum*, hoc est, *non necessarium ad salutem, anathema sit*: at si parvuli ante usum rationis occisi martyrio justificantur, Baptismus necessari? non est, ut à peccato ad gratiam fiat translatio, cum ipsi Baptismi votum habere non possint: Respondetur sine lavacro, regenerationis justificationem non esse *viâ ordinariâ*, *& communi*, secùs, *via extraordinaria, & privilegiatâ*; hanc enim vim obtinet *martyrium* ex speciali DEI privilegio tanto operi debito, ut colligitur ex illo Marc. 8. *Qui perdiderit animam suam propter me, & Evangelium, salvam faciet eam*; & Lucæ 12. *vivificabit eam*, & tradit Cyprian. lib. de laudibus Martyrii in fine: Clemens Apostolicar. constitut. *lib.* 5. *cap.* 5. August. *lib.* 13. de civit. DEI *cap.* 8. & alibi. Ex quo fit, non solùm infantem jam natum, sed etiam in utero matris existentem, martyrio justificari posse, quia ibi constitutus, perdere vitam propter Christum potest. Qua in re martyrium superius est Baptismo; Baptismum namque suscipere non potest in utero existens, quia nequit aqua tingi, bene tamen martyrium, quia potest occidi.

Dubitatum præterea fuit, an, qui 3628
non baptizatus moritur, nihilominus salvus fieri possit? De hoc Episcopus Cremonensis (ut habetur *c. Apostolicum* 2. *h.t.*) scripsit ad Innocentium III. Cùm enim quidam Presbyter mortuus fuisset, & subinde compertum, quòd non fuerit baptizatus, respondit Pontifex dicto Episcopo: Presbyterum illum, qui fine unda Baptismatis extremum diem clausit, *quia in S. Matris Ecclesiæ fide, & Christiani nominis confessione perseveraverit ab originali peccato solutum, & cœlestis patriæ gaudium esse adeptum, asserimus incunctanter. Lege super octavo lib. Augst. de civit. DEI, ubi inter cætera legitur: Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis sed terminus necessitatis excludit, Librum etiam B. Ambrosii de obitu Valentiniani, idem asserentis, revolve. Sopitis igitur quæstionibus Doctorum; Patrum sententias teneas, & in Ecclesia tua juges preces, hostiasque DEO offerri jubeas pro Presbytero memorato.*

Ex hoc deducitur, 1. peccatum ori- 3629
ginale (imo & actuale,) dimitti non tantùm in Baptismo *fluminis*; sed etiam in Baptismo *sanguinis*, cùm quis pro fide Christi occiditur; & in Baptismo *flaminis*, seu Spiritus Sancti, cùm quis invisibiliter baptizatur interius per fidem Christi, & desiderium saltem implicitum Baptismi *fluminis*, quando eum citra suam culpam recipere non potest, id, quod habetur in c. *Baptismi.* 34. *de Consecrat. dist.* 4. ibi: *Baptismi vicem aliquando implere passionem, de latrone illo, cui non baptizato dictum est (hodie mecum eris in Paradiso) non leve documentum idem B. Cyprianus assumit:* quod etiam atque etiam considerans, invenio, inquit, non tantùm *passionem* pro nomine Christi id, quod ex Baptismo deerat, posse supplere. Sed etiam *fidem, conver-*

sionemque cordis, si fortè celebrandum Mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Neque enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum: nec quia credidit, passus est, sed, dum patitur, credidit. Quantum itaque valeat etiam sine visibili Sacramento Baptismi, quod ait Apostolus (*corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*) in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, cùm Mysterium Baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Et sicut in illo latrone, quod ex Baptismi Sacramento defuerat, *complevit Omnipotentis benignitas*, quia non superbia, vel contemptu, sed necessitate defuerat; sic in infantibus, qui baptizati moriuntur, eadem gratia Omnipotentis implere credenda est, quod non impia voluntate, sed ex ætatis indigentia, nec corde credere ad justitiam possunt, nec ore confiteri ad salutem.

Nec obstat c. Firmissimè. 3. de Consecr. dist. 4. dicens, neminem posse salvari *sine Sacramento Baptismi*, quod datur *in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti*, loquitur enim de illo, qui potest, & non vult, seu contemnit, non autem quem excludit articulus necessitatis, ut habetur in textu relato n. supra. Deducitur 2. Baptismum fluminis, & sanguinis prodesse non tantùm parvulis, sed etiam adultis, si Baptismum fluminis non contempserunt, aut neglexerunt; Baptismum autem flaminis, solis adultis, non parvulis; cùm habere nequeant fidem & charitatem actualem ex defectu usus rationis, &c. 3630

QUÆSTIO XLIV.

IN TITULUM XLIV.

DE CUSTODIA EUCHARISTIÆ, CHRISMATIS, ET ALIORUM SACRAMENTORUM.

3631 DUobus capitulis absolvitur hic titulus. In c. 1. (quod desumptum est ex CC. generali) statuit Innocentius III. *ut in cunctis Ecclesiis Chrisma & Eucharistia, sub fideli custodia, clavibus adhibitis, conserventur. Ne possit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda. Si verò is; ad quem spectat custodia, ea incautè reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur: & si per ejus incuriam aliquid nefandum inde contigerit, graviori subjaceat ultioni.*

3632 Circa quem textum *not.* 1. per CC. *generale* simpliciter, & sine addito prolatum, intelligi CC. *Lateranense* 2. quando dicitur *Chrisma*, & *sacram Eucharisticam* servari debere *sub fideli custodia*; nimirum *sub clavibus bene custodita*, & hoc in loco *singulari*, *mundo etiam*, & *signato* (consequenter sub sigillo) *honorificè collocatam*, *devotè*, *ac fideliter conservatam*, etiam observari sub nominatis terminis in c. *Sanè* 10. *de celebrat. Missarum*, *districtè præcipi* ab Honorio III. & Innocentio III. qui pœnâ, *in dict. c. 1. h. t.* in hac custodia negligentes statutâ, mulctari jubet.

Not. 2. Per ea verba, *ad horribilia, & nefaria exercenda*, notari maleficia hominum, qui quandoque sacram Eucharistiam surripuerunt vel ad utendum sacrâ hostiâ pro nefariis suis superstitionibus, vel venundandam impiis Judæis, & hostibus Christiani nominis, eam indignissimè tractantibus, unde ad illa verba: *ne possit ad illa temeraria manus extendi*, notat Barbos. in *cit. c. 1. n. 3.* ex Boërio, hominem, qui furatus fuit calicem, in quo aderat sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ, & illud manducavit, fuisse in loco Ecclesiæ suspensum, & postea in frusta concisum, testante Boër. 3633

Decis.

Decis. 254. *n.* 15. *in fine*, & pluribus, quos refert Farin. in prax. crimin. *q.* 72. *n.* 62.

3634 *Not.* 4. ex Gonzalez *c.* 1. *h. t. n.* 3. ea verba, quæ sequuntur in præsenti rubrica, *& aliorum Sacramentorum*, accipienda esse impropriè, & in lata acceptione *pro oleo extremæ unctionis*, & rebus, quæ Sacramentorum usibus deputatæ sunt, de quibus in cap. 2. *Chrisma* enim, *oleum*, & similia Sacramenta non sunt, cùm non persistant, nec dentur in permanendo, sed tantùm Sacramentalia, vel rectius materia Sacramenti remota.

3635 In *c. Relinqui*, *ult. h. t.* agitur de decentia, & munditie servanda 1. in Ecclesia, 2. in vasis ministerii, vestimentis ministrorum, pallis Altarium, corporalibus, & reliquis ad Sacra in Ecclesiis ministeria pertinentibus, hinc prohibetur, ne Clerici Ecclesias sic disponant *supellectilibus propriis, & etiam alienis, ut potius domus laicæ quam DEI basilicæ videantur*; non considerantes, quod Dominus non sinebat ut vas transferretur per templum, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes, ad eas oporteat habere refugium: sic tamen, ut necessitate cessante res in loca pristina reportentur. Deinde, ne non solùm Ecclesias dimittant incultas, verùm etiam vasa ministerii, & vestimenta ministrorum, ac pallas Altaris, nec non ipsa corporalia tam immunda relinquant, quod interdum aliquibus sunt horrori; *qua de causa præcipimus quoque*, inquit ibid. Innocentius III. *ut Oratoria, vasa, corporalia, vestimenta prædicta, munda & nitida serventur; nimis enim videtur absurdum, in Sacris sordes negligere, quæ dedecent in prophanis.* In hac materia esse negligentem contra tam graviter præceptam observantiam in custodia Eucharistiæ, Chrismatis, & sacri olei pro extrema unctione; in munditia sacrorum vasorum, & vestimentorum, quam absurdum, & alienum sit à Christiano homine, taceo Presbyterorum statu, nemo est, qui non videt; sunt, qui testantur, Curatum à ministrato viatico reducem, capsulam, quâ sacræ adhuc particulæ continebantur, rejecisse in mensam sui Conclavis, omnibus patuli, relictam in longum tempus, paramenta Sacerdotalia (etiam ex optima materia) tam sordidè projecta, & in plicas contorta, ut meritò horreret honestus Clericus iisdem indui ad sacrificandum corporalia, & purificatoria tam nigra, mucida, & omni prorsus honestate destituta, ut sine scandalo etiam rudium spectari non possent, &c. &c. V. Quintanaduenas tr. 4. singularium Theol. moral. à singulari. 1.

QVÆSTIO XLV.

IN TITUL. XLV. DE RELIQUIIS, ET VENERATIONE SANCTORUM.

HIc titulus reperitur etiam in Sexto, Clementinis, & Extravagantibus; continet duas partes, ut patet ex Rubrica tituli. Quoniam verò de veneratione, & cultu sanctorum contra Sectarios, ex professo agitur in Theologia polemica, de Controversiis Fidei; ea solùm hic exponemus, quæ per sacros canones *h. t.* præscribuntur.

ARTICULUS I.

De Veneratione Sanctorum.

3636 ANte resolutionem supponendum, quòd inter *Sanctum*, & *Beatum* notet Gavantus *tom.* 2. *ad Rub.* Breviarii, *Sect.* 1. *cap.* 5. *tit.* 2. *n.* 12. discrimen; quia *Sanctus* intelligitur canonizatus ab Ecclesia, cui publicus, & universalis conceditur cultus: *Beatus* ille, in cujus cultu quoad locum, tempus, & ritum, Sedes Apostolica limitatè procedit. Hinc licet omnis *Sanctus* sit *Beatus*; tamen econtra *Beatus*, dici nequit *Sanctus*, nisi impropriè; sic Pereyra in Elucidario 2. elucidat. 2. sect. 2. n. 1404. ratio patet ex dato discrimine. Suppon. 2. *Sanctos*, præcedente hac vitæ, & miraculorum discussione, *beatificari*, & postea *canonizari*, inter *beatificationem* porrò, & *canonizationem*

tionem discrimen est, quòd *Beatorum* cultus fidelibus *permittatur*; canonizatorum autem, *præcipiatur*, & propositio istorum ad fidei certitudinem spectet, non verò illorum: licet enim canonizationem Sanctorum non omnino ad fidem pertinere, & ideo errori subjectam esse, censuerint Glossa V. *Sedi Apostolicæ*, hoc *tit. in 6.* Canus *lib. 5. de locis Theolog. cap. 5. vers. Præterea in canoniz.* contrarium tamen verius est, videlicet, *in canonizatione Sanctorum*, Pontificem errare non posse; cùm in canonizatione alicujus *Sancti* Pontifex sic loquatur: *Authoritate Domini nostri JEsu Christi, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus, ac nostrâ N. cœlestem Hierusalem fuisse receptum, & æternæ gloriæ coronâ donatum, de Fratrum nostrorum consilio, declaramus; eumque tanquam Sanctum publicè privatimque colendum esse, decernimus & definimus*; cùm ergo talis definitio fiat *pro tota Ecclesia*, quæ tenetur Pontifici obedire, errori non est subjecta.

3637 Deinde, *canonizatio* nunquam licuit Episcopis; *beatificatio* verò primis Ecclesiæ sæculis ab illis fiebat. Cùm enim canonizatio sit opus clavis scientiæ, & usus ejus supremus, utpote quo nova propositio, sub fidei violatæ periculo, ab universis fidelibus asserenda proponitur; decernere autem, quæ ad fidem orthodoxam spectant, solis D. Petri successoribus reservatum sit, *tantum Pontifex* potest sanctos canonizare: Episcopi autem olim, dum Martyres populo proponebant venerandos, inter *Beatos* recensebant eos; quandoquidem ovibus suis publicè colendos edebant, quos satis noverant, aut evidentiâ facti, aut constanti probatione, *verè pro Domino, & ejus fide occubuisse*: Sed, quamvis id olim licuerit Episcopis *in propriis diœcesibus* quosdam veneratione exponendo; postea tamen ipsam etiam *Beatificationem* Pontifex sibi reservavit, & meritò; nam aliquando ob segnitiem aliquorum contigerat, fures pro beatis coli, ut refert Severus in vita S. Martini *cap. 8.* & constat ex *c. 1. h. t.*

3638 Casus porrò, de quo agit c. *Audivimus* 1. *h. t.* prout constat ex historia Baronii ad annum 1181. & refert Gonzalez ad dict. *c. 1. àn. 1.* est iste: Arnulphus, Lexoviensis Episcopus, Alexandro III. retulit, ingentem dissolutionem Monachorum Cœnobii Christani, qui inter alia impia scelera se mutuis vulneribus sæpe confligebant, ac nihilominus, *ut miracula facere crederentur, & quibuslibet commentis secularium personarum frequentes invitarent accessus*, sanitatis remedia per aquam, certis carminibus incantatam, promittebant. Tandem retulit Lexoviensis Præsul, Procuratorem ipsius Monasterii *ebrium*, in refectorio super cœnam, duos de fratribus cultello percussisse, eundemque ab eis in continenti perticâ, quam casus obtulit, occisum fuisse. Quidnam tamen ad hæc rescripsisset Alexander? non constat, licet extet prædicta epistola Episcopi Arnulphi, quo posito conjectatur Baronius, quòd, cùm prædictus Procurator in ebrietate occisus, Martyris titulo impudenter ab illis Monachis miracula affectantibus coleretur, Alexandrum III. ne id fieret, rescripsisse in præsenti textu.

Textus autem sic habet: *audivimus, quod quidam inter vos, diabolicâ fraude decepti, hominem quendam in potatione, & ebrietate occisum (quasi sanctum) more infidelium venerantur, cùm vix pro talibus in ebrietatibus peremptis orare permittat Ecclesia. (Dicit enim Apostolus, quòd ebriosi homines regnum DEI non possidebunt,) hominem ergo illum de cætero colere non præsumatis; cùm, etiamsi per eum miracula plurima fierent, non liceret vobis* pro Sancto, *absque Authoritate Romanæ Ecclesiæ eum publicè venerari.*

Ex hac Alexandri epistola ad Monachos Christanos, deducitur 1. neminem, *tanquam Sanctum, cultu publico* posse honorari, nisi ab Apostolica Sede fuerit beatus declaratus, etsi miracula fecerit, constat ex *c. 1. h. t. c. unico in 6. eod.* Trid. *Sess. 25. de reform. c. 2.* Nec obstat, quod aliqui tribuunt D. Augustino dicenti, *multi in terris venerantur, qui in infernis cruciantur*, præterquam enim, quod hic locus in Augustino non reperiatur; textus intelligi potest, & debet, non de canonizatis, aut Beatificatis à Sede Apostolica; sed de his, qui falsâ hominum opinione celebrantur, ut constat ex textu c. 1. de quo n. priori, vel quos Sectarii tanquam *Sanctos* colunt, in erroribus, hæresi, vel infidelitate defunctos, ac de-

ac demum etiam illis, quorum corpora in magnificis Mausolæus condita, honorantur, animâ illorum in inferno conseptâ. Deducitur 2. rectè dici, quod Ecclesia pro his, qui in ebrietate sunt perempti, *vix permittat orari*, cùm vix contingat eos in gratia decedere.

3640 Præter hæc not. in c. *Vnico h. t.* in 6. præcipi, festa duodecim Apostolorum, quatuor Evangelistarum, & quatuor Doctorum & Confessorum Ecclesiæ (scilicet Gregorii, Augustini, Ambrosii & Hieronymi) sub *officio duplici* solemniter celebrari. In Clementina *unica*, eod. Festum Corporis Christi, debère celebrari feriâ V. post Octavam Pentecostes, & certas indulgentias concedi eis, qui in Festo, vel intra Octavam, officio, vel horis interfuerint: demum in Extravag. 1. *inter omnes:* qui Conceptionem immaculatæ Virginis devotè celebraverint, in eodem Festo, & ejus Octavis officio interfuerint, eis tales indulgentias tribui, quales consequuntur Christi fideles in Corporis Christi festivitate, in Extravag. autem 2. idem Sixtus IV. statuit, quòd excommunicationem ipso facto incurrant *Prædicatores*, asserentes *divam Virginem in peccato mortali fuisse conceptam*, aut qui dicunt, *quòd Festum Conceptionis ejus celebrantes, graviter peccant*, & vult præsentem constitutionem in locis populosis publicari. De hoc V. Trid. Sess. 5. in Decreto de peccato originali, & plures Summorum Pontificum Constitutiones.

ARTICULUS II.

De Reliquiis Sanctorum.

3641 DE his agitur c. 2. h. t. quod est desumptum ex CC. generali sub Innocentio III. ubi, *cùm ex eo*, inquit, *quòd quidam Sanctorum Reliquias exponunt venales, & eas passim ostendunt, Christianæ reliquiæ detractum sit sæpius: ne inposterum detrahatur*, præsenti Decreto statuimus, *ut antiquæ Reliquiæ àmodo extra capsam nullatenus ostendantur, nec exponantur venales: inventas autem de novo nemo publicè venerari præsumat, nisi prius authoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ, Prælati verò non permittant eos, qui ad eorum Ecclesias, causâ venerationis, accedunt, variis figmentis, aut falsis documentis decipi, sicut in plerisque locis, occasione quæstus, fieri consuevit.*

Ex hoc deducitur 1. Reliquias Sanctorum vendi non posse, cum sint res sacræ, consequenter non recipiant æstimationem, ut temporali compensari possint, adeo, ut ipsarum venditio non possit excusari à Simonia, de quo agimus l. 5. tit. 3. posse tamen vendi, clausas aliqua thecâ, ligneâ, argenteâ, &c. sic tamen, ut solum ea materia, & labor pretio compensetur, quin titulo reliquiarum carius æstimetur de quo loc. cit. 3642

Deducitur 2. esse distinctionem hìc inter Reliquias *novas*, & *antiquas*, per *novas* intelliguntur hic omnes novæ, quæ scilicet de novo inventæ sunt, id, quod dupliciter fieri potest. 1. de Reliquiis alicujus Sancti jam aliàs ab Ecclesia canonizati, vel beatificati, noviter tamen, seu primò jam inventis cum instrumento authentico; 2. de Reliquiis alicujus nondum canonizati, vel beatificati, primum nunc & noviter inventis; hinc antiquæ censentur, Reliquiæ Sanctorum de quorum canonizatione, vel beatificatione jam aliàs constat, uti & hoc, quòd reliquiæ illorum sint. 3643

Deducitur 3. antiquas Sanctorum reliquias non esse populo exhibendas extra capsam, vel loculum, quo conditæ sunt, ne detur detractoribus occàsio, malè sentiendi, vel loquendi, prout exponitur in textu relato supr. *n.* 3641. de quo V. Sanchez in Decalog. *tom.* 1. *l.* 2. *c.* 43. *n.* 21. Deducitur 4. dictas Reliquias non esse exponendas *quæstus causâ*, nam hoc continet intentionem avaritiæ, ac lucri temporalis cupiditatem in rebus sacris, & saperet Reliquias *exponi venales.* 3644

Deducitur 5. non licere Reliquias de novo inventas *cultui publico* exponere prius, quàm à Summo Pontifice approbatæ sint, ut constat ex textu in *n.* 3641. quod tamen accipe de reliquiis noviter inventis, de quibus non habetur authenticum instrumentum, vel scriptura, quòd sint antiquorum Sanctorum, jam ante ab Ecclesia canonizatorum, vel beatificatorum. Dixi *cultui publico*, privatus enim non interdicitur, sicut nec cultus privatus Reliquiarum de illis, qui quidem necdum ab Ecclesia canonizati, vel beatificati sunt, decesserunt tamen communi sensu, & opinione Sanctitatis, de quibus V. Sanchez cit. 3645

cit. Gloss. in c. Vnico h. t. in 6. V. Sedis Apostolicæ, & alii apud Barbos. *in c. 2. h. t. n. 5.*

3646 Quæstio est, quid hic intelligatur per *cultum publicum?* respondet Barbos. cit. cum Bellarmino, Turriano, D. Thoma, & aliis ibid. relatis, intelligi, *festum ejus celebrare, nomen ejus in Lytaniis* (quæ dum *nomine Ecclesiæ*; non autem privatim) *nominare, in Martyrologiis describere, in die obitus Ecclesiæ campanas pulsare, imaginem ejus cum radio depingere, in oratorio, sacristia vel alio loco publico affigere, ac venerari &c.* quo etiam pertinet decretum Urbani VIII. quod refertur à Barbosa in dict. *c. 2. à n. 6.*

3647 Quæstio altera est, an reliquias noviter inventas, approbatas ab Episcopo liceat cultui publico exponere? sermo est de illis, quæ sunt reliquiæ Sanctorum jam alias ab Ecclesia canonizatorum, vel beatificatorum, si per scripturam authenticam constet, esse reliquias illorum, tametsi noviter inventæ sint? de his enim, ubi dubium est, communis negat, affirmativæ videtur obstare textus in dict. *c. 2.* ibi: *inventas autem de novo nullus publicè venerari præsumat, nisi prius Authoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ*, cui tamen videtur opponi Trid. *Sess. 25.* de Regularibus in decreto de Invocatione, & reliquiis Sanctorum ibi: *hæc, ut fidelius observentur, statuit sancta Synodus, nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet, exempta, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit, nulla etiam admittenda esse nova miracula nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente & approbante Episcopo, qui simulatque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis, & aliis piis Viris ea faciat, quæ veritati, & pietati consentanea judicaverit.*

3648 Ex hoc textu censuerunt aliqui, ut refert Barbosa in *c. 2. h. t. n. 4.* per istud Tridentini decretum, antiquatam esse dispositionem juris antiqui in dict. c. 2. in CC. Lateran. volentes posse Episcopum examinare miracula hominis defuncti non canonizati, nec beatificati, & publicare, atque approbare absque Summi Pontificis authoritate: alii ultrò censent, in textu Tridentini nec adversari, nec derogari dicto c. 2. & illum loqui solùm de miraculis, & reliquiis, & imaginibus Sanctorum canonizatorum & beatificatorum, pro qua sententia citatur Philiarchus de offic. Sacerdot. *tom. 1. p. 1. l. 3. c. 9. Azor p. 1. l. 9. c. 8. q. 8.* Sanchez *cit. c. 43. n. 10.* & alii.

Ad hanc contrarietatem dissolven 3649
dam refert Barbosa *cit. in c. 2. h. t. n. 4.* consultum esse à se Congregationem, CC. Tridentini Interpretum, dubitatione sic propositâ Anno 1626. Decreto Concilii Sess. 25. de Invocatione, Veneratione, ac Reliquiis Sanctorum cavetur in hæc verba: *Nulla etiam admittenda esse nova miracula nisi eodem recognoscente, vel approbante Episcopo, qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in Consilium Theologis, & aliis piis Viris ea faciat, quæ veritati, & pietati consentanea judicaverit*; quæritur, *an hæc Concilii dispositio, quæ videtur admodum universalis, intelligenda sit de Miraculis personæ etiam non canonizatæ*, an vero de Miraculis Sanctorum canonizatorum duntaxat? & resolutum: *de omnibus esse intelligendam.*

Sed circa hanc dubitationem adver- 3650
tendum, responsionem Sacræ Congregationis factam solùm ad quæstionem propositam, quæ fuit de approbatione *Miraculorum*; non autem *Reliquiarum*; quo fit, vi datæ responsionis non contradici Concilii Lateranensis relato in c. 2. h. t. ac proinde illam hodiedum persistere in suo vigore, quo scilicet liceat Episcopis approbare *reliquias Sanctorum* jam ante canonizatorum, esto noviter repertas, si annexam habeant scripturam authenticam, quæ testatur, *eas esse talis Sancti*, secùs, si dubium sit? ut tradunt Authores n. 3648. relati.

QUÆ-

QUÆSTIO XLVI.

IN TITUL. XLVI. DE OBSERVATIONE JEJUNIORUM.

3651 TItulus iste tribus Capitulis constat. In. 1. continetur dubium, Innocentio III. propositum à Clericis S. Petri Magol. utrum, si Nativitatem Domini, vel assumptionem B. Mariæ, vel festivitatem alicujus Apostolorum, in secunda Feria contigerit evenire, die Sabbati præcedentis Vigilia debeat jejunari? Secundò, an in Vigilia B. Matthiæ Apostoli sit jejunium injungendum? Ad quod Innocentius, *breviter*, inquit, *respondemus, quòd die Sabbati festivitates prælibatas secundæ Feriæ præcedentis, & B. Matthiæ Apostoli debet Vigilia jejunari.*

Deinde in c. *Explicari.* 3. eodem, Pragensis Episcopus ab Honorio III. petivit explicari, *an, si Festum Nativitatis Domini occurrat Feria VI. licitum sit omnibus, carnes comedere?* respondit Pontifex; quòd illi, *qui nec voto, nec regulari Observantia sunt astricti in Feria sexta, si Festum Nativitatis Dominicæ die ipso venire contigerit, carnibus propter Festi excellentiam vesci possunt, secundùm consuetudinem Ecclesiæ Generalis, nec tamen hi reprehendendi sunt, qui ob devotionem voluerint abstinere.*

3652 Demum Archi-Episcopo Bracharensi super quibusdam Innocentium III. requirenti (videlicet, *utrum in omnibus sit Apostolorum Vigiliis jejunandum?* cùm quidam asserant non esse jejunandum in omnibus, sed sex tantùm; verùm etiam jejunandum sit in Adventu Domini, cùm inde sentiant diversi diversa: quibusdam dicentibus, sed paucioribus jejunandum esse tunc temporis; pluribus verò, se ad hoc asserentibus non teneri. *Utrum insuper, si Festum illorum, quorum Vigilias jejunamus, secunda Feria evenire contingat, in præcedenti Sabbato sint Vigiliæ faciendæ*) respondit Pontifex. 1. quòd omnium Apostolorum Vigiliæ sunt in observatione jejunii celebrandæ, præter Vigilias Apostolorum *Philippi & Jacobi*, & *B. Joannis Evangelistæ*, quoniam ipsorum solemnitas, intra solemnitatem Paschalem, istius autem, intra Natalem Domini celebratur. 2. Quòd jejunium etiam in Adventu Domini apud suos agatur. 3. Quòd Sanctorum quoque Vigiliæ, quorum Festivitates oportet secunda Feria celebrari, in præcedenti sunt Sabbato jejunandæ. 4. Festivitatem Bartholomæi Apostoli, de cujus celebratione dubietas erat apud quosdam esse celebrandum, secundùm consuetudinem regionis. 5. Eos, qui diebus quadragesimalibus, tempore, quo tantæ famis inedia ingruebat, quòd magna pars populi, propter inopiam annonæ periret, carnes comedere sunt coacti, in tali articulo non esse puniendos; preces tamen Domino pro illis, & cum illis effundendas, ne ipsis aliquatenus imputetur: quia *bonarum mentium est, ibi timere culpam, ubi culpa minimè reperitur.*

Inter alias quæstiones etiam erat. 1. 3653
quid dicendum de illis, qui in Sabbato juxta terrarum consuetudinem aliarum, propter debilitatem, quam in se sentiunt, carnes sumunt, quod in partibus tuis nullatenus fieri consuevit, cùm hoc ab aliis molestè feratur, & oriatur in illis occasio detrahendi. 2. Quid de illis, qui in Quadragesima, vel in aliis jejuniis solemnibus infirmantur, petunt sibi esum carnium indulgeri, quorum quidam promittunt, propter hoc eleemosynam se facturos, quidam verò propter necessitatem infirmitatis urgentis hoc à te sibi quasi ex debito, concedendum requirunt. Ad 1. respondit Innocentius, *quòd super suæ consuetudinem regionis facias observari*, sic tamen, quòd debilibus, & infirmis propter hoc periculum non emergat. Ad 2. Cùm non subjaceat legi necessitas, desiderium infirmorum, cùm urgens necessitas exigit, supportare

potes & *debes*, ut majus in eis periculum evitetur.

3654 Ex his canonibus, qui per se satis clari sunt, *not.* 1. etsi in *c.* 1. dicatur *si contingat occurrere in feria* 2. *festa inibi expressa*, die sabbati præcedenti jejunium vigiliæ celebrandum esse, hoc tamen non restringi ad illa tantùm festa; sed etiam alia ibi non expressa, quorum vigilia cum jejunio celebratur, ut patet ex usu Ecclesiæ, idque propter festivitatem diei Dominicæ & lætitiæ resurrectionis Dominicæ quæ in eo celebratur; quam rationem expressit Cassianus *collat.* 21. *cap.* 20. ibi: *Diem Dominicam custodiamus, in qua majores nostri, nec jejunium agendum, nec genu esse flectendum, ob reverentiam resurrectionis Dominicæ, tradiderunt*, & D. Thomas 2. 2. *q.* 147. *à* 5. *ad* 3. ubi ait: *Jejunia, quæ præcepto Ecclesiæ instituuntur, cùm sint magis jejunia afflictionis, quàm exultationis, non conveniunt in diebus lætitiæ.*

3655 *Not.* 2. ex hoc textu habetur quidem, etiam *S. Matthiæ Apostoli debere vigiliam jejunari*, non tamen prohiberi, quo minus ex justa & gravi causa transferri possit in diem opportunum, ut docent complures; id, quod in pluribus quoque diœcesibus ab Ordinariis factum est. Quod autem dicitur *de jejunio in Adventu*, olim tenebat apud Romanos; hodie autem solos nonnullos Monachos, & Religiosos solùm hujusmodi jejunium mansit, qui partim propriis institutis, partim usu, & more id retinuerunt; sic Azor *p.* 1. *l.* 7. *c.* 27. (aliàs 16.) *q.* 3.

3656 *Not.* 3. vigilias festivitatum. S. Philippi & Jacobi, uti & S. Joannis Evangelistæ, non jejunari; illas, quia infra festivitatem Paschalem; istam, quia infra Natalem Domini, celebrantur; nam tempore Paschali (sicut nec diebus dominicis) non jejunatur, ut dicitur c. *Scire debet* 8. §. *instar. dist.* 76. ibi: *instar ergo Dominicæ, tota quinquaginta dierum curricula celebrantur, & omnes isti dies, velut dominici deputantur*; & *c. post Pascha* 10. dist. cad. quorum illud est S. Ambrosii; istud, Isidori.

3657 Dices: in c. *statuimus.* 4. dist. cad. Urbanus Pontifex statuit, ut jejunia quatuor temporum ita per annum distribuantur, ut primum initio Quadragesimæ; secundum in hebdomada Pentecostes; tertium in mense Septembri; quartum in Decembri, more solito fiat: R. ex Azor *tom.* 1. *l.* 2. *c.* 27. Fagundez in 4. præcept. Eccl. c. 5. & aliis, tempus illud Paschale jejunare non licet. Nam respondendum est, tempus illud Paschale, intra quod jejunare non licet, computari à Pascha Resurrectionis usque ad Pentecosten. Unde post Pentecosten etiam in ipsa hebdomada jejunari potest, cùm jam non dicatur *tempus Paschale.*

Not. 4. in casu, quo festum Nativi- 3658
tatis Domini occurrit feriâ 6. omnes licitè posse vesci carnibus, qui *aliunde, quam lege Ecclesiæ*, (puta, voto vel professione) *non sunt prohibiti*, ut habetur *c. fin. h. t.* quo habetur, quòd absolutè vovens non comedere carnes *die veneris*, & si postea in ea eveniat festum nativitatis Domini, teneatur ea die à carnibus abstinere, & ita per hunc textum docent Sylvester. V. *jejunium* 9. *n.* 10. Valer. Reginald. in praxi fori pœnit. *lib.* 18. *t.* 20. *n.* 290. Suar. de Relig. *tom.* 2. *lib.* 4. *c.* 20. *n.* 7. Portel. in addit. ad dubia Regul V. *jejunium n.* 9. Videtur tamen hoc accipiendum de voto non comedendi carnes generaliter facto, non autem specialiter, nimirum ullis sextis feriis, quibus aliàs de jure non licet; sic enim sub tali voto non veniret feria sexta, quâ occurrit Natalis Domini, de quo V. Sanchez in decalog. *l.* 4. *c.* 11. *n.* 61.

Quæstio est, an Laicus, qui ex voto; 3659
vel Regularis, qui ex professione, vel vi observantiæ regularis, aut statuti, tenetur abstinere ab esu carnium quolibet die Veneris, seu feriâ sextâ, peccet solum contra votum, vel observantiam regularem, aut statutum, si tali die, occurrente in eo Natali Domini, carnibus vescatur? R. affirmativam tradi à pluribus apud Barbos. in dict. *c. fin. h. t. n.* 3. quia Pontifex in præsenti cum omnibus fidelibus in ea prohibitione dispensat, relicta sola voti, vel statuti Regularis obligatione. Unde sublata juris prohibitione per hunc textum in ea, quæ remanet, ratione Regularis observantiæ, poterit Prælatus Religionis dispensare cum suo subdito in esu carnium in sexta feria, si sit Natalis Domini, ut resolvunt Sà dict. V. *jejunium n.* 6. Fr. Emman. qq. Regul. *tom.* 3. *q.* 45. *à* 3. *Thom.* Sanchez *tom.* 1. *L.* 4. *c.* 11. *n.* 61.

*n.*63. & alii. Ad extremum nota, festo Natalis Domini plura olim fuisse annexa præter esum carnis, de quo diximus, ut videri potest apud Gonzalez in dict. *c. fin. h. t. n.* 3. ut est celebratio trium Missarum computus annorum deinceps, &c.

QUÆSTIO XLVII.

IN TIT. XLVII. DE PURIFICATIONE POSTPARTUM.

3660 HIc titulus constat c. *Unico*, in quo habetur quæstio, Innocentio III. ab Armachano Episcopo proposita, *per quantum tempus mulieres post partum ab ingressu templi abstinere debeant?* cùm secundùm legem Mosaicam certi dies deputati fuerint, quibus ingredi templum non poterant; cui respondit Pontifex: *quod, postquam umbra legis evanuit, & illuxit veritas Evangelii: si mulieres, post prolem emissam, acturæ gratias, Ecclesiam intrare voluerint, nullâ proinde peccati mole gravantur, nec Ecclesiarum est eis aditus denegandus: ne pœna illis converti videatur in culpam. Si tamen ex veneratione voluerint aliquandiu abstinere, devotionem earum non credimus improbandam.*

3661 Potissimum, quod hic not. est, in antiqua lege fuisse quædam præcepta *mere cæremonialia*, quædam *judicialia* & ex illis alia, quæ principaliter ordinata erant ad præfigurandum Christi Adventum, & mysteria circa illum, *de futuro*, seu tanquam *rei nondum factæ*, *sed futuræ*; alia verò solùm ad aliquam devotionem, ritum, ac ornatum sacrificiorum; qualia sunt, quæ pertinebant ad vestimenta Sacerdotum, altaria, vasa &c.

Not. 2. præcepta tam *cæremonialia*, quàm *judicialia* legis veteris, jam esse *evacuata*, hoc est non amplius obligare in vi, quâ pollebant, ante legem gratiæ per Christum; quædam tamen ex illis esse *mortifera*, hoc est citra peccatum nunc observari non posse, cùm contineant opposita sacræ fidei, *quòd Christus nondum venerit*, cujus contrarium Christianâ fide certum est; reliqua verò, posse observari, non quòd ipsa ligent *in vi* legis antiquæ (sic enim *mortua* sunt, ut diximus) non tamen esse *mortifera*, hoc est, posse à Fidelibus observari citra peccatum, ut est Purificatio post partum, oblationes decimarum, &c.

Not. 3. Per *legem veterem* intelligi, 3662
legem scriptam, olim latam à DEO per Moysen; continebat autem præcepta triplicis generis nempe *cæremonialia*, quæ erant de rebus sacris ad divinum cultum pertinentibus; *Judicialia*, quæ erant de rebus civilibus ad rectam populi administrationem spectantibus: *Moralia*, quæ erant ad singulorum mores, juxta rationis ductum componendos. Unde, cùm dicitur, *evacuatam esse legem veterem*, & *mortua ejus præcepta*, intelligitur de primis duobus, non autem *moralibus*, in quantum continent naturæ legem, seu præcepta naturalia.

QVÆSTIO XLVIII.

IN TIT. XLVIII. DE ECCLESIIS ÆDIFICANDIS, VEL REPARANDIS.

POst Tractatum de Ecclesiis consecrandis, Missarum celebratione, ac veneratione Sanctorum, de quibus jam diximus; agitur h. t. de Ecclesiis ædificandis, vel reparandis; cùm enim numerus fidelium in dies augeatur; nec ad unam omnes, incommodis præsertim temporibus, & locorum distantiâ, convenire possint, ne DEI cultus ex iis titulis inter Fideles minuatur, frequenter ad ædificandas noviter Ecclesias procedendum est; ac olim ædificatæ, vel vetustate, vel injuria temporum reparationibus indigeant, utrique in hoc titulo, provisum est pro casu, quo alterutrum præstandum fuerit.

ARTICULUS I.

De Ecclesiis ædificandis

3663 *Ecclesia* tripliciter accipitur 1. pro *cœtu Fidelium*, ut notat Sanchez *l.* 3. *de Matr. D.* 15. *n.* 20. & alii; 2. pro *Prælatura*, seu beneficio Ecclesiastico; Rebuffus in praxi benef. tit. quare instituta sint beneficia *an.* 9. 3. pro *templo*, seu æde sacra, ut in toto hoc titulo, ut notat Barbosa in tract. de Appellativis, appellat. 85. *a n.* 5. *Ecclesia* ex Græco, Latinè reddita, significat *convocationem*; qua vocis observatione posita, *Fideles* (inquit Rabonus de Cleric. Instit. c. 1.) *Convocati* dicuntur, non quòd merito, & justitiâ suâ, sed DEI gratiâ, & vocatione in unum Ecclesiæ corpus coalescant. *Synagoga* est nomen Hebraicum, & rectè vertitur Latinis *congregatio*. Hinc ex Augustino in Psalm 81. & Ugone, Sylvester V. eod. 1. n. 1. & Suarez de fide *disp.* 9. *sec.* 1. *n.* 1. argutè notant, discrimem inter *Ecclesiam*, & *Synagogam*, quasi ipsis vocabulis Christianorum fidelitas, & discretio, Judæorumque infidelitas, & bestialitas notetur: nam *convocantur homines* propriè: pecora verò *congregantur*: Unde eorum sunt *greges*; & hoc sensu spiritualiter accipitur; spiritualis enim Ecclesia est populus convocatus, seu adunatus in DEI cultu. *Materialis* est locus, in quo ad percipienda, quæ fidei sunt, convocatur populus; *Spiritualem* in tota sua latitudine Nicolaus Papa cap. *Eccles.* de consecr. dist. definivit, *collectionem fidelium seu credentium*. Sumitur Ecclesia *ut sic* pro omnium fidelium ab initio mundi usque ad ejus finem multitudine: in quo sensu loquitur S. Thomas, 3. *p.* *q.* 8. *a* 3. & quicunque affirmant eandem nunc esse Ecclesiam, quæ fuit in populo Judæorum sub lege Moysis, & hominibus, qui ante Moysem, sub lege naturali vixerunt. Magis *præsè* dicitur Ecclesia, quæ in Christi nomine per baptismum à Synagoga Christianum populum discriminat; in præsenti autem agimus solùm de Ecclesia materiali, his præmissis.

Quæstio 1. est quibus concessum sit 3664
ædificare Ecclesiam? 2. quibus Oratorium? 3. in quo loco? 4. quam functionem habeat Episcopus in ædificatione novæ Ecclesiæ? Ad 1. & 2. ex c. *Nemo.* 9. *de Consecr. dist.* 1. ibi: *Nemo Ecclesiam ædificet, antequam Episcopus civitatis veniat, & ibidem crucem figat, publicè atrium designet, & ante præfiniat, qui ædificare vult, quæ ad luminaria, & ad custodiam, & ad stipendia custodum sufficiant: & ostensa donatione, sic demum ædificet; & postquam consecrata fuerit, atrium ejusdem Ecclesiæ sancta aqua conspergat.* Deinde ex c. *cùm olim.* 14. *de privileg.* §. *præterea*, ubi dicitur, quòd exemptus, *vigore exemptionis*, non possit *sine licentia Diœcesani* Ecclesiam construere *in loco non exempto*; & si exemptus de facto in loco *non exempto* construit Ecclesiam, *cedit juri Episcopi*. Ex his juribus deducitur, cuilibet concessum esse, si velit, Ecclesiam ædificare, modò id fiat

fiat de licentia Ordinarii, & sine præjudicio alterius Ecclesiæ; prima pars constat ex c. *Nemo*, & c. *cùm olim*, quæ tamen intelligenda veniunt juxta limitationes in seqq. Altera verò pars constat ex ipsis terminis, cùm agere in præjudicium alterius, secluso jure speciali, cujus concessione derogatum sit juri alterius, sit contra justitiam naturalem.

3665 Ad 2. *Not.* Quòd *Oratorium* variè accipiatur; dicitur *ab orando*, quasi locus in quo oratur: & juxta Sylvest. V. *Ecclesia* 2. n. 1. fieri potest etiam Authoritate privatâ in domo propria, dummodo non fiat *in forma Ecclesiæ*; & in eo non ministrentur Sacramenta regulariter; cùm ibi *sine licentia diœcesani* non liceat celebrare. Aliquando erigitur Episcopi Authoritate; si de hoc dubitetur? respondet Sanchez *l.* 9. *matr. D.* 15. *n.* 39. ipsum non præsumi, quamvis Oratorium dicatur de nomine alicujus divi, in eo sit cymbalum, vel celebretur de licentia Episcopi: præsenti verò si cymbalum supra tectum publicè pulsetur, vel si publicè celebretur omnibus indifferenter ad divina admissis. Hodie non licet Missam dicere in Oratoriis privatis, nisi de licentia Summi Pontificis juxta Dianam, *part.* 9. *tr.* 1. *resol.* 1. ubi ea sic definit: *Oratoria privata* sunt (inquit) illa quæ habentur in privatis domibus, in angulis earum in quibus oratur, & non
3664 habent campanam, neque ostium patens in via publica, & ad nutum fundatoris redire possunt ad usus prophanos, ut tenet Barbosa de Jure Eccles. *l.* 2. *cap.* 8. *n.* 16. vid. Lezanam in Summa *tom.* 4. *verb. eod. n.* 1.

3666 *Oratorium*, juxta Trullench de cruciata *l.* 1. §. 1. dub. 4. dicitur locus orationi deputatus, ubi Missa non dicitur, nisi certis diebus, de licentia Episcopi. Unde Ecclesia differt ab Oratorio: quia *Ecclesia* principaliter deputatur ad celebrandum, & orandum: per Episcopum consecratur, vel benedicitur, & constituitur ibi dos pro ministris, & cultu divino: *Oratorium* verò non consecratur: nec constituitur ibi dos, nec fit principaliter, ut ibi celebretur Missa, sed ut ibi oretur. Notat ibid. *Oratoria* alia esse *privata*, alia, *publica*; Oratoria *privata* dicuntur illa, quæ sunt in privatis domibus, in angulis earum, in quibus oratur, de licentia Episcopi dicitur Missa, & non habent campanam, neque ostium patens in viâ publica: Oratoria *publica* dicuntur, quæ in aliquo loco publico, ad instar basilicæ, vel capellæ, authoritate Episcopi sunt fundata, & habent campanam, & ostium patens in via publica.

Igitur, cuilibet licitum est, ædificare *privatum Oratorium*, etiam sine licentia Ordinarii, quamvis idoneum sit, & sic instructum, ut etiam ibi Missæ sacrificium celebrari possit; hoc tamen non licere, nisi cum Episcopi consensu; constat ex c. *Unicuique* 33. *dist.* 1. de consecr. ibi: *Unicuique fidelium, in domo suo, Oratorium licet habere, & ibi orare: Missas autem ibi celebrare non licet*; & c. *si quis* 35. ibi: *si quis etiam extra Parochias, in quibus legitimus est, Ordinariusque conventus, Oratorium in agro habere voluerit, reliquis festivitatibus, ut ibi Missas audiat, propter fatigationem familiæ, justâ ordinatione permittimus: Pascha verò, Natali Domini, Epiphania Domini, Ascensione Domini, Pentecoste, & Natali Sancti Joannis Baptistæ, & si qui maximi dies in festivitatibus habentur, non nisi in civitatibus, aut in Parochiis audiant, Clerici verò, si qui in festivitatibus, quas supra diximus (nisi jubente, aut permittente Episcopo) Missas celebrare voluerint, communione priventur*, de quo etiam sic loquitur Tridentinum *Sess.* 22. *post c.* 8. in decreto de observ. & evitand. in celebrat. Missæ §. *Neve patiantur*, ibi: *neve patiantur privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum tantùm cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda sanctum hoc Sacrificium à Sæcularibus, aut Regularibus quibuscunque peragi; ac, nisi prius, qui interfint, decenter composito corporis habitu, declaraverint, se mente etiam, ac devoto cordis affectu, non solùm corpore adesse.* Circa hoc Decretum plura dixi lib. 5. tit. 33. *Oratoria* verò *publica* non comprehendi sub hoc Tridentini Decreto, notat Barbosa *in dict. loc. CC. n.* 22. 3667

Hac occasione opportunè annotari 3668
potest, quòd sæpius quæsitum est, *an, cum celebratur Missa in privato domûs Oratorio sæcularium die Festo, vel dominico, ibidem audientes Missam, præcepto satisfaciant quinec sunt hospites habentium Privile-*

gium

gium talis Oratorii, nec etiam de familia eorum? R. Negativum teneri à Tambur. l. 1. Methodi Celebr. Miss. c. 4. §. 4. n. 36. quia Pontifex per illam clausulam (*volumus autem, quòd familiares servitiis tuis non necessarii, ibidem intereſſentes, ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia, diebus festivis de præcepto, minimè liberi censeantur.*) clarè excludit *Oratorium privatum* à loco apto ad satisfaciendum præcepto: sed probabiliter doceri contrarium à Pellizar. T. 2. *Man. Regul. tr.* 8. *c.* 2. *§.* 2. *subsect.* 2. *n.* 14. Castropal. *Tr.* 12. *de Euchar. Sacrific. D. unic. p.* 16. *n.* 13. quia ea clausula nunc perinde se habet, acsi non apponeretur; ratio enim primitus addendi, fuit, quia olim sub præcepto erat, non tantùm *substantia auditionis Missæ*, sed etiam circumstantia *loci*, nimirum *in Ecclesia Parochiali*. Cùm autem nunc quoad circumstantiam illam desierit, solùm additur ex stylo Curiæ, sic illi.

3669 Ad 3. R. Ecclesias esse ædificandas loco decente, ac congruo, secundùm judicium Episcopi, ubi ejus consensus intervenire debet, ut colligitur ex cit. *c. Nemo*, in n. 3664. & quidem in loco ædificantis proprio; non alieno. Quæstio autem est, cui acquiratur Jus Patronatus, quando ædificatur Ecclesia in fundo alieno? Respondet Pirhing de Jure Patron. n. 13. Jus Patronatus non acquiri *Domino fundi*, sed ædificanti, si iste inscio, aut invito Domino ædificavit in hujus fundo; in tit. autem 42. n. 4. ait in hoc casu, *Ecclesiam fieri liberam*; si autem Dominus fundi sit Laicus, & scivit, nec contradixit, ædificanti, Jus Patronatus non acquiri Domino fundi, sed ædificanti.

3670 Mihi dicendum videtur, si quis ædificet Ecclesiam in fundo alieno, sciente, & patiente Domino, Jus Patronatus acquiri Domino fundi, ac ædificanti, *illi*, ratione fundi, quem tacitè censetur in eum finem cedere, ubi, cùm commodè posset, non contradicit, *isti*, ratione constructionis, nam ex utroque titulo conceditur Jus Patronatus; jus enim istud de gratia, & beneficio Ecclesiæ acquiritur, si quis Ecclesiam fundavit, ædificavit, vel dotavit, ut diximus superius *tit.* 38. quod tamen intellige, si dominus fundi non repetat ab ædificante fundi æstimationem: si autem ædificavit domino ignorante, ac invito, Jus Patronatus acquiri ædificanti, non tamen fundi domino (sic enim isti non competit ullus titulus ex his, quibus Jus Patronatus acquiritur) quamvis habeat jus, Ecclesiam illam, si necdum consecrata sit, diruendi, vel exigendi ab ædificante æstimationem fundi, cùm sic injustè damnificatus sit.

Dixi: *si nondum sit consecrata*; quia 3671
secùs nec dirui, nec occupari potest à domino fundi, æstimatione tamen fundi meritò solvenda à construente taliter Ecclesiam *arg.* 14. *q.* 6. *c. Comperimus* 2. ibi sic habetur: *comperimus, nullam extitisse causam, pro qua res Judæorum potuissent rationabiliter occupari atque eas esse inconsultè, ac temerè consecratas. Idcirco experientiæ tuæ præcipimus, ut quia, quod semel consecratum est, in eis non valet ultra restitui, studii tui sit, ut ipse Episcopus debeat pretium dare*, quo habetur, etiam Episcopum, in defectum construentis, teneri ad æstimationem fundi, si Ecclesiam taliter ædificatam consecravit, non satisfacto domino fundi.

Deinde quoad *Locum*, in quo ædifi- 3672
catur Ecclesia, observandum, quando *Exempti* ædificant *in loco exempto*, non requiri ad hoc licentiam Ordinarii loci (sic enim nec construens, nec locus in quo illi subjectus est,) secùs in loco *non exempto*, propter rationem contrariam, & constat ex *n.* 3664. unde *exemptus*, construens Ecclesiam *in loco exempto*, indiget assensu sui Superioris; aliàs autem non sine licentia, vel speciali privilegio Sedis Apostolicæ, per *c. Authoritate.* 4. *§. Prohibemus insuper*, de Privileg. in 6. ibi: *inhibemus insuper, ne in locis etiam exemptis hoc ipsi exempti facere audeant, nisi super his licentiam, vel privilegium habeant Sedis Apostolicæ speciale.* Quando autem dicitur, requiri consensum Ordinarii, quando in loco ei subdito adificatur Ecclesia, sufficit etiam tacitus; imò, & superveniens, etiam primò, cùm consecratur, de quo V. Azor. *cit. c.* 3. *q.* 5. & alii.

Ad 4. R. functiones Episcopi, quan- 3673
do ædificatur nova Ecclesia, recensèri in *c. Nemo*, cujus verba retulimus n. 3664. de quo etiam aliquid dicitur in Authent. de Ec-

de Eccles. Tit. §. *si quis autem*, collat. 9. & Authent. *Ut nullus fabricet*, §. *Sancimus igitur*, collat. 5. dictas porrò functiones potest Episcopus exercere, vel *per se*, vel *per alium*, in quantum explicant actionem figendi crucem, & ponendi primum lapidem, ut notat Gloss. in c. *Nemo V. Veniat.* Azor *p.* 2. *l.* 19. *c.* 3. *q.* 4. & alii, qui cum aliis notat, esto in dictis juribus non fiat mentio functionis, *de primo lapide ponendo, exercenda tunc ab Episcopo*, id tamen tradi à Gloss. *in* 1. *q.* 2. *c.* 1. & aliis DD. communiter.

3674 Quæstio 5 est, an, & quando, etiam intra limites Parochiæ, jam existentis, ædificari possit nova Ecclesia? 82. de hoc agi in c. *ad audientiam.* 3. *h. t.* ubi, *cùm villa H. tantùm ab Ecclesia Parochiali distaret, ut tempore hyberno, & pluvio, difficulter Parochiani possent illam adire, eaque Ecclesia ita reditibus abundaret, ut posset proprium ministrum sustentare*; mandavit Pontifex, *Ecclesiam in villâ ædificari, & Sacerdotem ad præsentationem Rectoris Ecclesiæ majoris* (id est Parochialis) *ibi institui, cum consensu Fundatoris, eique ejusdem villæ obventiones Ecclesiasticas, ex oblationibus, aliisque similibus assignari, ex viginti videlicet arcis, sive jugeris terræ frugiferæ, quas terræ Dominus ad usum Sacerdotis contulit: si verò Rector Parochialis, sive matricis Ecclesiæ, se opponat, præcipit Pontifex nihilominus virum idoneum, remotâ appellatione, ibid. instituí.*

3675 Huic constitutioni concordat CC. Trid. Sess. 21. de reform. ubi statuit, quando populus est tam numerosus, ut unus Parochus non sufficiat, cogendum esse Parochum, & alios, ad quos pertinet, ut sibi tot Sacerdotes adjungat, quot sufficiunt ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum. Et, ut iis locis, in quibus Parochi ob locorum distantiam sive difficultatem, sine magno incommodo, ad percipienda Sacramenta, & divina officia accedere non possunt, novas Parochias, etiam invitis Rectoribus, juxta formam præsentis Constitutionis Alexandri III. constituant. Novis autem Parochis, ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocunque pertinentibus, pro arbitrio suo faciant assignari, & si opus sit, populum compellant ad necessaria dicti Sacerdotis ministranda.

Ex dictis juribus *not.* 1. ut insinuavimus supra n. 3669. novas Ecclesias Parochiales, vel Capellas, *intra limites alterius Parochiæ*, cum ejusdem præjudicio, regulariter ædificari non debere, ut dicitur 16. q. 1. c. *Ecclesiæ* 43. ibi: *Ecclesiæ antiquitus constitutæ, nec decimis, nec ulla possessione priventur, ita, ut novis Oratoriis tribuantur*, & immediatè sequenti, ibi: *quicunque voluerit in sua proprietate Ecclesiam ædificare, & consensum, & voluntatem Episcopi habuerit, in cujus Parochia est, licitum sit. Veruntamen, omnino providendum est Episcopo, ut aliæ Ecclesiæ antiquiores, propter novas, suam justitiam, aut decimam non perdant, sed, semper ad antiquiores Ecclesias persolvantur.* 3676

Sed hi textus solùm loquuntur de novarum Ecclesiarum constructione *intra limites Parochiæ*, unde huic fieret præjudicium in perceptione *decimarum*, & *suorum jurium*, & quamvis sermo sit de Ecclesiis *novis*, unde Parochialis gravetur; si tamen hoc contingat ex justa causa; (de quo loquitur c. *ad audientiam*, & Tridentinum de quo supra n. 3667. & 3674.) nec id vi relatorum Canonum interdictum est.

Ex dictis porrò juribus deducitur 1. 3677 sufficientem causam; ut intra fines antiquæ Parochialis Ecclesiæ construatur nova, divisis juribus prioris, esse nimiam distantiam, vel aliam magnam difficultatem, aut incommodum adeundi Ecclesiam Parochialem ad percipienda Sacramenta, aut audiendi divina; modò id patiantur annui reditus Parochiæ dividendæ, ut utrique, uti & Curato in earum administratione provisum sit congruâ sustentatione; ut habetur in cit. c. *ad audientiam*, id, quod confirmatur à Trid. relato n. 3667.

Deducitur 2. ubi Ecclesia Parochialis 3678 antiqua dividi non potest, quòd ejus reditus non sufficiant duorum congruæ sustentationi, unus tamen Sacerdos numerositati populorum non sufficiat, Episcopos debere talis loci Parocho adjungere tot alios Sacerdotes, quibus sufficiat, juxta formam Tridentini, sic loc. cit. loquentis & statuentis: *ut Episcopi etiam, tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, in omnibus Ecclesiis Parochialibus, vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit,*

ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui divino peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum: in iis verò, in quibus, ob locorum distantiam, sive difficultatem, Parochiani, sine magno incommodo, ad percipienda Sacramenta, & divina officia audienda accedere non possunt, novas Parochias, etiam invitis Rectoribus (juxta constitutionem Alexandri III. quæ incipit *ad audientiam*) *constituere possint.* Ubi etiam additur: *Illis autem Sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesiis præficiendi, competens assignetur portio, arbitrio Episcopi, ex fructibus ad Ecclesiam Matricem quomodocunque pertinentibus: & si necesse fuerit, compellere possit populum, ea subministrare, quæ sufficiant ad vitam dictorum Sacerdotum sustentandam.*

3679 Præter hæc *not.* 1. quando dicitur, *intra fines antiquæ Parochiæ* posse construi novam Ecclesiam, juxta dicta, propter distantiam, non sufficere quamlibet distantiam, sed eam duntaxat, quæ præbet difficultatem Parochianis accedendi, *cum magno incommodo* ad percipienda Sacramenta, & divina officia audienda, ut colligitur ex textu relato supr. Censent tamen aliqui hoc intelligendum, nisi in loco minimè difficili, nec incommodo Oratorium adesset, vel Ecclesia cum fonte baptismali, & cæteris ad Parochiam necessariis, ibique poneret Rector Sacerdotem in sui adjutorium; sic Aloys. Riccius in praxi fori Eccles. resolut. 479. editionis secundæ. Quanta porrò debeat esse illa distantia, ob quam de nova Ecclesia providendum sit: cùm jure nihil definitum sit, Judicis arbitrio decernendum est, ut notat Menochius de Arbitrar. casu 495.

3680 *Not.* 2. Capellano Ecclesiæ noviter erectæ intra fines alterius Parochiæ, deberi obventiones illius loci, tribus concurrentibus, ut notat Rebuffus de Decimis *q.* 6. *n.* 22. videlicet, quòd antiqua baptismalis reditibus abundet; & quòd ædicula sit necessaria: & quòd non habeat sufficientes reditus ad sustentationem Presbyteri; alioquin si fundator, vel Parochiani concederent reditus sufficientes, non teneretur Ecclesia baptismalis quicquam concedere.

Not. 3. ex hoc, quòd aliquod beneficium, vel Ecclesia consistat intra fines, vel confines alicujus Ecclesiæ Patronatæ Laicorum, non propterea sequi, seu sortiri ejus naturam, aut effici de Patronatu Laicali, ut tradit Gonzalez ad 8. regul. Cancell. Gloss. 10. à n. 6. cum, ut constat ex c. *Ad audientiam* in n. 3674. novæ Ecclesiæ Sacerdos ad præsentationem Rectoris Ecclesiæ, intra cujus fines constructa est, ejus reditibus etiam in hunc divisis, instituendus sit. 3681

Not. 4. Ecclesiam dici *Matricem*, quæ habet alias subjectas, & solùm relatè ad illas Ecclesias, quas habet subjectas; sic Azor instit. moral. *p.* 2. *l.* 9. *c.* 3. in fine. Soar. de Relig. tract. de decimis, *lib.* 3. *c.* 24. *n.* 1. Rebuff. de decimis *q.* 7. *n.* 7. Monet. eod. tract. *q.* 7. *n.* 3. Rot. dicis. 272. *n.* 3. apud Farin. *p.* 1. recent. per *obventiones* autem, (de quibus *n.* 3680.) venire oblationes, & personales decimas, quæ dantur diebus, quibus accedit ad Ecclesiam, & ex mortuariis, & *similibus*; sic Gonzalez *cit.* §. 7. procemii *à n* 199. 3682

Not. 5. si in loco aliquo sint plures Leprosi (v. g. 10. aut etiam pauciores) (qui cum sanis non habitare possunt, vel ad Ecclesiam cum aliis convenire) concedi, *quòd pro se possint habere Ecclesias*, & cœmiteria, & proprii Sacerdotis juvari ministerio; ne tamen veteribus Ecclesiis de jure Parochiali sint injurioſi, sic enim habetur in c. *Cùm dicat.* 2. *h. t.* quod desumptum est ex CC. generali sub Alexandro III. ubi in fine illius c. additur: *Statuimus etiam, ut de hortis, & nutrimentis animalium suorum, decimas solvere non cogantur.* 3683

Not. 6. tametsi Episcopus juraverit, se nihil alienaturum de Ecclesiis sibi subjectis; hoc tamen juramentum non obstare, quò minus intra fines ejus novæ erigantur Ecclesiæ in casu, quo id necessitas exegerit propter causas in *c. ad audientiam*, de quo *n.* 3674. & Trid. *n.* 3678. assignatas; ita Cœlestinus III. prout habetur in *c. Tua nos* 6. *h. t.* nam illud juramentum non porrigitur ad casum, quo urget necessitas, & periculum salutis animarum. 3684

Quæri præterea potest, quæ ulteriùs condi- 3685

conditiones intervenire debeant in casu, quo fit dismembratio Ecclesiæ Parochialis, dividendo illam in duas, necessitate id exigente? R. requiri primò, quòd Ecclesiæ novæ assignetur plebs propria, seu proprius populus (Trid. Sess. 21. c. 4.) atque adeo saltem 10. Parochiani; hic enim numerus requiritur ad denominationem plebis, seu populi; sic *Gloss. in c.* 1. de Elect. V. *duo*, & Fagnanus in *c. ad audientiam*, à n. 28.

Secundò, ut erectio novæ Parochiæ fiat per Episcopum cum consilio, & consensu Capituli, quando procedit jure ordinario; secus, quando ut delegatus Papæ, nam ea dismembratio est quædam alienatio rei Ecclesiæ; ergo quando procedit jure ordinario, debet agere juxta præscripta in alienationibus rerum Ecclesiæ, de quibus supr. tit. 13. ubi verò agit, ut delegatus Papæ, non agit tanquam habens conjunctionem cum Capitulo, sed agit vice Summi Pontificis, sic Fagnanus *cit. à n.* 53.

3686 Tertiò, requiritur, ut citetur Rector Ecclesiæ, quæ dividenda est, colligitur ex ib. *q.* 1. *c. Felix* 50. & *c. Multis*, 51. junct. Gloss. V. *Rectores*, in utroque enim habetur, diœceses, quæ nunquam habuerunt Episcopum, nec deinceps habeant, *nisi ejus voluntate, in cujus potestate est diœcesis constituta*, si crescente fide DEI populus multiplicatus desideret proprium habere Rectorem; & repetitur in *cit. c.* 51. ibi: *multis Conciliis hoc statutum est à cœtu Sacerdotali, ut plebes, quæ in diœcesibus ab Episcopis retinentur, quæ Episcopos nunquam habuerunt, non nisi cum voluntate, ejus Episcopi, à quo tenentur, proprios accipiant Rectores*; hanc porrò *citationem* censet Fagnanus *cit. n.* 30. adeo necessariam, ut secus factum irritum sit. Dixi *citationem*, non autem *consensum*, cùm etiam *Rectore invito*, & contradicente, ad divisionem exigente necessitate, (de qua hactenus) procedi possit, prout constat ex Trid. & *c. ad audientiam* relatis supr.

3687 Quartò, quòd novæ Ecclesiæ dos assignetur, cùm divina inibi peragi non valeant, nisi habeat, unde necessaria sumat; Difficultas est, à quo ei danda sit dos necessaria? R. si nova Ecclesia Parochialis constituatur per dismembrationem antiquæ, abundantis reditibus, ut dictum est, dandam ab ista, nisi alius sponte dotare velit, vel dotem insufficientem augere, ut dictum est ex *c. ad audientiam*, & *c. Quicunque*, de quo superius; in horum defectu, cogendum populum, in cujus commodum erectio illius Ecclesiæ fit, ut dicitur in Trid. n. 3678. in horum defectu, teneri Episcopum, *si commodè possit*, prout videtur colligi ex 12. q. 1. c. *præcipimus*, 24. ibi: *Præcipimus, ut in potestate sua Episcopus Ecclesiæ res habeat; si enim animæ hominum pretiosiores illi sunt creditæ, multò magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita, ut potestate ejus, indigentibus omnia dispensentur per Presbyteros, & Diaconos, & cum DEI timore, & omni sollicitudine ministrentur.* Ex his autem, quibus indiget &c. ut supra in c. *Episcopus* 23. immediatè præced.

In casu porrò, quo, quæ haberi 3688
possunt pro Ecclesia noviter extructa causa necessitatis exigentis, non sufficerent; vel haberi non posset aliunde dos, unde novo ejusdem Sacerdoti præstarentur alimenta, censet Pirhing h. t. n. 11. ex Abbat. & Joann. Andrea, dictum Sacerdotem debere sibi propriis manibus, ex honesto quodam artificio, victum quærere, arg. c. *Clericus*. 3. *cum seq. dist.* 91. & consequenter in hoc casu esse speciale, quod Ecclesia Parochialis construi possit *sine dote*, affirmante Fagnano cit. n. 7. & 32. sic censuisse sacram Congregationem. Verba c. 3. sunt: *Clericus victum, & vestimentum sibi artificio, vel agricultura, absque officii sui duntaxat detrimento* paret; & immediatè sequentis: *Clericus quantumlibet verbo DEi eruditus, artificiolo victum quærat.*

Quintò, quòd in nova Ecclesia Jus 3689
Patronatus servetur illi, vel illis, qui eam de suo fundârunt, ædificârunt, vel dotarunt, juxta dict. supr. tit. 38. de Jure Patronat. Et ideo in c. *ad audientiam* dicitur novæ Ecclesiæ dandum Sacerdotem *ad præsentationem Rectoris Ecclesiæ majoris*, si scilicet fundatio, constructio, vel dotatio facta sit ex bonis, & reditibus Ecclesiæ antiquæ; non autem secùs. Cæterùm Ecclesiæ antiquæ competens honor tribuendus est ab Ecclesia noviter erecta, juxta loci facultatem, ut dicitur in c. *ad audientiam* supr. re-

lato; ubi tamen nota, cùm in textu nulla fiat mentio alicujus obligationis, quam nova Ecclesia haberet, respectu antiquæ, nisi juris Patronatus, & competentis honoris, Sacerdoti antiquæ Ecclesiæ nihil aliud deberi à Sacerdote novæ; quare negandum est, quòd nova debeat antiquæ solvere censum aliquem in signum subjectionis, si antiqua non sit Cathedralis; talis enim subjectio nullo jure probatur; nam nulla Ecclesia, exceptâ Cathedrali, habet jure communi fundatam intentionem super subjectionem aliarum, etiam si istæ sitæ sint intra fines ejus, ut jam dictum est in præced.

3690 Si tamen quæratur, in quo consistat ille *competens honor*? R. aliquos (ut videri potest apud Pirhing *h.t. n.* 13.) censere, in eo, quòd Clerici novæ Ecclesiæ vel certis temporibus adire debeant antiquam pro baptismo, scrutinio; aut solvere jura Parochialia, quæ Capellæ de jure, vel consuetudine debent Matrici, juxta *c.* 2. de Capell. Monach. vel quòd ei reservetur jus sepulturæ, &c. cæterùm, videtur dicendum in eo situm esse, quòd specialiter, in ipsa divisione, facta legitimi Superioris Authoritate, constitutum fuit; quod proinde ex ejusmodi conventionibus particularium locorum discendum erit.

ARTICULUS II.

De Ecclesiis reparandis.

3691 CUm frequenter contingat, Ecclesias, vel vetustate collapsas, vel ruinæ periculis fieri obnoxias, aut aliis casibus etiam fortuitis affectas indigere reparatione; difficultas est, quis contribuere debeat expensas, reparationi necessarias, in casu, quo vel nullas, vel non sufficientes habet ipsa Ecclesia pro fabrica conservanda, vel reparanda deputatas? si enim ipsa sufficientes habeat, ab aliis exigi non debent, nisi aliud habeat loci consuetudo. Cæterum 10. *q.* 3. *c. Placuit* 1. dicitur: *placuit, ut nullus Episcoporum per suas diœceses ambulans, præter honorem cathedræ suæ* (id est, duos solidos) *aliud aliquid per Ecclesias tollat: neque tertiam partem ex quacunque oblatione populi in Ecclesiis Parochialibus requirat: sed illa tertia pars pro luminaribus Ecclesiæ, vel reparatione servetur; & singulis annis Episcopo inde ratio fiat. Nam si tertiam partem illam Episcopus tollat, lumen & sarta tecta abstulit Ecclesiæ.*

Deinde in ead. causa & *q. c. Priscis.* 2. 3692 dicitur: Priscis quidem Canonibus erat decretum, ut Episcopus de parochianis Ecclesiis tertiam consequeretur, cui sua pleniſſimè sufficere possunt: placuit hujc Sancto Concilio, ut nullus provinciæ Lusitanæ Episcopus sententiæ hujus terminum excedat, nec à qualibet Parochiana Ecclesia tertiam auferre præsumat: sed quæ exinde consequi poterat, *totum in reparatione basilicarum proficiat.*

Tertio in *c. Decernimus.* 10. ead. *q.* 1. habetur: decernimus, ut antiquæ consuetudinis ordo servetur, & annuis vicibus ab Episcopo diœceses visitentur, & *si qua forte basilica fuerit reperta destituta*, ordinatori ejus *reparari præcipiatur*; quia tertia pars ex omnibus, per antiquam traditionem, ut accipiatur ab Episcopis, novimus esse statutum. Ex istis canonibus habetur, jure saltem antiquo tertiam, quam Episcopi recipiunt ab Ecclesiis sibi subjectis, fuisse reservandam pro luminaribus *& reparatione illarum Ecclesiarum*; adeoque ipsius Ecclesiæ impensis, in eum finem reservatis faciendam ejus restaurationem, cum sumptus proprii sufficerent.

In casu autem insufficientiæ, Rectò- 3693 ctores Ecclesiarum cogi debent ad reparationem necessariam, sin ipsi percipiant partem aliquam ex illis, quæ alias fabricæ deputatur, ut habetur *cit. c.* 10. *q.* 3. *c. Unio* 3. ibi: *Unio nostræ Congregationis decernit, atque instituit, ut tertiæ, quas antiqui canones de Parochiis suas habendas Episcopis censuerunt, si eas exigendas crediderint, ab ipsis Episcopis dirutæ Ecclesiæ reparentur.* Sin verò eas maluerint cedere, ab earundem Ecclesiarum cultoribus sub cura & solicitudine sui Pontificis, reparatio eisdem est adhibenda basilicis.

Quæstio autem est, an idem dicen- 3694 dum sit in casu, quo non percipiunt partem fabricæ? R. quòd sic, ut colligitur ex *c. Ex parte* 4. *de* his, quæ fiunt à majori parte, ubi, cum Archiepiscopus Rothomagensis intimasset Innocentio III. quòd ad restaurandam fabricam Rotho-

magen-

magensis Ecclesiæ tractatum communiter habuerit, & postulaverit ut quilibet Canonicorum, etiam ipso Archiepiscopo concurrente, pariter aliquam suorum redituum portionem operi tam pio, & necessario deputet & quæsivisset ab eodem, num ad hoc præstandum dicti Canonici tenerentur? respondit Pontifex: *statuimus, ut si quis vestrum tuis, frater Archiepiscope, & majoris, & sanioris Capituli statutis, super hoc duxerit resistendum, obtineat sententia plurimorum.* Confirmari potest ex *c. Quicunque*, 1. *h. t.* ibi: *quicunque Ecclesiasticum beneficium habent, omnino adjuvent ad tecta Ecclesiæ restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas.* Deinde ex *c. De his*, 4. eod. ibi: de his, *qui parœciales Ecclesias habent, duximus respondendum, quòd ad reparationem, & institutionem Ecclesiarum cogi debent, cùm opus fuerit, de bonis, quæ sunt ipsius Ecclesiæ, si eis supersint, conferre, ut eorum exemplo cæteri invitentur.*

3695 Ex allatis juribus deducitur 1. quemlibet, habentem beneficium in aliqua Ecclesia, teneri, & cogi posse, ad eam reparandam, si reparatione indigeat, & proprios sumptus sufficientes Ecclesia ipsa non habeat; id, quod procedit non solùm de habentibus Ecclesias parochiales; de quibus specificè loquitur *c. De his*, sed etiam solùm simplicia ut constat 1. de Canonicis Ecclesiarum Cathedralium, ex *c. Ex parte cit.* deinde etiam *c. quicunque*, qui terminus universalis est, ac indefinitè procedit de singulis habentibus beneficium in Ecclesia; ita communis, cum Navarro de spoliis Cleric. §. 8. *n.* 11. Zerola in praxi Episc. *p.* 1. V. *Visitatio.* §. 6. *D.* 9. & alii, ubi tamen nota, id procedere, si non sit consuetudo, quòd populus illam reparare debeat, sive ædificare; quia tunc ad populum pertinebit ædificatio, & reparatio, ut per Hostiens. in præsenti num. 1. Abb. *n.* 3. in dictum *c. quicunque.*

3696 Deducitur. 2. Beneficiatos in casu, quo debent contribuere pro reparatione Ecclesiæ, in qua beneficium habent, teneri solùm pro rata, seu juxta facultatem redituum beneficialium, eorumque duntaxat, qui redundant necessariæ ipsorum sustentationi; nec enim tenentur ad fabricam ultra id, quod facere possunt; unde non coguntur sibi subtrahere necessaria; cùm id expressè notetur in *c. De his*, ibi: *si eis supersint.* Quæri potest, an si beneficiato bona supersint, detractis solùm his, quæ ipsorum necessariæ sustentationi debentur; non autem, si attendatur illorum conditio, & status Ecclesiæ, Rector teneatur ad Ecclesiæ reparationem, de superfluis necessariæ sustentationi: licet hæc non essent superflua, si computarentur in ea, quæ necessaria sunt attentâ ejus conditione, ac statu? respondet Paulus Comitolus *l.* 1. respons. moral. q. 82. concluf. 3. quòd, si bona sustentandæ vitæ supersint, sed non tuendæ conditioni, seu statui, tenetur Rector ad reparationem, quia beneficiorum fructus non ad creandos, aut augendos, seu fovendos mundanos titulos, seu status collecti sunt; sed ad pauperes alendos, & divinum cultum instituendum, atque augendum.

Cæterùm, in reparatione Ecclesiæ 3697
Cathedralis; si ipsa non habeat sufficientes sumptus, (nec alia sit loci consuetudo) solùm Episcopus ad eam tenetur ex quarta redituum suorum, *c. decernimus*, de quo n. sup. sic Archidiaconus, Beroius, Belletius & alii, quos citat, & sequitur Barbosa in *c.* 1. *h. t. n.* 5. idque non tantùm futurorum sed etiam præteritorum; ita Surdus consil. 62. n. 23. & Rota decis. 627. n. 2. si autem non sufficiant, compelli possunt Canonici ad contribuendum de superfluis reditibus suarum præbendarum, vel aliarum rerum Capituli *c. ex parte*, de quo n. 3694. si autem nec hoc sufficeret, posse tunc adstringi ad ejusmodi subsidium reliquos Ecclesiarum beneficiatos, ut tradit Lambertinus de jure patron. *l.* 3. *q.* 2. *a* 2. *n.* 4. & alii; vel ad tempus applicare reditus beneficiorum vacantium, servato tamen juris ordine, si nimirum prædicta non sufficerent, ut censuit Rota decis. 627. n. 5.

In aliis autem non Cathedralibus, ad 3698
reparationem, non sufficientibus propriis Ecclesiæ impensis, ad fabricam destinatis, nisi aliud habeat consuetudo, ut monuimus supra primo loco tenebuntur Rectores talis Ecclesiæ juxta dicta à n. 3695. in horum insufficientia, populus, & omnes, in quorum commodum

talis Ecclesia est, nimirum Parochiani in tali Ecclesia, Sacramenta, & alia quæcunque divina percipientes; sic Lambertinus *cit. l.* 3. *q.* 2. *a.* 2. *n.* 4. quia, cùm hoc fit opus, & commune, concernens omnium utilitatem, & necessitatem, justum est, ut & onus sentiant sublevando indigentiam Ecclesiæ, à qua commodum recipiunt. Sed hoc procedit solùm de Ecclesiis Parochialibus, ut pat. ex ratione decidendi.

3699 Dubitari potest, an quando Ecclesiæ parochiales sunt simul patronatæ, ac egentes reparatione, si de suo non habeant sufficientes reditus in eum finem, num Patroni ad hoc contribuere teneantur? Lambertinus *cit. q.* 4. 7. *n.* 5. sentit Patronum ex aliqua familia non teneri; quia ex prima fundatione, constructione, & dotatione acquisitum est Jus Patronatûs, cap. *à nobis*, de Jure Patron. fecit enim, quod debuit & habuit, quod à jure inductum est, scilicet Jus Patronatus, nec ad aliud tenetur. Contrarium tamen videtur statutum in CC. Trid. Sess. 21. de Reform. c. 7. ibi: *Parochiales verò Ecclesias, etiamsi Juris Patronatus sint, & ita collapsas refici, & instaurari procurent ex fructibus, & proventibus quibuscunque ad easdem Ecclesias quomodocunque pertinentibus*; qui, si non fuerint sufficientes, *omnes Patronos*, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum, Parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant, quacunque appellatione, exemptione, & contradictione remotâ. Quod si nimia egestate omnes laborent, ad Matrices, seu viciniores Ecclesias transferantur, cum facultate tam dictas Parochiales, quàm alias Ecclesias dirutas in profanos usus non sordidos, (erectâ tamen ibi cruce) convertendi; ubi tamen nota id procedere solùm de illis Patronis, *qui fructus aliquos ex illis Ecclesiis percipiunt.*

3700 Illud etiam ad extremum notandum, Beneficiatos non solùm teneri ad fabricam, sed etiam ad ornamenta, calices, pluvialia, & alia quæcunque paramenta, sic Bellettus disquisit. Clerical. part. 1. tit. de Clerico debitore, §. 14. n. 1. nimirum illa, sine quibus divina decenter celebrari nequeunt, cùm reditus ex bonis Ecclesiæ percipiant, propter ministerium spirituale, non utcunque, sed revera *decenter* peragendum; quod tamen intelligendum venit, inspectâ consuetudine legitimâ; nam consuetudo Parochianorum, reparandi, & ornandi Capellam, liberat Rectorem à paramentis, & est compellendus populus ad talem consuetudinem observandam. Nam in hac materia primitus inspicitur & attenditur observantia, & quid hactenus consueverit.

ARTICULUS III.

An, & qualiter mutari possit status Ecclesiarum.

QUæstio 1. est, an Ecclesia *secularis* 3701 mutari possit *in Regularem*? R. Præter ea, quæ diximus à n. 174. hanc quæstionem etiam Urbano III. esse propositam, ut habetur in c. *ad audientiam.* 5. h. t. ab eo, qui ex Ecclesia *secularis* per electionem assumptus fuit ad Ecclesiam *Cathedralem, ac in ea cupiebat ordinari Canonicos regulares*; sic enim loc. cit. loquitur Urbanus, ad audientiam nostram jam pridem pervenit, quòd tu in Ecclesia de Cologia, de qua in Episcopum vocatus, & electus fuisti, *Regulares Canonicos ordinare, & eorum institutioni, de bonis, tibi collatis, congruè velis providere.* Inde siquidem est, quòd tuum nos desiderium, atque propositum multimodis laudibus commendantes, devotioni tuæ Authoritate Apostolicâ indulgemus, ut juxta votum tuum Canonicos regulares in Ecclesia præscripta (si tibi in hoc Episcopus diœcesanus consentit) ad honorem DEI, & Ecclesiæ tuæ, secundùm beati Augustini regulam valeas ordinare; & eos ibidem, nullius contradictione, & appellatione obstante, instituere. Unde, si Clerici seculares in ea fuerint, qui adhuc superesse noscantur, volumus, ut eis, dum vixerint, ibi, vel alibi necessaria secundùm consuetudines provideantur. Licet autem vicini tui nobis instantius supplicarent, quatenus in Ecclesia præscripta, jure Confirmationis, Privilegium faceremus de Canonicis, tuæ in hac parte devotioni de jure non possumus deferre; cùm nulli Canonici

nici adhuc ibidem existant, quibus Privilegium indulgeatur, eis utique, cùm fuerint instituti, tam in his, quàm in aliis, precum tuarum obtentu, in quibus cum DEO poterimus, libentius deferemus.

3702 Ex hoc textu communiter deducitur, quòd Canonici regulares possunt in Ecclesia Cathedrali, Papâ concedente, cum consensu Ordinarii institui, dummodo Clericis sæcularibus, qui supersunt in illa Ecclesia, nullum fiat præjudicium, & consequenter, quòd Ecclesia Collegiata secularis in aliam Collegiatam, vel Conventualem *Regularem* mutari potest; sic cum aliis Stephan. Gartian. *disceptat. forens. tom.* 3. *cap.* 473. *n.* 2. Ex cod. c. *ad audientiam* addit Gonzalez n. 2. quòd, sicuti Canonici regulares consentiente Episcopo seculares fieri possunt, ita etiam ex secularibus regulares fieri valent, cum Capituli consensu c. *si Episcopus* 12. *q.* 2. Verùm, hoc dici non potest; nullus enim Episcopus, jure suo, solvere potest vinculum religiosæ professionis, esto Regularis persona vellet, & consentiret, ut transeat in statum Clerici secularis. Videtur igitur solùm accipiendum non de personis, sed de Ecclesiis, ut sensus sit: Ecclesiam talium personarum posse recipere mutationem statûs, ut de seculari fiat regularis, nimirum sic, ut ei, cui deservierunt prius Clerici seculares, ei deinceps ministretur per Regulares, provisione tamen facta illis, si qui adhuc supersint. Qualiter autem etiam aliis modis (v. g. præscriptione) mutari possint status Ecclesiæ, ut de seculari transeat in Regularem, vel contra? diximus supr. à n. 174.

Quia verò in dicto *c. ad audientiam* 5. *h. t.* de quo *n.* 3701. ille Canonicus Ecclesiæ secularis, vocatus ad Episcopatum alterius Ecclesiæ, non tantùm desiderabat in illa Ecclesia, *de qua* fuit assumptus in Episcopum, canonicos Regulares instituì, consequenter etiam Ecclesiam *Regularem* effici; sed etiam petiit, hoc sibi licere; &, *ut privilegium confirmationis Canonicis ibi instituendis Papa concederet*, & Pontifex annuit, ut, si consentiret Episcopus diœcesanus, sub qua erat dicta Ecclesia, in Regularem transferenda per novum Episcopum, id posset; ad postremum tamen postulatum de privilegio respondit, *se id jure facere non posse; cùm nulli Canonici adhuc ibi existant quibus privilegium concedatur.*

Ex hac autem resolutione deducunt 3703 communiter Doctores, Collegio, vel Communitati *nondum existenti*, non posse concedi privilegium, ut præter alios notat Vivianus in Rational. *l.* 3. *pag.* 432. Alagon. in Compend. juris Can. *pag.* 547. & alii, nisi Pontifex, vel Princeps suppleat quoscunque defectus, & solemnitates aliàs requisitas, si per eum supplebiles sint; Gonzalez ad 8. reg. Cancellar. *Gloss.* 12. *n.* 75. nisi concedatur cum clausula, *ut incipiat habere vires, quando erectum fuerit*; sic Gonzalez *cit. Gloss.* 5. §. 7. *à n.* 96. Hinc in ejusmodi privilegiis semper spectandus est verborum tenor, consonus intentioni concedentis.

Ex quo fit, quod si Princeps alicui Gymnasio Scholarium concedat privilegium humaniores, *instar alicujus Academiæ* v. g. Græcensis, sciens, inibi solùm haberi sex Classes, & erigendas cum tempore scholas altiores, prout exponebat supplicatio, dicatque expressè, *se scholis, jam ibi existentibus, privilegium, instar nominatæ Academiæ concedere*, privilegium tenebit, non primum ex tempore, quo erectæ fuerint omnes altiores scholæ; sed *ex tunc*, quo verificatur: *Scholis in eo Gymnasio tunc existentibus*, nam in hoc non deficit Collegium seu Communitas, cui concedatur; sicut fuit in casu *c. ad audientiam*, de quo *n.* 3701. in fine. Frustra igitur tale privilegium, & intentionem Principis, alii Judices, à quorum jurisdictione Scholares eximuntur, impugnant, volentes, hos isto jure speciali non gaudere, *cùm nondum in tali loco sit Academia*; privilegium enim dicit, **denen jetzt auffgerichten Schulen/** sed tunc non erat ibi Academia; ergo.

QUÆ-

QUÆSTIO XLIX.

IN TITULUM XLIX.

DE IMMUNITATE ECCLESIARUM, COEMITERII, ET RERUM AD EAS PERTINENTIUM.

3704 *Immunitas* in genere est libertas, vel exemptio cujuscunque muneris personalis, & mixti. In *tit. 25. Cod. lib.* 10. sumitur pro *exemptione tributorum*, quæ Imperatori, Regi vel Principi, vel pro publica utilitate, aut urgente necessitate præstantur. Cœterùm *immunitas Ecclesiastica*, teste Sylvestro V. *eodem* est libertas concessa Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis, & rebus ad eas spectantibus: vel est privilegium Ecclesiasticæ libertatis, vel personarum, aut rerum ad eam pertinentium: proindeque videtur Immunitas cum libertate coincidere. Suarius *lib.* 4. contra errores Angl. *cap.* 1. pro explicandis nominibus Ecclesiasticæ immunitatis, libertatis, & exemptionis, notat *immunitatem in genere* sic describi: *est privilegium, quo res aliqua, vel persona à communi aliqua obligatione, seu onere eximitur.* Habetur ex L. *Munus* 18. ff. de verb. sign. & ex parte subjecti triplex est, nempe *locorum*, *personarum*, & *bonorum.* Ex hoc sequitur, quòd gaudentes immunitate Ecclesiastica, immunes, ac liberi sint à præstandis oneribus, vel etiam subeundis officiis secularibus, omnique subjectione relatè ad Superiorem cui cœteroquin secluso tali privilegio subessent; ubi tamen nota, quòd nomine immunitatis Ecclesiasticæ veniant solum exemptiones illæ, quæ toti statui Clericorum, vel omnibus locis, aliisque rebus DEO particulariter dicatis communes sunt; sic Thomas Delbene *c.* 1. de Immun. Eccles. dub. 1. n. 4. de quo plura jam diximus *l.* 1. *à n.* 616. his præmissis:

ARTICULUS I.

De Immunitate locali.

CUm Immunitas Ecclesiastica triplex 3705
sit, *Realis*, quæ rebus seu bonis ad Ecclesiam, vel Clericos pertinentibus; *Personalis*, quæ ipsis personis Ecclesiasticis concessa est; primò loco dicemus, de immunitate Ecclesiarum, seu locali, ubi not. *nomine Ecclesiarum* hoc loco venire omnem locum pium, ad DEI cultum ordinatum consecratione, vel benedictione, vel aliâ Ecclesiasticâ deputatione, v.g. per crucis erectionem, de quo agitur *c. Ecclesiæ* 9. *h. t.* ibi: *Ecclesiæ, in quâ divina mysteria celebrantur, licet adhuc non extiterit consecrata, nullo jure privilegium immunitatis adimitur*: quia *obsequiis divinis dedicata, nullius est temerariis usibus profananda*, quo habetur, Ecclesiam, *etiam non consecratam*, si in ea divina celebrantur, gaudere Ecclesiasticâ immunitate locali; quia sic est jam dedicata obsequiis divinis; sed de hoc plura V. *à n.* 3720. quibus positis:

Quæstio est, an immunitas Ecclesia- 3706
stica sit juris tantùm humani? Immunitatem Ecclesiasticam quoad Ecclesias, personas Ecclesiasticas, earumque bona, esse non tantùm juris *Ecclesiastici*, sed etiam *civilis*, ostendimus *lib.* 1. *à n.* 617. in quæstione autem an eadem sit *juris etiam divini*? ibid. *a n.* 641. in purè spiritualibus esse juris divini *immediate*; quoad Ecclesias verò & personas Ecclesiasticas, earumque res temporales, esse pariter juris divini, *mediatè tantùm*, nimirum *traditi*, *& explicati per Ecclesiam*; vel

vel juris Ecclesiastici non utcunque, sed per illud introducti *DEO sic dictante, & præcipiente*, ubi etiam respondimus ad ea, quæ in contrarium opponuntur.

§. 1.

De Immunitate, seu Jure Asyli.

3707 IMmunitas, seu *jus asyli* est privilegium, Reis concessum, per fugam ad Ecclesiam, declinandi forum. Ad hujus rectam expositionem not. 1. propter varios in hac materia abusus, Gregorium XIV. expediviſſe Bullam, editam 28. Maji, Anno 159 incip. *Cùm aliàs nonnulli*, in qua, tanquam jure noviſſimo, proponuntur, quæ circa confugientes ad Ecclesiam obſervanda ſunt. In principio Bullæ ait: Cùm aliàs nonnulli Prædeceſſores ſui & præſertim felic. record. Sixtus Papa V. nec non Pius etiam V. ſancto zelo ducti, diverſas facultates, & indulta, *extrahendi etiam in caſibus quibuſdam à Jure non permiſſis, ex Eccleſiis criminoſos, & delinquentes, compluribus ſecularibus Principibus, eorumque Curiis, & Magiſtratibus, ſub variis modis, & formis conceſſerint*, prout in illis plenius continetur; experientiâ verò poſtea docuerit, tum ob diverſitatem, & differentiam hujuſmodi indultorum, tum *quia plerique eorundem Principum Miniſtri, ex hoc ipſo illa diverſimodè, etiam latius, quàm par erat, & ad ſuum libitum interpretandi occaſionem arripuerunt, illiſque abuti cæperunt*, ſubortam eſſe non mediocrem in aliquibus locis, libertatis, & Immuntiatis Eccleſiaſticæ perturbationem, & confuſionem: *alibi verò, ne ipſos quidem Laicos indultis hujuſmodi uti voluiſſe, aut potuiſſe, quòd populis inveteratâ erga Eccleſias reverentiâ devotis & aſſuetis, ſcandali potius, quàm quietis occaſionem præberent.*

3708 Deinde ſubjungit §. *Illud etiam*, dicens: *illud etiam abſurdum ſæpe numero ſecutum eſſe, ut infimæ interdum conditionis Laici non modò Juris, ſed etiam literarum penitus ignari, & imperiti (dum quaſi poteſtates, & Miniſtri Curiæ ſecularis in aliquo Caſtro, aut Oppidulo jurisdictionem exercebant) facultatum, & indultorum hujuſmodi limites longè exceſſerint, eaque ſuo arbitratu in ſenſus minus rectos, & ab intentione concedentis omnino alienos detorſerint*, & illorum prætextu, quidquid ſibi in mentem venit, attentare præſumpſerint, in grave jurisdictionis & Immunitatis Eccleſiaſticæ præjudicium, *locorum & perſonarum, divino cultui dicatarum, contemptum, ipſius divinæ Majeſtatis offenſam, & ſcandalum plurimorum.*

Ob has cauſas, §. *Quare*, conclu- 3709
dit, ſe pro commiſſo ſibi à domino Paſtoralis officii munere, prædictis abſurdis, & ſcandalis obviare, ac differentias hujusmodi *ad uniformem regulam reducere, omnemque dubitandi, ac perperam interpretandi occaſionem*, dilucidâ declaratione *ſubmovere, abuſus tollere*, & ne Eccleſiaſtica jura planè conculcentur, & negligantur, *opportunè providere* decreviſſe, (prout etiam dictus Sixtus Prædeceſſor noſter, iiſdem de cauſis motus ſtatuere decrevit, licet, morte præventus, hoc adimplere nequiverit) *ita tamen*, ut, quando præſens temporum calamitas, *& nimia, quæ jam invaluit perverſorum hominum malitia*, id expoſcit, aliquid etiam *ad terrorem delinquentium*, & ad coërcenda eorum facinora, ultra id, quod priſca illa Majorum noſtrorum diſciplina, & vetus Sacrorum Canonum norma præſcripſerit in quibusdam caſibus, congruâ moderatione adhibitâ, permittamus, quo poſito.

In §. *Hac itaque* ſic loquitur: hac 3710
itaque noſtrâ perpetuò valiturâ conſtitutione, *omnia, & quæcunque privilegia, indulta & gratias, tam per prædictum Sixtum ac Pium V. quàm alios quoſcunque noſtros Prædeceſſores, aut noſmetipſos, Sedemque Apoſtolicam, ejusque Legatos, ſuper abducendis, vel extrahendis, ab Eccleſiis, Monaſteriis, Sacellis, Domibus regularibus, & ſecularibus, locisve ſacris, aut Religioſis, aliaſque in caſibus jure permiſſis, hominibus certorum tunc expreſſorum, vel non expreſſorum criminum Reis, aut fraudulentis decoctoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono, pace & quiete publica, & ex cauſis urgentiſſimis, ac neceſſariis, & æquipollentibus caſibus in jure expreſſis, atque ex paritate, identitate, aut Majoritate rationis extenſis, perpetuo, vel ad certum nondum elapſum tempus quomodolibet conceſſa, etiam iteratis, ac*

multiplicatis vicibus approbata, & innovata, ac usu recepta, literasque Apostolicas, sub plumbo, aut in forma Brevis, seu aliàs quomodocunque desuper confectas (quarum tenores hìc haberi volumus pro expressis, ac ad verbum insertis) sublatâ penitus omni differentia; *ita ad unam tantùm formam reducimus, & moderamur*: ex quo patet sublatis Privilegiis à Prædecessoribus in hac materia concessis, *formam* in materia Asyli Ecclesiastici, jure novo constitutam esse sequentem, prout verbis formalibus in Bulla exprimitur in §. *Ut Laicis.*

Nimirum, ut *Laicis* ad Ecclesias, locaque sacra, & religiosa prædicta confugientibus, *si fuerint publici Latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, publicasque strata obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis earumve Cœmiteriis committere non verentur*; aut, *qui proditoriè proximum suum occiderint*; aut *assassini*, vel *hæresis, aut læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis Rei, Immunitas Ecclesiastica non suffragetur*, quo §. continentur crimina excepta, hoc est, illa, quibus deinceps Privilegium Ecclesiastici asyli non suffragatur, & quidem sub præcepto, ne Ecclesiastici Reos istorum criminum, asyli titulo defendant, sed modo in eadem Bulla, ut sequitur præscripto:

3711 Hinc in §. *Sed universis*, addit, post §. præcedent. ibi: sed universis & singulis Venerabilibus Fratribus nostris, Patriarchis, Primatibus, Archi-Episcopis, Episcopis, cœterisque Ecclesiarum & Monasteriorum Prælatis, tam sæcularibus, quàm cujusvis Ordinis Regularibus, districtè præcipiendo mandamus, & præcipimus, *ut Laicos in casibus prædictis delinquentes, ad eorum Ecclesias, Monasteria, domos, & alia loca supradicta sacra, seu religiosa respectivè, confugientes, & in eis se recipientes, atque morantes*, qui prædicta delicta, *eorumque aliquod, judicio suo*, commisisse videbuntur (quando à Curia sæculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus) *Ministris, & Officialibus Curiæ sæcularis, absque irregularitatis nota*, aut *alicujus censuræ Ecclesiasticæ incursu, tradi, & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat*; sed modo, quo sequitur.

Ne autem fiat abusus hujus facultatis 3712
in §. *Ne autem*; adhibet hanc, & sequentes cautelas, *ne Curiæ sæculares, prædictâ Ministri facultate illos per se, & propriâ Authoritate extrahendi, & abducendi sibi olim*, ut præfertur, *attributâ, & per præsentes revocatâ abutantur, volumus, dictaque Authoritate decernimus, & declaramus, ut Curia sæcularis, ejusque Judices, & Officiales*, ab Ecclesiis, Monasteriis, Locisque sacris prædictis, Laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem, *in nullo ex casibus supra dictis (sine expressa licentia Episcopi, vel ejus Officialis) & cum interventu Personæ Ecclesiasticæ, ab eo authoritatem habentis* (ad quos solos & non alios Episcopis inferiores etiamsi alii Ordinarii sint, aut nullius diœcesis, aut Conservatores ab hac Sede specialiter, vel generaliter deputati,) prædictam licentiam dandi facultas pertineat.

2. Ut occurrente casu *in loco exempto*, & *nullius diœcesis*, tunc ad Episcopum viciniorem devolvatur hæc cognitio, & non ad alios, & capere, extrahere, aut incarcerare non possint, nisi eo casu, *quo ipse Episcopus, & dicta Persona Ecclesiastica requisita, illos in delictis superius expressis, culpabiles, tradere, aut captura, & carcerationi intervenire & assistere recusârint*; tuncque *reverentiæ, Ecclesiæ, & locis sacris debitæ memores* prædictos delinquentes, minori quo id fieri poterit scandalo, & tumultu extrahere curent.

3. Quod delinquentes *Laici* prædicti, postquam, ut præfertur, ab Ecclesiis locisque extracti, & capti fuerint, ad carceres Curiæ Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto, & firmo carcere, ac opportunâ custodiâ, datâ illis, si opus fuerit, per Curiam secularem, detineri debeant, nec inde extrahi, *Curiæque sæculari prædictæ consignari, nec tradi possint, nisi cognitio prius per Episcopum, seu ab eo deputatum* (an ipsi verè crimina superius expressa commiserint?) *tuncque demum, de mandato Episcopi, per faditum*

Ecclesia-

Ecclesiasticum, Curiæ seculari, quacunque appellatione sepositâ, *consignentur*.

4. Quòd *de crimine hæresis, cognitio ad forum Ecclesiasticum tota pertineat; neque in ea Curia secularis se* quoquo modo *intromittat*; & subinde prohibet, ne contra Ecclesiasticas personas, seculares, aut cujusvis Ordinis vel militiæ, etiam S. Joannis Hierosolymitani regulares, *quoquo modo*, etiam vigore prædictorum Privilegiorum, Indultorum, aut Concessionum, *quæ omnia ad terminos juris per præsentes reducimus, procedant, aut se intromittant*, illasve ab Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, Locisque sacris aut religiosis, etiam in casibus, *in hac constitutione expressis*, extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoscere de criminibus, ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, aliàs, quàm de jure & per privilegia eisdem Ordinibus aut militiis concessa, permittitur, quomodolibet præsumant.

3714 Post hæc, in §. *Quod si*, statuit pœnas transgressoribus hujus constitutionis, ibi: Quòd si quis *quacunque* dignitate, & authoritate præditus, præmissorum, aut *alio quovis prætextu quidquam, præter*, aut *contra* hujus nostræ Constitutionis tenorem attentare præsumpserit, *declaramus*, eum ipso facto censuras, & pœnas easdem incurrere, quæ contra libertatis, juris, & immunitatis Ecclesiasticæ violatores, per sacros Canones, & Conciliorum generalium, nostrorumque Prædecessorum constitutiones, sunt promulgatæ; Sicque, *per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos*, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, *sublatâ eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, in quavis causa & instantia*, judicari, & definiri debere; nec non *irritum decernimus & inane*, si secus super his *per quoscunque, quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari*.

3715 Concludit demum efficacissimis clausulis, derogatoriis omnibus, quæ huic constitutioni suæ *quoquo modo* contrariantur, ibi: *non obstantibus præmissis* tam Sixti, & Pii V. quàm aliorum quorumcunque Prædecessorum nostrorum literis Apostolicis, privilegiis, indultis, & facultatibus, quibusvis personis, etiam *Imperiali, Regiâ, Ducali, aut aliâ quavis dignitate, & authoritate fulgentibus*, aut Rebuspublicis, Dominiis, Regnis, Provinciis, Civitatibus, Terris, & Locis, eorumve Curiis, Parlamentis, Senatibus, Consiliis, Communitatibus, Universitatibus, Collegiis, aut Præsidentibus Proregibus, Gubernatoribus, Locumtenentibus, Vicariis, Potestatibus, aliisque Magistratibus, Officialibus, Ministris, aut Consiliariis, ex prædictis, vel aliis *etiam gravioribus, & urgentioribus causis* tam illorum intuitu, & contemplatione, sive ad eorum preces, & instantiam, quàm etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac per modum statuti, & legis perpetuæ, *etiam in vim contractûs*, & Fratrum nostrorum consilio, sub quibuscunque tenoribus, & formis, & cum quibusvis præservativis restrictivis mentis, attestativis, derogatoriarum dorogatoriis, aliisque validissimis, & efficacissimis, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & aliis decretis, etiamsi inibi caveatur expresè, quòd illis, nisi sub certis modis & formis, nisi de expresso eorum consensu, ad quorum favorem concessæ fuerint, derogari possit, & aliter factæ derogationes nullius sint roboris, vel momenti, & aliàs quomodolibet concessis, etiam sæpius approbatis, & innovatis. Quæ *omnia, & singula*, ac illorum tenores pro expressis habentes, *quatenus præmissis in aliquo adversentur, aut plures, quàm superius expressos, casus contineant*, Authoritate & tenore præmiss. *omnino, ac perpetuò tollimus, & abrogamus, ac ad terminos præsentis Constitutionis*, (quoad superius descripta) *duntaxat reduximus*, & nolumus, cuiquam de cœtero suffragari, & qualibet aliâ dictæ Sedis indulgentiâ generali, vel speciali, per quæ præsentibus non expressa, vel ad verbum non inserta, effectus earum quomodolibet valeat impediri. Ut autem præsentes literæ ad omnium notitiam faciliùs deducantur, &c. Hæc Innocentius, juxta cujus constitutionem, in hac materia novissimam, procedendum.

An porrò hæc Immunitas localis sit 3716
Juris divini? an humani tantùm? jam præmisimus responsionem nostram à n.

3706. censet tamen Haunoldus *tom.* 2. *tr.* 1. *n.* 141. standum pro jure solùm humano, rationem efficacem judicat inde sumi, dicens: vel loquuntur Adversarii de jure divino *antiqui testamenti*, vel *novi*? si *novi*: nullum possunt afferre textum, quo Christus hoc constituerit; si *antiqui?* illud fuit Privilegium concessum templo illius legis, Privilegium autem illud non constat esse extensum ad nostra templa. Itaque loquendo de Jure divino positivo, non est fundata sententia affirmans. Æque parùm potest esse vera de Jure divino naturali. Nam, ut optimè discurrit P. Franc. Suarez *tom.* 1. *lib.* 3. *de Relig. c.* 8. *n.* 9. non est per se, & intrinsecè malum, malefactores de templo extrahere, alioquin in nullo casu liceret, quod repugnat juribus adductis. Ergo, nisi fiat formali intentione *in contemptum templi*, non est ex vi operis irreverentia, aut injuria templi, adeoque non ideo prohibetur, quia ex se malum est, sed ideo malum est, & in tantum, in quantum prohibetur. Ad summum ergo dictat ratio naturalis, esse consentaneum dignitati illius loci, ut ei hoc Privilegium concedatur.

3717 Deinde, præveniens responsionem contrariam, n. 142. sic loquitur: si quis diceret, ex perpetua traditione colligi, & haberi, quòd Christus hanc immunitatem instituerit, facilè refutabitur, tum quia hæc traditio gratis confingitur, quandoquidem Doctores non solùm eam nunquam agnoverunt; verùm etiam contrarium constanter asseruerunt, & ipsi Canones relati attribuunt hanc immunitatem constitutioni Conciliorum; tum per regulam generalem, quòd Christus (ut discurrit Suarez) nullas leges ceremoniales Ecclesiæ suæ tribuerit, præter substantiales ritus Sacrificii, & Sacramentorum: reliquas ceremonias & Sacra, per suos Vicarios disponenda reliquit, ut est Ecclesiarum benedictio, consecratio: & denique, modum hujus immunitatis, ejusque determinationem ad loca, personas, delicta, effectus &c. ad Ecclesiam spectare, patet ex juribus allatis. Non aliter ergo potest dici esse Juris divini, nisi remotè, & radicaliter, quatenus data est Ecclesiæ potestas eam instituendi: sic ille.

Sed, quidquid sit de efficacia rationis; 3718
v. illam immunitatem esse juris divini, *etiam novi testamenti*, privilegio antiqui testamenti per illud etiam stabiliti in lege gratiæ, non textu claro in sacris literis expresso, ut diximus; sed vel tradito, vel per Ecclesiam explicato ex præcepto divino. Nec ex eo, quòd non possit assignari textus scriptus, quo id Christus constituerit, sequitur non esse juris divini positivi à Christo conditi; cùm plura sint, quæ non sunt scripta, cæteroquin traditionibus nulla esset fides, dicentibus aliquid à Christo constitutum esse, licet id affirmarent summi Pontifices, & Concilia; at immunitatem *localem esse juris divini*, affirmant Summi Pontifices, & Concilia, non obligantis *in vi antiqui testamenti*, qua talis, sed recepti pro lege gratiæ: ergo etiam ex hoc non probatur, non esse *juris divini* non scripti, sed traditi: vel explicati per Ecclesiam ex præcepto Christi.

Cæterùm, etsi jus civile plurimum 3719
assistat huic immunitati, ut alibi ostendimus, in ejus tamen extensione, vel restrictione in pluribus discordat à jure Canonico, prout videri potest *lib.* 1. *Cod. Tit.* 12. de his, qui ad Ecclesiam fugiunt, vel ibi exclamant; &, ne quis ab Ecclesia extrahatur: Quia tamen ad forum Ecclesiasticum spectat, statuere de illis, quæ ad reverentiam Ecclesiis debitam pertinent, in hac materia, ubi jus civile contrariatur juri Canonico, & huic Bullæ; attendi debet jus Canonicum, ac ejus interpretatio, & quia, quod circa istam immunitatem constitutum est, habet rationem privilegii inserti juri communi, continentis directè favorem divini cultus per Ecclesiarum reverentiam, dispositio hujus privilegii communis simpliciter favorabilis est, licet consequenter præjudicet Reipublicæ temporali, quod exinde delicta quandoque maneant impunita; & homines audachus peccent; his præmissis:

DUBI-

DUBIUM I.

Quibus locis competat privilegium Asyli Ecclesiastici.

3720 REsp. ex *c.* 9. hoc tit. de quo *n.* 3705. constare, id concedi omni loco pio, *ad DEI cultum ordinato*, consecratione, vel benedictione, vel aliâ Ecclesiasticâ deputatione; hinc ut competat Ecclesiæ, satis est, eam esse authoritate Episcopi erectam, etsi necdum consecratam, ut patet ex claro textu *c.* 9. *in n.* 3705. quod verum est, licet in ea necdum divina, vel Missæ celebratæ sint; & quamvis dicatur in textu, *si in ea divina officia celebrantur*; rectè tamen intelligitur, si ad hoc apta sit, qualiter alia loca, *solâ deputatione Episcopi*, fiunt religiosa, ut colligitur ex *c.* 4. de Religios. domibus, præsertim, cùm talis Ecclesia nondum consecrata polluatur exercito in ea actu aliquo, quo aliàs Ecclesia polluitur, licet in ea nunquam adhuc celebratum sit; ita Sanchez *l.* 6. Consil. *c.* 1. *D.* 7. *n.* 2. ibi: *& hoc videtur verius*; pro eadem sententia referens Sylvestrum, Covarr. Jul. Clarum, & alios.

3721 Quæstio ulterior est 1. an eâdem immunitate gaudeant hospitalia? 2. Oratoria? 3. Ecclesia interdicta? 4. polluta? 5. Cœmiterium? 6. dormitorium Clericorum commune, vel Regularium? 7. apprehendens portam, vel ansam portæ Ecclesiæ clausæ? 8. an Palatium Episcopi? 9. Ecclesia destructa? 10. domus habitationis Clericorum? 11. Domus Cardinalium? 12. Janua, & porticus Ecclesiæ, aut Cœmiterio connexæ? 13. Fugiens ad Sacerdotem manibus deferentem sacram Eucharistiam? 14. An Reus secum deferens aram portatilem ex Altari ad quod profugit? 15. An Monasteria, & Conventus Regularium? 16. An Ecclesia nondum perfectè constructa, & absoluta? 17. Ad quem ambitum hoc locale Privilegium se extendat?

3722 Ad 1. R. affirmativè, si sint Authoritate Episcopi erecta; sic enim *sunt divinis obsequiis dedicata*, quæ ratio in c. 9. h. t. (de quo sup.) redditur, propter quam locale Privilegium conceditur, ita Sanchez *l.* 6. *Consil. moral. c.* 1. *D.* 7. *n.* 2. relatis ibid. pluribus aliis, qui tamen limitant, ut hoc procedat, si talia sint, ut nec destrui possint, sine Episcopi Authoritate, quòd aliàs non censeantur lòca propriè religiosa. Ad 2. affirmant Sylvester, Tabiena, Angles, Armilla, & alii apud Sanchez cit. loc. Nam, ut tradit citatus Thomas Delbene c. 16. sect. 1. hoc Privilegium extenditur ad quemcunque locum pium Authoritate Episcopi erectum; sic enim *deputatus est pro divinis obsequiis*. Verùm hoc non procedit *de Oratoriis*, erectis Authoritate privatâ, licet in illis Missæ celebrentur, cùm possint ad usus profanos converti, nec Episcopus habeat Jus visitandi, vel procurationes exigendi, Delbene cit. c. 16. dub. 9. s. 12. à n. 1.

Ad 3. & 4. R. quòd sic; nam effectus 3723
interdicti, & pollutionis, seu violationis Ecclesiæ, ultra id, quod jure expressum est, extendi non debet, at nullibi expressum est, quòd *interdictum*, aut *Ecclesiæ violatio*, locum, de se divinis obsequiis deputatum, privet immunitate Asyli, sicut nec excommunicatum eâ privat excommunicatio; impedimentum igitur, quod per ea præstatur, est solùm in ordine ad officia divina, & sepulturas fidelium, non autem ad securitatem præstandam fugientibus ad Ecclesiam, ita Sanchez cit. & alii cum illo communiter.

Ad 5. R. affirmativè, dummodo sit 3724
consecratum, vel benedictum, sive sit contiguum Ecclesiæ, sive non, ut colligitur ex *c. fin. h. t.* ibi: *in ipsis Ecclesiis, vel earum cœmiteriis*, & constitutione Gregorii XIV. ibi: *Monasteriis, domibus, locisque sacris, vel religiosis*, ut habetur à *n.* 3710. at inter hæc est tale *cœmiterium*, ergo; sic communis. Ad 6. affirmativam sequitur Sanchez *cit. n.* 2. cum Navarro in Manuali *c.* 25. *n.* 17. arg. sumpto ex *c. cùm pro causa*, de sent. excommunicat: ubi excommunicatus fuit Archidiaconus, causâ violatæ immunitatis Ecclesiasticæ, duplici excommunicatione, &, *quòd manus violentas injecerit in Succentorem*, & *quòd in communi Clericorum dormitorio.*

Ad 7. R. quòd sic, ita Sanchez cit. 3;
cum Covarr. & aliis, nam licet talis, qui

portæ manubrium, vel ansam apprehenderet, eò quòd ingredi non possit, non esset *intra Ecclesiam*, esset tamen in illa magis, quàm si esset in cœmiterio, 2. quia talis ordinariè est *intra* concavum, vel sub porticu Ecclesiæ, at existens in tali loco, est in loco Asyli per n. 3705. ergo & ille, nec enim requiritur, quòd ambiatur ab Ecclesia; unde etiam existens supra ipsum tectum Ecclesiæ, dicitur in loco Asyli Ecclesiastici, cùm hoc nomine veniat tota Ecclesiæ fabrica, ut dicemus in seqq.

3726 Ad 8. affirmat Sanchez cit. & apud eum complures alii, ex c. *Id constituimus, quod* 17. q. 4. *est.* 17. ibi: *id constituimus observandum, quod Ecclesiastici Canones decreverunt, & lex Romana constituit, ut ab Ecclesiæ atriis, vel domo Episcopi, Reos abstrahere omnino non liceat: sed nec alteri consignare, nisi ad Evangelia, datis Sacramentis, de morte, & debilitate, & omni pœnarum genere, sint securi: ita ut ei, cui Reus fuerit criminosus, de satisfactione conveniat; quod, si quis Sacramenta sua convictus fuerit violasse, Reus perjurii non solùm à communione Ecclesiæ, omnium Clericorum, verùm etiam à Catholicorum convivio separetur.* Cœterùm in ordine ad hanc quæstionem de Palatio Episcopi, notandum, quòd, ut refert Covarr. *l.* 2. *variar. resol. c.* 20. aliqui non aliter hanc immunitatem Palatio Episcopi concedant, quàm si constructum sit intra Ecclesiæ matricis quadraginta passus; quos Oldradus sequitur, & praxis forensis frequenti omnium consensu; at teste eod. Covarr. communis sententia tenet oppositum, quam sequitur Innocentius, Panorm. Host. Henricus, Navar. Greg. Lopez. D. Anton. Sylvester, Glossa.

3727 Ad 9. R. cum distinctione, an sit destructa Episcopi Authoritate, sine spe reædificationis? vel sine illa, & cum spe reædificationis? in primo casu non gaudebit hoc privilegio; secùs, in secundo, nam in primo desinit esse *deputata* divinis obsequiis; non in secundo; sic Julius Clarus *cit n.* 6. & alii. Ad 10. R. affirmativè, quando contiguæ sunt Ecclesiæ, vel saltem intra 30. vel 40. passus ab ea, per c. *quisquis quod* 17. q. 4. *est* 21. ibi: *Sacrilegium committitur, si quis confregerit Ecclesiam, vel* 30. *Ecclesiasticos passus, qui in circuitu Ecclesiæ fuerint; vel domos, quæ intra prædictos passus fuerint, aliquid tale auferendo, vel diripiendo &c.* sic Navarrus cit. n. 18.

Ad 11. respondet Sanchez cit. affir- 3728
mativè, fortè ex consuetudine. Ad 12. R. quod sic; quia quidquid pertinet ad fabricam, seu ædificium loci gaudentis hac immunitate, tanquam pars ejus, eadem gaudet, ut dicemus in seqq. Ad 13. major DD. pars affirmat, ut videri potest apud Sanchez cit. n. 3. qui rationem assignat, quia, licet hoc in Jure non sit expressum; quia tamen hoc templis conceditur ob eorum reverentiam, cùm major debeatur corpori Christi, fit ut à fortiori hac gaudeat, secus tamen esset dicendum, ubi captus in carceribus, ad Eucharistiam, quæ in carcerem adducitur, fugeret, ita Host. & cœteri per Covarr. citati. Idem tenet Haunoldus *tom.* 6. *tr.* 1. *n.* 156. si apprehenderet Sacerdotem ferentem per plateas sacram Hostiam.

Quintana duenas in singularibus Theol. 3729
Moral. Tract. 4. singul. ult. n. 1. proponit hunc casum, qui in facto contigit: cùm quis ad patibulum duceretur, Sacerdos ad eum accessit, afferens in pectore absconsam sacram Eucharistiam, parvâ pixide inclusam, & illam manifestavit, ac Reus amplexatus est Sacerdotem ostendentem: dubitatum fuit, an ille à supplicio liberandus sit, Ecclesiæque tradendus? Ad hoc dubium respondet: si loquamur de casu, quo talis Reus amplectitur Sacerdotem, *publice deferentem* sacram hostiam, perinde gaudere, ac si ad Ecclesiam confugeret, in eaque existeret, pro qua opinione ibid. refertur Hostiensis, Joannes Andreas, D. Antonin. Archidiaconus, Guilielmus de Monte, Oldradus, Angelus, Albertus, Imola, Jason, Corset. Antonius Gomez, Covarruvias, & Clarus, quos citat & sequitur noster Petrus de Gambacurta *l.* 4. de imm. *c.* 6. *n.* 4. communemque vocat hanc sententiam Navarrus *c.* 4. *n.* 18. & magis communem esse refert Farinacius *t. p. crim. q.* 28. *n.* 11.

Deinde ad casum, de quo in dubi- 3730
tatione agitur, si deferret hostiam in pixide absconditam, ac manifestaret, & Reus sic Sacerdotem apprehenderet, pariter

riter *n.* 3. respondet affirmativè, id plu-
bus confirmans, quod insinuasse sufficiat. Nec obstat, privilegia non esse extendenda ultra casum expressum; nam ad hoc respondet Layman de immunit. Eccles. *c.* 3. *n.* 4. cum Abbate, extendi posse privilegium ultra casus, ubi valde rationabiliter præsumi potest de voluntate privilegiantis. Nec obstat. 2. quòd, ut volunt Contrarii expeditissima via aperiretur Sacerdotibus, ut facillimo negotio liberarent à morte, quem maluissent; siquidem exiguam hostiam, consecratam ab ipsis eo die, quo executioni mandandum foret supplicium; possent ita occultè custodire, & cum ea ad Reum accedere sub prætextu eum exhortandi, vel alio quæsito colore: ad hoc enim respondet citatus Author *n.* 9. non ita expeditam dari occasionem Sacerdotibus ad liberandos prædicto modo Reos: cùm, præter gravissima peccata, quæ committunt in custodienda, & afferenda sic hostia consecrata, maximo supplicio à Judice Ecclesiastico infligendo, se exponent.

3731 Quod verò dicitur, seditiosis hominibus, ac aliis criminum perpetratoribus ingentem dari per hoc occasionem ad plura perpetranda crimina (quia pœnam mortis non timerent, scientes se taliter liberari posse, si amicum Sacerdotem, vel Diaconum haberent, qui ipsorum gratia hoc exequeretur, & saltem non deesset, qui pecuniæ præmio stimulatus id faceret) negandum est, per hoc seditiosis ansam dari liberius peccandi, cùm hæc liberatio rarò contingere possit, & Judices seculares, si eam timent, facilè cavere valeant, non admittendo Reis alium Sacerdotem, quam qui comitari debet. Ad 14. affirmat Quintanaduen. loc. cit. à n. 7. casu raro & singulari, qui in castris contigit.

3732 Ad 15. communis est affirmativa, & quidem secundùm omnia, quæ intra eorum septa sunt, ut est claustrum, dormitorium, hortus, ambitus, porticus, &c. hinc istud Privilegium afficit totam Monasterii fabricam; quia licet non sint loca sacra in hoc, ut pollui, aut violari possint, sicut Ecclesiæ, reputantur tamen in aliis sacra, & religiosa etiam per leges, ut habetur L. 3. C. de his, qui ad Eccles. ibi: *quidquid fuerit interjacens, sive in cellulis, sive in domibus, hortulis, balneis, atque porticibus, confugas interioris templi vice tueantur.* Et ratio est, quia *quæ religiosis adhærent, religiosa censentur. L. pateant.* C. de his, qui ad Eccles. ex L. *quæ religiosis ff. de rei vindicat.* & c. *si quis in atrio* c. *Id constituimus.* 17. *q.* 4. id quod etiam constat ex Constit. Gregorii XIV. in n. 3707. tum ipso usu, & praxi.

Ad 16. affirmativè cùm Panormitano 3733
in c. 9. h. t. eo ipso enim, quòd ædificium, Episcopi Authoritate cœptum sit, censetur divinis obsequiis dedicatum sine reditu ad profanos usus. Ad 17. R. ad hujus Privilegii extensionem non venire solùm interius corpus Ecclesiæ, seu totum illum ambitum, qui intra Ecclesiam clauditur; sed totam Ecclesiæ fabricam, & alia illi conjuncta, velut Sacristiam exterius ei annexã, cœmiterium, & similia adjuncta, id, quod utroque jure probatur, & 1. *Jure Canonico.* 17. *q.* 4. *c.* 20. ibi: *si quis contumax, vel superbus timorem DEI, vel reverentiam sanctarum Ecclesiarum non habuerit, & fugientem servum suum, vel quem ipse persecutus fuerit, de atrio Ecclesiæ vel de porticibus, quolibet modo, Ecclesiæ adhærentibus, per vim abstraxerit, pro immunitate nongentos solidos Episcopo componat: & ipse publicâ pœnitentiâ justo judicio Episcopi mulctetur.*

Jure autem *civili L.* 3. *C.* de his, qui 3734
ad Eccles. ibi: *pateant summi DEI templa timentibus, nec sola altaria, & oratorium templi circumjectum, qui Ecclesias quadripartito parietum septu concludit, ad tuitionem confugientium sancimus esse proposita; sed, usque ad extremas fores Ecclesiæ, quas oratorium gestiens populus primas ingreditur, confugientibus aram salutis esse præcipimus, ut inter templum, quod parietum descripsimus cinctu, & post loca publica, & januas primas Ecclesiæ, quidquid fuerit interjacens sive in cellulis, sive in domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus, confugas, interioris templi vice, tueatur; Nec in extrahendos eos conetur quisquam sacrilegas manus immittere &c.* Hanc autem spatii latitudinem ideò indulgemus, ne in ipso DEI templo, & sacrosanctis altaribus, confugientium quemquam manè vel vesperè cubare vel pernoctare liceat.

Quæstio 18. est, ad quantum spatium 3735
Reus semel jam in Ecclesia receptus, causâ necessitatis naturæ, egredi possit à fabrica talis Ecclesiæ, salvo nihilominus jure

asyli

asyli Ecclesiastici etiam tunc eum defendentis? R. hanc quæstionem fieri posse, vel spectato jure scripto, vel attentâ consuetudine. Attento *jure scripto* de hoc ita statutum est 17. *q.* 4. *c.* 6. *sicut antiquitus à SS. Patribus statutum est, statuimus, ut Major Ecclesia per circuitum* 40. *passus habeat, capellæ verò, vel minores Ecclesiæ* 30. si verò spectetur consuetudo, tradunt Covarr. & Clarus *cit. q.* 20. *n.* 34. hodiernis moribus id non esse receptum, intellige quod *dictam* extensionem localem, tam amplam.

DUBIUM II.

De delictis exceptis, seu excludentibus à privilegio Asyli Ecclesiastici.

3736 EX *n.* 3710. constat, octo esse classes delinquentium (aliis volentibus tantùm 7.) quibus privilegium Asyli Ecclesiastici non suffragatur; nimirum, 1. si fuerint publici latrones; 2. si nocturni depopulatores, 3. si grassatores viarum; 4. si commiserint homicidium vel mutilationem in Ecclesia, vel cœmiterio; 5. si commiserint homicidium proditoriè factum; 6. si assassinum; 7. si sint hæretici; 8. si commisserint crimen læsæ Majestatis humanæ, in ipsam Principis personam.

3737 Circa hæc *not.* 1. quòd hæc octo crimina *duntaxat*, consequenter illa, & nulla alia à prioribus adæquatè distincta, privent Reos Privilegio Asyli Ecclesiastici quantumvis gravia sint, & enormia, ut patet à n. 3702. ibi: concessorum à Prædecessoribus Privilegiorum tenores pro expressis habentes, quatenus præmissis in aliquo adversantur, *aut plures, quàm superius expressos casus contineant*, authoritate & tenore præmissis, omnino, ac perpetuò tollimus, & abrogamus, ac omnia & singula *ad terminos præsentis constitutionis, quoad superius descripta duntaxat*, reducimus, sublatâ qualibet aliter interpretandi facultate quibuscunque.

3738 *Not.* 2. ab illis 8. delictis nullum licitè aut validè, ex quacunque *etiam urgentissima causa, etiam ob majoritatem rationis*, fieri posse argumentum ad alia crimina, quantumcunque gravia, ut, sicut illa, sic & ista Reos excludant à Privilegio Asyli Ecclesiastici, constat ex §. *hac itaque* in n. 3710. ibi: *etiam in odium eorum delictorum, & pro bono pacis, & quietis publicæ, & ex causis urgentissimis ac necessariis, & aquipollentibus casibus, in jure expressis, atque ex paritate, identitate, aut Majoritate rationis extensis*; & sequitur ex præced. n. ibi: *superius descripta duntaxat*; quare si argumentum fieret ad unum ex non descriptis superius, v. g. *Sodomiam*, &c. jam non verificaretur illud: *superius descripta duntaxat*, hoc est, illa, & non alia, ab illis adæquatè distincta.

Not. 3. *Magiam*, quâ talem, non esse 3739
crimen *exceptum*, adeoque *Magum* non posse violentè, seu vi ab Ecclesia extrahi, authoritate Laicorum. Anteced. constat ex n. priori. Neque hoc asseruit Delrio disquisit. mag. *l.* 5. *f.* 7. §. *Capi sortiarios*, ut voluit quidam Laicus, qui suspectum *de magia*, primùm ex domo æditui, *sita intra cœmiterium*, deinde etiam *ex ipsa Ecclesia*, vi extraxit, tanquam non gaudentem jure Asyli, *quòd magus esset*, allegatâ illius scriptoris Authoritate. Ibi enim solùm dicit Delrio, eos capi posse, propter *alia* crimina, quibus *plerumque*, seu ut *plurimùm* sunt infecti (ergo non ex vi *magiæ præcisè*, quæ stat sine illis, ut pat. ex ejus verbis, *ut plurimum*) de quibus, si excepta sunt, rectè loquitur: aliud igitur est, *magos* capi posse propter *alia* crimina *excepta*; aliud, propter crimen *magiæ*, præterquam, quòd Laici, etiam *exceptorum criminum Reos*, de Asylo Ecclesiastico *ipsi* extrahere nullo modo valeant, sed extraditionem, *causâ per Episcopum cognitâ*, ab isto modestè petere debeant, ut constat ex n. 3712.

Not. 4. in casu, quo urget obser- 3740
vantia hujus constitutionis Gregorianæ, non valere exceptionem Laicorum, opponentium, *non esse usu receptam*, nisi prius occurrerit *casus legis*, & per actus alios priores in contrarium illi actum sit. Unde rectè docet Castropalaus *tom.* 1. *tr.* 3. *D.* 1. *de Leg. p.* 13. *n.* 3. si tempus instet observandi legem, non posse observantiam præteriri, *prætextu non acceptationis*; his præmissis:

Quæstio 1. est, quid hic inter crimi- 3741
mina excepta veniat nomine *latronis publici*? prout subjicitur huic pœnæ, & contra distinguitur *à grassatore viarum*? R. diversas esse opiniones Doctorum. *Grassatores*, ait Pereyra in Elucid. l. 2. elucid. 10. l. 6. n. 928. dicuntur, qui *in vadendo cum violen-*

violentia, extra occisionem tamen, spoliant, ac diripiunt; grassari enim est cum impetu, & concitatione ad aliquid incedere: *Latrones* verò, *qui aggrediuntur ad prædandum interficiendo.* Grassatorem viarum à latrocinio publico distinguit Haunoldus tom. 6. tr. 1. n. 195. quod hoc exerceatur *extra* urbes; illud verò *intra* urbem. Cœterùm à pluribus & *grassari per vias*, & *latrocinari publicè*, pro eodem accipitur, & importat actum frequentatum eorum, qui publicas vias obsident, ad viatores transeuntes, paratis insidiis interficiendos, vel spoliandos, propterea solùm excepta esse crimina censentes, nisi dicas per grassatores viarum intelligi, qui prædando & spoliando vias publicas itinerantium insecuras reddunt; latrones autem, qui non tantùm prædando, & spoliando, sed etiam occidendo, sive in viis publicis, sive etiam in domibus, ac ædibus privatis.

3742 Quæstio altera est, quid hic veniat nomine *nocturni Depopulatoris agrorum*? respondet Pereyra cit. n. 929. quòd is, qui viam publicam obsidet dispoliando viatores, differt à publico latrone, quia clandestinè rapit, & occultatur in loco. Unde, quia in nocte segetes destruit, dum ibi se abscondit, jacet, & latet, nomen positum sortitur. Pirhing h. t. n. 19. ex Innocentio in c. *Inter* 6. h. t. V. *Nocturnus*; & Hostiens. ibid. V. *Depopulator* ait: Sic dici eum, qui agros alienos accedit, & de nocte segetes destruit, vel comburit, dum ibi se abscondit, vel latet. De hoc agitur c. *Inter alia* jam cit. ubi, *cùm Rex Scotiæ quæsivisset à summo Pontifice*, quid de illis fieri debeat, qui maleficia pertractantes confugiunt ad Ecclesiam, ut pro reverentia sacri loci debitas pœnas valeant evitare? rescripsit Pontifex: Nos Tuis quæstionibus respondentes juxta sacrorum statuta canonum, & traditiones legum civilium, ita duximus distinguendum: quòd fugiens ad Ecclesiam aut liber, aut servus existit. *Si liber*? quantumcunque gravia maleficia perpetraverit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus, nec inde damnari debet ad mortem vel ad pœnam, sed Rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra & vitam. Super hoc tamen quod inique fecit, est aliàs legitimè puniendus: *& hoc verum est, nisi publicus latro fuerit, vel nocturnus depopulator agrorum*, qui dum itinera frequentat, vel publicas stratas obsidet, aggressionis insidiis, ab Ecclesia extrahi potest, impunitate non præstitâ, secundùm canonicas sanctiones: Si verò servus fuerit? qui confugerit ad Ecclesiam, postquam de impunitate sua dominus ejus clericis juramentum præstitit, ad servitium Domini sui redire compellitur etiam invitus, alioquin à domino poterit occupari.

Circa istum textum nota 1. quod in 3743
hoc textu, concedente privilegium Asyli Reis confugientibus ad Ecclesiam, expresè fiat mentio *hominis liberi*, sine distinctione, an sit *Laicus*? an *Clericus*? adeoque vi juris antiqui Asylo etiam Ecclesiastico gaudere videantur *Clerici*, Rei criminis non excepti. An autem idem dicendum sit jure novo? constabit ex seqq. Not. 2. quod *diurnus* depopulator agrorum, jure antiquo non fuerit exclusus à privilegio Asyli Ecclesiastici, cùm textus in c. *Inter* expresè loquatur *de nocturno*; sed attentâ Constitutione Gregorii XIV. omissam esse illam vocem restrictivam *Nocturnus*; nec obstat, quòd aliqui dicunt, quòd sit subintelligenda, quia non videtur voluisse corrigere Gregorius jus antiquum, & commune. Verùm hoc non videtur probare. Nam ex ipsa Bulla constat, quod Gregorius aliquos casus superaddiderit illis, qui in jure communi excepti erant.

Quæstio 3. est, quid hic veniat nomine 3744
mutilationis? R. *mutilationem* propriè, prout contra distinguitur à *debilitatione*, esse illam detruncationem, seu abscissionem alicujus *membri*, quæ omnimoda sit, nec sufficiat aliquem claudum, vel mancum efficere absque membri detruncatione: nec cœcũ, si oculus non eruatur. *Membrum* est omne id, quod in corpore nostro distinctam habet operationem, ut oculus, auris, nasus, lingua, manus, pes, ita Covarr. in Clem. *si furiosus p. 3. init. n. 3.* Jacob de Graff. *in aureis decis. lib. 2. cap. 26. n. 4.* & Henriquez *in Summ. lib. 4. cap. 8. §. 1. Membri* autem appellatione venire mamillam fœminæ; at non digitum, nec dentes, nec auriculam (scilicet cartilaginem auris) nec barbam, sive accipiatur pro capillis, sive

pro mento, tradit cum multis Barbos. *de appell. verborum appell.* 146. Unde abscindens fœminæ mamillâ fit irregularis, teste Molinâ *tom.* 4. *tr.* 3. *D.* 69. *n.* 6. at irregularis non fit abscindens digitum etiam pollicem, ut ait Bonacina *de cens. disp.* 7. *q.* 4. *punct.* 8. *n.* 3. nec abscindens auriculam, ut tenet Avila *de cens. p.* 7. *D.* 5. *sect.* 1. *dub.* 1.

3745 Quæstio est 4. an in §. 3719. ubi Pontifex Gregorius inter excepta crimina numerat *mutilationem, vel homicidium factum in Ecclesia, vel cœmiterio*, hæc crimina specificet solùm *exempli causa*, sic, ut quælibet gravia crimina in Ecclesia perpetrata intelligantur excepta? an verò solùm illa specificè expressa? Primum complures affirmant ex c. *fin. de Immunit. Eccles.* ubi Gregorius IX. Toletano, & Compostellano Archiepiscopis scribens: *nonnulli*, inquit, *immunitatem suorum excessuum per defensionem Ecclesiæ obtinere sperantes, homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, vel earum cœmiteriis committere non verentur: qui, nisi per Ecclesiam, ad quam fugerint, crederent se defendi, nullatenus fuerant commissuri.* Cùm autem *in eo, in quo delinquit, puniri quis debeat; & frustra legis auxilium invocet, qui committit in legem*, mandamus, quatenus publicè nuntietis, *tales non debere gaudere immunitatis privilegio, quo faciunt se indignos.*

3746 Ex hoc textu deducunt Doctores, quòd delinquens *in Ecclesia*, illius immunitate non gaudeat, non solùm si in ea *homicidium*, aut *membri mutilationem* commiserit; sed etiam, *si alia delicta, ut puta adulteria, & virginum raptus patraverit*; ita docent in præsent. Hostiens. in verbo *homicida*, n. 3. vers. *dicas ergo*; Joan. Andr. n. 5. in verbo *membrorum*, Anchar. *n.* 1. *notab.* 1. Abb. *n.* 9. Anan. *post. n.* 1. Gutier *d. q.* 1. *n.* 17. Decius Card. Tusch. verbo *immunitas. concl.* 59. *n.* 4. *&* 5. Suar. *dict. lib.* 3. *c.* 11. *n.* 6. quos citat, & sequitur Barbos. in dict. *c. fin. n.* 4. quando scilicet ex proposito, & sub spe impunitatis quis in Ecclesia deliquit; secùs, si non deliberatè, & ex proposito, ut puta casu, vel in rixa, quando nimirum, (*ut notat. Aloys. Riccius in praxi Aurea resol.* 157.) spes immunitatis est causa finalis ibi delinquendi. *Sub spe* autem *immunitatis dicitur quis delinquere in Ecclesia*, quando ex electione, & proposito delinquit, ut cum aliis resolvit Aloys. Riccius *dict. resol.* 157. *n.* 2.

Sed contrarium dicendum est jure novo 3747
Constitutionis Gregorianæ, derogantis omnibus Prædecessorum suorum dispositionibus in materia criminum excludentium ab Asylo Ecclesiastico, quoad ea, quæ in sua Constitutione, circa excepta crimina decrevit; ex hoc enim tale conficitur argumentum: jure illius constitutionis illa *duntaxat* crimina excludunt ab Asylo Ecclesiastico, quæ in sua Constitutione *nominatim*, ac *specificè* expressit, quin ab illis licitè fiat extensio, seu argumentum, ex quacunque etiam urgentissima causa, vel ob paritatem, identitatem, aut majoritatem rationis, sublatâ omni facultate mentem suam aliter interpretandi, ut habetur §. *quod si* n. 3714. & in §. *Ut Laicus* in n. 3710. ubi agit de criminibus, quæ excludunt ab Asylo, *quod commissa sint in Ecclesiis*, nominatim, ac specificè exprimit *mutilationem*, vel *homicidium*, non distinguendo, an sit factum *spe immunitatis*, sed simpliciter; & absolutè; ergo mutilatio & homicidium *duntaxat* (si patratum sit in Ecclesia) excludit ab Asylo Ecclesiæ; non autem alia crimina, etiam in Ecclesia, & spe immunitatis in ea obtinendæ patrata, spectato jure novo Constitutionis Gregorianæ.

Quæstio 5. est, quid hic veniat appel- 3748
latione *homicidii proditorie facti?* v. homicidam *proditorium* hic dici eum, qui occidit aliquem ex improviso, ex insidiis, aut nihil tale prudenter suspicantem; seu, qui non potuit prævidere, aut rationabiliter sibi cavere à tali homicidio, eo quòd non præcesserit gravis offensa, vel non constiterit de rancore animi, v. g. qui alium à tergo aggreditur, vel socium mensæ, aut itineris, absque ulla prævia rixa, vel contentione; unde occisor proditorius sui proximi, etiam secundum alios ille est, qui illum incautum, nihil sibi præcaventem, per insidias, & industriam occidit, præsertim, si cum illo amicitiam simulabat. Talis proditor censetur, qui alterum occidit venene; sic

sic Delbene *cit. c.* 16. *D.* 20. *s.* 2. *n.* 1. Sanchez in Opusc. *tom.* 2. *l.* 6. *c.* 1. *D.* 7. *n.* 26. Castropalaus *tom.* 2. *tr.* 11. *D. unic. p.* 9. *n.* 26. Layman. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 3. *n.* 8. intelligè, si sub specie amicitiæ contingat; proditio enim simulatione fit. Unde requiri ad hoc, quòd occisor simulaverit se amicum, hoc est, non inimicum, & sic omnem timorem, & cautelæ studium amoverit ab occiso, ne sibi caveret, dicitur declarâsse Clemens VIII. per Breve ad Archiepiscopum Panormitanum. 6. Febr. 1597.

3749 Hinc sequitur. 1. eum, qui occidit veneno inimicum, non præcedente ulla simulatione amicitiæ, vel saltem non inimicitiæ, non privari Asylo; 2. nec eum, qui occidit in duello; 3. nec eum, qui non per insidias: nec qui per insidias solùm vulneravit animo occidendi: si non præcessit simulatio amicitiæ, ac insidiæ, cùm utrumque requiratur juxta complures, quamvis rectius *amicitiæ simulatio insidiarum loco*, sufficiat. In casu autem, quo inimicus, alteri reconciliatus hunc assecuravit de non occidendo, postea tamen nihil tale metuentem, rancore redeunte illum improviso perimit, videtur valde probabile, censeri homicidam *proditorium*, si alter non potuit prudenter cogitare, ejusmodi rancorem rediturum; sic Haunoldus cum aliis *tom.* 6. *tr.* 1. *n.* 216. Ab homicidio proditorio excipiunt aliqui occisionem hominis *infidelis*, sed textus expresse loquitur de illo, *qui proditorie occidit proximum suum*, sed immeritò, nam etiam infidelis est *noster proximus*, quem jubemur diligere, & non perdere.

3750 Quæstio 6. est, quid hic veniat appellatione *Assassinii*, prout hoc crimen subjicitur pœnæ privationis Asyli Ecclesiastici? de hoc crimine in CC. generali Lugdunensi sub Innocentio IV. (ut habetur c. *Pro humanis* 1. *de homicid. in* 6. *§. Sacri*) extat hæc constitutio: Sacri approbatione Concilii statuimus, ut *quicunque Princeps, Prælatus, seu quævis alia Ecclesiastica secularisve persona, quempiam Christianorum, per prædictos assassinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit (quamquam mors ex hoc forsitan non sequatur) aut eos receptaverit, vel defenderit, seu occultaverit, excommunicationis, & depositionis à dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio incurrat sententias ipsofacto: & illa liberè aliis per illos (ad quos eorum collatio pertinet) conferantur; sit etiam cum suis bonis omnibus, tanquam Christianæ religionis æmulus, à toto Christiano populo perpetuò diffidatus; & post quam probabilibus constiterit argumentis aliqué scelus tam execrabile comisisse, nullatenus aliæ excommunicationis, vel depositionis, seu diffidationis, adversus eum, sententiæ requiratur.*

Pro explicatione not. quòd in jure ca- 3751
nonico *Assassini*, ut tradunt Navar. *cap.* 27. *n.* 13. & Azor *tom.* 3. *l.* 2. *cap.* 17. accipiantur dupliciter. 1. *latè*, & sunt *servi* sub domino aliquo existentes, qui occidunt aliquos, conducti pretio. 2. *strictè* ac *propriè*, & sunt servi quidam infideles, sub ditione alicujus domini ita persuasi, ut credant honestum, & licitum esse occidere, quem dominus suus jusserit, quomodocunque & quacunque causa jubeat, & non esse id omittendum, quamvis ob id eosmet occidi oporteat. Communis tamen sententia est Bartoli, Antonii Gomez, Gregorii Lopez, & aliorum apud Molinam *tr.* 3. *D.* 25. *n.* 2. *Assassinorum* nomine intelligi quòscunque, sive Christiani illi sint, sive non, qui pretio alios proditoriè occidunt. Quin Carrer. *in pract. de homic. §.* 1. *n.* 13. *& §.* 5. *n.* 5. addit. *Assassinos* dici, si de mandato alterius aliquem interimunt, nullo eis præmio proposito, sed solùm ut mandanti placeant.

Ex hac expositione sequitur. 1. si res 3752
promissa (etiam exigua) conducto fuit *principale* motivum occidendi, talem Assassinum privari asylo; sic enim est verè *assassinus*; exiguitas enim pretii non minuit, sed auget malitiam tam inhumani facti. 2. id procedere, si occidit, solâ spe rei promissæ, etiam nondum traditæ; nam & in hoc casu invenitur tota, imò major malitia tam crudelis facti, quod Ecclesia intendit punire dicta privatione Asyli; secus tamen est, si occidat spe *præmii*, sed nullâ etiam intercedente promissione; & hoc non propterea, quòd non occidat ex obligatione pacti pretii (hæc enim ad malum non datur) sed ex

eo, quòd non præcesserit ullum mandatum, vel promissio saltem sub conditione facti.

3753 Difficultas est, si taliter conductus pretio, occidat infidelem? an & in hoc casu ratione hujus delicti privetur asylo? videtur dicendum, quòd *non* 1. ex dict. §. *Sacri*, in n. 3750. ubi textus expresè loquitur de occisione hominis *fidelis*, ibi: *ut quicunque quempiam Christianorum* &c. & quamvis Constitutio Gregoriana (ut constat ex n. 3707.) indefinitè loquatur, & non expresserit ly *fidelem*, vel *Christianum*; censet tamen Haunoldus *tom. 6. tr. 1. n. 225.* Pontificem ibi *Assassinum* accepisse in sensu c. 1. de homicid. in 6. juxta §. *Sacri*.

3754 Verùm Haunoldus, in quæstione, an vi constitutionis Gregorianæ ab Asylo excludatur depopulator agrorum *diurnus*? *n.* 194. respondet, attentâ Constitutione Gregoriana rem esse admodum dubiam; quia in hac est omissum ly *nocturnus*, quod in jure communi exprimitur, ut diximus, & tandem concludit prætermissis aliorum probationibus pro comprehendendo etiam *diurno*; & subjungit *ex ipsa Bulla constare*, quòd Gregorius aliquos casus superaddiderit illis, qui in jure communi excepti erant: sed hæc ratio prorsus eodem modo applicari potest de assassinio, seu occisione hominis *infidelis*. Accedit, quòd expressio illa *quempiam Christianorum* in §. *Sacri*, non videatur apposita *restrictivè*, sed solùm *responsivè* ad quæstionem propositam, quia Pontifex decisionem suam pœnalem in dict. §. *Sacri*, non videtur fundare, præcisè in horrenda inhumanitate, & detestanda sævitia *occidentium Christianum*; sed in ipso *crudeli facto, quo non tantum corpora, sed etiam animæ sic peremptorum intereunt.*

3755 Quæstio est 7. quid inter crimina excepta veniat nomine *Hæresis*? R. Non venire hæreticum merè materialem; nec etiam toleratum; ut notat Delbene *cit. dub. 22. n. 6.* & alii. Cùm simus in materia odiosa.

Quæstio demum est 8. quid hìc veniat appellatione *criminis læsæ Majestatis humanæ* in ipsam *Principis personam*? tota quæstio resunditur eò, qui censeantur actus, continentes crimen læsæ Majestatis humanæ *in personam Principis*? Nam per istos terminos clarè insinuatur, non omne crimen *læsæ Majestatis humanæ* esse crimen exceptum; sed si sit *in personam ipsius Majestatis humanæ*. De crimine læsæ Majestatis in genere, videri potest Haunoldus *tom. 6. tr. 2. an. 159.*

Quid verò importet crimen *in ipsius* 3756 *Principis personam*? tradit *tr. 1. n. 231.* ex Delbene sæpe cit. dicente: id fieri exercendo actionem aliquam positivam in damnum, & offensam Principis v. g. occidendos vulnerando, percutiendo, conjurando, machinando, hostiliter insequendo personam Principis, revelando hostibus secretum Principis, ut ab illis capiatur; adde, etiam calumniando Principem. Idem dicendum de consulentibus, auxiliantibus, vel favorem præstantibus. Secus dicendum censet de eo, qui ex post facto ratum habet, quod ab alio actum est contra Principem (dummodo hæc ratihabitio non de novo lædat Principem) & qui semerè negativè habet, v. g. non impediendo actionem, cùm posset, non revelando, quod scit perpetrandum; nam isti non influunt positivè: quare etsi committant fortè crimen læsæ Majestatis, & ideo sint obnoxii aliis pœnis huic crimini constitutis, immunitate tamen probabiliter non privarentur, quamvis non minus probabilis sit opinio Farinacii, & Marii Ital. talem carere immunitate.

Pro ulteriori notitia advertendum: 3757 ut crimen læsæ Majestatis in ipsius Principis personam, incurrat pœnam privationis asyli Ecclesiastici, requiri, quod sit commissum à talis Principis subdito ratione originis, vel domicilii; non autem sufficere, quod sit subditus primò factus ratione talis delicti in ejus territorio commissi; quia crimen læsæ Majestatis prout subjicitur pœnæ in hac quæstione, videtur ex eo denominari, quòd subditus agat graviter contra reverentiam suo Principi ratione originis, vel domicilii debitam; adeoque supponit *subditum antecedenter*, sic Haunold. *cit. n. 232.*

DUBIUM III.

An, præter enumerata delicta, etiam alia privent asylo Ecclesiastico?

ANte resolut. not. Virginum Raptori- 3758
bus negari dictum asylum, Novella

17.

17. Deinde idem censeri ab aliquibus de Sodomitis, de furante in Ecclesia, & aliis, de quodvis crimen grave committentibus in Ecclesia, vel cœmiterio, spe immunitatis Ecclesiasticæ, qui potissimum fundantur. 1. in identitate, vel majoritate rationis. 2. in *c. fin. h. t.* Sed ad hoc jam responsum est, à *n.* 3747. *& seq.* Quare dicendum, præter crimina specificè, ac nominatim expressa in Constitutione Gregorii XIV. (de qua à n. 3707.) nullum esse, quod privet jure asyli Ecclesiastici; nec in hoc casu juvare identitatem, vel majoritatem rationis ex n. 2747. cùm dictus Pontifex, abrogatis omnibus Antecessorum Constitutionibus (in quantum huic suæ, subprescriptæ formæ in hac materia contrariantur) expressè contrarium statuerit; quibus positis:

3759 Quæstio ulterior est. 1. an, qui deliquit in una Ecclesia, privetur asylo in qualibet? 2. an, qui postquam deliquit in Ecclesia, etiam extra illam committit aliud crimen, nec propter hoc, eo casu, gaudeat immunitate? 3. an privetur asylo, qui spe immunitatis ex proposito deliquit prope Ecclesiam? 4. an, si existens in Ecclesia jaculatione occidat existentem extra Ecclesiam? 5. an quis existens extra Ecclesiam per vim ab Ecclesia extrahit, & occidit alium? 6. an existens in porticu Ecclesiæ, occidens alium extra illam? 7. an fugitivus ex carcere, vel manibus Ministrorum? 8. an deprehensus in flagranti scelere intra Ecclesiam?

3760 Ad. 1. affirmat Pirhing *h. t. n.* 22. ex Sylvestro V. *Immunitas.* 3. *q.* 2. *dict.* 3. sed rectè negativè, nisi crimen sit unum ex his, quæ specificè sunt expressa in Constitutione Gregorii XIV. Unde jure novo nec procedit illud, quod Pirhing *cit. n.* 21. tradit, quòd, quando in *c. ult.* h. t. à delictis, quæ non privant Asylo, & excipit homicidium, vel mutilationem in Ecclesia, vel cœmiterio, ea exceptio comprehendat quæcunque alia delicta gravia in locis sacris commissa; nam hoc fallit, si non sint delicta in Constitutione Gregorii XIV. expressa, cujus ratio est ex dictis. n. 3715.

3761 Nec obstat, quod assumit ex decisione c. *finalis* h. t. afferentis rationem generalem, quæ se extendit ad omnia delicta gravia, nimirum, *quod quis in eo, quo deliquit, puniri debeat; & frustra legis auxilium invocet, qui deliquit in legem*, ex hoc volens, hic locum esse illi regulæ, quod ubicunq; ratio legis generalior est, & latior, quàm id quod dicitur, & disponitur in lege; tunc ipsa dispositio legis, secundum latitudinem rationis, est extendenda, juxta L. *regula* 9. *ff. de jur. & fact. ignor.* ubi Gothofred. lit. A & B. ait: generali ex principio, vel ratione lex generalis putanda est, etiamsi in ipso progressu lex ipsa speciei unius exemplo utatur; quia exempla non restringunt regulam. Nec obstat, quòd in pœnalibus non sit facienda extensio, etiam ob identitatem rationis, juxta sententiam magis communem. Nam hoc non procedit, quando agitur de puniendis delictis publicis: tunc enim censetur esse materia favorabilis, cùm Reipublicæ interesit, ne delicta maneant impunita L. *ita vulneratus* 41. *§ fin. ff. ad Leg. Aquil.* vel quando ratio est expressa in ipsa lege, quæ etiam in aliis casibus non expressis locum habet; tunc enim etiam in pœnalibus fit extensio, ob identitatem rationis, ut docent plures apud Fagnan. *in cit. c. ult. n.* 13. *&* 14. *hoc tit.* quamvis tunc propriè non fiat extensio legis: sed casus etiam non expressus in ipsa lege comprehendatur, ut alibi dictum.

Hoc, inquam, non obstat in casu præsenti, nam his omnibus, quæ adducit dictus Author, derogatum est expressè per Constitutionem Gregorii XIV. statuendis, ut privatio immunitatis, *nec propter identitatem, vel majoritatem rationis, porrigatur ad alia crimina, quàm duntaxat expressa in sua Constitutione, etiam ex urgentissimis causis*, ut constat ex dict. à n. 3715. Deinde, quod assumit, non concludit *per necessè*, cùm, ut ostendimus *l.* 1. *decret. tit.* 1. *de Constit.* ex P. Suarez, Legislator, etiam ex ratione communi pluribus, possit nihilominus non omnia ex eadem ratione prohibere; sed tantùm aliqua sibi visa; cùm in legibus condendis tam pœnalibus, quàm merè præceptivis *liber* sit; ex eo igitur, quòd in casu *non expressè prohibito* inveniatur eadem ratio, quæ *in expressè prohibito*, solùm sequitur, & illum *esse dignum* prohiberi; non autem *actu prohibitum*, vel in dubio, posse *præsumi*

prohibitum, quod non procedit in nostro casu, ubi Pontifex clarè prohibet argumentum ab identitate, vel majoritate rationis.

DUBIUM IV.

Qualiter procedendum cum Reo criminis excepti?

3762 ANte resolutionem not. in Constitutione Gregorii XIV. quàm à n. 3707. retulimus, Pontificem assignare causam, quare in eadem, rejectis plurimis abusibus, qui fiebant per Ministros justitiæ, nimia extensione illorum, quæ à suis Prædecessoribus vel constituta, vel indulta sunt, circa localem immunitatem, in hac sua decretali ad uniformem regulam reducere (de qua constat ex principio dictæ Bullæ in n. 3707.) & simul, in quantum præsens temporum calamitas, & nimia, quæ jam invaluit perversorum hominum malitia, id exposcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium, & ad coërcenda eorum facinora, ultra id quod prisca illa majorum nostrorum disciplina, & vetus Sacrorum canonum norma præscripserat in quibusdam casibus, congruâ moderatione adhibitâ permittere voluerit, ut habetur n. 3709. quibus præmissis, ea quæ retulimus à n. 3707. in §. *Hac itaque*, specificè statuit.

3763 Circa hæc porrò, quæstio est 1. quæ loca specificet Pontifex, ex quibus nullum Reum ab eorum aliquo, si ad eum profugit, impunè ulli liceat extrahere? 2. qualiter Superiores locorum, in quorum Ecclesias, vel loca cæteroquin gaudentia privilegio asyli gerere debeant, Reus criminis excepti se recepit? 3. an, si ab eis talis Reus, qui ipsorum judicio, crimen exceptum commisisse videtur, & per Ministros justitiæ publicæ tradi postulatur, sine irregularitatis nota, cum illis extradere valeant? 4. an talem ipsi Judices, ac Officiales impunè extrahere valeant? 5. An eum Superiores talium locorum (quando certùm est, Reum esse criminis excepti) Curiæ seculari, eum expetenti, tradere possint; sine consensu Episcopi, vel Officialis ejus? 6. an licentia, vel consensus istorum sufficiat tacitus, vel præsumptus? 7. an sufficiat sola licentia alterutrius? 8. an hanc licentiam dare possint alii locorum Ordinarii, Episcopo inferiores, præsertim si sint nullius diœcesis, vel Conservatores, à Sede Apostolica specialiter, vel generaliter deputati? 9. Quid in hoc tenendum circa licentiam Episcopi, quando locus (ad quem confugit ejusmodi Reus) est exemptus, vel nullius diœcesis? 10. qualiter Curia procedere impunè possit in casu, quo de licentia Episcopi Reus criminis excepti illis capiendus & carcerandus permittitur? Undecimò, quid agendum cum tali Reo, si eum Episcopus recuset Curiæ seculari tradere, nisi cognito, Reum crimen exceptum commisisse? 12. an pendente cognitione super hac quæstione (*an deliquerit crimine excepto*) possit Judex secularis eum sub suo carcere detinere, vel ab Ecclesiasticis ad hoc tradi? 13. ad quem pertineat cognitio quæstionis, an crimen talis Rei sit exceptum? 14. an hæc potestas possit delegari? 15. quid hoc loco specialiter constitutum sit de jure cognoscendi super crimine hæresis? 16. an etiam personæ Ecclesiasticæ, & Regulares, vi hujus constitutionis gaudeant privilegio asyli relatè ad Judices Laicos? 17. an relatè etiam ad Ecclesiasticos? 18. Quæ sint pœnæ violantium ea, quæ in hac Bulla statuta sunt? 19. an secus facta prohibita sint cum clausula irritante? 20. an hæc constitutio solùm admittat casus in eo expressos? sic, ut nullus alius privet jure asyli?

Ad 1. ℟. exprimi Ecclesias, Monaste- 3764
ria, Sacella, Domos Regulares, aliaque loca sacra, & Religiosa in jure aliàs expressa; constat ex textu in n. 3710. ibi: *adeorum Ecclesias, Monasteria, Domos, & alia loca supradicta, sacra, seu religiosa respectivè confugientes.* Ad 2. ℟. id constare ex n. 3711. & ex mox seqq. ℟℟. Ad 3. ℟. posse, si fiat eo modo, quo dicetur in respons. ad quæst. seq. nam nisi eum modum, quem Pontifex expressè requirit, ut dicemus, non observantes, Reum, licet ipsis certum foret, commissum crimen esse exceptum, Curiæ seculari traderent, non evaderent notam irregularitatis; ad 4. ℟. negativè, sine licentia Episcopi &c. ex n. 3712. ibi: ne autem *fiat abusus.*

Ad 5. ℟. quòd non; constat ex §. 3765
Ne autem in n. 3712. quamvis enim in §. *sed universis* n. 3711. dicatur, posse illum tradi, ac debere, quando à Curia seculari talis expetitur; propter clausulas tamen tam antecedentes, quàm sequentes, clarè accipiendum est, *juxta modum* in

eadem

eadem constitutione præscriptum; at in hoc debet intervenire Episcopi, vel officialis ejus consensus, post cognitionem causæ per Episcopum, vel substitutum, *num Reus commiserit crimen exceptum?* & simul ut extraditio fiat *cum interventu personæ* Ecclesiasticæ *ab Episcopo* auctoritatem habentis, non ab alio, ut constat ex n. 3712. ergo. Ad 6. R. quod sic; constat ex textu, ibi: *sine licentia Episcopi, vel ejus Officialis*, n. cit. Ad 8. R. negativè, per expressum textū Bullæ supr. in n. 3712.

3766 Ad 9. R. idem dicendum, ut nec Exempti in hoc casu, vel ii, qui sunt nullius Diœcesis, etiam criminis excepti Reum Curiæ seculari possint extradere ante cognitionem causæ per Episcopum vicinior em, vel ejus Officialem, sine interventu personæ Ecclesiasticæ, ut dictum est; ut habetur in Bulla n. 3712. Ad 10. R. id constare ex claro textu in n. 3712. ibi: *reverentiæ Ecclesiæ, & locis sacris debitæ memores, prædictos delinquentes, minori, quo id fieri potest scandalo, & tumultu extrahere curent*; quod non tantùm observandum in casu, quo Reum in loco exempto, vel nullius Diœcesis existentem superiores loci tradere recusarent, cùm deberent; sed etiam, cùm tradi-tur, seu potius permitti debet capi, & extrahi è loco sacro; ex quo etiam constat ad 11. Ad 12. R. tunc debere Reum teneri in carcere Curiæ Ecclesiasticæ, sub custodia, si opus fuerit, data per Judicem secularem, ex n. 3713.

3767 Ad 13. R. quòd ad Episcopum, ex claro textu in n. 3713. nisi cognito prius per Episcopum. Ad 14. posse, ex eodem textu, ibi: *per Episcopum seu ab eo deputatum*. Ad 15. pertinere ad forum duntaxat Ecclesiasticum, quin Judex secularis quoquo modo se intromittere possit, per n. 3713. Ad 16. R. quòd sic; ex num. 3713. ibi: *sicut etiam prohibemus, nec Ecclesiasticas personas, seculares, vel cuivis ordinis, vel militiæ*, &c. ut supr. Ad 17. non consentiunt DD. Quidam enim affirmant Clericos etiam relatè ad superiorem Ecclesiasticum gaudere jure asyli; sic apud Haunold. tom. 6. tr. 1. n. 167. refertur Farinacius, Jul. Clarus, & Fagnanus, c. *inter alia*, h. t. negativam apud eum sequitur, ut ait communior; pro qua referuntur Castropalaus, Delbene, & alii; quorum sententiam idem Auctor n. 168. judicat probabilem.

Probat autem, ut omittamus aliorum 3768
rationes, ex eo, quòd in Bulla Gregorii XIV. reducente omnia præcedentia jura ad unam formam, expressè sermo est de *Laicis*, & nullum verbum de *Clericis*: atqui assumptâ unâ specie ex oppositis, censetur altera exclusa, ibi: *ut Laicis ad Ecclesias locaque sacra, & religiosa confugientibus*. item: *ut curia secularis, ejusque Judices, & Officiales ab Ecclesiis Laicum aliquem delinquentem* &c. item: *revocamus omnia privilegia Laicis concessa, extrahendi delinquentes*; & confirmat inde; quia Ecclesia non punit Reos pœnâ corporis tam severâ, sicut Judex secularis, unde absque Ecclesiæ irreverentia potest suos punire in Ecclesia, etiam verberibus: ergo nihil obstat, quò minus ad has pœnas infligendas possit extrahere, ut in alio loco decentiùs puniantur Clerici.

Verùm ex his fundamentis non vide- 3769
tur evinci, *Clericos*, respectu sui superioris Ecclesiastici, non gaudere asylo, ut impunè possint extrahi à loco sacro propter delicta non excepta. R. enim, verum esse, quòd Constitutio Gregorii XIV. revocans omnia priora jura, & indulta, eorumque extensiones, extrahendi Reos è locis sacris, loquatur solùm de Reis *Laicis*, non de *Clericis*; sed non ex eo, quòd jus asyli velit restrictum ad solos *Laicos*, criminum Reos, exclusis ab eodem *Clericis*; si enim attentè legatur, longè alia ratio reperietur; illius mentionis de *Laicis*, & non Clericis. Innocentius enim in ea Constitutione restringere voluit Judicum secularium nimiam licentiam, & abusum, quem ostenderunt facto; indulta quorundam Pontificum, quibus eis in certis casibus licebat *Reos Laicos* extrahere de loco sacro, *propter quamcunque similitudinem, vel identitatem, aut majoritatem rationis, extendendo ad alios casus, cum magnâ Ecclesiarum irreverentia, & Ecclesiasticæ jurisdictionis præjudicio*; ne igitur *circa Laicos* deinceps tanti fierent abusus, medium illis posuit per dictam constitutionem, *revocando ea indulta; & casus criminum exprimendo*, quibus stantibus non esset locus asyli sic, ut extra illos eidem semper locus esset in quibusvis delictis extra illa *duntaxat*. Et quoniam,

etiam

etiam seclusis illis suorum Prædecessorum indultis, (cùm aliunde nulla Laicis potestas unquam concessa erat in *Clericos*) nec *in hoc circa Clericos* ullus abusus propositus fuerit, opus non erat facere mentionem *Clericorum*.

Quod autem in n. 3768. dicitur: *assumtâ unâ specie, ex propositis, censeri alteram exclusam*; quo videntur insinuare *Clericos* ab asylo in constitutione Innocentiana excluſos, cùm Pontifex assumpserit alteram solùm *speciem, de Laicis*, non obtinet. Negatur enim suppositum, ibi fuisse *propositam utramque speciem*, & *Clericorum*, & *Laicorum*. Jam enim num. præced. ostensum est, ibi solùm agi de Judicum secularium gravibus excessibus, & abusu potestatis sibi per Antecessores Pontifices indultæ *pro Laicis* extrahendis de loco sacro in certis casibus ultra expressos in jure communi; & in ordine ad hoc compescendum (in quo nimirum excedebatur) mentionem fieri debuisse Excessûs, & abusûs, de quibus ibi; erat de Laicorum extractione è loco sacro, prætextu indultorum, nimis licentiosè extensorum; non de extractione *Clericorum*; ergo.

3770 Nec obstant alia, quæ communiter opponunt negantes *Clericis* privilegium asyli, dicentes 1. canones loquentes de hoc privilegio respexisse ad Laicos tantùm, ut videtur colligi ex cit. c. *Inter alia*; ubi dicitur. *Sed Rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra, & vitam*; hoc est, *impetrare a Secularibus, ne ipsos condemnent, ad mortem, vel pœnam corporalem*, quod non potest verificari in Clericis, qui seculari potestati non subsunt. Secundo, quod Episcopi Clericos suos & Prælati Regulares suos subditos religiosos castigent, ac puniant in Ecclesiis, & Monasteriis; ergo etiam habent potestatem, illos ibi puniendi, vel etiam inde extrahendi, ut trudant in carcerem, vel in aliud arctius Monasterium concludant. Tertiò, quòd sic Ecclesia videretur potius defendere delicta Clericorum. 4. quòd sic Clerici, & Regulares rarò possent puniri; cùm eorum delicta frequentius contingant intra claustra, vel terminos, ad quos porrigitur jus Asyli. 5. quòd major sit Episcopi potestas in Ecclesiam, quàm Judicis Laici; consequenter ratione loci sacri minor debet esse immunitas *Clericorum* relatè ad illum, quàm *Laicorum* ad istum; 6. quia potestas spiritualis licitè exercetur intra Ecclesiam; jurisdictio autem Episcoporum etiam in coërcendo Clericos, potius spiritualis est, quàm temporalis. 7. denique, Religiosi delinquentes in Religione subjiciuntur gravibus pœnis per Clement. 1. §. *si quis vero*. de privileg. & c. 2. de Regul. in 6. ergo.

Hæc, inquam, & similia, non obstant, 3771
ad 1. N. negando, quod dicitur, canones enim loquuntur generaliter, per verba *nullus, nemo*, & his similia. Ad 2. N. per legem Asyli Episcopis non negari facultatem moderatè puniendi Clericos, vel Regulares subditos, correctionis, vel disciplinæ causâ, etiam in loco aliàs immuni, ut alibi dictum est. Ad. 3. N. & hoc sequi, penitus tollendum Asylum; cùm spe asyli multò sæpius delinquant Laici, quod nec contrarii admittunt. Ad. 4. N. seq. quia Asylum non eximit à pœnis intra locum immunem, quæ sunt conservandæ disciplinæ causâ, vel correctionis, etiam contumaces, per carceres &c. sed tantùm ab expulsione de loco sacro in manus Laicorum in casibus non exceptis. Ad. 5. N. dato ant. N. cons. nam illa major potestas Episcoporum in Ecclesiam, in plurimis aliis salva stat, etiam negata illi hac potestate, de qua controvertitur; imò, quia Laicis nulla potestas est in Ecclesias; Episcopi potestas in Ecclesias non potest dici *major* relatè ad illos. Ad. 6. N. intelligendum de exercitio jurisdictionis spiritualis intra Ecclesiam, *non interdicto*; aliàs etiam in loco exempto posset Ordinarius exercere jurisdictionem spiritualem, & contentiosam. Ad. 7. N. inter eas pœnas non esse privationem Asyli.

DUBIUM V.

An asylo Ecclesiastico gaudeant alieni à fide? vel fugientes ad Ecclesiam ex causa civili?

PRima quæstio est, de infidelibus. 3772
2. de his, qui à fide defecerunt. 3. de hæreticis. 4. de illis, qui v.g. metu carcerum ex causa civili, confugiunt ad Ecclesiam v. g. Debitores. Pro resolut. not. 1. privilegium asyli non esse directè concessum *personæ*;

sonis; sed *ipsis locis sacris*, & hoc, propter reverentiam illis debitam ex eo, quod ad Dei cultum destinata sint. 2. per constitutionem non esse derogatum his, quæ per sacros Canones constituta sunt, quoad immunitatem, nisi in quantum volunt plures, vel pauciores esse casus criminum excludentium, vel non excludentium à privilegio Asyli, quàm eos duntaxat, quos in sua constitutione *nominatim* expressit. 2. in quantum aliam formam, quam in ea præscripta sit, continent, quoad modum in his casibus, procedendi, quando casus occurrit, quòd aliquis, criminis excepti Reus, Curiæ seculari tradendus est; quibus prænotatis:

3773 Ad. 1. distinguunt aliqui, an infidelis, ante commissum delictum petierit baptismum? vel primò post? in primo casu eum gaudere Asylo Ecclesiæ, affirmat Suarez *l. 3. c. 10. n. 10.* & alii; in secundo autem existimant, præsumi posse fictionem voluntatis, ad periculum evadendum; & tunc, si deprehendatur voluntas tantùm simulata, non defendi ab Ecclesia; ratio sumitur ex c. *Inter alia*, h. t. ubi recipitur immunitas locorum juxta statuta Canonum, & *traditiones legum civilium*, sed jure civili L. 10. C. *de his*, qui ad Eccles. confug. *Judæos* (consequenter & alios infideles) *qui simulant se Christianæ legi velle conjungi, ad Ecclesias fugientes, non esse suscipiendos*; ergo secùs, si sincera voluntate converti velint. Cœterùm mihi probabile videtur, omnes infideles, metu pœnæ confugientes ad Ecclesiam, esto non ostendant voluntatem, quod converti velint, gaudere Asylo in criminibus non exceptis. Nam hic non attenditur, nisi *privilegium loci*; nec ullus ab eo, ullo vitio infectus excluditur, nisi sit exceptum juxta constitutionem Gregorii XIV. & ita tenent Sylvester V. *Immunitas*. 3. q. 3. Fagnanus in c. *Inter alia*. h. t. à n. 60. & alii.

3774 Ad. 1. ℞. constare ex ℞. ad quæst. 1. præced. & sequenti, ad 3. ad hanc igitur jam constat, hæreticos formales, & vitandos, propter vitium hæresis, excludi, quatenus est crimen exceptum, de quo egimus à n. 3710. cœterùm, si hæreticus toleratus, titulo alterius criminis, confugeret ad Ecclesiam, non foret excludendus, si crimen illud non foret exceptum; ita Sylvester cit. q. 3. dicto 2. Suarez c. 10. n. ult. Nec obstat L. *de his* supr. cit. quia, ut notat Suarez, loquitur solùm *de non baptizatis*, seu *Judæis*, quales non sunt *hæretici*; & quamvis dicat *Judæos* non admittendos, si *simulant* voluntatem conversionis, ex quo procedunt, negantes *infidelem* gaudere asylo Ecclesiæ; jure tamen novo per constitutionem Gregorii XIV. nemo Laicorum excluditur nisi Reus criminis excepti, cùm Pontifex omnia in materia localis immunitatis reduxerit ad unicam formam à se præscriptam, derogatis omnibus aliis, in quantum suæ constitutioni contrariantur.

Ad. 4. ℞. quòd debitor, seu Reus debiti civilis, ac ex ea causa metuens malum aliquod, atque fugiens ad Ecclesiam; pariter gaudeat asylo loci; probatur ex L. 1. C. de his, qui ad Eccles. confug. ibi: *Ut ad Ecclesias fugientes evitare possit crimina, vel pondera debitorum*; de quo Zoësius *l. 1. in Cod. tit. 12.* de iis, qui ad Ecclesiam confug. q. 1. *§. jure civili*, dicens: Asylum Ecclesiasticum, seu immunitatem, jure civili, procedere etiam in confugiente Reo *ex causa debiti civilis*, qui nihilominus vocari potest, & per Procuratorem causam suam agere cogitur; contumace existente misso in bona, si contra eum decernitur. L. *fin.* c. h. t. in causa criminali non ita locum habet, ut patet ex novella de man. prim. *§. neque servi*: Si ob levius delictum eo confugerint, dominis restituendi sunt impetrata immunitate L. 6. in fin. *§. sanè* h. t. si propter sententiam dominorum, bonis conditionibus sunt distrahendi, instit. de his, qui sui vel alieni juris sunt *§. sed hoc*, & subjungit: *Etiam id procedere in jure canonico*, quod in hoc passu sequendum, etiam à Laicis; cùm agatur de causa Ecclesiastica, ubi immunitas est plenior; cùm competat propter quamcunque causam, demptis duntaxat criminibus exceptis. 3775

Pirhing h. t. n. 41. tradit eandem sententiam, ubi rectè notat, quòd, cùm in c. *id constituimus*, 36. caus. 17. q. 4. dicitur, quòd Ecclesiastici Canones decreverunt; & lex Romana constituit, ut ab Ecclesia Reos abstrahere non liceat, per *Reos* non tantùm intelligi debent 3776

bent Rei criminis: Sed etiam *Rei ex contractu*, vel *causa civili*, ut juxta legem civilem, quam hic Canon allegat, & approbat, fiat interpretatio; præsertim cum alii etiam canones universaliter loquantur de *Reis* confugientibus ad Ecclesiam. Idque procedit etiam in debitore publicorum tributorum, non obstante Auth. de mandat. Princip. §. *Neque autem* vers. *publicorum autem tributorum* c. 7. coll. 3. quippe, quæ adversatur immunitati Ecclesiæ per Canones concessæ; subjungit tamen, à tradita doctrina excipi in Constitut. Gregorii XIV, *fraudulentos*, sicut & illos, qui cum bonis suis fugiunt ad Ecclesiam, ea secum deferendo, vel aliàs abscondere, in fraudem creditorum; hi enim non gaudent immunitate Ecclesiæ: Sed extrahi possunt, ut notat Gutier. *pract. qq. lib. 1. q. 1. n. 13.* Sic ille: sed hæc exceptio in Constitut. Gregorii XIV. non reperitur, prout videri potest à n. 3707. ubi eam ex toto retulimus.

ARTICULUS II.

Quæ commoda Rei habeant ex asylo Ecclesiastico?

3777 Resp. principalem effectum esse, quòd Reus criminis, non excepti, per vim extrahi non possit licitè de loco sacro; c. *Reum* 17. q. 4. ibi: *Reum ad Ecclesiam confugientem nemo abstrahere audeat; neq; inde damare ad pœnam, vel ad mortem: Ut honor DEI & Sanctorum ejus conservetur: Sed Rectores Ecclesiarum pacem & vitam, ac membra ejus obtinere studeant: Tamen legitimè componat, quod iniquè fecit, & si contra hoc veniretur, non tantum Ecclesiam, sed ipsum etiam Reum agere posse, ut restituatur suæ libertati, qua injustè privatus est;* Hoc enim exigit jus eorum, injustè læsum per ejusmodi extractionem violentam, nam de hac loquitur c. *Inter alia*. 6. h. t. ubi Innocentius III. Regi Scotiæ scribens: *Tuis quæstionibus*, inquit: *respondentes, juxta sacrorum statuta Canonum, & traditiones legum civilium, ita duximus distinguendum*: Quòd fugiens ad Ecclesiam, aut liber, aut servus existit. *Si liber?* quantumcunque gravia maleficia perpetraverit, non est violenter ab Ecclesia extrahendus, nec inde damnari debet ad mortem, vel ad pœnam; sed Rectores Ecclesiarum sibi obtinere debent membra, & vitam: Ex quo deducitur, hanc immunitatem sacri loci non lædi, si Reus, sponte, vel alio modo, illectus exiret de loco sacro, & caperetur, quod intellige, si non interceſſit *dolus* eum educentis; nam *dolus* in hac re habetur pro *vi*, ut tradit Azor. *p. 2. l. 8. q. 14.* & alii: Ubi nota, quòd in dicto c. *Reum*, aliàs legebatur non *donare*, sed *damnare*; esse tamen emendatum, annotat ibid. gloss. V. *Donare*, & hoc iterum repositum, ut notatur, quòd ejusmodi Reum non liceat *inde*, nimirum de loco sacro *donare*; hoc est *tradere*.

Prædictam regulam limitat Pirhing 3778
h. t. n. 43. dicens: Limitatur autem 1. quod dictum est, de non extrahendo per vim Reo ex Ecclesia, primò, quòd *Judex secularis*, in casibus à jure exceptis, in quibus non habet locum immunitas, *potest Reum confugientem ad Ecclesiam per vim, etiam propriâ authoritate, & sine consensu, ac licentia Episcopi, vel alterius Prælati, aut Rectoris Ecclesiastici extrahere, neque ex eo violatur immunitas Ecclesiastica*; quia jus ipsum dat talem facultatem, adeoque non est necessarium, illam ab homine petere, vel obtinere, & cùm Ecclesia tunc fugientes ad loca sacra non tutetur, nec tutari velit c. *ult.* h. t. nulla fit ei injuria. Verùm hoc videtur admitti non posse, cùm in Constitutione Gregorii XIV. contrarium statutum sit, ut constat ex dict. n. 3712. propter quod ipse, dictum n. 43. restringit in n. 45. solùm ad casum loci, quo constitutio Gregorii XIV. recepta non est.

Si quæras, an non tantùm in casu 3779
criminis *excepti*, sed etiam *non excepti* Reus per Judicem secularem, ex justa causa per vim extrahi possit ab Ecclesia, sine violatione immunitatis Ecclesiæ, datâ prius à Judice idoneâ cautione, vel saltem juratoriâ, de impunitate delinquentis, quoad vitam, & membra, & omnem pœnam corporalem? affirmativam sequitur Sylvester V. *Immunitas*. 3. q. 4. Pirhing h. t. n. 44. qui probat. 1. ex

ex c. *Id constituimus.* 17. q. 4. Deinde ratione; quia, licet talis Judex inferat vim personæ Rei: Non tamen facit vim Ecclesiæ, cui directè hoc privilegium immunitatis concessum est, non delinquentibus; ergo potest hæc facultas dari Judici sæculari ab Ecclesia, eâque concessa, is non peccat, extrahendo Reum: Nec tenetur Ecclesia, Rei consensum requirere, aut expectare, si judicet, expedire, vel prudenter censeat, nullam inde injuriam, aut damnum Reo timeri posse.

3780 Videtur tamen. 1. Superiorem Ecclesiasticum, qui non sit Episcopus, non posse consentire in talem extractionem, etiam datâ per Judicem secularem ejusmodi cautione, saltem post constitutionem Gregorii XIV. §. *Volumus*, de quo n. 3712. nam etsi de hoc aliquid insinuetur in c. *Interalia*; jure tamen novo, & hodie, vi dictæ constitutionis, etiam in criminibus exceptis, talis extractio interdicta est *sine expressa licentia Episcopi, vel ejus officialis, & interventu personæ Ecclesiasticæ ab eo Authoritatem habentis.* Ad probat. ex ratione petitam &c. si extractio in dato casu fieret, etiam datâ cautione, eam adhuc & Reo, & Ecclesiæ, fore *injuriosam*; quia consensus, & cautio, non præstat, quòd jus Ecclesiæ, consequenter libertas Rei, non obviet, omissis dictis circumstantiis, licentiæ Episcopi, &c. quia tantùm pro isto casu negatur asylum Reis, *si crimen sit exceptum?* 2. Quia extrahere *propter crimen non exceptum*, etiam datâ cautione, est contra formam à Gregorio XIV. præscriptam, quam *unam*, & *duntaxat* observandam, statuit, & extra casus ibid. exceptos, nullam Reorum de loco sacro extractionem fieri debere, aut jure posse.

3781 Ex hoc etiam patet, responsio ad c. *Id constituimus* 36. caus. 17. q. 4. nam licet ibi dicatur observandum, quod Ecclesiastici canones decreverunt, & lex Romana constituit, ut ab Ecclesiæ atriis, vel domo Episcopi Reos abstrahere omnino non liceat: Sed nec alteri consignare, nisi ad Evangelia datis Sacramentis de morte, & debilitate, & omni pœnarum genere sint securi: Ita ut ei, cui Reus fuerit criminosus, de satisfactione conveniat; ex quo per sensum contrarium videtur sequi, *licere tales Reos de loco sacro abstrahere, ad Evangelia datis Sacramentis, seu cautione de securitate pœnarum*: Contrarium tamen hodie tenendum esse, constat ex constitutione Gregorii XIV. ut dictum est n. præced.

Alter effectus Asyli Ecclesiastici est, 3782
quod Reo criminis non excepti intra locum Asyli Ecclesiastici nulla licitè possit violentia inferri, v. g. vinculis constringi, carcerari &c. à Magistratu Laico, ut inde extrahatur, eique, causâ necessitatis naturæ liceat egredi ad 30. passus, juxta 17. q. 4. c. *diffinivit* 35. ibi: diffinivit Sanctum Concilium, ut nullus audeat confugientes ad Ecclesiam, vel residentes inde abstrahere, aut quodcunque nocibilitatis, vel damni, seu spolii, residentibus in loco sancto inferre: sed esse potius his ipsis, qui Ecclesias petunt, per omnia licitum, in triginta passus ab Ecclesiæ januis progredi, in quibus triginta passibus uniuscujusque Ecclesiæ in toto circuitu reverentia defendantur: sic tamen, ut hi, qui ad eam confugiunt in extraneis, vel longè separatis ab Ecclesia domibus, nullo modo abscedant: sed in hoc triginta passuum numero absque domorum extranearum receptaculo progrediendi aditum obtinebunt; *qualiter ad requisitæ naturæ usum debitis exeant locis*, & nullo teneantur eventu necessitudinis, qui Dominicis se defendendos commiserint claustris. *Si quis autem hoc decretum tentaverit violare, & Ecclesiasticæ excommunicationi subjaceat, & severitatis regiæ feriatur sententia.*

Idem etiam habetur L. *in præsenti.* 6. C. *de his*, qui ad Eccles. confug. ibi: *præsenti lege decernimus per omnia loca valitura* (excepta hac urbe regia) *in qua nos divinitate propitia degentes, quoties usus exegerit, invocati, singulis causis, atque personis præsentanea constituta præstamus*, nullos penitus, cujuscunque conditionis sint, de sacrosanctis Ecclesiis Orthodoxæ fidei expelli, aut trahi, vel protrahi confugas; nec pro his venerabiles Episcopos, vel Religiosos œconomos exigi, quæ ab ipsis debeantur: *his, qui hoc moliri, aut facere, aut*

nuda saltem cognitione, atque tractatu ausi fuerint tentare, capitali, & ultimi supplicii animadversione plectendis. Ex his ergo locis, eorumque finibus, quos anteriorum legum præscripta sanxerunt, nullos expelli aut ejici aliquando patimur: *nec in ipsis Ecclesiis reverendis ita quemquam detineri, atque constringi, ut ei aliquid aut victualium rerum, aut vestis negetur; aut requies:* Sed, si quidem ipsi refugæ appareant in Ecclesia publicè, & se in sacris locis offerant quærentibus conveniendos: ipsis, servata locis reverentia, judicum, quibus subjacent, sententiis moneantur, responsum daturi, quale sibi quisque perspexerit convenire.

3783 Tertius est, quòd eo tempore, quo Reus criminis est in loco asyli Ecclesiastici, non possit per sententiam Judicis condemnari ad pœnam corporalem; constat ex c. *Reum*, c. *Id. constituimus*: in his enim textus accipiendus *de sententia*; non de *executione sententiæ*; cùm aliunde fieri hæc intra Ecclesiam, Reum pœnâ corporali afficiendo, omnino illicitum sit, per c. *Cum Ecclesia.* 5. h.t. ibi: *cùm Ecclesia Dei, secundum Evangelicam veritatem, domus orationis esse debeat, non spelunca latronum, aut sanguinis forum: Seculares Judices causas, ubi de sanguinis effusione & corporali pœna agitur, in Ecclesiis, vel cœmiteriis agitare, sub interminatione anathematis prohibemus: absurdum enim est, & crudele, ibi judicium sanguinis exerceri, ubi est tutela refugii constituta.*

3784 Quartus est, quòd Magistratus secularis non possit impedire, vel prohibere, quo minus deferantur ad Reum vitæ necessaria; ut habetur cit. L. *Præsenti* in n. 3782. quintus est, quòd Reus privari per vim non possit rebus *suis*, quas secum detulit ad Ecclesiam, vel Monasterium, ad quod tanquam asylum confugit; constat ex c. *sicut*, ibi: *aut personam hominis*, vel *bona ejus inde subtraxerit*, &c. *definivit*; vel *damni*, vel *spolii*, dixi *rebus suis*, nam, si res alienas injustè detinens, easdem secum detulit ad Ecclesiam, censet Pirhing h. t. n. 49. illi per vim auferri posse; causam reddit: quia eas deferendo, vel retinendo delinquit in Ecclesia, vel delictum continuat, ideoque quoad illas res immunitate non gaudet, quamvis ipsa persona, ob eam causam, vi extrahi non debeat. Idque sumitur ex c. *de raptoribus* 33. caus. 36. q. 1. ubi habetur, ut, si quis fœminam secum ad Ecclesiam rapuit, ea ipsi auferri debeat, quamvis ipse per vim non sit extrahendus. Similiter, si quis cum armis prohibitis fugiat ad Ecclesiam, illis spoliari potest; quia cùm sit lege prohibitum talia arma habere, Ecclesia eum in hac re defendere non intendit.

Videtur tamen responsio ex data ratione (quòd propter hoc immunitate non gaudeat) non admittenda; nam licet etiam intra Ecclesiam injustè detinendo, ac etiam nolendo alienum restituere, & injustitiam continuet, non tamen propter hoc crimen Reus est criminis *excepti* in Constitutione Gregorii XIV. nec etiam hodie locus est dispositioni c. *inter alia*, (quòd ab Ecclesia non defendatur, qui peccat in Ecclesia, si sumatur pro quovis crimine commisso in Ecclesia, & spe immunitatis) quia hoc jure novo restrictum est ad solum homicidium, vel mutilationem in Ecclesia, vel cœmiterio commissam, ut dictum est à n. 3707. dixi, *ex datâ ratione* (*quòd immunitate non gaudeat*) dictam responsionem videri non admittendam; cœterùm, eum cogi posse, ut injustè apud se detenta, reddat, non videtur dubium.

Dubitari etiam potest, à quo confugæ ad Ecclesiam Reo præstanda sint alimenta, dum in asylo esse cogitur securitatis causâ? Ad hoc respondet Abbas in c. *Inter alian.* 28. *h.t.* Azor *p.* 2. *l.* 8. *c.* 9. *q.* 13. & alii, eum debere vivere suis mediis, si habeat; vel labore manuum, aut artis exercitio, si quid per hoc in eo statu lucrari possit: secùs Ecclesiam illi, tanquam pauperi, in ejusmodi necessitate teneri præstare alimenta, idque naturali lege charitatis erga proximum. 3785

ARTICULUS III.

De pœnis lædentium localem immunitatem Ecclesiarum?

3786 CUm prohibitio actuum, immunitati Ecclesiarum contrariorum, fundetur

detur in reverentia locis sacris debita; ut tradit Suarez *l.* 13. *de cad. reverentia*, *c.* 13. consequenter in virtute Religionis; ejusmodi læsio dictæ immunitatis continebit malitiam Sacrilegii, arg. c. *Sacrilegium* 17. *q.* 4. sic enim erit actus vitii contra Religionem; & quoniam jure naturæ licet vim vi repellere; si Judex secularis per vim aggrederetur locum sacrum, ut Reum inde extraheret, in casu jure non permisso; Prælatus, vel Superior talis Ecclesiæ posset cum pariter vi repellere, etiam positivè resistendo (sine armis tamen, quibus utantur ipsi Clerici, vel Religiosi) imò ubi necessitas postularet, etiam auxilio Laicorum, quantum exigit ratio securitatem Ecclesiæ defendendi; de quo V.S. Thomas 2. 2. *q.* 59. *A.* 2. *ad* 3. Suarez *cit. c.* 13. *n.* 4.

3787 Circa pœnas porrò statutas in eos, qui per vim de loco sacro extrahunt Reum criminis *non excepti not.* 1. eos teneri Reum in persona iterum restituere Ecclesiæ, ut colligitur ex 17. *q.* 4. c. *Miror* 8. ibi: *Ecclesiæ igitur illæsum revoca, quam ut irreligiosissimus rapuisti*; & ratio est, quia jus Ecclesiæ injustè læsum, jure naturali reparandum est restitutione rei per injuriam ablatæ, si adhuc extet in se ipsa, ut est communis doctrina Theologorum; & tradit Abbas in c. *inter alia* n. 26.

3788 Quæstio autem fieri potest, an tali casu sufficiat, quod Judex Ecclesiæ præstet cautionem de impunitate? 2. an talis Judex ad resarcienda quoque alia etiam damna Reo illata teneatur? si contra illicitè extractum ulterius processit? 3. an actus judiciales contra Reum sic facti sint invalidi? 4. quæ pœna talibus sit statuta de jure civili? 5. quæ secundùm jus Ecclesiasticum? 6. an ejusmodi Violatores Ecclesiasticæ immunitatis etiam puniri possint pœnâ pecuniariâ? Ad. 1. R. quòd non; nam cùm injuria sit realis, restitutio fieri debet redditione rei injustè ablatæ adhuc in se ipsa extantis, aliàs obligationi læsæ justitiæ non satisfit, sic Abbas cit. Suarez *cit.* 13. *n.* 16. Ad 2. R. quòd sic, nam injustè causans alteri damnum, unde plura alli mala consequuntur, & pariter istorum causa injusta; quia liberè ponit ejusmodi causam injustam, tenetur ad eorundem resarcitionem jure naturali, & divino, ergo.

Ad 3. R. quòd sic, ex dict. n. sup. ad 4. R. 3789 statui pœnam ultimi supplicii: cùm sit crimen læsæ Majestatis, ut habetur L. 2. & L. *Præsenti.* 6. C. *de his*, qui ad Eccles. confug. hanc retulimus superius, altera sic habet: fideli, devotaque præceptione sancimus, *nemini licere* ad sacrosanctas Ecclesias confugientes abducere, sub hac videlicet definitione: ut, *si quisquam contra hanc legem venire tentaverit, sciat se Majestatis crimine esse retinendum.* Sed circa usum hujus pœnæ, locorum consuetudo legitima attendi debet. Certum tamen est etiam à jure civili tale factum referri inter delicta valde gravia; nec à Magistratu Laico impunè transeunda.

Ad 5. R. ex 17. q. 4. c. *Quisquis.* 21. 3790 *§. si quis domum*, colligi, talem esse excommunicandum, nec ad communionem admittendum, donec satisfecerit, ibi: *si quis domum Dei violaverit, & aliqua, sine licentia illius, cui commissa esse dignoscitur, inde abstulerit, vel Ecclesiasticis personis injuriam fecerit, donec in conventu admonitus legitimè satisfaciat, sciat, se communione privatum: Si verò post secundam, & tertiam conventionem coram Episcopo satisfacere detrectaverit, sacrilegii periculo ab omnibus obnoxius teneatur, ita, ut secundùm Apostolum nemini fidelium misceatur*; Sic Joannes Papa VIII.

In eodem c. habetur, quòd sacrile- 3791 gium committatur, si quis infregerit Ecclesiam, vel triginta Ecclesiasticos passus, qui in circuitu Ecclesiæ fuerint; vel domos, quæ intra prædictos passus fuerint, aliquid inde diripiendo, vel auferendo: seu qui injuriam, vel oblationem rerum intulerit Clericis arma non ferentibus, vel Monachis, sive Deo devotis, omnibus Ecclesiasticis personis; excipiuntur tamen capellæ, quæ sunt intra ambitum murorum castellorum; nam hæ non ponuntur in hac triginta passuum observatione. Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.

Ad 6. R. affirmativè, per 17. q. 4. c. 3792 *si quis.* 20. ibi: *si quis contumax, vel superbus timorem Dei, vel reverentiam sanctarum Ecclesiarum non habuerit, & fugientem servum suum, vel quem ipse persecutus fuerit de atrio Ecclesiæ,*

vel de porticibus quolibet modo Ecclesiæ adhærentibus per vim abstraxerit, pro immunitate nongentos solidos Episcopo componat: & ipse, publicâ pœnitentiâ, justo judicio Episcopi, mulctetur, & in dict. c. *Quisquis* 21. ibi: *quisquis inventus fuerit Reus sacrilegii Episcopis, vel Abbatibus, sive personis, ad quas querimonia sacrilegii justè pertinuerit, triginta libras examinati argenti purissimi componat.*

ARTICULUS IV.

De reali Immunitate Ecclesiarum.

3793 ANtequam tradamus ea, quæ pertinent ad hanc materiam, notand. 1. Bona Ecclesiastica, quæ scilicet ad Ecclesiam, vel personas Ecclesiasticas spectant, (ut notat Molina tom 1. de justit. D. 142.) esse in triplici differentia: nam quædam sunt, quæ non ratione Ecclesiæ, ministeriive Ecclesiastici, sed aliunde ad Clericos pertinent, nempe hæreditario jure, contractu, donatione, opificio, aliave ratione simili; dicunturque *patrimonialia bona Clericorum*; quædam esse, *quasi patrimonialia*, quæ spectant ad Clericos ratione ministerii Ecclesiastici, ita tamen, ut non sint fructus beneficii præstimonii, pensionis. Hujusmodi sunt, quæ comparant ministrando funeralia officia, confessiones audiendo, missas celebrando, Judicem Ecclesiasticum agendo, concionando, canendo, organa pulsando, agendo Capellanum, ac Vicarium temporarium. Item, quæ summus Pontifex confert quibusdam Cardinalibus per singulos annos, in subsidium decentis sustentationis: vel Episcopo, quem aliquò mittit, in expensas itineris; tertiò alia, quæ pertinent ad Ecclesias, aut hospitalia, aut alia pia loca, sive mobilia sint, sive immobilia, & sive immobilium fructus annexi sint beneficio, ad beneficiatumque proinde spectent, aut non: sed, vel ad fabricam, vel ad infirmos curandos, vel ad aliquid aliud deputati sunt. Sed in hac acceptione *Bona Ecclesiastica* non sumuntur strictè; cùm *Bona Ecclesiasticorum* (cujusmodi sunt patrimonialia) non sint ex titulo Ecclesiastico, sed temporali; adeoque non bona *Ecclesiastica*, sed *Ecclesiasticorum*, in quibus magna distinctio est, ut constat de jure disponendi circa bona, quæ habent Clerici, ut dictum est in tit. 25. hìc.

Aliter ergo dividendo bona *Ecclesiastica*, not. 2. ea esse in triplici classe: *in prima* sunt ipsæ materiales Ecclesiæ, seu templa, iisque adjuncta cœmiteria, item vestes, & vasa sacra, & alia consecrata, vel benedicta, & ad divinum cultum, tanquam ejus instrumenta, deputata: *in secunda* sunt, quæ quidem consecrata, aut benedicta non sunt, tum immobilia, ut fundi, prædia, domus; tum mobilia: quia tamen hòc ipso, quod à Fundatoribus, vel aliis fidelibus ad Dei cultum oblata, & donata, & in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, & alimenta pauperum, & alias templorum expensas destinata sunt, inter res sacras computantur (ut docet S. Thom. 2. 2. q. 99. art. 3. in corp.) sive dominium eorum immediatè sit penes Christum, ut aliqui volunt; sive penes Ecclesiam universalem, vel aliam particularem cum onere, seu obligatione, illa expendendi, vel applicandi ad pios usus: *in tertia demum* ea, quæ Clerici acquirunt ex spirituali titulo, ut ex reditibus decimarum, vel beneficiorum suorum, quæ propter officium dantur, vel quæ non quidem ex jure, seu titulo beneficii: sed spiritualibus operis acquiruntur, ut ex Missarum stipendiis, & funeralibus &c. & hæc propriè *Clericalia bona* vocari possunt. 3794

Not. 3. Inter onera, quæ imponi possunt alteri, ut notatur L. 18. ff. de Verb. signif. quædam esse *merè personalia*, quæ personis tantùm iisque subditis, sine ordine, seu respectu ad bona patrimonialia, imponuntur: Cujusmodi onus merè personale est, v. g. *capitatio* civium, id est, *certa exactio à singulis capitibus*, sive personis, sine respectu ad bona patrimonii, quæ imponuntur etiam illis subditis, qui nulla bona immobilia habent in territorio Principis imponentis, *L. unica*, C. de Capit. civium, quædam *merè realia*, quæ sine respectu ad personæ qualitatem, sunt imposita ipsis rebus, seu bonis tantùm, sive bonis propter bona, eisque jure perpetuo secundùm se inhærent, & inseparabiliter ea comitantur, adeoque perpetua, & invariabilia sunt, ita, ut tamdiu durent, quamdiu durant res ipsæ, quibus inhærent. Et tale onus merè reale im- 3795

imponi poteſt à quolibet, etiam privato Domino, rei ſuæ v.g. domui, vel fundo, per pactum, ſeu contractum cenſualem, feudalem, vel emphyteuticum; nam quilibet eſt rei ſuæ moderator, & arbiter L. *in re* 21. ff. mandat. quædam demum *mixta*, quæ perſonis imponenti ſubjectis imponuntur cum ordine, ac reſpectu ad bona, quæ poſſident, ſive, *perſonis pro modo facultatum*, ita, ut immediatè ipſis perſonis ſubditis, mediatè verò, & conſequenter etiam ipſis bonis, ſive perſonis propter res, ſeu bona, imponantur, juxta L. *Reſcripto*, 6. §. *fin. ff.* de muner. & bonor. quæ ex infra dicendis magis patebunt; his præmiſſis:

3796 Communis tenet bona Eccleſiaſtica primæ claſſis (in n. 3794.) debere eſſe libera à tributis, vectigalibus, & quibuscunque actionibus, quæ à poteſtate ſæculari imponuntur; tum quia ſunt res fructiferæ aliquorum proventuum temporalium, neque habent ullum temporalem uſum, ſeu commoditatem pretio æſtimabilem: ſed tantùm uſum ſacrum, ad quem ſpecialiter ſunt deſtinatæ, ideoque ad uſus humanos, & profanos ampliùs applicari non poſſunt, juxta c. *quæ ſemel.* 4. *cauſ.* 19. *q.* 3. c. *Ligna* 38. *diſt.* 1. *de conſecr.* Suarez. *lib.* 4. *de defenſ. fidei Cathol. c.* 19. *n.* 2. de his, quæ ſunt ſecundæ claſſis, dicendum pariter, juxta limitationes à n. 3799, ea exempta eſſe à poteſtate ſæculari, & conſequenter etiam à tributis ſæcularibus; cùm talium bonorum adminiſtratio, diſpoſitio, & applicatio ad Eccleſiæ Prælatos, & non ad ſæculares poteſtates pertinere poſſit. Suarez. *cit. l.* 4. *c.* 17. *n.* 6. *& c.* 18. *n.* 7. *& 2. ſeqq.* Layman. *l.* 4. *tr.* 9. *c.* 6. *n.* 1. Not. autem, nos hic loqui de oneribus merè realibus, quæ imponi cæteroquin ſolent ſubditis à Principibus, & Magiſtratibus Laicis, adeoque non de illis, quæ debentur ſummo Pontifici, locorum Ordinariis, ac Prælatis Eccleſiaſticis inferioribus ex diſpoſitione ſacrorum Canonum; de quibus jam actum eſt ſupra.

3797 Ad hoc rectè exponendum not. 4. hic ſermonem eſſe de immunitate Eccleſiaſtica, non ea, quæ eſt de Aſylo Eccleſiaſtico, ſed illa, quæ explicat exemptionem, & jus, vi cujus Eccleſiæ, perſonæ Eccleſiaſticæ, ac earum bona eximuntur, ſeu liberantur à præſtandis oneribus, vel etiam obeundis officiis ſecularibus, & ſubjectione, relatè ad Laicum Superiorem, quo nomine veniunt ſolùm exemtiones illæ, quæ toti ſtatui clericali, vel omnibus locis, aliisque rebus Deo particulariter dicatis, communes ſunt, ut notavimus *lib.* 1. *decret. à n.* 616.

Igitur, vi harum exemptionum Cle- 3798
rici, & Regulares exempti ſunt 1. à civilibus Principum ſæcularium legibus, & ſtatutis; ut oſtendimus eod. lib. 1. a n. 616. ſive concernant ipſas perſonas, ſive res, & bona illarum, ut ibid. à 617. probavimus ex utroque jure, non modò directè, ſed etiam indirectè, quamvis concedi poſſit Clericos, & Regulares ad ea, quæ legibus civilibus in merè temporalibus præſcripta, & omnibus civibus communia ſunt, nec dedecent eorum ſtatum, nec lædunt eorum privilegia, obligari, at non *directè in vi legis civilis* (nam ad hoc nulla Laicis poteſtas attributa eſt) ſed ſolùm *indirectè*, nimirum in vi legis naturalis, & divinæ, qua pars quælibet, ſecundùm rationem ſtatûs ſui, tenetur procurare bonum totius, ut oſtendimus *cit. l.* 1. *à n.* 624. Hinc iſta exemptio Clericorum, & Regularium, tam quoad perſonas, quàm ipſarum bona, immeritò reſtringitur ad ſola purè ſpiritualia, juxta ibid. dicta n. 627. ubi etiam contraria diſſolvimus.

In ea porrò quæſtione (*an bonis* 3799
temporalibus, quæ ſunt Eccleſiaſtica, imponi poſſint poteſtate Laicâ onera, vel tributa merè realia, vel etiam mixta, & ſimilia?) *lib.* 1. *à n.* 654. reſpondimus, poſſe illa, quæ ſunt certa, & invariabilia, iisque bonis incumbebant, antequam ad Eccleſias, & perſonas Eccleſiaſticas pervenerunt; ſic enim, res in eas tranſivit cum onere affixo ipſi rei, ut oſtendimus loc. cit. ſecus eſt de *novis* oneribus, & tributis *imponendis*, poſtquam tranſiverunt in dominium Eccleſiarum, & perſonarum Eccleſiaſticarum; tunc enim ſunt extra poteſtatem dominorum temporalium, ut ibid. oſtendimus, &, quæ in favorem ſuum afferunt Laici, à n. 656. refutavimus, præſertim ea, quæ deſumunt à com-

communi ipsorum refugio (quod in plurimis satis malè usurpatur) *quia jam est sic consuetum, & praxis*; hoc enim sæpe solùm significat, *quid fiat?* non autem, *quid fieri debeat?* de quo controvertitur; V. inibi dicta à n. 655. & 664.

ARTICULUS V.

De Immunitate personali.

3800 NOn agimus hic de privilegio Clericali, quod dicitur *fori* & *canonis*; de hoc enim tractavimus *lib. 2. tit. 2.* de foro competente; ubi etiam exposuimus, quid requiratur, ut Clerici gaudeant ejusmodi privilegio? an ei renunciare possint? an, & qualiter amittant? recuperent? Quæstio nunc est, *an Clerici, vel Regulares, exempti sint à tributis merè personalibus*, quæ *per capita*, juxta personarum numerum, sine respectu ad bona, imponuntur, cujusmodi est census, seu tributum *capitationis*, juxta *tit. Cod. de Capitat. Civium lib. 11.* Ante resolut. not. etiam in casu, quo aliquando ex certis causis, à personis Ecclesiasticis, tam secularibus, quàm Regularibus, fiunt quædam contributiones extraordinariæ, vel novæ, id non posse licitè fieri vel à dantibus, vel ab exigentibus, nisi servatis certis conditionibus, cum nec Laicis, nec Ecclesiasticis contravenire liceat his, quæ pro tuenda immunitate, ac libertate Ecclesiastica, constituta sunt ab Ecclesia.

3801 Not. 2. in c. *Non minus.* 4. h. t. (quod desumptum est ex CC. Lateran. sub Alexandro III.) referri, quòd, cùm in diversis mundi partibus Laici Magistratus tot onera imponerent Ecclesiasticis, *ut deterioris conditionis sub eis esset Sacerdotium*, quàm olim *sub Pharaone*, qui omnibus aliis servituti subactis, *Sacerdotes, eorumque possessiones* in pristina libertate dimisit, & eis alimoniam de publico præbuit: *isti autem*, cùm onera sua fere universa Ecclesiasticis imponerent, ut, quod Hieremias deplorat, *Princeps Provinciarum* (id est Ecclesia) *fieret sub tributo*; simulque jurisdictionem, & authoritatem Prælatorum sic evacuarent, ut nihil in suis videatur hominibus remansisse: Concilium *sub anathematis districtione talia fieri prohibuerit; nisi Episcopus, & Clerus, tantam necessitatem, vel utilitatem aspexerint, ut, ubi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda.* Si autem talia committentes, & commoniti non desistant, tam ipsi, quàm fautores eorum, *excommunicationi* se noverint subesse, *nec absolvantur, donec satisfactionem fecerint competentem.*

Not. 3. in eod. Concilio (ut habetur c. *Adversus. 7.* eod.) sub Innocentio III. confirmatum esse statutum Concilii Lateran. in c. *Non minus* adversùs Consules, & Rectores civitatum, aliosque, qui Ecclesias, & Ecclesiasticos Viros talliis, collectis, aliisque exactionibus gravant; quam ob causam Concilium illos, eorumque fautores excommunicationi subdit, *donec satisfecerint. Si tamen Episcopus cum Clericis, absque ulla coactione ad relevandas necessitates, vel utilitates communes, subsidia putarit conferenda*, Laicos voluit *humiliter*, & *devotè* recipere; & propter imprudentiam aliquorum statuitur, *ut Romanus Pontifex prius consulatur.* His adjicit Innocentius, ut constitutiones, & sententiæ à talibus latæ, *inanes, & irritæ habeantur*; & ne Consules ac Rectores existiment, sententiam anathematis *solum durare*, dum in regimine existunt; decernit Pontifex, *& ipsum, qui satisfacere recusârit, & Successorem ipsius* (& nisi satisfecerit infra mensem) *manere Ecclesiasticâ censurâ conclusum, donec satisfecerit competenter.* 3802

Denique c. 1. eod. in 6. cùm in regno Franciæ Comites, Consules, & alii Domini temporales, jurisdictionem temporalem exercentes, vel ii, quibus commissa est executio justitiæ sæcularis, Ecclesiis collectas, tallias, & alia hujusmodi, *prætextu bonorum, quæ acquisiverunt*, imponerent, vel niterentur, *ut dictæ Ecclesiæ extra manum suam ponerent ejusmodi acquisita*; Alexander IV. decernit, *non licere præfatis communitatibus, scabinis, seu Consulibus, aliisque jurisdictionem, vel justitiam temporalem obtinentibus, aut executoribus, talia Ecclesiis, vel personis* 3803

Ec-

Ecclesiasticis imponere, vel exigere ab eisdem pro domibus, prædiis, vel quibuscunque possessionibus, ab Ecclesiis vel Ecclesiasticis legitimè hactenus acquisitis, vel imposterum acquirendis; etsi ipsæ Ecclesiæ, vel personæ, vel res hujusmodi, sint in illorum territorio constitutæ; Nec etiam, liceat Ecclesias, vel Ecclesiasticos, ad distrahendum, vel alienandum, aut dimittenda acquisita jam, vel quæ deinceps acquirent, ullatenus coarctare.

3803 Ex istis juribus deducitur, ad licitam contributionem, de qua hoc loco quæstio est, requiri primò, ut Episcopus & Clerus prius deliberet, & quantum Laicis contribuendum sit? ex c. *Non minus* in n. 3801. ibi: *nisi Episcopus, & Clerici* &c. & c. *Adversus n.* 3802. ibi: *si tamen Episcopus cum Clericis* &c. Secundò, requiri vel necessitatem valde gravem, vel evidentem utilitatem boni communis, ex c. *non minus*, ibi: *tantam necessitatem, vel utilitatem perspexerint*, nimirum Episcopus, & Clerus; & c. *Adversus*, ibi: *ad relevandas necessitates, & utilitates communes*; tertio, non sufficere qualemcunque necessitatem, vel utilitatem communem, sed *tantam, ut Laicorum non suppetant facultates*, ut expressè dicitur in c. *non minus*; quartò, ut ejusmodi contributiones, & subsidia fiant ab Ecclesiasticis, non ex impositione Laicorum, c. *non minus*, ibi: *quòd Laici Magistratus tot onera imponerent Ecclesiasticis*; & c. *Adversus*, ibi: *absque ulla coactione*; id, quod etiam constat ex c. 1. h. t. in 6. n. relato supr. Denique quintò, ut prius consulatur Summus Pontifex, prout habetur in c. *Adversus*, ibi: *propter imprudentiam aliquorum Romanus Pontifex prius consulatur.*

3804 Deducitur. 2. Clericos, & Regulares omnino exemptos esse ab extraordinariis, & novis tributis, & contributionibus, etiam pro communi necessitate, ac utilitate, nisi præmissæ conditiones adsint; nec ab illis aliter fieri posse; nec à Laicis aliter exigi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, absolutione reservata, dum competenter satisfecerint; ab his tamen excipe. 1. nisi ejusmodi nova tributa exigat Princeps vel speciali privilegio, vel cum expressa licentia Summi Pontificis, ut colligitur ex c. *Adversus. 7. h. t.* ibi: *si quando fortè Episcopus simul cum Clericis tantam necessitatem, & utilitatem prospexerint, ut absque ulla coactione ad relevandas* utilitates, vel necessitates communes, (*ubi Laicorum non suppetunt facultates*) *subsidia duxerint per Ecclesias conferenda: prædicti Laici humiliter, & devotè recipiant cum gratiarum actione; ubi tamen statim additur, propter imprudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex prius consulatur*: cujus interest communibus utilitatibus providere.

Excipe. 2. exactiones, quæ ab Eccle- 3805
sia debentur domino, cujus beneficio feudum habet. Nam, ut ait Abbas in c. *Dilectus* 34. *n.* 4. *de prob.* si Ecclesia habeat feudum à Laico, censetur ut Laicus, non ut Ecclesia, cùm ergo Clerici quoad bona feudalia, non habeant privilegium fori: sed coram Judice sæculari, videlicet domino feudi conveniri possint, ac debeant c. *ex transmissa.* 6. & seq. de foro compet. nil mirum, quòd ratione jurium, & bonorum feudalium, etiam Imperatori, vel alteri Principi tanquam Domino feudi contribuere debeant, ut docet Piasec. in praxi Episc. *p.* 2. *c.* 4. *art.* 8. *n.* 68. Excipe 3. bona, quæ antequam ad Ecclesiam pervenerunt, subjecta fuerunt certis oneribus, ut notavimus sup. Sylvester V. *Immunitas n.* 19. *q.* 5. *dict.* 3. vel in donatione, vel fundatione reservata fuerunt; nam tali casu Clerici solvunt gabellas, & collectas, non vi subjectionis: sed vi pacti, seu conventionis factæ in prima fundatione; his præmissis.

Ad quæstionem principalem initio 3806
articuli propositam 3. ex oneribus personalibus quædam esse, quæ consistunt in tributis personalibus, ut est *census capitationis*; quædam, quæ dicuntur *angariæ*; quædam esse vilia, & sordida, ut fodere arenam, calcem coquere, curare equos; quædam, quæ nec honorem habent, nec utilitatem, honesta tamen sunt, ut agere Tutorem pupillorum, vel Curatorem Minorum: quædam causa necessitatis, ut custodire muros civitatis, vel juvare ad erigendos aggeres pro defensione urbis & c. quædam in receptione militum in domos suas & c. quibus positis.

3807 Bz. 1. Clericos, & Regulares exemptos esse à tributis personalibus *capitationis*, qua intelligitur onus pendendi tributum impositum personæ ratione personæ, ut notavimus superius; ratio est, quia personæ Ecclesiasticæ, quoad suas personas, non sunt subjectæ ulli Laico; nemo autem tenetur ad præstandum aliquid ex ejus imperio, cui in tali materia subjectus non est; de quo plura *V. lib. 1. tit. 2. de constitut.* ubi ex utroque jure ostendimus personas Ecclesiasticas exemptas esse ab omni onere *personali* relatè ad potestatem *Laicam*; omnibusque collectis, & exactionibus; & hanc exemptionem, fundatam in ratione sui status, vi cujus omnes actiones suas dirigere debent ad Dei cultum, non ad temporalia, meritò docet Pirhing *h. t. n. 81. esse juris naturalis*; de quo V. Suarez *cit. l. 4. de immunit. Eccles. c. 2. à n. 3.*

3808 Bz. 2. Clericos, & Regulares exemptos esse ab onere præstandi Laicis *angarias*, & *perangarias*; sive *angariam* accipiamus pro gravi impositione, & injusta extorsione à Principe; & *parangariam* pro gravissima & injustissima extorsione, prout eos terminos quandoque sumi notat Pereyra in Elucidario n. 1274. ex L. *Urbana*, §. *pernoctare ff. de verb. signif.* sive per *angariam* intelligatur munus personale, & exhibitio operæ sine sumptu proprio, id est, sine erogatione proprii patrimonii, & per *perangariam* munus mixtum atque adeo exhibitio operæ proprio sumptu. Oppositum sentit Gloss. cap. *non minus*, de communi Ecclesiast. verbo *angariis*. Nempe ut angariæ dicantur *munera personalia* propriis sumptibus, & *Parangariæ* sumptibus alienis; ut tit. citato Codicis utrumque vocabulum significat; sive denique utrumque vocabulum significet equorum, seu jumentorum, aliorumque animalium præstationes ad cursum publicum, ac necessitatem à Principe provincialibus impositas onerum vehendorum per cursum publicum L. 10. & 11. *ff. de vacat. muner.* Ratio omnium istorum est eadem, quæ n. præced. excipi tamen debent angariæ præstandæ ab Ecclesiis Patrono, in earum fundatione cum consensu Episcopi reservatæ à fundatoribus, de quibus alias.

3809 Bz. 3. Clericos, & Regulares exemptos esse ab onere personaliter præstandi obsequia vilia & sordida; nec illis imponi posse licitè à potestate Laica; talia porrò censentur (ut habetur L. *Maximarum* 12. C. de excusat. munerum.) habere curam conficiendi pollinis, panis coquendi, obsequium pistrini, præbere parangarias, &c. Ratio autem, quantum est de jure canonico, sufficienter ex dict. constat; idem autem etiam statuitur de jure civili L. *Placet* 5. C. de Sacrosanct. Eccles. ibi: *Placet, rationabilis consilii tenore perpenso districtâ moderatione præscribere, à quibus specialiter necessitatibus singularum urbium Ecclesiæ habeantur immunes*; prima quippe illius usurpationis contumelia depellenda est: *ne prædia usibus cœlestium secretorum dedicata, sordidorum munerum fæce vexentur. Nil extraordinarium abhinc superindutumve flagitetur: nulla translationum sollicitudo signetur: postremò nihil, præter canonicam illationem, quam adventitia necessitatis farcinæ repentina poposcerit, ejus functionibus adscribatur. Si quis contra venerit post debitæ ultionis acrimoniam, quæ erga sacrilegos (jure) promenda est, exilio deportationis perpetuò subdatur.*

Idem habetur L. *Omnis* 2. C. de Epi- 3810
scopis & Clericis, ibi: *Omnis*, Clericis illi debitæ conventionis, injuria, *& iniquæ exactionis repellatur improbitas*, nullaque conventio sit contra eos munerum sordidorum; & cùm negotiatores ad aliquam præstationem competentem vocantur, *ab his universis istiusmodi strepitus conquiescat.* Si quid enim vel parsimonia, vel provisione, vel mercatura (honestati tamen conscia) congesserint: id in usum pauperum, atque egentium ministrari oportet ad id, quod ex eorundem ergasteriis, vel tabernis, conquiri potuerit & colligi, *collectum id religionis existiment lucrum.* Verùm etiam hominibus eorundem, qui operam in mercimoniis habent, divi Principis genitoris nostri statuta multimodâ observatione caverunt, *ut iidem Clerici privilegiis pluribus redundarent, itaque extraordinariorum munerum à prædictis necessitas absque omni molestia conquiescat; ad parangariam quoque præstationem non vocentur, nec eorundem facultates, atque substantiæ, omnibus Clericis hujus-*

modi

modi prærogativa succurrat, ut & conjugia Clericorum, ac liberi eorum quoque, & ministeria, mares pariter, & fœminæ, eorumque etiam filii, & filiæ, immunes semper ab hujusmodi muneribus perseverent.

Huic statim subjungitur authent. *Item nulla*, ibi: *Item nulla communitas, vel persona publica, vel privata, collectas, vel exactiones angarias vel parangarias, Ecclesiis, vel aliis piis locis, aut Ecclesiasticis personis imponere, aut invadere Ecclesiastica bona præsumat; quod si fecerint, & requisiti ab Ecclesia, vel imperio, emendare contempserint: triplum refundant, & nihilominus bona imperiali banno subjaceant, quod absque satisfactione debita nullatenus remittatur.*

3811 8. 4. quantum pertinet ad tutelas & curatelas, à Clericis, vel Regularibus suscipiendas, haberi textum in L. *Generaliter* 52. C. de Episcopis, & Clericis, juncta authentica illi subjecta: Lex ita loquitur: *generaliter sancimus*, omnes Viros, reverendissimos Episcopos, nec non Presbyteros, Diaconos & Subdiaconos, & præcipuè *Monachos*, licet non sint Clerici, immunitatem ipso jure omnes habere tutelæ sive testamentariæ, sive legitimæ, sive dativæ, & non solùm tutelæ eos esse expertes, sed etiam curæ non solùm pupillorum, & adultorum, sed & furiosi, & muti, & surdi, & aliarum personarum, quibus Tutores vel Curatores à veteribus legibus dantur. Eos tamen Clericos, & Monachos hujusmodi habere beneficium, sancimus, qui apud sacrosanctas Ecclesias, vel Monasteria permanent, non divagantes, neque circa divina ministeria desides: cùm propter hoc ipsum beneficium eis indulgeamus, ut aliis omnibus derelictis, Dei Omnipotentis ministeriis inhæreant. *Et hoc non solum in vetere Roma, vel in hac regia civitate, sed & in omni terra ubicunque Christianorum nomen colitur, obtinere sancimus.*

Authentica verò illi immediatè subjuncta, & ex Novell. 123. c. 5. desumpta sic loquitur: *Presbyteros, Diaconos, aut Subdiaconos, jure cognationis ad tutelam, vel curam vocatos, suscipere permittimus: si tamen intra quatuor menses, ex quo vocati sunt, apud Judicem competentem in scriptis declaraverint, talem administrationem propriâ se voluntate suscepisse. Si quis autem sic fecerit, nullum ex hoc præjudicium, circa alienam tutelam, vel curam, patiatur; Episcopos* autem, *vel Monachos*, tutelam alicujus personæ subire, non permittimus.

Præter hæc not. 1. quòd Clerici, & 3812
Regulares immunes sint ab onere *ex obligatione* suscipiendi tutelam, vel curatelam testamentariam, vel dativam, seculares tamen Clericos, etiam in sacris constitutos, *posse esse* suorum consanguineorum tutores, vel curatores legales; non tamen Episcopos, vel Monachos, ut habetur cit. L. *generaliter*, *de quo n.* 3811. *&c. generaliter.* 40. 16. q. 1. nisi sit tutela miserabilium personarum. Nam istud opus misericordiæ *etiam Monachi* suscipere possunt, ut habetur in c. *pervenit.* 26. dist. 86. ubi, postquam prohibetur Clericis tractare negotia secularia, subjungitur: *nisi fortè, qui legibus ad minorum statum tutelas, sive curationes inexcusabiles attrahuntur; aut, cui civitatis ipsius Episcopus, Ecclesiasticarum rerum commiserit gubernacula, & orphanorum, ac viduarum, quæ indefensæ sunt, & earum personarum, quæ maximè Ecclesiastico indigent adminiculo, propter timorem Dei.*

Not. 2. Clericos non teneri *perso-* 3813
naliter ire ad bellum, & *manu pugnare*, quod Clericatus illos ad hoc reddat inhabiles, prout diximus superius juxta c. *Ex multo.* De voto, §. *fin.* ibi: *Cùm Clericatus officium eos reddat inhabiles.*; quod ostendit Pirhing h. t. n. 83. etiam ad casum imminentis necessitatis.

Not. 3. Clericos regulariter non te- 3814
neri ad custodiam murorum ex 23. q. 8. c. *Reprehensibile.* 19. ibi: *Reprehensibile valde constat esse, quòd subintulisti, dicendo majorem partem omnium Episcoporum, die noctuque cum aliis fidelibus, tuis contra piratas maritimos invigilare, ob idque Epi-*

scopi impediantur venire, cùm militum Christi sit Christo servire: Militum verò seculi, seculo: secundum quod scriptum est (nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus,) *quod, si sæculi milites sæculari militiæ studeant, quid ad Episcopos, & milites Christi? Nisi ut vacent orationibus.* Deducitur præterea ex textibus utriusque juris jam allatis: Dixi *regulariter*, nam in casu magnæ necessitatis defendendæ urbis contra hostes, præsertim infideles, insufficientibus solis Laicis, jure naturali videntur vocari in subsidium; & huc respexisse videtur Gregorius Pontifex, dum Archiepiscopo Trecensi scribens ait, ut habetur c. *Pervenit.* 2. h. t. Fraternitas tua *nullum per nostræ vel Ecclesiæ tuæ nomen, aut alio modo excusari à murorum vigiliis patiatur: Sed omnes ad hoc generaliter compellantur: quatenus cunctis vigilantibus melius valeat civitatis custodia procurari.* Dixi *jure naturæ*, quod exigit, ut pars subveniat toti, graviter laboranti; *non jure, vel imperio secularis*; ab hoc enim simpliciter exempti sunt; unde etiam nec à Judice *seculari*, sed *Ecclesiastico*, & suo, ad hoc destinandi sunt.

Not. 4. Clericos, & Regulares, 3815
non teneri mandato potestatis *secularis* ad domos, & habitationes suas, recipere milites, qualiter quandoque domibus civium, vel in hybernis, vel in transitu imponuntur; res enim omnes eorum secundùm dicta, ab omnibus ejusmodi oneribus sæcularibus, utroque jure immunes sunt, ut ostensum est allatis utriusque juris textibus, & V. potest apud Barbos. l. 1. juris Eccles. c. 39. §. 50. à n. 76. ubi refert sententiam Sacræ Congregationis Concilii super controvers. jurisdict.

QVÆSTIO L.

IN TITULUM L.

NE CLERICI, VEL MONACHI SECULARIBUS NEGOTIIS SE IMMISCEANT.

3816 Titulus iste, finalis libri tertii, postquam præmissa sunt ea, quæ propriè spectant ad Clericos, tam Regulares, quàm seculares ratione sui statûs, subjungit, quæ illis meritò prohibita sunt, tanquam dedecentia, & contraria statui, quem profitentur, & in Rubrica sub verbo *negotia secularia* comprehenduntur. *Negotium* juxta Isidorum de Ethym. ut refertur c. *forus*, de verb. signific. dicitur, *sine otio*, quasi *negans otium*, & apud Bart. in L. *si pecuniam* C. de negot. plura significat, nempe laborem, occupationem, curam, molestiam, solicitudinem, causam, potestatem, litem, contractum: Apud Molin. tom. 2. d. 329. init. dupliciter sumitur. 1. *latè*, & generaliter, prout dicit omnem actum circa externa, & agibilia, impedientem otium: In qua acceptione est triplex, commune, publicum, & privatum. *Commune* est, quod spectat ad dispositionem alicujus regionis; *Publicum*, quod spectat ad regimen alicujus civitatis: *Privatum*, quod pertinet ad privatam personam.

Secundò accipitur *presse*, seu 3817
stricte,

strictè, & adhuc duobus modis; uno, pro causâ, seu lite; & sic ad omnem causam extenditur, civilem, criminalem, privatam, & publicam L. 1. §. *primum ff.* de calum. altero, pro commutatione ad lucrum comparandum; emendo scilicet, aut alio permutationis genere, rem aliquam acquirendo, & vendendo carius, aut aliter lucrando; & sic videtur coincidere cum negotiatione, quamvis dicat Alexander Scotus, V. cod. *negotiationem* propriè esse, in commercium, *negotium*, in dispensatione.

3818 *Negotiatio* simpliciter, mercaturam significat apud Bart. ad L. *Legatum* de legat. 3. explicatius verò, & prout clericis prohibetur c. *consequens.* dist. 88. ex mente Lessii lib. 2. c. 21. n. 4. Azorii tom. 2. lib. 7. c. 14 q. 1. & Molin. tom. 2. D. 339. datur, *quando quis rem emit, vel comparat, ut carius vendat integram, & immutatam, ad lucrum faciendum.* Unde non prohibetur Clericis *rem mutatam* vendere, lucri causâ; ut, si ex lanâ, auro, argento, vel alia materia empta, aliquid elaboratum vendant. Et hoc sensu, *negotiationis* appellatione non venit *Clericus*, qui vendit oleum, vinum, & granum, de reditibus sui beneficii, ut docet Martha de jurisd. p. 4. casu 3. n. 25. Secus dicit, si vendat fructus ex alieno agro conducto, quamvis suo semine, suaque industria collectos, Aloys. Ricc. in praxi rerum fori Eccles. decis. 275. in 1. editione, aliàs resolut. 317. n. 10. in 2. edit. ubi affirmat, non censeri Clericum *negotiatorem*, & mercatorem, qui residuum de eo, quod emit vilius, ad sui, & suorum sustentationem, vendat carius.

3819 In Rubrica hujus tituli *negotium* videtur amplè sumi, ut comprehendat non tantum *negotiationem* strictè sumptam, pro actu, quo quis rem à se emptam, ac immutatam, carius vendit; sed etiam omnes alios actus seculares, Clericum, ratione sui status dedecentes, nec enim est dubium, à Clericis, imò etiam Regularibus quandoque, plura suscipi, quæ revera statum hominis, à DEO in intimius suum obsequium electum, nullatenus decere possunt, cum dolore ingemiscente D. Gregorio in Lucam: *Ecce penè nulla est seculi actio, quam non Sacerdotes administrent.* De actionibus porrò, quæ Clericis ratione sui status prohibentur, jam egimus hic tit. 1. de vita & honestate clericorum à n. 32.

His annumerantur. 1. Plura alia in c. 1. h. t. quæ reputantur *secularia negotia*, 3820 Clericis prohibiti; qualia sunt, servire Laicis, quoad secularia, seu laica; accipere, vel etiam dare munera injusta, de quibus V. tit. 1. hic, c. *cum ab omni.* 10. exercere officium Procuratoris, vel Advocati in foro seculari, de quo egimus l. 1. tit. 37. de postulando; exercere judicium sanguinis, c. *Clericis*, 5. *h. t.* dictare sententiam sanguinis, vel proferre; interesse vindictæ sanguinis, vel purgationi vulgari, c. *Clericus* 9. eod. publicè audire jus civile, vel medicinam, c. *non magnopere.* 3. cod. agere vices domini secularis, quoad jurisdictionem, c. *sed nec.* 4. cod. agere Tabellionem, c. *sicut te* 8. cod. exercere mercaturam, vel exercere negotiationem lucri causa, c. *secundum* 6. cod.

Circa hæc præmissa not. quando in 3821 c. 1. h. t. Clericis, & Monachis prohibentur negotia *secularia*, quorum multa inibi specificantur, subjungi: *nontamen justum negotium est interdicendum propter necessitates diversas, quia legimus, Sanctos Apostolos negotiatos fuisse*, justo scilicet negotio, *& in regula S. Benedicti præcipitur, providere, per quorum manus negotium Monasterii transeat*, ubi notat Gonzalez *ad dict. c. 1. n. 8.* V. *Sanctos Apostolos*, D. Paulum tentoria seu tabernacula ædificasse, ut refertur cap. 18. actuum Apost. & ipse Apostolus. 1. ad Corinth. cap. 4. ajebat: *Laboramus operantes manibus nostris.* Et sanctos Apostolos ad opificia sua, præcipuè piscatoria, rediisse, refertur. cod. c. 8. atque inter Ecclesiæ Catholicæ Episcopos Spiridion Thremituntis in Cypro, oves pavit, testibus Rufino, & Socrate anno 325. Hilarius Arelatensis, agros coluit, Gennadius anno 445.

Deinde addit: in ea regula S. Bene- 3822 dicti, post constitutam Fratrum opificum disciplinam, subjungi: *Si quod ex operibus verò artificum venundandum est, videant ipsi per quorum manus transigenda sunt, ne aliquam fraudem*

præsumant afferre. Quæ verba apertè supponunt, *negotiationem illam*, qua res elaboratæ per proprios Monachos, aut per artificium mutatæ, revenduntur, licitam esse Clericis, & Monachis, exemplo Apostolorum, qui exercentes opificium aliquod vendebant, ut supra retuli, ut ita sine gravamine cujuspiam vitam ducerent, & egenis de sua tenuitate subvenirent; non omnis igitur negotiatio Clericis, vel Regularibus interdicta est, qualis est, quæ contingit *ob necessitates diversas*, sed ea tantùm, quæ pertinet *ad turpe lucrum*, seu ad eum acquirendi modum, *quo id plus justo appetitur*, ut dicitur c. 1. h. t. & ideo ibid. c. *unic.* prohibitæ sunt *conductiones rerum secularium*, nimirum propter cupiditatem, ut notat Abbas hic. n. 8. Salas de Contract. tr. 1. D. 2. & alii.

3823 Not. 2. quod in c. *magnopere* 3. h. t. dicitur, de non legendis legibus, & confectionibus physicalibus ponderandis, pœnisque in contrarium agentes statutis, quas de excommunicatione latæ sententiæ intelligendas esse, declaratur in c. *super specula.* 10. eod. accipiendum esse de *Religiosis professis*, qui ad eum finem de claustris suis exeunt, ut ponitur in textu. Deinde, licet c. 3. loquatur etiam *de legentibus*, hoc est, docentibus *leges*, seu jus seculare; in c. tamen 10. ubi statuitur pœna excommunicationis latæ sententiæ, textum solùm loqui de *audientibus*, non verò *docentibus* eas scientias.

3824 Not. 3. qualiter intelligendum veniat, quod dicitur in c. *Clericis* 5. h. t. de Clerico *judicium sanguinis exercente*, & similibus actibus causarum criminalium, à nobis expositum esse l. 5. tit. 39. de sent. excommunic. Videturque accipiendum de actibus illis, *effectu secuto*, *mortis* nimirum, vel *mutilationis*; & ita apud Barbos. *in tract. de dictionib. c. 5. n. 4.* (quod nunquam quis efficiatur irregularis, judicans, aut consulens in causa criminali, nisi mors sequatur, aut membri mutilatio) post Abbatem, Sot. Navar. tenet Flores de Mena var. lib. 1. q. 9. per totam ubi n. 6. respondet ad hunc textum; idem docet Farinac. dict. verbo *Clericus* n. 391.

3825 Not. 4. pœnis *in audientes leges*, seu jus civile, vel *medicinam* statutis, non affici, privatim, & in camera juris cæsareo, vel physicæ operam dantes, ut melius canonica decreta intelligant, sic Farinacius V. *Clericus* n. 207. & pat. ex textu, qui loquitur *de exeuntibus è claustris ad talem finem*; & ratio ulterior est, quia canones magna ex parte conjuncti sunt juri civili; unde natum est illud vulgare: *leges sine canone valent parum, canones sine lege, nihil*; jus enim unum alteri mutuo auxilio subservire debet.

Not. 5. Abbatem in dict. c. *non magnopere* n. 8. apud Barbosam in c. *fin.* h. t. n. 7. tradere, quòd Clericis & Monachis jus canonicum, aut Theologiam profitentibus, liceat ad majorem perfectionem, & intelligentiam Canonum, scholas ingredi, & jus civile publicè audire; videtur etiam posse colligi ex dict. c. 3. ubi sermo est de Religiosis professis: *qui sub obtentu* languentium fratrum consulendi corporibus, & Ecclesiastica negotia melius tractandi, ad leges, vel medicinam, antiquo hoste in Angelum lucis se transfigurante, de claustris suis educuntur. 3826

Not. 6. *negotiationem* esse duplicem, c. *Ejicens* 11. dist. 88. unam, impropriè dictam, quando res emptæ, per industriam, vel artem mutata, & melior facta, venditur lucri causa: alteram, strictè & propriè acceptam, si talis res immutata, lucri faciendi causâ, venditur. Utraque *per se* est licita c. 10. & 12. dist. 88. *per accidens* tamen fieri potest illicita, quòd occasionem præbeat mendaciis, fraudibus, inordinatæ cupiditati &c. Et ideo negotiatio *merè lucrativa*, quæ scilicet principaliter quærit lucrum, Clericis, & Religiosis prohibetur. 3827

Not. 7. negotiationem solùm strictè sumptam (quatenus importat rei emptæ, ac immutatæ factam venditionem lucri causâ, præsertim cariori pretio) jure communi per se interdictam esse personis Ecclesiasticis, ut colligitur ex c. 11. *dist.* 88. ubi, qui taliter negotiantur, dicuntur mercatores, *qui de templo Dei ejiciuntur*, hoc est, non sunt digni Clericatu, & qui serviant altari; & hæc negotiatio inc. *secundum* ne Clerici vel Monachi illis sub interminatione anathematis prohibe- 3828

hibetur, & graves pœnæ, à Trid. ſ. 22. c. 1. innovatæ transgreſſoribus ſtatuuntur: ex urgenti tamen cauſa illis licet, ſi per alios talem negotiationem exerceant, ut ipſi à ſuo miniſterio non impediantur, & abſit ſcandalum; ſic Haunold. *tom. 4. de Juſt. tr. 10. n. 285.*

3829 Dixi, *ſolam* negotiationem *ſtrictè* ſumptam, *jure communi*, per ſe loquendo, perſonis Eccleſiaſticis interdictam eſſe; nam privatis certarum Religionum conſtitutionibus, interdicuntur etiam ea, *quæ ſpeciem negotiationis habent*, ut videri poteſt can. 25. Congregationis. 2. in Soc. noſtra, verba canonis ſunt: *omnia, quæ ſpeciem habent ſecularis negotiationis, in colendis videlicet agris, vendendis in foro fructibus, & ſimilibus intelliguntur prohibita eſſe Noſtris.* Hanc porro ſpeciem ſecularis negotiationis non cenſeri habere. 1. conducere agros alienos, ad prædiorum noſtrorum adminiſtrationem vel animalium noſtrorum ſuſtentationem; 2. emere animalia ad prædiorum noſtrorum paſcua conſumenda, quæ poſtea divenduntur; 3. emere, quæ putantur uſibus noſtrorum neceſſaria, quæ ſuperflua poſtea vendantur, &c. de quibus V. poteſt Haunoldus cit. tom. 4. tr. 10. n. 284. dicens, ſic eſſe declaratum in Congregatione VII. non quidem c. 84. ut ibidem ponitur, ſed decreto 84.

3830 Quare in iſtis ſemper attendum erit, an ejusmodi rerum permutationes interdictæ ſint *legibus Eccleſiaſticis*? an ſolum *privati Ordinis, aut Eccleſiæ, ſtatutis*? 2. an id fiat *ex aliqua neceſſitate*? vel *puri lucri cauſa*? Si enim Clerici, vel Regulares, periclitarentur de recipienda ſorte à Mutuatario, niſi invicem ab eo accipient bona immobilia, caſtrum aliquod v. g. vel officinam molinariam pro conficienda inibi charta, eamque per ſeculares curarent, & divenderent, vel præſtare ſumptus pro edendis noſtrorum libris, & exempta damno, lucroque noſtro divendenda accipere certum videtur, non acturos *contra leges Eccleſiaſticas*; præterquam, quòd talis rerum permutatio non ſit *negotiatio*, de qua ſacri canones prohibitoriè loquuntur, de caſu autem poſtremò, ſi attendamus, non tantùm actus veræ negotiationis, ſed etiam ejus *ſpeciem*, ſeu apparentiam habentes; limitatio facienda eſt; nam etſi talis actus à Clericis, vel Regularibus exercitus, non ſit *contra leges Eccleſiaſticas* (in quantum verant præcisè *negotiationem ſtrictè ſumptam*, ut ſupra notavimus, conſentiente etiam Haunoldo cit.) quia tamen habet *ſpeciem ejus*, in Soc. vi cit. decreti 84. non permittitur.

Quoniam verò dicto decreto 84. declaratur, emere, quæ putantur uſibus noſtris neceſſaria, quæ ſuperflua poſtea vendantur, negotiationis ſpeciem non habere; ab hoc ad alia, quæ recidunt in eosdem terminos, facilis erit illatio; ſalvo tamen ſemper jure, ac intentione legis, ſeu decreti; ſi à nobis dicta, eidem non conformarentur.

Præter hæc in ordine ad præſentem 3831
titulum not. 1. quando in c. *Secundum 6. h. t.* ſub interminatione anathematis prohibetur, ne Monachi vel Clerici *causâ lucri* negotientur; &, *ne Monachi à Clericis, vel Laicis firmas habeant; neque Laici Eccleſias ad firmas teneant*, per *firmas* hic intelligi *poſſeſſiones conductas*, ut notat Gonzalez in dict. c. 6. n. 1. vel, ut Theophilus in diſcept. de religioſ. negot. §. 5. n. 88. ne ſub annuo cenſu prædia ruſticana, vel fodinas, aut ſalinas, aliudve ſimiliter frugiferum conducant. Not. 2. per illa verba, *ne Laici Eccleſias ad firmas teneant*, intelligi *jus ipſum bonorum*, vel ipſas Eccleſias, nam hoc prohibetur, ne Laicorum diſpoſitioni, gubernationique ſubjiciantur Eccleſiæ, juraque merè ſpiritualia; cùm abſurdum ſit pro annua penſione Eccleſiam, ipſique jura diviti Laico committi; cùm etiam Clericis prohibeatur ſub annuo pretio Eccleſias conducere, in c. quoniam, ne Prælati vices ſuas, non autem locare fructuum, vel proventuum Eccleſiaſticorum commoditatem, ſeu perceptionem, ut expoſuimus tit. 38. hoc enim permittitur, tanquam Eccleſiis utile, & honeſtum, ne Clerici nimium rebus externis, & merè temporalibus immiſceantur.

Not. 3. diſtinguendum inter negotiationem *honeſtam*, ac *merè quæſtuoſam*, vel ſecularem; illa eſt, qua aſſumitur ex fine ſtatum non decedente, v. g. ut inde quæratur victus; intenſio animi quandoque remittatur, &c. iſta, qua princi- 3832

pa-

cipaliter quæstus, & lucrum intenditur, præsertim per nimias vel potiori parte diei continuatas occupationes; & illæ multis locis non modò non prohibentur, sed etiam commendantur Clericis c. *Clericus*, dist. 51. ibi: *Clericus quantumlibet verbo Dei eruditus, artificiolo victum quærat*, c. 1. de celebrat. Missar. ibi: *peractis horis, & infirmis visitatis, si voluerit, exeat ad opus rurale.* Unde Gregorius Turon. in vitis PP. cap. 8. de sancto Nicetio Episcopo ait: *jam Clericus in domo paterna residens, cum reliquis famulis manu propria laborabat.* D. Gregorius l. 1. dial. cap. 12. Riculphus Episc. Suession. in sua Constitutione, quæ extat tom. 24. Concil. can. 16. ibi: *monemus præterea, ut Presbyteri sic ruralibus*, id est, terrestribus, & cæteris occupationibus *inserviant, quatenus divinum officium non negligant, & Scholares suos modestè distinguant, castè nutriant.*

Not. 4. Clericos, qui contra c. 2. h.t. 3833 agunt Ministros, Procuratores, vel Oeconomos Laicorum, cùm deprehenduntur in fraude, vel propter pecuniariam causam à Laicis capiuntur, non defendi ab Ecclesia; constat ex dict. c. 2. ibi: *indignum est, eis ab Ecclesia subveniri, per quos constat in Ecclesia scandalum generari*; quod contingit implicando se negotiis secularibus, ubi labor prope omnis eorum in his distinetur, ægrè dato divinis aliquo temporis spatio, quo, quæ sunt sui muneris clericalis, Deo persolvant, quod tamen non rarò à nonnullis fit.

FINIS.

O. A. M. D. G.

INDEX